BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
M 8
13 — M
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

DISTINCTIONES
EX
COMMENTARIIS S. BONAVENTURÆ
IN QVATVOR LIBROS SENTENTIARVM
COLLECTÆ:
ET
DISPVTATIONES
DE POTENTIA OBEDIENTIALI
CREATVRARVM CREATORVM,
AD EARVM NORMAM DIRECTÆ:
Simul & Quæstio Battvtæ Reggii Assensu Iuvv.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Typis Gabrielis Cramoisy, via Iacobæa, sub Ciconiis.
Stephanus Prævotius, Regius typographus, cum Facultate.
Gabrielis Cramoisy.
M. DC. XVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Internet Archive

8. 13. H. 1

Digitized by Google

REVERENDISSIMO DOMINO

D. CLAVDIO VAVSSINO,

SACRÆ FACVLTATIS PARISIENSIS
DOCTORI THEOLOGO,
ABBATI CISTERCII,
TOTIVSQVE ORDINIS CISTERCIENSIS
GENERALI,
ET IN SVPREMO BVRGVNDIÆ SENATV
CONSILIARIO PRIMO.

SERIVS *aliquanto*, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, *tibi, quàm ceteri; ſed non minùs ſincerè, minúſque ex animo, quem tenes gradum dignitatis atque bonoris ampliſſimum, gratulamur. Debuit hoc vniuerſus Ordo Ci-*

Digitized by Google

ſtercienſis ſingularibus meritis tuis, ſuiſque de te iudiciis & multis, & præclaris: neque mirum aut alteros ſibi conſtitiſſe, qui iam te ſemel delegiſſent, aut alteros manus dediſſe, qui nemini plus, quàm tibi, illo temporum ſtatu, tribuerent; vtroſque opere delectari ſuo, qui ad extremum te, communi ſtudio & conſenſu, Abbatem Ciſtercij, Generalémque Ordinis totius creaſsent. Extranei certè homines, ad quos iſta parum attinent, cùm te ſtirpe nobilem, commodum moribus, doctrina eruditum, tota vita religioſum recordantur, non poſsunt, quin vetus illud, O factum bene, Non pote meliùs, exclament, tacitíſque nec variantibus ſuffragiis comprobent, quod tam numero multi, tam ſapientia præſtantes viri, quorum maximè res intererat, vti-

Digitized by Google

le & conſentaneum eſse publicis rationibus duxerunt. Quinetiam ipſe euentus, qui plerumque conſiliis non reſpondet, fauere videtur in primis tibi: cùm ex tanta litium turba, opinionum diſcrepantia, offenſione voluntatum, ſumma derepente tranquillitas & coniunctio animorum extiterit. Nos verò, qui cuncto Ordini iamdudum fidelem & accuratam, quantum in arte noſtra eſt, operam præſtamus, lætis hæc, vt debemus, oculis, atque animis accipimus, meritóque dubitamus, vtrum tibi potiùs hanc auctoritatem inter tuos, & amplitudinem, an tuis hunc pacis & concordiæ fructum gratulemur. Quòd ſi tardiùs, vt ſuprà ſignificatum eſt, quàm decuit, officio functi videmur iuſto ac debito; tarditatem noſtram com-

Digitized by Google

penſabit & opportunitas muneris, qui tibi Theologum Doctori Theologo offerimus, & diuturnitas gratulationis, qui ſenſum hunc noſtrum, & ſtudium, & obſeruantiám, qua te colimus, prodi ſempiternis literarum monimentis, atque infinitæ poſteritati patere voluimus.

PRÆSVL ILLVSTRISSIME,

Tibi addictiſſimi SEBASTIANVS, & GABRIEL CRAMOISY, Fratres.

Digitized by Google

AVCTOR OPERI

TANDEM lucem aſpicitis commentationes non lucidæ; quamuis non alio, at iſto ſane nomine non ingloriæ, quòd Doctoris Seraphici gloriæ velificamini. Ne vobis in auguſta palatia tentetur aditus, verecundia vetat, ac veſtræ æſtimatio paruitatis ; Et ſi ad ſpecioſas priuatorum ædes dimittamini, in procliui eſt vt imparem meritis dedicationem conqueramini. Ite igitur qua patet orbis terrarum, hinc tenui veſtro contentæ viatico; inde adſcitis lætæ, animoſæque inſignibus, Bonauenturæ videlicet inter cælites beatitate coruſci; inter Eccleſiæ Doctores ardore Seraphici; inter ſacros Antiſtites infulâ ſplendidi ; inter purpuratos Patres, Pontificatus arbitri. Quàm grati, quámque gratioſi acceſſere tituli, futuri, ni ſpes fallit, prompti admiſſionales ad religioſa Bonauenturæ cultorúm millena conſepta; ad inſtructos voluminibus bibliothecarum centenos pluteos; ad ſepoſita Muſarum adyta, ſtudioſorúmque ſecreta conclauia. Hac fortunatæ ſorte, non eſt quid aliunde optetis ſæcularis plauſus, aut humanæ laudis: ſuum merci pretium abundè fuerit Seraphicis placuiſſe Patribus, Seraphicis vt cumque profuiſſe alumnis; Idque dedicationis inſtar ampliſſimæ habetote.

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo Magiſtro S. P. Ap. IOANNES BAPTISTA Epiſcopus Cam. Viceſger.

Imprimatur. Fr. REGINALDVS LVCARINVS S. P. Ap. Magiſter.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in regno ſuo, aliiſve locis, ſuæ ditioni ſubiectis, intra ſeptem annos proximos, librum, qui ſic inſcribitur*, Diſtinctiones ex Commentariis S. Bonauenturæ in quatuor libros Sententiarum, collectæ, &c. Studio P. IOANNIS BAPTISTÆ ROSSI è Societate IESV, *abſque Sebaſtiani Cramoiſy, Architypographi Regis, & Reginæ regentis permiſſu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. qui ſecùs fecerit, mulcta indicta, prout ampliùs in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Pariſiis, die* 11. *Decembris* 1645. *Sic ſignatum, De mandato Regis,*

CRAMOISY.

SYNOPSIS ET ORDO DISPVTATIONVM DE POTENTIA OBEDIENTIALI CREATVRARVM ERGA CREATOREM.

PARTIRE libuit in tomos binos, ne nimium excreſcant, quæ commentari licuit de Potentia Obedientiali creaturarum erga Creatorem ſuum. Primus perpetua ferme Theſis eſt eorum, quæ pertinent ad conſiderationem eius in vniuerſum. Secundus deſcendit ad hypotheſes ſingularium quæſtionum ad eandem potentiam ſpectantium, eodem ordine tractandarum quem ſeruauit S. Bonauentura in diſtinctionibus Magiſtri Sententiarum. Primus in quatuor generales diſputationes diuiſus eſt, quarum Prima poſt Præambula quædam cunctis communia, complectitur illa quatuor vulgata Capita. An ſit, Quid ſit, Qualis ſit, & Propter quid ſit Potentia Obedientialis Actiua.

Altera circa Potentiam obedientialem Paſſiuam occupatur.

Tertia diſſerit de concurſu Potentiarum vitalium, eo quòd ab ipſo habeamus potiſſima ac certa argumenta ad probandam vtramque potentiam obedientialem actiuam, & paſſiuam.

Quarta tractat de neceſſitate diuini concurſus ad omnes operationes tam à potentia obedientiali, quàm à naturali manantes. In quibus omnibus ſummæ curæ nobis eſt calamum à tractatu de auxiliis diuinæ gratiæ abſtinere. Oportet autem in hoc decurſu & aliàs veluti literales quæſtiones paſſim ſua ſe ſponte ingerentes non contemnere, neque ad hypotheſes tomi alterius ablegare, tum quia ſine illis plenè probari, explicarive primariæ aſſertiones haud quaquam poſſunt: ſiue quia ab illis pendet exacta ſolutio argumentorum quæ ab aduerſariis ſententiis opponuntur.

Ordo porro ac methodus non potuit ad amuſſim ſeruari illa regia ac SS. Bonauenturæ & Thomæ in primis familiaris, quæ profert illico in fronte articulorũ rationes dubitandi ante reſolutionem; plerunque enim in materia non controuerſiis ſolùm, ſed & cauillationibus expoſita, cogimur exarare contextus ipſos, & perpendere ſenſus auctorum paulo prolixiùs, quàm vt hærere memoriæ poſſint in fine probationum, quæ initio præmitterentur alioqui non incommodè; & ideo conſultiùs illuc reiiciuntur oppoſitiones quibus ſua ſtatim adnectitur diſſolutio, occurritúrque ſuperuacaneæ repetitioni, & lectoris faſtidio, ſi ad exordia amandetur.

Neque verò par eſt ad vitandam prolixitatem indicare ſolùm loca, & fontes auctoritatum quibus innitimur; cùm enim in rebus dubiis vnaquæque pars diſputantium Theologorum præſidium, fidémque ſuæ cauſæ à ſenſu ſapientum, Patrum præſertim conciliare ſatagat, & eorum verbis magis acutas, quàm germanas interpretationes interdum adhibeat; aut per ſubtilem diſtinctionem fundamenta diſcurſuum ipſorum eludat; non eſt alius oppor-

Digitized by Google

tunior modus declarandi mentem auctorum, quàm ſi proferantur verba non decurtata, vel imminuta; ſed vt in contextu iacent integra, & ſincera recitentur, vt æquus Lector iudicet vtri parti magis, minuſve ſint fauorabilia. In qua etiam cura, diligentiáque illud ineſt commodi & fructus, quod momenta rationum quæ Patres, aut graues alios Theologos impulere ad ſua effata ſtabilienda, puriùs illabuntur animis, ſi eadem, qua ab ipſis ornata ſunt orationis forma oculis admoueantur: Et non poteſt in hoc opere non intercedere aliqua mora longiori interuallo diſcriminans argumentorum propoſitionem, ſi collocentur in principio, à ſolutionibus, ſi ad finem reſeruantur, vt reſeruari opus eſt.

S. Greg. Nazianz.

Quamquam hunc ordinem arriſiſſe video Patribus pleriſque, & S. Greg. Nazianzeno imprimis ita ferme auſpicantiorationem tertiam de Theologia. *Cùm duplex ſit omne diſputandi genus: Alterum quo dogmata noſtra confirmamus: Alterum quo aduerſariorũ dicta ſubuertimus; Nos quoque hanc rationem inibimus, vt doctrinam noſtram priùs exponamus; atque ita deinde ad confutandas, & profligandas aduerſariorum obiectiones veniamus.* Quam methodũ à Cardinali Bellarmino in libris controuerſiarum ſeruatam, vt pote doctrinæ tradendę valde accommodatam omnes laudamus, neque illa meliorem deſideramus. Sed & ſi quis paulo attentiùs conſideret, perbellè contingit meditanti non aggerare multitudinem quæſtionum, ita diſtinguere capita, vt quæ expediri in reſponſionibus argumentorum breuiter poſſunt, non omittantur; neque tamen ita fusè prolatentur, vt reſponſionum leges violentur: atque ita conſulitur, & vtilitati, quam ſecum fert notitia rerum multiplicium; & breuitati compendioſa traditione earum, quæ ne diffuſiore quidem egent, niſi velis ad pompam augere moles librorum, & labores Librariorum.

Et quia Patribus Eccleſiæ ita ſunt addicti Angelicus, & Seraphicus Doctor, vt Auguſtino propè mancipati videri, & eſſe velint, quem ſummi Pontifices, & Doctiores quilibet inſigni præconio celebrarunt, inſtárque oraculi ad illuminationem fidelium, & Chriſti gloriam conceſſum diuinitus prædicarunt: Ideo æqui boníque conſules Lector, ſi frequentiùs eius teſtimonio dicta noſtra roborabimus, ſiquidem apud Catholicos nemo eſt qui non ægrè patiatur Auguſtinum habere aduerſarium; nemo qui non ſibi deputet ad fœlicitatem idem ſentire, & loqui, quod ipſe ſenſit, ac docuit. Verumenimuerò cùm non ſit mirum, nec inconueniens, ait S. Bonauentura in 4. diſt. 3. p. 2. fin. quòd poſteriores prioribus addant, quandoquidem & ipſis Principibus, ac Poteſtatibus gloriæ lumine perfuſis innoteſcit ſucceſſu temporis multiformis Dei ſapientia ex Apoſt. c. 3. Epheſ. poſt aurea ſæcula Auguſtini emerſere nouæ difficultates, quibus expediendis, exorti ſunt diuinæ prouidentiæ munere conſequentibus ſæculis viri præſtantes ingenio, & ſcientia decori, quos inter Lutetia vidit, aluitque vno tempore duo culmina Bonauenturam, & Aquinatem, quaſi extremos quoſdam naturæ, ac Theologiæ conatus, vltra quos nihil poſſe quodammodo videretur. Sed fœcundum eſt ac ferax Scholaſticæ Theologiæ ſolum; viuidum ac vegetum humanum ingenium ad abditiora latibula, exploranda; ſterileſcere ſeſe reputat niſi Rempublicã litterariam generoſis inuentis locupletet, & noua indagine aliquid venetur, quod palatum vellicet delicatiorum faſtidientium vetera, quæ nouitatis alicuius ſapore non condiantur. Quem ſane laborem haud illiberalem, neque indignum Theologo, ſi mo-

deratè ſuſcipias, conſequitur fructus minimè contemnendus, & veluti ſeges nobilium, ſolidarúmque commentationum; ſed non ſine corona obſepientium ariſtarum, quibus vt nihil ſubtilius, ita nec quicquam debilius; nec ſine lappa euanidorum, & inutilium problematum, quæ torquere poſſunt ingenia, prodeſſe ad ſoliditatem ſcientiæ, vel ad pietatem nequaquam poſſunt, ſi longiùs, licentiúſque à regio antiquitatis aureæ tramite deflectant. Et gemino etiam huic malo prouidentiſſimum numen ſua alexipharmaca opportunè ſuppeditare non deſtitit, ſelegítque per ætates ſingulas ex turba Theologorum aliquem, in quo poneret ſpiritum ſuum, ſpiritum intelligentiæ, & ſapientiæ, vt campum Scholaſticum à ſpinis argutiarum, & à vepribus pullulantium perplexitatum perpurgaret, ac Theologiam ad priſtinum candorem, ſinceritatémque reuocaret.

Ex horum numero ſi quem talem ſuperi conceſſere præterito proximè ſæculo antiquioribus inuidendum, fuit is P. Franc. Suarius, in quo refloreſcerent decora illa præcelſa SS. Bonauenturæ ac Thomæ, quorum & doctrinam æmulatus eſt quantum per tempora caſtigatiora licuit; & ſanctitatem imitatus, quoad per diuinam gratiam vberiùs communicatam progredi conceſſum fuit. Mihi profectò non contigit hactenus incidere in recentiorum vllum, vel magis fideliter cohærentem antiquitati; vel accuratè magis, ac profundè diſcutientem nouitates; vel prudenter magis ſeligentem ſententias affiniores ſenſui Patrum ſanctorum, & placitis Scholaſticorum probatiſſimorum. Quamobrem bene conſultum ratus ſum diſputationibus meis, ſi ſubſidium, lucémque ab hoc nouo ſole conquirerem, ſi quando à veteribus haberi non poſſet, quorum nullus exactam de Potentia Obedientiali tractationem inſtituit; ſed plerique omnes aridè, ac veluti per tranſennam capita quædam minimè controuerſa tetigere, cætera poſteriorum curæ reliquere. Eam porro ſuſcepit primus Suarius blandè, placidéque initio ſua meditata promens, vt Chriſti Domini humanitatem, ac Sacramenta Euangelica phyſicè per huiuſmodi potentiam ad effectus ſupernaturales concurrere ſuaderet: ſed pleno deinde alueo, rapidóque curſu auctoritatum, ac rationum multiplicium, cùm de more Vaſq. tubam contra ipſum inflaſſet, & aliis animum ad impugnandam Potentiam Obedientialem Actiuam addidiſſet; quanquam exitu in pugnæ progreſſu non omnino fœlici; plures enim notæ non inferioris Theologi perpenſis vtriuſque ſententiæ momentis prætulere Suarium, méque in ſuſcepto conſilio ipſos imitandi oppidò confirmarunt; ſed ita tamen,

Vt à S. Bonauentura quidem nunquam ſciens, volénſque deſciſcam: à S. Thoma vix aliquando, id eſt vbi cogor hærere mihi, & Seraphico. De cæteris quantumuis ingenio, ac doctrina præſtantibus, nullam mihi præſcribo legem niſi diſcendi ab omnibus, & colendi quemlibet, etiam cùm refellenda fuerit aliena opinio aduerſans noſtræ nunquam deſtitutæ auctoritate grauiori, quà veterum, quà recentium Theologorum. Sic enim fiet, vt facilè impetret à Lectore ingenuo aſſenſum Probabilitatis in rebus dubiis, id eſt nec fidei certitudine, nec euidentia rationum firmis; & forte etiam patrocinium aduerſus eos, quibus ingenioſa, ſolidáque inuenta viſa

olim fuerant mera, inaniáque commenta. Quod ſi aſſequi contigerit, non eſt quòd amplius ſperetur, quæratúrve à Scholaſtico per vmbroſa teſqua mortalitatis huius veritatem venante.

Nolim tamen exiſtimes ita me pedes figere in maiorum veſtigiis, vt ſemper aliena premam. Accedere curaui ad ſympoſium ſapientum cum meo ſymbolo, id eſt cum mellificio ex roſetis, ac lilietis Angelicis, ac Seraphicis delibato; ſed induſtria, ac labore pro ingenij modulo, & diuini auxilij fauore eliquato. Abſtinui libens abſynthiis Philoſophiæ ſecularis, & eorum ſuccis leuiter admodum fauorum extima conſperſi, vbi illam aduocare oportuit in Theologiæ famulatum, ne mortuos quærere viderer inter viuos, aut veſtimentum contexere ex lana, & lino, quod Deo diſplicitum eſt, ac vetitum Deuter. 22.

Non ſatis autem fuerat ad huius molitionem operis ſparſim libaſſe flores, & hinc inde ſuccos exſuxiſſe: Inſiſtendum erat ſingulis areolis; & lentè, attentéque luſtranda tota viridarij Seraphici amplitudo, hoc eſt excurrendum per omnes Commentationes in quatuor libros ſententiarum, vt animo certa formaretur idea ædificij à S. Bonauentura magnificè conſtructi, cui noſtra ſubſtructio conformaretur. Qui ſanè labor, vt nobis neceſſarius viſus eſt; ita & non ingratus neque infructuoſus videri poteſt huiuſce viæ amatoribus, ſi aliquis compendij fructus extet, quem vſurpare liceat oculis, manibúſque. Iccirco adornaui etiam in ipſorum gratiam florilegium veluti quoddam collectum ex floretis præcipuarum diſtinctionum, quibus Doctor ſanctus firmat reſolutiones quæſtionum ſuarum, & oppoſitiones diſſoluit alienas: Ornaui frontem librorum hoc embolio vt exhiberem epopſim aliquam velut in effigie, doctrinæ Seraphicæ.

In qua contentione, ac ſtudio ſi hoc aſſecutus fuero, vt aliqua fiat acceſſio honoris, exiſtimationiſque debitæ ſapientiæ S. Bonauenturæ, næ digito cœlum tetigiſſe mihi videar; ſin ſecus, illud profectò aſſequar, vt cœlo, terræque conteſtatus fuerim myricas haſce meas in hortos Seraphicos importaſſe, vt hac qualicunque ſignificatione propenſiſſimæ voluntatis obſequium, pietatémque patefacerem erga Seraphicum Doctorem, & Seraphicam Religionem.

PRÆ-

PRÆCIPVÆ DISTINCTIONES EX LIBRO PRIMO SENTENTIARVM SANCTI BONAVENTVRÆ EX PROLOGO.

ART. PRIMVS. QVÆST. I.

SVBIECTVM scientiæ tripliciter accipitur: primò ad quod omnia reducuntur vt ad principium radicale; secundò ad quod omnia reducuntur vt ad principium integrale; Tertiò ad quod omnia reducuntur vt ad principium vniuersale. Exemplum primi est littera in Grammatica, quam vocat Priscianus elementum, quia est minimum, in quo stat resolutio Grammatici. Exemplum secundi est oratio congrua. Tertij est vox litterata articulata ad significandum aliquid in se, vel in alio.

In Geometria exemplum primi est punctum, secundi corpus, tertij quantitas cõtinua immobilis.

Materia tripliciter dicitur, ex qua, in qua, circa quam: & hæc melius dicitur obiectum, quàm materia, & potest esse etiam finis: idem enim potest esse obiectum habitus, & finis.

Dupliciter res, & signa considerari possunt, primò absolutè, secundò respectiuè ad fruitionem, seu ad id, quod fruendum est. Hoc secundo modo pertinent ad vnam scientiam, in quantum scilicet ordinantur ad vnum, quod est *a*, & *o*: & hæc est sacta doctrina.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex potest esse assensus circa res fidei; primò præcisè propter rationem, & auferetur locus fidei, quia dominatur in anima violentia rationis. Secundò cum propter amorem eius, cui assentit, quærit rationes, & tunc non euacuat ratio humana meritum, sed auget solatium. De primo loquuntur S. Greg. & S. Hier. cum notant rationes quæri ad credendum.

QVÆSTIO TERTIA.

INtellectus potest tripliciter considerari, primò in se, & sic est speculatiuus, & perficitur ab habitu, qui est contemplationis gratia, quæ dicitur speculatiua scientia. Secundò vt natus est extendi ad opus: & sic perficitur ab habitu, quo boni reddimur; & hæc est scientia practica, siue moralis. Tertiò vt aptus est extendi ad effectum, & sic perficitur ab habitu medio, inter purè speculatiuum, & practicum, qui complectitur vtrumque; & hic habitus dicitur sapientia, quia simul dicit cognitionem, & affectum.

QVÆSTIO QVARTA.

DOcere dupliciter contingit ex August. de doctrina Christianâ; primò postponendo scientiam verbo, vel scripto, vt Magistri, & Doctores faciunt; secundò imprimendo habitum in intellectu, quod solius est Dei.

EX DISTINCTIONE PRIMA, & textu Magistri.

PRÆSVMPTIO duplex est, confidentiæ de diuino adiutorio, quæ etiam dicitur secundùm veritatem, & est virtutis indicium; & superbiæ, quæ etiam dicitur secundùm propriam æstimationem, & est peccatum. Dubit.

Additio est duplex: prima, in qua additum est contrarium, & est erroris; secunda, in qua ad-

ditum eſt diuerſum, & eſt præſumptionis; tertia, in qua additum eſt conſonum, & eſt fidelis inſtructionis. Dub.2. Et loquitur de additionibus ſacræ Scripturæ.

Dupliciter fides corrumpitur, peruerſitate voluntatis, & affectionis, & ita corrumpens dicitur carnalis, & peruerſitate iudicij, & dicitur animalis, quaſi phantaſticus: nam phantaſia peruertit iudicium rationis. Dub.3.

Charitas dupliciter dicitur, primò eſt virtus gratuita; ſecundò eſt amor largè longè apprecians amatam. De prima neſcit homo certitudinaliter an habeat, ſed tantùm coniicere poteſt aliquo experimento dulcedinis diuinæ miſericordiæ. De ſecundo poteſt eſſe certus. Prima eſt habitus infuſus. Secundus eſt amor actualis. Dub.4.

Tripliciter contingit non videri quod eſt viſibile; primò quia qui poteſt videre, non vult; ſecundò quia ſi vult, habet impedimentum organi; tertiò propter defectum lucis; ſic in ſpiritualibus non videt quis, quia non vult, aut quia habet impedimentum ex parte corporis, vt in phreneticis; aut defectu lucis cæleſtis, quæ ſubtrahitur quantùm ad influentiam perfectam propter peccatum. Dub. 5.

Veritas conſideratur dupliciter, primò ſimpliciter, & ſic eſt inexpugnabilis. Secundò in ſpeciali, vel quantùm ad hoc particulare: & ſic contingit illam per rationes phantaſticas obumbrari, & per contentionem impugnari. Dub.7.

Ex textu libri primi Sententiarum.

SAcramentum veteris legis dupliciter conſiderantur, primò in ſe, ſiue in ratione operis operati, & ſic erant tantùm ad ſignificandum; vel ratione fidei annexæ, ſiue caritatis: ſiue ratione operis operantis, & ſic erant ad iuſtificandum ſacramenta legalia præter circumciſionem. Dub.1.

Duplex eſt ſignum, naturale, & inſtitutum, ſiue ex inſtitutione, vt ſunt ſigna vocalia ſacramentalia. Dub.3.

Diuiſio eſt triplicis generis. Primò vnius communis ſecundùm nomen, vt æquiuoci: ſecundùm nomen, & rem, vt vniuoci: & medio modo ſe habens, vt Analogi. Dub.5.

Omnis res aut eſt finis, & ea fruendum eſt: aut deducens ad finem, & eâ vtendum eſt: aut perueniens ad finem, & eſt fruens, & vtens, vt homo, ibid.

Sperare de aliquo contingit dupliciter, aut ſicut de adiutore, aut ſicut de ſaluatore. Prima ſpes poteſt eſſe in homine. Secunda non. Dub.8.

Finis dupliciter dicitur, primò propriiſſimè, & eſt finis vltimus, in quo ſtatur. Secundò finis ſub fine, & dicitur terminus. Dub.14.

Propter ſe dupliciter accipitur, primò vt opponitur ei quod eſt propter aliud. Secundò ei quod eſt per accidens, ibid.

ART. PRIMVS. QVÆST. I.

VSus accipitur quinque modis, primò communiſſimè pro naturali operatione, ad quam res quælibet ordinatur. Secundò communiter, vt opponitur deſuetudini: & dicitur à Victore actus frequenter elicitus à potentia, & additur tantùm ſupra actum frequentiam. Tertiò propriè vt opponitur memoriæ, & intelligentiæ, & definitur ab Auguſt. 10. Trin. cap.18. vti eſt aſſumere aliquid in facultatem voluntatis: & ſic eſt actus voluntatis. Quartò magis propriè, & dicit actum non quietatiuum, ſed propter aliud, vt Auguſtinus ibidem, & opponitur fruitioni. Quintò propriiſſimè vt opponitur actui inordinato, qui dicitur abuſus, & definitur ab Auguſtino de doctrina Chriſtiana cap.4. vti eſt id quod ad vſum venerit, referre in id, quo fruendum eſt: & ſic dicit actum voluntatis relatum in finem.

Refertur aliquid dupliciter, primò per collationem, & illationem, vt præmiſſæ ad concluſionem. Secundò per inclinationem, & ordinationem ad aliud, & eſt propriè voluntatis. Ad penultimum.

QVÆSTIO SECVNDA.

VTi aliquo dicitur quatuor modis, primò ſicut inſtrumento. Secundò ſicut habitu quo regulamur. Tertiò ſicut actu, quo mouemur. Quartò ſicut obiecto, ad quod inclinamur.

Ordinare aliquid in ſummum bonum contingit dupliciter; aut enim ordinatur aliquid, quod natum eſt deuenire in finem; aut per quod deuenire eſt in ſummum bonum. Primo modo tria tantùm creata ſunt diligenda ex caritate, nos, anima, & corpus noſtrum. Secundo modo omnis creatura.

Aliquid dicitur ſubeſſe dominio voluntatis dupliciter, aut quantum ad eſſe ipſius rei, & ſic non omnia ſubiacent: aut quantum ad actum approbandi, vel reſpuendi, & ſic omnia ſubiacent voluntati.

QVÆSTIO TERTIA.

MEreces æterna reſpici poteſt vel vt cauſa mouens, & ſic eſt malus affectus eius, aut vt eſt ratio inducens, & ſic eſt bonus.

Finis dicitur bonus dupliciter, aut quantùm ad ſubſtantiam, aut quantùm ad intentionem finiendi, & hoc contingit in recta ordinatione: quomodo non contingit vti Deo: quia illi non conuenit ordinari, cum ſit finis vltimus.

ART. SECVNDVS. QVÆST. I.

ACtus voluntatis conſideratur tripliciter, primò communiter, vt dicit motum cum delectatione: quomodo dicitur ab Auguſtino, frui eſt vti cum gaudio. Secundò vt dicit motum cum quietatione: & definitur ab eodem lib. de doctr. Chriſt. cap. frui eſt amore inhærere alicui propter ſeipſum: & hoc modo accipitur propriè. Tertiò vt complectitur vtramque, id eſt delectationem, & quietem: & definitur ab eod. 10. Trin. cap.11. Frui eſt quieſcere in cognitis voluntate propter ſe delectata: & ſic accipitur propriiſſimè.

Actus voluntatis poteſt dupliciter conſiderari; primò per modum apperentis. Secundò per modum complacentiæ. Primò modo antecedere poteſt ipſam viſionem. Secundò conſequitur, & in hoc eſt perfecta ratio fruitionis, ſcilicet in complacentia rei viſæ & habitæ.

ART. III. QVÆST. I.

COnuenientia eſt duplex per vnius naturæ participationem, & per comparationem. Prima facit communitatem vniuocationis. Se-

Digitized by Google

cunda analogiæ, ſiue proportionis, idque tripliciter, vel ſecundum ſimilẽ comparationem duorum ad duo, vt ſicut ſe habet homo ad animal, ita albedo ad colorem: vel ſecundùm diſſimilem comparationem duorum ad vnum, vt animalis, & cibi ad ſanitatem: vel ſecundùm comparationem duorum ad inuicem, puta cum vnum eſt imitatio, aut ſimilitudo alterius, vt animæ ad Deum.

Infinitum dicitur dupliciter per priuationem perfectionis, & per priuationem limitationis. Primo modo materia eſt infinita. Secundo Deus, vltra quod non eſt aliud maius cogitare.

QVÆSTIO SECVNDA.

BOnum honeſtum dicitur dupliciter, aut quod eſt purè bonum, aut in quo relucet eius ſimilitudo. Primo modo eſt fruendum bono honeſto, quia hoc ſolùm terminat, & quietat. Secundo modo non eſt fruendum proprie, ſed tantùm communiter, vt frui dicit delectationem, ſed non quietationem, quæ eſt in ſolo Deo.

DISTINCT. II.

DE TRINITATE, &c.

TRiplex eſt purgationis gradus, vt purgatio dicitur de intellectu, & affectu. Primò purgatur intellectus, cum abſtrahitur à ſpeciebus ſenſibilibus; purgatur, cum à phantaſticis imaginibus: purgatiſſimus, cum à phyſicis rationibus. Affectus vero purgatur, primò cum mundatur à culpa; ſecundò cum à ſequela: purgatiſſimus, cum ab occaſione. Dub. 1.

Nomen Dei vel conſideratur quantum ad id, cui imponitur, & ſic eſt nomen naturæ: quia ei imponitur quod eſt ſumma natura: aut quantum ad id, à quo imponitur; & ſic eſt nomen operationis. Dub. 3.

Dupliciter dari poteſt ſpiritus prophetiæ, aut ad plura, aut ad altiora. Heliæ datus fuit ad plura, quia ad futurorum viſionem, & miraculorum patrationem. Dauid ad altiora, quia plura vidit clarius, & prophetia intellectuali. Dub. 9.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DVplex eſt intellectus, ſcilicet rationalis, & phantaſtices, qui ſcilices intelligit multa impoſſibilia.

Producere aliquid contingit tripliciter, de ſeipſo, de aliquo creato, de nihilo.

QVÆSTIO SECVNDA.

PLuralitas alia eſt per additionem, & hæc repugnat Deo; alia eſt per originem, & hæc non addit, neque componit, nec repugnat ſimplicitati: ſed potius ſolitudini, & hæc eſt in diuinis.

DISTINCT. III.

VEritas dupliciter conſideratur vel comparatione ad illud, in quo eſt: & ſic definitur ab Auguſtino in Solil. l. 2. c. 5. Veritas eſt id, quod eſt: vel per comparationem ad intellectum, quem mouet: & ſic dicitur 3. Metaph. finis intelligentiæ ſpeculatiuæ; & ab Hil. dicitur declaratiuum eſſe; vnde quia ſilius procedit vt verbum, cui conuenit ratio declarandi, ideo ei appropriatur ratio veritatis, & exemplaris.

Sicut color dupliciter conſideratur, primò ſecundum id, in quo eſt, & definitur l. de ſenſu, & ſenſ. c. 3. Color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato; vel comparatione ad viſum, quem mouet, & definitur 3. de Anima t. com. 5. Color eſt motiuum viſus ſecundum actum lucidi. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

COgnitio eſt duplex per apprehenſionem, & per comprehenſionem. Prima conſiſtit in manifeſtatione veritatis rei cognitæ. Secunda in inclusione totalitatis. Ad primam requiritur proportio conuenientiæ, & talis eſt in anima reſpectu Dei, cuius eſt imago, & ſimilitudo, & apta fieri omnia per aſſimilationem. Ad ſecundam requiritur proportio æqualitatis: & talis non eſt anima reſpectu Dei, quia eſt finita.

Duplex eſt diſtantia, ſecundùm rationem entis, & ſecundùm rationem cognoſcibilis. Primo modo eſt maior diſtantia inter Deum, & intellectum creatum, quàm inter quidlibet creatum intelligibile, & ſenſum; non item ſecundo modo: ideo poteſt intellectus creatus cognoſcere Deum: non tamen ſenſus aliquod intelligibile.

Duplex eſt infinitum: primum, quod ſe habet per oppoſitionem ad ſimplex, & tale non capitur à finito, quale eſt infinitum molis. Secundum, quod habet infinitatem cum ſimplicitate, vt Deus, & quia ſimplex eſt, vbique totum eſt; & quia infinitum eſt, in nullo ſic eſt, quin ſit extra illud.

Iudicare de aliquo contingit dupliciter: primò diſcernendo, vtrum ſit, vel non ſit: & hoc modo conuenit iudicium omni intellectui, reſpectu omnis obiecti. Alio modo approbando, vel reprobando, vtrum ita debeat eſſe, & ſic non iudicat de veritate, ſed ſecundùm ipſam de aliis, ſicut Iudex non iudicat de lege, ex Auguſt. de ver. Relig. ſed ſecundum ipſam iudicat de aliis; & ſic nullus iudicat de prima veritate, ſed ſine illa non iudicat, quia illius adminiculo dirigitur in obiectum, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVpliciter cognoſcitur creatura, vel quantum ad proprietates ſpeciales, quæ ſunt imperfectionis, vel quantum ad conditiones generales, quæ ſunt complerionis. Primo modo ducit in Dei cognitionem per ablationem. Secundo modo per ſuperexcellentiam, quia omnis proprietas nobilis in creatura Deo eſt attribuenda in ſummo.

Aſcenſus in Deum poteſt eſſe dupliciter, aut quantum ad aſpectum præſentiæ, & ſic quælibet creatura nata eſt ducere in Deum: aut quantum ad æqualitatem æquiparantiæ. Primo modo non ſunt infiniti gradus, ſed ſecundo, quia bonum creatum quantumuis multiplicatum nunquam æquiparatur increato.

QVÆSTIO TERTIA.

ALiud eſt cognoſcere Deum in creatura, aliud per creaturas. Primum eſt cognoſcere ipſius præſentiam, & influentiam in creaturam: quod eſt viatorum ſemiplenè, comprehenſorum perfectè. Secundum eſt eleuari à cognitione crea-

Digitized by Google

turæ ad cognitionem Dei, quasi per scalam mediam: & hoc est viatorum, & quidem in statu naturæ integræ cognoscebat per creaturam, tanquam per speculum nitidum, & clarum: post lapsum, tanquam per speculum, & ænigma. 1. Cor. 13.

QVÆSTIO QVARTA.

ANima cognoscitur dupliciter, vel absolutè, secundùm id, quod in se est: vel relatiuè, vt imago Dei. Primo modo cognoscitur à Philosophis. Secunda cognitio est solius fidei.

DISTINCT. III. PARTIS II.

Text.

DIci ad aliquid est dupliciter: vel propriè, & per se, sicut pater, & filius: vel ratione alicuius annexi, quia habet respectum annexum, & inclinationem; & sic memoria dicitur aliquid, quia innatum habet respectum ad memoriale: item intelligẽtia ad intelligibile. Dub. 1.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IMago alia est sensibilis, quæ repræsentat secundùm exteriorem dispositionem; alia est spiritualis, quæ est intima cuilibet rei, & repræsentat secundùm intimas dispositiones; & sic secundùm tres potentias attenditur ratio imaginis Trinitatis.

Memoria accipitur tripliciter, primò vt est retentiua sensibilium, & præteritorum. Secundò vt retentiua præteritorum, siue sensibilium, siue intelligibilium. Tertiò vt retentiua specierum, abstrahendo ab omni differentia temporis. Primo modo sequitur sensum. Secundo modo intelligentiam. Tertio modo antecedit, & respondet patri.

QVÆST. II. QVÆST. III.

POtentia naturalis dicitur tripliciter: primò, vt dicit modum existendi naturalis potentiæ in subiecto, secundùm quem dicitur subiectum, dicitur facile vel difficile ad aliquid agendum, & est in secunda specie qualitatis, vt cum dicitur cursor, pugillator. Secundo modo dicitur naturalis potentia, quæ naturaliter egreditur de substantia immediatè, vt potentia generandi, & hæc reducitur ad substantiam, tanquam substantialis differentia. Tertio, vt dicit ordinẽ substantiæ ad actum, qui est mediante aliqua proprietate accidentali, vt potentia syllogizandi in anima habente habitum: & hæc est in eodem genere, in quo est scientia syllogizandi, id est in prima specie qualitatis. Potentiæ igitur animæ vt immediate egrediuntur à substantia, sunt in eodem genere per reductionem, in quo est anima: neque enim sunt omnino idem cum essentia, nec adeo differunt, vt sint alterius generis. Exemplum est in re, & similitudine eius, quæ non habent tantam idẽtitatem, vt sint vnum numero, nec tantam diuersitatem, vt differant numero.

Essentiale dicitur quatuor modis, primò dicit rei essentiam. Secundò id, quod est de essentia, & constitutione rei, vt materia & forma. Tertiò id, sine quo res nec esse, nec intelligi potest. Quartò id, sine quo res non potest cogitari habere perfectionem esse, vt potentiæ animæ.

ARTIC. I. QVÆST. I.

HAbitus est triplex, ab acquisitione, ab innata dispositione, à sui origine; cum enim habitus sit, quo potentia redditur facilis ad operandum, tribus iis modis est talis; verbi gratia affectus noster habet facilitatem ad diligendum bonum alienum per acquisitam dispositionem, vt per virtutem; ad suum per innatam dispositionem: ad seipsum per sui naturalem originem.

QVÆST. II. QVÆST. III.

AMor vel dicit complacentiam, & est communis in Trinitate; vel dicit connexionem, siue commutationem, vel donum: & sic habet rationem personæ.

DISTINCT. IV.

Text.

DVpliciter importatur distinctio, vel diuersitas, vt res, aut vt modus: vt exercita, aut vt concepta.

Propositiones important distinctionem vt exercitam, & hæc in diuinis est ratione personarum: ideo termini stant pro diuersitate personarum; & quia rursus circa id ponit modum, circa quod exercet distinctionem: & tales sunt personæ; ideo est vera locutio, Deus de Deo, lumen de lumine. Quia verò hoc nomen aliud importat distinctionem vt conceptam: similiter hoc verbum distinguere ideo simpliciter ponit distinctionem circa terminum ratione formæ: ideo falsa est, Deus est alius à Deo. Dub. 1.

Quæ ratio videtur obscurior, ideo explicatione indiget.

ARTIC. I. QVÆST. III.

HOc nomen, Deus, dicitur tripliciter, nuncupatiuè, adoptiuè, naturaliter. Primis duobus modis plurificatur. 1. Cor. 8. Si quidem sunt Dij multi; non tertio, quia significat naturam cum additionibus, quas impossibile est in alio reperiri.

Duplex est incongruitas; vna ex discohærentia adiacentium, vt Catonis est; altera ex discohærentia intellectuum, vt cum dicitur, Plures Petri. Prima tollit veritatem, & falsitatem. Secunda habet falsitatem adiunctam. Et quia per negationem remouetur falsitas, ideo sancti negant plures Deos, etiamsi Grammaticè congrua esset locutio, sicut est negatiua.

Conuenire vni soli tripliciter dicitur; aut enim quia imponitur nomen à forma multiplicabili, vt in propriis nominibus: aut à forma multiplicabili quamuis non multiplicetur propter determinationem: aut propter defectum materiæ, vt Phœnix, & tale tollit pluralitatem secundùm rem, non secundùm consignificationem, quia potest consignificari talis formæ, vt si multiplicetur per suppositа.

Digitized by Google

DISTINCT. V.

De comparatione generis ad terminum essentialem.

TEXT.

COmmune dicitur, quod est in multis: quod potest esse tripliciter; primò quia pluralificatur in multis quantùm ad formam, & quantum ad suppositum, vt hoc nomen, Homo; & hoc admittit distinctio quantum ad rem, & quantum ad modum; vnde bene dicitur homo est ab homine, & duo homines. Secundò quod pluralificatur quantum ad suppositum, sed non quantum ad formam, vt Deus, & habet vnitatem rei, vt res dicit naturam cum multiplicatione suppositorum: & ideo importat distinctionem vt modum, non vt rem: sic dicitur Deus de Deo, sed non Deus est alius à Deo. Tertiò est commune secundùm nomen, quod est in multis, nec tamen pluralificatur, quantùm ad formam, quia est vnum in multis, nec quantùm ad suppositа, quia pro illis non supponit, vt essentia: & sic non recipit distinctionem, nec quantum ad modum, nec quantum ad rem, quia distingueretur à se: sic non potest dici, quod Pater genuit essentiam. Dub. 2.

Semel potest dicere vel nunc temporis, vel nunc æternitatis. Primo modo dicit intercisionem diuersorum nunc. Secundo modo semper durat, & est inuariabiles, & est vnum: & sic dicitur Pater semel genuit filium. Dub. 7.

Aliquid esse de nihilo tripliciter intelligitur ex Anselmo in monol. c. 8. Primò vt nihil accipiatur simpliciter priuatiuè, vel negatiuè, vt cum dicitur de tacente, ille loquitur de nihilo. Secundò positiuè, vt cum dicitur fieri aliquid ex nihilo, sicut culter de ferro. Tertiò partim positiuè, partim negatiuè, vt cum dicitur aliquid fieri ex nihilo, quia post nihil, est aliquid, sicut dicitur de paupere fit diues, & denotatur ordo à non esse ad esse: & sic non conuenit Deo, sed creaturæ.

Hic explicandum, quomodo dici possit pater esse de nihilo.

ARTIC. I. QVÆST. I.

TRiplex est genus nominum significantium essentiam diuinam. Quædam significant in concreto, vt Deus quædam in omnimoda abstractione, vt essentia: quædam medio modo, vt lumen, sapientia, voluntas, quia non cõcernunt suppositum per modum inhærentiæ, sed ratione eius quod dicunt aliquam rationem actus, vel originis, quæ sunt ipsorum suppositorum. Prima supponũt pro persona propriè: & sic propriè dicitur, Deus generat. Secunda omnino impropriè: & ideo neganda propositio, essentia generat. Tertia supponunt partim propriè, partim impropriè, vt sapientia generat, & ideo sustinenda.

Diuersitas rationis dupliciter est in diuinis, primo modo per habere diuersas proprietates, & per illud inducit distinctionem, & sic differunt relatione pater, & filius; alio modo per habere proprietatem, & non habere: & illud non inducit distinctionem, nec facit, quod vnum nõ prædicetur de alio: facit tamen, quod aliquid dicitur de vno, quod non dicitur de altero, vt patet in Petro, & homine, Petrus est indiuiduum, homo non: & tamen homo verè prædicatur de Petro; sic persona est essentia, nec tamen dici potest, essentia generat, licet dicatur, Pater generat.

In diuinis est duplex modus prædicandi, per identitatem, & per inhærentiam, seu denominationem, vt faciunt adiectiua, & verba, vt generat, genitus, natus. Primo modo dicitur essentia est Pater, ratione videlicet summæ simplicitatis, quæ nõ patitur personam minus esse simplicem, quàm essentiam: & in tali propositione idem significat, & supponit. Secundo modo terminus aliud significat, & aliud supponit: significat enim formam communem, & supponit pro inferiori: ideo dicitur, Pater generat, non tamen essentia generat: quia hoc nomen essentia non significat personam, nec pro ipsa supponit.

QVÆST. II. QVÆST. III.

ART. SECVNDVS. QVÆST. PRIMA.

SVbstantia dicitur dupliciter; prima quæ est indiuiduum, & hypothesis, siue persona; & secunda quæ est commune.

Dupliciter loquimur de termino generationis, aut quantùm ad productionem, aut quantum ad intentionem; primo modo, cum sit circa singulare, terminatur ad substantiam primam. Secundo modo ad naturam communem, quia hæc natura producens hunc hominem intendit dare ei formam communem, quæ numeratur in suppositis: & ideo producitur, & corrumpitur in creatis: in diuinis autem substantia non numeratur, nec aduenit ei nouum esse, ideo generatio terminatur solùm ad substantiam primam, quæ est persona, quæ dicitur generari, non autem essentia.

QVÆSTIO SECVNDA.

FAcere in hoc contingit dupliciter: primò absolutè, & sic est ratio appropriandi; secundò respectiuè, vbi illud, quod erat in vno, fit postea in alio; & hoc secundo modo generatio est ratio communicandi naturam.

DISTINCT. VI.

De cõparatione actus generãdi ad Potentiam.

TEXT.

QVando dicitur, filius alio est Deus, & alio est filius, dupliciter construitur ablatiuus, Alio, vel formaliter, & sic vera est propositio, natum enim est Deus: filiatione Filius. Vel originaliter, & in ratione principij; & sic est falsa, quia filius ortum habet à patre naturali. Dub. 1.

Sed vide textum difficilem, quando habet, quòd prima est falsa, & secunda vera.

Consilium dicitur dupliciter. Primò dicitur consulere passiuè, id est accipere consilium: & hoc denotat ignorantiam. Secundò actiuè, id est dare consilium, & dicit scientiam. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

NEcessitas est multiplex { ex principio disconueniente. / ex principio deficiente. / ex principio conueniente, & sufficiente.

Prima est duplex: aut enim ex ipso mouentem cõtra naturã, & hæc est violentię; aut contra voluntatẽ, & est coactionis. } violentiæ, coactionis.

Secunda item est duplex: aut enim est respectu eius, quo apta est res compleri: & est indigentiæ, vt cibi, & potus; aut respectu eius, quod incurrit ex ipso defectu, & hæc dicitur ineuitabilis, qualis est in morte, & primis motibus. } indigentię, ineuitabilitatis.

Tertia item est duplex: aut enim ex principio sufficiente in disponendo, & hæc est necessitas materiæ dispositæ, quæ potest dici necessitas exigentiæ; aut in complendo: & hæc immutabilitatis, & hæc est in Deo solo, qui solus omnino sibi sufficit, & qui secum omnino conuenit, & hæc non repugnat libertati: sed solùm vertibilitati. } exigẽtiæ, immutabilitatis.

In amore gratuito duo sunt: vnum est, quod dat liberalitate æternæ, sine vlla exigentia meriti, vel naturæ: aliud, quod dat sine retributione: & hoc secundo modo est amor gratuitus in patre, cuius naturæ fœcunditas est ratio communicandi naturam.

QVÆSTIO SECVNDA.

VOluntas dupliciter consideratur; respectu voliti, nimirum vt in ratione approbantis, & diligentis, & sic est respectu omnis boni; vel in ratione producentis, & hoc aut vt est principium distinctum contra naturam, secundùm quod dicitur, quòd alia sunt natura, alia voluntate; aut vt est distinctum. Si primum, vel est voluntas accedens, vel antecedens: illa est, secundùm quam de non volente quis fit volens: hæc præcedit effectum causalitate, & duratione. Prima non est in Deo, quia nihil de nouo vult. Secunda est respectu creaturæ. Si consideretur voluntas vt principium coniunctum naturæ, potest esse dupliciter: vel enim natum est principium producens principaliter voluntate comitante, aut è conuerso: vtrumque enim principaliter esse non potest. Si voluntas sit principium, cum natura communicante, sic est processio Spiritus sancti, qui procedit per modum amoris, tamen similis in natura; si verò natura producit cum voluntate communicante, sic est productio filij, qui producitur omnino similis, & per modum naturæ, nihilominus vt dilectus: & sic producitur cum voluntate approbante, & cum voluntate communicante.

QVÆSTIO TERTIA.

PRocedere per modum exemplaritatis dicitur dupliciter, primò vt exemplatum propriè; sic creatura procedit à Deo tanquam exemplatum.

DISTINCT. VII.

De comparatione Potentiæ generandi ad Personam.

Text.

ESse aliquid dicitur dupliciter; vel communiter ad essentiam, & personam, & sic nõ datur medium inter esse aliquid, & esse nihil; vel vt trahitur ad essentiam, & sic datur medium inter esse aliquid, & esse nihil, videlicet persona, quæ prædicatur vt quis, non vt quid. Dub. 3.

Potentia potest dupliciter cõsiderari, vel secundum id, quod in se est, & sic dicit naturam, quæ vna est in generante, & genito: vel secundum id ad quod est, & sic dicit modum existendi naturæ in persona, comparatiuè ad alium, qui est principium, vel principiatum, & sic cum diuersi sint modi, diuersæ dicuntur proprietates, posse generare, & posse generari, & distinguuntur secundũ actus personales, sed non primo modo. Dub. 6.

Potentia gignendi in Patre dicit naturam in persona, vt natam ex se producere aliam: potentia gignendi in filio dicit naturam in persona vt aptam produci ab alia. Sicut enim hypostasi Patris conuenit, ita & hypostasi filij conuenit generari. Dub. 7.

ARTIC. I. QVÆST. I.

NOmina in diuinis sunt quadruplicis generis: quædam sunt essentialia, & dicuntur essentialiter, vt Diuinitas, Deitas, Maiestas: quædam essentialia dicta personaliter, vt potentia generandi; quædam personalia dicta essentialiter, vt missus, incarnatus, quæ dicunt respectum ad personam, & ideo personalia, & effectum in creatura, & ideo essentialiter dicta; quædam personalia dicta personaliter, vt generans, & genitus.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVando dicitur, filius non potuit generare, distinguendum est: nam non potest, vel accipitur priuatiuè, vt sit sensus, non potest, id est impotens est; & tunc negatur potentia, & relinquitur aptitudo, sicut dicitur de truncato, quod gradi non potest: & hoc non dicitur de filio, quia non habet aptitudinem. Vel accipi potest negatiuè, & concedendum est quòd filius non potest generare.

QVÆSTIO TERTIA.

POsse generare, & posse creare dicunt vnam potentiam re, & duplicem ratione, seu secundum modum intelligendi, sicut essentia, & persona distinguntur ratione, & sunt vnum re, & quidem secundum hanc distinctionem prior est potentia creatiua, quia hæc est naturæ; generatiua autem personę: intellectus autem communis prior est intellectu proprij: & hoc comparando potentias istas cum natura, cuius sunt: si verò comparentur cum terminis, potentia creandi posterior est, quia respicit temporale; generatiua prior, quia respicit æternum.

QVÆSTIO QVARTA.

POsse generari, & posse creari vel consideratur secundum principale significatum, & sic non tantum sunt vniuocum, sed vnum; vel secundum connotatum, & sunt analogum, sicut nomen, res, ad fruibilia, & vtibilia. Analogia autem duplex est, quædam per reductionem ad vnitatem naturæ, secundum prius, & posterius: & hæc potest esse inter creaturam, & creatorem; alia per reductionem ad vnitatem similitudinis proportionis, non naturæ.

Eget explicatione & hoc, & quod additur.

Digitized by Google

DISTINCT. VIII.

Pars Prima.

De proprietatibus, & conditionibus essentialibus Trinitatis & Vnitatis.

MAgis, & minus dupliciter considerantur, vel in comparatione ad idem, & sic non dicunt intensionem, & remissionem; vel in comparatione ad diuersas substantias, & sic dicunt gradum, & excessum improportionabilem, & infinitum inter Deum, & creaturam, proportionabilem inter creaturas ipsas. Dub. 3.

Sequenti dubio affert distinctionem prioris, & posterioris in duratione æui, sed difficilem, &c. admittit enim durationis successionem cum innouatione, & variatione, & fine, &c. successio enim fiet secundum variationem.

Creatura dupliciter comparatur ad Deum; primò secundum rationem influentiæ: & sic est magis, quàm si non comparetur. Secundò secundum habitudinem æquiparantiæ, & proportionis; & sic nulla est ratio proportionabilis secundum conditionem veritatis, & nobilitatis esse diuini, & ideo quasi nihil est, non omninò in se, sed proportione, quia inueniri non potest aliqua proportio quantitatiua. Dub. 5.

Verba diuersorum temporum aliter dicuntur de æterno, aliter de æuiterno, aliter de temporali: nam respectu tẽporalis important mutabilitatem, & successionem, & durationem, vt Hier. Aug. Anſ. In Deo important solùm durationem: vnde dicitur, Deus fuit, quia eius duratio non cœpit; Deus est, quia non interrumpitur; Deus erit, quia non desinit, nec corrumpitur. Dub. 6.

Vita dicitur dupliciter.

ARTIC. I. QVÆST. I.

VEritas tripliciter comparatur ad subiectum, quod informat; ad principium, quod repræsentat; ad intellectum, quem excitat: primo modo dicitur actus, & potentiæ indiuisio. Secundo dicitur repræsentatio, siue imitatio summæ, & primæ veritatis. Tertio dicitur ratio distinguendi.

Omnibus istis modis dupliciter accipitur, primò vt distinguitur contra falsitatem: secundò vt contra permixtionem, secundum quod verum dicitur purum, & permixtum. Primo modo existit in creatura, quia in ea reperitur indiuisio, imitatio, & expressio, quarum falsitas est priuatio. Secundo modo est in solo Deo, quia in eo est indiuisio pura, non permixta alicui diuersitati: in creatura autem est indiuisio cum actus, & potentiæ diuersitate. In eo est imitatio, & similitudo pura, non permixta alicui dissimilitudini: in hac cum dissimilitudine. In eo est expressio luminis sine obscuritate, in hac cum obscuritate.

Dupliciter consideratur essentia, & veritas: primò ratione eius, quod nominant, seu significant; secundò ratione eius, in quo significant poni quod nominant. Primo modo alia est ratio essentiæ, alia veritatis: essentia enim dicit quid, veritas conditionem entis. Cum verò de Deo dicuntur, quamuis idem sint, tamen ratione generalium significatorum vnum accipitur vt proprietas alterius, nec sunt synonima; sed manet ratio subiecti, & proprietatis secundum modum significandi, & intelligendi, vnde sicut veritas creata est ratio cognoscendi essentiam creatam, sic veritas increata secundum rationem significandi, & intelligendi, est ratio cognoscendi essentiam increatam.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVpliciter potest cogitari aliquid nõ esse; aut in ratione falsi, vt homo est lapis, & hoc nihil est aliud, quàm intelligere quid dicitur, aut cum assensu, quia & cogito, & credo non esse: & hoc modo cogitare aliquid non esse quod est, prouenit vel ex defectu intelligentis, aut ex defectu intelligibilis. Defectus intelligentis est cæcitas, aut ignorantia, ob quam quia ignorat non esse, ideo cogitat non esse.

Intellectus autem noster deficit in cogitatione diuinæ veritatis, quantum ad cognitionem, non quantum ad cognitionem si est: ideo non potest ignorare ipsum esse: similiter nec cogitare non esse, sed deficit in cognitione quid est, ideo frequenter Deum cogitat esse quod nõ est, sicut Idolum; vel non esse quod est, sicut non esse iustum.

Defectus autem ex parte intelligibilis dupliciter contingit: nam vel est defectus potentiæ, puta si cogitetur non esse vbique, aut non semper, aut non totus, &c. vel defectus euidentiæ, quia non est euidens in se, nec in probando; sed diuini esse veritas est euidens in se, & in probando; in se, quia sicut principia cognoscimus cognitis terminis: eo quòd causa prædicati clauditur in subiecto, & idcirco seipsis sunt euidentia, sic in proposito; nam Deus, seu summa veritas est ipsum esse, quo nihil melius cogitari potest; Ergo non potest non esse, nec cogitari non esse: prædicatum enim clauditur in subiecto.

In probando verò habet euidentiam, quia diuinam veritatem esse concludit omnis veritas, & natura creata, quia si est ens per participationem, est etiam ens per essentiam, & non ab alio. Probat etiam omnis recta intelligentia, quia omni animæ eius cognitio est impressa, & omnis cognitio est per ipsam.

Cogitare dupliciter accipitur vel pro omni actu mentis, siue assentientis, siue non, siue errantis, siue non; vel pro cogitatione cum assensu. Primo modo potest cogitari Deum non esse, non secundo.

ARTIC. II. QVÆST. I.

HAbere aliquid tripliciter contingit, formaliter, exemplariter, causaliter. Deus habet motum secundo, & tertio modo.

Datur agens, quod est sua actio, & quod non est sua actio. Primum agit seipso, & ideo inter ipsum, & effectum non cadit medium ipsum disponens; & ideo non mutatur, cum de non agente fit agens, & talis est Deus. Inter agens autem, quod non est sua actio, & effectum datur medium, quod disponit ipsum, & nunquam fit agens de non agente, quia mutetur.

Causa proxima immediata dicitur tripliciter, aut respectu substantiæ, aut dispositionis, aut actus. Primo modo cum inter substantiam, & effectum non cadit alia substantia media causans. Secundo modo, cum non additur noua dispositio ad effectum producendum. Tertio, quando actui coniungitur immediatè. Diuina ergo voluntas fuit causa proxima,

Digitized by Google

& immediata ab æterno primo, & secundo modo, non tertio, quia non coniungitur actui nisi pro tempore.

QVÆSTIO TERTIA.

MVtatio dicitur tripliciter, ab ente in ens, & hæc est secundum accidens, & deinde variatio; ab ente simpliciter in ens potentia, siue secundum quid, & hæc est mutatio secundum formam, & deinde corruptio ab ente in simpliciter non ens: & hæc est secundum totam substantiam, & dicitur versio. Sic immutabilitas dicitur tripliciter, inuariabilitas, incorruptibilitas, inuertibilitas. Prima conuenit Deo soli, qui secundum naturam, & potentiam expers est omnis variationis. Secunda, & tertia conuenire potest creaturis, vel per naturam, vt simplicibus, vel per gratiam, vt glorioſis corporibus. Aliquid potest esse naturale creaturæ dupliciter, vel quia inest ei, quatenus est ex nihilo, vel quia inest ei ex eo quod est ex suis principiis. Ratione primi, quæ conueniunt sunt defectus, quia nihil nullius causa est: tales sunt vanitas, instabilitas, vertibilitas; ratione secundi non dicuntur inesse priuationes, vel defectus naturaliter, sed habilitates: & sic nulla creatura est vertibilis in non esse, nec tamen dicitur inuertibilis naturaliter, quia naturale est in quod potest natura, sed principia rei non possunt in conseruationem rei, nec sui; nec tamen est contra naturam, quia omnis natura appetit saluari, quamuis ex se non possit.

Adiutorium veniens à superiori est duplex, aut respectu esse simpliciter, aut respectu esse perfecti: ad primum non est necessarius habitus infusus, sed ad secundum, videlicet in iis, quæ ad beatitudinem ordinantur.

DISTINCT. XV.

Pars Secvnda.

De Simplicitate diuinæ essentiæ.

Text.

ALiud est prius notius nobis, aliud est prius notius simpliciter; immutabilitas est primi generis, simplicitas secundi: & ideo ab illa venitur in cognitionem istius, vt occultioris nobis. Dub. 1.

Duplex est proprietas substantiæ, videlicet per se stare, & alij subesse; primum est perfectionis, secundum imperfectionis. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

VNum intelligitur vel in vno, vel in pluribus multiplicatum, vel in pluribus non multiplicatum.

Secundum est simplicius primo, quia vniuersale est simplicius singulari, & tertium est simplicius secundo, qualis est solus Deus, quia vbi summa simplicitas, ibi est summa actualitas, si summè nobilis est, vbi autem summa actualitas, ibi est summa diffusio, & communicatio: & hæc non potest esse nisi in æterna productione rei infinitæ, & æqualis in virtute, & hoc non potest esse in alietate essentiæ; non ergo intelligitur diuina essentia simplicissima, nisi in tribus personis, quarum vna sit ab alia.

Diuersitas dupliciter consideratur vel ex additione, vel ex origine. Prima est in proprietatibus absolutis, quæ diuersæ sunt in diuersis, vt albedo in Petro, & Paulo; & hæc opponitur simplicitati, & includit compositionem. Secunda non repugnat simplicitati, quia nullam ponit compositionem, sed solum ordinem, & respectum ad alium: talis est persona.

Duplex est pluralitas, quædam secundum quam plus est in duobus, quàm in vno; altera secundum quam tantumdem est in pluribus, ac in vno: & hæc solùm est in Diuinis.

Proprietas differt à proprietate tripliciter, aut respectu sui, aut respectu obiecti. Prima ponit compositionem, vtpote causata ex diuersis naturis in subiecto repertis. Secunda item dicit compositionem, quia ponit subiectum subesse pluribus, vt Musica, & Grammatica in Petro. Tertia non ponit compositionem, sed distinctionem, quia subiectum comparatur pluribus: vt patet in puncto, quod est principium & finis diuersarum linearum; & talis distinctio est talis distinctio, & diuersitas in proportionibus diuinis.

QVÆSTIO SECVNDA.

COmpositio est multiplex, prima ex partibus essentialibus, & hæc est in omnibus per se entibus; secunda ex partibus integrantibus, & est in omnibus corporibus; tertia ex partibus dissimilibus, & est in omnibus animatis, & viuentibus.

Triplex est differentia in creaturis, prima substantiæ, virtutis, & operationis substantiæ, & accidentis; secunda suppositi, & essentiæ; tertia est entis, & esse.

Compositio dicitur dupliciter. Primò alicuius ex aliquibus. Secundo aliquid dicitur componi cum aliis: si primo simplicitas priuet compositionem ex aliis conuenit esse creaturis, vt primis principiis, quæ non fiunt ex aliis; si autem priuet compositionem cum aliis, & ex aliis, soli Deo conuenit: omnis enim creatura, aut est principium, & sic componibile cum aliis, aut principiatum, & sic compositum ex aliis.

QVÆSTIO TERTIA.

TRiplex est genus formæ, quædam quæ perficit, & extenditur: altera quæ perficit, & dependet, sed non extenditur, nec actum totius attribuit partibus, vt vegetabilis, & sensibilis, quia nulla pars animalis est animal, tamen quælibet pars viuit, & sentit. Tertia est, quæ totum perficit, sed nec dependet, nec extenditur, & talis est in toto, & partibus, vt anima rationalis, quæ non communicat partibus actum totius, vt toti, sed vt parti, quia quælibet pars viuit.

DISTINCT. IX.

De proprietatibus, & conditionibus personalibus Trinitatis, & Vnitatis.

Text.

NOmen significans substantiam in diuinis secundum triplicem modũ reperitur, vel enim significat substantiã, & per modum substãtiæ, vt nomen substantiuum Deus, aut substantiuatum, vt æternus; & hoc nullo modo

Digitized by Google

plurificatur. Aut ſignificat ſubſtantiam per modum adiacentiæ, vt nomina adiectiua, & adiectiuè vſurpata, & dicuntur pluraliter, vt verba, & participia, v. g. ſpirantis. Aut ſignificant ſubſtantiam in adiacentia, connotãdo intra relationẽ mutuam, vt coæterni, & talia pluraliter dici poſſunt ex duplici cauſa, tum ratione ſignificationis, ſeu modi ſignificandi: tum ratione connotationis, neque pluralis numerus multiplicat formã in adiectiuis. Dub. 2.

ART. I. QVÆSTIO I.

PRoducere ſibi ſimile in natura tripliciter contingit; aut per impreſſionem ſuæ ſimilitudinis in alio, aut character à ſigillo, lumen à luminoſo, ſpecies ab obiecto; aut per eductionem ſpeciei cõſimilis ab alio, vt elementorum ab elemento; aut per productionem ſimilis de ſimili, ſiue de ſeipſo, vt animatum ab animato, & conuenit Deo, & creaturis cum diſcrimine, nam

Producere alium ex ſeipſo dupliciter contingit, vel ex ſe toto, vel ex parte ſui. Primo modo non poteſt producere niſi ille, cuius eſſentia poteſt eſſe in pluribus vna, & tota, & proindè ſolus Deus. Secundo modo eſt productio per tranſmiſſionem, & deciſionem, & proinde eſt mutatio adiuncta variationi: & eſt tantum in creaturis.

QVÆSTIO SECVNDA TERTIA.

PRincipium dicitur dupliciter; aliud enim eſt originale, aliud initiale: illud non infert rationẽ æterni, & ſic conuenit filio, qui tam quoad eſſe, quam quoad durationem procedit à Patre: ſecundum eſt oppoſitũ æternitati, & ſic filius nec habet initium eſſendi, nec durandi, cum ſit æternus.

QVÆSTIO QVARTA.

QVædam ſunt, in quibus idem eſt eſſe, & factũ eſſe: differt tamen fieri, & eſſe, vt ſunt permanentia, quæ in eſſe nõ pendent à principio producente, quia habent principium ſubſiſtendi in ſeipſis, vel in ſubiecto. Quædam in quibus differt eſſe, & factum eſſe: idem tamen eſt fieri, & eſſe, vt ſunt ſucceſſiua, quæ pendent à principio exiſtẽte in ſua actualitate. Quædam ſunt, in quibus eſt idem fieri, & eſſe, & factum eſſe, vt permanentia, quæ totaliter pendent à principio producente vt influentiæ tam corporales, quàm ſpirituales: ſic Aug. 6. ſuper Gen. ad litter. ait, quòd lumen ſemper naſcitur, & dum naſcitur, eſt, & aër ſemper eſt illuminatus, & ſemper illuminatur.

DISTINCT. X.

De æterna proceſſione Spiritus ſancti.

CHaritas dupliciter comparatur ad virtutes, vt mater, & vt vinculũ. Coloſ. 3. Caritas eſt vinculum perfectionis; ratione primi appropriatur Patri, ratione ſecundi Spiritui ſancto. Dub. 1.

Diligere dicitur & eſſentialiter, vt cum dicitur Pater, & Filius diligunt ſe; aliquando purè notionaliter, vt cum dicitur, Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto; aliquando partim eſſentialiter, & partim notionaliter, vt cum dicitur, diligunt nos Spiritu ſancto, quia videlicet illum mittunt, & inſpirant, quod importat actum notionalẽ, & eſſentialem, ſanctus enim eſt, quod producũt Spiritum ſanctum, & donum eius nobis conferunt. Dub. 3.

Vnitas aliquorum dupliciter dicitur, aut quia ſunt vnum: & ſic Patris, & Filij non eſt vnitas perſonalis; aut quia ſunt vniti; ſic Pater, & Filius vniuntur Spiritui ſancto. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

EManare per modum liberalitatis dicitur dupliciter, aut ſicut volitum, aut ſicut ratio volendi, vel ſicut datum, & ſicut ratio donandi. Primo modo emanant creaturæ, ſecundo tertia perſona in Trinitate.

Voluntas dupliciter eſt principium vel diſtinctum in natura, & ſic non aſſimilat in ſubſtantia; vel cum communicate natura, & ſic aſſimilat. Ideo tertia perſona ſimilis eſt in ſubſtantia, quamuis modus producendi non ſit per modum ſimilis.

Proceſſus per modum liberalitatis fit dupliciter, aut ſicut ratio liberalitatis, ſiue ipſa liberalitas, aut ſicut liberaliter factum: ſimiliter & in arte, aut ſicut ipſa ars, ſiue ratio artificiandi, aut ſicut artificiatum. Primo modo poteſt cadere in diuina perſona, ſecundo non poteſt. Primo modo procedit Filius, qui eſt Verbum, & ars plena omnium rationum viuentium: ſed hic modus non diſtinguitur à modo emanandi per naturam, quia emanat per modum ſimilitudinis perfectæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE amore loquimur vel ratione eius, quod nominat, vel ratione eius, circa quod ponitur, & quia ponitur in Deo, in quo nullum eſt accidens, ideo dicit ſubſtantiam in eo.

Procedere in alium dicitur dupliciter, aut vt in obiectum, aut in ſubiectum; primo modo ponitur amor in diuinis, quia & reſpectus ad aliam perſonam, vnde Spiritus ſanctus eſt amor, quo Pater amat Filium; ſecundo modo non eſt, quia amor in diuinis eſt hypoſtaſis, & in ſe ſubſiſtit.

QVÆST. III. ART. II. QVÆST. I.

DIlectio in diuinis accipitur eſſentialiter, notionaliter, perſonaliter; eſſentialiter, quia quilibet diligit ſe; notionaliter, quia Pater, & Filius concordant in ſpirando Spiritum ſanctum, quę concordia amor eſt. Perſonaliter, quia productus per modum perfectæ liberalitatis non poteſt eſſe, niſi amor, vnde eſſentialiter, dicit complacentiam, notionaliter concordiam in ſpirando, perſonaliter proceſſum, &c.

Separatio dicitur tripliciter, ſecundum diſtantiam, & ſic dicitur ſeparatio localis: ſecundum differentiam, & ſic dicitur ſeparatio ſubſtantialis; & ſecundum differentiam proprietatis relatiuæ, & ſic non dicitur ſeparatio propriè, ſed diſtinctio.

Conuenientia originis dicitur dupliciter, aut quia oriuntur ab vno, aut quia ab eis oritur vnus; primo modo nõ dicitur nexus, quia nexus eſt vnio conſequens diſtinctionẽ; ſed vnitas in origine antecedit diſtinctionem. Secundo modo eſt nexus, quia ibi eſt diſtinctio, & conſequens vnio: & ſic eſt in Patre, & Filio reſpectu Spiritus ſancti.

Quædam verba in voce actiua ſignificant paſſionem, vt verba ad ſenſum pertinentia, audio, video, &c. quædam verò actionẽ, vt facio, &c. ſic nectere dicitur Spiritus ſanctus, quia ab vtroque procedit, & ideo ſignificat paſſionem in voce actiua, & in paſſiua actionem, & ſic non ſignificat, quod aliquid det Patri, & Filio, ſed quod magis recipiat.

QVÆSTIO TERTIA.

IN ſubſtantia corporali ſpiritus dicitur dupliciter, aut à ſpiritualitate contra corpulentiam, & ſic dicitur ſpiritus corpus ſubtile: aut à ſpiratione, & ſic dicitur ſpiritus flatus. Sic in ſubſtantia ſpirituali ſpiritus dicitur vel à ſpiritualitate contra corporalitatem: & ſic ſubſtantia rationalis, vel eius potentia interior dicitur ſpiritus, vel à ſpiratione, & ſic affectus, vel amor dicitur ſpiritus. Primo modo tota Trinitas dicitur ſpiritus. Secundo modo tantùm perſona, quæ procedit, vt amor, &c.

Spirare dicitur dupliciter. Primò idem eſt quòd Spiritum ſanctum producere, & ſic non conuenit toti Trinitati. Secundò idem eſt quod inſpirare, & conuenit toti Trinitati.

DISTINCT. XI.

De æterna ſpiratione Spiritus ſancti quantum ad principium, à quo procedit.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

QVando dicitur, quòd Spiritus ſanctus principaliter procedit à Patre, dupliciter intelligi poteſt principaliter, aut reſpectu ſecundarij, & ſic importat ordinem prioris, & poſterioris, & ita ponit diuerſitatem, & non accipitur ſic in præſenti; aut principalitas dicit quamdam auctoritatem, ſicut Pater dicitur operari per Filium, & hoc modo accipitur hic.

Subiectum dicitur dupliciter, aut per ſe, & primò, aut non primò. Primo modo Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, quia ſpirant ſecundum quod in eis eſt vna fœcunditas voluntatis; in quantum autem ſunt perſonæ diſtinctæ, non ſunt principium per ſe primò.

Actus conſideratur vel vt eſt origo, vel vt eſt accidens. Primo modo comparatur ad ſubiectum, vt eſt principium, & ſic nõ multiplicatur ad numerũ ſubiecti, vt ſubiectũ, ſed vt principium. Secundo modo multiplicatur ad numerum ſubiecti, quia vnum accidens non eſt in duobus ſubiectis, quia ergo in diuinis ſpiratio non eſt accidens, ſed productio, ideo ſequitur ſubiectum vt principium, quod eſt vnum propter eamdem virtutem ſpiratiuam, & ſic non multiplicatur actus, ſed eſt vna ſpiratio, quãuis ſint duæ perſonæ.

DISTINCT. XII.

De æterna proceſſione Spiritus Sancti qualiter à Patre & Filio procedit.

TEXT.

ARTIC I. QVÆST. I.

PRius dicitur multipliciter, duratione, cauſalitate, origine, auctoritate. Duo poſtrema cadunt in Deo, nam producens prius eſt origine producto; & Pater dicitur prior auctoritate Filio, cum quo eſt vnum principium Spiritus ſancti, quia Filius accipit ab eo, &c.

QVÆSTIO II. III.

MEdiatio eſt tribus modis, vel enim excludit immediationem tantum, vt quando effectus non continuatur influentiæ cauſæ prioris. Sed per mediam tantùm producitur, & hæc dicit ordinem agentium, & ſeparationem. Vel vt dicit ordinem, cauſarum agentium, non ſeparationem in agendo, vt ſol, & planta. Vel vt dicit ordinem, non tamen ſeparationem virtutis agentium, nec diuerſitatem. Prima non cadit in Deũ, quia influit in omnia; Secunda cadit, quia ibi eſt ordo, & diuerſitas virtutum, non ſeparatio. Tertia eſt in ſolis perſonis Diuinis, quia in eis eſt ordo, ſed non diuerſitas, vel ſeparatio dis quia vna virtute agunt, & ſic Pater dicitur producere Spiritum ſanctum mediante Filio.

QVÆSTIO IV.

QVando dicitur, quod appetitus præcedit partum mentis, dupliciter conſideratur hic appetitus. Primò ſecundum rationem inhiantis ante habitam cognitionem. Secundò ſecundùm rationem complectentis poſt habitam cognitionem. Primus dicit imperfectionem. Secundus perfectionem. Hic conuenit Deo, & habet rationem termini, & aſſimilatur Spiritui ſancto.

Commune dicitur & communitate prædicationis, & communitate concordiæ, & connexionis. Spiratio eſt communis vtroque modo, quia dicitur de Patre, & Filio, &c.

DISTINCT. XIII.

De æterna Proceſſione Spiritus ſancti quantum ad Generationem, à qua diſtinguitur.

TEXT.

DVpliciter eſt ſcire, ſi eſt, & ſicuti eſt. Cognoſcere, ſeu credere diſtinctionem perſonarum eſt de neceſſitate ſalutis, videlicet, quòd ſit; at cognoſcere ſicuti eſt non pertinet ad ſtatum meriti, ſed præmij. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆSTIO I. II.

PRoductio ſubſtantiæ ſimilis dicitur vel ſecundum voluntatem, vel præter naturam, vel per modum naturæ: verbi gratia, productio Adæ fuit per voluntatem, Euæ præter naturam, Abel ſecundum naturam, & fuit generatio. Creatura tamen non poteſt producere ſubſtantiam niſi ſimilem per virtutem naturalem.

QVÆSTIO III.

DE emanationibus diuinis dupliciter loquimur, vel quantum ad eſſe, vel quantum ad diſtingui. Primo modo habent rationem eſſendi à ſuis principiis perfectis, & fœcundis, naturæ videlicet, & voluntatis. Secundo modo differunt ſeipſis, quia omnis diſtinctio in diuinis prouenit à modis originis, & relationis, ſicut differentiæ ſeipſis differunt, & quemadmodum differentiæ differentiarum innoteſcunt nobis per alias differentias, quæ ab illis oriuntur; ſic in diuinis, verbi gratia, quòd generatio ſit ab vno, ſpiratio à duobus, quia eſt per modum connexionis.

QVÆSTIO IV.

INgenitum dicitur dupliciter, vel priuatiuè pro eo quod non generatur: & sic dicitur de Spiritu sancto, & de essentia; vel prout tantum valet, quantum non ens ab alio, & à quo alij: & conuenit soli Patri, quia dicit dignitatem, & proprietatem eius.

DISTINCT. XIV.

De temporali processione Spiritus sancti quantum ad principium à quo.

TEXT.

SAnctificare accipitur tripliciter, primò secundum quod est de non sancto sanctum facere. Secundò iam sanctum in sanctitate confirmare. Tertiò iam sanctum confirmatum manifestare; & aliquis ex iis modis reperitur in omnibus missionibus Spiritus sancti. Dub. 2.

Virtus consideratur vel secundum rationem principij, comparatione eius ad quod est; vel secundum rationem complementi, comparatione eius, in quo est; vel secundum vtrumque modum, & habet rationem medij. Dub. 3.

Primo modo appropriatur Patri, secundo Spiritui sancto, tertio Filio.

ARTIC. I. QVÆST. I.

PRocessio dupliciter accipitur, communiter, & propriè; primo modo conuenit Filio, & Spiritui sancto procedentibus à Patre. Secundo tantùm Spiritui sancto: &, est processio ab vno in alium, sicut in obiectum, ad quod protenditur, non sicut in susceptiuum, in quo recipiatur, vt ponunt Græci asserentes Spiritum sanctum recipi in Filio, vt producitur à Patre, sed male. Processio tamen temporalis in creaturam per modum doni gratuiti est sicut in habitaculum, quia in eo datur gratia.

Quando dicitur Spiritus sanctus temporaliter procedere, dupliciter hoc intelligitur, vel secundum actum procedendi per comparationem ad principium à quo, vel per comparationem ad terminum ad quem. Primo modo non procedit temporaliter Spiritus sanctus, quia æterna est eius processio. Secundo modo dicitur temporaliter procedere ratione gratiæ, quam diffundit in cordibus.

Temporale dicitur tripliciter, Primò quod habet initium, & variationem, vt corruptibilia. Secundò quod habet initium in tempore essendi, sed non variationem, vt anima rationalis. Tertiò quod habet initium in tempore, sed actum extra tempus, & supra tempus eleuatum, vt gratiæ donatio.

QVÆSTIO SECVNDA.

MOdus dicendi est triplex, vniuocus, æquiuocus, & analogus. In vniuoco est geminatio circa esse, & non circa dici: sic homo verus dicitur de Socrate, & Platone, qui sunt duo homines, & non multiplicatur dici. In æquiuoco vice versa est geminatio circa dici, & non circa esse, vt homo verus, & homo pictus dupliciter dicitur homo, sed est duplex homo. In analogo, quia participat naturam vniuoci, & æquiuoci, est enumeratio quoad esse, & dici: & sic processio vt conuenit æternæ, & temporali, dicitur analogicè.

ART. II. QVÆSTIO PRIMA.

ALiquid datur alteri vel vt finiens, verbi gratia præmium merenti: vel vt perficiens, vt gratiæ consentienti; vel vt subseruiens, vt equus militi.

QVÆSTIO SECVNDA.

GRatiam dari ab aliquo contingit tripliciter, primò sicut à præparante, vel ministrante sacramenta, seu sicut ab annunciante salutaria documenta. Secundò sicut ab impetrante per orationem, & pia opera. Tertiò sicut à producente. Primo modo datur gratia à bonis, & malis. Secundo tantùm à bonis. Tertio tantùm à Deo.

Expellere culpam contingit dupliciter, vel effectiuè, vel formaliter; gratia expellit formaliter, effectiuè Deus.

DISTINCT. XV.

PARS PRIMA.

Vtrum temporali processione procedat Spiritus sanctus à seipso.

TEXT.

DOnum dicit relationem, & proindè distinctionem, quam tripliciter importat, aut secundum modum intelligendi, aut secundum modum essendi, aut secundum essentiam. Primo modo idem est dans, & datum, sicut idē intelligens, & intellectū, sed differt ratione modi dicendi. Secundo modo dicit relationem personæ ad personam. Tertio dicit respectum creaturæ ad essentiam increatam; & sic amor dicitur donum Spiritus sancti. Dub. 2.

In missione Personæ duo considerantur, videlicet emanatio, ratione cuius est subauctoritas in misso, & secundum manifestationem; ratione primæ magis conuenit Spiritui sancto mitti: ratione secundæ magis conuenit Filio, quia magis euidenter apparuit mundo. Dub. 5.

ART. I. QVÆSTIO PRIMA.

MIssio dicit respectum ad tria, videlicet ad principium, ad terminum, ad missum.

Principio, siue mittenti tripliciter comparatur, vt dānti esse, sic mittitur radius à sole: vt danti virtutem, sic mittitur iaculum à proiiciente: vt danti iurisdictionem, siue auctoritatem, sic mittitur Nuntius à Principe. Omnibus iis modis mittitur Spiritus sanctus à Patre, & Filio.

Termino similiter dupliciter comparatur, mittitur enim aliquid alicui, in quo quietatur, vt lapis centro, & vt à quo habeatur, vt amico donum, & vt ad aliquid quod operetur, sic mittitur Spiritus sanctus alicui ad inhabitandum, & vt possidendum, tanquam donum, & ad effectum operandi.

Si autem loquamur demissione comparatiuè ad missum in inferioribus, dicit triplicem conditionis, separationem, subiectionem, mutationem,

Digitized by Google

quæ non ſunt in diuinis: eſt tamen perfectio iis reſpondens, videlicet emanatio ſubauctoritatis, origo, & noui effectus productio.

QVÆSTIO SECVNDÆ.

QVædam actio reſpicit paſſum, vt percutio te; quædam quæ paſſum, & alium terminum, vt doceo te Grammaticam, mitto te ad illum; ſic miſſio Spiritus ſancti eſt ad creaturam, & temporalis, ſicut ipſa creatura.

QVÆSTIO TERTIA.

MIſſio duo inuoluit in ſuo intellectu emanationem, & manifeſtationem per effectum; quia ergo Pater non habet principium, à quo emanet, non poteſt dici mitti.

Nomen connotans effectum aut dicit ſolum reſpectum ad effectum, & tunc eſt purè eſſentiale, vt creare; aut dicit etiam reſpectum ad perſonam; & ſic poteſt eſſe notionale, ſicut creare per filium ſolius eſt Patris. Sic mitti non ſolùm dicit reſpectum miſſi ad ſuſcipientem effectum, ſed etiam ad principium.

QVÆSTIO QVARTA.

MIttere vno modo importat differentiam ſubſtantialem, vt cum importat dominium: ſic dicitur Angelum mittere Deus. Alio modo diſtinctionem perſonalem, vt cum importat auctoritatem in mittente, & ſubauctoritatem in miſſo reſpectu mittentis: vt cum dicitur Pater mittit Filium. Tertio modo importat diſtinctionem ſolùm quantum ad modum intelligendi: ſicut enim dicitur voluntas eſt inſtrumentum ſeipſum mouens, quia idem eſt mouens, & motum, ſic dicitur Spiritus ſanctus mittit ſe, & idem eſt mittens, & miſſum ratione differens, mittens vt Deus, miſſum vt Donum.

DISTINCT. XV.

Pars Secvnda.

De miſſione Filij, & Spiritus ſancti quantum ad modum, qui duplex eſt, viſibilis, & inuiſibilis.

Text.

PLenius dari poteſt dupliciter intelligi, aut intenſiuè, aut extenſiuè: ſi extenſiuè pluribus datus eſt Spiritus ſanctus tempore legis gratiæ: ſi intenſiuè, hoc eſt dupliciter, aut quantum ad generalem ſtatum, aut quantum ad ſpeciales perſonas. Primo modo in Nouo Teſtamento; ſecundo in veteri, quæ ideirco ſe habent vt excedentia, & exceſſa, nam in Teſtamento veteri fuerunt aliqui viri Euangelici abundantes in ſapientia, vt Salomon: in patientia, vt Iob: in manſuetudine, vt Moyſes: in fide, vt Abraham; in deuotione, vt Dauid. Dub. 3.

Eſſe in hoc mundo dicitur dupliciter, aut quantum ad continentiam, aut quantum ad quietem: hoc ſecundo modo anima eſt extra mundũ, dum mente capit Deum, & in eo quieſcit per affectum, quia amans transformatur in amatum, & cognoſcens conformatur cognito. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DAri, vel mitti eſt dupliciter, vel ſimpliciter, vel ad hoc: primo modo datur, quando ſimpliciter habetur, videlicet ad vſum, & ad fructum, quod ſolùm eſt per donum gratiæ gratum facientis. Secundo modo datur non ad fructum, ſed ad auxilium, ſiue ad aliquem vſum, vt cum dantur gratiæ gratis datæ, in quibus manifeſtatur Filius, vel Spiritus ſanctus; & vtroque modo dicitur mitti Spiritus ſanctus.

In Prophetia datur Spiritus ſanctus dupliciter, vel ſimpliciter vt ipſa dicit cognitionem ſecundum idoneitatem ſuſcipientis, & ſecundum pietatem exequentis, vel prout eſt reuelatio: & ſic non datur in ea ſpiritus ſimpliciter, ſiue non mittitur, niſi ad hoc. Sic in lib. Reg. non dicitur Spiritus ſanctus miſſus ad Saũl, ſed ſuper Saũl.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE donis Dei loquimur vel quantum ad radicem, vel quantum ad habitum, vel quantum ad actum conſequentem. Radix eſt gratia ſanctificans, & per eam dicuntur mitti Filius, & Spiritus ſanctus.

Habitus vel ſunt affectiui purè, vel cognitiui, vel medij. In primis mittitur Spiritus ſanctus, quia illi appropriantur. In ſecundis neque Filius, neque Spiritus ſanctus mittitur. In tertiis mittitur Filius, & Spiritus ſanctus: nam vt cognitiui ducunt in manifeſtationem Verbi; vt affectiui in manifeſtationem Amoris.

Si autem loquamur quantum ad actus conſequentes, qui ſunt illuminatio intellectus, & affectus inflammatio, quia coniunctę ſunt, ideo miſſio Filij, & Spiritus ſancti inuiſibilis eſt indiuiſa.

QVÆSTIO TERTIA.

AVgmentum gratiæ dupliciter conſideratur; aut ſecundum perfectionem in gratia prius habita, vel eius vſu: aut per collationem noui vſus, vel etiam doni gratuiti. Primo modo non dicitur mitti Spiritus ſanctus. Secundo modo dicitur, vt Apoſtolis in die Pentecoſtes, & in confirmatione.

DISTINCT. XVI.

De temporali miſſione Spiritus ſancti, quantum ad modum, ſecundum quem.

Text.

CHriſtus comparatur Angelis quadrupliciter, in gratia, in natura mentis, in natura corporis, in ſtatu paſſibilitatis; ratione primi eſt maior ſimpliciter; quantum ad ſecundum ſaltem non fuit minor ex Gloſ. dicente, minor Angelis fuit corpore, non mente. Quantum ad naturam corporis fuit minor: item quantum ad paſſibilitatem fuit modico minoratus, quia ſtatus paſſibilitatis mox erat in ſtatum gloriæ, & honoris conſtituendus. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

APparere dupliciter contingit: in ſe, & ſic conuenit apparitioni corporali; & in alio,

& hoc

& hoc dupliciter; vel ſicut cauſa in effectu, vel ſicut ſignatum in ſigno, & hoc tertio modo miſſio eſt apparitio, & non conuenit omni Creaturæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

INhabitatio eſt duplex, ſecundum ſanctificationis ſufficientiam, & ſecundum plenitudinis redundantiam; prima latet interius, ſecunda apparet exterius in ſigno viſibili, vt in Apoſtolis.

Duplex eſt genus credentium; quidam volunt ſigna vt ſenſuales: quidam intelligentiam quærunt, vt iam prouecti propter quæcumque ſigna, vt manuducantur ad intelligibilia, vtilis eſt miſſio viſibilis ad manifeſtandam inhabitationem plenitudinis redundantis; & hoc conuenit perſonis manuducendis per ſenſum.

Viſibilia dupliciter conſiderantur, vel vt res abſolutè, vel ſigna, & nutus ducentia in aliud. Primo modo retardant intellectum, & affectum, ſecundo modo iuuant.

Filius dicitur inhabitare dupliciter, aut per gratiam vnionis, aut per gratiam ſanctificationis; ad primi oſtenſionem non fuit neceſſaria viſibilis miſſio, quia pleniſſimè erat in homine ſibi vnito, in quo operabatur opera viſibilia, per quæ manifeſtabatur. Neque fuit neceſſaria ad ſecundum, quia ſanctificatio appropriatur Spiritui: & ſic ſatis fuit miſſio viſibilis ad manifeſtandam ipſius inhabitationem; & cum hæc ſit indiuiſa ab habitatione Filij, vna manifeſtata, manifeſtata etiam fuit altera.

QVÆSTIO TERTIA.

VNio eſt duplex, & ſecundum veritatem, & ſecundum intentionem; prima conuenit iis, quæ vniuntur in natura, vel perſona; ſecunda ſigno, & ſignatò, quo modo vnita eſt perſona Spiritus Sancti illis formis in quibus apparuit.

Redundantia poteſt eſſe triplex: per redemptionem, vt in Chriſto: & hæc eſt perfecta gratia: per omnem modum, & ſic Spiritus ſanctus apparuit in Chriſto in ſpecie columbæ, quæ eſt animal perfectum, & pretium redemptionis primogenitorum: per vitæ influentiam quantum ad ſenſum, & hoc mediantibus ſacramentis, & hæc plenitudo eſt in ſacerdotibus; & ideo datus eſt Spiritus Sanctus in ſpecie flatus. Ioan. 20. Per cognitionis adminiſtrationem, ſiue doctrinam, & hæc plenitudo eſt in Apoſtolis, & Doctoribus: & ideo apparuit in linguis igneis.

DISTINCT. XVII.

PARS PRIMA.

De inuiſibili Spiritus Sancti miſſione.

TEXT.

QVplex eſt Amor: quidam in quo non eſt quietatio, nec delectatio, nec complacentia, puta qui eſt ex pronitate corruptionis, cui ratio obſiſtit; quidam verò, qui eſt cum delectatione, complacentia, quietatione, & in eo non ſolùm comprehenditur res amata, ſed etiam ipſius amoris, & talis eſt caritas, idque qui amat proximum, amat & delectationem, id eſt acceptat. Dub. 1.

Dupliciter cognoſcitur aliquid magis certitudine, nam certitudo cognitionis eſt ſecundum præſentiam; aliquid autem præſens eſt dupliciter, aut quantum ad rationem cognoſcendi, aut quantum ad ſubſtantiam cognoſcibilis; hoc ſecundo modo Deus eſt præſens cuilibet rei; primo modo dupliciter contingit, aut ex parte cognoſcibilis, ſicut Sol eſt præſens cælo, ſed hic eſt abſens lumini; & ita Deus præſentior eſt quàm ſi autem ex parte cognoſcentis præſentior eſt quia præſens eſt oculis carneis, quæ cognitio viget ſecundum ſtatum præſentem. Vel dici poteſt præſentius aliquid in ratione cognoſcibilis dupliciter, vel ſecundum effectum, vel ſecundum ſe: ſecundo modo notior eſt primo Deus, quia effectus diuinus, qui eſt dilectio, intrat animam, & eſt ei præſens, & magis nota quàm .....Dub. 2.

Manifeſtatur aliquid dupliciter, aut ſicut via cognoſcendorum, aut ſicut via agendorum: primum eſt per ſcientiam, cuius lumini opponitur tenebra ſimplicis ignorantiæ. Secundum eſt per gratiam, cui opponitur tenebra malitiæ, ſiue peccati. Dub. 3.

Deus eſt caritas, & eſſentialiter, quia in ſe amor eſt, & cauſaliter, quia in nobis amorem efficit. Dub. 4.

Quidam habitus dicunt incompletionem, vt patientia, ſpes, &c. & ij non cadunt in Deo per eſſentiam, ſed per cauſam; quidam verò dicunt complementum, & ij ſunt in Deo eſſentialiter, vt charitas, ſapientia, &c. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ID quo Deum diligimus accipitur tripliciter; primò effectiuè, & ſic caritas, ſiue amor non eſt Spiritus ſanctus ſolùm, ſed appropriatè, cum ſit totius Trinitatis; ſecundò exemplariter, & ſic Spiritus Sanctus eſt amor Patris & Filij, & nexus amborum, ad cuius imitationem charitas nos nectit. Tertiò quo diligimus formaliter, & ſic eſt animi affectio ſecundum

qui tamen præter hæc debuiſſet ponere habitum charitatis informantem animam cum communi ſententia.

Aliquid dicitur bonum per participationem dupliciter, aut quia participans, & ordinatum; aut quia participatio, & ordinatio: primo modo eſt bonum habens caritatem: ſecundo modo eſt caritas.

Quando dicitur, quòd caritas facit diligere Deum quantum diligendus eſt; poteſt intelligi dupliciter, vel quantum Deus deberet diligi in ſe; & hoc eſt falſum, quia ſolus ſe diligit hoc modo, id eſt infinitè: vel inquantum eſt diligendus ab hoc; & ſic verum eſt, quod diligit infinitum, non ſimpliciter, ſed ſecundum æſtimationem habentis caritatem, tantùm enim caritas diligit Deum ſupra bonum creatum, vt ſemper magis diligeret, etiamſi hoc ageretur in infinitum.

QVÆSTIO SECVNDA.

AMor est triplex; amicitiæ, quo aliquis optat alicui bonum; concupiscentiæ, quo sibi desiderat aliquid; Complacentiæ, quo quis quiescit, & delectatur in re desiderata, quæ tamen præsens est.

QVÆSTIO TERTIA.

CAritas cognoscitur essentialiter duplici modo, vel in vniuersali qualis sit, & esse debeat, & ita cognosci potest; vel in particulari, siue in hoc, & hoc modo, nec de se, nec de alio potest certitudinaliter cognosci.

QVÆSTIO QVARTA.

SPecies innata est duplex; aut similitudo tantum, sicut species lapidis; aut ita similitudo, quod etiam veritas quædam in seipsa. Prima est sicut pictura, & ab hac creata est anima nuda. Secunda est impressio aliqua summæ veritatis in anima, vt est bonum directiuum naturale.

DISTINCT. XVII.

PARS SECVNDA.

An Spiritus Sanctus detur habenti, & non habenti.

AFfectio dicitur quadrupliciter; primò vis affectiua; secundò passio vis affectiuæ, vt gaudium, dolor, &c. Tertiò actus potentiæ affectiuæ; quartò habitus affectiuus. Dub. 2.

ART. PRIMVS. QVÆST. I.

QVantitas dicitur dupliciter, propriè, & Metaphysicè; prima est molis, quæ consistit in corporibus; secunda virtutis, quæ in spiritualibus. Ita augmentum est duplex, molis in corporalibus, virtutis in spiritualibus.

Secundum substantiam aliquid dicitur mutari dupliciter, vel respectu esse simpliciter; & sic mutatum est aliud, & aliud, sic lignum mutatur in ignem; vel secundum esse perfectum, & remanet idem, sed perfectius, vt cum lignum fit magis calidum, sic caritas augetur secundum substantiam hoc secundo modo, & manet eadem secundum substantiam.

QVÆSTIO SECVNDA.

PArtes vel sunt materiales, vel formales, quæ dant actum, & virtutem toti; quod habet pauciores materiales est simplicius, & potentius, vice versa de formalibus. Augmentatio dupliciter fit, aut per virtutem ipsius augmentabilis, vt in animali; aut per virtutem extrinsecam, vt in ædificio; primo modo augmentabile habet se vt formale, & actiuum, augmentans, vt materiale, & passiuum, vice versa in secundo.

QVÆST. III. IV.

EX parte agentis caritas habet statum, seu terminum dupliciter; nam virtus agens vel est operans naturaliter, aut à proposito: si primo tunc stat, quia non potest amplius; si secundo, tunc stat, quia non disponit amplius quo modo stat charitas, quia ventum est ad mensuram à diuina sapientia constitutam.

Ex parte suscipientis tripliciter stare potest charitas; aut secundum actum, cum amplius non procedit, vt in viris perfectis, qui amplius non assurgunt ad maiora: aut secundum aptitudinem, & sic stat in Beatis: aut secundum possibilitatem suscipientis, vt in Christo, Beata Virgine, ille enim tantum habet de gloria quantum potest recipere creatura vnica.

Quantitas virtutis perfectæ est duplex, vel simpliciter, vel in genere; primo modo est in summo, & simplicissimo, vt in Deo; secundo modo in omnibus, qui pertingunt ad actum completum, ad quem sunt, & hoc est diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute.

Lumen in aëre dupliciter augeri potest, vel per ipsius clarificationem, vel per luminum aggregationem; primo modo statum habet, posset enim adeo clarificari, quod etiam superueniente alio lumine non magis clarescceret. Secundo modo possunt multiplicari lumina in infinitum in eadem parte, quia non se angustant, nec expellunt: sicut neque species in eodem medio.

Calor augeri potest dupliciter, vel intensiuè, vel extensiuè; primo modo statum habet, secundo non habet; sic caritas quoad intensionem statum habet, non quoad extensionem ex parte dilectorum, quia nunquam tot diligit, quin plures nata sit diligere.

DISTINCT. XVIII.

De temporali processione Spiritus Sancti quantum ad proprietatem, per quam natus est temporaliter procedere.

TEXT.

QVando dicitur, Filius natiuitate est diuina essentia, ablatiuus potest construi ratione formæ, vel in ratione principij: in ratione formæ est falsa, quia natiuitas non est causa formalis respectu prædicati essentialis. In ratione principij est vera, quia omnia quæ conueniunt Filio, conueniunt ei per Natiuitatis originem. Dub. 3.

Materiale principium, ex quo res est, aut est transiens formaliter, & est defectio, aut est permanens, & sic est protensio; aut est materiale, & permanens, & agens, & est deriuatio. Exemplum primi, ex grano fit herba. Secundi, vas ex argento. Tertij, prius ex fonte. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

CVm dicitur Spiritus Sanctus esse donum, quo alia dona donantur, dupliciter accipi potest ablatiuus, vel vt dicit concomitantiam, vel vt causalitatem. Primo modo vniuersaliter est falsa propositio, quia sensus est, quod detur cum omnibus donis. Secundo modo tripliciter in-

telligi poteſt, vel vt dicat ſimpliciter cauſalitatem, & ſic non diſtinguitur à Patre, & Filio, quia dona ſunt à tota Trinitate; vel vt dicat cauſalitatem, & ſubauctoritatem, & in hoc diſtinguitur à Patre ſolùm, quia Pater per Filium, & per Spiritum ſanctum donat; vel vt dicat cauſalitatem, ſubauctoritatem, & exemplaritatem, & ſic propriè Spiritui ſancto conuenit: ipſe enim procedit per modum primi doni: ita vt quòd omnis donatio recta, & gratuita poſt illam eſt, & ab illa accipit rationem donationis.

De Donis loquimur dupliciter, aut ratione eius, quod ſubeſt, aut ratione donationis: Primo modo aliqua dona appropriantur Filio, vt ſapientia; aliqua Spiritui ſancto, vt caritas, quia per ipſum, tanquam per primum donum donantur omnia.

Quando dicitur motus non eſt motus, intelligitur, vt termini, nam vt Principij motus eſt motus, ſic dicitur donum doni, quia cauſando ſtatur in primo dono, quod dicit veram hypoſtaſim.

QVÆSTIO SECVNDA.

CVm donum dicat reſpectum ad eum, cui datur, hoc poteſt eſſe tripliciter, vel ſecundum actum, vel ſecundum habitudinem, vel ſecundum aptitudinem: ſi ſecundum actum, dicitur donum, quia datur; ſi ſecundum habitudinem, dicitur donum, quia donandum aliquando: ſi ſecundum aptitudinem, dicitur donum, quia donabile: ſecundum primam acceptionem Spiritus ſanctus dicitur donum temporaliter æternaliter.

QVÆSTIO TERTIA.

ALiquid eſt in potentia ad actum dupliciter, aut propter imperfectionem agentis, aut propter defectum ſuſcipientis; ſi ſit potentia primo modo, actus eſt perfectio potentiæ; ſecundo modo non, vnde ſol actu illuminans domum apertam non habet perfectionem maiorem, quàm antea haberet, cum non illuminaret, quia erat clauſa.

QVÆSTIO QVARTA.

CVm datum idem ſit quod communicatum poteſt dici communicatum, vel ex liberalitate, & eſt commune toti Trinitati; vel ex liberalitate, & auctoritate, & ſic conuenit Spiritui ſancto, & Filio, qui habent ſubauctoritatem reſpectu Patris: vel poteſt dici datum ex liberalitate, & auctoritate non tantum communicatum, ſed etiam productum, & hoc modo proprium eſt Spiritus ſancti, qui procedit ſecundum rationem liberalitatis, & ita ſecundum rationem doni, vel donabilis.

QVÆSTIO QVINTA.

DOnum importat reſpectum ad eum, cui datur, tripliciter, vel ſecundum habitum, vt quia dandum, vel ſecundum aptitudinem, vt quia donabile: & ſic donum eſt proprietas diſtinctiua ratione primi reſpectus, quæ tamen inuoluit tertium, ſi enim procedit per modum doni, neceſſariò eſt donabilis.

Donum dicit dupliceм reſpectum, & ratione huius dicit comparationem ad ſecundum actum: ratione primi reſpectus dicit actum proceſſionis, ratione ſecundi dicit actum communicationis: ratione primi eſt proprietas diſtinctiua.

QVÆSTIO SEXTA.

MEum, & noſtrum dupliciter attribuuntur alicui, vel mediante compoſitione, vel immediatè: primo modo ponunt de ſe habitudinem circa terminum, videlicet habitudinem poſſeſſionis, vt cum dicitur, hoc eſt meum, & hoc modo poſſunt dici meum, noſtrum, tuum de omni quod in Deo eſt communiter, ſed magis propriè de Filio, quia datus eſt nobis per Incarnationem, maximè autem de Spiritu ſancto, qui eſt pignus hæreditatis ſanctæ.

Poteſt etiam noſtrum attribui alicui immediatè, & ſic non dicit habitudinem poſſeſſionis, ſed tantum rationem habitudinis importatæ per terminum, cui vnitur, & attribuuntur ſine copulâ verbali, ſic enim nulli vnitur, niſi quod importat reſpectum explicitè, vt Pater noſter, vel meus, vel implicitè, vt liber meus.

Hoc eſſe huius poteſt dici ſecundum triplicem habitudinem, aut informationis, vt albedo Petri, & hanc important nomina abſtracta: & quia nihil diuinum comparatur ad nos ſecundum habitudinem informationis, ideo non poteſt dici de nominibus abſtractis, Noſter: ideo non dicitur Deitas noſtra, nec æternitas, &c. Secundò dicitur aliquid eſſe huius ſecundum habitudinem cauſalitatis, & hæc important nomina, quæ dicunt actum, vt Creator, & de iis bene dicitur, Noſter. Tertiò ſecundum habitudinem correlationis, quam important nomina relatiua, quomodo aliqua dicunt reſpectum perſonæ ad perſonam, aliqua ad creaturam. De primis non dicitur Meus, vel Noſter: De ſecundis dicitur, vt Dominus, Magiſter, &c.

Regula ergo vniuerſalis eſt; de iis dicitur Noſter, quæ dicunt reſpectum ad nos ſecundum habitudinem cauſalitatis, vel correlationis.

DISTINCT. XIX.

Pars Prima.

De proprietatibus, & conditionibus eſſentialibus, & quodammodo perſonalibus Trinitatis, & Vnitatis.

Text.

CVm dicitur aliquid eſſe in Deo, præpoſitio, in, aut dicit dictionem eſſentialem, & ſic non quidquid eſt in Deo eſt Deus, quia nos in Deo viuimus, mouemur, & ſumus: aut nullam dicit diſtinctionem, niſi ſecundum modum intelligendi, & ponit omnimodam identitatem: & ideo ſequitur, quòd ſit Deus, quod eſt in Deo. Sed cum dicitur de Perſona, præpoſitio, In, indicat diſtinctionem perſonalem, & vna perſona de alia non prædicatur. Dub. 6.

Exemplum aliud eſt perfectè exprimens, & tale non datur in creatura reſpectu Trinitatis, quia quælibet creatura plus habet diſſimilitudinis, quam ſimilitudinis. Aliud eſt manuducens, & ſic multa ſunt in creaturis. Dub. 7.

Intellectus alius est comprehendens, & talis nullus est creatus respectu Dei, quia non est à creatura comprehensibilis, cum sit infinitus; alius est apprehendens, aut in ratione possibilitatis, & sic omne quod potest fieri, potest intelligere; aut in ratione agentis, & sic non potest omnia, quia non habet lumen tantæ potentiæ. Dub. 8.

Perfectio alia est simpliciter, alia in genere: prima est in Deo, & non patitur restaurationem, aut additionem, ideo non dat partem sui. Secunda est in creatura; ideo homo generans dat partem sui, quæ suppletur per restaurationem in ipso, & in accipiente completur per additionem, & augmentum. Dub. 9.

Generatio aut est quantum ad formam communem, & naturam, vt bardo ex equo, & asina, mulus ex equa & asino; aut secundum proprietates generantis retenta natura, vt in filio turpi, & rustico ex patre pulchro, & nobili; aut secundum diuersitatem, & non per dissimilitudinem naturæ, vt in omni natiuitate creata, in qua generans est aliud à generante. In diuinis nulla degeneratio est, quia nihil nascitur nouum, nihil additur alienum. Dub. 11.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ALia est quantitas molis, alia virtutis; æqualitas sequitur vtramque, vt passio secunda, vt in spiritualibus, & maximè in diuinis, & proinde etiam æqualitas.

Æqualitas in creaturis duo importat, videlicet conterminationem, & excessus priuationem; primum est incompletionis, secundum perfectionis, ideo transfertur in Deum ratione secundi, non primi.

Diuersitas alia est suppositorum, alia formæ: prima requiritur ad æqualitatem, non secunda. Quod autem in creatis diuersitatem suppositorum comitetur diuersitas formæ, est imperfectionis, & ideo non cadit in Deum.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVælibet res considerari potest vel à parte ante, secundum suam originem, vel in se, vel in ordine ad effectum; primo modo est inæqualitas si vna sit prior durationealtera; & non est in Deo, vbi omnes personæ semper fuerunt. Secundo modo inæqualitas est respectu maioris extensionis, aut valoris, at in Deo eadem est magnitudo, bonitas, sapientia. Tertio modo inæqualitas est ratione potentiæ maioris: & hæc etiam abest à Deo, in quo est vna potentia, &c.

Diffusio alia est intra, alia extra: prima est quando persona procedit à persona in vnitate naturæ; & hæc propriè non est diffusio, & non consequitur bonum, vt bonum, sed in hypostasi, quæ aliam producere nata est. Secunda attenditur in productione effectus; & propriè est diffusio, & ratio boni; in neutra vna persona dicitur melior altera.

QVÆSTIO TERTIA.

DE æqualitate dupliciter loquimur, aut prout dicit respectum æquiparantiæ, aut prout vltra respectum concernit actum coæquationis; primo modo in diuinis conuersim dicitur; secundo modo nequaquam, quia dicit actum imitationis, & non conuenit Patri respectu Filij; in illo enim est auctoritas, & non imitatur Filium. Simile est, si dicatur hoc cum illo, quod dupliciter contingit, aut per simplicem coniunctionem, vt cum duo simul vadunt, conuersim enim dicitur; aut per associationem, quæ dicit quandam subauctoritatem in associante, vt miles cum Rege.

QVÆSTIO QVARTA.

QVædam propositiones important habitudinem repugnantiæ, vt contra; quædam distantiæ, vt Ad; quædam causæ, vt De, ex; quædam conuenientiæ, vt In.

DISTINCT. XIX.

Pars Secvnda.

Probat æqualitatem excludendo communem rationem inæqualitatis.

Text.

INtelligere est dupliciter; primò idem est quod cognoscere aliquid, quod per nomen dicitur. Secundò idem quod ratione apprehendere. Primum antecedit fidem, quæ est ex auditu. Secundum consequitur, quia nulla ratio humana sufficit ad manifestanda credibilia, nisi intellectus fide illustretur. Dub. 1.

ARTIC. I. QVÆST. I.

TOtum dicitur vel absolutè, & idem est, quod perfectum: vel per comparationem ad partem, & dicitur, quòd constat partibus. Primo modo dicitur de Deo, non secundo.

Pluralitas in creaturis duo dicit, & aliquorum distinctionem, & ex ipsis constitutionem vnius multiplicationis. Prima est in diuinis, non secunda, quia constituentia minus habent, quàm constitutum, & ita essentialiter differunt.

QVÆSTIO SECVNDA.

SImplex dicitur dupliciter, primò quod est possibile ad additionem, & sic vniuersaliter est simplex. Secundò quod priuat compositione, & additione, vt diuina essentia.

QVÆSTIO TERTIA.

FOrma alia est constitutiua, alia exemplaris: illa est simul cum materia, & non est in Deo: hæc verò est in Deo, est enim actus purus, & exemplar perfectissimum omnium.

Infinitas alia est defectu perfectionis, & hæc competit materiæ; alia est ex priuatione limitationis, & conuenit Deo.

QVÆSTIO QVARTA.

QVando dicitur, quæ differunt re, differunt aut genere, aut numero, aut specie, Res potest intelligi dupliciter: aut enim significat naturam, & essentiam, & conceditur: aut significat personam, & negatur; neque enim habet locum in iis dicta diuisio.

Suppositum significat & ipsum quod est, & verum est, quòd vnitas numero respicit identitatem suppositi; si autem dicatur, ipse qui est,

siue persona, tantum habet locum in iis, in quibus differt quò est, & quod est: vnde propriè loquendo diuersitas secundum numerum sequitur ipsum quod est, & non habet locum in diuinis.

Pluralitas Personarum tenet medium inter idem numero, & diuersum.

Quando dicitur, quod idem, & diuersum, sufficienter diuidunt ens, & proinde, quod idem numero, vel diuersum dicitur esse ens in diuinis, distinguendum est de ente apto numerari, vt est creatum, & de non apto, vt increatum. De primo verum est, de secundo falsum.

DISTINCT. XX.

De trium Personarum æqualitate quantum ad potestatem.

TEXT.

DE æqualitate loquimur dupliciter, primò vt dicitur denominans, secundò vt dicitur dispositio nobilitatis. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

PRimum principium aut solum dicit ordinem, aut substantialem differentiam; si primum, cum idem sit, & vnum vtrobique, non est potentius hic, quàm ibi: si secundum, potentius est primum, quàm secundum, quia secundum addit aliquid supra primum, & reddit magis compositum, & limitatum.

Posse per alium est dupliciter, aut per aliquam causam inferiorem simul agentem, aut per aliam personam. Primo modo potentius est posse per se, & per alium, quàm per se solum, quia posse per alium dicit dominium, & potestatem: sed posse per alium, vt per personam consubstantialem non dicit ordinem, sed tantum auctoritatem; hæc autem non dicit maiorem, sed tantum originem: sicut posse ab alio non dicit minoritatem, in potentia, sed tantum subauctoritatem, & originem.

ART. SECVNDVS. QVÆST. PRIMA.

ORdo est triplex secundum positionem, secundum antecessionem, & secundum originem. Primus est inter ea, quorum vnum est superius, aliud inferius, idque vel in loco, vel in dignitate: & hic ordo non est in diuinis. Secundus est inter ea, quorum vnum prius est, & aliud posterius, idque aut duratione, aut cognitione, & neque hic est in diuinis, quia tollit æqualitatem, & simultatem. Tertius ordo est producentis ad productum, & hic est in diuinis, quia est principij, & principiati.

Notio dupliciter significatur, aut sub propria ratione, vt cum dicitur generatio: aut sub communi, vt cum dicitur notio, ordo, proprietas, sicut indiuiduum est communis intentio, & sub hac communitate non distinguit, sed supponit distinctionem in suis inferioribus.

QVÆSTIO SECVNDA.

ORdo dicitur esse alicuius dupliciter, aut sicut ordinati, aut sicut rationis ordinantis; primus est in diuinis secundum personas; secundus ratione naturæ, quæ dicit vim productiuam; sic dicitur esse ordo naturæ in diuinis, id est naturalis originis; vnde genitiuus iste non construitur subiectiuè, vt cum dicitur albedo parietis.

Ordo secundùm naturalem originem in creaturis duo dicit, videlicet emanationem, & anteceſſionem, quia emanatio in iis ponit diuersitatem substantialem, vnde omne quod emanat, est affectus, & quod producit, est causa: & ideo dicitur causa, ad cuius esse sequitur aliud: & quia aliud in natura, ideo posterius in natura; in diuinis autem est emanatio, ad quam non sequitur essentiæ diuersitas, vel naturæ; ideo nec prius nec posterius; nam & ideo non accipitur nomen causæ apud Latinos, sed principij; & ideo est ordo naturæ, non quo alter sit posterior altero, sed quo alter ex altero.

DISTINCT. XXI.

Qualiter actiones exclusiuæ capiãtur in diuinis.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

HÆc dictio, Solus, potest esse cathegorema, vel syncategorema: primo modo est adiectiuũ absolutũ ponens rẽ suam circa suum substantiuum, & res sua est solitudo, & tantũ valet quantum solitarius: & sic non recipitur in diuinis, vbi tamen est solitudo secundum substantiam, quæ est in tribus personis: Secundo modo priuat associationem, & importat aliquam negationem, & sic cum aliquod prædicatum & substantiale, & personale præcisè dicatur de nomine substantiali, habet locum in diuinis, vt cum dicitur, solus Deus creat respectu prædicati substantialis, & solus Deus est Pater respectu personalis.

In Regulis fidei dicitur, quod dictio exclusiua facit exclusionem quantum ad genus rei, non quantum ad rem generis, quia ratione formæ communis, quæ est genus rei, non ratione suppositi, quæ est res generis.

QVÆSTIO SECVNDA.

DIctio, Solus, dupliciter addi potest termino substantiali, aut per se, aut cum termino numerali, siue partitiuo; primo modo additur improprie, & si addatur secundum vocem, tamen secundum intellectum stat à parte subiecti, idẽ enim est, homo albus est, & est albus homo: vnde sensus est, non dicimus Patrem esse solum Deum, id est non dicimus solum Patrẽ esse Deum; si autem aliter ponatur, superfluè ponitur, & impropriè, quia excludit quòd excludebatur ex natura prædicati ipsius. Secundo modo excludit pluralitatẽ, & bene additur prædicato, vt cum Aug. contra Maxim. ait Trinitas est vnus solus Deus, ita quòd non plures, & importatur per terminum, solus, priuatio multitudinis, vnde etiam dicitur de tota Trinitate, quòd sit vnus Deus, quin & de Patre dicitur, quod est vnus Deus.

Solus importat duo in se, videlicet intellectũ huius nominis alius, & intellectum negationis: quantum ad primum respicit terminum, circa quem ponitur, & sequitur actum; quantum ad se-

cundum præcedit, vt cum dicitur, video Conradum solum, sensus est video Conradum, & non video alium à Conrado.

ARTIC. I. QVÆST. I.

Dictio, Solus, potest importare priuationẽ associationis tripliciter, primo respectu formæ termini subiecti, vt dicatur solus Pater ille, qui est solus Pater, & sine dubio solus Pater est Pater, vel respectu prædicati, idque vel in participando, vt quia alij non conueniat: & vera est, quia prædicatum Pater soli personæ Patris conuenit, vel in comparticipando, vt cum dicitur Petrus vadit Romam solus videlicet cum eo, & sic adhuc est vera, quia persona Patris non comparticipat cum alia in proprietate Paternitatis.

QVÆSTIO II.

QVando dicitur, Solus Pater est Deus, ly solus, potest facere & exclusionẽ respectu compositionis intellectæ circa subiectum, vel respectu compositionis principalis; primo modo sensus est, solus Pater est Deus, id est, ille qui solus est Pater, est Deus, & tunc remouet formam termini subiecti ab aliis, & non formam prædicati, & vera est propositio: Secundo modo locutio est falsa, nisi addatur determinatio, vt arctetur exclusio, vt cum dicitur, Tu solus altissimus, Iesu Christe cum sancto Spiritu.

DISTINCT. XXII.

De Trinitate, & Vnitate, secundum quod creditа, & intellecta rationabiliter & Catholicè exprimitur.

Text.

PArticipium secundum Grammaticos transit in nomen quatuor modis; compositione, vt indoctus; comparatione, vt doctior; constructione, vt amans illius; tẽporis amissione, vt amandus, id est amari dignus. Potens potest esse participium, omnipotens nequaquam, ideo dicuntur tres potentes in Trinitate, quia participium retinet naturam verbi, quod cùm semper adiectiuè, seu in adjacentia significet, trahit numerum à suppositо: sed nomen significat inquietè, aliquãdo substantiuatur, & quando numeratur, tunc numeratur sicut nomen substantiuum à parte suæ formæ: & ideo non dicuntur tres omnipotentes, quia omnipotens non potest esse participium propter compositionem, quam non admittit verbum, non enim dicitur omnipossum. Dub. 4.

Aliquid dicitur maius dupliciter, vel quantum ad esse, vel quantum ad posse. Deo nihil potest esse maius vtrouis modo. Dub. 5.

ART. PRIMVS. QVÆST. I.

SIcut intelligere dicitur & per perfectam comprehensionem, & per semiplenam cognitionem: sic effabile dicitur & per perfectam expressionem, & per semiplenam narrationem. Primo modo sibi soli Deus est effabilis, & nominabilis, non alio nomine, verbo, quam ipse sit. Secundo modo est nominabilis à nobis, & eo melius, quo melior est cognitio eius, ideo expressius nominat fides, & scriptura, quàm Philosophia.

QVÆSTIO II.

NOmen multipliciter accipitur, pro voce significante, vt cum dicitur, Petrus est nomen Apostoli: & sic in Deo sunt plura nomina: Pro re significata, vt cum dicitur, bonum, & honestum sunt idem: & sic in quodammodo est vnum, quodammodo sunt multa nomina; si enim nos significata dicat essentialiter, est vnum, si personaliter plura. Tertiò pro ratione innotescendi: & hæc si consideretur ex parte Dei vna est, quia innotescit per virtutem, quæ magna est, & sic vnum nomen magnum, siue maximum; si verò ex parte creaturarum, sic diuersa sunt nomina; nam

Deus innotescit tripliciter per causalitatem, per ablationem, & per excellentiam, & secundum hoc est multitudo nominum; nam multos habet effectus, multa remouentur ab illo, secundum omnes conditiones nobilitatis excellit.

QVÆSTIO TERTIA.

QVædam sunt nomina, quæ significant rem, cuius veritas est in Deo, & oppositũ in creatura, vt immensus, & æternus; & talia non transferuntur, neque secundum rem, neque secundum impositionem. Quædam significant rem, cuius veritas est in Deo, & similitudo in creatura, vt sapientia, potentia, voluntas; & talia transferuntur à creatura in Deum, non secundum rem, sed secundum impositionem, quia prius imposita sunt creaturis, quàm Deo, licet prius sint in Deo. Quędam sunt, quæ significant rem, cuius veritas est in creatura, & consimilis proprietas in Deo, vt lapis, leo, & talia sunt translatitia.

Omne nomen habet aliquid sensibile secundum vocem, sed non omne habet sensibilem significationem.

Dicitur aliquid diuersimodè tripliciter, vel secundum modum, qui est per se, & per accidens: & non est in diuinis, quia ponit diuersitatem essentialẽ in re dicta, & sic est vnus modus dicendi, quia in Deo omnia sunt Deus: Vel secundũ modũ intelligendi, qui attenditur penes diuersas rationes cognoscendi, & hic est in Deo, quia cognoscitur per omnia rerum genera: & sic nomina dicuntur de illo per modum substantiæ, qualitatis, &c. Vel tertio secundum diuersum modum se habendi, qui attenditur vel absolutè, vel relatiuè; & sic sunt duo modi in Deo dicendi, secundum substãtiam ad se, & secundum relationem, vt illa, quæ dicuntur ad aliquid; & quia nomina hæc non dicunt alium modum essendi, sed se habendi, ideo ratione illius sunt vnum, & ratione istius plura.

Substantia dicitur dupliciter; aut ens per se, aut ad se; primo modo omnia nomina dicunt substantiam: secundo modo relationem.

Dici relatiuè in diuinis est dupliciter, vel ex principali nominis intellectu, vel ex consequenti: primo modo contingit tripliciter: quædam significant relationem, & dicuntur relatiuè, vt Pater: quædam significant relationem, & non dicuntur ad alterum, vt paternitas, sed est ipsum, quo alterum refertur; quædam dicuntur relatiuè, quia priuant relationem, vt ingenitus, quod tamen non est priuatio pura.

Secundo item modo, id est ex consequenti, est

tripliciter, vel quia ponuntur pro relatiuis, vt Deus generat Deum, id est Pater Filium; quædam quia claudunt in suo significato relationem intrinsecè, vt incarnatus, id est carni vnitus, vel quia claudunt relationem in suppositis, vt similis, æqualis, non enim sunt similes, nisi qui referuntur.

DISTINCT. XXIII.

De substantialibus nominibus diuinis in speciali.

TEXT.

ART. I. QVÆSTIO I.

IN diuinis ille, qui distinguitur, semper significatur vt distinctus, idque vel proprietate quacunque vel proprietate nobili, seu notabili: primum significatur nomine substantiæ, quod dicitur prima substantia, & conuenit cuilibet indiuiduo substantiali. Secundum significatur per nomen, Persona, quod importat nobilem proprietatem, non conuenit, nisi suppositis rationalis naturæ.

ARTIC. II. QVÆSTIO I. II.

TAm nomen substantiæ, quàm subsistentiæ dupliciter accipitur in diuinis. Primò substantia potest dici quasi per se stans, siue sub alio, siue sub proprietate; hoc modo vna tantùm est in diuinis, quia ibi est vnum quod est. Secundo modo vt dicit respectum ad proprietatem, est multiplex, quia sunt tres hypostases: & idem est de subsistentia.

Ens aliquando dicitur substantiuè, & non trahit numerum aliunde: aliquando adiectiuè, & trahit numerum à supposito, & sic non numeratur forma: & hoc modo non sequitur quod sint plures entitates.

QVÆSTIO TERTIA.

HAbens Deitatem potest dici vel neutraliter, & sic est vnum solum, & æquipollet ei quod est Deus, quod quidem dicit quod est; vel masculinè, & sic non habet æquipollens, & multiplicatur.

Nomen significare potest vel operationem per modum adiacentis: & sic trahit numerum aliunde; vel per modum substantiui, & sic non multiplicatur, & totaliter significat hoc nomen Deus.

Nomen diuinum est quasi possessiuum, vnde imponitur à duplici forma, videlicet possessionis, & possessoris; & forma Diuinitatis est in ratione possessoris; & forma possessoris existente indiuisa, numeratur forma possessionis, sed non forma habita.

Persona dupliciter potest specificari, videlicet per propriam personam, vt cum dicitur, tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; & per naturæ determinationem, vt si dicatur personæ diuinæ, vel angelicæ, vel humanæ.

DISTINCT. XXIV.

Quid significetur per nomen numerale, cum loquimur de diuinis.

TEXT.

RECipiuntur ista quatuor in diuinis, alteritas, pluralitas, discretio, distinctio; non autem ista quatuor, diuersitas, multiplicitas, diuisio, separatio.

ARTIC I. QVÆST. I.

VNum in creaturis consideratur, vel quantum ad rem intellectam, vel quantum ad rationem intelligendi. Primo modo habet respectum ad materiam; & ad formam: ratione primi est in se indiuisum, & potentia diuisibile; & quia potentia materialis se habet per modum priuationis, similiter & vnum ratione respectus ad formam, quæ dat esse distinctum, & limitatum, dicit positionem: & quia in Deo est tantum secundum formam, ideo solùm dicitur positiuè. Si verò secundo modo, id est secundum rationem intelligendi, vnum dicitur priuatiuè, videlicet per priuationẽ diuisionis, siue multitudinis, quia vnum est primum, & prima non notificantur nisi per posteriora, & cum in Deo sit perfectissima vnitas, accipitur ibi secundum omnimodam negationem multiplicitatis, tam actu, quàm potentia, nec in ipso vnum est principium numerus, sed tantum in creatura.

QVÆST. II. ART. II. QVÆST. I.

NVmerus secundum quod dicit distinctionem personalem ponitur in diuinis; secundum quod aggregationem, & diuisionem substantialem, nequaquam.

QVÆSTIO SECVNDA.

DIci ad aliud contingit dupliciter, intra, vel extra, implicitè, vel explicitè. Nomina numeralia in diuinis dicunt relationem ad aliquid intra; cum importent distinctionem numeratorum, & sic non datur substantia, quæ est ad se.

ARTIC. III. QVÆST. I.

HÆc vox Trinitas, duplicem habet etymologiam; primò dicitur vnitas ter, & sic nomen numerale cadit in Deo, vt complementum, & dicitur secundum relationem, sicut terminus numeralis: & vnitas, quam importat, est personalis. Secundò dicitur vnitas trium, & sic non numeratur, sed significatur, vt communicabilis tribus, & dicit vnitatem essentiæ. Prima non videtur ita propriè conuenire, quia vnus ter non dicitur de Deo, qui tamen dicitur Trinus.

Digitized by Google

DISTINCT. XXV.

Quid significet hoc nomen, Persona.

TEXT.

COmparatur aliquid ad aliud vel vt informans, siue denominans, & non est necesse, vt distinguantur, vt deitas ad Deum; vel vt principium ad principiatum: & tunc necessario importatur distinctio, & quia Præpositio, ex, importat habitudinem causæ, vel principij, ideo non potest dici, quòd personæ sint ex eadem essentia, quia non distinguuntur; possunt tamen dici eiusdem essentię, quia genitiuus non tantùm construitur in ratione principij, sed potius declarat essentiam, vt cum dicitur, mulier egregiæ formæ, vt dicit Priscian. Dub. 2.

Res potest considerari tripliciter, aut secundum proprietates, quas habet in propria natura: aut secundum modum, per quem fit apud animam; aut secundum proprietatem communem, quæ inest ei ab actibus animæ, qui sunt subiicere, prædicare, componere, diuidere, &c. & sic tripliciter etiam nominatur; primò per nomen indicans existentiam à parte suæ naturæ, vt albũ, nigrum, &c. Secundò res dicitur quod anima cogitat, vt existẽs in natura. Tertiò contingit nominari per intentionem secundam, vt genus, species, prædicatum, subiectum: & quia hoc nomen, Res, est medium inter nomen, quod dicit purè formam naturæ, & nomen, quod dicit purè formam intentionis; ideo non tantùm essentiæ conuenit, sed etiam personis: & ideo tres res dicimus tres personas; & fauet etimon: res enim dicitur à reor, quod dicit actum à parte animæ, & à ratus, quod dicit stabilitatem ex parte naturæ. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DIci secundum substantiam est dupliciter, vt dicar. Victor. aut in dicendo substantiam secundum naturam communem, & sic dicitur homo secundum substantiam: aut indicando substantiam, vt suppositum certum, vt quidam homo; primo modo est dicere, quid; secundo est dicere, aliquid; nomen essentiæ dicitur primo modo; nomen personæ secundo modo.

QVÆSTIO SECVNDA.

RAtionale dicitur dupliciter; primò quod habet potentiam discernendi bonum à malo, verum à falso: & sic Deo, & creaturæ conuenit; secundò quod habet potentiam discernendi per inquisitionem, & discursum; & hoc est proprium animæ coniunctæ carni.

ART. II. QVÆSTIO I.

ALiquid est commune dupliciter; positiuè, vt animal homini, & equo; priuatiuè, vt non animal lapidi, & ligno. Primo modo dici potest essentia communis tribus personis. Secundo modo persona est communis tribus personis, dicitur enim incommunicabilis, id est non communicabilis.

Duplex est communitas, vna secundum vnitatem naturæ absolutæ, altera secundum similitudinem habitudinis: primo modo id dicitur commune, quod est positiuè in pluribus, vt homo in suis indiuiduis. Secundo modo dicitur commune, quod habet similem habitudinem, vt modus regendi Magistro, & Nautæ. Primo modo dicitur essentia communis personis. Secundo modo dicitur communis persona: & hic modus secundus probatur magis quàm primus; & tertius, qui distinguit de communitate rei, quam tribuit essentiæ, & rationis, quam tribuit personæ, quæ hoc dicit in diuinis quod indiuiduum in creaturis, quod est commune secundum rationem Petro, & Paulo.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex est communitas: alia secundum communitatem naturæ absolutæ, alia secundum communitatem similis habitudinis: primo modo persona non est communis Deo, & creaturis, quia nulla res sic est communis; secundo modo est communis, quia sicut Pater & Filius sunt suppositа naturæ diuinæ, ita Michaël, & Raphaël angelicæ, & ideo hoc nomen non dicitur æquiuocè, sed analogicè de ipsis.

Communitas similis habitudinis dupliciter accipitur; primò per respectum ad res eiusdem generis, vt Petrus, & Paulus sunt indiuidua; secundò per respectum ad res diuersi generis, vt hæc albedo Petri, & Petrus in hoc quod est esse indiuiduum. Primo modo est non solùm Analogia, sed vniuocatio secundum æqualitatem. Secundo modo est analogia secundum inæqualitatem, ideo persona cum dicitur de diuinis, est quasi vniuocum, sicut & cum de creatis. Cum autem de creatis, & increatis dicitur analogicè, per prius enim conuenit illis, & si nomen prius impositum sit creatis.

DISTINCT. XXVI.

TEXT.

NOuitas vocum aliquando sonat vitium, vt quando facit sententiam, quæ non habet ortum ex veritate antiqua, quo modo ait Apostolus, proprietas vocum non de vita; aliquando non, vt quando habet intellectum sanum, ortum ex antiqua veritate. Dub. 1.

Accidens comparari potest vel ad subjectum primum, vel ad subjectum proximum. Primo modo omne accidens dicitur aduenies, quod est possibile etiam abesse, quamuis non respectu subjecti, quod simul est causa. Dub. 5.

Filius dicit ortum, & imitationem, hæcque vel per omnimodam assimilationem, vt in Filio naturali imitante Patrem: vel per expressam similitudinem est imago, quæ conuenit & Filio, & factura, quæ si sit insignita suo decore, & perfectione dicitur filius factura; sin secus, dicitur filius factura, & adoptione. Præterea dicitur filius impropriè, & cum additione distrahente; Ioan. 2. dicuntur peccatores habere patrem Diabolum, quòd à Deo recedant, & imitentur illum. Dub. 6.

Donum dicitur ab actu donandi, & ab habitu: primo modo dicitur ex tempore: secundo ab æterno.

Digitized by Google

ARTIC. I. QVÆST. I.

TRes sunt modi dicendi in diuinis, essentialis, personalis; notionalis, sicut & tres sunt modi prædicandi, in quid, in quis, & in quæ, siue in quomodo se habet.

Differre ratione est tripliciter: Primò à parte nostræ apprehensionis, vt bonitas, & magnitudo in Deo: Deinde secundum differentiam attributionis, quia aliquis modus attribuitur vni, & non alteri; sic essentia, persona, notio differunt ratione. Tertiò secundum pluralitatem distinctionis, quæ non inducit differentiam in natura, sed solùm facit, ne vnum prædicetur de altero, quomodo differt persona à persona, & proprietas à proprietate.

Differentia rationis alia fundatur super quid absolutum, siue substantiale, siue accidentale: alia super respectum, seu modum se habendi; prima repugnat simplicitati, & non est in Deo; Secunda non repugnat; Patet enim respectum de nouo aduenire alicui, sine vlla eius mutatione.

Referri seipso tripliciter intelligi potest, aut quia inter respectum, & essentiam non cadit medium, quia ipsa essentia dependet essentialiter vt materia à forma, & forma à materia; tamen neutra est suus respectus, quia non habent omnimodam simplicitatem, aut quia inter relata non cadit medium, quod non sit alterum illorum: sic Pater refertur seipso ad Filium, & hic ad illum ob summam simplicitatem: aut quia id quod refertur est purus respectus: & hoc neque in Deo, neque in creatura locum habet, quia secundum Augustin. omne quod refertur est aliquid præter id, quod relatiuè dicitur, alioqui relationis esset relatio: & sic omnis proprietas relatiua differt aliquo modo ab eo cuius est proprietas, sed magis in creatura quàm in Deo.

QVÆSTIO II. III.

REduci ad aliquid stat dupliciter, aut sicut ad principium, aut sicut ad terminum. Innascibilitas reducitur ad hypostasim Patris, sicut ad Principium; ad hypostasim autem geniti, & spirati, sicut ad terminum.

QVÆSTIO QVARTA.

RAtio distinguendi in diuinis sumitur à parte originis; aut positiuè, aut priuatiuè; si priuatiuè, aut priuat originem per modum producentis, & non dicit nobilitatem, nec est notio; aut per modum producti, & hoc vel specialiter, vel generaliter: si specialiter, non dicit nobilitatem, si generaliter dicit: & ideo notio est vna sola, id est innascibilitas. Si autem accipiatur à parte originis positiuè, cum duplex sit origo, & ei respondeat duplex habitudo, erunt quatuor notiones, generatio actiua, & passiua, spiratio actiua, & passiua, & in vniuersum quinque.

DISTINCT. XXVII.

PARS PRIMA.

RIgor consideratur vel respectu personæ, vel respectu creaturæ. Primo modo vel accipitur actiuè, & est Patris, & Filij, sed appropriatur Patri; vel passiuè, & est Filij, ac Spiritus sancti, & appropriatur filio, secundum quod origo dicit emanationem per modum naturæ; Secundo modo conuenit toti Trinitati, & appropriatur Patri. Dub. 1.

Quædam ponuntur in prædicato per naturam propriam, & significationem, & talia sunt, quæ important compositionem, vt verba; quædam verò ponuntur in prædicato, quæ sunt apta subijci, vt hoc nomen Pater, Filius, &c. & ideo possunt importare intellectum hypostasis. Dub. 4.

Ordo naturæ dicitur dupliciter, aut quo natura ordinatur, aut quo natura est ratio ordinandi, & idem est de proprietatibus; vnde quando dicimus proprietatem naturalem, non oportet, quod proprietas habeat naturam, vt subjectum, sed quòd sit consonans naturæ ipsius, sicut Filius naturalis non dicitur, quòd sit à natura, sed à Patre naturaliter producente.

ARTIC. I. QVÆST. I.

GEnerare, & esse Patrem est vna & eadem notio, sed diuersimodè significatur quoad tria, primò quia generatio proprietatem personæ generalius exprimit, quàm hoc quod est Pater, nam quodlibet generans non est Pater, homo enim generat pediculos, & non dicitur pater; vt Aug. & l. 3. d. 5. sequitur tamen, est pater, ergo generans. Secundò quia Pater importat intra se hypostasim, circa quam proprietatem, non ita generat, sed apponitur ad extra. Tertiò, quia generatio importat emanationem, Pater habitudinem, quæ differunt secundum modum intelligendi; licet re sint idem.

Prædicatio alia est per modum denominationis, & hæc est per correctionem, alia per modum identitatis, & hæc est per abstractionem: & quia esse patrem, & generare est eadem proprietas, ideo vtroque modo vnum prædicatur de altero.

QVÆST. II. III.

ABstrahitur aliquid ab alio dupliciter, primò abstractione, quæ habet totum à natura rei, vt vniuersale à particulari, & forma à materia; vtrobique est compositio, & diuersitas. Secundo est abstractio, quæ totum esse habet ab intellectu, qui cùm intelligit aliquid completum, sub duplici ratione intelligit, videlicet per modum ipsius quod est, & ipsius, quo. Primo modo non abstrahimus in Deo, nec quantum ad essentiam, nec quantum ad personam, quia nulla est in eo realis compositio; sed secundo modo, & quia modus significandi sequitur modum intelligendi; ideo contingit significare ipsum, quo in abstractione, & quod in concretione.

QVÆSTIO QVARTA.

QVædam sunt de necessitate fidei; quædam de necessitate scripturæ; quædam iis annexa, vt quæ faciunt ad fidei, & scripturæ expositionem. Circa prima opinari contrarium est error; & si sit cum assertione, & defensione, est hæresis. Circa secunda opinari contrarium potest quis sine culpa, si ignoret scripturam; non ita si sciat. Circa tertia si opinio sequitur ex fide, & scriptura ante percunctationem, non potest. Si non sequatur, licet opinari, sed non asserere dubia circa Deum, qui est rationis superbientis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

DISTINCT. XXVII.

Pars secvnda.

Dicihoc de hoc eſt dupliciter, vel ſecundum idem nomen, vel ſecundum aliud. Primum non poteſt eſſe niſi conueniat duobus: & quia nomina duabus perſonis conuenientia ferè omnia ſunt eſſentialia, licet aliqua ſint notionalia: ideo Magiſter dicit, quod ſecundum nomina ſubſtantiæ illud dicitur de illo, Deus de Deo, licet illa nomina non ſignificent ſubſtantiam, lumen de lumine, ſed tantùm nomina Perſonarum, non dicitur illud de illo, verbi gratia Verbum de Verbo, Filius de Filio.

ARTIC. I. QVÆST. I.

Loqui dupliciter accipitur, primo apud ſe, ſecundo ad alterum; primo modo nihil eſt aliud, quàm aliquid mente concipere: mens autem concipit intelligendo, & intelligendo aliud concipit ſimile alij, intelligendo ſe, concipit ſimile ſibi, quia intelligentia aſſimilatur intellecto, & hoc eſt verbum conceptum. Secundo modo eſt conceptum mentis exprimere, & huic reſpondet verbum prolatum; ſic in Deo dicere eſt apud ſe, vel ad ſe, id eſt intelligendo concipere, & hoc eſt generare prolem ſimilem, & huic dicere reſpondet Verbum natum, id eſt Verbum æternum. Alio modo dicere eſt exteriùs ſe exprimere, & hoc idem eſt, ac ſe per creaturam declarare, cui reſpondet verbum temporale.

Duplex eſt medium, eſſentiæ, & intelligentiæ; Verbum non eſt medium in eſſendo, ſed extremum, in intelligendo eſt medium, quia per ipſum omnia facta ſunt.

QVÆST. II. III. IV.

VErbum aliud ſenſibile, aliud intelligibile, ex D. Aug. lib. 15. de Trinit.

Senſibile attenditur in prolatione vocis, intelligibile in cogitatione rei, medium in cogitatione vocis.

DISTINCT. XXVIII.

Text.

Aliquid poteſt intelligi præter aliud multipliciter, aut quantum ad intellectum apprehendentem, aut quantum ad intellectum reſoluentem; primo modo non poteſt intelligi aliquid ſine aliquo, quod eſt ei ratio intelligendi, ſicut Deus præter deitatem, homo præter humanitatem; poteſt tamen intelligi effectus non intellecta cauſa, & inferius non intellecto ſuperiore. Secundo modo intelliguntur eſſentialia, præterpaſſiones, & alia non eſſentialia, idque vel plenè, vel ſemiplenè. Primo modo non poteſt intelligi aliquid non intellecto primo ente; ſecundo modo poteſt. Sic plenè non poteſt intelligi ingenitus, quin intelligatur paternitas, quia non accipitur priuatiuè ſolùm, ſed poſitiuè, vt dicit fontalem plenitudinem. Semiplenè poteſt intelligi, vt accipitur priuatiuè, quo modo intelligunt Gentiles. Dub. 1.

Modus dicendi ſecundum ſubſtantiam circa terminum negatum, ſeu infinitum accipitur dupliciter, aut quantum ad ſignificatum, aut quantum ad ſuppoſitum. Primo modo terminus negans trahit ſignificationem ab affirmato, & idem eſt modus dicendi, quantum ad ſignificationem in termino negato, & affirmato; vnde ſicut homo dicitur ſecundum ſubſtantiam, quantum ad ſignificationem, ita & non homo; quando enim dicitur, hoc eſt homo ſubſtantiam prædico: quando autem dicitur, hoc eſt non homo, ſubſtantiam remoueo; ſi autem loquamur quantum ad ſuppoſitum, tunc pro alio ſupponit terminus negatus, & affirmatus. Dub. 2.

Aliquid refertur ad aliud dupliciter, aut ſecundum rationem exiſtendi, aut ſecundum rationem intelligendi; primo modo importatur habitudo realis, ſecundo modo rationis; ad hoc autem vt intelligatur priuatio habitudinis, intelligi debet habitudo, & proinde duo extrema negata: & ita dicit Aug. quòd non genitus refertur ad non genitorem, quia non intelligitur ſine iſto: & ita dicitur ſecundum relationem, quantum ad rationem dicendi, ſicut non homo dicitur ſecundum ſubſtantiam. Dub. 3.

De ſapientia loquimur vel quantum ad ſignificatum, vel quantum ad ſuppoſitum: primo modo dicit eſſentiam, ſed ſupponit perſonam: & ita poteſt dici ſapientia nata, non tamen eſſentia nata, quia eſſentia eſt abſtracti ſecundum nomen, & non trahitur ad ſuppoſitum. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

NOn genitus tripliciter accipi poteſt, ſicut non album, poteſt enim eſſe negatio in genere, vel extra genus, vel partim in genere, partim extra genus; primo modo dicit relationem ſubſtratam, quia dicit quod non generatur, habet tamen ordinem ad principium, ſed non habet nobilitatem, nec eſt notio, & conuenit Spiritui Sancto; ſecundo modo dicit purè priuationem ſine vllo ordine, & dicitur quidem de eſſentia, ſed nec ſecundum ſubſtantiam, nec ſecundum relationem, quia priuatio ſolùm eſt. Tertio modo dicitur ingenitus, quia non generatur, habet tamen ordinem, ſed non ad principium, & hoc modo dicit priuationem relationis reſpectu principij; ſic enim habet ordinem, & non ad principium, ergo ipſum eſt principium, & primum, & dicit nobilitatem, & conuenienter explicatur per negationem, quia prima cognoſcuntur per negationem, & eſt notio in hoc ſenſu.

Sed addendum ergo quòd ingenitus ſecundum quod conuenit Patri, propriè dicit relationem priuatiuè, & conſequenter ex hoc ipſo relationem poſitiuè, dicit enim, quod Pater non generatur, & per generationem non accipitur, in quo differt ab ingenito, vt conuenit eſſentiæ, & Spiritui Sancto, qui generationem conſequitur.

Sic tripliciter dicitur ingenitus, aut quia non producitur per generationem, vt eſſentia, & Spiritus ſanctus, nec per generationem accipitur, vt Spiritus Sanctus, aut quia nec producitur, nec accipitur, nec conſequitur, vt Pater, & ita dicit primitatem, & fontalem plenitudinem, proinde in principali intellectu dicit relationem priuatiuè, & ex conſequenti poſitiuè.

QVÆSTIO SECVNDA.

PRimum dicitur dupliciter, aut per priuationem prioris, & ſic primum, & principium idem ſunt in re, & non ratione: aut primum dicitur reſpectu ſecundi, & ſic primum, & principium idem ſunt re, & ratione, & tunc non ſignificatur primum per hoc nomen importat enim primitatem per priuationem prioris.

QVÆSTIO III. IV.

DISTINCT. XXIX.

TEXT.

NOmina, quæ dicunt effectum in creatura poſſunt illum dicere actu, vel habitu: ſi actu ex tempore dicuntur, ſi habitu, poſſunt dici æternaliter, ſed vſus accipit hoc nomen principium, vt dicitur actu: ideo dicit Magiſter, quod dicitur temporaliter.

Quando dicitur æternus conditor, dupliciter intelligi poteſt, tum ex parte eius quod eſt conditor, quia poteſt dicere actum, vel habitum: tum ex parte eius, quod eſt æternus, quia poteſt teneri adiectiuè, vel ſubſtantiuè: ſi ſubſtantiuè, ſic non ponit æternitatem circa conditionem, ſed circa ſuppoſitum, vera eſt locutio; ſi adiectiuè, & conditor tenetur habitualiter, adhuc vera eſt locutio, ſi actualiter eſt falſa. Sic æternus conditor, id eſt, qui eſt æternus, vel potens condere ab æterno in tempore verè dicitur, ſed falsò qui ab æterno condidit. Dub. 3.

Dupliciter loquimur de hoc nomine, principium, aut reſpectu ſubiecti, ſic cum intellectus eſſentiæ ſit ante intellectum perſonæ, principium eſſentialiter dictum ſecundum rationem intelligendi præit principium notionaliter dictum: aut reſpectu termini, ſic principium eſſentialiter dictum reſpicit, quod eſt diuerſum per eſſentiam, & creatum, ſed notionaliter dictum reſpicit perſonam conſubſtantialem, & increatam, & ſic eſt quantum ad rem, & quantum ad rationem intelligendi, prius dicitur in Deo, quàm reſpectu creaturæ. Dub. 4.

Habere principium dicitur dupliciter, aut ſicut correlatiuum, quo modo filius dicitur habere Patrem; aut ſicut diſpoſitionem ſui, & ſic dicitur habere principium quod incipit eſſe. Primo modo filius æternus habet principium, non ſecundo; aut aliter, Filius habet principium eſſendi non durandi.

ARTIC. I. QVÆST. I.

INitium vno modo accipitur largè ad principium eſſendi, & durandi; alio modo propriè ad principium durandi, vt illud dicatur habere initium, quod incipit eſſe. Primo modo poteſt accipi in diuinis, ſecundo modo non poteſt.

QVÆSTIO SECVNDA.

DIci differenter in diuinis nomen aliquod tripliciter contingit, quantum ad ſuppoſitum, quantum ad ſignificatum, quantum ad connotatum. Primo modo dicitur Deus eſt æternitas, & ſtat pro natura: & Deus generat, & ſtat pro perſona: & hoc modo inducit multiplicitatem, ſeu æquiuocationem. Secundo modo dicitur, generat, Pater noſter, qui es in cœlis, vel Deus generat, Deus creat: & cum terminus aliud, & aliud ſignificet, inducit multiplicitatem ſimpliciter. Tertio modo hoc nomen, principium in diuinis eſſentialiter dictum connotat creaturam; perſonaliter, ſeu notionaliter dictum nihil creatum connotat, ſed increatum, & inducit multiplicitatem ſecundum analogiam; atque ita principium in diuinis eſt analogum, quia principium de ſua impoſitione ſignificat actum producendi, non creandi, nec generandi: vnde ſicut producere dicitur analogicè de productione Filij, & creaturæ, ita & principium ſecundum has acceptiones dicitur differenter.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

NOtio poteſt ſignificari dupliciter: in abſtractione, vt ſpiratio; inconcretione, vt ſpirator: idque vel in comparatione ad ſubiectum in ratione ſuppoſiti, aut actiui, aut vtroque modo ſignificatur notio ſpirationis per hoc nomen ſpirator: & quia ſuppoſitum huius nominis eſt perſona, non vna, ſed duæ, ideo dicimus duos ſpiratores. Secundo modo ſignificatur notio per hoc nomen, principium, quod dicit originem, & quia ſubiectum agit per virtutem, & virtus reſpicit naturam, cum in Patre & Filio ſit vna natura, eſt etiam vna virtus ſignificata per hoc nomen, principium, & proinde etiam notio ſpirationis non multiplicata; & ſic Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Tertio modo dicitur idem principium Spiritus Sancti: & eſt falſa, quia idem reſpicit ſuppoſitum: principium verò reſpicit idem, vt actiuum, & quia ſuppoſitum eſt duplex, quia Pater, & Filius habent eamdem virtutem ſpiratiuam, ideo non bene dicitur idem principium Spiritus ſancti, licet bene dicatur vnum principium ob eamdem vi in ſpiratiuam.

DISTINCT. XXX.

TEXT.

NOmina diuina quædam dicunt ſolum reſpectum ad creaturas, vt Dominus; quædam effectum, vt Creator, & vtraque reſpiciunt vel rem præſentem, vel futuram, ſiue rem in actu, vel in habitu, & hoc ſecundo modo dicuntur ab æterno, non primo. Dub. 1.

Differt incipere à tempore, in tempore, & cum tempore: primum dicit ordinem, & præſupponit tepus anterius: In, dicit temporis exiſtentiã; cum tempore, id eſt cum tempus cœpit. Dub. 2.

Quædam ſunt ordinabilia ſecundum potentiam ex parte vtriuſque, & tunc relatio introducitur per mutationem factam in vtroque; quædam verò, ita vt vnum ſit in potentia, alterum actu, vt albus actu, eſt actu habens proprietatem, ſecundum quam attenditur ſimilitudo cum altero non albo actu, ſed tantum potentia; & in his ſufficit mutatio ex parte vnius, vt conſurgat relatio. Dub. 3.

Dub. 4. loquitur de relatione, vt de modo diſtincto.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ALiquid dicitur ex tempore dupliciter, aut quia ipsum est temporale, aut quia dicit respectum ad temporale: primo modo nihil prædicatur de Deo per essentiam, vel per inhærentiam, prædicatur tamen per causam, vt Deus est creator, vel per vnionem, vt Deus est homo. Secundo modo prædicatur, quia de sua principali significatione dicit essentiam, vt Dominus, importat enim dominium, quod est potestas coërcendi subditos, quia est essentia.

Æternum accipitur vel adiectiuè, vel substantiuè: Primo modo aliquid prædicatur de Deo, cuius duratio non est æterna; substantiuè quidquid prædicatur de Deo æternum est.

QVÆSTIO SECVNDA.

ALiquid dicitur secundum accidens tripliciter, primo dicitur accidens per oppositum ad substantiam, & sic dicitur proprietas alij inhærens, & sic nihil de Deo dicitur, quia quod dicitur hoc modo ponit compositionem. Secundo dicitur secundùm accidens per oppositionem ad per se, vt paries disgregat, ratione videlicet albedinis, & neque sic dicitur aliquid de Deo, ponit enim posterioritatem, & imperfectionem, & ab alio: Deus autem nihil habet imperfecti, nec ab alio. Tertiò per oppositionem ad necessarium, quia videlicet necessario non inest, & sic aliqua nomina dicuntur de Deo comparatione ad creaturam, quam liberè, & non necessariò producit; sed hic modus dicitur etiam per se, quia Deus seipso facit, ideo ad per se in creatura sequitur necessarium, non sic in Deo.

QVÆSTIO TERTIA.

DIci secundum relationem dupliciter intelligitur, aut secundum rem, aut secundum modum.

Realis autem relatio triplex est, alia fundatur super proprietate accidentali, vt similitudo in duplici albedine, alia super dependentia essentiali, vt materiæ ad formam; alia super origine naturali, vt Filij ad Patrem. Prima non potest esse in Deo, quia nulla in eo est proprietas accidentalis; nec secunda, quia nulla est dependentia; tertia potest, quia ponit tantum distinctionem, & ordinem, qualis est inter personas.

Hic docet, quòd in Deo nulla est habitudo ad creaturas, nisi secundum modum intelligendi.

DISTINCT. XXXI.

Pars prima.

Text.

DIfferentia aliquando notat alietatem suppositi à supposito, vt cum dicitur Petrus est alius à Paulo; aliquando alietatem in natura, vt cum dicitur Christus quatenus homo differt à Deo; aliquando alietatem status à statu, vt Petrus senex differt à seipso puero. Primo modo idem non dicitur simile sibi, sed aliis duobus modis dici potest. Dub. 2.

Sed Dub. 1. distinxit de æqualitate, & similitudine, quòd alia sit secundum rem, alia secundum nomen, de qua hic.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

IN diuinis quædam dicuntur secundum relationem, quæ sunt distinctiua relatorum, vt Pater, & Filius, & talia important respectum distinguentem, & distinctionem vt exercitam. Quædam dicuntur secundum relationem, quæ sunt distinctorum relatiua, vt similis, & æqualis, & talia important respectum; sed ille respectus non est notio distinguens, sed consequens distinguentem, importat enim distinctionem non vt exercitam sed vt conceptam, quia respectus distinguens est per respectum vnius personæ ad aliam, secundum quod est ab illa.

QVÆSTIO TERTIA.

SImilis, & æqualis dupliciter accipiuntur, aut prout dicunt conuenientiam in quantitate, vel qualitate; aut prout supra conuenientiam addit imitationem, vel expressionem perfectam; primo modo sunt relatiua æquiparantiæ, & dicuntur ad conuertentiam, alio modo addunt super hoc rationem originis.

DISTINCT. XXXI.

Pars Secvnda.

Text.

FOrma substantialis, & completiua rei cuiuslibet dicitur essentia, natura, species, respectu diuersæ comparationis; si enim consideretur in se, dicitur essentia; si in ordine ad operationem, dicitur natura; si in ordine ad nostram cognitionem, dicitur species. Dub. 4.

ART. I. QVÆSTIO I.

IMago accipitur dupliciter, vel secundum naturæ vnitatem, vel secundum naturæ diuersitatem; primo modo filius est imago Imperatoris; secundo modo effigies eius in nummo est imago. Sic in diuinis imago est secundum identitatem naturæ per expressionem, & est increata, & dicitur notionaliter, seu secundum relationem, quia dicit emanationem in vnitate naturæ, quæ non est nisi personæ. Secundo modo creatura dicitur imago creata, respectu totius Trinitatis.

QVÆSTIO SECVNDA.

IMago in diuinis dicit expressionem in summo: expressio autem in summo dicit duo, quod sit vnius ad vnum, & secundum omnem modum. Solus filius est talis imago; primo quia solus ab vno procedit, & illum exprimit, cum Spiritus Sanctus vtrumque exprimat, & neutrum in summo, quia vnum in summo non potest exprimere plura, vel plures vnum, in quo nulla est diuersitas, nec potest exprimi à pluribus, vt plures sunt. Secundò, quia secundum omnem modum habet rationem exprimendi, tam comparatione illius, à quo est, quàm illius, qui ab ipso est, quia procedit vt verbum, & per modum similitudinis expressæ, vt spirat, eodem modo, quo Pater; quæ non conueniunt Spiritui Sancto, & ideo non est imago.

Filius

Filius non dicitur imago propter assimilationem in natura, sed modum emanandi, quia non conuenit Spiritui sancto.

QVÆSTIO TERTIA.

PVlchra dicitur imago dupliciter, vel quia bene pertracta est, vel quia bene repræsentat illum, ad quem est; quo modo dicitur etiam pulchra imago Diaboli, quia bene reptæsentat eius fœditatem.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

PLena conformitas tria includit, in natura, in voluntate, in operatione: sic Paulus, & Apollo dicunt conuenientiam in natura, quia vterque homo: in voluntate, quia vterque optabat salutem fidelium: in operatione, quia vterque prædicabat, & procurabat salutem, ille plantando, hic rigando. Si desit aliquid istorum, non est plena conformitas, neque vnitas, nisi secundum quid. Et sic vnitas simpliciter, & non tantum secundum quid, dici potest de creatura.

Duplex est vnitas; indiuisionis, quæ attenditur in vno numero, & hæc est vnitas simpliciter; & conformitatis, in iis, quibus contingit aliis conformari.

QVÆSTIO III.

DISTINCT. XXXII.

Text.

DVpliciter dicitur aliquem esse sapientem aliquo, aut ita quod ablatiuus teneatur formaliter, & sic filius est sapiens sapientia genita, & Pater sapientia ingenita: aut ita quòd teneatur originaliter, & sic cum sapientia genita sit de sapientia ingenita, filius est sapiens, sapientia ingenita; & sic loquitur Magister dicens, quòd filius, qui est sapientia genita, est de sapientia ingenita. Dub.3.

In nomine sapientiæ duo considerari possunt, nimirum significatum, & suppositum: primum dicit essentiam, secundum personam, & illæ determinationes genita, & ingenita non respiciunt, essentiam, sed suppositum, & ita distingunt suppositum, manente eadem vnitate in significato, siue in forma, & ita sapientia genita, & ingenita est alia, & alia persona: quantum ergo ad significatum dicitur essentialiter, quantum ad suppositum dicitur personaliter. Dub.4.

Quando dicitur, sapientia Patris, genitiuus construitur in ratione originis, quia est à Patre; & potest construi in ratione subiecti, & sic sapientia genita non dicitur esse Patris, sed Filij. Dub.6.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DIligere potest teneri essentialiter, vel notionaliter: primo modo dicit voluntatis complacentiam, quæ communis est tribus personis, & non dicitur Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto. Secundo modo dicit voluntatis fœcunditatem ad producendam personam ex se, quæ solùm est in Patre, & Filio, & vera est locutio, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto: est enim sensus Pater diligit Filium, & Filius Patrem, quia amor, qui est Spiritus sanctus, est amor nectens Patrem cum Filio.

Spiratio potest dupliciter significari: primò per verbum, spirare: secundò per verbum diligere; sicut enim dicere importat generationem, & vlterius quamdam expressionem circa personam; sic etiam diligere, & sicut dicere importat actum generandi, & præterea exprimendi, & ratione secundi dicitur, Pater se dicit verbo, id est, dicendo, & exprimendo generat verbum, vel se exprimit verbo: sic diligere importat actum connectendi, siue concordandi, & spirandi, & ratione huius dicitur Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, id est, inuicem concordando producunt Spiritum Sanctum, vel inuicem connectuntur spirando Spiritum sanctum.

ARTIC. II. QVÆST. I.

QVidam sunt actus, qui dicunt motum à rebus ad animam, vt sapientia; quidam ab anima ad res, vt amare: ideo comparatio amoris ad amantem importat formam, & effectum: sed sapientia quia dicitur ad intelligentem, non vt ab intelligente tantùm importat formam, non effectum: propterea non dicitur Pater sapiens sapientia genita, quia Filius nec forma, nec principium est Patris. Præterquam quod sapientia dicitur essentialiter, & hoc quod est esse sapientem non dicit notionem, quia non importat originem, diligere autem importat originem, & dicitur notionaliter, & potest construi in ratione formalis effectus: vnde & bene dicitur, Pater, & Filius amant se Spiritu sancto, vt supra.

Aliud est Pater nouit omnia Filio, aliud in Filio: prima importat rationem formæ, vel principij cognoscendi, & falsa est; secunda distinguenda est: nam in Filio, potest determinare (nouit) in comparatione ad subiectum: & est falsa, quia sensus esset, quòd Filius sit Patri ratio cognoscendi. Vel potest determinare (nouit) in comparatione ad obiectum, & est vera, & sensus est, quod Filius sit rebus cognitis ratio, & exemplar, & causa exemplandi: & quia perfectè cognoscens aliquid cognoscit omnia, quæ sunt in illo, cum omnia sint in Filio, Pater illum cognoscens, etiam cognoscit quæ in illo.

QVÆSTIO SECVNDA.

PRæpositio, per, vel iungitur verbo absoluto; & importat auctoritatem, vt sum bonus, vel viuo per Deum; vel verbo transitiuo, & importat subauctoritatem, vt Rex potest per Balliuum, id est per gerentem eius vices: in primo sensu falsum est, Pater est potens per Filium. In secundo verum est, Pater operatur per Filium, nam Pater non habet potentiam à Filio, sed dat Filio. & per illum operatur, & non potest sine illo.

DISTINCT. XXXIII.

Text.

IN hac propositione Aug. Pater non eo est substantia, quo Pater, & similibus, quia Ablatiuus importat habitudinem in ratione causæ formalis, quantum ad rationem intelli-

Digitized by Google

gendi, potest causalitas cadere sub negatione, vt sit negatio causalitatis, vel potest esse causalitas negationis. Primo modo locutio est vera: est enim sensus, non eo est Deus, quo Pater, quia paternitate est Pater, tanquam ratione intelligendi, & dicendi, non essendi Deum. Secundo est falsa, sensus enim est, non eo est Deus, quo Pater, id est quantum ad id, quod est Pater, non est Deus.

ARTIC. I. QVÆST. I.

RElatio vel comparatur ad subiectum, & sic in diuinis transit in substantiam, & verè prædicatur de suo subiecto, verbi gratia, Pater est paternitas, vel ad obiectum, seu terminum, & distinguitur à persona proprietas ergo est persona, & in persona, differt tamen quoad modum se habendi.

Abstractio alia est secundum rem, alia secundum modum intelligendi, & loquendi.

QVÆSTIO SECVNDA.

IN diuinis aliqua dicuntur de diuina essentia in se, puta quæ dicuntur in appositione ad creaturam, vt immensa, increata, &c. aliqua dicuntur, vt in personis, v.g. esse communicabilem, esse vnam in tribus, &c. aliqua dicuntur de essentia, vt principio operationum: primo modo quæ dicuntur de persona, dicuntur etiam de proprietatibus. Secundo modo non, proprietas enim non est communicabilis, nec vna in tribus, &c. neque tertio, quia illa prædicata dicuntur de essentia, vt est communis tribus.

QVÆSTIO TERTIA.

NOtio dupliciter comparatur notioni, vel in concretione, vel in abstractione: primo modo vna prædicatur de alia, vt generans, & spirans, sicut album est dulce, secundo non, quia notio importat purè respectum, & in vna eademque persona sunt plures respectus sine compositione, secundum diuersas comparationes.

Prædicatio per identitatem potest esse tripliciter, aut ita vt essentia comparetur essentiæ, aut essentia proprietati: primo modo notatur identitas essentialis, vt magnitudo est bonitas, & item secundo modo; tertio modo notatur identitas rationis, quia varietas non importat nisi rationem, & relationem, siue respectum; & ideo cum prædicatur proprietas de proprietate, notatur conuenientia in ratione, & respectu, & non sequitur, quod si conueniunt in substantia, etiam conueniunt in respectu; cum verò proprietas prædicatur de persona, notatur conuenientia in substantia, & essentia, & supposito; & ideo non est similis prædicatio.

QVÆSTIO QVARTA.

DISTINCT. XXXIV.

Text.

OMnia vno modo distinguitur contra sapientiam, & potentiam; alio modo non; puta si accipiatur pro bonitate moris, quæ consistit in voluntate, distinguitur; si communiter, vt complectitur omnia, non distinguitur. Dub. 6.

ARTIC. I. QVÆST. I.

CVm quæritur vtrum persona, vel res naturæ addat aliquid supra naturam, dupliciter loqui possumus de additione, aut quantum ad rem, aut quantum ad intellectum; primo modo non est additio ob summam simplicitatem, cui non obstat distinctio secundum originem. Secundo addit, quia persona dicitur suppositum rationalis naturæ distinctum proprietate, in quo est quædam compositio, nec tamen falsum dicit intellectus, quia dicit hæc omnia esse vnum, & vnum esse alterum.

Dupliciter aliquid dicitur esse in pluribus, vel ita vt vnum possit esse alicubi, vbi non est alterum, vt homo est in pluribus hominibus, aut vt non possit esse sine alio: & sic est in personis diuinis, & sic non potest dici vna simplicior altera.

Quæ sunt eadem vni tertio, &c. fallit vbi aliqua plura distinguuntur per suas origines, vel si vniuersaliter sanè intelligenda, vbi & subiectum est idem, & idem terminus; quamuis ergo personæ sint idem in natura, quia tamen non sunt ad vnum; ideo non sequitur, quòd sint vnum inter se.

QVÆSTIO SECVNDA.

PRædicatio alia est per identitatem, alia per inhærentiam, & vtraque reperitur in Deo; prima cum dicitur Pater est generatio; secunda, vt cum dicitur Pater generat: prima est propriissima: secunda per intellectus nostri defectibilitatem, per analogiam inferiorem intelligentis, & enunciantis diuina, fiec tamen falsò, quia non ponit modum circa rem, sed circa suum intelligere, quia non potest simplicissimum ens intelligere nisi per compositionem.

Quando dicitur idem prædicatur de eodem, vel accipitur idem re, & diuersum secundum rationem intelligendi, & dicendi, vt bonitas, & substantia; vel idem secundum substantiam, sed diuersum secundum modum se habendi: vt persona est substantia, siue relatio est substantia, Deus generat, &c.

Forma accipitur dupliciter: primò relatiuè ad informatum, & sic non est in Deo. Secundo modo absolutè quod caret materia, & est in Deo.

Dici relatiuè est dupliciter, vel secundum esse, vel secundum dici: secundum esse, vt Pater ad filium; secundum dici, vt videns ad visum, intelligens ad intellectum; talis est cum dicitur vna natura trium personarum, & tres personæ vnius naturæ: non tamen tres personæ vnius Dei, nam hoc nomen, Deus, non importat respectum secundum dici ad personam, sed solùm ad creaturam, ideo dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, &c.

QVÆSTIO TERTIA.

DE appropriatis est loqui dupliciter, aut quantum ad id quod significant, aut quantum ad ordinem, quem connotant; primo modo ponuntur appropriata in diuinis secundum intellectum, non à parte rei, quia significatum est commune; sic Patri tribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas. Secundo modo conuenit appropriatio à parte rei, quia ibi est ordo, vel origo.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVARTA.

RAtio vel finis tranſlationis duplex eſt, vna in qua eſt laus Dei, altera in qua eſt manuductio intellectus noſtri; quoniam enim Deus eſt ſummè laudabilis, ne propter inopiam vocabulorum ceſſaret laus, ſacra Scriptura docuit nomina creaturarum ad Deum transferre, & quidem in numero indefinito, exceptis iis, quæ vituperium ſonant. Et quia Deum per ſeipſum, & in ſe non cognoſcimus, ideo transferimus proprietates nobiles, quæ iuuant intelligentiam, nam ſimilitudo incipiens à notiori eſt via cognoſcendi ignotius; ſi tamen non ſit magna ſimilitudo ob periculum erroris, ideo nomina Angelorum non transferuntur, ne Deus credatur Angelus.

DISTINCT. XV.

De ſcientia Dei in genere, & quantum ſe.

TEXT.

DVpliciter loquimur de ſcientia, potentia, voluntate, aut in ſua generalitate, aut vt concurrunt ad vnum effectum: primo modo ſcientia prior eſt ſecundum modum intelligendi, quàm potentia, & voluntas, quia eſt omnium tam bonorum, quàm malorum: & potentia prior eſt voluntate, quia eſt faciendorum, & non faciendorum. Secundo modo potentia vt potens eſt prima, vt exequens eſt vltima; priùs enim eſt poſſe, deinde ſcire, tum velle, poſtremò facere. Dub.2.

Diuina cognitio poteſt conſiderari aut in ſe, aut comparatione ad creaturas; ſi in ſe, aut prout dicit purè cognitionem per modum ſpeculationis, aut vt iunctam affectioni: primo modo eſt ſcientia, ſecundo ſapientia; ſi comparatione ad creaturas, poteſt eſſe dupliciter, aut connotat euentum, & eſt præſcientia, aut effectum in conſeruando, & gubernando, & eſt prouidentia: vel in efficiendo, & ſi quidem bona naturæ, dicitur diſpoſitio; ſi gratiæ, prædeſtinatio, vel reprobatio. Sed quia hæc non eſt effectus, ſed d..ectus, quia dicit priuationem boni ſuperadditi naturæ, ideo continetur ſub nomine præſcientiæ. Dub.3.

Relatiuè dicitur aliquid dupliciter, aut quia ſignificat relationem, vt nomina, quæ ſunt in prædicamento relationis; aut quia habet reſpectum annexum; ſic actio dicit reſpectum ad paſſum, & hoc ad illam. Dub.4.

Scientia alia eſt, qua habeo cognitionem de re, alia qua ſcio rem eſſe: prima non ponit exiſtentiam, ſecunda ponit, ſed in nobis cum dependentia, in Deo ſine dependentia. Dub.5.

In ſequenti Dub.5. ait non omnia eſſe Deo præſentia, ſecundum veritatem exiſtentiæ rerum, ſed ſecundum cognitionem.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IDæa eſt ſimilitudo rei cognitæ: ſimilitudo autem dicitur dupliciter, primò ſecundum conuenientiam duorum in tertio: & hæc eſt ſecundum vniuocationem. Secundò ſecundum quod vnum eſt ſimilitudo alterius: Sic creatura eſt ſimilis Deo, & Deus dicitur ſimilitudo creaturæ. Hoc modo ſimilitudo eſt ratio cognoſcendi, & dicitur idæa; ſed in nobis ratio cognoſcendi eſt ſimilitudo, cognitum eſt veritas; in Deo autem ratio cognoſcendi eſt veritas, & cognitio eſt ſimilitudo veritatis, videlicet ipſa creatura.

Similitudo alia eſt participationis, alia imitationis, alia expreſſionis; prima non eſt inter Deum & creaturam, quia nihil eſt commune; ſecunda eſt modica ob diſtantiam finiti ab infinito; tertia eſt maxima, quia cauſatur ab intentione veritatis, quæ eſt ipſa expreſſio: ideo Deus ſummè omnia cognoſcit.

Similitudo alia cauſatur à veritate rei extra, & hæc non ita perfectè exprimit, ſicut ſi res præſens eſſet animæ in ſe, & hac non cognoſcit Deus; alia eſt ipſa veritas expreſſiua cogniti, & eo ſimilitudo, quo veritas, & hæc melius exprimit rem, quàm ipſa ſe exprimat, quia res accipit rationem expreſſionis ab illa, & hac cognoſcit Deus.

Regulari, & dirigi contingit dupliciter, aut per regulam differentem à regulato, & directo; & hæc ponit imperfectionem & poſſibilitatem erroris; aut per regulam, quæ eſt idem quod regulatum; & hæc ponit impoſſibilitatem erroris; talis eſt idæa.

QVÆSTIO SECVNDA.

FOrma duplex eſt, ſcilicet quæ eſt perfectio rei, & forma exemplaris; hæc eſt in Deo reſpectu creaturarum, & multiplex reſpectu illarum in ſe vna, vtpote ipſe Deus.

Similitudo alia eſt ſecundum proprietatem generis, & hæc non poteſt eſſe vna plurium differentiarum; alia eſt ſimilitudo ſimpliciter extra genus, & hæc quia non arctatur ad hoc genus, qua ratione eſt huius, eadem eſt illius, & talis eſt diuina veritas, & idæa in Deo.

QVÆSTIO TERTIA.

QVando dicitur quòd idææ ſunt plures reſpectu connotatorum, de iſtis dupliciter loquimur, aut inquantum ſunt, aut inquantum connotata; primo modo ſunt ex tempore, ſecundo poſſunt connotari æternaliter, vt reſpectus connotatur in habitu, ſicut & hoc nomen prædeſtinatio temporaliter, quando reſpectus importatur actu.

DISTINCT. XXXVI.

PRæpoſitio, in, aliquando dicit inhærentiam, v. g. ſi dicatur accidens in ſubiecto; aliquando identitatem, vt idææ ſunt in Deo; aliquando cauſalitatem, vt creaturæ ſunt in Deo. Dub.1.

Eſſe ex Deo, vel per Deum poteſt accipi vel ſecundum aptitudinem, vel ſecundum actum, vel ſecundum habitum. Per aptitudinem omnia ſunt in Deo, & per Deum, præter mala; ſecundum actum nequaquam, quia multa Deus cognoſcit in ſe, quæ non ſunt per ipſum, nec ex ipſo, nec erunt; & idem de habitu, quia multa cognoſcit, quæ poteſt facere, & non faciet, & tamen non ſunt in ipſo, nec ex ipſo antequam erunt. Dub.2.

Digitized by Google

Approbatio potest connotare bonitatem in actu: & sic non est verum, quòd omne quod est in Deo, sit cognitum notitia approbationis; & potest connotare bonitatem in potentia, sicut exemplar connotat rei entitatem, non quia sit, sed quia Deus potest eam facere: & sic nihil est in Deo, nisi quod cognoscit notitia approbationis, quia sic cognoscit omne bonum quod est, vel potest facere, & illius habet exemplar. Dub. 3.

Quando dicitur ex ipso, & in ipsum, & per ipsum, aut consideratur id quod significatur, aut ordo, qui connotatur. Primo modo omnia sunt ex Deo, vt principio primo non aliunde noto. Per Deum, vt principium sufficientissimum, quod omnia agit per seipsum. In Deo, vt in principio, quod non potest facere aliquid extra se, sed omnia ambit eius virtus, ita vt sit primum sufficientissimum, infinitissimum. Secundo modo appropriantur tribus, quia ex ipso dicit rationem primi; per ipsum dicit rationem medij, in ipso dicit rationem vltimi, siue quietatiui, & sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Dub. 4.

ART. PRIMVS. QVÆST. I.

ALiquid dicitur esse in aliquo tripliciter, vel secundum actualem existentiam, vel secundum similitudinis præsentiam, vel secundum causatiuam potentiam; primo modo sunt res in vniuerso, secundo in cognitiua substantia, tertio in sua causa. His duobus modis res sunt in Deo.

Aliquid rei potest dici tripliciter, essentialiter, effectiuè, & causatiuè, videlicet sicut pars, effectus, causa: & hoc tertio modo exemplar est aliquid rei, vel cum quantum ad potentiam causatiuam, quia est res non actu, sed potentia.

QVÆSTIO SECVNDA.

IN diuinis est considerare essentiam, vt communis est, & absoluta, & proprietates, & commune, vt in relatione ad propria: primum dicitur in omnimoda absolutione; secundum videlicet proprietas, dicit relationem ad personam; tertium dicit relationem ad res, & illa appropriata significant Deum, vt causam; res igitur sunt in Deo vt causa, non vt essentia, neque vt persona, nisi ratione appropriatorum.

ARTIC. II. QVÆST. I.

REs tripliciter sunt in Deo, vt in principio producente, & sic sunt ratione potentiæ: vt in exemplari exprimente, & sunt ratione notitiæ: vt in fine conseruante, & sic sunt ratione voluntatis. Secundo modo omnia sunt in ipso vita: primo non: tertio quædam sunt vita, quædam non, quia conseruantur secundum esse quod habent; & sic quædam sunt vita, quædam non.

QVÆSTIO SECVNDA.

TRiplex est existentia rerum, in exemplari æterno, in intellectu creato, & in ipso mundo: in primis duobus sunt secundum similitudinem; in mundo secundum entitatem propriam.

Quando quæritur, in quo res sint verius, aut fit comparatio rei ad se secundum diuersum modum existendi, vt sit sensus, vbi lapis exempli gratia verius habet esse in cognoscente, & producente, vel in se: & sic verius habet in se; aut fit comparatio rei ad suam similitudinem, vt sit sensus, quid habet esse verius, & nobilius, vtrum ipsa res, vel eius similitudo, & hæc habent esse nobilius, & verius in Deo, quàm in se.

ARTIC. III. QVÆST. I.

COgnosci per accidens est dupliciter, aut à parte cognoscentis, aut cogniti; primum non cadit in Deum, quia seipso omnia cognoscit; secundum cadit, quatenus cognoscit aliquid per similitudinem sui oppositi, videlicet malum quod cognoscit per similitudinem boni, quomodo rectum dicitur iudex sui, & obliqui.

Per priuationem cognoscere est dupliciter, aut ita quòd sit priuatio in virtute cognoscente, sicut cognoscit aliquis silentium, & tenebram per aurem, & oculum; & sic ponit imperfectionem; aut ita quòd sit priuatio in cognito, non in cognoscente, sicut lux cognosceret tenebram, si haberet vim cognitiuam: & sic cognoscit Deus, quia est actus purus, & lux, & veritas.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. XXXVII.

PARS SECVNDA.

TEXT.

PRæpositio, Cum, dicit associationem: in societate autem duo sunt, mutuum auxilium, & conformitas voluntatis; soli boni igitur dicuntur esse cum Deo, quia habent voluntatem conformem, & sunt Dei coadiutores in sua salute. Dub. 1.

Entia quædam sunt purè intelligibilia, & talibus non contradicit imaginatio, sed deficit; quædam sunt sensibilia, & in iis sufficit, quædam ex iis mixta, & in iis frequenter intellectus deficit, & imaginatio contradicit, & deficit, vt cum cogitamus Deum esse vbique, Deum solo intellectu capimus, locum autem imaginamur. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

TRipliciter vnitur aliquid alicui, aut secundum præsentiam tantùm, aut secundum præsentiam & dependentiam, aut secundum præsentiam, dependentiam concomitantiæ in materia. Primo modo est radius in aëre, secundo modo anima in corpore, tertio liquor in liquore. Primo tantùm modo est Deus in rebus.

Duplex est distantia, per absentiam, & hæc impedit motum; per independentiam, & hæc iuuat, quia quanto motor minus pendet, sufficientior est, talis est Deus.

QVÆSTIO SECVNDA.

TRiplex est conditio, secundum quam comparatur locatum ad locum: prima secundum quam excellitur; & hæc est proprietas saluatio-

Digitized by Google

nis; ſic corporalia ſunt in loco, & in eo conſeruantur, non ſpiritualia, quia nullum recipiunt influentiam à loco corporeo. Secunda, ſecundum quam locatum æquatur, & proportionatur loco; & hæc eſt proprietas commenſurationis, & ſic etiam ſola corporalia ſunt in loco, quia ſunt commenſurabilia reſpectu partium, ſed definibilia reſpectu totius. Tertia eſt, ſecundum quam locatum excellit locum, videlicet quod per ſui præſentiam replet, & ſupplet indigentiam loci; & hoc modo conuenit Deo, qui per ſuam præſentiam replet vacuitatem eſſentiæ, & indigentiam, &c.

ARTIC. II. QVÆST. I.

CReaturæ quædam ſunt ſpirituales per abſtractionem, vt vniuerſale, & numerus, & ſunt in pluribus propter communitatem ad plura, & ita ſecundum ſui plurificationem; quædam ſpirituales ſunt per ſeparationem à materia corporali, vt animæ; quædam ſpirituales per vnionem, vt corpus Chriſti eſt cibus ſpiritualis animæ, quamuis ſit verum corpus: & ideo eſt quaſi medium inter animam, & Deum.

QVÆSTIO SECVNDA.

ESſe vbique dupliciter competit Deo, ſicut & eſſe ſemper; primò importat præſentialitatem diuinæ immenſitatis, per quam eſt præſens omni ei quod eſt, ſiue ſibi, ſiue alij; & ſic idem eſt eſſe vbique, quod Deum eſſe immenſum, & conuenit æternaliter. Secundò vt connotat locum creatum, ſiue rem: & ſic conuenit ei ab initio rerum, & locorum per connotatum, & non æternaliter.

ARTIC. III. QVÆST. I.

DEum eſſe in rebus dupliciter poteſt intelligi, primò vt idem ſit quod eſſe præſentem cuilibet rei, non connotando effectum: & ſic vniformiter eſt in omnibus rebus, eo quod intimus ſit illis, & ſummè præſens, & totus in qualibet. Secundò poteſt connotare effectum, ſicut dicitur in artificio eſſe per connotationem effectus, & per impreſſionem ſuæ ſimilitudinis: & ſic cum vni creaturæ plus det, quàm alij, magis eſt in vna, quàm in alia.

Et hoc poteſt eſſe dupliciter, extenſiuè quantum ad ea, quæ habent eſſe diuturnius; vel intenſiuè, quantum ad ea, quæ habent eſſe nobilius; vel vtroque modo, vt in anima rationali, quæ habet eſſe nobilius corpore, & æternum.

QVÆSTIO SECVNDA.

RES comparantur ad Deum, vel per modum exiſtentis, vt res naturæ; vel per modum redeuntis, vt gratiæ inchoatæ, & conſummatæ; vel per modum peruenientis, & perficientis, vt eſt effectus vnionis inter Deum, & hominem. Primus comparatur lineæ rectæ, ſecundus reflexæ, tertius circulo, quantum ad perfectionem.

Aliquid eſt in aliquo, vel ſecundum præſentialitatis indiſtantiam, vt contentum in continente, vel ſecundum virtutis influentiam, vt motor in mobili; vel ſecundum intimitatis exiſtentiam, vt anima in corpore: ideo Deus dicitur eſſe potentialiter, præſentialiter, eſſentialiter ob tres iſtos modos.

DISTINCT. XXXVII.

PARS SECVNDA.

TEXT.

TEmpus vno modo dicitur propriè, & ſic dicit menſuram rei mutabilis inquantum mutabilis, tamen ſub ratione continui, & quia motus primi mobilis eſt motus maximè euidens, & continuus inter omnes, ideo tempus dicitur eſſe in primo mobili, ſicut in ſubiecto, in quo primo eſt, & primò apparet, 2. dicitur tempus menſura cuiuſlibet rei mutabilis, ſecundum quod mutabilis, ſiue moueatur inſtantaneè, ſiue continuè: & ſic eſt in omni creato, circa quod accidit variatio, atque adeo in Angelis. Dub. 3.

Species, ſicut ſapientia, &c. vel comparantur ad ſubiectum in quo ſunt; vel ad obiectum, cuius ſunt; primo modo plus ſunt duæ, quàm vna, ſecundo modo non, nihil enim plus repræſentat vna, quàm plures, &c.

ARTIC. I. QVÆST. I.

QVando dicitur, Deus eſt hic, poteſt teneri dupliciter, aut demonſtratiuè tantùm, aut demonſtratiuè, & diſcretiuè; primus modus verus eſt, quia Deus eſt vbique; ſecundus falſus, quia non eſt diſcernere vbi non ſit.

In Deo conſideratur ſimplicitas, & infinitas: ideo nomen importans totalitatem poteſt dupliciter apponi, vel ratione ſimplicitatis, & ſic priuat parte, & partem, & bene dicitur, Deus eſt totus in quolibet loco, vel ratione infinitatis ſignificatæ, per aduerbium, totaliter: vel ſecundum totum, & ſic in nullo loco eſt totaliter: quærenti ergo, an ſit ſecundum partem, vel ſecundum totum, reſpondendum eſt, quod neutro modo; non primo, quia eſt ſimplex, non ſecundo, quia infinitus.

QVÆSTIO II. III.

ALiquid ſeparari ab alio eſt dupliciter, vel ſecundum indiſtantiam, vel ſecundum independentiam; primo modo Deus eſt inſeparabilis, quia eſt in omni loco. Secundo modo Deus eſt ſeparabilis in quantum à nullo pendet, locus autem à Deo non eſt ſeparabilis.

Quando quæritur an Deus ſit extra omnem locum, duo denotari poſſunt in extra, vel vt dicit ſitum, & poſitionem: & ſic Deus non eſt extra, ſicut non eſt ante tempus, ſi, ante, dicit tempus, vel vt dicit exceſſum, & ſuperexcellentiam diuinæ immenſitatis, & ſic eſt extra omnem locum, ſicut & ante tempus ratione æternitatis.

ARTIC. II. QVÆST. I.

SIcut eſſe in loco dicitur aliquid vel circumſcriptiuè, vel definitiuè, ita & moueri per locum vno modo eſt per circumſcriptionem ferri de loco ad locum, quod eſt tantùm corporum: & alio modo minus propriè eſt ſecundum definitionem tranſire: & ſic eſt ſpirituum proprie; primo modo mouetur Angelus in corpore aſſumpto, ſecundo modo ſeipſo.

Digitized by Google

QVÆSTIO II.

DISTINCT. XXXVIII.

TEXT.

CVm dicitur res aliqua aliter cognosci, dupliciter potest intelligi; primò ita vt aduerbium dicat alietatem quantum ad cognitionem, & facit sensum talem hæc propositio, Deus cognoscit aliter rem factam, quam prius faciendam cognouit: & est falsa, quia dicit alterationem in cognitione. Secundò vt dicit alietatem rei cognitæ: & sensus est, Deus cognoscit rem illam aliter se habere, quàm prius: & est vera. Dub.1.

Cognoscere rem in proprio genere dupliciter intelligitur, aut ita vt hoc esse cognoscatur, & hoc perfectionis est, & non dicit nouum modum cognoscendi à cognitione in verbo; aut ita quod vis intelligentiæ reflectatur supra rem, vt est in proprio genere, & est imperfectionis, quia vis cognoscens egreditur extra se; primus modus conuenit Deo, secundus minimè. Ibidem.

Futuritio duo importat, successionem temporis, & ordinem temporalis ad æternum secundum consecutionem: primo modo non est de ratione præscientiæ, quia hæc æterna est: hoc verò futurum cœpit cum tempore. Secundo est, quia solùm exigit primum extremum in actu, & illud fuit ab æterno. Dub.2.

Scientia in Deo vna, & simplicissima dupliciter potest significari, per modum approbationis, & per modum simplicis notitiæ: primo modo connotat effectum, & bonitatem; secundo modo solum euentum; & quia esse causam connotat effectum, ideo dicitur scientia approbationis esse causa eorum, quæ præscit. Dub.3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DE præscientia loquimur aut quantum ad rem significatam, aut quantùm ad significationem per nomen hoc; primo modo dicit causam, non tamen semper respectu futuri; secundo modo non dicit causam.

Futurum aut est triplicis generis, primum eorum, quorum Deus est tota causa, vt eorum, quæ creantur; secundum eorum, quorum creatura est tota causa, vt peccata; tertium eorum, quorum Deus, & creatura simul sunt causa, vt opera naturalia, & moralia: & hoc eodem modo præscientia est causa, vel non.

Ponere aliud fiat dupliciter, vel secundum productionem, vel secundum consecutionem; quod ponit primo modo est causa in essendo, quod ponit secundo modo est causa in consequendo.

QVÆSTIO II.

CAusa accipitur secundum triplicem modum, essendi, inferendi, dicendi; primo modo præscientia potest esse causa aliquorum; secundo sunt mutuo causæ, quia mutuò antecedunt, & sequuntur, & antecedens est causa consequentis: tertio modo futurum est causa præscientiæ, & non è conuerso: nam ad hoc vt vocetur præscientia, debet esse futuritio rei.

ART. SECVNDVS. QVÆST. PRIMA.

NEcessitas est duplex, absoluta, & respectiua; prima opponitur contingentiæ, & dicitur consequentis, secunda dicitur consequentiæ, & non opponitur contingenti, verbi gratia, si ambulat, necessariò mouetur, contingens necessariò sequitur; ergo in rebus præscitis est necessitas consequentiæ: Sequitur enim, Deus præscit, ergo erit.

Quando dicitur, futurum à Deo præscitum potest aliter esse, si sit contingens, dupliciter intelligi potest, vel diuisim, & sic est verum; sensus enim est, Deus præscit hoc euenire, & possibile est non euenire: vel coniunctim, & est falsum; sensus enim est, illud est possibile quod Deus præscit vno modo, vt eueniat alio modo, sicut hic currens potest non moueri, non sequitur possibile est, quòd aliquis currens non moueatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVoddam est dictum de præterito, & pro præterito, vt si dicatur, Petrum legisse; aliud de præterito, sed pro futuro, vt Antichristus fuit nasciturus; aliud pro præterito pendens à futuro, vt Petrum dixisse verum, nauale bellum fore, ab euentu enim pendet veritas; aliud de præterito non pendens à futuro, sed connotans veritatem circa illud futurum, vt cum dicitur, Deus præscit hoc futurum, quia Dei scientia solùm est circa verum, ideo connotat veritatem circa illud dictum futurum, sed eius cognitio non pendet ab illo, & ideo falli non potest.

Ad esse mutabile duo concurrunt, quod se habeat vno modo priùs, & alio modo posterius: & vice versa immutabile potest dici dupliciter, aut quia nihil actu est, aut quia actu est, & non potest aliter se habere: & hocconuertitur cum necessario: sed illud immutabile, quod non est aliquid actu, non conuertitur, & sic est verum contingens de futuro, antequam res sit, quomodo hoc dictum est Antichristum fore est modo verum immutabile, quia si ponatur esse verum, ponitur quod semper fuerit, quia nihil actu ponit.

Ens æternum dicitur dupliciter, aut purè æternum, aut connotat temporale de futuro: primum est necessarium, secundum potest esse contingens respectu connotati.

DISTINCT. XXXIX.

TEXT.

SCire dupliciter dicitur, primò idem est, quod habere cognitionem de aliquo, & sic non connotat actualem existentiam cogniti. Secundo scire idem est quod nosse aliquid esse verum, & hoc tunc primò scitur esse verum, quando incipit esse: primo modo non potest incipere Deus aliquid scire, id est alicuius cognitionem incipere habere; secundo modo potest ratione connotati. Dub.4.

Cum dicitur Deus velle, duo includuntur, actus diuinæ voluntatis, & ordinatio ad illum actum; primus est necessarius, secundus est contingens. Dub.5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

COgnoſcere aliud eſt dupliciter, aut per aliud à ſe cognoſcente, aut per ſe; primo modo cognoſcens perfectionem habet aliunde, & eius intellectus eſt in potentia, & mutatur; ſecundo modo non, ſed potius cognitum recipit perfectionem à cognoſcente: primus modus conuenit creaturæ, ſecundus Deo.

Cognoſcere aliquid extra tripliciter contingit, aut per aliquid conceptum ad extra, & ſic pendet cognitio ab extrinſeco, & non conuenit Deo, aut quia aſpectus cognoſcentis deflectitur extra, vt in Angelo: aut quia illud quod eſt aliud, & diuerſum habet ortum ad intra, & ita quod eſt extra cognoſcitur per intrinſecum, & hoc modo cognoſcit Deus, videlicet per exemplar, quod eſt ipſe.

Duplex eſt eſſe rei in ſe, & in ſua cauſa, id eſt in proprio genere, & in exemplari, in quo repræſentatur, ſicut futura eſt in proprio genere, & talis cognoſcitur à Deo non aliter cognoſcente poſtquam facta eſt.

QVÆSTIO SECVNDA.

ESt notitia approbationis, quæ connotat complacentiam, & hac Deus ſolùm cognoſcit bona, & bonos: & eſt notitia ſimplicis notitiæ, & hac cognoſcit etiam omnia mala.

Melius dicitur vel ſimpliciter, vel huic: omnia ſcire ſimpliciter eſt melius, ſed non huic, quia ex cognitione accipit occaſionem peccandi.

QVÆSTIO TERTIA.

TRiplex eſt Dei cognitio, approbationis de iis, ad quæ ſe extendit beneplacitum, quæ poteſt eſſe plurium: intelligentiæ, qua cognoſcit omnia poſſibilia, & hæc non poteſt eſſe plurium; viſionis eorum, quæ ſunt, vel erunt, vel fuerunt: & poteſt eſſe plurium.

Simultas poteſt attendi dupliciter, aut quantum ad ſubſtantiam præſcitorum, & cognitionem, & ſic potuit ab æterno eſſe ſimul plurium: aut quantum ad rationem paucitatis, & pluralitatis, vt ſit ſenſus, quòd ſimul ſcit plura, & pauciora, quod eſt impoſſibile.

ARTIC. II. QVÆST. I.

ESt cognitio, quæ cauſatur à cognoſcibili, & hæc variatur ſecundum exiſtentiam cognoſcibilis, quantum ad rem, & modum: & eſt cognitio, quæ ſecundum rem idem eſt quod cognoſcens, & à cognoſcibili non pendet, & hæc non variatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVando quæritur, vtrum Deus ſciat res immutabilium, hæc denominatio vel attenditur penes actum ſciendi, vel eſſendi rerum: ſi primo modo, ſic verum eſt, quòd immutabiliter ſcit, quia circà eius actum non cadit tranſmutatio; ſecundo modo dicitur ſcire mutabiliter, quia nouit mutationem ipſarum, ſine mutatione cognitionis.

QVÆSTIO TERTIA.

COgnoſcere omnia præſenter dupliciter poteſt accipi, aut quòd notetur præſentialitas ex parte cognitorum: & ſic Deus non cognoſcit omnia præſenter; aut ita vt notetur præſentialitas ex parte cognoſcentis: & ſic cognoſcit omnia præſenter, quia habet ideas, per quas cognoſcit res, ac ſi præſentes eſſent: & eius cognitio eſt æterna, ſimplex, & infinita.

DISTINCT. XL.

TEXT.

PRædeſtinatio vno modo dicit præparationem boni, & ſic conuenit hominibus, & Angelis, & etiam Chriſto; alio modo dicit præparationem boni, & liberationem à malo; & ſic dicitur propoſitum miſerendi, & propriè eſt hominum. Dub.2.

In dictione Chriſti duo poſſunt attendi, videlicet prolatio, & aſſertio, illa ſimpliciter eſt præterita, & neceſſaria, & ex ea non ſequitur conſequens, verbi gratia ero ſimilis vobis mendax; ſecunda ſequitur illuſtrationem diuinæ præſcientiæ, & eſt certa, & infallibilis. Dub.6.

Prædeſtinatio claudit in ſe ſcientiam, beneplacitum voluntatis, & diſpoſitionem voluntatis, ratione primi dicit cauſam in genere formæ, ratione ſecundi in genere efficientis, ratione tertij in genere finis. Dub.7.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IN prædeſtinatione ſunt duo, ſignificatum principale, & connotatum: illud eſt diuina eſſentia, hoc verò eſt creatura, vt gratia, & gloria, quæ importantur ordine anteceſſionis vnius ad alteram; anteceſſio, & principale ſignificatum ſunt æterna.

Res, ſiue relatio in Deo poteſt ſignificari dupliciter, vel reſpectu exiſtentis in actu, vel reſpectu exiſtentis in potentia futuri aliquando in actu: reſpectu primi reſpondet verus reſpectus in actu creaturæ ad Deum, reſpectu ſecundi tantùm in potentia eſt reſpectus, & actu nihil ponit niſi Deum.

Eſt actio ſecundum rem, & eſt actio ſecundum modum: primæ, quæ eſt efficiens, reſpondet paſſio differens ſecundum rem; ſecundæ reſpondet paſſio differens ſecundum modum, vt cognitioni ipſum cognoſci; & quia prædeſtinatio importat præcognitionem, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè, ideo eſt quid æternum, & non aliud, quàm Deus.

Ordo alius eſt ſecundum nobilitatem, alius ſecundum durationem, primus ponit extrema ſimul, non ſecundus.

Tranſire extra eſt dupliciter, aut in aliquid, quod eſt extra; aut in aliquid, quod eſt intra, ſed exit extra. Primo modo connotat aliud in actu, & dicit quid temporale, vt creare; ſecundo modo non, vt prædeſtinare.

Cauſa efficiens alia eſt, quæ operatur ſecundum materiam præiacentem, & iſta non dicitur præparare, quando ſolùm vult, & diſponit intus, ſed quando materiam aptat exterius; alia, quæ nullo indiget ad operandum, ſed ſtatim cum vult operatur: & in tali præparatio non eſt aliud, quàm diſponere, vt Deus &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

ORdo eſt duplex, vnus diſpoſitio rerum in vniuerſo, & hic appropriatur ſcientiæ.

Digitized by Google

Alius directio in finem, & hic appropriatur bonitati, siue voluntati.

ARTIC. II. QVÆST. I.

PRædestinatio duo importat & rationem præscientiæ, & rationem causæ, hoc secundo modo non necessariò ponit effectum, quia non est causa per necessitatem, sed per voluntatem, nec tota causa, sed simul cum libero arbitrio: & ideo effectus est contingens; primo modo complectitur, & liberum arbitrium, & eius & non est nisi veri, & infallibilis, ideo non imponit necessitatem consequentis, sed consequentiæ, & non discordat à libero arbitrio, seu quod idem est, necessariò infert salutem, sed non necessariò causat.

QVÆSTIO SECVNDA.

CErtitudo alia est ex parte rei euenientis; & alia ex parte Dei præordinantis, primo modo non est maior certitudo in numero electorum, quàm aliorum futurorum contingentium, quia pendet effectus salutis à libero arbitrio. Secundo modo datur certitudo infallibilitatis, quia diuina præscientia non fallitur, & immutabilitatis, quia diuina dispositio non variatur.

Locus retributionis debetur vel secundum reputationem præsentis iustitiæ, vel secundum prædefinitionem præscientiæ.

ARTIC. III. QVÆST. I.

ELectio dicitur dupliciter, primò vt dicit dilectionem cum discretione solum; secundo vt dicit dilectionem cum discretione præcedente, & deliberatione, & inquisitione; primo modo est in Deo; secundo in creatura.

Voluntas alia est antecedens, qua vult Deus quantum in se est; alia consequens, qua vult cum præscientia nostræ salutis; secundum hanc duplex est dilectio, alia respondens voluntati antecedenti, qua diligit omnes, altera quæ respicit consequentem, qua diligit saluandos.

Alia est electio, qua separatur bonus à malo: alia qua separatur melior à minus bono: hæc secunda esset, si homo non peccasset, non prima.

Sicut dilectio est duplex, alia quæ oritur ex consideratione bonitatis, alia, quæ est principium bonitatis: sic electio est duplex, quædam quæ causatur à diuersitate, & præeminentia eligibilium, & hæc consequitur eligibilia, vt electio humana: quædam, quæ est ratio diuersitatis in eligendo, vt diuina, & hæc est dissimilium non quæ sunt, sed quæ futura sunt, & talis præcedit, & est æterna.

Præoptatio ratione dispositionis effectus potest esse dupliciter, aut per modum appropriationis, aut per modum dispositionis, & præordinationis; primo modo ponit effectum in actu; secundo ponit in potentia tantum: & sicut dispositio est æterna, ita & præoptatio, quæ est electio.

QVÆSTIO SECVNDA.

ELectio tripliciter dicitur, secundum affectionem dilectionis, secundum effectum finalis gratificationis, secundum statum prælationis: prima est æterna, & est eadem quòd prædestinatio: secunda est temporalis, & signum infallibile primæ: tertia item temporalis, sed nec signum, nec effectus primæ.

ARTIC. IV. QVÆSTIO I.

COr dicitur obdurari tripliciter, primò ex hoc quod est inhabile ad beneficium gratiæ susciendum, seu impressionem gratiæ; secundo quod est in peccato stabilitum, seu compactum ad amorem peccati, quæ est dispositio peccati præcedentis: tertiò rebelle, quo vult Deum, & eius mandata impugnare: & est speciale peccatum in Spiritum sanctum; & secundum has considerationes obduratio vel est pœna, vel culpa.

Pœna est triplex, inflicta, contracta, acta: prima est passio, & non repugnat gratiæ, vt fames, sitis: secunda est fomes inclinans ad malum, ideo secundum substantiam non est culpa, nec gratiæ repugnat, sed quantum ad inclinationem: tertia est sicut obduratio, & gratiæ expulsio; & hæc est pœna, & passio repugnans gratiæ, etiamsi contingat per propriam actionem.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. XLI.

Text.

ALiquod nomen importat purè æternum, vt Deus: aliquod verò importat æternum connotando temporale, vt præscientia: & hoc temporale vel est ens actu, vel potentia, seu futurum: & quia temporale non potest incipere esse non ens, siue esse futurum, antequam sit, sed potest definere esse non ens, cum cipit esse ens, & desinere esse futurum, cum incipit esse præsens; hinc est quòd præscientia Dei dicitur desinere respectu creati, sed nunquam incipere: & definit ratione temporalis non desinentis, sed incipientis: Sic cum dicitur Deus desinit præscire, non significatur, quòd aliquod ens desinat, sed quod incipiat. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IN prædestinatione tria intelliguntur, propositum æternum, temporalis gratificatio, æterna glorificatio; similiter in reprobatione æternum odium, temporalis obduratio æterna damnatio. Gloria, & pœna cadunt simpliciter sub merito. æternum non habet meritum eo ipso, quo æternum est. Obduratio cadit sub demerito. Gratificatio nec simpliciter sub merito, nec simpliciter extra, quia potest cadere sub meritum congrui, quantùm ad ipsum gratificandum: sub merito digni quantum ad virum sanctum, sub merito condigni, quantum ad neutrum: & hoc propriè est meritum.

Igitur meritum aliud est congrui, quando facit peccator quod in se est: aliud digni, quando iustus facit pro alio: aliud condigni, quando iustus operatur pro seipso, quia ad hoc ordinatur gratia de condigno.

Odium æternum duo dicit, & principale significatum, & connotatum. Deus neminem odit, quantùm ad affectum, sed quantùm ad effectum. Primum non est ex merito, sed secundum, odium enim est propositum puniendi.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVædam sunt opera, quæ exeunt à voluntate diuina cum alio ad hoc ordinato ordine

neceſſitatis, ſiue in cauſando, ſiue in merendo, vel diſponendo, vt pluere, & remunerare, ſiue damnare, & ſaluare, & habet rationem in generali, & ſpeciali: verbi gratia Deus vult pluere propter valetudinem hominum, & in hyeme, quia abundant vapores. Item voluit ſaluare Petrum, quia habuit merita, non Iudam, quia habuit demerita. Quædam item ſunt opera à diuina voluntate cum alio ordinato ordine congruitatis, vt eſt noſtra gratificatio, vel iuſtificatio: & reſpectu horum habet rationem in generali miſericordiæ, & iuſtitiæ & in ſpeciali, ſed ignotæ, cur hunc, & non illum ob humilitatem noſtram.

ARTIC. II. QVÆST. I.

COgnoſcere res per modum complexionis poteſt intelligi tripliciter: aut enim modus complexionis cadit circa rem, & eſt ſenſus, Deus cognoſcit res exiſtere, vel ſe habere per modum complexionis, & hoc eſt verum, cognoſcit enim res, vt ſunt; aut modus complexionis cadit circa rem, vt eſt expreſſa per intellectum noſtrum: & eſt ſenſus, quòd Deus cognoſcit res, non tantùm vt ſunt, ſed vt exprimuntur ab intellectu: & hoc verum eſt; aut modus complexionis cadit circa intellectum diuinum: & falſum eſt, quia intelligit multa ſimplici modo; vnde intelligere multa per modum complexionis, nec eſt omnino virtutis, nec imperfectionis: & ſic non punitur in cognito infima, vt ſenſitiua, nec in cognitione ſupremæ, vt diuina.

Complexio poteſt comparari ad intellectum dupliciter, vel vt ad ſubiectum, vel vt ad cauſam, primo modo non conuenit Deo, ſed ſecundo, quia non eſt in noſtro, niſi cooperante diuino.

QVÆSTIO SECVNDA.

SCire dicitur dupliciter, primò vt reflectitur in ſe, & eſt ſenſus, iſte ſcit hoc, id eſt habet cognitionem de hoc, & ſic nihil connotat à parte ſciti actuale, nec veritatem, nec præſcientiam. Secundo ſcire dicitur ſecundum quod eſt verbum propheticum, & ſic tranſit in actum extra, & connotat veritatem in obiecto, & tunc ſcire aliquod enunciabile idem eſt ac ſcire ipſum eſſe verum; ſic ſcio te ſedere, ſignificat, non tantum habeo cognitionem de hoc, ſed ſcio eſſe verum. Primo modo conuenit Deo habenti cognitionem de omni eo quod eſt, & poteſt eſſe. Secundo modo vt connotat veritatem circa enunciabile, ſcit, illud quod ſciuit, & modo non ſcit, facta ſolùm mutatione in connotato.

DISTINCT. XLII.

Text.

IVſtitia dicitur dupliciter; primò idem eſt quod exigentia meritorum: & ſic diuiditur contra miſericordiam; Secundò dicit condecentiam bonitatis: & ſic comprehendit miſericordiam, & iuſtitiam propriè dictam. Dub. 1.

Quadruplex eſt potentia, & quadruplex actus, viuificatiua, cuius actus eſt viuere; cognitiua, cuius actus eſt nolle; affectiua, cuius actus eſt velle; quarta operatiua, cuius actus eſt agere. Dub. 3.

Poſſibile conſideratur dupliciter, primò amplè, & generaliter tam à potentia actiua, quàm defectiua: ſecundò ſtrictius & propriè à potentia, quæ ſecundum reſn, & modum eſt potentia, & non comprehendit malum; ſic Deus dicitur omnipotens. Dub. 4.

Naturale dicitur dupliciter; primò quod habetur à natura, & eſt conſonum naturæ, vt ſunt potentiæ naturales; ſecundo quod ineſt per propriam naturam, & non haberur, nec conſeruatur ab alio: & ſic ſola virtus diuina eſt naturalis. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

POſſe aliud, ſiue in a[illegible]ſe dicitur dupliciter, aut ſicut in diſtinctum ſecundum eſſentiam, & remotum ſecundum diſtantiam, & hoc eſt per egreſſum potentiæ à ſubſtantia, & cum dependentia à ſubſtantia in quam agit, quod dicit imperfectionem, & non conuenit Deo. Secundò in aliud tanquam in diuiſum ſecundum eſſentiam, non tamen in remotum, & ſecundum aliquam diſtantiam; & hoc non ponit dependentiam, vel diſtantiam, & conuenit Deo intimè præſenti cuilibet creaturæ, &c.

Potentia agens in aliud eſt duplex: altera quæ eſt ſuus actus, quæ nihil plus habet, quando agit, quàm quando non agit in aliud: & hæc nullo indiget; altera, quæ agit per actum à ſe diſtinctum, & hæc plus habet quando agit, quàm quando non agit, & habet indigentiam aliquo modo, talis eſt creata.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVædam ſunt quæ poſſe eſt potentiæ ſimpliciter, & perfectè, vt poſſe intelligere; & hæc poteſt Deus in ſe, & per ſe. Quædam quæ poſſe eſt potentiæ, tamen imperfectæ, vt currere, ambulare, &c. & hæc poteſt Deus per ſe ſecundum id quod eſt perfectionis, non in ſe propter id quod eſt imperfectionis, dicunt enim paſſionem. Quædam quæ poſſe ſimpliciter eſt impotentiæ, vt peccare, deficere, &c. & hæc non poteſt Deus nec in ſe, nec per ſe, quia eſt impotentiæ iſta poſſe, & defectus.

Potentia alia eſt omnino ſufficiens, & actiua, vt potentia producendi res; alia purè paſſiua, vt potentia ſuſcipiendi; alia defectiua, vt potentia peccandi; alia partim actiua, partim paſſiua, vt potentia ambulandi; alia partim actiua, partim defectiua, vt potentia ſuſcipiendi pœnam; alia partim paſſiua, partim defectiua, vt potentia moriendi. Harum nulla eſt in Deo, prima excepta, quia minuunt de ratione potentiæ.

QVÆSTIO TERTIA.

ALiquid dicitur impoſſibile quadrupliciter, primò per limitationem naturalis potentiæ, vt virginitatem parare; ſecundò per limitationem noſtræ intelligentiæ, vt duo corpora eſſe in eodem loco, vel vnum in diuerſis; tertiò per priuationem omnis exiſtentiæ ſecundum omnem comparationem principij, medij, vltimi, vt præteritum non fuiſſe præteritum; quartò ſecundum illuſtrationem veritatis æternæ, vt duo & tria non eſſe quinque. Duo prima ſunt poſſibilia Deo. Ad tertium non eſt potentia, quia de non ente

facere non ens implicat, quia faciendo nihil faceret, nam non fuiſſe nihil eſt, neque quicquam deſtrueret, quia fuiſſe non dicit aliquid eſſe quod deſtruatur. Hoc igitur poſſe eſt nihil poſſe. Neque ad quartum eſt potentia, quia illud poſſe eſt inordinatè contra ordinem diuinæ potentiæ.

Ordo naturæ vel eſt ſpecialis, qui attenditur ſecundum potentiam naturæ ſpecialis; vel generalis, qui attenditur ſecundum potentiam obedientialem, quæ eſt generalis; contra primum datur potentia, non contra ſecundum.

QVÆSTIO QVARTA.

POſſibile ſimpliciter poteſt dicere potentiam præſentem, vel futuram, verbi gratia, homo poteſt currere, poteſt dici de homine futuro, & de præſenti; de præterito attendi poteſt vel ſecundum cauſas ſuperiores, vel inferiores.

Duplex eſt potentia in re, actiua, & eſt principium tranſmutandi aliud; paſſiua, & eſt principium tranſmutandi ab alio, in quantum alio; hæc ſolùm eſt in creatura, prima eſt etiam in Deo.

Potentia paſſiua in generali alia eſt propinqua actui, alia remota ab actu.

Potentia paſſiua in ſpeciali eſt triplex; quædam poteſt reduci ad actum à potentia inferiore, cooperante tamen ſuperiore; quædam quæ poteſt reduci ad actum à ſuperiore, conſonante inferiore; tertia quæ poteſt reduci ad actum à ſuperiore deficiente inferiore, non autem conſonante: exemplum ſecundæ iuſtificatio impij conſentiente arbitrio: exemplum tertiæ, reſuſcitatio mortui, ſeu potentia reſuſcitandi.

DISTINCT. XLIII.

Text.

HIc videtur ſentire, quod Traianus reſuſcitatus fuerit.

ARTIC I. QVÆST. I.

DVpliciter loquimur de potentia, & ſcientia, vel in ſe, vel in comparatione ad obiectum; primo modo vna non excedit aliam, quia quidquid ſit, poteſt ſcire, & quidquid poteſt ſcit ſe poſſe: ſecundo modo adhuc dupliciter, aut ſecundum formam, ſiue ſpeciem, aut ſecundum numerum; ſi ſecundum numerum, cum potentia poſſit infinita, non excedit à ſcientia: ſi ſecundum formam, ſic quia potentia eſt reſpectu bonorum tantum, ſcientia etiam malorum, ideo excedit, ſed poſſe mala non eſt poſſe, ſed non poſſe, &c.

Infinitum aliud eſt per priuationem completionis, ſiue completi eſſe, aliud per priuationem limitationis; primum conuenit materiæ, quæ eſt potentia receptiua; ſecundum Deo, qui eſt actus primus.

QVÆSTIO II.

INfinitum dicitur dupliciter à parte negationis, & à parte finis, quia dicitur per abnegationem finis, qui etiam dupliciter dicitur, primò quod eſt complementum: & ſic infinitum dicitur per priuationem complementi, vt in materia, & in generibus; ſecundò dicitur terminus: & ſic infinitum quod caret termino, vel priuatiuè, quia caret, & natum eſt habere; vel negatiuè, quia nec habet, nec natum eſt habere, & hoc conuenit Deo.

Aliquid comparatur ad multa dupliciter, vel ſecundum comparationem cauſalitatis, vel ſecundum comparationem identitatis. Sic potentia Dei comparatur ad multa vt cauſa, & eſſentia, quia in multis; ſecundo autem modo non comparatur.

QVÆSTIO TERTIA.

INfinitum aliud eſt in potentia, aliud actu: primum Deus poteſt facere, ſecundum eſt impoſſibile.

Opus aliud eſt operans, vt creare; aliud operatum, vt creatura: primum eſt infinitum, ſicut ipſe creator; ſecundum eſt finitum.

Agens ex tota potentia quoddam eſt quod agit per naturam, & hoc agit quantum poteſt: aliud agit per deliberationem, & hoc agit quantum vult.

Diuina potentia dicitur infinita tripliciter; durationis æternitate, virtutis immenſitate, & effectuum generalitate, ſiue immenſitate; prima manifeſtatur per infinitum duratione, quod eſt actu finitum, infinitum potentia; ſecunda per creationem de nihilo, vbi eſt diſtantia infinita propter omnimodam improportionem; tertia manifeſtatur partim per potentiam, partim per priuationem, quia non tot fecit, quin poſſit plura.

Poſſibile per potentiam finitam poteſt poni actu poſſibile: per potentiam infinitam non poteſt poni, quia ſemper eſt in reducendo, & nunquam in reductum eſſe.

QVÆSTIO QVARTA.

ACtus potentiæ duplex eſt, vnus per modum habitus, ſcilicet poſſe; alter per modum actus, ſcilicet operari; hic eſt actus primus & actus ſecundus. Sic etiam eſt duplex ratio operandi diuinæ potentiæ, habitualis, & actualis; prima eſt diuina ſcientia, & condecentia diuinæ bonitatis, & ſe extendit ad infinita; ſecunda eſt diuina diſpoſitio, ſiue præſcientia, & meritorum exigentia, & hæc eſt finitorum, quia nunquam creabuntur infinita.

DISTINCT. XLIV.

Text.

MElius dicitur dupliciter; aut ſimpliciter, aut in ordine ad finem; primo modo melior eſt homo confirmatus in gratia, quàm potens labi; ſecundo modo melior eſt cum libertate peccandi: primum melius eſt ſimpliciter, hoc verò ſecundum quid. Dub. 1.

De Chriſto Domino tripliciter loqui poſſumus, aut quantum ad vnionem, aut quantum ad gratiam ſingularis perſonæ, aut quantum ad proprietatem naturæ; ratione primi non poteſt Deus plus dare, nec creatura accipere, quia ex parte vnius extremi eſt dignitas infinita; ratione ſecundi potuit Deus plus dare, ſed rationalis creatura non potuit plus accipere, non quia capacitas

animæ à gratia minuatur, sed quia consumatur, & compleatur; ratione tertij potuit Deus plus dare, & creatura recipere, quantùm ad ea, quæ sunt corporis, quia nunc plura habet, quàm quando factum est, sed non congruentius fini, & saluti nostræ, quam decuit per corpus passibile reparari. Dub. 3.

De Beata Virgine loqui possumus tripliciter, quantum ad gratiam Conceptionis, quantum ad gratiam iustificationis, quantum ad naturam corporis; ratione primi non plus habere potuit, quia concepit Filium Dei; ratione secundi tantam habuit gratiam, quantam recipere potest pura creatura; ratione tertij habuit prima naturalia, secundum quod fini competens fuit, simpliciter tamen potuit meliora recipere. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

EXcessus bonitatis substantialis in rebus potest attendi dupliciter, aut quantum ad essentiæ nobilitatem, & gradus, secundum quod dicitur species hominis melior, quàm asini: aut quantum ad esse, prout concernit additionem, siue augmentum; sic marca auri dicitur melior quam vncia, quia plus habet de substantia auri; ratione primi non potuit hic mundus fieri melior, quia fuisset alius mundus; ratione secundi potuisset, & esset idem mundus, & non alius, sicut esset idem homo, qui ex paruo fieret maior, etiam gigas.

Prope Deum accipitur dupliciter, vel quantum ad immediatam receptionem, & conuersionem in Deum, vel quantum ad summam imitationem, & assimilationem; primo modo natura Angelica est prope Deum; secundo modo non nisi comparatiuè, quia est magis dissimilis, quàm similis.

QVÆSTIO SECVNDA.

PArtes vniuersi aut sunt manentes, vt natura intellectualis cælestis, elementaris; aut transeuntes; primæ sunt de integritate; quare si mundus esset sine terra, non esset completus, & istæ post Iudicij diem fient meliores; secundæ non sunt de integritate, quoad individua generabilia, & corruptibilia, nisi per accidens, quoad speciem sunt de integritate: ideo post iudicium vniuersum non erit perfectum quoad integritatem, primæ possunt fieri meliores, quantùm ad proprietates accidentales, secundæ etiam tam quoad proprietates naturales, quàm morales; primæ tamen consideratæ in relatione ad inuicem, vel ad finem non possunt fieri meliores.

Agens ex tota potentia aliud agit secundum impetum, & facit quanto melius potest, aliud secundum artem, & sapientiam, & agit quantum vult, & quantum congruit: sic duplex est diffusio boni, vna naturalis in productione personarum, altera ex proprietate in productione creaturarum.

QVÆSTIO TERTIA.

ALius est ordo partium in toto, alius est ordo partium in fine, primus respicit sapientiam, secundus bonitatem, & sunt isti duo ordines ita coniuncti, vt vnus alteri conformetur. Ordo partium primarum, & substantialium non potuit esse melior: corruptibilium in ordine ad finem non potuit melius, absolutè potuit, & aliquando erunt melius ordinatæ. Exempla sunt in corpore humano, in cythara, in carmine; oculus, & pes non possunt melius ordinari, nec cordæ cytharæ, nec dictiones carminis, &c. ita Angelus in cælo, vermis in terra, &c.

QVÆSTIO QVARTA.

CVm quæritur, an mundus potuerit esse antiquior, duplex est sensus, an potuerit ab æterno, aut quod longiori tempore durauerit, sed finito. Primum est impossibile, quia ex hoc quod fit habet principium: æternum autem non habet principium; secundum est possibile in hoc sensu, quòd potuisset Deus creare tempus, & expectare quantum voluisset creare mundum, sicut potuisset creare locum, & maiorem mundum in eo ponere.

ARTIC. II. QVÆST. VNIC.

DISTINCT. XLV.

Text.

VElle vno modo dicit complacentiam, & sic Deus volendo se vult omnia, quia omnia placent ei, quæ ab ipso, & ad ipsum sunt; alio modo dicit causam; & hoc modo non vult omnia, quæ potest.

Effectus vel comparantur ad causam supremam, & nullus est casualis, vel fortuitus; vel ad causam secundam, & sic sunt casuales, & fortuiti multi, quia eueniunt præter intentionem.

ARTIC. I. II. III. QVÆST. I.

VOluntas Dei communiter diuiditur in voluntatem signi, & beneplaciti.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. XLVI.

Text.

COoperari in bonum alicui potest esse tripliciter; vel adiuuando, vt gratia cooperatur libero arbitrio, aut vice versa; vel excitando, vt paupertas excitat ad amorem Dei, vel obsistendo, vt aqua calida facilius congelatur, quia dum resistit, vigoratur actio contrarij; sic malum dicitur cooperari, vel quia facit, vt homo magis exeitetur ad bonum, vel quia dum homo prævalet illi, vigoratur virtus gratiæ, & feruescit. Dub. 3.

Sapientia dicitur primò cognitio vera: secundò cognitio per altissimas causas: tertiò præterea sapida: quartò religio diuina, siue cultus, secundum quosdam, quòd pietas ipsa est sapientia. Dub. 5.

Tria considerantur in homine iusto, esse naturæ, ordinabilitas, gratia: malum corrumpit ordinabilitatem, & elongat à gratia. Dub. 7.

Aliquid dicitur à Spiritu sancto illuminante intellectum, & etiam mouente affectum, & illud est verum, & bonum: & aliquid dicitur à Spiritu Sancto mouente affectum, sed non illuminante intellectum, sicut dicit Apostolus, si

Digitized by Google

iturum ad Hiſpanos, falſum enim dixit, ſed in dicendo meruit, quia mouebatur à charitate ad hoc dicendum; & aliquid poteſt eſſe à Spiritu ſancto illuminante intellectum, & non rectificante affectum.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

NOn velle dicitur dupliciter, aut negatiuè, aut priuatiuè; primo modo non dicitur Deus velle malum, quia poſſibile eſt, ſicut neque alium modum, qui poſſibilis eſt: ſecundo modo non explicat.

Aliquid dicitur iuſtum dupliciter, in ſe, & ex ordine; primum eſt à Deo volitum, ſecundum eſt volitum ſecundum quod ordinatum: & malum non eſt volitum ſecundum quod malum, ſed ſecundum quod ponit, & ita ſecundum quod ordinatum, non autem in ſe.

Velle eſt dupliciter, voluntate antecedente, & conſequente; volens primo modo vult annexa volito, non autem ſecundo modo, poteſt enim ex malo, quod diſplicet, elicere bonum quod placet.

Velle aliquid ſine alio ſtat dupliciter, vel quia vnum placet, aliud diſplicet, vt volo ſurgere qui cecidit, non quia velim cecidiſſe, non tamen volo ſurgere, ita quod non ceciderit; vel quia vult aliquid ſine illo eſſe, & eſt velle impoſſibile, vt eſſe Epiſcopus, & non ſacerdos; primo modo Deus vult probare Sanctos per peccata Tyrannorum, & non ſine illis, ſed non vult peccata.

QVÆSTIO TERTIA.

DVcere ad bonum tripliciter contingit, per modum cauſæ, per modum caſus, per modum occaſionis; cauſa ducit per ſe circa illud, quod ponitur, quod eſt procedens, & intendens, caſus priuat intentionem, ſed non operationem, vt in fodiente, qui theſaurum inuenit, occaſio priuat vtrumque, non enim dicit principium efficiens, ſed potius aliquid, quod principium afficiat, vt efficiat, vt verbum prolatum, ex quo ſumit alter occaſionem percutiendi.

Occaſio dupliciter contingit, quædam enim habet rationem actiui quodam modo, quia excitat, vt malum exemplum; quædam habet potius rationem paſſiui, vt quando ex malo exemplo quis excitat ſe ad bonum faciendum.

Duplex eſt vſus rei, vnus ad quem res de ſe ordinatur, vt equus ad equitandum: alius eſt vſus, qui eſt aliquando, & ex poſtfacto, & iſte poteſt eſſe bonus ex bonitate vtentis, quomodo Deus vtitur bene malis.

Iuſtum dicitur dupliciter, iuſtè ordinatum per iuſtitiam, quæ eſt in ipſo, & declaratiuum iuſtitiæ: primum bonum eſt, quia intra ſe habet iuſtitiam: ſecundum poteſt eſſe malum, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcit adhuc, vtrumque malum.

QVÆST. IV. V.

SIcut ſanum dicitur aliquid tripliciter, aut ſubiectiuè, vt animal; aut diſpoſitiuè, vt medicina; aut oſtenſiuè, vt vrina; Sic ordinatum dicitur aliquid tripliciter, aut ſicut ordinis ſuſceptiuum, aut ſicut diſpoſitiuum, aut ſicut oſtenſiuum; primo modo non eſt aliquid ordinabile, niſi quod eſt ens, & natura aliqua, & ita malum non eſt ordinabile niſi per accidens, ratione ſubſtracti: ſecundo modo malum eſt ordinabile, ſed non ſicut diſponens, ſed ſicut priuans, malum autem priuat ordinem, & ſpecialis naturæ, & hoc priuando incurrit ordinem iuſtitiæ, vnde eſt ordinabile, vt oſtenſiuum diuinæ iuſtitiæ, quæ attenditur penes præmia, vt pœnas, iuxta exigentiam meritorum: præter quam quod manifeſtat etiam ordinem bonorum per oppoſita, quæ iuxta ſe poſita magis eluceſcunt; & ſic ex vitio clarior fit virtus.

Aliquid ſubeſſe potentiæ diuinæ dicitur dupliciter, aut ſicut producenti, aut ſicut prouidenti: primo modo non ſubeſt malum potentiæ diuinæ: ſed ſecundo.

QVÆSTIO SEXTA.

DEcor vniuerſitatis quidam eſt ſubſtantialis, ſiue quantum ad eſſe; quidam accidentalis, ſiue quantum ad bene eſſe; ad primum non pertinent mala nec per ſe, nec per accidens: ad ſecundum pertinent, non quia mala, ſed quia bene ordinata; & ita per accidens, ſicut per accidens ordinantur ratione ſubiecti, quod ordinatur in pœnam ad diuinæ iuſtitiæ oſtenſionem, vel ratione oppoſiti, cuius decor magis clareſcit ex præſentia mali.

DISTINCT. XLVII.

TEXT.

QVædam præcipit Deus ad faciendum, vt præcepta moralia: quædam ad probandum, vt immolationem Iſaac: quædam ad erudiendum.

ARTIC. I. QVÆST. I.

VOluntas beneplaciti eſt duplex, antecedens ſiue conditionalis, qua vult quantum in ſe eſt omnium ſalutem: & abſoluta, ſiue conſequens, qua vult aliquid, quod nouit certitudinaliter euenire; primam non eſt neceſſe impleri: ſed ſecundam, neceſſitate tamen conſequentiæ, non conſequentis, vt ſupra, cum de præſcientia, connotat enim effectum; neceſſariò enim ſequitur, Deus præſcit, ergo erit; voluntas autem antecedens non connotat effectum, ſed illud, quod eſt ordinabile ad euentum, puta naturam, per quam poſſit peruenire ad ſalutem, & auxilia ad hoc parata: vnde nec ipſa caſſatur, quia habet quod abſolutè vult.

Quando dicitur, quod Deus poteſt velle contrarium ſuæ voluntatis, intelligitur dupliciter, aut voluntate mouente ad contrarium, & ſic notatur repugnantia voluntatis ad potentiam: & hoc eſt impoſſibile: aut voluntate non mouente: & ſic notatur, quod voluntas liberè poteſt, quia ita poteſt hoc, vt etiam oppoſitum poſſit velle ſine ſui mutatione: & verum eſt.

QVÆSTIO SECVNDA.

SIgna diuinæ voluntatis quædam ſunt reſpectu præſentis, vt impletio, & petmiſſio; quædam reſpectu futuri, vt præceptio, conſilium, prohibitio; reſpectu primorum voluntas ſigni non poteſt impediri, quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe, 1. Perih. c. 6. reſpectu ſecundorum poteſt impediri, quia futura poſſunt non fieri: prima eſt abſoluta, ſecunda voluntas eſt conditionalis, & antecedens.

Poſſe

Digitized by Google

Posse facere contra signum voluntatis est dupliciter, aut enim est contra voluntatem, & sic denotat impotentiam voluntatis: aut est à voluntate, cuius est signum; & sic denotat potentiam. Et quia Deus vult, quòd vnusquisque habeat libertatem faciendi quod vult, ideo posse contra signum voluntatis eius nullam dicit in eo impotentiam.

Permissio multipliciter accipitur in Scriptura: primò pro non cohibitione: sic permittit Deus mala: & sic est signum voluntatis diuinæ distinctum à præcepto. Secundò pro non punitione: sic dicitur libellus repudij permitti, Mat. 19. Tertiò pro non prohibitione, Irascimini, & nolite peccare, Psal. 4. Quartò permittere est minus bonum indulgere; Hoc autem dico secundum indulgentiam 1. Corinth. 7.

QVÆSTIO TERTIA.

DVplex est ordo rerum, vnus in vniuerso, alter in finem; vterque exigit, quòd Deus permittat mala: primus, quia ad perfectionem vniuersitatis necesse fuit fieri creaturam liberam, & peccare potentem, & ad vniuersitatis administrationem pertinet, vt Deus sinat creaturas agere proprio motu, vt August. de Ciuit. lib. 7. cap. 30. & proinde permittere peccare. Secundus item ordo exigit, nam finis in vniuerso alius est electorum, alius diuina laus; primus elucet in hoc, quòd electi redduntur gloriosiores permissione malorum, quibus exercentur; laus autem diuina summè manifestatur ob miseridiam erga electos, ob iustitiam in reproborum punitione, in filij vnigeniti donatione pro inimicis secundum tempus.

Permittere malum est dupliciter, aut non cohibendo manum, vel animum, nec in facto, nec in retributione, & sic est consentire; vel non cohibendo manum, sed tamen puniendo transgressorem, & arguendo continuè: & sic non consentit: & hoc modo Deus permittit.

QVÆSTIO QVARTA.

CVm quæritur, an Deus possit præcipere malum, dupliciter intelligitur, aut malum manens malum: & hoc est impossibile; aut ita quòd præcipiendo faciat bonum: & hoc aliquo modo est impossibile, licet non omninò: est enim malum in se, & hoc fieri potest bene: est etiam malum secundum se, & nullo modo fieri potest bene: imò intelligere, quòd fiat bene est intelligere, quòd idem sit bonum, & malum; potest ergo Deus præcipere malum in se, & ex præcepto fit bonum, non autem malum secundum se. Sic. D. Bern. lib. de dispos. & præcept. habet, quòd Deus potest dispensare in præceptis secundæ tabulæ, non primæ, quia huius opposita sunt mala secundum se; ipsa enim præcepta dicunt ordinationem in Deum, siue in finem de sua ratione, & opposita dicunt deordinationem, & ideo Deus præciperet contra se, quod non potest: & idem esset bonum, quia præcipitur, & malum quia contra Deum; in præceptis autem secundæ tabulæ præcipitur ordinatio ad proximum, & prohibetur deordinatio: hæc autem, nisi sit contra Deum, est malum in se, quod per præceptum fieri potest bonum, nec mandarentur tunc opposita, quia mandatum speciale absoluit à spe communi, sicut priuilegium speciale, &c. Sic præcepit filiis Israël, vt acciperent vasa ab Ægyptiis.

DISTINCT. XLVIII.

TEXT.

IN æterna damnatione sunt duo, pœnæ inflictio, & æterna à Deo separatio; primam debet velle, cui facta esset reuelatio de damnatione; secundam nequaquam; debet enim quilibet velle vt peccans finaliter damnetur æternaliter, id est puniatur.

Regula generalis est, quod in omnibus, quæ scimus Deum velle absolutè, tenemur absoluta voluntate velle: licet tamen velle contrarium conditionata. Dub. 1.

Christum pati vel accipitur in comparatione ad ipsum sustinentem pœnam, & sic bonum est; vel in comparatione ad inferentes, & sic malum est. Dub. 2.

Dolere de aliquo est dupliciter, aut ita quod dolens voluntate rationis absoluta velit contrarium eius, de quo dolet: & sic nulli licuit dolere de passione Christi; aut dolere est ferri in contrarium voluntate pietatis, cum qua stat voluntas absoluta eiusdem: sic bonum est Christo condolere, & piè affici erga ipsum. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ALiquid conformatur alicui vel similitudine, vel habitudine: similitudine tripliciter, aut conuenientia in tertio, vt ignis, & nix in albedine; aut quia vnum est similitudo alterius, vt species, & idolum; aut quia participat similitudinem, vt speculum, & oculus ob similitudinem obiecti conformatur ipsi. Primo modo nulla creatura assimilatur Deo; secundo modo gratia, & gloria, non similitudo aliqua eius; tertio modo assimilatur anima habens gratiam, & gloriam. Alio modo contingit conformari aliquid alicui, secundum similem habitudinem, siue comparationem, quæ potest dici proportio inter res eiusdem generis, & secundum hanc potest voluntas nostra conformari diuinæ, vt quod Deus velit homo, & eodem fine, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex est proportio voluntatis, videlicet ad actum, & ad volitum: prima consistit in hoc, quod sicut Deus quod vult, ex caritate vult, siue iustè, & ex recto fine, sic etiam homo velit: Secunda consistit in hoc, vt quod Deus vult, etiam homo velit; perfecta conformitas consistit in vtroque.

ARTIC. II. QVÆST. I.

NVllus est adeo obstinatus, qui non possit redire ad cor, ad vltimum. Deus nullum deserit in hac vita.

QVÆSTIO SECVNDA.

ALiquid ostendit Deus se velle absolutè, & quantum in se est, vt bona naturæ, & moralia: secundò ostendit se velle voluntate

abſoluta, ſed quantum in ſe eſt vellet oppoſitum, vt pœnas inferni peccato debitas; tertiò oſtendit ſe velle quantum in ſe eſt aliquid, in quo ſubſtantialiter conſiſtit ordo ſalutis, cuiuſmodi ſunt præcepta, & prohibitiones: & ad volendum talia omnes abſolutè tenentur. Quarto modo oſtendit ſe Deus aliquid velle, quantum in ſe eſt vt expediens ad ſalutem, vt ſunt conſilia, & ad talia non obligat.

Secundum Hugonem in nobis eſt triplex voluntas, rationis, pietatis, & carnis; prima reſpicit Deum; ſecunda reſpicit temporalia, in quantum conuenientia ſunt; tertia eſt ſenſibilium, quia appetitus ſenſitiuus eſt. In Chriſto addit quartum, qui eſt appetitus rationis increatæ, & vocatur ab ipſo voluntas deitatis, & hæc ſententiam per iuſtitiam dictabat; voluntas rationis per obedientiam veritatem approbabat; voluntas pietatis per compaſſionem in malo ſuſpirabat; voluntas carnis per paſſionem in malo proprio murmurabat, id eſt naturaliter dolebat; ſic ille.

Hîc terminat primum ſententiarum laudibus Beatæ Virginis Seraph. deuotiſſimus, quarum nullus eſt terminus, mater enim Dei eſt ſuper omnia. 7. Cal. Maias an. 1635.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti

DISTINCTIONES EX SECVNDO LIBRO SENTENTIARVM S. BONAVENTVRÆ.

DISTINCT. I.

Text.

PRÆPOSITIO, In, cum ſuo caſu poteſt accipi tripliciter: primò dicit purum ordinem, ſic facere in principio eſt facere ante omnia, vel aliqua, itaut connotet priuationem reſpectu alicuius temporalis prioris, & præpoſitionem poſterioris; ſecundò importare poteſt habitudinem menſuræ: & tunc in principio idem eſt, quod in primo inſtanti temporis; tertiò importare poteſt habitudinem cauſæ: & ſenſus eſt principio, id eſt in filio dicitur creaſſe, vt notetur non tantum cauſa efficiens, ſed etiam exemplaris. Dub. 2.

Tempus dicitur tripliciter, communiſſimè, communiter, & propriè; primo modo dicitur menſura exitus de non eſſe ad eſſe; ſecundo menſura cuiuſlibet mutationis, maximè illius, quæ fuit ante primum mobile; tertiò dicitur menſura motus primi mobilis; primo modo conditum eſt ſæculum in tempore. Dub. 4.

Sicut duplex eſt malum, pœnæ, & culpæ, ita duplex eſt nocumentum, pœnæ, & culpæ. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ESt agens per naturam, & producit per formas, quæ ſunt verè naturæ; & eſt agens per intellectum, & producit per formas, quæ non ſunt aliquid rei, ſed ideæ in mente, vt artifex producit aream; ſic Deus produxit res per ideas æternas, quæ ſunt Deus, vt etiam nouit Plato ſecundum Auguſtinum.

Aliud eſt agere, aliud facere. Illud in quid agat, non quid agat exigit: hoc vice verſa.

Cum dicitur ex nihilo aliquid fieri, vel intelligitur materialiter, vel cauſaliter, vel ordinaliter. Primis duobus modis ex nihilo nihil fit; tertio modo verum eſt tantùm naturaliter; nam ſupernaturaliter ex nihilo erat Deus per virtutem infinitam non indigentem materia.

Hîc adhæret ſententiæ neganti creationem eſſe quid medium inter Deum, & creaturam.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE tempore loquimur vel ſecundum eſſentiam, vel ſecundum eſſe: primo modo nunc eſt tota eſſentia corporis, & illud primum nunc cœpit cum re mobili, non in alio nunc, ſed in ſeipſo, quia ſtatus eſt in primis, vnde non habuit aliam menſuram: ſecundo modo cœpit cum motu variationis, nec cœpit per creationem,

ſed potius per ipſorum mutabilium mutationem, & maximè primi mobilis.

Cauſa ſufficiens ad aliquid eſt dupliciter, aut operans per naturam, aut per voluntatem, & rationem; ſi per naturam, ſtatim cum eſt, producit; non item ſi per voluntatem, operatur enim ſecundum ſapientiam, & congruenter; non autem congruebat creaturæ æternitas, quæ eſt Dei propria, & non conueniens creaturæ.

Cauſa dupliciter poteſt eſſe in actu, aut in ſe, aut in effectu; primo modo Deus ſemper fuit cauſa; ſecundo modo non, quia non ſemper fuit producens.

Quoddam eſt agens, cuius actio addit aliquid ſupra ipſum, & tale variatur aliquo modo: aliud verò quod eſt ſua actio, & tale nihil aduenit, cum operatur, talis eſt Deus.

ARTIC. II. QVÆST. I.

MVndus dupliciter accipitur in Scriptura, pro mundana conuerſatione, quæ vana eſt, & immunda, & pro mundana creatura à Deo producta. Gen. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Caro aliquando accipitur pro natura, 5. Epheſ. nemo carnem ſuam odio habet; aliàs pro vitio, & corruptione; primo modo non contrariatur ſpiritui, ſed ſecundo.

Agens aliud agit ſeipſo, aliud agit per quid diſtinctum à ſe; primum non variatur producendo diuerſa, ſecundum variatur, &c. Deus agit primo modo.

QVÆST. II. ART. III. QVÆST. I.

PRoductio alia eſt, in qua productum ſe habet aliter nunc, & prius, quia ſecundum aliquid ſui fuit prius ſub vna diſpoſitione, & nunc eſt ſub alia: & talis eſt, quæ fit ex materiali principio, vt naturalis generatio. Alia eſt, in qua productum ſe habet aliquo modo nunc, & nullo modo prius, vt quæ ex nihilo. Tertia, in qua productum ſe habet omnino nunc, & prius, (ſi tamen eſt ibi dicere prius) vt filij generatio ab æterno, proceſſit enim ab æterno, vt nunc eſt. Prima habet rationem motus, & mutationis, motus productionis, ratione præparationis materiæ per diſpoſitiones accidentales, quæ indiget ſucceſſione, & tempore mutationis ratione exitus in eſſe, ſiue receptionis formæ ſubſtantialis, quæ fit in inſtanti; productionis, quia formam habet à principio effectiuo, non à ſe. Secunda caret ratione motus, ſed habet rationem mutationis, & productionis, cum enim careat materia, nulla poteſt præire diſpoſitio; & ſic neque motus; ſed quia eſt ibi ſubita formæ inductio, habet rationem mutationis, & productionis, quia ab alio principio effectiuo. Tertia habet tantum rationem productionis, quia neque ex materiali principio, neque ex nihilo eſt, ſed habet æternum principium.

QVÆSTIO TERTIA.

CReatio accipitur vel vt actio, vel vt paſſio; ſi vt actio, non eſt medium ſecundum rem inter creatorem, & creaturam, ſed ſolùm ſecundum rationem intelligendi, eo quòd Deus ſummè ſimplex concipitur vt ſua actio; ſi verò vt paſſio, diſtinguitur, quia per nomen creaturæ ſignari poteſt omne, quod eſt ab alio, ita quod habeat eſſe poſt omnino non eſſe: & ſic nomine creaturæ clauditur creatio, & ſic non medium nec re, nec ratione. Alio modo creatura nominat ipſam ſubſtantiam rei ab aliquo producente de nihilo: & ſic creatio tenet medium non ſecundum rem, & naturam, ſed ſecundum habitudinem ad non eſſe præcedens, & ad ſuum eſſe producens: creari enim ſignificat exire de non eſſe ad eſſe, & hoc ab aliquo.

Triplex eſt relatio, quædam fundata ſuper proprietate accidentali, vt ſuper albedine, exempli gratia; quædam fundata ſuper dependentia eſſentiali, vt comparatio materiæ ad formam; quædam ſuper origine naturali: prima addit aliud ſuper eſſentiam, tertia nihil addit, niſi purè eſſe, vt in diuinis; media dicit aliquid, quod eſt quodammodo idem, & quodammodo aliud: & huius generis eſt creatio, quia creatura eſſentialiter, & totaliter à Deo dependet.

DISTINCT. I.

PARS SECVNDA.

TEXT.

BOnitas eſt duplex in creatura, vna quæ eſt ex forma dante eſſe; alia quæ eſt ex forma dante bene eſſe: prima eſt ſubſtantialis, quæ non addit ſupra formam nouum eſſe, ſed tantam relationem ad cauſam finalem, à qua omne aliud à Deo habet eſſe bonum; & ſic ait Aug. quòd inquantum ſumus boni ſumus, quia comparatio hæc ad cauſam finalem eſt eſſentialis, nec poteſt ſeparari ab eſſe.

Quod attribuitur alicui ſecundum quod ipſum dicitur poteſt attribui, aut enim conſequitur, aut præcedit; ſi præcedit, ita eſt eſſentiale quod ſine ipſo non eſt, neque poteſt intelligi; ſi conſequitur, poteſt intelligi intellectu non plenè reſoluente, & apprehendente, non autem plenè. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I.

PErfectio vniuerſi attenditur in amplitudine ambitus, in ſufficientia ordinis, in influentia bonitatis: in quibus exprimitur triplex cauſa, perfectionis, ſapientiæ, potentiæ, bonitatis, & ſic decuit ornari vniuerſum creatura ſpirituali, corporali, media.

Fieri propter diuinam bonitatem eſt dupliciter, vel ad oſtendendum, & ſic facta ſunt omnia; vel participandum, idque aut quia ſunt apta participare, aut quia inſeruiunt participantibus: primo modo conditæ ſunt creaturæ ſpirituales: ſecundo corporales.

ART. II. QVÆST. I.

NAtura vel eſt deficiens, vel perfecta: prima in ſe recuruatur, ideo proprium bonum deſiderat, & ſuum commodum; perfecta amore caritatis ſurſum eleuatur, & multo magis improportionaliter Dei gloriam deſiderat, quàm vtilitatem propriam, vt patet in habentibus caritatem SS. Ignatio, & Francisco Xauerio.

Laus alia perfecta est, alia imperfecta; hæc minus perficit animam, quàm fruitio; illa vice versa, & plus gaudebit de Dei gloria, quàm de sui glorificatione, & plus inundabitur in laudando, quàm in considerando proprium bonum.

QVÆSTIO SECVNDA.

ORdo vel attenditur quantum ad finem, vel quantum ad naturæ dignitatem: primo modo pares sunt Angelus, & homo, ordinantur enim immediatè ad beatitudinem: secundo modo sunt impares, homine enim nobilior est Angelus.

Medium vel est secundum dignitatem naturæ, vel secundum causalitatem influentiæ: primo modo cadit medium inter Deum, & mentem: secundo modo non, quia Deus immediatè influit in mentem.

Finis, seu id, propter quod res est, dupliciter potest intelligi; primò ad supplendam indigentiam, vt domus propter hominem; secundò ad suscipiendam influentiam, vt homo propter Deum, & hoc secundo modo nobilius est quàm primo, quod habet rationem finis.

Alicui ministratur dupliciter, aut per se, sicut Regi, & Domino, & talis est nobilior; aut propter alium, sicut ministrat miles Regis, & Angelus homini propter Deum.

ARTIC. III. QVÆST. I.

PErfectio attenditur vel quoad esse primum, vel quoad esse secundum: quorum perfectio est eadem primo modo sunt eadem specie, vel genere; non item quorum secundo modo: Cygnus enim, & nix habent albedinem eandem, & differunt specie.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. II.

Text.

DIffert secundum August. aliquid fieri ex tempore, in tempore, & cum tempore; primum importat ordinem, secundum continentiam, tertium simultatem, & ideo nihil est factum ex tempore, nec in tempore, nisi quod excedit ur à tempore; quia ergo tempus, & quæ in primordio temporis condita sunt, à tempore non exceduntur, ideo dicit esse creata cum tempore, non in tempore, nec ex tempore, idque propriè, & rigorosè.

Dominus vno modo importat potestatem coërcendi subditos: & sic dicit præsidentiam secundum habitum; & conuenit Deo ab æterno; alio modo importat præsidentiam actualem respectu serui: & sic incœpit esse Dominus, mutatione facta in seruo. Dub. vlt.

ARTIC. I. QVÆST. I.

MEnsura spiritualium aut attenditur secundum esse, aut secundum affectiones: primo modo habent mensuram diuersam à tempore, non solùm in genere mensuræ, verùmetiam in genere entis etiam secundum substantiam, & formam: & hæc dicitur æternitas creata, siue æuum, quod est immutabile, & perpetuum, & mensura incommutabilis. Secundo modo an habeant mensuram diuersam à tempore, patebit infra.

QVÆST. II. III. ART. II. QVÆST. I.

TEmpus in Scripturis quadrupliciter sumitur, communissimè, communiter, propriè, magis propriè. Primo modo dicit mensuram cuiuslibet rei creatæ, qua ratione ponitur tempus inter quatuor primò creata, vt Beda: communiter dicitur mensura mutationis cuiuscumque, tam illius, quæ est de non esse ad esse, quàm illius, quæ est de vno esse in aliud: sic dicitur, in principio, (videlicet temporis) creauit Deus cælum, & terram; propriè dicit mensuram variationis successiuæ tam continuæ, quàm discretæ, quo modo affectiones Angelorum mensurantur tempore, vt Aug. ad Oros. Magis propriè dicitur mensura motus, siue variationis successiuæ, & continuæ, & regulatæ, secundum mensuram, seu regulam motus octauæ sphæræ, & sic consueuit accipi à Philosopho.

QVÆSTIO SECVNDA.

TEmpus, vt distinguitur ab æuo secundum duas vltimas acceptiones temporis, dupliciter accipitur, aut prout dicit mensuram cuiuslibet durationis variabilis, siue variationis successiuæ, & sic inter æuum, & tempus non est medium genere mensuræ, sed ex parte mensuratorum, quarum aliqua participant vtrumque, vt est illa substantia, quæ est in confinio æternitatis, & temporis, vt Angelus qui mensuratur æuo quoad esse, tempore quoad actiones. Secundò accipitur tempus, vt est mensura variationis successiuæ continuæ regulatæ à primo mobili, quæ habet initium, & habebit finem: & inter ipsum, & æuum datur medium, quæ est mensura, in qua non oportet dari finem, vel regulari à motu primi orbis, qualis erit in futuro post diem iudicij: & dicitur sæculum ab aliquibus.

QVÆSTIO TERTIA.

PRius dicitur quadrupliciter ex Aug. 12. Confess. fin. æternitate, tempore, electione, origine; æternitate Deus præcedit omnia; tempore flos præcedit fructum; electione fructus florem; origine sonus cantum.

DISTINCT. II.

Pars secvnda.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

INfluentia luminis potest esse dupliciter, manifesta, vel occulta: illa est per corpus diaphanum, maximè quando sensu percipitur; hæc est etiam per opacum, vt virtus stellarum in mineralia.

ART. II. QVÆSTIO I.

LOcus habet triplicem comparationem ad locatum; comparatur primò ratione continentis; secundò ratione mensurantis; tertiò ratione conseruantis. His modis sunt in loco

ſubſtantiæ corruptibiles; ſecundum duos primos etiam incorruptibiles, corporeæ ſecundum primum etiam Angeli, continentur enim etiam ipſi loco ambiente corporali, propter ordinem partium vniuerſi; & ratio eſt duplex, cur contineantur loco corporali; prima limitatio ipſius ſpiritus creati, ratione cuius eſt hîc, & nunc, & quia non habet partem, & partem, ideo ſecundum totum eſt hîc, & nunc. Secunda eſt, quia in ſolo corpore eſt diſtinctio hîc, & ibi: & ideo ipſi ſoli conuenit potentia locandi creaturas, quæ ſecundum ordinem vniuerſi diuerſas habent poſitiones, & ſunt hîc, & ibi; proinde etiam ſpirituales, quæ locantur, non propter indigentiam loci conſeruantis, ſed propter ordinem vniuerſi.

QVÆSTIO SECVNDA.

OPerari alicubi eſt dupliciter, vel immediatè, vel mediatè: manus, exempli gratia, operatur immediatè, baculus mediatè, ſicut & timo in naui; ſic Angelus mouere poteſt partem, in qua eſt immediatè, & ea mediante reliquas.

Eſſe ſimplex dupliciter contingit, aut per priuationem partium componentium in eſſe naturæ: aut per priuationem partium continentium in eſſe definito, ſiue in genere. Quando dicitur, quòd quanto aliquid eſt ſimplicius, tanto eſt in pluribus, dicitur de ſimplicitate ſecundo modo, quam videlicet habet genus reſpectu ſpeciei: & ideo in pluribus reperitur, quàm ſpiritus.

DISTINCT. III.

Text.

ANgelus conſiderari poteſt quadrupliciter, in ſe, & ſic eſt eſſentiæ ſimplicitas; ad alterum Angelum, & ſic eſt perſonalis diſcretio; ad Deum, vt habet intellectum, memoriam, voluntatem, in quibus eſt ratio imaginis; in comparatione ad ſubiecta ſuo regimini, & ſic habet liberum arbitrium.

Vel ſic melius conſiderantur in eo ſubſtantia, forma, potentia; ſubſtantia dupliciter, eſſentia, & perſona; formæ tribuitur imaginis pulchritudo; potentiæ libertas. Dub.1.

Libertas arbitrij dupliciter poteſt conſiderari, vel vt dicit facultatem exeundi in opus, vel vt dicit priuationem coactionis; primo modo habet gradus, quia quo ſubſtantia ſimplicior eſt, eo excellentiores ſunt potentiæ; ſecundo modo non, quia eſt in termino priuatio æqualis. Lib.3.

ART. I. QVÆSTIO I. II.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

QValitas duplex, ſubſtantialis, & accidentalis. Aliquid eſt in genere ſubſtantiæ, quod nihilominus habet modum accidentalem: talis eſt diſcretio perſonalis.

DISTINCT. III.

Pars Secvnda.

Text.

COniunctio, vt, intelligi poteſt conſecutiuè, & cauſaliter; primo modo dicitur in Scriptura aliquid factum eſſe, vt impleretur quod dictum eſt: & ſic ſecuta eſt ludificatio Angeli, & ſi propter illam non ſit factus. Secundo modo ponitur conſequens pro antecedente: finaliter enim Diabolus factus eſt ad exercitium, & promotionem bonorum, ad quam ſequitur ipſius Diaboli ludificatio, qui dum intendit deiicere, promouet. Dub.1.

Sapientia quædam eſt in verbo, quædam à verbo: prima eſt fructus pietatis: nemo enim peruenit ad viſionem verbi, niſi per animi pietatem. Secunda eſt principium pietatis.

ART.I. QVÆST.I. II. ART.II. QVÆST.I. II.

ESſe præſens alicui rei contingit dupliciter, vel vt principium conſeruans, & continens, vel vt obiectum immutans, & mouens: primo modo eſt Deus præſens Angelo, & lux cæco: ſecundo modo non.

Non poſſe pertingere ad alicuius cognitionem prouenit vel à cordis obſcuritate, vel ab obiecti profunditate; primo modo impeditur homo peccator à cognitione Dei; ſecundo modo Angelus.

ARTIC. III. QVÆST. I.

ELeuari ſupra ſe eſt dupliciter, aut ſupra ſuum poſſe, & hoc eſt impoſſibile, niſi adiuuetur natura: aut ſupra ſuum eſſe, & hoc eſt poſſibile, & naturale.

QVÆSTIO SECVNDA.

MAgis diligere aliquem contingit tripliciter, aut ratione boni optati, aut ratione effectus intenſi, aut ratione effectus impenſi: primo modo diligit, quia maius bonum optat. Secundò qui affectione plus fertur erga alterum, & libentius illi cohabitat, ſic Angelus magis diligit per naturam Angelum eiuſdem ordinis. Tertiò qui plura bona impendit: ſic Angelus ſuperior magis diligit inferiorem magis indigentem ſua purgatione.

DISTINCT. IV.

Text.

DVpliciter poteſt haberi certitudo de aliquo futuro, vel in partem affirmatiuam, vel in partem negatiuam; vtraque pertinet ad beatitudinem, quia ſicut oportet habere certitudinem de perpetuitate eius futura, ita oportet habere certitudinem de miſeria nunquam futura: iſta enim duo ſunt inſeparabilia. Dub.2.

Status ponitur in aliquo dupliciter, aut ſimpliciter, aut in genere; ſi ſimpliciter, ſic eſt tertium membrum; ſi in genere creaturæ, hoc

potest esse dupliciter; aut in quantum exit à Deo, & sic rationem habet vestigij, & reperitur in omni creatura, quando producta est ad modum, speciem, & ordinem sibi competentem; aut in quantum redit in Deum, & sic est perfectio gloriæ. Tertium membrum est perfectio secundum essentiam.

ARTIC. I. QVÆST. I.

BEatitudo dicitur dupliciter: primo modo status perfectus plenitudine omnis boni: & hæc ponit visionem Dei claram: secundo dicitur status perfectus priuatione omnis mali, tam pœnæ quam culpæ; in prima nullus Angelus creatus est, in secunda omnes.

Hîc ad vltimum docet quòd potuisset dari arbitrium inuertibile.

QVÆSTIO SECVNDA.

GRatia dupliciter dicitur, primò communiter, vt comprehendit quicquid naturalibus superadditur: secundò quod superadditum est libero arbitrio ad rectitudinem faciens, & disponens, sicut dicimus virtutes naturales, mititas, pietas, &c. Tertiò quod est superadditum tanquam rectificans, & complens, & eleuans: & hæc dicitur gratia gratum faciens, quia facit hominem acceptabilem Deo.

ARTIC. II. QVÆST. I.

CErtitudo ex parte cognitiua est duplex; vna infallibilis, puta quando ita scit aliquid, vt falli non possit; altera probabilis, quando ita pro vna parte habet rationes, vt pro contraria non habeat, vel paucas.

Certitudo ex parte affectiua est duplex, vna in expectando, alia in tenendo, expectare est spei tenere comprehensionis: prima fuit in Angelis semiplenè in creatione ante gratiam.

QVÆST. II. ART. III. QVÆST. I. II.

DISTINCT. V.

TEXT.

ART. PRIMVS. QVÆST. I.

PEccatum attenditur vel secundum inchoationem, vel secundum consummationem, vel secundum confirmationem. Peccatum Diaboli initiatum est in præsumptione, statim enim vt vidit suam pulchritudinem, præsumpsit; consummatum est in ambitione, quia præsumens de se appetiit quod omnino supra se fuit; confirmatum est inuidiæ, & odij auersione, quia ex quo obtinere non potuit quod appetiit, inuidere cœpit, & odisse.

Ingratitudo potest dici dupliciter, negatiuè, & priuatiuè; negatiuè, quando quis non est gratus Deo, vt debet, & sic est circumstantia omnium peccatorum; priuatiuè, quando non solùm non est gratus Deo, vt debet, sed contrariè mouetur, vt quando cogitat de beneficio vt beneficium, & paruipendit illud, vel benefactorem; & sic est speciale peccatum: Sic autem non peccauit Diabolus, quia non considerauit beneficia, in quantum erant Dei, sed inquantum erant propria, & sic elatus est.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex est similitudo Dei, æquiparantiæ, siue æqualitatis, & imitationis: hæc secunda potest appeti ordinatè, & inordinatè; primo modo si appetatur similitudo in iis, quæ sunt nostræ aptitudinis, & diuinæ acceptationis, vt perfectiones virtutum. Secundo modo si appetatur id quod non decet, & non placet Deo, vt prælatio, vindicta, &c.

Prima similitudo non potest accipi ordinatè, quia non potest cadere in intellectum, & si quis fingat, non appetit æqualitatem, sed suam fictionem, quoad aliquam conditionem tamen appeti potest puræ prudentiæ, scientiæ, &c. Diabolus appetiit similitudinem imitationis, quia appetiit præesse, & quodammodo æqualitatis, id est propria auctoritate sine meritis, & sine datore, itaut nulli subesset.

ARTIC. II. QVÆST. I.

DVplex est rectitudo, quædam naturæ institutæ, & penes hanc est iustitia originalis; altera est gratiæ: & penes hanc est iustitia meritoria, quam acceptat iudex summus ad retributionem æternam.

Sic duplex est conuersio, quædam à naturali rectitudine, quædam à rectitudine gratiæ: primam potuerunt habere Angeli sine gratia: secundam non potuerunt; illam inchoauit voluntas libera, & consummauit gratia, ideo fuit ibi gratia subsequens, non præueniens, cooperans, non operans, vt magister in littera.

Actus iustificationis dupliciter intelligitur: est enim iustificare de non iusto facere iustum; non iustum autem dupliciter accipitur, priuatiuè, & negatiuè: primo modo idem est non iustum quod iniustum, & tunc iustificare idem est quod de impio facere pium. Secundo modo non iustum est quod non habet iustitiam gratiæ: & sic fuit in Angelis iustificatio per gratiam, & ab hac iustitia fuerunt opera eorum meritoria.

QVÆSTIO SECVNDA.

ESt præmium essentiale, seu substantiale, & hoc meruerunt Angeli per conuersionem sui in Deum; & est præmium accidentale, & hoc meruerunt per ministerium exhibitum homini.

Ergo Angeli beati merentur accidentaliter.

DISTINCT. VI.

TEXT.

ART. I. QVÆST. I. II. ART. II. QVÆST. I.

ARTIC. III. QVÆST. I.

DIonysij dictum, quòd Dæmones habent naturalia integerrima, intelligitur quantùm ad substantiam, non quantùm ad aptitudinem ad operandum.

Digitized by Google

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. VII.

Pars Prima.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DOlor pœnitentiæ est dupliciter, vel quia dolet quis de culpa propter damnum, quod incurrit, & potest hoc esse naturaliter sine gratia gratis data, & hic dolor non disponit ad gratiam, imò solùm est pœna, quia sic pœnituit etiam Iudas, & hunc Diabolus non habet propter habitudinem peccandi, sed habiturus est, cum absorbebitur à pœna post diem Iudicij. Vel quia dolet quis de culpa, vt Dei offensiua, & hic dolor disponit ad pœnitentiam, & non est sine gratia gratis data: & hunc Dæmones habere non possunt, quia sunt extra statum, in quo datur gratia.

QVÆSTIO SECVNDA.

VOluntas mala tripliciter accipitur, quantum ad deformitatem, quantum ad pronitatem, quantum ad actualitatem: primo modo Diabolus est continuò in mala voluntate; ita vt nulla sit variatio per deformitatis desitionem, aut decrementum; secundo modo est etiam continuatio, sed intercenit variatio quantum ad modum inclinandi, prius appetiit cum proposito obtinendi; nunc appetit quantum in se est sine hoc proposito, vel spe. Tertio modo est continuatio, sed cum variatione quantum ad genus; quia modò peccat superbia, modo inuidia, &c. & omnem actum, quem elicit, deformat.

Actus videtur bonus dupliciter, aut ex se; puta quando est actus virtutis elicientis ipsum: aut ex adiuncto, vt ire ad sanctum Iacobum; sic actus malus dupliciter dicitur, vel quia directè elicitur à vitio, vt velle præesse; aut quia concomitatur vitium deformans, vt dare eleemosinam ob inanem gloriam, aut cum murmure; impatientia, &c. Sic Diabolus credit, & credendo peccat, quia cum impatientia, & displicentia credit.

Causa alia est inducens tantum, alia efficiens; & conseruans; prima in Diabolo fuit pulchritudo: secunda mala voluntas; prima cessat, sed non secunda, & ideo semper manet effectus superbiæ.

QVÆSTIO TERTIA.

DVplex est vis in Angelo tam bono, quàm malo: prima est intellectus, & voluntatis, inquantum respiciunt Deum, & dicitur contemplatiua. Secunda est eadem inquantum intellectus, & voluntas respiciunt hominem, & dicitur administratiua, est enim finis Angeli principalis Deus, secundarius homo, qua ita Deus disposuit res, vt maiores iuuent minores: quantùm ad vim contemplatiuam malitia Dæmonum non potest plus crescere, quia in summo oderunt; quantùm ad vim administratiuam crescit continuè vsque ad diem iudicij, & ideo continuò demerentur Dæmones, & secundum quid sunt viatores.

ARTIC. II. QVÆST. I.

MVtatio alicuius duplex est, vel quantùm ad substantiam, siue essentiam, vel quantùm ad statum, seu quantùm ad primum esse, & quantum ad benè esse; primo modo confirmatio non mutat liberum arbitrium, cum perficiat, & conseruet: secundo modo mutat perficiendo.

Naturale dicitur vel propter naturæ complementum, vt igni tendere sursum; vel propter naturæ defectum, vt eidem posse extingui: sic liberum arbitrium propter naturæ complementum, vt posse in bonum; & propter naturæ defectum, vt verti in malum.

Mutabile, & immutabile per naturam opponuntur, & non possunt esse simul, sed mutabile per naturam, & immutabile per gratiam non opponuntur, & possunt esse simul. Idem est de mortali, & immortali.

QVÆSTIO SECVNDA.

VSus alicuius potentiæ dicitur dupliciter, vel enim est actus elicitus à potentia, vel actus elicitus ad eum finem, ad quem est: primo modo vsus liberi arbitrij est liberè velle, secundo est rectitudinem seruare; obstinatio aufert dæmonibus vsum secundo modo, non primo.

Necessitas est duplex; quædam à causa extrinseca; vt necessitas coactionis: & hæc opponitur ei, quod est liberè velle; quædam à dispositione extrinseca; & hæc stat simul cum libertate; talis est in Dæmonibus.

Duplex est retrahens, interius, & exterius: impetus interior magis repugnat libero arbitrio, quàm retinaculum exterius.

Dæmon habet potentiam interiorem, per quam sine aliquo exteriori repellente potest retrahi, & quæ à nullo extrinseco potest superari: & ideo impetus Dæmonum in malum libero arbitrio non repugnat, sed consonat: contrarium euenit in bestia, cuius impetus excludit retinaculum intra, quamuis possit retrahi per illud, quod est extra, ideo non habet liberum arbitrium.

QVÆSTIO TERTIA.

DOminium aliud est quod opponitur coactioni: aliud quod opponitur subiectioni: primum est essentiale libero arbitrio; nec augetur, aut minuitur, & est æquale in omnibus, in quibus est: secundum non est æquale: nam in miseris subiacet miseriæ, in beatis liberum est à miseria; in malis subiacet culpæ, in bonis liberum est à culpa; in creatura subiacet mandatis, in Deo est supra omne mandatum, & hoc modo per confirmationem augetur, quia magis elongat à subiectione culpæ, & miseriæ, & per obstinationem minuitur, quæ ceruicem subnittit vtrisque.

Potentiam ampliari dupliciter potest intelligi, primò respectu eorum, quæ posse est posse: & sic eo amplior est, quo plura potest: secundò respectu eorum, quæ posse est deficere: & sic non est amplior, quæ hæc potest.

DISTINCT. VII.

Pars Secvnda.

Text.

Reuelatio fit duplici modo, vel illustratione mentis, sicut fiebat sanctis Prophetis: & hæc est gratiæ; vel sola prædictione, vt homo sæpe reuelat voluntatem suam, & non est opus gratiæ, sed potest esse misericordiæ, si ordinetur ad bonum eius, cui prædicitur; vel iustitiæ, si ordinetur ad punitionem alicuius mali; vel vtriusque, si simul ad vtrumque. Dub. 2.

Quædam est virtus, quæ solùm operatur exterius, vt artificis iungendo, vel remouendo; alia quæ perfectè interius, vt Dei producentis semina primordialia; alia quæ partim interius, partim exterius, vt virtus naturæ, &c. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IVdicium duplex est in quolibet ratiocinante; vnum cognoscendorum, quod est veri sub ratione veri, & est intellectus speculatiui; alterum agendorum, quod est boni sub ratione boni: & est intellectus practici, & pars liberi arbitrij; primum & si mansit integrum in Dæmone, tamen obnubilatur: vnde frequenter errant, maximè cum iudicant de contingentibus. Secundum est omnino subuersum: & quantum ad hoc excæcati sunt Angeli mali; & ideo dicuntur facti tenebræ.

Phantasia dupliciter sumitur: primò pro vi sensitiua collectiua sensibilium receptorum ex sensu particulari; secundo pro apparitione à phanos, quod est apparitio: primo modo est in solis corporibus: secundo in spiritibus, & quidem in Dæmonibus est proterua, quia cum vera intelligant, tamen nolunt docere alios, sed per apparentes similitudines se ducere.

Diffusio boni vel est simpliciter, & ad tot se extendit, ad quot ratio veri; vel est boni gratuiti, & sic minus latè patet: multi enim sunt apti ad capiendam intelligentiam, non autem gratiam, vt sunt Dæmones.

Donum dupliciter capitur, propriè, & communiter; propriè est quod aliunde est, vt gratiæ infusæ; communiter quod est per adiutorium Dei, & cooperationem nostram.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVantùm ad actum, vel vsum memoriæ, Dæmones obliuiscuntur multorum, verbi gratia salutis, beneficiorum Dei, &c. quantum ad habitum nequaquam, quia retinent species.

QVÆSTIO TERTIA.

FVturorum est duplex genus, quædam habent causam determinatam, & infallibilem, vt motus cælorum; quædam quæ habent causam determinatam, sed fallibilem, vt prouentus frugum à bona terra, nisi impediatur aliunde; quædam, quæ habent causam indeterminatam, & fallibilem, vt quæ pendent à voluntate. Primi generis possunt sciri certitudinaliter à Dæmone; secundi generis non ita certitudinaliter, sicut primi; tertij à Deo solùm præsciuntur certò, quia sunt incerta, & in se, & in sua causa.

Præsentiunt tamen futura Dæmones, & prædicunt, aut ingenij acrimonia, aut multa experientia, au dolosa cautela, aut aliena doctrina, vt quando iusto Dei iudicio permittuntur discere ab Angelis bonis. August. 3. super Gen. ad litteram.

ARTIC. II. QVÆST. I.

HIc in fine habet, quod agens creatum nullam quidditatem nec substantialem, nec accidentalem producit, sed existentem sub vna dispositione facit esse sub alia.

QVÆSTIO TERTIA.

DÆmon potest inducere formas naturales, non virtute propria, sed aliena, iungendo actiua passiuis, agendo per modum artis, non per modum naturæ; vnde sicut natura non producit formam artificialem: sic nec ars formam naturalem. Ratio est limitatio agentis ad talem effectum ex diuina dispositione, & sapientia, & disconuenientia in natura limitata.

DISTINCT. VIII.

Pars prima.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ANimal dicitur aut ratione formæ, aut ratione operationis animali debitæ, propter hoc secundum Angelus dicitur à Gregorio animal, vel sic, animal dicitur aut secundum veritatem, aut secundum apparentiam: hoc secundo modo Angelus dicitur animal cum assumit corpus.

Indigere corpore dicitur dupliciter, aut propter se, aut propter alios: primo modo homo, & bruta indigent corpore: secundo modo Angelus ad ministrandum aliis.

Dare vitam aliis potest contingere vel efficienter, & hoc simpliciter est perfectionis, & competit Deo; vel per modum formæ informantis, & dicit perfectionem cum imperfectione: neutrum conuenit Angelo; non primum; quia eius perfectio minor est quàm potentia dandi vitam, & maior, quàm viuificantis per modum formæ, & sermo est de vita conuemente rationali substantiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex est vis in Angelis; contemplatiua, qua conuertuntur in Deum, & hæc non eget corpore; & administratiua, qua descendunt ad homines, & indigent corpore vel ad aliquas operationes exercendas, & se manifestandos, quæ est potius indigentia nostra, quàm ipsorum.

ART. II. QVÆST. I. ART. III. QVÆST. I. II.

OPerationum animæ quædam sunt consequentes ipsam in corpore, vt est motor; quædam vt est perfectio; quædam mediæ ex vtrisque participantes; primas ita exercet per corpus, vt etiam in corpore, quia non solùm

Digitized by

mouet alia corpora, ſed etiam propria; ſecundas ita exercet in corpore, vt ſimul cum corpore, vt patet hinc quod clauſo oculo, videre non poteſt corpus; tertias exercet quaſi vtroque modo; primas vt eſt hoc aliquid, & motor differens à mobili; ſecundas vt eſt forma iuncta materiæ. Angelus exercet primas perfectè vt motor: ſecundas nequaquam: tertias quodammodo ſic, & quodammodo non; ſic Angelus progreditur, ſed non exercet operationes ſenſuum: ridere verò vt eſt motio generarum competit Angelo, vt eſt cordis exhilaratio nequaquam.

Sentire accipitur vel communiter, & idem eſt, quòd non præſentem cognoſcere; vel propriè, & eſt rem hic, & nunc cognoſcere; vel magis propriè, & idem eſt quod rem exiſtentem in materia præter materiam, mediante organo corporis, ſuſcipere. Primus duobus modis non differt ſenſus ab intellectu, niſi ratione, & ponitur in Angelo: tertio modo differt, & eſt potentia alligata corpori, non conueniens Angelo.

DISTINCT. VIII.

Pars secvnda.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ESſe intrinſecus in aliquo dupliciter contingit, aut ſicut contentum reſpectu continentis, vt aqua in vaſe; vel vt influens in intima rei, & conſeruans; primum competit Dæmoni, in ſimulachris, non ſecundum.

QVÆSTIO SECVNDA.

IVnctura alia eſt ſitualis, alia virtualis; poteſt Angelus totus applicari ſecundum primam, quin totus iuxta ſecundam.

QVÆSTIO TERTIA.

REs, quæ præſens eſt, dupliciter poteſt latere, aut quia impeditur virtus ſenſus, ne perueniat ad ſenſibile; vel quia impeditur ſpecies ſenſibilis, ne perueniat ad ſenſum, & vtroque modo impeditur ſenſus, ne percipiat, & vtrumque poſſibile eſt Dæmoni.

QVÆSTIO QVARTA.

IMmiſſio cogitationis, aut dicitur reſpectu principalis agentis; aut ſicut excitantis, & impellentis; primo modo competit ſoli Deo reſpectu animæ; ipſe enim ſolus eſt, qui poteſt in eius intimis cogitationes, & affectus gignere, & formare; ſecundo modo poteſt etiam Dæmon cogitationes immittere, & ſuggerere, &c.

QVÆST. V. VI.

DVplex eſt ſpeculum naturale, & voluntarium: primum naturaliter recipit, & reddit, nihilque occultat; hoc ſolùm quando vult ſe manifeſtat.

DISTINCT. IX.

Text.

ART. I. QVÆST. I.

DE gratia loquimur quantùm ad habitum, quantùm ad vſum, & quantùm ad ſtatum; gratia gratum faciens vnit, & confirmat, quantùm ad habitum; quin omnes habitus gratuiti ſunt in omnibus Angelis bonis, ſed diſtinguit quantùm ad vſum, & ordinat quantùm ad ſtatum, pro eo quod vſus diuerſificatur in diuerſis: & ſtatus omnis in gratia eſt excellentior ſtatu alterius: & hoc eſt quod facit in habentibus conſimilem gratiam, ordinem, & gradum.

QVÆSTIO TERTIA.

DAre gratiam ſecundum maiorem capacitatem naturalium tripliciter intelligi poteſt, vel ita vt dicat cauſalitatis efficaciam, & hoc non, quia naturalia non ſunt cauſa gratiæ; vel ita quod dicat diſpoſitionem congruitatis, & ſic verum eſt, quia naturalia bona diſponunt ad gratiam: vel ita quod dicat diſpoſitionem neceſſitatis, & falſum eſt; ſubdit tamen in reſponſione ad argumentum, quòd in diſtributione gratiarum nec capacitas naturæ, nec indigentia principaliter penſatur, ſed diuinæ prædeſtinationis diſpoſitio.

Hic reſpondens concedit hæc, homo non habet gratiam, quia non accipit; negat tamen ſequelam ſecundum Anſ. Ideo habet gratiam, quia accipit.

QVÆSTIO QVARTA.

ANgeli denominari poſſunt & per naturalia ſibi, & per gratuita, & per mixta ex vtriſque: primo modo denominantur à forma communi, quia particularia nobis non innoteſcunt, idque vel à communi remota, & dicuntur cæleſtes eſſentiæ, vel propinquæ, & dicuntur cæleſtes ſpiritus: ſecundo modo, quia in ipſis differenter habent ſtatum, & gradum, & diſtinctionem, ſic nominantur ordines variis nominibus Seraphim, Throni, &c. tam boni, quàm mali. Tertio modo nomina poſſunt eſſe communia bonis, & malis, & rurſus propria bonis, verbi gratia Principatus, & Poteſtates, ſi dicantur à naturalibus proprietatibus ſunt communia: ſi à dono gratuito, ſunt propria bonorum, vel communia omnibus Ordinibus, propria verò aliquorum, ſicut Angeli, & Virtutes; omnes enim dici poſſunt Angeli, quia habiles ad reuelandum; & Virtutes, quia fortes ad operandum: ſed ex dono gratuito aliqui deputantur ad myſteria reuelanda, & dicuntur Angeli; alij ad miracula patranda, & dicuntur Virtutes.

QVÆSTIO V. VI.

TRipliciter dicitur aliquid præferri alteri, aut per modum excedentis ſolùm, verbi gratia aurum argento; aut per modum excedentis, & influentis; vt cæleſtis natura elementis; aut per modum imperantis, vt Dominus Miniſtro, quæ tria in perfecta prælatione hominum,

Digitized by Google

& Angelorum aliquo modo reperiuntur. Quoad primum durabit prælatio Angelorum post iudicium; quoad secundum, & tertium nequaquam, quia attenditur in comparatione ad nos, quibus ministrant, non in comparatione ad Deum, in quo quiescunt.

QVÆST. VII. VIII.

DISTINCT. X.

TEXT.

MIttere dicit auctoritatem vel principalem, vel potestatem subiectam auctoritati principali; primam habet Deus, qui Propriè dicitur mittere; secundum habet Angelus in Angelum, & potest illum mittere. Dub. 2.

Mitti ad suum officium est dupliciter, aut ad suum per veritatem, quia ad hoc deputatus est, aut ad suum per appropriationem: primo modo omnis qui mittitur ad suum officium, mitti dicitur, id est ad illud, ad quod est idoneus. Secundo modo aliquando mittitur Angelus ad perficiendum illius doni vsum, quod sibi non appropriatur, ideo nec ab illo secundum nominis impositionem denominatur, tamen sortitur nomen competens illi dono, vt ostendatur ad quid mittatur. Dub. 3.

ART. I. QVÆST. I. II.

MIssio alia est exterior ad nos, alia interior ad Angelos propter nos: prima non competit Angelis superioribus secundum Dyonisium, sed inferioribus: secunda competit, quia superiores mittuntur ad medios, medij ad infimos, & reuelando purgant, illuminantque in iis, quæ nobis expediunt: & sic ab Apostolo dicuntur omnes administratorij spiritus; 1. Hæbr. & omnes iuuant nos vel mediatè, vel immediatè.

Missio aut est ad redimendum, aut ad saluandum, aut ad ministrandum: prima competit soli Deo: secunda etiam supremo agmini Angelorum.

ARTIC. II. QVÆST. I.

AFfectus noster inflammari potest ab alio vel vt causa principali, vel vt excitante, & adiuuante: primum competit Deo, secundum Angelis.

Diffusio dupliciter potest esse à bono, aut per modum multiplicationis; sicut calor, vel lumen dicitur se diffundere; aut per modum vtilis operationis; vt bonus homo dicitur se diffundere dum studet, vt alij bonitatem non à se, sed à Deo recipiant, sic Angeli se diffundunt.

Inflammatio est vel per eductionem caloris de materia, vel per caloris infusionem à principio calefactiuo, cum quo coniungitur quod inflammatur; sic inflammatio est in spiritualibus, vbi flamma est amor diuinus, non ab ipsa anima productus, sed à Deo infusus.

QVÆSTIO SECVNDA.

HIc docet, quòd Angelus non potest illuminari secundum superiorem portionem, sed inferiorem tantùm animæ.

ARTIC. III. QVÆST. I.

LOqui dupliciter accipitur, primò dicit actum in se, siue intrinsecum: secundò actum extrinsecum, siue quodammodo extrinsecum: primo modo idem est quod verbum formare, siue gignere: secundo modo idem est, quod verbum formatum depromere, siue exprimere; primo modo locutio in quocunque sit non est aliud, quàm cogitatio; secundo modo plus dicit, sed differenter in diuersis. In Deo loqui ad alterum supra intellectum dicit effectum, vel reuelationem; in homine addit signum medium, quo explicat suam cogitationem, & hoc est sensibile signum præter actum conuersionis supra se. In Angelis locutio addit effectum, siue respectum ad alterum, sed non sensibile signum; cum enim cogitatio sit secreta, non fieret manifesta, nisi cogitans aliquid tanquam audienti offerat, & quasi nutu quodam ad intellectum alterius, & ad aurem pertingere faciat: & hæc dicitur speciei protensio, quæ est excitatiua intellectus audientis.

QVÆSTIO SECVNDA.

TRipliciter dicitur Deus nobis loqui, aut per signum auribus illatum, aut per signum in interiori sensu, vel imaginatione formatum, aut per inspirationis verbum nostris mentibus instillatum: duobus primis modis aut semper, aut frequenter vtitur ministerio Angelico; tertio modo per seipsum mentem nostram informat, loquere Domine.

Angelus dupliciter loquitur, vel in persona Dei, Luc. 3. Hic est filius meus dilectus; & sicut Exod. 3. locutus est Moysi; vel vt nuncius Dei, sicut etiam Prophetæ, & in vtroque Deus est imperans, Angelus exequens; tertio modo solus Deus loquitur.

DISTINCT. XI.

TEXT.

COgnitio Angelorum alia est à natura, alia à gratia: prima est duplex, quædam naturaliter inserta, verbi gratia, eorum, quæ sunt de prima mundi constitutione: & quantum ad hanc Angeli non proficiunt, nec deficiunt; quædam dicitur à natura, quia est per naturalem potentiam, siue sit innata, siue acquisita: & secundum hanc proficiunt progressu temporis per multiplicem experientiam, &c.

Cognitio à gratia duplex est: quædam à gratia influente, vt reuelationis, quæ dicitur influens, quia non semper Deus reuelat, sed pro loco, & tempore; quædam est fixa, quæ est gratia confirmationis, à qua est visio æternæ lucis. Dub. 2.

ART. I. QVÆST. I. II. III.

ART. II. QVÆST. I.

ASsignat hîc 12. effectus custodiæ Angelorum.

Digitized by Google

QVÆSTIO SECVNDA.

GAudium Angeli creſcere poteſt intelligi dupliciter, vel extenſiuè, vel intenſiuè: primo modo, quia de pluribus gaudeat: ſecundo modo, eo quòd copioſius quoad affectum. Primo modo creſcit gaudium Angelorum pro multitudine eorum, qui ſaluantur. Secundo modo diſtinguendum eſt: eſt enim gaudium, in quo conſiſtit præmium ſubſtantiale circa bonum increatum; & hoc non creſcit: & eſt accidentale circa bonum creatum: & hoc creſcit tam intenſiuè, quàm extenſiuè, & ratione boni proprij, & ratione coniuncti, quia miniſtrando aliis bona opera faciunt, & merentur præmium accidentale, & conciues ſuos ad beatitudinem perducunt, de quo ſine dubio gaudent.

QVÆSTIO TERTIA.

DVplex eſt præmium accidentale Angeli, vnum, quo gaudent de bonis, quæ fecerunt; alterum quo gaudent de ſalute eius, quem cuſtodiunt.

DISTINCT. XII.

TEXT.

TEnebra dupliciter importat priuationem, primò quia ſimpliciter dicit lucis abſentiam: & hoc modo non ſequitur lucem, & ſic nihil eſt formaliter; atque ita dicit Scriptura, tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: ſecundò dicit priuationem lucis in vna parte, cum poſitione illuminationis in alia: & hoc modo tenebra dicitur vmbra reſultans ex obiecto corporis opaci, & ſic non eſt pura priuatio: & in hoc ſenſu dicitur in Scriptura diuiſa à luce, & ſignatur nomine noctis. Dub.2.

ARTIC. I. QVÆST. I.

MAteria dupliciter conſideratur, aut ſecundum quod exiſtit in natura; aut ſecundum quod conſideratur ab anima: hoc ſecundo modo poteſt conſiderari informis, ſiue per priuationem formæ diſtinctæ, ſiue per priuationem omnis formæ: primo modo impoſſibile eſt materiam exiſtere informem per priuationem omnis formæ.

Materia eſt prior forma prioritate naturæ, non duratione.

QVÆST. II. III. ART. II. QVÆST. I.

QVadrupliciter poteſt intelligi eſſe vnitas in materia, aut quantum ad eſſentiam, aut quantum ad eſſe incompletum, & à completione remotum; aut ſecundum eſſe completum completioni proximum; aut ſecundum eſſe ſimpliciter completum: & ſecundum hoc diſtinguitur materia, quod quædam eſt ſubiecta formæ ſubſtantiali tantum: quædam formæ ſubſtantiali, & extenſioni, ſiue quantitati; quædam formæ ſubſtantiali, & quantitati, & contrarietati; quædam formæ ſubſtantiali, & quantitati, non contrarietati, ſed omnibus ſuis partibus vniformitati: primo modo dicitur eſſe eadem materia ſpiritualium, & corporalium: ſecundo modo cæleſtium, & terreſtrium corporum: tertio modo corporum elementarium ad inuicem tranſmutabilium: quarto modo corporum ſpecie, & natura ſimilium.

QVÆST. II. III. IV.

LOcus dupliciter dicitur vacuus, aut propriè, aut per priuationem corporis ſolidi, ſicut dolium dicitur vacuum vino: ſic & materia dupliciter dicitur vacua, aut quia non habet aliquam formam, & ſic nunquam fuit vacua, aut quia non habuit formam omnimodè perfectiuam, & ſic quamuis eſſet vacua, tamen locum poterat replere, quia erat extenſa, & corporea.

DISTINCT. XIII.

TEXT.

DIcere vno modo connotat effectum in actu, alio modo in habitu: ſic Deus dicit exterius producendo aliquem effectum, in quo ſe declarat, vel inſpirando aliquid animæ, in quo voluntatem ſuam demonſtrat; dicit etiam actum quaſi exterius nihilominus relatum, & homo includit comparationem ad verbum conceptum, per quod dicens ſe, & omnia loquitur: Pſal.61. ſemel locutus eſt Deus; Gloſ. ibi filium genuit, in quo omnia diſpoſuit, & ſic dicere connotat effectum in habitu, quia importat diſpoſitionem, quam ſequitur opus; tertio modo dicere dicit actum intrinſecum, & abſolutum, & nihil eſt aliud, quàm videndo intueri: ſic quælibet perſona dicit ſe, & alia, & huic dicere non reſpondet verbum conceptum, quia ſecundum hunc modum, idem poteſt eſſe dicens, & dictum; quælibet enim perſona ſeipſam videt: & ſic non connotat actum, nec habitum. Dub.3.

Præpoſitio, in, aliquando importat cauſalitatem, vt cum dicitur, omnia ſunt in Deo; aliquando identitatem, vt cum dicitur, Pater eſt in Filio. Per, autem quantum eſt de ſe importat cauſalitatem; & ideo dicitur, quod Pater operatur per Filium, non tamen recipitur, quòd Pater ſit per Filium. Dub.4.

ART.I. QVÆST.I.II. ART.II. QVÆST.I.

HIc docet, quòd omnis extenſio fundatur ſupra naturam corporalem, proinde negauit vbi ſpirituale extenſum.

Humor, & calor dupliciter accipiuntur: aliquando enim dicunt proprietates corporeæ ſubſtantiæ: aliquando nominant ſubſtantiam ſub tali forma, vt cum dicunt Philoſophi; quod calor eſt ſubſtantia quædam ſubtilis; ſic lux vel conſideratur in abſtractione, & ſic nominat formam per quam corpus lucet; vel in concretione, & ſignificat ſubſtantiam luminoſam & ſic Dicit Auguſt. quòd lux, & aër ſunt corpora ſubtiliora: lucem vocat ignem.

QVÆSTIO SECVNDA.

LVx dupliciter accipitur, primò pro forma, quæ dat eſſe corpori lucido, & à qua luminoſum corpus eſt principaliter actiuum; ſecundò pro fulgore circa corpus luminoſum, qui conſequitur exiſtentiam lucis in tali materia, qu etiam eſt ſenſus obiectum.

Digitized by Google

ARTIC. III. QVÆST. I.

SPecies genita à colore dupliciter mouetur: primo per diffusionem, procedendo à corpore obiecto vsque ad speculum: secundo ad motum speculi, vel corporis obiecti: primus non est motus localis, sed generationis: secundus est motus per accidens; idem est in lumine, quod egreditur à sole, & simul cum illo mouetur.

Percussio alicuius ab aliquo potest esse dupliciter: primò ex collisione duorum sibi obuiantium, vt pila à pariete; ex ineptitudine patientis ad suscipiendam virtutem agentis, & sic repercutitur radius à corpore opaco.

Dimensionem potest habere aliquid dupliciter, vel ex se, vel ex ratione eius in quo est: si ex se, corpus est; si aliunde non oportet; sic albedo habet dimensionem in cerussa, niue, quæ sunt alba intra, & extra.

DISTINCT. XIV.

PARS PRIMA.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

NOmen aquæ tripliciter accipitur in primaria rerum distinctione, pro informi rerum materia; Spiritus Domini ferebatur super aquas: pro natura transparenti, & luminis retentiua, Fiat firmamentum in medio aquarum; pro ipso elemento aqueo, Congregentur aquæ in vnum locum: sic patet, quòd super firmamentum veræ sunt aquæ, licet non elementares, nec eiusdem naturæ cum inferioribus, quantum ad corruptibilitatem, grauitatem, ignobilitatem, &c. sed quantùm ad perspicuitatem, & frigiditatem, non formalem, sed effectiuam.

ART. II. QVÆST. I. II. ART. III. QVÆST. I. II.

DISTINCT. XIV.

PARS SECVNDA.

TEXT.

FIrmamentum in Scripturis aliquando accipitur largè, aliquando strictè; aliquando enim vocatur octaua sphæra, in qua positæ sunt stellæ, Et posuit stellas in firmamento cæli; aliquando largè pro natura quinti corporis, quæ diuisit aquas ab aquis, vt ibi, Fiat firmamentum in medio aquarum.

Signum & est ad signandum, & est ad distinguendum; primo modo dicuntur luminaria facta in signa, id est sanctificationem futurorum, & varietatem temporum, quæ ipsa sunt quodammodo causa. Secundo modo sunt in signa, id est distinctiones temporum, & annorum, & dierum.

ART. I. QVÆST. I. II. III. ART. II. QVÆST. I. II.

HAbere dicitur dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter, stellæ causant effectus, quos continent virtualiter, &c.

De cælestibus luminibus loquimur dupliciter, vel quantùm ad naturam, in qua conueniunt, videlicet quantùm ad naturam lucis, & sic verum est, quòd magis conformantur igni, quàm alij elemento; vel quantum ad virtutes proprias ad regimen inferiorum: & sic quædam magis communicant cum igne, quædam cum aliis elementis.

QVÆSTIO TERTIA.

MOres, & euentus à syderibus causari dupliciter potest intelligi, aut necessariò, aut contingenter: primo modo falsum est, & hæreticum, tolleret enim meritum, &c. Secundo modo potest esse verum, quatenus dispositio corporis facit ad variationem affectionum, & morum, & ad illum concurrunt syderum influxus, licet plus virtus naturæ inferioris.

DISTINCT. XV.

TEXT.

REptile dicitur quadrupliciter: primo quod se trahit vi oris, sicut vermes; secundo quod vi costarum, sicut serpentes: tertiò quod vi penularum, vt pisces: quartò largè quod in se mouendo applicat magnam partem corporis terræ, quamuis habeat pedes, vt lacertæ, & stelliones. Dub. 1.

Nouum dicitur dupliciter, primò contra antiquitatem cursus naturæ, & consuetudinem rationalis creaturæ: secundò cuius nulla similitudo præcessit, nec etiam aliquod principium creatum, quod esset ipsius seminarium: primo modo Deus facit multa miracula, quæ dicuntur noua: secundo modo dicitur Eccles. 1. nihil sub sole nouum; nihil enim fit, cuius Deus non fecerit aliquid aliquo modo simile, aut non produxerit principium seminale in operibus sex dierum; productio Christi excedit omnium complementum, & puræ est gratiæ. Dub. 4.

ART. I. QVÆST. I.

ESt potentia quædam spiritualis indita à creatore ipsi materiæ corporali, & ei innitens, & ab ea dependens: & propterea anima sensibilis in brutis generatur, & corrumpitur per transmutationem corporis naturæ.

QVÆSTIO II. III.

SIcut duplex est quantitas, molis & virtutis, sic duplex est prædominantia elementorum, quantùm ad molem, & quantùm ad virtutem; respectu primæ in corporibus animantium prædominantur elementa passiua, respectu secundæ elementa actiua, idque ratione finis imponentis necessitatem iis, quæ sunt ad ipsum; finis autem corporis animati anima est, in quantum dat ei vitam, sensum, & motum: ad vitam autem corpus non esset habile, si prædominarentur elementa passiua quantum ad molem, & virtutem, propter sui grossitiem, & soliditatem, vt potest in mineralibus: similiter non esset aptum, si prædominarentur ei elementa actiua secundum virtutem, & molem, quia statim consumerentur elementa passiua, nec esset quod posset vegetari ab anima, & ita oportuit, quod

quod ex mutua quadam prædominantia consurgeret mutua quædam proportio, & concordia, ex qua corpus illud esset aptum ad vitam suscipiendam, &c. & animam, quæ est quædam harmonia ad sensum.

ARTIC. II. QVÆST. I.

FInis, ad quem res ordinatur, duplex est; quidam principalis, & vltimus; quidam est finis sub fine: primo modo finis omnium est Deus, qui omnia fecit ad laudem suæ bonitatis: secundo modo homo est finis omnium sensibilium, quia propter ipsum facta sunt.

QVÆST. II. III.

DVplex est agens; quoddam, quod mouetur, & laborat in sua operatione; quoddam verò, quod nec mouetur, nec laborat: primum quiescit per quietem, quæ est priuatio motus, & laboris, vt agens creatum: secundum verò quietè, quæ est cessatio ab opere, propter ipsius perfectionem, non quia sit laboris, & fatigationis priuatio; sic dicitur Deus ab omni opere quieuisse.

Duplex est perfectio vniuersi; vna præcipua secundum esse permanens: alia secundum esse decurrens: prima attenditur in completa existentia principiorum, & completo numero specierum: altera consistit in productione eorum, quæ per tempora decurrunt, & sibi ipsis consequenter succedunt.

DISTINCT. XVI.

TEXT.

REs est duplex; quædam cuius operatio consequitur naturam, & opus eius sic est artificiale, vt non sit naturale, verbi gratia homo pictus; quædam quæ est fundamentum naturæ, & opus illius est naturale, quia fabricat ipsum natura: & talis est ars; cuius opus est creare. fin.

ARTIC. I. QVÆST. I.

SImilitudo multipliciter dicitur; primò per conuenientiam omnimodam naturæ, sic vna persona Trinitatis est similis alteri: secundò per participationem alicuius naturæ vniuersalis, vt homo, & equus assimilantur in animali: tertiò secundum proportionabilitatem, vt auriga, & nauta in regendo: quartò per conuenientiam ordinis, sicut exemplatum assimilatur exemplari. Primis duobus modis nulla creatura assimilatur Deo: secundis duobus omnis creatura assimilatur Deo, sed quæ longinquè habet rationem vestigij, quæ proximè imaginis, vt homo.

QVÆSTIO SECVNDA.

IMago dicitur ab actu repræsentandi: dupliciter autem repræsentatio conuenit alicui, vel per formam naturalem, vel per formam artificialem; & ideo duplex est imago naturalis Dei, quia repræsentat per suam formam; & potentias naturales.

QVÆSTIO TERTIA.

PRoprium dicitur dupliciter, vel simpliciter, vel alicui: primum est, quod conuenit omni soli: secundum, quod conuenit omni contento sub illa specie: ita quòd conuenit quibusdam aliis, & quibusdam non conuenit, sicut esse bipedem conuenit homini, respectu quadrupedum, non volatilium: sic esse imaginem propriè conuenit homini, respectu brutorum, non respectu Angelorum, quia communiter conuenit hominibus, & Angelis.

Superlatiuus dupliciter exponi potest: primò per suum positiuum cum aduerbio valde, vt albissimum, id est valde album: secundò respectiuè, & tunc dicit excessum, respectu omnium, ad quæ comparatur, & non potest conuenire pluribus.

ARTIC. II. QVÆST. I.

TRiplex est ordo in creatura rationali, secundum quem conformatur Deo: primus, quod immediatè nata est Deo coniungi: & hoc est essentiale imagini, & in hoc æquiparatur Angelus, & homo: secundus, quo præponitur creatura, quæ est imago, aliis creaturis: & in hoc Angeli præcellunt, quia non solùm bestiis, sed etiam hominibus rectores sunt deputati. Tertius est ordo, quo creaturæ irrationales ad rationales ordinantur, tanquam in finem propter quem sunt factæ, & mediante illo in vltimum finem principalem; & secundum hunc magis conuenit homo cum Deo, quàm Angelus, quia magis propter illum facta est creatura corporalis; vice versa quantùm ad ordinem sub ratione regiminis, secundum quem magis conuenit Angelus cum Deo, quàm homo.

Quædam est conuenientia habitudinis, quæ est de esse imaginis; quædam de bene esse; illa est, quæ consistit in comparatione ad intrinseca, sicut ad potentias, & in hac homo, & Angelus adæquantur, quia in vtrisque est distinctio, origo, ordo potentiarum animæ. Secunda est, quæ attenditur in comparatione creaturæ rationalis ad aliquod extrinsecum, vtpote ad corpus ipsa inferius.

Hæc dupliciter potest esse expressior, vel priuatiuè, vel positiuè: si positiuè, sic anima est imago expressior, quæ in hoc, quod coniungitur corpori, & per hoc est principium aliorum, & totum inhabitat, magis repræsentat Deum, qui est principium omnium, & vnus in omnibus; si autem priuatiuè, sic Angelus magis repræsentat Deum, quia Deus est spiritus purus omninò impermixtus, & independens, &c. & sic Angelus quantum ad aliquid est æquè principaliter imago Dei, quantùm ad aliquid magis, & quantùm ad aliquid minus, quàm homo.

QVÆST. II. III.

NObilissimum in anima dupliciter potest attendi; vel secundum distinctionem potentiarum, videlicet affectiuæ, & cognitiuæ; vel cundum cognitionem statuum; videlicet superioris portionis, & inferioris: Cum ergo dicitur, quòd imago consistat penes nobilissimum, intelligitur quantum ad statum in superiori parte, non quantùm ad potentias, quia imago complectitur tam affectiuam, quàm cognitiuam, cum vtraque nata sit immediatè ferri in Deum fin.

Digitized by Google

DISTINCT. XVII.

TEXT.

ART. I. QVÆSTIO I.

GEnus dupliciter accipitur: propriè, & sic dicuntur aliqua conuenire in genere, quæ conueniunt in aliqua forma, & natura communi; largè, & sic dicuntur aliqua conuenire in genere, in quibus est aliqua conuenientia spiritualis secundum habitudinem analogiæ: sic dicit August. 12. Trin. quòd anima cognoscit in quadam luce sui generis, & vocat illam lucem increatam, & dicitur sui generis, quia est spiritualis, sicut anima.

QVÆSTIO SECVNDA.

SImplex dicitur dupliciter, aut quod caret partibus constitutiuis, aut quod quantitatiuis: anima simplicior est aliis formis hoc secundo modo, quia non habet partes extensas nec per se, nec per accidens.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

NAtura cælestis dupliciter sumitur, aut per proprietatem, aut per conformitatem: primo modo dicitur esse natura quinti corporis non habens appetitum ad formam, quia perfecta est sua forma, impassibilis, incorruptibilis: talis est stellarum, & firmamenti. Secundo dicitur natura cælestis illud, quod est conforme cælo in subtilitate, claritate, & in quadam subleuatione à contrarietate, & sic spiritus, qui sunt de constitutione corporis viuentis, dicuntur esse naturæ cælestes.

QVÆSTIO TERTIA.

DVpliciter dicitur æqualitas miscibilium in mixto, videlicet à pondere, & à iustitia; prima non est possibilis in rerum natura, potest enim dici tripliciter, vel quia miscibilia adæquantur, tum quoad quantitatem molis, tum quoad quantitatem virtutis, & hoc est impossibile, sicut & quod aurum æquetur argento in quantitate, & valore; vel tantùm quoad quantitatem molis, & hoc est impossibile: statim enim elementa actiua consumerent passiua; vel tertio quoad quantitatem virtutis, & hoc etiam est impossibile: tantum enim resisteret virtus vnius, quantum ageret virtus alterius: & sic non esset profundatio, & confractio vsque ad minima, & non esset mixtio; & sic in corpore Adam non fuit æqualitas in pondere.

Æqualitas à iustitia attenditur in commensuratione miscibilium, secundum proportionem debitam, & secundum exigentiam formæ introducendæ: & hæc reperitur in homine in statu gloriæ perfecta, sine discordia, vel repugnantia, in statu miseriæ diminuta cum inæqualitate, & discordia; in statu innocentiæ debebatur media, nimirum aliena à discordia, & repugnantia miscibilium per adiutorium intrinsecum animæ gubernantis, & extrinsecum alimenti nutrientis.

DISTINCT. XVIII.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

POtentia animæ ad effectus, vel est propinqua, & sufficiens, vt in semine animalis, & sic dicitur habere in se propriè rationem seminalem: vel est remota, & insufficiens, sicut est in pane, vel alimento, vt ex eo fiat homo, & sic minus propriè dicitur ibi esse ratio seminalis.

Costa dupliciter considerari potest, aut in se, aut inquantum fuit pars viri: primò ita distabat à formatione corporis mulieris, sicut limus à formatione viri. Secundò autem quia vir, & mulier sunt personæ, in quibus potest esse affinitas, & attinentia; talis formatio faciebat maius quoddam vinculum, quàm fuisset inter virum, & elementum terræ.

Natura dicitur dupliciter: primò omne id quod competit rei à sua naturali origine: & sic creaturæ competit, vt ex ea producatur quidquid Deus vult, & contra hanc naturam Deus nunquam facit. Secundò dicitur naturale propriè vis insita rebus, secundum quam res naturales peragunt cursus suos, & sic Deus aliquando facit contra naturam, quando videlicet diuerso modo facit, quàm natura, vt cum restituit visum cæco, & vitam mortuo, & hoc dicitur miraculum; aliquando verò facit supra naturam, quando videlicet facit aliquid, cuius simile natura non operatur, neque habet ordinem secundum proprium virtutem, & dicitur mirabile, vt quando Deus factus est homo.

QVÆST. III. ART. II. QVÆST. I. II. III.

DISTINCT. XIX.

TEXT.

IMmortale dupliciter dicitur, vt priuat actu, & aptitudine moriendi, & vt priuat actu solùm: primo modo opponitur directè ei, quod est mortale, & non potest esse circa idem. Secundo modo mortale, & immortale non habent oppositionem, quia potentiæ rationales, & quæ ipsis subiiciuntur, sunt ad opposita.

Mortuum potest esse nomen, & participium: primo modo denominat non solùm à morte, quæ infuit, sed & quæ est, & quia homo continuò tendit ad mortem, ideo potest dici mortuus, & Apostolus ait, quòd corpus mortuum est propter peccatum: secundo modo significat solam mortem infuisse.

ART. I. QVÆST. I. II. ART. II. QVÆST. I. II.

ARTIC. III. QVÆST. I.

INnocentia dupliciter accipitur; priuatiuè, quia priuat culpa; & positiuè, quia ponit iustitiam contrariam: primo modo non erat causa immortalitatis: sed secundo, vt importat iustitiam originalem, merito cuius erat in anima vis totius corporis contentiua.

DISTINCT. XX.

Text.

ART. I. QVÆST. I. II. III. IV. V. VI.

DISTINCT. XXI.

Text.

COntinet varias ſpecies, & modos tentationum.

ART.I.QVÆS.I.II.III. ART.II.QVÆS.I.II.III.

ARTIC. III. QVÆST. I.

VEniale vel eſt ex genere actus, vt dicere verbum otioſum, vel mendacium iocoſum; aliud ex ſurreptione,& pronitate naturæ corruptæ, & hóc præuenit, non ſequitur iudicium rationis, hoc habet ex alia ſententia probabili.

QVÆSTIO II. III.

PEccatum vnum dicitur maius altero, aut propter maiorem libidinem, & ſic magis peccauit Diabolus, & plures homines de facto, quàm Adam; aut ob maiorem ingratitudinem,& ſic peccatum Adæ fuit maius peccatis poſterorum, ſed minus peccato Angeli: aut ob maiorem læſionem, & hæc conſideratur vel intenſiuè, vel extenſiuè: intenſiuè non fuit maius omnibus,quia non ita deprauauit voluntatem eius, vt quædam alia peccata voluntatem aliorum; extenſiuè autem fuit maius omnibus, quia nullum peccatum tot perſonis nocuit quot Adami.

DISTINCT. XXII.

Text.

QVædam opponuntur propter bonum, quod habent in ſe: quædam propter bonum,quod conſequitur, vt tribulationes, ex quibus ſequitur meritum, & præmium: quædam propter comparationem maioris mali, quod propriè non eſt appetere, ſed confugere, vt proiectio mercium in mare, ad vitandam mortem. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I. II. III.

ALiquid poteſt dici corrumpere dupliciter; aut per modum cauſæ, aut per modum occaſionis: primo modo culpa Adami dicitur maior, quàm Euæ, quia fuit cauſa transfuſionis peccati in poſteros: ſecundo modo grauior eſt culpa Euæ, quæ fuit occaſio Adæ, & proinde peccati poſterorum. Simpliciter peccatum Euæ fuit maius, & maiori pœna dignum.

ART. II. QVÆSTIO I.

PEccatum ex ignorantia dicitur dupliciter: propriè, & communiter: propriè prout diſtinguitur peccato ex infirmitate, & induſtria, & dicit priuationem ſcientiæ, quæ competit non natura, ſed merito primæ culpæ. Communiter autem dicitur, quod committitur ex aliqua neſcientia exiſtente circa peccatum, ratione cuius nec conſiderat grauitatem culpæ, nec grauitatem pœnæ: primo modo non fuit in primis parentibus, ſed ſecundo, quia non fuit pœna, cùm non præceſſerit culpa, ſed quædam naturalis imperfectio, &c. quæ non eſt pœna, neque culpa, nec voluntaria, nec inuoluntaria.

QVÆSTIO SECVNDA.

COgnitio alia eſt eorum, quæ non ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt artium liberalium, & mechanicarum: & hæc non eſt culpa: alia credibilium, & operabilium, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, & ad hanc tenemur.

Priuatio eius dupliciter contingit, aut manente tentatione, aut non manente: ſi manente, eſt ibi culpa: ſi non manente, ignorantia excuſat, vt in furioſis.

Aut diſtingui poteſt, quod priuatio cognitionis ad hanc neceſſariæ dupliciter poteſt eſſe: aut ita quod eſt in nobis, ſed non à nobis: & hoc modo culpa non eſt,ſed pœna: aut ita quod eſt in nobis, & à nobis: & ſic culpa eſt, vel quia à via veritatis deflectitur in errorem,vt contingit hæreticis: vel quia voluntariè in tenebris ignorantia ambulat, qui poteſt veritatem attingere,quæ eſt ignorantia affectata: aut quia ex quadam pigritia non curamus veritatem addiſcere, quæ dicitur ignorantia craſſa,& ſupina,& quælibet iſtarum eſt culpa:prima maior quàm ſecunda, & hæc quàm tertia.

QVÆSTIO TERTIA.

IGnorantia aut eſt facti,aut iuris: prima eſt duplex, aut adhibita diligentia, aut non: primo modo excuſat à toto: ſecundo modo non excuſat à toto; ſed à tanto. Iuris ignorantia aut eſt vincibilis, aut inuincibilis: prima eſt culpa: & quidem ſi eſt affectata ex vna parte ita excuſat, vt ex alia magis aggrauet; ſi verò craſſa, & ſupina, aliquo modo excuſat, ſed non ita, vt liberet à gehenna: Si inuincibilis, poteſt eſſe dupliciter, aut eſt in nobis præcedente culpa, aut ſine illa: primo modo excuſat à toto, vt in infantibus, & dormientibus carentibus vſu rationis omninò; nam habentes ſemiplenum non excuſat à toto, ſed à tanto: & idem eſt ſi præceſſerit culpa: ſic Loth non omnino excuſatur à culpa inceſtus: ebrius enim non committit nouam culpam in ebrietate, ſed aggrauat primam.

DISTINCT. XXIII.

Text.

IAus alia eſt, quæ reſpicit opus voluntarium, inquantum nobile eſt, & hæc poteſt eſſe etiam ſine vlla tentatione; alia quæ reſpicit opus vt ſtrenuum, & arduum, quod conſiſtit in expugnatione aduerſarij 2. Timot.2. Non coronabitur niſi qui legitimè certáuerit. Dub.1.

ART.I. QVÆST.I.II.III. ART.II. QVÆST.I.

PRofectus ſcientiæ tripliciter contingit,vel ex parte ſcibilium, vel ex parte mundi cognoſcendi, vel ex parte maioris habilitatis in cognoſcendo: primo modo non profeciſſet Adam quantum ad ea,quæ fiunt curſu naturali,acquirédo nouum habitum, quia plenam notitiam habuit omniũ ab initio: aliis duobus modis poterat proficere:quia quod nouerat ſimplici notitia,cognoſcere

poterat experientia, & quæ intellectu perceperat, ſenſu etiam percipere: deinde ex frequenti conſideratione eorum, quæ nouerat, promptior fieri, & paratior ad iudicandum de rebus, quarum habebat habitum: in cognitione verò curſu voluntario, & mirabili, ſiue ſupernaturali proficere poterat, & quoad malum, & quoad acquiſitionem nouæ cognitionis: nam ad cognoſcenda myſteria opus habebat diuina reuelatione, & ad cognoſcenda ſecreta detectione eorum: nec dedeçebat illum ſtatum innocentiæ profectus iſte, qui etiam in Angelis beatis reperitur.

QVÆSTIO SECVNDA.

DEceptio eſſe poteſt vel circa ſcibilia, vel circa opinabilia, quæ tantùm cognoſci poſſunt per coniecturam, vt ſecreta cordis, futura contingentia, &c. prima non fuiſſet in Adam, quia omnium cognitionem habebat: ſecunda potuiſſet eſſe, vt dicit quamdam æſtimationem falſam ſine pleno conſenſu, non vt dicit firmam credulitatem, ſecundum quam non tantùm putatur verum, quod falſum eſt, ſed etiam approbatur, vel vice verſa: & hæc inuoluit quamdam iudicij obliquitatem, quæ non fuiſſet in ſtatu innocentiæ.

Duplex eſt iudicium, ſpeculationis, & operationis: in primo non eſt peccatum, nec pars liberi arbitrij: ſecundo modo poteſt eſſe error culpæ, vel præſumptionis, vel infidelitatis, & nunquam eſt ſine voluntate.

QVÆSTIO TERTIA.

DEus cognoſcitur quatuor modis, per fidem, per contemplationem, per apparitionem, & per apertam viſionem: primum eſt gratiæ communis: ſecundum gratiæ excellentis: tertium gratiæ ſpecialis: quartum gloriæ conſummantis.

Videre per medium contingit tripliciter, aut per medium diſponens, aut per medium deferens, aut per medium deducens: primo modo videtur Deus in prima, vbi mediante deiformitate, & influentia gloriæ diſponitur anima ad videndum Deum in ſeipſo: per medium deferens non videtur Deus: quia eſt immediatus omni creaturæ, ſicut nec per medium deducens, ſeu contemperans, vt aliqui poſuerunt, ne per immoderantiam lucis obtunderetur acies intellectus, quia excellentia luminis potius iuuat intellectum.

DISTINCT. XXIV.

PARS PRIMA.

TEXT.

MEritum aliud eſt demiſſionis pœnæ, aliud eſt vitæ æternæ: ad primum requiritur pœnalitas, & difficultas: ad ſecundum ſufficit ſola caritas.

Item eſt meritorium de genere operis, & eſt meritorium ex radice caritatis: primum eſt opus virtutis de ſe, & hoc eſt arduum, & difficile: ſecundo modo quodcumque opus ex caritate eſt meritorium. Dub. 1.

Declinare à malo dupliciter dicitur, ſicut non velle malum: primò priuatiuè, quo modo dormiens non vult malum, quia non habet affectionem ad malum: ſecundò contrariè inquantum quis nonvult malum, quia reſpuit, & afficitur contraria affectione contra malum. Dub. 2.

ART. I. QVÆST. I. II. ART. II. QVÆST. I.

INſpicere medium eſt dupliciter, aut per modum conſiderationis, aut per modum inclinationis: primo modo eſt cuiuſlibet virtutis ſecundum ſe, ſed per concomitantiam; quia ſicut ratio videt ſibi, & aliis potentiis; ſic prudentia, & fides diſcernunt ſibi, & aliis virtutibus: ſecundo modo non ſolùm eſt cognitionis, ſed etiam affectionis.

℟ Optimum ſumitur vel quantùm ad eſſe primum, vel quantum ad eſſe ſecundum: primo modo eſt vnum, videlicet forma vltimo completiua: ſecundo modo non eſt neceſſe, quòd ſit vnum, niſi collectiuè, ſicut ad bene eſſe multa concurrunt.

Quædam ſunt in genere per ſe, quædam per reductionem ad idem genus: primi generis ſunt quæ participant eſſentiam completam illius generis, vt ſpecies, & individua: ſecundi, quæ non dicunt completam eſſentiam, ſiue ſint principia, ſiue complementa, ſiue viæ, ſiue ſimilitudines, ſiue priuationes: principia vel ſunt eſſentialia, vt materia, & forma; vel integrantia, vt partes ſubſtantiæ. Complementa ſunt vel per modum actus, & ſic eſt actus primus, qui reducitur ad idem genus cum ſubſtantia, cuius eſt actus; vel per modum aptitudinis, & ſic differentiæ completiuæ reducuntur ad idem genus cum ſpecie. Viæ aut ſunt ad res, & ſic mutationes reducuntur ad ſubſtantiam: aut ſunt à rebus, & ſic potentiæ reducuntur ad genus ſubſtantiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. XXIV.

PARS SECVNDA.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DVplex eſt genus peccati, quædam enim ſunt carnalia, quædam ſpiritualia: prima non ſunt in ſuperiori parte rationis ſine inferiori: ſecundo poſſunt eſſe ſecundum ſe in ſuperiori tantùm parte rationis.

ARTIC. II. QVÆST. I.

SEnſualitas dupliciter ſumitur: primò pro vi appetitiua boni, vt nunc, & hæc eſt etiam in rationali, & ſine motu ſenſualitatis hoc modo dictæ: nunquam contingit peccatum in inferiori parte rationis, ſemper enim cum peccat, bonum vt nunc exoptat. Secundò dicitur ſenſualitas vis animæ ſenſualis, quæ intenditur in corporis ſenſus, & ſine hac contingit eſſe peccatum in inferiori parte, quantùm ad peccata ſpiritualia: quantùm autem ad carnalia vix, aut nunquam.

ART. III. QVÆST. I. II.

IVſtitia originalis dupliciter ſumitur: primò pro habitu quodam regulante naturam in ſtatu innocentiæ: ſecundò pro rectificatione plenaria omnium virium: primo modo eſt in ſola ratione, & opponitur ei culpa: ſecundo modo eſt etiam in viribus inferioribus, & aufertur non ſolùm per culpam, ſed etiam per pœnam, ſiue per

Digitized by Google

aliquod, quod partim habet rationem culpæ, partim rationem pœnæ: tale eſt veniale peccatum.

DISTINCT. XXV.

Pars Prima.

Text.

DE libero arbitrio eſt loqui dupliciter, vt eſt principium operum moralium ſecundum lumen rationis, & vt eſt principium operum gratuitorum ex gratia: primo modo conſideratur à Philoſophis: ſecundo etiam à Theologis, qui de gratia, & fide agunt. Dub.1.

Liberum arbitrium poteſt tripliciter conſiderari, aut in ſui generalitate, ſecundum quod conuenit creatori, & creaturæ; aut ſecundum eſſe, quod habet in creatura, non concernendo ſtatum; aut quantum ad ſtatum viatoris, & ſecundum has conſiderationes variè definitur ab Aug. Bern. Anſel. Dub.2.

De libero arbitrio loquimur, vel ſecundùm generales conditiones, & ſic dicit facultatem liberam à coactione, & ordinatam ad rectitudinis obſeruantiam, & eſt commune Deo & creaturis analogicè. Alio modo ſecundùm proprietates ſpeciales, & ſic eſt facultas ſeruandi rectitudinem, quæ non eſt ipſa rectitudo: in Deo autem eſt ipſa diuina eſſentia. Dub.3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

PRouidentia quædam contingit ex actu deliberationis, & præcognitionis, quædam ex inſtinctu naturali: prima eſt libertatis, & reperitur in ſolis rationalibus: ſecunda eſt naturalis ſagacitatis, & eſt etiam in brutis, natura enim prudentiſſima eſt.

Animal redigi non poſſe in ſeruitutem vel eſt à naturali libertate, vt in homine; vel à naturali ferocitate, propter quam reduci non poteſt ad ea quæ ſunt lenitatis, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

VNa potentia diſtinguitur ab alia, vel ſecundum rem, vt eſt cognitiua ab affectiua; vel ſecundum rationem, vt liberum arbitrium à voluntate, & ratione, inquantum videlicet illud concipitur in ratione mouentis hæc verò in ratione moti.

QVÆST. III. IV. V. VI.

DVplex eſt iudicium rationis, quoddã in ſolo dictamine, & hoc eſt rationis ſecundum ſe; aliud eſt ſecundum iudicium definitiuum, vt fiat, vel non fiat, & hoc nunquam eſt ſine voluntate.

DISTINCT. XXV.

Pars Secvnda.

Text.

LIbertas arbitrij conſideratur vel ſecundum eſſe, vel ſecundum bene eſſe: primo modo liberum arbitrium non poteſt minui per peccatum: ſecundo modo excludit malum culpæ, & pœnæ, & poteſt minui, imò & libertas tolli poteſt, vt in damnatis, qui neceſſariò ſunt ſubiecti malo pœnæ, & culpæ. Dub.1.

Libertas arbitrij & priuatiuè dicitur, & poſitiuè: priuatiuè dicitur per operationem ad illud, reſpectu cuius dicitur libertas, vt à quo: poſitiuè per comparationem ad illud, reſpectu cuius dicitur libertas, vt ad quod.

Seruitus, cui opponitur libertas, duplex eſt, videlicet coactionis, & ſubiectionis, & huius tam quoad miſeriam, quàm quoad culpam: & ſic triplex eſt libertas oppoſita per comparationem ad id, à quo habet diuidi à neceſſitate, à culpa, à miſeria: per comparationem ad id, ad quod, videlicet ad actum, in quem exit, conſideratur, vel reſpectu actus volendi, & dicitur libertas arbitrij: aut reſpectu actus volendi, relati ad finem, qui dicitur vſus, vel vti, & ſic dicitur libertas conſilij: aut reſpectu actus volendi quietati, ſeu fruitionis, & dicitur libertas complaciti. Dub.2.

ART. I. QVÆSTIO I.

LIbertas alia eſt à ſe, quæ nec eſt accepta ab alia, nec facta, & hæc eſt ſolius Dei: alia eſt à Deo facta, & accepta, quæ eſt Angelorum, & hominum. Anſ.

QVÆSTIO SECVNDA.

LIberum arbitrium conſideratur vel ſecundùm quod liberum, vel ſecundùm quod deliberans: primò modo poteſt eſſe non ſolùm contingentis, ſed etiam neceſſarij, vt patet in Deo, Angelis, Beatis, &c. non enim repugnat illi neceſſitas immutabilitatis, ſed coactionis: ſecundo modo eſt tantùm contingentis.

QVÆSTIO TERTIA.

LIberum arbitrium vel conſideratur ſecundum rationem communem Creatori, & creaturæ, & ſic obiectum eius eſt bonum, & æquum: vel vt reperitur in creatura, idque vel inquantum liberum, vel inquantum deficiens: primo modo exiſtit in actum bonum: ſecundo in malum.

QVÆST. IV. V.

CVm quæritur an liberum arbitrium cogi poſſit à Deo: dupliciter poteſt intelligi quæſtio: aut ita quod Deus poſſit auferre libertatem, & inducere coactionem; & hoc modo non eſt dubium, quin poſſit: aut quòd cogat ſaluâ proprietate libertatis, & eius naturæ, & hoc eſt impoſſibile, quia implicat duo contradictoriè oppoſita; ex hoc enim quòd liberum eſt, ſi vult aliquid, liberè vult: & ex hoc quod voluntarium eſt, ſi quid vult, voluntariè vult; ex hoc autem quòd cogitur ſimiliter vult, & inuitè ab alio, ergo ſimul eſt liberum, & ſeruile, voluntarium & non voluntarium, vtpote ab extrinſeco: voluntas igitur induci poteſt ab agente creato, mutari tantùm ab increato immittente affectus, cogi à nullo.

QVÆSTIO SEXTA.

DISTINCT. XXVI.

Text.

VStificatio dupliciter dicitur: primò eſt gratiæ infuſio, ſecundò in iuſtitia exercitatio. Dub.3.

ART. I. QVÆST. I. II. III.

ALiquod accidens comparatur ad aliquid, tanquam ad ſubiectum, & cauſam, verbi gratia, nigredo ad coruum; aliquod comparatur ad aliud tantùm vt ſubiectum, verbi gratia lumen in aëre, in quo recipitur: & hoc poteſt eſſe ſub triplici differentia, vel enim ortum habet ab inferiori, vt ſpecies lapidis in oculo, vel à pari, vt ſimilitudo ſpeculi in ſpeculo, vel à ſuperiori, vt lumen in aëre illuminato, & hoc nobilitat ſubiectum, quia confirmat ſuperiori, talis eſt gratia.

QVÆSTIO IV. V.

DVplex eſt actus formæ, vnus ab ipſa vt informante: alter vt ab efficiente, ſicut albedo ſubiectum ſuum informat, & oculum diſgregat: quantùm ad primum omnis forma eſt in actu continuo, non item quantùm ad ſecundum, ſic gratia, &c.

DISTINCT. XXVII.

TEXT.

MVltiplices diuiſiones gratiæ. Dub. 1. Vtimur aliquo, vel ſicut inſtrumento, vel ſicut habitu directiuo, vel ſicut obiecto: primo modo non contingit malè vti virtute, quia ipſa per ſe dirigit ad bonum: ſecundo modo contingit, quia nullum eſt bonum, circa quod non poſſit liberum arbitrium ſe deordinare, amando illud inordinatè. Dub. 2.

Virtus accipitur communiter, propriè, & magis propriè. Primo complectitur virtutem naturalem, & moralem: ſecundo modo comprehendit tantùm moralem, extenditur tamen ad Politiam, & gratuitam; tertio modo dicitur tantùm de virtute gratuita, & ſecundum omnes tres modos habet diuerſas comparationes ad actum, ad finem, ad principium, ad ſubiectum, & iuxta illas variè definitur à Sanctis. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I. II. III.

HAbere contingit dupliciter, vel perfectè, & ſic habet homo Deum in ratione quieſcentis, vel ſemiplenè, & ſic habet homo Deum in ratione tendentis: primum competit ſtatui patriæ: ſecundum ſtatui viæ.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

COntingit aliquod mereri ex congruo, & ex condigno. Meritum congrui dicitur, in quo eſt aliqua diſpoſitio congruitatis, reſpectu eius, ad quod illa diſpoſitio ordinatur, quæ tamen deficit à ratione condignitatis: tunc autem eſt meritum condigni, quando ratio meriti reperitur perfectè, & plenè, & eſt quædam commenſuratio, & adæquatio meriti ad præmium.

Congruitas tripliciter eſt: aut ſine dignitate; ſic peccator per bona opera in genere facta extra caritatem meretur de congruo primam gratiam: eſt enim quædam congruitas, quia facit quod in ſe eſt, non eſt tamen condignitas, quia inimicus Dei eſt, indignus pane, quo veſcitur. Aut ſecundo eſt dignitas cum indignitate, vt cum iuſtus meretur peccatori primam gratiam, illi enim dignus eſt exaudiri, vt amicus, hic verò indignus eſt, &c. Aut tertiò eſt dignitas cum inferioritate gradus, & ſic habens gratiam minorem, meretur peruenire ad culmum, qui modus congrui accedit ad perfectionem meriti, & quaſi medium tenet inter meritum condigni & congrui.

Quædam eſt profectus accidentalis, vtpote qui attenditur in fauoris intenſione, vel habitus radicatione, vel operum multiplicatione; alius eſt, qui reſpicit præmium ſubſtantiale, ſecundum quod dicitur homo dignus maiori præmio: & primus quidem dicitur in poteſtate gratiæ, & propriè non dicitur augeri, nec efficere dignum maiori præmio ſubſtantiali; ſecundus autem in poteſtate ſolùm infundentis gratiam eſt, & hunc non gratia, ſed meretur, & ſecundum illum augetur.

QVÆSTIO TERTIA.

OPus meritorium vel comparatur ad voluntatem liberam, & ſic eſt de congruo, & quodammodo noſtrum, & quaſi alterius generis à præmio: vel conſideratur vt ortum habet à gratia, & ſic dicitur condigni, quia gratia reddit acceptum Deo, & eſt quid diuinum, & ordinata ad gloriam. Hic habet alias comparationes meriti, &c.

DISTINCT. XXVIII.

TEXT.

HAbitus alius oritur à potentia, qui videlicet actuum frequentia oritur, & hic non dat nouam potentiam, ſed priorem habilitat; alius qui deſurſum deſcendit, & talis potentiam nobilitat, & dat poſſe. Dub. 1.

Poſſe aliquid facere contingit dupliciter: vel per ſeipſum ſine alieno auxilio, verbi gratia, ambulare, comedere, &c. vel cum alieno auxilio, quod ſibi præſto eſt, & hoc modo poteſt omnia homo, quæ præcepit Deus, quia præſto eſt per gratiam adiuuantem. Dub. 3.

Velle in nobis dupliciter conſideratur: primò vt nominat actum potentiæ affectiuæ, vt eſt quædam potentia naturalis: ſecundò vt nominat actum liberi arbitrij: primo modo idem eſt quod affici circa illud: ſecundo idem eſt quod eligere, & ſic diſtinguitur duplex voluntas, appetitus, & eligentiæ, non quia ſint duæ voluntates eſſentialiter diſtinctæ, ſed quia modus volendi eſt aliter, & aliter. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

VElle contingit dupliciter, exiliter, ac ſemiplenè, ſicut dicitur, vult, & non vult piger; vel plenè, & ſufficienter, ſicut dicit Apoſt. Philip. 2. Deus operatur in nobis velle, & proficere: primo modo poteſt eſſe in peccatore: ſecundo modo non eſt ſine gratia adiuuante, & præueniente.

QVÆSTIO SECVNDA.

MAndata Dei dupliciter contingit impleri, & quantùm ad genus operis, & quantùm ad intentionem mandantis: primo modo poſſunt impleri per gratias gratis datas, ſicut per fidem mandatum de adoratione, & per quandam naturalem pietatem mandatum de honoratione parentum: ſecundo modo non poſſunt ſine gratia

Digitized by Google

gratum faciente, quia Deus præcipit, vt conformetur voluntas noſtra voluntati ſuæ, quod non poteſt eſſe ſine cáritate.

ART. II. QVÆSTIO I.

FAcere quod in ſe eſt poteſt dupliciter intelligi: primò poſitiuè, quia facit aliquid ordinatum ad gratiam, & tantum facit quantum poteſt: ſecundò priuatiuè, quia facit quod in ſe eſt, quamuis illud non ſit ordinatum ad gratiam; primo modo non poteſt eſſe ſine gratia; ſecundo modo poteſt: ſed hoc non ſufficit, vt dicatur ſe diſponere ad gratiam.

Dupliciter contingit deteſtari culpam: aut quia eſt offenſiua maieſtatis, & æquitatis diuinæ; aut quia eſt læſiua propriæ naturæ; primus modus diſponit ad iuſtificationem, nec poteſt eſſe ſine gratia gratis data in ſtatu naturæ lapſæ; ſecundus non diſponit, & poteſt eſſe abſque dono gratiæ.

QVÆSTIO II. III.

OPus poteſt dici bonum tripliciter: primò ſimpliciter, & hoc eſt bonum ordinatum in finem, & meritorium, & ad hoc opus eſt auxilio gratiæ gratum facientis; ſecundò quia aliquo modo diſponit de congruo ad bonum, & hoc fit etiã extra caritatem, tamen cum recta intentione, & in hoc non poteſt arbitrium ſine gratia gratis data, per quam illuminetur, & excitetur ad faciendum quod Deo placet. Tertiò quia eſt ordinabile in finem, & habet aliquam ordinationem intra ſe, ſiue ex tranſitu ſuper materiam debitam, vt paſcere eſurientem, ſiue ex debita circumſtantia, vt hoc facere loco, & tempore: in nullum autem poteſt liberum arbitrium, quod ducit ad bonum perfectum ſine merito congrui, vel condigni.

DISTINCT. XXIX.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

QVpliciter aliquid acceptatur à Deo, primò generaliter, vt idem ſit acceptare, quod reputare bonum, & conſeruare; ſecundò ſpecialiter, quatenus ita acceptat, vt reputet dignum æterna gloria, quod facit, cum creaturam rationalem conſecrat in templum, adoptat in filium, & aſſumit in coniugium.

QVÆSTIO SECVNDA.

PErfectio vel eſt quantùm ad eſſe primum, vel quantùm ad eſſe ſecundum, & hæc eſt duplex; quædam, quæ habet ortum à perfectione ſecundum eſſe primum; qualis eſt quæ attenditur ſecundum accidentia orta ex principiis ſubiecti; quædam verò quæ non cauſatur à perfectione ſecundum eſſe primum, ſed potius eſt ſuprà illud, ſicut eſt perfectio in eſſe gratuito, vel glorioſo, quæ eſt in nobis, non ex nobis ſed à Deo; quando dicitur, quod Dei perfecta ſunt opera, intelligitur quantùm ad eſſe primum, & quantum ad eſſe ſecundum, quod cauſatur ab illo.

ART. II. QVÆST. I. ART. III. QVÆST. I.

PErſeuerantia dicitur vno modo propoſitum perſeuerandi in bono, & hoc modo eſt virtus, vel diſpoſitio conſequens virtutes inſeparabiliter; alio modo eſt continuatio in bono vſque ad finem, & ſic non dicit habitum, ſed potius ſtatum, quem primus homo non habuit.

QVÆSTIO SECVNDA.

EFficacia meriti prouenit vel ex difficultate operis, ratione cuius homo poteſt peruenire ad ſublimitatem Angelicam, ſuperando illam; vel ex promptitudine voluntatis, vel ex magnitudine caritatis, quæ eſt principalior inter omnia quæ faciunt ad meritum, quia ſecundum illius magnitudinem attenditur remuneratio præmij ſubſtantialis.

DISTINCT. XXX.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

QVædam difficultas venit ex genere operis, quædam ex defectu operantis. Prima eſt de eſſentia virtutis, quæ verſatur circa magna, & ardua: ſecunda accidit virtuti, vt virtus eſt, vnde & minuitur prout homo proficit magis, vel minus in virtute; illa fuiſſet in Adamo, hæc nequaquam.

QVÆST. II. ART. II. QVÆST. I. II.

ARTIC. III. QVÆST. I. II.

VErum aliud eſt, quod opponitur permixto, aliud, quod vano: primum eſt, quod eſt purum, & impermixtum. Secundum quod eſt permanens, & fixum.

Aliquid ordinatur ad reſurrectionem dupliciter; vel de neceſſitate, vel de congruo: primum eſt id, in quo nititur fundamentum, & fabricá corporis noſtri, & cui primo anima nititur: ſecundum eſt in quo conſiſtit complementum fabricæ corporis noſtri, & hoc eſt quod facit ad quantitatem corporis perfecti.

DISTINCT. XXXI.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

SEnſualitas tripliciter ſumitur: primò dicit diſpoſitionem ex parte carnis ad actum virtutis ſenſitiuæ: ſecundò dicit diſpoſitionem ex parte carnis ad ſentiendum cum virtute ſpirituali mouente, nondum anima carnem perficiente, qualis eſt embrio ante animationem: tertiò non tantum dicit diſpoſitionem cum virtute mouente, ſed etiam habilitatem, quæ ineſt ex anima perficiente. Primo, & ſecundo ſenſualitas eſt in nobis à generante: tertiò ab anima perficiente, quæ habet eſſe per creationem.

QVÆSTIO SECVNDA.

ORiginale conſideratur dupliciter, aut prout eſt culpa reddens animam Deo odioſam, aut prout eſt vitium deordinans ipſam potentiam; hoc ſecundo modo incipit à parte ſenſitiuæ

primo tantùm habet esse in rationali, in qua est libertas arbitrij; contrario modo quàm inceperit in Adam, ibi enim persona corrupit naturam, & ratio partem sensibilem, & voluntas carnem; in nobis autem originalis corruptio ascendit ad partem rationalem mediante parte sensitiua.

QVÆSTIO TERTIA.

ALiqua potentia dicitur minus posse refrænari dupliciter, vel ratione vehementiæ appetitus, & delectationis, vel ratione indigentiæ naturalis: primo modo minus potest refrænari generatiua: secundo nutritiua.

ARTIC. II. QVÆST. I.

TRipliciter dicitur aliquid agere in alterum: primò per prædominium, sicut contrarium agit in suum contrarium: secundò per influentiam, sicut corpus superius agit in inferiora: tertio per colligantiam, sicut quando duo ita sunt vnita, vt vnum trahat ad se alterum, & communicet alteri proprietates suas: hoc tertio modo caro inficit animam.

QVÆST. II. III.

LIbido tripliciter dicitur: primò improba voluntas: secundò delectatio immoderata: tertiò corruptio vitiosa, quam dicimus esse potentia generatiua præter actum generandi.

DISTINCT. XXXII.

TEXT.

CAusa originalis dupliciter considerari potest, vel in comparatione vnius hominis in se, vel in comparatione ipsius ad alterum propagandum: primo modo cum deletur originale quoad culpam, deletur & causa eius, quantùm ad hoc quòd non possit causari deinceps originale in anima baptizati: secundo modo non deletur originale quantùm ad causam, siue radicem, quia corruptio, quæ est causa originalis peccati propagandi, est corruptio naturæ, gratia verò sacramentalis delens culpam respicit personam.

ART. II. QVÆST. I.

COncupiscentia dupliciter accipitur: primò dicitur omne desiderium nimis intensum, & immoderatum, siue sit respectu boni interioris, siue exterioris, & est in vi appetitiua: secundò sumitur pro appetitu delectabili secundum tactum, & dicitur esse in carne, in sensualitate, in rationali parte; in carne causaliter, in rationali parte formaliter, in sensualitate vtroque modo.

Caro dupliciter sumitur in scriptura, aliquandò dicitur caro homo exterior, & sensualis comprehendit carnem cum potentia animæ sensitiuæ, estque subiectum concupiscentiæ carnalis: secundò dicitur caro pars hominis constitutiua, & sic concupiscentia non est in illa, nisi vt in causa.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVpliciter consideratur concupiscentia, aut secundùm quod est pœna, aut secundùm quod concupiscentia: primo modo dicit ordinem ad culpam, & habet causam promerentem, & ordinantem, meretur enim homo talem rebellionem ex sua culpa, Deus autem hoc malum ad aliud ex sua iustitia: secundo modo concupiscentia duo dicit, appetitum videlicet, & excessum: primus est à Deo: secundus non habet causam efficientem; sed deficientem, id est liberum arbitrium, & dicit priuationem.

ARTIC. III. QVÆST. I. II.

IVstitia dupliciter accipitur; primò pro bonitatis diuinæ condecentia: secundò vt considerat meritorum exigentiam.

DISTINCT. XXXIII.

TEXT.

PEccatum vnum dicitur maius altero multipliciter: primò causalitate, vt Diaboli, cuius inuidia peccatum intrauit in orbem terrarum: secundò generalitate; sic peccatum Adæ in totum genus humanum se diffudit: tertiò enormitate, vt Iudæ, qui Deum vendidit: quartò ingratitudine, vt illius, qui plura dona percepit: quintò periculositate; sic ignorantiæ peccatum dicitur maximè periculosum: sextò inseparabilitate, vt cupiditatis, quia cum alia peccata confenescant cum homine, auaritia iuuenescit: septimò importunitate, vt superbiæ, quæ etiam ex bonis operibus consurgit: octauò pronitate vt luxuriæ, ad quam homines sunt magis proni: nonò maioris gratiæ impugnatione, vt peccatum in Spiritum sanctum. 10. ratione maioris offensæ, vt idololatria. 11. 12. &c. habet hæc Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I.

PEccatum parentum transire ad prolem potest intelligi tripliciter; aut punitione, aut imitatione, aut transfusione: secundum punitionem temporalem transit, non secundùm æternam: secundùm imitationem transit in eos, qui imitantur parentes malos: secundùm transfusionem solum peccatum primi parentis transiuit in posteros, quia in illo solùm potuerunt obligari, & in eo tota massa potuit vitiari, & caro omnium infici, & fœdari.

QVÆST. II.

ARTIC. II. QVÆST. I.

NAtura accipitur dupliciter: primò dicitur vis insita rebus ex similibus similia procreans: secundò dicitur natura ipsum commune, vt natura humana.

QVÆSTIO SECVNDA.

ORiginale peccatum dicitur dupliciter: primò quod est origo omnium peccatorum, vt Adæ, & sic est vnum specie, & numero: secundò quod est in nobis ab origine, & à quo cætera vitia sumunt originem, & sic secundum speciem est vnum in omnibus, quia priuat eadem originali iustitia, vt innocentia; secundum numerum autem vnum est in singulis hominibus.

ARTIC. III. QVÆST. I.

DVpliciter cõtingit aliquid non pati ab alio, aut propter virtutem, quam habet in se, aut ex ordine diuinæ iustitiæ: hoc secundo modo paruulorum non patiuntur ab igne inferni.

Digitized by Google

DISTINCT. XXXIV.

Text.

VOluntas dupliciter dicitur esse causa alicuius, vel per modum merentis, vel per modum efficientis: primo modo est causa pœnæ: secundo culpæ, licet sit potius causa deficiens. Dub. 2.

Integrum bonum dicitur dupliciter, & quantum ad integritatem sufficientiæ, & quantum ad integritatem superabundantiæ: primo modo est bonum, quod caret omni malo pœnæ, & culpæ; & dicitur bonum purum, quia nihil habet de malo admixtum. Secundo modo dicitur esse summum bonum, & est tantùm in Deo per essentiam, in creatura per participationem. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

ALiquid potest esse causa alterius, vt dispositio, vel conditio; tripliciter, aut ita vt dicat aliquod præambulum ad illum effectum: aut quia dicit aliquid annexum; aut quia dicit eumdem effectum, vt informans, & denominans suum principium effectiuum: primo modo lumen est à sole lucente, lucere enim est præambulum. Secundo modo dicitur esse lumen à sole calefaciente, calor enim comitatur lumen: tertio modo dicitur esse lumen à sole illuminante.

Sic malum culpæ est à voluntate deficiente defectu naturali, ita vt ille defectus sit præambulus ad culpam, & defectu pœnali annexo culpæ, quia inseparabiliter se habet defectus pœnæ, & defectus culpæ, licet hic sit separabilis à naturali.

ART. II. QVÆST. I.

SVmmum in aliquo genere dicitur dupliciter; primò quo nihil potest esse maius, & hoc modo non datur summum malum; quia nullum est tantum malum, quin possit dari peius, pro eo quod habet aliquid de bono, quo magis posset priuari. Secundò dicitur summum, quo nihil est maius secundum actum, quia excedit omnia, & sic reperitur summum in malis, vt Lucifer, qui pessimus est super omnes filios superbiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

TRiplex reperitur in nobis bonum; ordinabile, & hoc est naturale; per quod ordinamur, & hoc est virtus, vel gratia, & secundum natura ordinabilis est gratia, & hoc est habilitas media.

QVÆSTIO TERTIA.

MAlum siue peccatum dupliciter potest accipi, abstractiuè, & concretiuè: primo modo in recto sine prædicatione formali, non est aliquid, sed nihil, quia non est ens, nec bonum, sed priuatio boni; in obliquo tamen alicuius est, vt subiecti, vt oppositi. Secundo modo concernit illud, quod deformat, puta aliquam substantiam, aliquam actionem, sic dicitur anima mala, & actio mala: & sic malum aliquid est, & habet esse naturæ, & definitur esse dictum, vel factum, vel concupitum, &c.

Verbum, est, secundum Philosophum dupliciter prædicatur, aliquando vt compositio media inter duo extrema, & sic dicitur tertium adiacens: aliquando verò ita vt res importata per ipsum sit attributum, vel alterum extremorum: primo modo hæc propositio malitia est, vera est, quia facit sensum, quod malitia alicui inhæret. Secundo modo est falsa, sensus enim est, quòd malitia sit ens.

DISTINCT. XXXV.

Text.

LEx aliquando accipitur largè, prout comprehendit legem naturæ, & scriptam, & gratiæ; aliquando strictè pro lege scripta, vel data.

Obedientia accipitur dupliciter: primò vt dicit obseruantiam mandatorum Dei: & sic est communis omnibus virtutibus: secundò prout considerat rationem præcepti specialiter, & sic est virtus diuisa ab aliis. Dub. 4.

De peccato loquimur vel formaliter, vel materialiter: primo modo est priuatio: secundo modo substernit sibi actum: & ideo aliquando definitur per priuationem, aliquando per positionem.

Vt dicit priuationem consideratur vel in quantùm dicit recessum à bono, vel à rectitudine naturæ, vel à complemento omnis boni: & secundum has considerationes, variæ assignantur Definitiones à sanctis Patribus.

Item ratione substrati consideratur vel in ordine ad Deum, quem offendit, aut ad virtutem, quam excludit, aut ad bonum, vt nunc, quod prætendit. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

POena vel est inflicta, vel acta, vel contracta; priuatio boni, seu animæ deformatio est pœna acta, quia anima hanc pœnam in se facit, dum peccat.

QVÆSTIO TERTIA.

MAlum contrariari bono dupliciter potest intelligi, aut in se, & secundum formam, aut in suo effectu, & operatione; primo modo malum non potest contrariari summo bono, quod cum sit bonum per essentiam, nihil est contrarium: secundo modo quodammodo contrariari potest, & quodammodo non potest.

Dupliciter enim aliquid contrariari potest in suo effectu, aut quia repugnat ex parte virtutis ipsius Agentis, aut quia repugnat ex parte idoneitatis ipsius suscipientis: primo modo nihil potest repugnare Deo in suo opere, quia virtus eius omnipotentissima est. Secundo modo aut loquimur vniuersaliter, & simpliciter, & nihil potest contrariari Deo in opere suo: tantus est enim ordo vniuersitati inditus à Deo, vt à nullo possit perturbari; aut loquimur particulariter: & sic aliquid repugnare potest Deo in effectu suo, impediendo effectum diuinæ influentiæ in perfectionem, & beatitudinem.

ARTIC. II. QVÆST. I.

DEus respectu voluntatis nostræ consideratur vel vt mouens, vel vt dirigens, vel vt quietans. Quando quis peccat, discontinuatur à Deo, tanquam à principio mouente, quia Deus

nunquam mouet ad peccatum: & vt à ſapientia dirigente, & vt à fine quietante, cum ponat creaturam finem, &c. circa primum eſt modus, circa ſecundum ſpecies, circa tertium ordo, quæ tria corrumpit peccatum.

Omittitur hîc vna diſtinctio.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex eſt ordo, ante factum eſſe, & poſt factum eſſe: primus eſt ex intentione facientis, & priuatur à malo per malum: ſecundus attenditur ſecundùm iuſtitiam retribuentis: primus non cadit in malum, ſicut nec ſpecies: ſecundus cadit, quia ordinatur in peius.

QVÆSTIO TERTIA.

QVædam eſt gratia, quæ opponitur concupiſcentiæ ſecundùm id, quod eſt; quædam quæ opponitur ſecundum id, ad quod eſt: prima eſt gratia gratis data, quæ totaliter poteſt tollere concupiſcentiam dum ſanat, & reintegrat naturam corruptam: alia eſt gratia gratum faciens, quæ quamuis minuat concupiſcentiam, nunquam tamen finit, vt Aug. &c.

DISTINCT. XXXVI.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I.

POena dicit duo, malum ſiue damnum, & ordinem ad præcedens meritum: ſic peccatum ſequens in ſe eſt malum, & damnum, & habet ordinem ad peccatum antecedens. qui in peccato eſt, dignus eſt, qui dimittatur cadere, &c. & ſic peccatum poteſt eſſe pœna peccati, ſecundùm auctoritatem Sanctorum.

Quando dicitur, quod omnis pœna eſt laudabilis, dupliciter intelligi poteſt: vel enim conſideratur pœna vt in ſe eſt, & abſolutè, vel vt pœna, & relatiuè. Primo modo eſt falſa, multæ enim ſunt pœnæ, quæ ſunt paſſiones ignominiæ. Secundo modo vera eſt, quia ordinata eſt.

QVÆSTIO SECVNDA.

PAſſiones, quæ oriuntur ex natura corrupta corruptione pœnali, habent ſe tantùm vt pœna, verbi gratia ſitis, fames, &c. quæ verò ex ipſa corrupta corruptione vitioſa, habent etiam rationem culpæ, vt ira, inuidia, &c. quando voluntate conſummantur.

Voluntarium dicitur dupliciter: primò cuius principium eſt voluntas: ſecundò quod concomitatur voluntas, & vice verſa inuoluntarium quod non eſt à voluntate efficiente, & quod non ſit voluntate concomitante.

ARTIC. II. QVÆST. I.

DVpliciter loquimur de pœna, & ſecundum ſtatum incoationis, & ſecundùm ſtatum conſummationis: primo modo punitur homo remediabiliter: ſecundo irremediabiliter. Primam ſtatim infert Deus, quatenus peccatum ipſum damnum eſt, afflictio, & inuoluntaria paſſio, & remorſio, ſaltem in habitu. Secundam differt ob ſuam benignitatem, & patientiam; & idem vice verſa eſt de bono opere, cum quo eſt ſemper fructus bonæ conſcientiæ, &c.

Punire ſufficienter ſtat dupliciter, aut ſimpliciter, aut ſecundum quod competit ſtatui præſenti: & ſic punitur culpa in præſenti, in futurum reſeruatur reliquum.

QVÆSTIO SECVNDA.

MAlum pœnæ dupliciter poteſt ordinari, primò ad malum culpæ, quod puniendo ordinat: ſecundò comparatione boni, quod Deus elicit ex illa pœna: primo modo aut eſt ordinata pœna directè ad malum puniendum, aut ad malum excludendum: primi generis eſt pœna inferni: ſecundi generis eſt pœna purgatorij. Comparatione verò boni eliciti ordinatur vel ad bonum proprium, vel ad bonum alienũ; ſi ad proprium, oportet, quòd in ſubiecto illo aliquando fuerit culpa, & quòd poſſit eſſe de futuro, ſi ad alienum, ſufficit quòd culpa fuerit in alio: ſic Chriſti paſſio fuit ordinata ad redimendum genus humanum.

ARTIC. III. QVÆST. I. II.

PAſſio alia eſt ordinata, alia eſt deordinata ſimpliciter, & tantùm ſecundum quid ordinata: prima eſt, quæ purè pœnalis eſt, vt paſſio famis, & ſitis; & talis à Deo eſt: ſecunda eſt culpabilis, ſicut eſt deformatio imaginis, & corruptio habilitatis ad bonum: & talis non eſt à Deo, ſicut nec media, quæ eſt ex rebellione carnis ad ſpiritum, quæ ordinata eſt ad culpam præcedentem, & inclinatiua ad ſequentem.

DISTINCT. XXXVII.

TEXT.

QVando dicitur, Deus illius rei eſt vltor, cuius non eſt actor, gloſ. Rom. 1. notandum, quòd res dicitur tripliciter, communiter, propriè, & magis propriè: primo modo dicitur à reor reris, & comprehendit omne illud, quod cadit in cognitionem, ſiue ſit res exterius, ſiue in ſola opinione: propriè, dicitur à ratus, rata, ratum, ſecundum quod dicitur id, quod non ſolùm eſt in cognitione, ſed in rerum natura; & hoc modo res conuertitur cum ente: magis propriè dicitur etiam à ratus, rata, ratum, ſed prout dicitur illud, quod eſt ens per ſe, & fixum, vt ſunt ſubſtantiæ, &c. hoc tertio modo peccatum non eſt res, neque ratione ſubſtrati, neque ratione deformitatis: primo, & ſecundo modo eſt res ratione ſubſtrati, & ſic Deus eſt vltor deformitatis, ſed non actor. Dub. 1.

Natura dicitur tripliciter, primò res, quæ naturaliter eſt, vel proprietas, quæ naturaliter ineſt: Secundò omne quod conſeruat naturam: tertiò omnis res materialis, ſiue ſit naturaliter inhærẽs, ſiue non: & iſtis tribus modis poteſt accipi dictum Auguſtini, quòd natura eſt omne quod Deus fecit, facit autem Deus creando, concreando, cooperando: neque tamen facere eius ſe extendit ad deformitatem peccati. Dub. 2.

Subſtantia ſecundum Aug. dicitur primò res per ſe ſtans, & permanens: ſecundò non per ſe ſtans, ſed tamen permanens: tertio quælibet eſ-

ſentia actu ens, ſiue per ſe ſtans, ſiue non: & hoc modo ſubſtantia ſe extendit ad omne ens. Dub. 4.

Voluntas Dei alia eſt antecedens, alia conſequens, pœna eſt volita voluntate conſequenti.

Quædam habent eſſe in Deo ſecundùm conformitatem quoad eſſe generale; quædam, quæ ſecundum eſſe ſpeciale; pœna habet eſſe primo modo in Deo, videlicet in genere entis, & in genere ordinis. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IN actione duo conſiderantur, & quod eſt actio, & quod eſt prohibita; à Deo eſt vt actio; non vt prohibita.

QVÆSTIO II. III.

COmpoſitio tripliciter dicitur, componentis actio, componibilis paſſio, rei compoſitæ diſpoſitio: & quidem ſecundum quod aliquam poſitionem à Deo eſt, ſi verò habet definitionem adiunctam, nequaquam, ſicut neque deformitas actionis, &c.

In Idolo intelligitur dupliciter compoſitio, videlicet formæ artis ad materiam, & diuinitatis ad artificem: prima eſt à parte rei: ſecunda verò tantùm ſecundùm æſtimationem Idololatriæ, quæ nihil eſt vt ſic, neque eſt à Deo, ſed ſolùm vt actio eſt, & coniunctio formæ ad materiam.

ARTIC. II. QVÆST. I.

VErbum Imperatiui modi multipliciter accipitur in ſcriptura, præceptoriè, conſultoriè, inſinuatoriè, permiſſiuè, vt 3. Reg. vlt. Egredere, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

PRiuatio intentionis dupliciter poteſt intelligi: primò vniuerſaliter, reſpectu cuiuſcumque agentis, ſiue particularis, ſiue vniuerſalis, ſiue operantis, ſiue cooperantis, ſiue exequentis, ſiue gubernantis, & hoc modo nihil eſt caſuale, quia nihil eſt, quod non pertineat ad opus prouidentiæ. Secundò reſpectu agentis particularis, & hoc modo caſuale aliquid datur, & dicitur à Boet. lib. de Conſol. Caſus eſt inopinatus rei euentus: vbi inopinatus dicit priuationem, non eſt reſpectu Dei, nec à Deo.

Aliter dicitur accidens de ente, vt eſt differentia entis, aliter vt eſt differentia cauſæ: primo modo dicit habitudinem ad ſubiectum, quæ poſitio eſt, non priuatio: ſecundo modo dicit priuationem per quam aliquid dicitur eſſe cauſa alicuius per ſe: primo modo eſt à Deo, non ſecundo.

QVÆSTIO TERTIA.

IN Enunciatione duplex eſt veritas: vna eſſentialis, & hæc eſt, qua propoſitio repræſentat id, ad quod repræſentandum eſt inſtituta: & hæc eſt inſeparabilis, ſiue ſit vera, ſiue falſa enunciatio. Alia eſt accidentalis, quæ repræſentat rem, ſecundùm quod eſt; & dicitur adæquatio ſigni ad ſignatum; & tunc dicitur falſa, quando non repræſentat rem ſicuti eſt, vel res non eſt, ſicuti repræſentatur per ſignum, & vt ſic non eſt à Deo, ſicut neque iniuſtitia, vt eſt priuatio rectitudinis.

Defectus alius eſt, qui dicit priuationem alicuius poſitionis, & ordinis, ſicut eſt culpabilis: & hunc Deus non facit, neque aliquid, ad quod neceſſario ſequatur ratione facti à Deo. Alius eſt, qui eſt priuatio alicuius poſitionis, non tamen ordinis, quia poteſt ordinari: & hic ſecundùm quod ordinatus tribui poteſt Deo; & de hoc dici poteſt Deum facere aliquid, ad quod neceſſariò conſequitur, vt falſitas, ignorantia, cæcitas, &c. ſic iuſtificato impio, falſa eſt enunciatio, iſte eſt impius, neque tamen Deus dicitur facere falſitatem.

Inæqualitas dicit vel priuationem æqualitatis, vbi debet eſſe, & non eſt à Deo, cum ſit defectus; vel dicit ordinem, & gradum, qui debet eſſe inter res, & ſic dicit poſitionem, & eſt à Deo.

Veritas comparatur falſitati dupliciter, aut formaliter, aut cauſaliter, ſiue ratione eius, quod ſubeſt: primò veritas dicit adæquationem, falſitas inadæquationem: illa poſitionem, hæc priuationem, & ſic dignius eſt facere veram propoſitionem, quàm falſam, cùm veritas ſit dignior, quàm falſitas. Secundo modo aliquando dignius eſt, quod à parte rei reddit propoſitionem falſam, quàm quod reddit veram, vt enim dicatur, iſte eſt peccator, non verum reddit peccatum, falſam verò gratiam, quia veritas, ſiue adæquatio ex parte alterius extremi ita poteſt reſpicere priuationem ſicut poſitionem, & defectum ſicut effectum.

DISTINCT. XXXVIII.

TEXT.

COgnitio beatitudinis eſt duplex, in generali, & in particulari: prima eſt omnibus innata: ſecunda habetur per fidem nunc, & in futurum per beatitudinem. Dub. 1.

Voluntas finis dupliciter eſſe poteſt, aut ſicut obiecti, aut ſicut finis, in ratione finis: primo modo cum aliud ſit obiectum creatum, & aliud increatum, alia eſt voluntas finis, & eius quod eſt ad finem, ſicut alius motus affectionis in Deum, & creaturam: ſecundo modo vna voluntate; & vno decurſu volo vtrumque, non ſimul, & ſemel, ſed ſucceſſiuè, vt cum amo comeſtionem propter ſalutem. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

FInis dupliciter dicitur, in quo quieſcitur, & quo quieſcitur; & hic vel ſimpliciter, vel vt nunc; caritas increata eſt finis, in quo quieſcitur, creata verò, ſi ſit conſummata, eſt finis quo quieſcitur ſimpliciter; ſi verò tantùm inchoatà vt viæ, eſt finis quo quieſcitur, vt nunc.

QVÆSTIO TERTIA.

FInes plures ſtatuere tripliciter contingit: primò ita vt finis ſit ſub fine, & propter finem: ſecundò ita vt vnus ſit principalis, alter non, ita tamen, vt hic non referatur ad illum. Tertiò ita vt vterque ſit finis principalis, verbi gratia aliquis ad Eccleſiam, ad recipiendas diſtributiones, vel primò intendendo principaliter honorem, & gloriam Dei in canendis laudibus, & cum hoc opus miſericordiæ, diſtribuendo pauperibus lucrum illud; vel ſecundò intendendo honorem Dei, ſimul & lucrum, non referendo hoc in Deum, nec ſtatuendo finem principalem: vel tertio intendendo vtrumque principaliter. Primus modus eſt

bonus, & meritorius: secundus habet peccatum veniale: tertius est contra bonam voluntatem hypocritarum duplici corde ambulantium, quibus væ damnationis æternæ comminatur scriptura.

Pulchritudo, dulcedo, &c. dupliciter accipi potest, aut prout est informatiua, & perfectiua virtutis animæ, aut prout est motiua: primo modo tenet rationem finis sub fine, & pluralificari potest secundum diuersitatem dotium animæ: secundo modo vnitatem habet: nam in Deo idem est pulchritudo, dulcedo, &c. & habet rationem finis principalis.

QVÆST. IV. ARTIC. II.

QVÆST. I. II.

CVm dicitur intendere, præpositio, in, dicit habitudinem aut sicut ad obiectum, aut sicut ad terminum vltimum: primo modo intendere significat solùm conuersionem potentiæ ad obiectum: secundo modo addit collationem, & coniunctam quietationem: primum significatur, cum dicitur, intendo: secundum cum dicitur intendo hoc, intendo beatitudinem, id est tendo in beatitudinem.

DISTINCT. XXXIX.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

ARTIC. II. QVÆST. I.

IEx naturalis dupliciter accipitur: primò vt dicit habitum in anima: & sic quia per legem naturalem instruimur, & rectè ordinamur, dicit habitum, qui comprehendit affectum, & intellectum, & ita comprehendit synderesim, & conscientiam: secundò lex naturalis dicitur collectio præceptorum Iuris naturalis, & nominat obiectum synderesis, & conscientiæ, vnius sicut dictantis, & alterius sicut inchoantis.

QVÆST. II. III.

DISTINCT. XL.

Text.

NOminatur aliquid vel nomine generali, vel speciali: generalia nomina in moribus sunt bonum, & malum; specialia verò sunt nomina differentiarum specialium, vt specialium virtutum, & vitiorum. Dub. 1.

ARTIC. I. QVÆST. I.

INtentio vno modo dicit bonitatem finis, alio modo dicit etiam ordinationem eius, quod est ad finem: vtraque requiritur ad hoc vt oculus dicatur simplex, & totum corpus luminosum.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVantitas intentionis dupliciter potest intelligi, aut ratione actus intendendi, aut ratione ipsius intenti; Quantitas boni operis, & malitiæ in corpore correspondet quantitati bonitatis, & malitiæ in intentione, secundùm quod quantitas intentionis attenditur penes actum intendendi: non semper tamen secundùm quod attenditur ex parte intenti; sic qui intenderet mereri gloriam sancti Petri, non iccirco, quia intendit, mereretur.

ART. II. QVÆST. I.

MAius bonum dicitur dupliciter; aut intensiuè, quia plus Deo placet; aut extensiuè, quia pluribus prodest: & sic opus priuilegiatum dupliciter addere potest ad bonitatem intensionis: primò quantùm ad proximorum ædificationem, quantùm ad exemplum: secundò quantùm ad Dei approbationem, quantùm ad meritum: primo modo addit, quia bonitas intentionis non lucet exterius, nisi per ostensionem bonorum operum, & maximè priuilegiatorum: secundo modo addit respectu præmij accidentalis, quia aureola non debetur voluntati secundùm se, sed voluntati in opere; at respectu præmij essentialis opus priuilegiatum addit ad bonitatem intensionis, quantùm ad meritum congrui, quatenus disponitur voluntas per illud ad susceptionem maioris gratiæ, per quam digna est maiori retributione, non tamen ex merito condigni addit, quia hoc pensatur ex radicis quantitate, id est caritate.

Opus dupliciter dici potest excellens, aut secundùm vanam æstimationem, aut secundùm verum dictamen, vt est sustinere mortem pro Christo.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVando quæritur, an quantitas dati addat super intentionem, dupliciter considerari potest quantitas dati, vel comparando datum ad datum, vel etiam ad dantis facultatem: primo modo quantitas dati addit aliquid ad bonam intentionem, non respectu præmij essentialis directè, sed quia disponit ad proficiendum in bono, & recedendum à malo. Idem est respectu facultatis dandi; qui enim pensatis suis viribus plus dat, magis se disponit ad gratiam, &c. sic vidua illa Euangelica plus misit in gazophilacium.

QVÆSTIO TERTIA.

PRoficere in merito contingit dupliciter: nam vel loquimur de præmio essentiali: & sic maior caritas meretur maiorem gloriam, opera perfectionis disponunt ad eamdem; omnia verò bona opera conferunt ad conseruandam caritatem, & iis modis operum multiplicatio valet ad profectum in merito. Si verò loquamur de præmio accidentali, sic opera specialis excellentiæ faciunt ad perfectionem ratione adoptionis aureolæ, & alicuius internæ omnia opera facta in gratia; ratione autem diminutionis pœnæ valent omnia difficilia, & pœnalia.

Igitur operum dignitas, dati quantitas, operum numerositas faciunt ad profectum meriti, respectu præmij accidentalis.

DISTINCTI

DISTINCT. XLI.

TEXT.

INtentio duo respicit, oculum intellectus, & pedem affectus: primum dirigit fides: secundum Caritas. Dub. 1.

Dub. 3. numerat nouem gradus voluntarij.

ARTIC. I. QVÆST. I.

BOnitas alia est naturæ, alia moris; & hæc est duplex, ex genere, ex circumstantia secundum se, seu principalis, & perfecta, & quælibet habet differentiam mali sibi oppositi.

QVÆSTIO SECVNDA.

MAlitia tripliciter comparari potest ad actionem, aut secundum quod est actio, aut secundùm quòd hæc actio, aut secundùm quòd est talis actio: primo modo malitia tenet rationem accidentis separabilis, & communis; eadem enim actio, quæ fit cum culpa, potest causa aliquâ interueniente fieri sine culpa; eadem etiam actio secundum speciem in vno potest esse mala, in altero bona, verbi gratia prædestinatio Christi ob innatam gloriam; vel ex caritate in diuersis: malitia verò cõparata ad actionem, vt hæc actio est, habet rationem accidentis inseparabilis, & proprij, quia eadem semel mala non potest esse bona; comparata ad actionem, vt talis actio est, potest habere rationem differentiæ essentialis, sicut enim albedo est essentialis homini vt albo, ita malitia actioni, vt mala est, non vt actio est.

QVÆSTIO TERTIA.

ACtio deliberata vel est ordinata ad Deum vt finem, & hæc bona est, & si ex caritate est meritoria: alia est non ordinata, idque vel propter inordinatam conuersionem ad creaturam, & mala est malitia commissionis, vel propter negligentiam operantis, & est mala malitia omissionis; vel propter infirmitatem, & miseriam, & est indifferens, vt ambulare, comedere, &c. non enim requirit Deus à fragilitate humana, vt omnia, quæ facit, ad se referat actualiter, sed aliquando, nimirùm certo loco, & tempore.

Quiescere aliquid dicitur dupliciter; aut tanquàm in fine vltimo, sic voluntas quiescens in creatura peccat mortaliter; aut non sicut in fine; siue id prouenìat ex inordinata affectione, siue ex negligentia, siue ex infirmitate, qui tertius modus non est peccatum.

ARTIC. II. QVÆST. I.

VOluntarium potest aliquid dici tripliciter, aut voluntate aliena, aut propria, aut partim aliena, partim propria; sic peccatum originale voluntarium est voluntate aliena Adam, qui voluntaria transgressione corrupit se, & totam posteritatem; peccatum verò mortale est voluntarium voluntate propria; at veniale voluntarium est voluntate media, quia ex peccato Adam corruptio subsecuta est, ex qua oriuntur motus inordinati, cum quo tamen stat, vt veniale etiam sit simpliciter voluntarium, si fiat ex deliberatione.

QVÆSTIO SECVNDA.

PEccatum duo dicit, & deordinationem, siue priuationem ordinis circa actum alicuius potentiæ, & hanc vt dignam vituperatione, & punitione: quantùm ad primum peccatum habet rationem vitij corrumpentis, quantùm ad secundum habet rationem culpæ.

Peccatum vt est culpa, & demeritum propriè, & præcisè respicit liberum arbitrium, vt est vitium, cum deordinet actum alicuius potentiæ. hæc deordinatio dupliciter comparatur, vel ad actum istum, vt ad materiale, circa quod, & tanquàm ad causale à quo: primo modo versatur circa actum, non solùm voluntatis, sed aliarum etiam potentiarum, qui deordinantur per diuersa peccata: secundo modo solùm est à voluntate, quia penes ipsam consistit regiminis dominium, rectitudinis principium, regiminis complementũ.

QVÆSTIO TERTIA.

POena duo dicit, nocumentum naturæ, & instrumentum diuinæ iustitiæ, vnum tanquam materiale, alterum vt formale, vnde & est vltio, & est passio, & si [illegible] plenè rationem pœnæ directè respicit voluntatem, ita vt proprium sit ipsius voluntatis puniri, licet vt est passio lædens, & affligens respiciat alias potentias, & corporis organa.

DISTINCT. XLII.

TEXT.

REatus, seu obligatio ad pœnam est duplex, vnus respectu æternæ pœnæ; alter respectu temporalis; ad secundum non requiritur culpa præsens, sed sufficit, quòd fuerit præterita, & secuta sit emenda; ad primum requiritur culpa præsens, & fundatur super maculam, secundùm quod dicitur deordinatio, & priuatio, non tantùm ratione priuationis, sed etiam ratione debiti, nec solùm ratione auersionis, sed etiam conuersionis. Dub. 1.

Dub. 2. numerat septem diuisiones peccati iuxta septemplicem comparationem.

Superbia sumitur dupliciter: primò prout dicit contemptum communem, & mentis erectionem. Secundò vt dicit appetitum dignitatis, & honoris, & sic est speciale peccatum. Dub. 2.

Capitale vitium dupliciter dici potest, aut quia est præcipuum, & magnum in genere vitiorum, aut quia caput est, & principium aliorum. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

PEccatum operis exterioris, & voluntatis interioris dupliciter comparari possunt: primò vt duo ista sunt coniuncta, & ordinata, & vnum est ex altero: secundò vt sunt separata, ita vt vnus peccet voluntate tantùm, alter voluntate, & opere; sic peccata sunt diuersa non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, eò quòd actus voluntatis, in quo consistit ratio deordinandi est alius, & alius.

Conuenientia alia est formalis, alia ordinis: secundum primam magis conuenit voluntas interior cum interiori, quàm cum actione exteriori; at secundùm alteram non ita, quia non sic est voluntas à voluntate, sicut actio ex-

Digitized by Google

terior ab interiori,& ideo in illis duæ sunt voluntates, & duo peccata, in iis vnum.

QVÆSTIO SECVNDA.

VNum peccatum dicitur maius alio tripliciter, aut ratione maioris contemptus Dei; aut ratione maioris libidinis, & delectationis;aut ratione maioris damnificationis: primo modo opus non auget iniquitatem voluntatis, quia voluntas plena auertitur à Deo per se, sicut cum est operi coniuncta: secundo modo auget, maximè quantùm ad genus peccati carnalis: tertio modo etiam auget, maximè quando peccatur in proximum: sicut enim volens mœchari magis delectatur, quando exit in actum, ita & volens occidere magis nocet, cum actu occidit.

ART. II. QVÆST. I.

ANima dupliciter polluitur & mortali, & veniali materia, quæ quodammodo retardat actum dilectionis gratuitæ.

QVÆSTIO II.

ARTIC. III. QVÆST. I.

PEccatum consideratur vel in abstracto, vel in concreto: primo modo non distinguitur; nisi ratione sui oppositi, priuationes enim distinguntur per habitus: secundo modo non solùm dicit priuationem, sed etiam actum, vel habitum substratum, qui nó tantùm materialiter, sed etiam formali differentia diuersificant: alia enim est pronitas ad luxuriam, & alia ad superbiam; & alius est actus superbiæ, alius luxuriæ, non tantùm secundùm materiam, sed etiam secundum formã, propter formalem differentiam obiectorũ.

QVÆSTIO SECVNDA.

AVersio dupliciter accipitur: primò vt dicit deordinationem circa actum conuersionis: secundò vt dicit actum à conuersione distinctum: primo modo auersio, & conuersio non sunt diuersa peccata, & clauduntur in omni peccato mortali, nam conuersio non est culpa, nisi quia inordinata; nec inordinata, nisi quia auertit à Deo, cui deberet homo hærere, vt fini vltimo. Secundo modo constituit distinctum peccati genus, sic enim auerti est odisse, vel inuidere, & constat, quòd aliud peccatum est odium Dei, quàm amor boni commutabilis.

Auersio à Deo accipitur dupliciter, & prout dicit deordinationem à Deo, vt fine, & prout dicit motum inordinatum contra Deum; vice versa declinare à malo dicitur dupliciter.

DISTINCT. XLIII.

TEXT.

PEccatum ad mortem dicitur dupliciter, aut quia ducit ad mortem, aut quia disponit. Dub. 1.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IN morte corporali tria concurrunt, amissio vitæ, corruptio dispositionis ex parte corporis ad susceptionem animæ, impossibilitas reparationis secundùm cursum naturæ; ratione primi omne mortale dicitur ad mortem; ratione secundi peccatum in Spiritum sanctum, vel dicitur ad mortem, quia tollit dispositionem ad susceptionem vitæ per pœnitentiam; ratione tertij omne peccatum mortale, in quo quis corporaliter moritur, dicitur ad mortem.

QVÆSTIO II.

ARTIC. II. QVÆST. I.

QVando dicitur, quòd grauitas peccati attenditur secundum libidinis quantitatem, intelligendum est de quantitate secundum improbitatem voluntatis, non secundùm delectationé, quia grauius peccat fornicator, quàm iuuenis, qui tamen habet maiorem delectationem: itaque libido maior est, vel ratione maioris improbitatis, vel ratione maioris delectationis.

Peccatum in Spiritum sanctum intensiuè magis priuat; peccatum verò infidelitatis magis extensiuè, quia per hoc tollitur totius ædificij spiritualis fundamentum, per illud verò magis homo firmatur in malo, & minus habilis redditur ad bonum, vtplurimùm tamen infidelitas habet secum adiunctum peccatum in Spiritum sanctum.

QVÆSTIO SECVNDA.

REmissibile dicitur dupliciter: primò dicit aptitudinem, secundo consuetudinem; vice versa irremissibile dicitur, vel quia ineptum remitti, vel quia inconsuetum; nam vel claudit impœnitentiam, vt est finalis persistentia in peccato vsque ad vltimum instans, & sic dicitur ineptum remitti, vel vt dicit propositum non pœnitendi, & dicitur inconsuetum remitti, quia claudit viam ad gratiam, ad viam, & ingressum Spiritus sancti per obstinationem in peccato, & ideo nisi speciali vocationis fiat non peruenitur ad remissionis beneficium.

ART. III. QVÆST. I. II.

PRæsumptio alia est de meritis, alia de impunitate: prima est peccatum superbiæ: secunda est in Spiritum sanctum, quia claudit viam ad gratiam, & ampliat ad peccatum, dum ita aufert rigorem iustitiæ, vt totum tribuat misericordiæ.

Obstinatio dicitur dupliciter, & continua permansio in malo, & voluntas perplacens sibi in culpa perpetrata, nec priorè detestans, sed approbãs.

Veritas agnita tripliciter potest impugnari, aut propter ipsam veritatem, aut propter dicentem, aut propter effectum consequentem: primo modo nullus impugnat, cum omnes homines natura scire desiderent. Secundo, & tertio potest impugnari ex infirmitate, & malitia, vt cum quis impugnat pertinaciter vel in confusionem dicentis, vel ob sui defensionem, & excusationem dicentis, & propter odium dicentis, vel ob effectum consequentem vult præiudicium facere veritati in rebus ad salutem pertinentibus. Quòd si non adsit pertinacia, potest procedere talis impugnatio ex infirmitate, & non est peccatum in Spiritum sanctum.

Inuidia fraternæ gratiæ dupliciter esse potest, aut quia minuitur bonum proprium, cuius promotionem appetit singulariter, & est peccatum capitale; aut quia visus animæ ita est deprauatus, vt quia non videt bonum in se, sic etiam nolit

Digitized by Google

videre in alio, & eſt peccatum in Spiritum ſanctũ.

Impœnitentia dicitur dupliciter, priuatiuè, & contrariè: primo modo non eſt peccatum in Spiritum ſanctum, quia non ponit nouum peccatum, ſed circumſtantiam peccati præcedentis: ſecundo modo dicit voluntatem non pœnitendi, & eſt peccatum in Spiritum ſanctum.

DISTINCT. XLIV.

DVpliciter comparari poſſunt poteſtas ſuperior, & inferior: nam vel inferior totaliter fluit à ſuperiore, ad quam ordinatur, ſicut Proconſulis ab Imperatore, & tunc magis ſtandum eſt ſuperiori, quàm inferiori; aut ita ſe habent, quòd ambæ fluant à ſuperiori, & in caſibus determinatis vna ſupponit alteram, & illa plenum poſſe habet ſuper vtramque, vt eſt Pontificia ſuper Epiſcopum, & Archiepiſcopum, & tunc ſtandum eſt ſuperiori habenti plenam poteſtatem. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I.

POtentia peccandi vel conſideratur in ordine ad actum, vt eſt liberi arbitrij, & ſic à Deo eſt; vel vt defectibilis in ordine ad peccatum, & ſic non eſt à Deo, quatenus peccatum dicit deformitatem, & priuationem, ſecus vt dicit ſubſtratum, ſeu poſitiuam actionem.

Atteſtari nobilitati contingit dupliciter, vel per ſe, vel per accidens: ſecundo modo potentia peccandi atteſtatur nobilitati hominis.

QVÆST. II. ART. II. QVÆST. I.

PRæeſſe aliis contingit vel ex iuſtitia, vel ex aſtutia, vel ex violentia: primo modo poteſtas dominandi à Deo eſt, & reſpectu præſidentis, & reſpectu ſubiacentium: ſecundo, & tertio modo iuſta dici poteſt reſpectu ſubiacentium, quia eſt ad bonorum probationem, & ad malorum punitionem; at reſpectu præſidentis iniuſta eſt, & à Deo tantùm permiſſiuè: primo verò modo eſt à Deo faciente.

Eſſe contra ius naturæ dicitur aliquid dupliciter: primò ſimpliciter, deinde ſecundum aliquem ſtatum; hoc ſecundo modo intelligitur, quòd poteſtas dominandi eſt contra ius naturæ, non enim verum eſt ſecundum naturale dictamen naturæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

POteſtas dominandi dicitur tripliciter, largiſſimè, communiter, & propriè: primo modo dicitur reſpectu omnis rei, qua homo poteſt ad libitum ſuum vti, ſic dicitur dominus poſſeſſionum ſuarum, &c. ſecundo modo dicit excellentiam poteſtatis in imperando ei, qui eſt capax rationis, & præcepti: tertio dicitur poteſtas coërcendi ſubditos, quæ propriè eſt dominium, cui reſpondet ſeruitus: primo modo competit omni ſtatui naturæ integræ, lapſæ, glorificatæ: ſecundo modo naturæ integræ, & lapſæ, ſi enim homo ſtetiſſet, potuiſſet pater imperare filio, & maritus vxori, & reperitur etiam in Angelis quandiu ſunt ſpiritus adminiſtratorij: tertio modo conuenit tantum ſtatui naturæ lapſæ, ſeruitus enim ei reſpondens eſt pœna peccati.

ARTIC. III. QVÆST. I. II.

PRofitetur ſe communia vera, & aperta ſcripſiſſe, &c.

DISTINCTIONES, ET DIVISIONES EX LIB. III. SENTENTIARVM S. BONAVENTVRÆ.

DISTINCT. I.

TEXT.

PLENITVDO alia eſt naturæ, alia gratiæ, alia gloriæ. Naturæ adhuc duplex eſt: prima quantum ad rem in conditione; Compleuit Deus opus ſuum die ſexto. Gen. 2. Secunda quantum ad rerum multiplicationem; Domini eſt terra, & plenitudo eius, Pſal. 23. ſic plenitudo gratiæ duplex eſt, quædam in capite; Plenum gratiæ, & veritatis, Ioan. 1. alia in membris; Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Act. 1. ſimiliter plenitudo gloriæ duplex eſt, vel quantùm ad numerum electorum, Donec impleatur numerus fratrum veſtrorum, Apoc. 6. vel quantùm ad perceptionem æternorum bonorum: In plenitudine ſcilicet detentio mea, Eccl. 24. Dub. 1.

Eſſe ſub lege dicitur tripliciter, vel quantùm ad cauſam, vel quantùm ad obſeruationem, vel quantùm ad motiuum: primo modo conuenit natis ſub peccato: ſecundo obſeruantibus legem,

tertio seruientibus timore. Christus fuit sub lege tantum secundo modo, non quantùm ad obedientiam obligatoriam, vt alij homines, sed spontaneam. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I.

QVædam sunt verba, quæ in voce actiua significant passionem, & quædam quæ in voce passiua significant actionem, vt docet Priscianus; tale est vniri diuinæ naturæ; ipsa enim est, quæ vnit sibi humanam; nisi mauis dicere, quod vniri vt dicitur de diuina natura, aut persona, significat relationem, quæ dicit dependentiam solùm in natura humana.

QVÆSTIO SECVNDA.

CReatura comparatur ad Creatorem dupliciter: primò secundùm susceptionem alicuius complementi, deinde secundùm habitudinem relationis: prima respicit indistinctè tres personas, quia in illis vna est essentialis perfectio: secunda potest esse respectu vnius personæ determinatæ, quia istæ personæ relationibus distinguntur. Item.

Deus comparatur ad creaturam in ratione principij causantis, & in ratione suppositi substantificantis; in primo communicant tres personæ, propter vnicam virtutem operatiuam; in secundo potest esse respectus vnius personæ distinctæ, quia licet communicent omnes in natura, supposito tamen distinguntur.

QVÆST. III. IV. ART. II. QVÆST. I.

DEum humiliari potest intelligi dupliciter, vel in se, vel in ratione sibi vniti: primo modo nec humiliari, nec exaltari potest, cum sit inuariabilis: secundo autem potest, ad manifestationem suæ altitudinis, nam assumendo carnem infirmam deiecit superbissimum Diabolum, & hominem humilem exaltauit.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex est capitis proprietas, vna quæ attenditur secundum conformitatem ad membra, altera quæ attenditur secundùm donorum gratuitorum influentiam; ratione primæ Christus caput est, in quantùm homo, ratione secundæ inquantùm Deus.

Matrimonium duplicem habet significationem: nam significat coniunctionem Dei ad Ecclesiam, secundùm caritatem, & significat etiam coniunctionem secundum vnionem in personæ vnitate: primam habuisset in statu naturæ integræ.

DISTINCT. II.

Text.

COnceptio considerari potest vel secundùm ordinem temporis, vel secundum ordinem naturæ, hoc secundo modo prior est conceptio, quàm assumptio, quia non est assumptio nisi carnis organizatæ: secundo modo non est prior, sed simul. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

RAtio est causalitatis, & congruitatis; causalitatis in efficiendo; congruitatis in suscipiendo; cum ergo dicit Augustinus, quòd tota ratio facti est potentia facientis, intelligit de ratione causalitatis, non de ratione congruitatis.

Assimilari aliquid dicitur dupliciter, intensiuè, & extensiuè; hoc secundo modo magis assimilatur mundo archetypo, id est Deo, maior mundus, quàm minor, siue vniuersitas creaturæ, quàm rationalis: secundo modo nequaquam, ob distantiam aliquarum eius partium, in quibus relucet diuina bonitas de longinquo, sicut in vestigio.

QVÆST. II. III.

MAgnitudo diffusionis potest intelligi intensiuè, vel extensiuè.

ART. II. QVÆST. I. II. III.

FOrma specifica dupliciter potest intelligi, aut secundùm prædicationem, aut secundùm constitutionem: primo modo homo dicit formam communem Petro, & Paulo. Secundo modo dicit formam, quæ simul respicit animam, & corpus, & resultat ex coniunctione vtriusque, quia concurrunt ad vnam essentiam constituendam. In Christo fuit communis species vtroque modo ratione naturæ assumptæ, non tamen ratione diuinæ naturæ, & humanæ.

ART. III. QVÆST. I.

DAtur medium colligantiæ, vt medium congruentiæ: primum est, per quod extrema ligantur ad inuicem, sicut duo corpora iunguntur medio glutine: secundum est, ratione cuius congruum est aliqua duo extrema perduci ad aliquam vnionem, sicut nobilitas est medium congruum, cur mulier aliqua sit sponsa Regis; talis est anima rationalis, seu spiritus, respectu vnionis carnis ad Deum.

QVÆSTIO SECVNDA.

ANima vnitur verbo mediante habitu gratuito, vt habitus dicit rationem congruentiæ, quia non decet ipsam vniri, nisi assimiletur habitu perfectæ deiformitatis: non vnitur autem habitu gratuito, mediante tenente rationem causæ, quia hæc vnio respicit vnam personam, habitus autem ille, siue delectationis, siue cognitionis respicit tres personas.

Gratia vnionis accipitur tripliciter: primò dicitur gratia vnionis id, per quod efficitur anima congrua ad vnionem, & est gratia creata dans Deiformitatem; secundò dicitur gratia vnionis, quæ efficit vnionem, & est donum gratiæ increatæ: tertiò ipsa vnio gratuita gratis facta, & sic ex parte naturæ humanæ dicit quid creatum, non absolutum, sed relatiuum.

QVÆSTIO TERTIA.

VNio voluntaria dicitur dupliciter, aut quia est à voluntate, aut quia est secundum voluntatem: prima est mediante amore, sicut efficiente: secunda est ab amore, vt glutine coniungente: primo modo est vnio hypostatica inter naturam humanam, & Deum.

DISTINCT. III.

Text.

ALiquid est promotiuum ad bonum dupliciter, vel secundum omnem statũ, vel secundùm statũ naturæ lapsæ: sicut aliquid

conducit ad ſanctitatem communiter, vt cibus; aliquid ſecundùm ſtatum ægritudinis, vt medicina. Fomes eſt vtilis ſecundo modo ad expellendam deſidiam, & ſuperbiam. Dub. 1.

ARTIC. I. QVÆST. I.

HIc agit de Conceptione Beatæ Virginis, quam in originali conceptam docet, quia tunc non erat communis ſenſus Eccleſiæ, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

IDem docet, ſed rationes eius retorqueri poſſunt hoc tempore.

QVÆSTIO TERTIA.

PRobat ſanctificatam eſſe ante Natiuitatem, quia tota Eccleſia celebrat Natiuitatem; ſed etiam celebrat Conceptionem, ergo & conceptio fuit ſine peccato.

ARTIC. II. QVÆST. I.

PRobat non peccaſſe actualiter, ne ad modicum ſuccumberet Diabolo, & hæc ratio valet contra originale.

QVÆSTIO II. III.

DVbitatio alia prouenit ex fidei debilitate, alia ex admirationis immenſitate, quo modo dubitauit Beata Virgo.

DISTINCT. IV.

TEXT.

NOtum dicitur vel priuatiuè, vel poſitiuè: primo modo dicitur Verbum incarnatum, quia non habet partes, ſecundùm quas debeat incarnari. Secundo modo dicitur dupliciter, primò eſt idem quod conſtitutum ex ſuis partibus, ſecundò idem quod perfectum. Dub. fin.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DEcimatio eſt actus moralis, ſacramentalis, figuralis; Moralis dicitur alicuius partis donatio ad ſuſtentationem eorum, qui diuino cultui ſunt deputati. Sacramentalis eſt alicuius partis donatio ad curationem morbi originalis. Figuralis eſt decimæ partis donatio ad præfigurationem curationis vniuerſalis, quæ futura erat per oblationem Chriſti: primis duobus modis reſpicit tantùm tempus præſens: tertio etiam futurum, quo modo dicuntur filij Abraham decimati in Abraham, quia præfigurandi ſunt curandi per eum, qui figurabatur per Melchiſedech, id eſt per verum ſacerdotem Chriſtum; decimari enim dicitur ille, pro quo decima offertur; vnde Chriſtus non fuit decimatus in lumbis Abrahæ, vt oſtendit quæſtione ſequenti.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

CAro Chriſti dupliciter conſiderari poteſt, aut quantùm ad materiam, vnde ſumpta eſt, aut quantùm ad formam, ſecundùm quam animæ Chriſti coniuncta eſt, & à Verbo in vnitate perſonæ aſſumpta: primo modo fuit obnoxia peccato, quia ante conceptionem Chriſti tota maſſa humani generis corrupta erat; ſecundo modo nequaquam, quia nunquàm habuit illam formam, niſi munda, & immaculata: primo modo propagata fuit ab Adam ſecundum legem naturæ: ſecundo modo concepta fuit à Virgine præter omnem legem naturæ; propterea abſolutè negandæ ſunt iſtæ propoſitiones, Caro Chriſti fuit peccato obnoxia, Caro Chriſti fuit ſeminaliter traducta, Caro Chriſti fuit decimata, &c.

ARTIC. III. QVÆST. I.

DISTINCT. V.

TEXT.

ART. I. QVÆSTIO I.

CHRiſtus Incarnationis vel conſideratur ſecundùm vnibilia, & ſic manifeſtat diuinam potentiam in vniendo infinitè diſtantia; vel ſecundum modum, & ſic manifeſtat diuinam ſapientiam; vel ſecundum fructum, & manifeſtatur diuina bonitas, miſericordia, & caritas.

ARTIC. II. QVÆST. I.

BEneficium Incarnationis conſideratur vel ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam, vel quantùm ad efficaciam, vel quantùm ad circumſtantiam temporis: primo modo erat ſupra Sanctorum merita, quia non eſt iuſtæ retributionis, ſed eminentiſſimæ dignationis, & non ſequitur merita, ſed eſt fundamentum meritorum. Ratione efficaciæ cadit ſub meritum, quantùm ad liberationem à reatu carentiæ viſionis, & captiuitatis Diaboli, non quantùm ad ereptionem de ſtatu culpæ, niſi accipiendo meritum largè, vt eſt commune merito congrui, & condigni; ratione tertij cadit ſub meritum, quia ſancti Patres feruentiſſimis deſideriis meruerunt acceleration em Incarnationis.

QVÆSTIO SECVNDA.

MEritum congrui, digni, condigni, de quo etiam.

QVÆSTIO TERTIA.

GRatia vnionis tripliciter dicitur: primo gratia diſponens de congruo ad vnionem: ſecundò ipſa vnio gratis facta: tertiò ipſa gratia faciens vnionem.

ARTIC. III. QVÆST. I. II. III.

DISTINCT. V.

TEXT.

FOrma dupliciter dicitur, per priuationem materiæ: & ſic Deus dicitur forma: ſecundo modo per comparationem ad materiam, quam perficit: & ſic Deus non eſt forma. Dub. 1.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

COmmunicabile dicitur tripliciter, aut per vnius conſtitutionem, aut per prædicationé,

aut per proprietatum, & idiomatum communicationem; hoc tertio modo vbi est assumptio, ibi est communio, sed non primo, & secundo modo.

QVÆST. III. IV.

IN diuinis dupliciter contingit circumscribere personalitatem per intellectum: primò simpliciter considerando diuinam naturam, secundùm se, non in aliquo supposito, sed vt communicabile, & sic non conuenit ei assumptio, quia actio est formæ in suppositum, & assumptio est naturæ humanæ ad suppositum: secundò præscindendo à supposito Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed tamen intelligendo suppositum rationalis naturæ, sicut intelligunt Iudæi: & hoc modo potest intelligi assumptio conuenire Deo, licet non ita congruè, non enim esset ratio meditationis, nec satisfactionis, nec missionis, &c.

QVÆSTIO V.

ARTIC. II. QVÆST. I.

QVando dicitur, nihil assumitur nisi ens, dupliciter potest intelligi: primò nihil assumitur nisi ens in ipsa assumptione vt vis est, quia humana natura simul habuit esse, & esse assumptum. Secundò vt sit sensus, quòd debeat prius esse, quàm assumatur, & falsum est de ente in actu, potest enim Deus rem fabricare, & sibi vnire.

QVÆSTIO SECVNDA.

INdiuiduum in notificatione personæ triplicem importat distinctionem, singularitatis, incommunicabilitatis, & supereminentis dignitatis: Singularitatis voco, quòd vnum non sit commune ad plura, sed dicatur de vno solo, vt sortes: Incommunicabilitatis, quando aliquid non est alicuius pars, nec veniens in compositionem tertij; vnde pes, vel manus non dicitur indicium supereminentis dignitatis, quæ accipitur à digniori proprietate, & sic persona non dicitur nisi in indiuiduis nobilissimæ creaturæ, vtpote rationalis, & ratione nobilissimæ proprietatis. Natura igitur humana ordinata ad nobiliorem proprietatem eiusdem personæ secundum alteram naturam, caret proprietate supereminentis dignitatis, & non est persona, &c.

QVÆSTIO III. IV. V.

HVmanitas tripliciter accipitur: primò significat principia constituentia hominem. Secundò formam consequentem totum compositum: tertiò proprietatem ipsum hominem, vt homo est, & omnibus istis modis concedendum est Deum assumpsisse humanitatem.

DISTINCT. VI.

Text.

IN sacramento Altaris duplex est res: signata, & contenta, & signata tantùm. Prima est corpus Christi verum, secunda est corpus Christi mysticum. Dub. 1.

Augustinus distinguit habitum dupliciter: primò in se per differentias proprias, quæ respiciunt habitum quantùm ad esse, & istæ sunt tres: omne enim quod habetur, aut habetur interius, aut exterius, aut partim interius, partim exterius: si omninò interius, sic dicimus habitum animæ, vt scientiam, & disciplinam: si omnino exterius, sic dicimus habitum eorum, quæ exterius corpori accommodantur, vt esse vestitum, &c. si partim interius, partim exterius, sic dicimus alium alio validiorem, & fortiorem.

Secundò considerat habitum quantùm ad fieri, idque quadrupliciter; quod enim accedit alicui, aut mutat tantùm, & non mutatur, vt sapientia; aut mutat, & mutatur, vt cibus: aut nec mutat, nec mutatur, vt annulus; aut mutatur, sed non mutat, vt vestimentum. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

COmpositio dupliciter dici potest, primò propriè vnio aliquorum duorum habentium mutuam inclinationem ad constitutionem tertij. Secundò largè simul cum alio positio: & sic personalis vnio potest dici compositio; sed primo modo persona Christi non potest dici composita, quia sequeretur, quod esset mutata, imperfecta, temporaliter producta, &c. quare qui dixerunt esse compositam, in secundo sensu locuti sunt, quia persona, quæ ante Incarnationem erat suppositum in vna natura, postmodum facta est suppositum duarum, sine vlla sui mutatione.

QVÆSTIO TERTIA.

QVando dicitur, quod homo prædicatur de Christo per modum habitus, dupliciter potest intelligi, aut ita quod prædicatio sit purè accidentalis, aut ita quòd habeat aliquam rationem prædicationis accidentalis, sed verè sit substantialis. Secundo modo verum est, quia humanitas in Christo quodammodo habet rationem accidentis, quatenus substantificatur in supposito alterius naturæ, ita vt non det illi supposito primum esse, sed aduenit iam completo: primo modo falsum est, quia sicut Deus dicitur de Christo, tanquam de proprio supposito, ita & homo; sed homo cum prædicatur de aliquo sicut de proprio supposito, substantialiter prædicatur, & signat ipsum, de quo dicitur esse substantiam.

Prædicatio denominatiua potest esse quatuor modis; per modum inhærentiæ, vt cum dicitur, hic est albus, per modum transmutationis, vt cum dicitur Asinus Socratis; per modum vnionis, vt cum dicitur ferrum ignitum; hoc tertio modo dicitur Christus humanatus.

ARTIC. II. QVÆST. I.

VNio est quadruplicis generis: quædam, in qua vnum vnibile conuertitur in naturam alterius, vt gutta aquæ in amphora vini, ob prædominium vini: altera, in qua est vtriusque vnibilis alteratio, & tertiæ naturæ productio, vt in mixtis: tertia, in qua non est vnitorum transmutatio, sed tertiæ naturæ constitutio, vt in homine: quarta, in qua nec est transmutatio, nec tertiæ naturæ constitutio, sed vnum vnibilium fundatur in altero, vt quando ramus inseritur stipiti alterius arboris, vtraque enim arbor seruat propriam naturam, & tamen vna substantificatur in altera, ita vt vnus sit stipes vtriusque: & hoc quarto modo vniuntur natura humana, & diuina.

QVÆSTIO SECVNDA.

ENumerat varias species vnitatis naturalis, & gratuitæ.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

VNitas alia eſt eorum, quæ dicuntur vnum per conuenientiam in natura; alia eorum, quæ per conuenientiam in perſona: primo modo in Chriſto non eſt vnitas naturarum vlla, ex parte corporis eſt aliqua, propter earum mulpliçitatem, ex parte animæ eſt maxima propter eius ſimplicitatem ex parte diuinæ naturæ eſt excellentiſſima vnitas.

Secundo modo præter conuenientiam in perſona eſt vnitas omnium in ſuprema in Chriſto propter perſonæ ſimplicitatem, vnibilium dignitatem, vnitorum inſeparabilitatem, vnionis ſingularitatem.

DISTINCT. VII.

TEXT.

PArs dicitur multis modis: primò omne, quod venit in compoſitionem, ſiue realem, ſiue rationis; ſic quæ ſunt in definitione, dicuntur partes rei notificatæ: ſecundò quod venit in conſtitutionem rei, ſiue habeat partes quantitatiuas, ſiue non, ſic anima eſt pars rei animatæ: tertiò quod venit in conſtitutionem ſecundùm quantitatem continuam, vel diſcretam: quartò quod venit in conſtitutionem ſecundùm quantitatem in certa menſura, quæ aliquoties replicata reddat ſuum totum, quæ dicitur pars aliquanta. Si pars accipiatur communiter, primo modo humana natura eſt pars Chriſti. Dub. 1.

Hoc nomen, Dominicus, ſecundum communem vſum dicitur dupliciter, poſſeſſoriè, & ſimilitudinariè; vnde dicitur homo dominicus, qui poſſidetur à Domino, vel qui eſt ſimilis Domino. Chriſtus neutro modo dicitur dominicus, quia ipſe eſt Dominus. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ALiquid dici poteſt relatiuè dupliciter, vel relatione implicita, vel explicita; cum ergo dicitur, Deus eſt homo, prædicatur homo quodammodo abſolutè, & quodammodo relatiuè; abſolutè quantùm ad priuationem relationis intrinſecæ; relatiuè quantùm ad poſitionem relationis extrinſecæ: eſt enim ſenſus, Deus eſt homo, Deus eſt humanæ naturæ vnitus vnitate perſonæ, ratione cuius homo de Deo, & Deus de homine dicitur.

QVÆST. II. III. ART. II. QVÆST. I. II.

PArticipium, Prædeſtinatus, dicit anteceſſionem tripliciter, vel reſpectu ſubiecti, vel reſpectu prædicati, vel reſpectu totius copulati: primo modo ſi ſenſus huius propoſitionis, Filius Dei ſit prædeſtinatus eſſe homo, id eſt præuiſus eſt ante eſſe homo, quàm eſſet Filius Dei, falſa eſt: ſecundo modo ſenſus eſt, Filius Dei præuiſus eſt eſſe homo, id eſt cognitus, vel præuiſus fuit eſſe homo, non antequam filius Dei eſſet, ſed antequam eſſet homo, & eſt verus: tertio modo ſenſus eſt, Filius Dei eſt prædeſtinatus eſſe homo, id eſt, prædeſtinatum eſt, vt Filius Dei ſit homo, & eſt etiam verus.

DISTINCT. VIII.

TEXT.

COnceptio dupliciter ſumitur: primò eſt ipſa operatio naturæ in formatione corporis vſque ad ſuſceptionem animæ: Secundò dicetur Conceptio largè in nutritione, & perfectione corporis vſque ad partum. Primo modo Conceptio Chriſti non fuit ſecundùm nos, ſed ſupra nos. Secundo modo fuit ſecundùm nos, quia nouem menſibus nutritus fuit.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

HVmana natura dupliciter poteſt accipi: primò ratione partium conſtituentium; ſecundò ratione formæ communis, & conſequentis totum compoſitum, & vtroque modo dicitur aſſumpta à Verbo.

QVÆSTIO TERTIA.

PRædicatio alia eſt per identitatem, alia per denominationem, quæ differunt; quia cum aliquid prædicatur denominatiuè, prædicatur ſub ratione formæ, vt cum dicitur, Pater generat; cum autem per identitatem, poteſt prædicari ratione ſuppoſiti, vt cum dicitur, diuina eſſentia eſt Pater, ſenſus eſt, diuina eſſentia eſt illa, quæ eſt Pater, & hoc modo non prædicatur, niſi illud, quod claudit intra ſe ſuum ſuppoſitum, ſicut eſt nomen ſubſtantiuum, vel ſubſtantiuatum.

Cum quæritur, vtrum diuina natura ſit homo, diſtinguendum eſt; nam homo dupliciter poteſt prædicari, vel ratione ſuppoſiti, & ſenſus eſt, diuina eſſentia eſt ille, qui eſt homo, & reducitur prædicatio ad eam, quæ eſt per identitatem, & eſt vera: diuina enim eſſentia eſt Filius Dei per identitatem, & Filius Dei eſt per vnionem: ſecundò poteſt prædicari per modum cuiuſdam denominationis, & ſenſus eſt, diuina natura eſt humanitate informata, & falſa eſt prædicatio.

ART. II. QVÆSTIO I.

ACtus tripliciter numeratur, ſubiecto, tempore, ſpecie, ſeu termino: eſt enim multiplex, vel quia eſt in multis ſubiectis, aut pluribus terminis, aut temporibus; ſic conceditur Chriſtum bis eſſe natum, id eſt, in æternitate, & in tempore.

Terminatio actus dupliciter dicitur, primò ex completione: ſecundò ex deſitione: ad hoc vt numeretur actus non requiritur deſitio, ſic generatio æterna non deſinit, & tamen eſt alia à generatione temporali.

DISTINCT. IX.

TEXT.

ART. I. QVÆST. I.

CAro Chriſti multipliciter conſideratur: primò dicitur totus ille homo, iuxta dictum Ioan. 1. Verbum caro factum eſt: ſecundò nominat ipſam partem humanitatis per

se non vnitam: tertiò nominat carnem diuinitati vnitam: primo modo adoratur latria: secundo dulia: tertiò latria: honor enim respicit personam, non hanc partem, vel illam, licet aliqui dixerint, quòd hyperdulia.

QVÆST. II. III.

QVando dicitur, quòd honor Matris refertur ad Filium, referri honorem potest intelligi dupliciter, aut sicut ad subiectum, aut sicut ad finẽ. Honor matris refertur ad Filium vt ad finem; honor imaginis Filij refertur ad ipsum, vt ad subiectum.

Dominium aliud est præsidentiæ, aliud est Maiestatis, & omnipotentiæ. Primum Deus communicat Matri, sed secundum non, huic debetur latria, illi hyperdulia, quam ipse Filius exhibuit Matri.

QVÆSTIO QVARTA.

DVpliciter exhibetur honor alicui: aliquando in obsequium reuerentiæ, & iste est honor venerationis: aliquando in testimonium virtutis, & famulatum complacentiæ, & iste est adorationis; vterque exhibetur cruci, sed cum differentia, primus vt instrumento nostræ salutis, quo modo habet aliquid in se, propter quod honoratur. Secundus offertur tantum ratione Crucifixi, & est latriæ, cum primus nec latriæ, nec hyperduliæ sit, sed venerationis.

QVÆST. V. VI.

HOnor latriæ potest exhiberi aduersario Christi dupliciter, aut simpliciter, aut sub conditione: primo modo non potest esse sine peccato idololatriæ, nec excusatur ignorantia, quia multipliciter eam vitare potest peccans: aut sub conditione, idque dupliciter, aut quia est illa conditio habitualiter, aut actualiter considerata: si actualiter, non adoratur aduersarius, sed Christus; si habitualiter, non sufficit ad vitandum peccatum, quia non debet exhiberi, nisi maturè, & facta oratione. In adoratione tamen hostiæ sufficit conditio habitualis, quia consecratio hostiæ est consueta, & adoratur non consecrata.

ARTIC. II. QVÆST. I.

EST seruitus necessitatis, & seruitus ex mera voluntate: prima derogat aliquo modo libertati, & non habet in se excellentiam virtutis: secunda ponit hominem in statu altiori, & tanto magis facit hominem liberum, quanto magis elongat à peccato.

Pietas dicitur tripliciter, primò est cultus Dei &c..... secundò officium parentibus exhibitum: tertiò misericordia, quæ proximis exhibetur.

QVÆSTIO SECVNDA.

CVltus accipitur tripliciter, principaliter, propriè, & magis propriè: primò dicitur omnis actus virtutis in Deum directus sub ratione finis: secundò directus non solùm sub ratione finis, sed obiecti: tertiò directus non solùm sub ratione finis & obiecti, sed etiam sub ratione honorabilis, & talis est actus adorationis virtutis specialis.

Sic sacrificium aliud est bonæ operationis, & virtutum omnium, aliud deuotæ orationis, & est virtutum Theologicarum; tertium immolationis, & est latriæ.

QVÆSTIO TERTIA.

ALiquis actus potest esse virtutis, aut sicut imperantis, aut sicut elicientis; adoratio potest esse fidei, vel caritatis imperantis, sed latriæ, vel elicientis.

QVÆSTIO QVARTA.

DVlia tripliciter accipitur: primò secundum analogiam, deinde secundum antonomasiam: tertiò secundum significationem propriam. Primo modo importat cultum debitum naturæ superiori, siue creaturæ, siue creatori, secundùm aliquam rationem communem: secundo modo dicit reuerentiam debitam creaturæ rationali.

DISTINCT. X.

TEXT.

DVb. 1. explicat varias acceptiones particulæ huius secundum.

ARTIC. I. QVÆST. I.

QVando quæritur, an Christus secundùm quod homo sit Deus, ly secundùm potest importare vel habitudinem causæ, vel indiuisionem, seu vnitatem concomitantiæ: primo modo falsa est propositio, quia conditio apposita nullo modo causa est, cur prædicatum conueniat subiecto. Secundo modo vera est, quia significat, quòd esse Deum conuenit personæ Christi existenti in humana natura, ita vt diuinitas, & humanitas concomitentur se inseparabiliter circa eandem personam.

QVÆST. II. III.

SVppositum aliud est in quo, aliud de quo: si dicatur suppositum illud de quo alterum prædicatur, & quod subiicitur superiori, Christus secundum quod homo est suppositum: si verò dicatur suppositum illud, in quo totum esse rei stabilitur & fundatur, sic non est concedendum, quod Christus sit suppositum, secundum quod homo, nisi arctetur suppositum, vt dicatur suppositum accidentium, & proprietatum accidentalium.

ART. II. QVÆST. I.

NOn filius dicitur dupliciter, vel negatiuè, vel contrariè: primo modo dicitur qui non habet filiationem Dei, siue habeat contrariam siue non, Secundo modo dicitur qui est filius iræ; alterutrum requiritur ad hoc, vt persona aliqua sit adoptibilis; & quia Christi persona neutrã habuit, ideo non potest dici filius adoptiuus Dei Christus, nunquam enim fuit extraneus.

QVÆSTIO SECVNDA.

CHristus est causa dispositiua nostræ adoptionis, quia nobis meruit gratiam, per quam sumus filij adoptiui inquantum caput Ecclesiæ, Rursus est causa effectiua, quia Pater nos adoptat per Filium, & Spiritum sanctum: ad nostram enim adoptionem duo concurrunt, redemptio,

Digitized by Google

quæ facta eſt per Filij miſſionem Spiritus ſancti, idque per appropriationem ; cæterùm indiuiſa ſunt opera Trinitatis.

Sumus conformes imagini Filij Dei naturalis dupliciter, aut per remotionem à malo, & hoc eſt per gratiam baptiſmalem; aut per ordinem ad bonum, & hoc dupliciter, aut ex parte intellectus, & ſic eſt fides, aut ex parte affectus, & ſic eſt caritas.

QVÆSTIO TERTIA.

DISTINCT. XI.

Text.

TRopicus ſermo dupliciter poteſt dici: primò in quo eſt aliquod vitium aliquo tropo excuſatum, eſt enim tropus figura, & figura eſt vitium ratione excuſatum; ſecundò dicitur ſermo tropicus quilibet ſermo, qui habet aliquam improprietatem, ſed tamen excuſatur per aliquam determinationem, cum ergo Magiſter dicit, quòd hic ſermo, Chriſtus eſt creatura ſecundum hominem, eſt tropicus, hoc dicit, quia habet aliquam improprietatem, quæ remouetur per determinationem adiunctam. Dub.4.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

PRædeſtinatio Chriſti, & noſtra dupliciter conſideratur, vel quantùm ad principale ſignificatum, vel quantùm ad connotatum; ratione primi nullâ prædeſtinatio exemplar habet ab alia, cum omnes vnum ſint, ſcilicet diuina eſſentia: ratione ſecundi quod eſt gratia, & gloria diſtinguendum eſt.

Duplex enim eſt exemplar; interius in mente artificis, vt ratio ſecundùm quam artifex producit ſua opera: & exterius, ad quod reſpiciens ille, qui ignorat artem, aliquo modo regulatur: primo modo prædeſtinatio Chriſti non eſt exemplar noſtræ; quia Deus non prædeſtinauit nos reſpiciens aliquid aliud à ſe, ſed vnumquodque præuidit in ſe, & diſpoſuit ſecundùm rationem propriam: ſecundo modo prædeſtinatio Chriſti eſt exemplar noſtræ, directum non reſpectu ſummi artificis, ſed reſpectu noſtri, tam in credendis, quàm in expectandis, & operandis, ad ipſum enim, tanquam ad exemplar noſtrum aſpicere debemus.

QVÆSTIO TERTIA.

CAuſa vel eſt effectiua, vel diſpoſitiua, vel excitatiua. Prædeſtinatio Chriſti non eſt cauſa effectiua noſtræ, quia hæc à ſolo Deo eſt, ſed diſpoſitiua dici poteſt ratione meriti, & excitatiua ſecundùm efficaciam exempli; meruit enim nobis Chriſtus, & excitauit nos per ſuæ gloriæ eminentiam manifeſtam, &c.

Neceſſarium dicitur dupliciter; vel ſimpliciter, & per ſe; vel ex hoc quod tranſit in præteritum: ſicut me ſcripſiſſe hodie, & hoc de ſui natura eſt contingens, & poteſt habere cauſam contingentem.

Contingens aliud eſt, quod pendet à vertibilitate voluntatis humanæ, aliud à libertate diuinæ: primum non poteſt eſſe cauſa neceſſarij: ſecundum poteſt.

ART. II. QVÆST. I. II. III.

DISTINCT. XII.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

ARTIC. II. QVÆST. I.

NEceſſitas alia repugnat voluntati, ſicut neceſſitas coactionis, quæ venit ab extrinſeco; alia eſt, quæ ſubeſt voluntati, quæ venit ab eius immutabilitate; laus non eſt in operibus voluntatis neceſſariis primo modo, ſed ſecundo.

Dicere conſideratur dupliciter: primò idem eſt, quod ore proferre: ſecundò idem eſt quod aſſerere, ſiue affirmare: primo modo Chriſtus potuit dicere, non ſecundo: & hoc non eſt impotentiæ, ſed potius potentiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

POtentia peccandi dicitur dupliciter: primò potentia qua peccatur, quæ denominat liberum arbitrium, quod ſua natura eſt defectiuum: ſecundò potentia ordinata ad peccandum, & eſt quid medium inter ſubſtantiam, & actum peccati: primo modo fuit in Chriſto, quia aſſumpſit integrè naturam noſtram, & quamlibet eius potentiam: ſecundo modo non fuit, peccare enim non potuit, & talis potentia minuit potius plenitudinem libertatis, quare autem non potuerit.

ART. III. QVÆST. I. II.

DISTINCT. XIII.

Text.

CVm dicitur Deus dare ſpiritum ad menſuram, dupliciter poteſt intelligi; vel quia ſit priuatio menſuræ reſpectu doni dati; vel quia ſit priuatio menſuræ reſpectu largitatis dantis: primo modo datur ſpiritus ad menſuram omnibus Sanctis, Chriſto non ad menſuram: ſecundò etiam omnibus Sanctis datur non ad menſuram, quia liberalitas dantis eſt immenſa, cuius ſignum eſt, quia dat omnibus affluenter. Dub.2.

Præpoſitio, de, aliquando importat habitudinem partis ad totum, ſicut cum dicitur quis accipere vinum de dolio; vel habitum principiati ad principium, vt cum dicitur quis accipere lumen de candela, & in vtroque; de; importat aliquam conuenientiam, in prima ſubſtantiæ, & naturæ, in ſecunda conformitatis ſecundum aliquid commune. Dub.3.

Plenitudo eſt vel ſecundum excellentiam, vel ſecundùm apparentiam, vel ſecundùm redundantiam: prima fuit ab inſtanti conceptionis in Chriſto: ſecunda in deſcenſu columbæ poſt baptiſmum: tertia ex tunc, & deinceps Dub.4.

ART. I. QVÆST. I. II.

ALiquid menſura carere, vel immenſum eſſe, dupliciter dicitur, in ſe, & abſolutè,

& in comparatione: primo modo gratia Christi est finita. Secundo modo improportionabiliter excedit gratiam aliorum omnium, ratione vnionis, tum quantùm ad virtutem habitus, quia nulla pura creatura potest ita crescere in sanctitate, vt sit æquè capax habitus, ac anima Christi vnita verbo; tum quantùm ad vsum, quia habuit complementum omnium virtutum, ac donorum, perfectiùs, quàm alius habere possit; tum quantùm ad effectum, quia meritum illius in infinitum excedit merita omnium aliorum.

QVÆSTIO TERTIA.

PLenitudo alia est sufficientiæ, sicut in Sanctis; alia prærogatiuæ, vt in Beata Virgine; alia numerositatis, & copiæ, vt in Ecclesia; alia superabundantiæ, vt in Christo, &c. Plenum gratiæ, & veritatis, Ioan.1.

ART. II. QVÆST. I.

DVpliciter Christus dicitur influere sensum, & motum tanquam caput in Ecclesiam; aut per modum præparantis ratione humanæ naturæ, in qua passus est, & satisfecit, & disposuit ad recipiendam gratiam, & per modum impartientis ratione diuinæ naturæ, quia Deus est, qui illuminat mentes interius, &c. Idem est, vel per modum merentis Christi hominis, vel per modum impartientis; vt Christi Dei.

QVÆSTIO SECVNDA.

GRatia vnionis dicitur tripliciter: primò gratia faciens vnionem, & sic nominat diuinam essentiam, quæ est causa illius: secundò gratia disponens ad vnionem de congruo, & sic dicit habitum creatum: tertiò ipsa vnio gratis facta, & nominat ipsam relationem.

Sic gratia capitis dicit principium effectiuum sensus, & motus spiritualis in membris Christi, & quod disponit ad illum, & nominat habitum animæ Christi, per quem nobis meruit, & ipsam præsidentiam Christi, vt capitis.

QVÆSTIO TERTIA.

COgnitio, & dilectio est in triplici differentia, quædam respicit statum meriti, & hæc dicitur gratuita, quædam, in qua consistit substantia præmij, & hæc dicitur glorioſa, quædam quæ est vtrique annexa, nec est de essentia meriti, aut præmij, sed de bene esse. Gratia Christi redundat in omnes homines, influens sensum cognitionis, & motum dilectionis omnibus modis, sed in Angelos: tertio modo ob reuelationes multas, & gaudia ex meritis Christi.

DISTINCT. XIV.

TEXT.

MAior claritas dupliciter dicitur, in creatura, vel respectu Dei, vel respectu claritatis, quam nata est habere: primo modo venit ex defectu creaturæ, quæ nunquam potest æquari creatori: secundo modo ex peccato, & hæc non fuit in Christo. Dub.3.

Potentia alia est imperandi, alia præsidendi, alia faciendi. De prima intelligitur illud Math.6. Omnia possibilia sunt credenti, fides enim summa imperare potest omnia miracula: 1.Cor.13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; de secunda intelligitur Mat. vltimo, Data est mihi omnis potestas, omnibus enim, quæ sub Deo sunt, præest Christus etiam Angelis secundùm humanam naturam; tertiam non habuit Christus quoad omnia, ne putaretur omnipotens.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

COmprehendere tripliciter accipitur; primò idem est, quod caritate adhærere: secundò idem quòd claiè videre, & perfectè amare: tertiò idem quòd terminos rei claudere: & hoc tertio modo Deus est incomprehensibilis à creatura.

QVÆSTIO TERTIA.

COnuenientia alia est commensurationis, siue adæquationis; alia est participationis alicuius communis; alia ordinis: prima non est inter Deum, & creaturam, reliquæ sunt.

Excellentia alia est conseruans, alia corrumpens: prima est in spiritualibus: secunda in obiectis corporalibus.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

VOlubilitas cogitationis duplex est: quædam per intimationem, siue per inquisitionem, & discursum, quo venitur in cognitionem rei incognitæ, & talis non est in beatis: quædam per transitum considerationis vnius rei in considerationem alterius, & talis non aufertur à beatis.

QVÆSTIO TERTIA.

COgnoscitur aliquid vel cognitione habituali, vel cognitione actuali, seu cognitione quæ est sicut scientia, & cognitione, quæ est sicut consideratio: primo modo anima Christi non cognoscit tot, quot cognoscit Verbum, quia non potest eleuari creatura ad iudicandum de infinitis: secundo modo cognoscit quot & Verbum, quia ipsum Verbum perfectius cognoscere non potest, & paratum est illi reuelare omnia, quæ in se relucent.

In cognitione animæ Christi tria considerantur; ratio cognoscendi, quæ est ipsum Verbum; habitus in se, & respectus illius ad cognoscibilia: habitus in se est finitus, sed quia ratio cognoscendi est infinita, habet respectum ad infinita.

ART. III. QVÆSTIO I.

COgnitionis distinctio sumi potest vel ex parte virium, scilicet superioris rationis, inferioris, & sensualitatis; vel ex parte statuum, videlicet gloriæ, innocentiæ, & naturæ lapsæ; vel ex parte modorum cognoscendi in Verbo in se, & in genere proprio. Anima Christi præter cognitionem in Verbo, habuit cognitionem in se, & in genere proprio, non solùm simplicis notitiæ, sed etiam experientiæ; non solùm quantùm ad statum patriæ, sed etiam viæ, quia secundùm hos omnes modos fuit perfecta.

QVÆST. II. III.

POtentia dicitur dupliciter respectu actus exterioris, & interioris, dicitur enim quis posse scire, velle, & operari, quando dicitur, quòd in creatura potentia antecedit scientiam,

hoc verum eſt reſpectu actus interioris, ſed non exterioris, quia potentia operatiua conſequitur ſcientiam, omnipotentia autem eſt reſpectu vtriuſque actus.

Extenſio maior attenditur vel penes obiectum, vel penes ſubiectum: reſpectu primi maioris extenſionis eſt ſcientia, quàm omnipotentia; reſpectu ſecundi nequaquam, nam omnipotentia ponit ſuum ſubiectum omnino immenſum, & infinitum, non item ſcientia, ideo poteſt communicari omniſcientia, non autem omnipotentia, loquendo de ſcientia habituali.

Scientia practica dicitur dupliciter: primò quæ eſt de operibus, ſicut moralis Philoſophia: ſecundo quæ eſt de opere, & in opere. Prima eſt de iis, quæ procedunt à libera voluntate: ſecunda de iis, quæ fiunt, vt cum faber operatur; prima eſt communicata animæ Chriſti, quæ habuit cognitionem omnium operum diuinorum, ſecunda non.

DISTINCT. XV.

Text.

TImor vel eſt gratuitus, vel libidinoſus, vel naturalis medius inter vtrumque. Gratuitus eſt triplex, pœnæ, offenſæ, reuerentiæ: primus, & ſecundus non fuerunt in Chriſto, ſed tertius, de quo Iſ. 11. Replebit eum ſpiritus timoris Domini: multò minus fuit timor mundanus, & humanus, qui ſunt libidinoſi. Naturalis eſt triplex, ſenſualitatis præuenientis rationem, ſenſualitatis ſubiacentis rationi, & partis rationalis. Primus eſt naturæ corruptæ, & inordinatæ, ſecundus eſt naturæ corruptæ ordinatæ. In Chriſto fuit defectus paſſibilitatis, ſed non inordinationis, ideo nec fuit timor primo, vel tertio modo, ſed ſecundo. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

POena alia eſt neceſſitate inflicta, alia voluntate aſſumpta: prima inordinata eſt, niſi præceſſerit culpa in eo, qui punitur: ſecunda ordinem habet, ſiue culpa præceſſerit in eo, qui punitur, ſiue in eo, pro quo punire velit; ſic Chriſtus voluit pœnalitates ſuſcipere pro reparanda natura humana.

QVÆSTIO SECVNDA.

DEfectus quidam ſunt ex culpa; quidam ex culpa, & ad culpam, vt pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: & hos non decuit Chriſtum aſſumere, qui fuit miniſter iuſtitiæ ſegregatus à peccato, alios decuit, non tamen perſonales, qui reſpiciunt perſonas ſingulares, vt variæ ægritudines, ſed naturales, qui reſpiciunt totam naturam vniuerſaliter, vt fames, ſitis, &c. venerat enim naturam humanam redimere, &c.

QVÆSTIO TERTIA.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

MOtus iræ quadruplicis differentiæ eſt: primò dicit purè affectum deteſtationis, & hoc modo potuiſſet eſſe in Adamo in ſtatu innocentiæ; ſecundò dicit motum deteſtationis cum perturbatione partis ſenſitiuæ ſine perturbatione mentis, & hoc modo fuit in Chriſto, qui infremuit, & conturbauit ſemetipſum, Ioan. tertiò dicit hæc eadem cum commotione & rationis ad tempus, quo modo eſt in Sanctis, qui ira per zelum: quartò præter hæc eadem habet perturbationem mentis annexam, vt in peccatoribus, & eſt vitium à Domino prohibitum.

DISTINCT. XVI.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

NEceſſitas eſt in omni genere cauſæ formalis, verbi gratia, calidum calere neceſſe eſt; materialis, vt calidum in ſummo conuerti in ignem; efficientis, vt lapidem impulſum moueri; finalis, vt ſerram eſſe dentatam propter ſciſſionem: & hoc modo fuit neceſſitas patiendi in Chriſto propter noſtram redemptionem.

ARTIC. II. QVÆST. I.

DVplex eſt dolor in anima, vnus qui ineſt animæ ſecundum ſe, alter qui ineſt animæ ex carne, vterque fuit in anima Chriſti: primus apparet ex eo quòd doluit pro peccatis noſtris: ſecundus ex acerbitate paſſionis, patiebatur enim anima corpore patiente, vt tamen habeat rationem naturę habentis inclinationem naturalem ad corpus, alioqui ſecundum deliberationem gaudebat de paſſionibus pro ſalute humani generis.

QVÆST. II. III.

IN Chriſto fuit duplex dolor paſſionis, & compaſſionis, & vterque fuit in ſenſitiua, & rationali: nam dolor paſſionis in carne primò attingebat animam ſecundùm ſenſitiuam, tum ſecundùm alias vires: compaſſionis verò primò erat in ratione, & inde redundabat in ſenſitiuam; ſicut enim dolente anima de peccatis propriis, gemit etiam ſenſitiua, ſic Chriſti anima, quia doluit de peccatis noſtris, fleuit: & hic dolor fuit intenſior, quia amplior erat cauſa dolendi, ob Dei inhonorationem, & ſeparationem noſtram à Deo, maior etiam erat diſpoſitio ad dolendum propter nimietatem dilectionis.

Duplex eſt huius rei ſignum, primò quia maluit animam ſuam à corpore ſeparari, quàm nos à Deo. Secundò quia fleuit pro peccatis noſtris, ſed non pro pœnis ſuis, ſecundum Bern.

DISTINCT. XVII.

Text.

ESt affectus naturalis, & eſt deliberatiuus: naturali nemo vult mori; deliberatiuo poteſt quis appetere mortem, ratione alicuius, quod eſt, vel exiſtimatur annexum, vt contingit in deſperatis vitantibus incommoda, aut ſperantibus commoda vitæ melioris. Dub. 1.

In carne noſtra duo ſunt, natura, & infirmitas aggrauans animam, quæ eſt ex corpore, vt corpus eſt, ſed vt corruptibile.

Voluntas alia est absoluta, alia conditionata; volebat Apostolus in carne manere propter vtilitatem fratrum, voluntate absoluta: volebat dissolui conditionata. Dub.2.

Dubitatio sumitur dupliciter: primò dicit indifferentiam iudicij rationis, respectu vtriusque partis contradicentis, ita vt neutra præeligatur alteri: secundò dicit indifferentiam partis sensibilis, ad sequendum affectum naturæ inclinantem, vel rationem imperantem; prima non fuit in Christo, quia supponit ignorantiam: secunda potuit esse. Dub.3.

Orare pro altero contingit dupliciter, aut secundùm formam orationis, aut secundùm intentionem orantis: primo modo Christus orabat pro se, id est pro sua voluntate sensitiua: secundo modo non pro se orauit, sed pro nobis, cum dixit Transeat à me calix iste, sciebat enim in petitione illa se non obtenturum aliquid per se, nec voluisse liberationem à passione. Dub.4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

SVbstantia dicitur multiplex: primò idem quod essentia, vel natura: secundò idem quod suppositum.

QVÆSTIO SECVNDA.

VOluntas Christi tripliciter consideratur; aut secundùm naturalem suam entitatem; aut secundùm potentiam, qua vult; aut secundùm modum volendi: primo modo duplex in Christo est voluntas, diuina, & humana: secundo modo triplex in eo fut potentia, diuina, creata, naturalis sensitiua. Tertio modo diuiditur quadrimembri diuisione voluntas, secundùm modum volendi, secundùm Hugonem dicentem, quòd in Christo fuit voluntas diuinitatis, & voluntas rationis, & voluntas pietatis, & voluntas carnis: voluntas diuinitatis per iustitiam sententiam dictabat, rationalis per obedientiam sententiam approbabat, pietatis per compassionem alienum malum suspirabat, carnis per passionem de malo proprio murmurabat.

QVÆSTIO TERTIA.

COnformitas voluntatis ad voluntatem dupliciter attenditur; aut secundùm assimilationem; aut secundùm subiectionem. Dominus à voluntate sensualitatis non requirebat primam, sed secundam. Non quod ego volo, &c. qui ostendit velle se diuinæ voluntati subesse, quæ est conformitas subiectionis.

Dissensus sensualitatis ad rationem potest esse, & quantùm ad volitum, & quantùm ad actum volendi: & idem est de consensu, itaut sensualitas subiacebat rationi quoad vtrumque, vel certè potest ratio consentire sensualitati quoad actum volendi, sed non quoad volitum, quod pertinet ad naturam habentem pœnam sine culpa, vt in Christo; nam primum pertinet ad naturam lapsam, secundum ad institutam, natura autem in Christo aliquid habuit de natura lapsa, & aliquid de instituta.

ART. II. QVÆST. I.

QVando dicit Damasc. quòd oratio est ascensus intellectus in Deum, dupliciter sumi potest ascensus, largè, vel strictè: largè dicitur, quando fertur in eum, qui supra se est, aut implorando misericordiam, quæ est supra se, aut reuelando miseriam, quæ est infra se, & sic competit Christo. Secundò ascensus in Deum dicit nouam considerationem, seu eleuationem procedentem à consideratione creaturarum ad creatorem: & sic non fuit in Christo, quia erat comprehensor, & non erat innouatio ascensionis; potest tamen dici quodammodo fuisse, quatenus se reuocabat ab opere actiuæ vitæ, vt totus esset intentus operationi contemplatiuæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

ORatio in Christo quædam fuit procedens à voluntate rationis, quædam à voluntate pietatis, quædam à voluntate carnis: prima requirebat exaudiri, & exaudita est in omnibus, tum quia in omnibus erat conformis voluntati diuinæ, tum quia tam sanctè petebat, vt dignus esset pro sua reuerentia exaudiri. Secunda, & tertia non semper fuit exaudita, tum quia non conformabatur Deo in omni volito, tum quia plus ordinabatur ad nostram instructionem, quàm ad diuinam exauditionem.

QVÆSTIO TERTIA.

ORatio Christi in horto dupliciter cõsideratur, quantùm ad materiam, & quantùm ad formam: prima respicit desiderium potentis, quæ fuit petitio sensualitatis tantùm refugientis mortem: secunda respicit discretionem proponentis, quæ est à ratione, atque ita oratio hæc fuit partim rationis, partim sensualitatis.

DISTINCT. XVIII.

Text.

IN anima passibili duplex est genus passionum, vnum quod patitur in se per affectiones, aliud quod compatitur corpori propter corporis læsionem: ab vtraque debet esse immuni sanima, vt dicatur impassibilis; atque ita duplex est impassibilitas, vna, quæ est propria ipsius corporis, altera quam communicat cum corpore. Dub.1.

Dub.2. affert varias diuisiones notitiæ certæ, & coniecturalis, vniuersalis, & particularis, quantùm ad vocem, quantùm ad imponendi rationem, & secundùm has dicitur clarificari nomen filij Dei.

Exaltatio Christi dupliciter consideratur, aut secundùm rem, aut secundùm nostram cognitionem: prima est de statu vitæ huius ad dexteram Patris, quæ conuenit ei secundum humanam naturam. Secunda est respectu nostræ fidei, per quam credimus illum æqualem patri, respectu naturæ diuinæ. Dub.3.

Debitum aliud ex caritate, aliud ex necessitate: primum non tollit perfectionem meriti: secundum quodammodo minuit. Christus, quia sine debito mortis pertulit mortem, & placare potuit, & placere: placare, quia præter necessitatem: placere, quia ex bona voluntate; nullus alius poterat placare, quia ex necessitate omnes sunt rei mortis; placere poterant alij, voluntariè perferendo. Dub.4.

Mors dicitur separatio animæ à corpore, separatio à Deo per peccatum, separatio à visione

Digitized by Google

ſione ad tempus, ſeparatio à viſione in æternum. Dub. 5.

ARTIC. I. QVÆST. I.

AD perfectionem meriti duo concurrunt, habitus gratuitus, & eius actus: quoad primum Chriſtus in primo inſtanti conceptionis dignus fuit præmio quolibet; quoad ſecundum in quo attenditur propriè ratio merendi, aliqui dicunt meruiſſe Chriſtum ſtatim poſt primum inſtans conceptionis, alij quòd in ipſo inſtanti: vterque modus eſt probabilis.

QVÆSTIO SECVNDA.

MEreri dicitur tripliciter, ſimpliciter abuſiuè; partim propriè, partim impropriè; ſimpliciter propriè; primo modo mereri dicitur, qui facit opus de genere bonorum, ſed mala intentione, vt qui eleemoſynam dat cum murmure; & talia opera aliquando remunerantur à Deo ex immenſa eius largitate, vt in Nabuchodonoſor. Secundo mereri dicitur qui facit opus bonum, & cum bona intentione, ſed non ex caritate, vt in peccatore contingit, & hæc opera diſponunt ad gratiam de congruo; tertio modo qui facit opus bonum bona intentione, & ex caritate, & hic meretur de condigno.

Meritum de condigno tripliciter contingit, primò quando ex indebito fit debitum, vt in gratiæ infuſione, & motu liberi arbitrij. Secundò quando ex debito fit magis debitum, vt in profectu de virtute in virtutem. Tertiò cum ex debito vno modo fit debitum alio modo, & de debito per habitum fit debitum per vſum, & de debito per vnum actum fit debitum per alium æque bonum. Omnibus ijs modis Chriſtus meruit nobis; ſibi autem tantùm tertio modo poſt conceptionem.

Determinatio potentiæ ad vnum poteſt eſſe dupliciter, per neceſſitatem naturæ, & per confirmationem gratiæ; primo modo tollit libertatem, & meritum. Secundo modo nequaquam.

Proficere dupliciter contingit, vel in merito habitus, vel in multitudine actuum, vel quod idem eſt, quantùm ad virtutem merendi, & quantùm ad numerum meritorum.

QVÆSTIO TERTIA.

IN paſſione duo conſiderantur, & cauſa, & ſuſtinentia: prima eſt à violentia agentis, ſecunda à voluntate patientis: ratione primæ neque eſt meritoria, neque demeritoria, quia eſt ab extra; ratione ſecundæ poteſt eſſe meritoria, & demeritoria; meritoria, ſi quis perferat voluntate bona; demeritoria, ſi impatienter, & mala voluntate.

Eſſe contra naturam dicitur dupliciter, aut quia eſt contra dictamen rationis, aut quia contra appetitum naturalem ſalutis: primo modo eſt vitium, ſecundo modo poteſt eſſe meritum.

Aliquid eſſe circum actum rationis contingit tripliciter, vel per modum elicientis, vel per modum imperantis, vel per modum acceptantis: & hoc tertio modo paſſio Chriſti erat in ratione, & erat meritoria.

ART. II. QVÆSTIO. I. II.

NEceſſarium præſens poteſt dici dupliciter, ex indigentia, & ex ſufficientia: ex indigentia, vt comeſtio ad vitam; ex ſufficientia, vt lucem copioſam diffundi per partes, & hoc modo fuit neceſſarium Chriſtum mereri.

Pati pro ſe poteſt aliquis dupliciter; aut ita quòd vtilitas propria dicat finem principaliter mouentem, aut ſolum concomitantem, & ita paſſus eſt Chriſtus.

QVÆSTIO TERTIA.

EST meritum adeptionis vitæ æternæ, & eſt meritum dimiſſionis pœnæ; primum conſiſtit in radice caritatis, ſecundum non tantum in caritate, ſed & in paſſionis acerbitate.

DISTINCT. XIX.

TEXT.

IN redemptione fuit vſus poteſtatis, & vſus humilitatis: ſed vſus humilitatis apparuit in primordio, vſus poteſtatis in fine, vicit enim mortem, & eius auctorem patiendo, & reſurgendo. Dub. 5.

ART. I. QVÆST. I.

ALiquid poteſt coniungi alteri dupliciter, per ſubſtantiam, & per effectum: Paſſio Chriſti coniungitur nobis per efficaciam mediante fide per dilectionem.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE effectu paſſionis Chriſti loquimur vel quantùm ad ſufficientiam, vel quantùm ad efficaciam: primo modo ſe extendit ad omnes homines, & ad omnes culpas; ſecundo ad eos, qui liberantur à reatu originalis, & actualis peccati.

QVÆSTIO III. IV.

ART. II. QVÆST. I.

REdemptionis opus vel tribuitur principali auctori, vel ſicut exequenti; vtroque modo competit Chriſto, Chriſtus enim vt Deus eſt auctor principalis, vt homo eſt exequens; atque ita Pater, & Spiritus dicitur redemptor propter vſum poteſtatis, non propter exhibitionem humilitatis.

QVÆSTIO SECVNDA.

MEdium inter duas naturas poteſt dici tripliciter, aut ita quod in eo concurrant duæ naturæ, ſicut in vna natura tertia, aut ſicut in vna perſona; aut ita vt concurrant proprietates duabus naturis conformes. Primo modo nihil poteſt eſſe medium inter naturam humanam, & diuinam, nec Chriſtus, nec aliud, quia non poteſt ex diuina, & humana natura conſtitui tertia. Secundo modo Chriſtus eſt medium inter naturam humanam, & diuinam, inquantùm eſt vna perſona in duabus naturis. Tertio modo Chriſtus eſt medium inter Deum, & homines, ſecundùm humanitatem, inquantùm habet mortalitatem, ſimul & beatitudinem. Igitur dicitur mediator ſecundùm humanam naturam, in qua poteſt reconciliare ſecundùm diuerſas proprietates, in quibus communicat cum Deo, & homine, nec eſſet mediator, niſi eſſet medius.

Digitized by Google

DISTINCT. XX.

TEXT.

ARTIC. I. QVÆST. I. II. III. IV.

SAtisfactio duplex est, plena, & semiplena: illa est de iniuria, & damno; hæc verò, quando remissa iniuria satisfit pro damno. Plenè nulla pura creatura potest satisfacere Deo, pro nullo peccato, in quo est auersio ab eo, nec pro aliis. Semiplenè homo potest satisfacere pro suo actuali peccato, non pro originali, illud enim respicit voluntatem personæ, vt indiuiduum est, facile vertibilem; hoc verò totam natur. non vertibilis, ideo cum diuina gratia potest pro illo satisfacere semiplenè, non pro hoc.

Debitum erga Deum duplex est, primum, quo tenemur iure conditionis; alterum, quō tenemur reatu præuaricationis: pro secundo satisfacere potest homo adiutorio gratiæ, non autem sine illo, pro primo non potest.

QVÆSTIO QVINTA.

DISTINCT. XXI.

TEXT.

ART. I. QVÆST. I. II. III.

VNio tripliciter dicitur, primò actio viuentis, secundò passio vnibilis, tertiò relatio vnitorum; primo, & secundo modo fuit vnica vnio in Christo; tertio modo fuit vna actu carnis, & animæ ad Verbum, sed duplex potentia, caro enim fuit vnita, & anima in triduo duplici vnione: & hæc relatio ex parte carnis, & animæ erat alia, & alia, intellecto enim, quòd caro non esset vnita, adhuc intelligi potuisset vnita anima.

Addit ad argumentum; Esto, quòd plures essent vniones post mortem, secundùm quod vnio nominat relationem, non tamen sequitur, quòd similiter essent in vita: quia quamuis vnio manserit vniformiter, & immutabiliter, quantum ad vinculum; facta est tamen quædam mutatio in altero extremorum, scilicet in humana natura, cuius principia constituentia fuerunt in morte seiuncta, cum tamen essent vnita in vita.

Ordo alius est, qui ponit distinctionem simpliciter, alius qui attenditur secundùm compositionem, & gradum inter res consimilis generis: sed aliqua sic ordinantur, quòd vbi est vnum propter aliud, non oportet ibi esse numerationem, vt cum tenetur equus per frænum, per prius tenetur frænum, quàm equus, quia illo medio tenetur equus, non tamen duplici tentione, sed vnica.

ARTIC. II. QVÆST. I.

SEparatio animæ à corpore alia est definitiua, & finalis, alia est ad tempus propter manifestationem gloriæ Dei, vt in Lazaro. Animæ, quæ primo modo separantur, ingrediuntur nouum statum, quæ secundo, retardantur à statu suo. Primo modo separata fuit anima Christi, quatenus non erat vnienda carni passibili, diuina iustitia id non permittente.

QVÆST. II. III.

DISTINCT. XXII.

TEXT.

QVando dicitur, totus Christus erat in cœlo, & inferno, ly totus, potest significari dupliciter: aliquando enim tenetur vt signum, aliquando vt adiectiuum; primo modo distribuit in aliquas partes, sicut cum dicitur totus Petrus est albus; secundo modo vel dicit perfectum, aut idem quod habens partem, & partem. Cum ergo dicit Magister, quod Christus erat in cælo, ibi dicitur perfectus, quia persona Christi perfectissima simul erat in cælo, in terra, & in inferno. Dub. 2. non tamen dicitur, totum erat in cælo, quia totum refertur ad diuinitatem, & humanitatem, totus autem ad diuinitatem. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

VNiri animam & corpus in eadem hypostasi dupliciter potest contingere, aut ita, quòd illa hypostasis sit ex ipsis constituta, & sic oportet vniri ad inuicem, aut ita quòd illa hypostasis non constituatur ex eis, imò vniatur etiam localiter separatis: & ita vnio hæc non facit hominem, quia non est vnio materiæ, & formæ, quæ requiritur ad constitutionem hominis, & ideo Christus triduo non fuit homo.

QVÆSTIO SECVNDA.

CHristus dicitur esse alicubi, sacramentaliter, personaliter, localiter; Sacramentaliter in altari; localiter in cælo; personaliter vbique.

Quoddam est suppositum, quod non excedit formam suam, quoddam quod excedit: de primo verum est, quòd quæ sunt vnum supposito, concomitantur se inseparabiliter; de secundo nequaquam, & sic humana natura non est vbicumque est suppositum diuinum.

QVÆST. III. IV. V. VI.

DISTINCT. XXIII.

TEXT.

NVmerat varias definitiones, & acceptiones fidei. Dub. 1. & 2.

Credere dicimur Deo, Deum, in Deum: primum respicit motiuum, secundum diuinam veritatem, tertium finem vltimum.

Quadruplex actus fidei annexus est fidei, vt iunctæ caritati, ordinat enim ad amandum Deum, ad faciendum bonum, ad fugiendum malum, ad diligendum proximum. D. 3.

Fides consideratur vel quantùm ad habitum, vel quantùm ad actum; primo modo simul est cū caritate; secundo modo est ordo naturalis, vt actus fidei sit præambulus actui spei, & caritatis.

Digitized by Google

ARTIC. I. QVÆST. I.

RAtionabile dicitur aliquid dupliciter, aut quia conſonum eſt rationi eleuatæ, & illuſtratæ lumine veritatis ſupernæ: aut quia conſonum eſt rationi conuerſæ ad cognitionem ſenſibilem; hoc ſecundo modo poteſt habere admixtam falſitatem, quia ratio ad ſenſibilia conuerſa plerumque iudicat vera, quæ falſa ſunt, & bona quæ mala.

QVÆSTIO II. III. IV.

COgnitio viæ dupliciter contingit, aut enim eſt eorum, quorum etiam eſt fides, aut aliorum cognoſcibilem. Reſpectu primorum certior eſt fides, quàm ſcientia, ſic nullus Philoſophorum ita certò cognoſceret Deum eſſe creatorem per ſuum diſcurſum, ſicut fidelis per ſuam fidem; reſpectu aliorum quodammodo certior eſt fides, quàm ſcientia, & quodammodo non, nam loquendo de certitudine adhæſionis, maior eſt certitudo fidei, quàm ſcientiæ, quia vera fides magis facit adhærere veritati creditæ, loquendo verò de certitudine ſpeculationis, quæ reſpicit intellectum, nudam veritatem, concedi poteſt, quòd maior eſt certitudo in aliqua ſcientia, quàm in fide, vt patet in cognitione dignitatum, & primorum principiorum, de quibus nemo poteſt dubitare.

QVÆSTIO QVINTA.

HAbitus virtutis dupliciter notificatur, per finem vltimum, & per ſuum obiectum. Finis fidei conſiſtit in æterna beatitudine, quam ſperamus, & ita in rebus ſperandis: obiectum autem conſiſtit in veritate non viſa, & in rebus non apparentibus, & ideo congruè definitur ab Apoſtolo fides per res ſperandas, & non apparentes, tanquàm per finem, & obiectum.

Subſtantia dicitur dupliciter, propriè, & tranſumptiuè: propriè ſubſtantia dicitur materia, & forma, compoſitum, eſſentia; tranſumptiuè quod habet aliquam proprietatem ſubſtantiæ dictæ aliquo ex ijs modis; ſic fides dicitur ſubſtantia, quia eſt fundamentum fabricæ ſpiritualis, vt materia, quæ præbet fulcimentum formis, & accidentibus.

Argumentum dicitur dupliciter, propriè, & tranſumptiuè: propriè eſt ratiocinatio diuiſa in Syllogiſmum, Inductionem, Enthymema, Exemplum; eſt etiam collectio breuis prolixæ orationis, & medium, in quo conſiſtit vis argumenti, & maxima propoſitio, in qua conſiſtat firmitas totius illationis; & quia ſecundùm has acceptiones argumentum dicitur, eo quòd arguat mentem, & illuminet ad aliquid intuendum, & firmiter adhærendum; ideo tranſumptiuè argumentum dicitur, quod mentem illuminat ad aliquid occultum videndum: & hoc modo fides dicitur argumentum.

ART. II. QVÆST. I.

VIrtus dupliciter accipitur, propriè, & communiter: propriè dicitur recta ratio ducens in finem, & hoc modo eſt principium operis meritorij; & dicitur ſolùm de habitu informato gratia, ſine quo non contingit peruenire ad finem gloriæ. Secundò dicitur habitus rectificans potentiam aliqua rectitudine iuſtitiæ, & vigorans eam circa opus difficile, quamuis non perducat in finem, & ſic habitus politici dicuntur virtutes, imò & fides informis in malis, per quam diſponitur intellectus ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia, &c. Et reſpuendam falſitatem oppoſitam.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVpliciter poteſt quis per fidem inniti ſacræ ſcripturæ, aut quia credit à Spiritu ſancto fuiſſe inſpiratam, & editam, & talis credulitas ſpectat ad fidei virtutem; aut quia Patres ſui crediderunt, à quorum ſemitis non vult recedere, & ſic reſpicit humanam rationem, nec eſt talis credulitas fidei virtutis, ſed potius cuiuſdam aſſuetudinis.

QVÆSTIO TERTIA.

FIdes informis dicitur dupliciter, quædam quæ innititur primæ veritati propter ſe, quantumuis in ipſam non tendat amando: alia quæ innititur veritati articulorum fidei, propter aliquam creatam rationem. Prima dicitur informis, non quia careat forma fidei, vt eſt virtus, ſed quia non eſt gratuita, hoc eſt non eſt cum caritate, nam alioqui eſt habitus infuſus; ſecunda verò eſt informis, quia caret forma fidei, & ſecundùm quod eſt virtus, & ſecundum quod eſt gratuita, & hæc reperitur in Dæmonibus.

QVÆSTIO QVARTA.

MAior conuenientia attendi poteſt dupliciter, aut ſecundum comparationem aliquorum in genere gratuiti; aut ſecundùm ordinationem habitus ad actum; primo modo maior eſt cõuenientia fidei formatæ ad gloriam, quàm ad fidem informem, quia vtraque eſt gratiæ gratum facientis; ſecundo modo maior eſt conuenientia fidei formatæ ad fidem informem, quàm formatæ ad gloriam, quia actus ipſarum non ſunt oppoſiti, feruntur enim in non apparentia per ſpeculũ in ænigmate, ſtatus autem gloriæ claritatem habet.

QVÆSTIO QVINTA.

PEccatum poteſt accipi dupliciter, abſtractè, & concretè; primo modo impoſſibile eſt informari, cùm ſit mera malitia; ſecundo modo poteſt, verbi gratia abſtinentia ob inanem gloriam poteſt mutata intentione informari gratia.

DISTINCT. XXIV.

TEXT.

DVpliciter contingit aliquid ſcire ſecundũ Philoſophum 1. Poſt. Per inuentionem, & per doctrinam; viſus inſeruit primo; auditus ſecundo. Fides eſt per doctrinam, ex auditu videlicet, non ſolùm exteriori, ſed etiam interiori Spiritus ſancti loquentis per aurem cordis. Dub. 2. loquere Domine quia audit ſeruus tuus, &c.

Intelligere dicitur dupliciter; primò largè noſſe quod eſt, quod dicitur per nomen, & hoc ſemper præcedit aſſenſum fidei; ſecundò ratione præuia, ſecundùm quod ait Auguſt. quod intelligimus debemus rationi, quod credimus auctoritati, & de ijs ait idem Aug. quædam ſunt quæ prius creduntur, & poſtea intelliguntur, vt ſunt articuli fidei ſupra rationem, quedà quæ prius

Digitized by Google

intelliguntur, quàm credantur, vt quæ sunt ex dictamine iuris naturalis,& præambula ad fidem, vt Deum esse, Deum esse bonum; quædam quæ creduntur, & nunquam intelliguntur, quia non possunt ratione probari, vt historia percurrens humana gesta, quæ non possunt probari per rationem, sed creduntur per auctoritatem. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

OBiectum habitus cognitiui dupliciter habet determinari, aut communiter, aut propriè, siue per se, & per accidens; commune est, quod vocatur secundum communem acceptionem; per accidens,quod habet rationem materialis; Obiectum propriè, & per se est, quod habet rationem motiui.

Sic de obiecto fidei loquimur dupliciter,primò dicitur obiectum fidei, circa quod fides versatur, tanquam circam illum, quod credit esse verum, siue illi assentiat propter se, siue propter aliud, & ita est circa creatum, & increatum, quia fides credit diuinæ necessitati, & ijs, quæ ab ea sunt reuelata. Secundo modo obiectum fidei est tantùm verum increatum, & sicut in visu lumen motus, vel vt abstractum, vel vt in materia concretum: sic diuina veritas mouet per se, vt in articulis ad Deum, secundùm Diuinitatem, & in creatura, vt in articulis spectantibus ad humanitatem, & cætera reuelata.

QVÆSTIO TERTIA.

DVpliciter fertur fides in suum obiectum,aut implicitè, aut explicitè: & ideo secundùm duplicem rationem dicitur complexum esse obiectum fidei, siue fides consistere circa complexum, nam quantùm ad suam substantiam respicit complexum, siue enunciabile, non respiciendo temporis differentiam aliquod dictum, quod est commune, & indifferens ad omne tempus: fides autem explicita sub differentia temporis nunc fuisse incarnationem, & futuram resurrectionem: sed hæc variatio accidentalis est, & non mutat speciem fidei.

ART. II. QVÆST. I. II.

OPinio probabilis dupliciter accipitur; primò est assensus vnius partis cum formidine alterius; secundò est assensus ex rationibus probabilibus, quo modo dici solet, quòd syllogismus Dialecticus generat opinionem, Demonstratiuus scientiam. Primo modo fides non stat cum opinione, secundo modo stat, quia multi fideles habent probabiles rationes, quibus generatur assensus subseruiens fidei.

QVÆSTIO TERTIA.

PRopositio probabilis dupliciter potest accipi, primò vt notat causam finalem; secundò vt dicit rationem mouentem; primo modo non potest vnum & idem credi propter se, & propter aliud; secundo modo potest, sicut possunt esse plures rationes mouentes ad assensum vnius conclusionis, puta à causa, ab effectu, ab intrinseco, ab extrinseco; sic potest quis assentiri vni, & eidem propter vnam rationem principalem, & propter aliam minus principalem, atque adeo de eodem habere scientiam; & fidem sed motiuum fidei est principale; scientiæ verò motiuum est subseruiens fidei.

ART. III. QVÆST. I.

ARticulus ab arctando dicitur, & dupliciter sumitur, actiuè, & passiuè, nimirum quia alios arctat, & est quid in se arctatum, quo modo est terminus resolutionis, nam actiuè est principium distinctionis, vt est terminus, accipitur in scientia naturali, in qua dicuntur articuli membra, siue partes, quæ non resoluuntur in alias, sed in eis stat resolutio, vt sunt articuli digitorum; vt autem est principium distinctionis, sumitur in scientia sermocinali, vt in Grammatica, in qua facit distinctionem, quoad genera, & casus; in Rhetorica, in qua facit distinctionem scientiæ, & prolationis, sic in Theologia, cui seruiunt scientiæ, articuli dicuntur principia, in quæ fit resolutio fidei directiua in omnibus quæ creduntur,quæ sunt quædam regula discretionis arctans quæ communiter sunt credenda.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCT. XXV.

Text.

FIdes duplicem habet magnitudinem, vnã per comparationem ad obiectum, & hæc attenditur in articulorum quantitate,quæ vocatur articulorum dignitas, quia articuli sunt de veritate summa, alteram per comparationem ad subiectum, quod respicit secundùm potentiam intellectiuam, affectiuam, interpretatiuam, secundum primam dicitur fides magna cognitione, respectu secundæ magna deuotione; respectu tertiæ magna constantia; respectu obiecti potest dici vnus articulus maior alio secundùm connotatum, puta qui est de diuinitate, quàm qui de humanitate: sed quantùm ad principale, omnes sunt æquè digni, nimirum ob primam veritatem.

Secundùm intellectum vna fides est maior alia dupliciter, vel quia clarius cognoscit creditum, vel quia cognoscit in pluribus, & distinctius; primo modo dicitur magna cognitione; secundo articulorum quantitate; secundùm affectum iam dicitur maior, vel quia firmius adhæret, vel quia intensius; prima dicitur magna constantia, secunda deuotione. Dub. 1.

Dubitatio alia est ex infidelitate, vt Iudæorum, alia ex tarditate, vt Discipulorum, quibus dixit Christus, ô stulti, & tardi corde ad credendum.

quædam verò est ex pietate, & admiratione. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DOctrina fidei quædam habet antecedentia, quæ sunt de dictamine iuris naturalis, vt Deum esse; quædam consequentia, quæ de ipsis articulis elicit sacra scriptura, & doctrina Theologica, vt Christum à conceptione habuisse gratiæ plenitudinem; quædam sunt principia, siue obiecta, vt articuli fidei, non secus ac in scientiis; quædam sunt communia principia quæ supponuntur, vt dignitates, quædam quæ consequuntur, vt conclusiones, quædam verò vt intrinseca principia demonstrationum.

Digitized by Google

QVÆSTIO SECVNDA.

FIdes mediatoris poteſt haberi dupliciter, implicitè, & explicitè: implicitè eſt credere Redemptorem venturum eo modo, quo credebant, quibus reuelatum fuerat, explicitè, vt credere naſciturum de Virgine, paſſurum in cruce, reſurrecturum tertia die, &c. fides explicita fuit neceſſaria, & ſufficiens ad ſalutem antiquis Patribus poſt lapſum Adæ.

QVÆSTIO III. IV.

ART. II. QVÆST. I.

CRedibilia multiplicari dupliciter poteſt intelligi, vel quantum ad nouorum articulorum additionem; vel quantum ad implicitorum explicationem. Primo modo fides non profecit, ſed ſecundo, quia proceſſu temporis quod implicitè credebatur, explicatum eſt, & quaſi diſtinctum in multa credibilia.

QVÆSTIO SECVNDA.

OCcultum dicitur aliquid dupliciter, vel à parte cognoſcentis, vel à parte rei cognitæ. Quando dicitur, quòd maior illuminatio facit cognoſcere magis occultum, verum eſt à parte rei cognitæ, quia quod erat occultum fit magis manifeſtum; ex parte cognoſcentis non eſt verum.

QVÆSTIO TERTIA.

CErtitudo fidei dupliciter conſideratur; primò in ordine ad veritatem dictantem, ſecundò in ordine ad intellectum aſſentientem. Primò nec augetur, nec minuitur, quia veritas diuina certiſſima eſt, & falli non poteſt: ſecundo modo creſcit, tùm propter clariorem cognitionem, tùm propter maiorem deuotionem; illa enim fides certior eſt, quæ aptius cognoſcit, & deuotius acquieſcit.

DISTINCT. XXVI.

TEXT.

SPes eſt nomen affectionis, & eſt nomen virtutis: primo modo dicitur à Philoſopho, ſpes eſt ſuſpicio futuri boni; ſecundo modo definiri debet per ſuum actum, qui dupliciter comparatur, vel ad obiectum tantùm, & dicitur à Magiſtro, ſpes eſt virtus, qua ſpiritualia, & æterna ſperantur; vel etiam ad principium, & dicitur ab Haymone expectatio futuræ beatitudinis veniens ex meritis: vel ad obiectum, & habitum præambulum, & dicitur ab Aug. de Ciu. Spes eſt virtus, qua quis ſe ad illud, quod credit, peruenturum præſumit. Dub. 2.

Futurum dicitur dupliciter, vel quantùm ad euentum, vel quantùm ad ordinem; primo modo dicitur futurum, quod eueniet, ſecundo modo quod eſt ordinatum ad eueniendum: & ita dicitur ſpes eſſe futurorum, quia infallibiliter ordinat ad ſalutem. Dub. 4.

ARTIC. I. QVÆST. I.

SPes ſumitur vel pro affectione animi, quæ eſt vna ex quatuor numeratis à Philoſophis, quæ ſunt gaudium, dolor, ſpes, timor: vel pro obiecto. Timot. 1. Expectantes beatam ſpem: vel pro habitu dirigente animæ motum, & affectum in illud, quod expectandum eſt, quo modo eſt virtus gratuita, & reliquarum ſuſtentaculum, & ancora, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

TEndere in finem poteſt eſſe dupliciter, aut promerendo, & habilitando, aut expectando; primus modus eſt communis omnibus virtutibus: Secundus eſt proprius ſpei, hac enim ſola expectamus quod alijs omnibus promeremur.

QVÆSTIO TERTIA.

VIrtus poteſt dici medium inter duo vitia dupliciter, aut ſicut vtriuſque deſtructiua, aut ſicut ex vtriſque conſtituta, quantùm ad bona, quæ ſunt in eis, ſicut largitas habet aliquid de auaritia, in hoc quod tenet tenenda, & aliquid de liberalitate in hoc quod dat danda: & ſic eſt in genere virtutis cardinalis. Melius diceretur, quod liberalitas habet aliquid de auaritia, & aliquid de prodigalitate; vt autem deſtructiua virtutis poteſt eſſe Theologica, & hoc modo ſpes media eſt inter deſperationem, & præſumptionem.

QVÆSTIO QVARTA.

SPerare poteſt quis multipliciter, aut habendo merita in propoſito, & effectu, vt homo iuſtus, qui diu Deo ſeruiuit; aut habendo merita in propoſito, & radice, ſed non in effectu, ſicut qui ante vſum virtutum ſuſcepta gratia ſperat beatitudinem: aut habendo merita tantùm in propoſito, vt peccator, qui proponit multa bona facere; aut non habendo ea in propoſito, vt peccator, qui per ſolam Dei miſericordiam ſperat ſaluari neglecta iuſtitia: hic actus eſt præſumptionis; tertius ſpei informis: ſecundus ſpei formatæ: primus formatæ, & exercitatæ.

Tendentia eſt duplex, quædam plena, & hæc eſt à gratia operante, & cooperante; quædam ſemiplena, & exilis, & tenet rationem virtutis generaliter acceptæ, & informis, non autem gratuitæ.

QVÆSTIO QVINTA.

CErtitudo intellectus duplex eſt; quædam qua redditur intellectus potens ad excludendum errorem, & hæſitationem, & eſt viæ; alia quæ reddit impotentiam ad errandum, & eſt patriæ. Sic affectio alia firmat ita voluntatem, vt poſſit ſuperare diffidentiam, alia vt non poſſit hæſitare, vt eſt patriæ.

Certitudo vel eſt conditionata in ſpe, & ſic eſt infallibilitatis, & neceſſitatis: certum eſt enim, quòd qui perſeuerauerit vſque in finem in gratia ſaluabitur; vel eſt abſoluta, & ſic eſt tantùm certitudo probabilitatis in ſpe, quatenus probabiliter ſperat habens conſcientiam, quòd opera ſua ſint meritoria vitæ æternæ.

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

SPes vel nominat habitum virtutis, vel nominat actum, vel nominat ſtatum, vel obiectum: primo modo non habet ortum ex meritis, ſed potius merita ab ipſa: aliis modis oritur ex meritis, nam nullus actu ſperat beatitudinem, niſi ex meritis, neque eſt in ſtatu, niſi propter merita

Digitized by Google

præcedentia, & comitantia: Rom.5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem; res ſperata, ſeu obiectum, quod eſt beatitudo ſupponit merita. Status vocatur hic certitudo quædam ex perpeſſione tribulationum, quæ vehementer confirmat animam in ſuſtinentia.

Intueri merita dicitur dupliciter, vel attribuendo ſibi, vel diuinæ gratiæ: primo modo eſt ſuperbiæ: ſecundò humilitatis, & motus ſpei, &c.

QVÆSTIO TERTIA.

HAbitus ſpei, & caritatis comparari poſſunt aut ſecundum ſe conſiderati, aut in ordine ad actus: primo modo non habent ordinem, ſed ſimultatem, quia ſimul infunduntur. Secundo modo habent ordinem, quia actus vnius diſponit ad actum alterius, & præparando, ac diſponendo eſt quodammodo eius principium: & ſic ordine naturæ actus ſpei præcedit actum caritatis.

QVÆSTIO QVARTA.

SPei duplex eſt actus, quorum vnus eſt principium alterius: ſpes enim facit confidere, & confidendo expectare, & quia innititur ei, qui eſt excellentiſſimæ virtutis, & largitatis, magna ab eo expectat: & ſic obiectum ſpei eſt bonum ſub ratione ardui, & magni, vt bonum concupiſcit, vt ad arduum ſe erigit.

QVÆSTIO QVINTA.

SPes accipitur largè, & propriè: primo modo dicit credulitatem quodammodo firmatam reſpectu alicuius boni aſſequendi, ſiue à ſe, ſiue ab alio: & ſic poteſt dici virtutis cognitiuæ: ſecundo modo idem eſt quod confidere, & ex illa confidentia tendere in id, quod ſperatur, & pertinet ad affectiuam.

DISTINCT. XXVII.

Text.

ART. I. QVÆST. I. II. III.

DE virtutibus loquimur & quantum ad eſſe, & quantum ad operari, & quantum ad bene operari: primo modo quælibet virtus habet in ſe proprium formam, per quam diſtinguitur ab alia: ſecundo modo formatur à gratia, quæ facit ipſas gratuitas, & Deo acceptas: tertio modo informantur à caritate, quæ eſt pondus inclinans, & faciens tendere operationes omnium virtutum ad bonum finem.

Sicut viuere naturæ dicitur, vel vt eſt actus primus proueniens ab eſſentia animæ, vel vt eſt actus ſecundus proueniens à potentia, ſic in eſſe moris viuere eſt in actu primo à gratia & in actu ſecundo à virtutibus, & in primis à caritate ob magnam affinitatem, quam habet ad gratiam.

QVÆSTIO QVARTA.

ART. II. QVÆST. I.

DVpliciter dicitur aliquid ab altero prius ſecundum Philoſophum, origine, & complemento, ſeu definitione: primo modo ratio merendi prius eſt in actu fidei, quia ipſa eſt origo motuum aliarum virtutum. Secundo modo efficacia merendi prius tribuitur caritati, quia ipſa eſt perfectiſſima omnium virtutum, & in eius actu conſummatur meritū; per ipſam enim efficitur homo maximè conformis Deo, tamen ratione liberalis exhibitionis mortuæ, tùm ratione conformis vnionis, ob quam adhæret Deo, & fit vnus ſpiritus cum eo: tum ratione finalis quietationis; quia cum amor ſit pondus, facit in Deum tendere, & in eo quieſcere, non ſecus ac grauia per ſua pondera quieſcunt, & ſtabiliuntur in locis ſuis.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplex eſt merces, temporalis, & æterna: & mercenarius eſt duplex, bonus, & malus; & mercimonia vna laudabilis, altera vituperabilis, quæ reſpicit principaliter mercedem principalem.

Duplex eſt motus in caritate, amicitiæ, & concupiſcentiæ: ille eſt, quo quis deſiderat Deo placere, & ſeruire: hic autem quo deſiderat Deum habere, & videre.

QVÆSTIO TERTIA.

MOtus dilectionis in Deum, & proximum poteſt eſſe dupliciter, aut ita quod in vtrumque ſit tanquam in obiectum, & in alterum, tanquam in finem vltimum: & ſic poteſt eſſe vnus & idem motus in Deum, & proximum, qui dicitur motus quaſi collatiuus, quo diligitur proximus propter Deum.

Sub ratione obiecti poteſt motus caritatis comparari ad Deum & proximum dupliciter; vel ſub eadem vniformi ratione, ita vt vtrumque diligat, ſicut illud, cui optat bonum; vel diſformiter, ita vt vnum reſpiciat, ſicut bonum quod optat, & alterum, ſicut bonum, cui optat: hoc ſecundo modo poteſt eſſe idem actus dilectionis in Deum & proximum: caritas enim actu, quo diligit proximum, optat illi Deum. Primo modo oportet actum dilectionis eſſe alium, & alium, quia diuerſus eſt dilectionis terminus, non enim eſt idem dilectum, cum diligitur Deus, & cum diligitur proximus, ſi dilectum dicatur obiectum, cui optatur bonum, & ſic dantur duo præcepta Dei & proximi diligendi.

QVÆSTIO QVARTA.

DVpliciter comparantur motus dilectionis ad habitum caritatis, aut ſecundum primam ipſius habitus inclinationem, aut ſecundum exercitij perfectionem: primo modo motus dilectionis in Deum prior eſt, quàm in proximum, quia caritas prius inclinat in Deum, quàm in proximum, quia Deus eſt obiectum principale, & inclinatio in ipſum eſt cauſa inclinationis in proximum: atque adeo hic motus prior eſt origine, & dignitate. Secundo modo prior eſt amor proximi, tanquam vitæ actiuæ, quæ imperfectior eſt contemplatiua.

QVÆSTIO QVINTA.

TRipliciter dici poteſt aliquis actus habere modum, vel per limitationem in ſe, vel aggregatione circumſtantiarum, vel ex medietate inter ſuperfluum, & diminutum: primo modo omnis actus virtutis limitatus eſt, quia finitus, loquendo de limitatione actuali, & non ſecundum poſſibilitatem. Secundo modo etiam limitatus dicitur, quatenus nullus actus eſt laudabilis, niſi concurrant debitæ circumſtantiæ. Tertio modo

Digitized by Google

omnis actus virtutis Cardinalis, & politicæ habet modum, quia conſiſtit in medio inter exceſſum, & defectum, & habet obiectum finitum, & creatum: Caritas habet modum duobus primis modis, non tertio, quia eſt circa obiectum infinitum, & increatum.

QVÆSTIO SEXTA.

DVpliciter poteſt intelligi, quòd amor Dei poſſideat totum cor, aut ita quòd excludat omnem affectum extraneum, & tunc dominatur plenè, & perfectè cordi: ſecundò ita vt excludat omnem affectum contrarium, quia videlicet nihil diligitur ſupra Deum, aut æqualiter Deo: & ſic diligens dicitur diligere Deum ex toto corde, quia diligit ſuper omnia, & propter ſe. Primus eſt proprius patriæ, & non cadit ſub præceptum in via, ſed ſecundus.

DISTINCT. XXVIII.

Text.

DIligere contingit affectu, & effectu; affectu nullus ſe odit, imò etiamſi ſeipſum interimeret, id faceret ob maiorem quietem: ſi peccat, quærit ſuam dilectionem: effectu multi oderunt ſe, quia inordinatè diligendo, malum ſibi faciunt. Dub. 3.

ARTIC. I. QVÆST. I.

ACtus eſſe ex aliqua virtute dupliciter poteſt intelligi: primò ſicut à mouente, & imperante: ſecundò ſicut ab eliciente, & informante: primo modo omnia opera meritoria ſunt à caritate, quia caritas imperat omne opus bonum. Secundo modo actus eſt à caritate, quem habitus caritatis reſpicit formaliter, & directè, ſicut diligere Deum, & proximum: primo modo diliguntur creaturæ irrationales, quia inſeruiunt merito, & laudi diuinæ: ſecundo modo diligitur ſummum bonum, & id, cui aptum eſt communicari. Creaturæ irrationales diligunt quadam naturali pietate, &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

COmmunicare in ratione dicitur aliquid dupliciter, vel ſecundùm ipſius naturam puram rationis: vel ſecundum ordinem, aut habilitatem ipſius ad gratiam: prima non eſt ſufficiens, ad hoc vt aliquis dicatur eſſe proximus reſpectu actus diligendi: dilectio enim gratuita reſpicit ordinationem ad gratiam, & ideo Dæmones non ſunt diligendi caritate.

Dupliciter aliquid ordinatum eſt ad beatitudinem, aut quia ipſum de ſeipſo ordinatum eſt, vt perueniat ad illam; aut quia per ipſum aliud ordinatum eſt peruenire: primo modo ordinatum caritate diligendum eſt: ſecundo modo non eſt neceſſe diligi caritate.

Similiter ad laudem Dei aliquid eſt ordinatum dupliciter, aut quia ipſum laudat, & magnificat, aut quia eſt materia laudis diuinæ: primum diligitur caritate; ſecundum non eſt neceſſe, niſi forte ex imperante.

QVÆSTIO TERTIA.

MAli conſiderantur vel vt homines, vel vt mali, ſeu inquantum habent in ſe rationem diuinæ imaginis, & ſunt capaces beatitudinis, vel inquantum illam deformant: primo modo ſunt diligendi charitate: ſecundo ſunt potius odio habendi.

QVÆSTIO QVARTA.

ALiquid dicitur beatum tripliciter, per eſſentiam, per primam influentiam, & per quamdam redundantiam: primo modo eſt ſolus Deus: ſecundo modo rationalis ſpiritus: tertio modo corpus humanum; & ideo hoc etiam charitate diligitur, vtpote beatificabile, licet quantùm ad vitioſitatem concupiſcentiæ odio ſit habendum: Qui odit animam ſuam in hoc mundo; &c.

QVÆSTIO QVINTA.

BOnum dicitur aliquid dupliciter, concretiuè, quia eſt ordinatum ad beatitudinem, & in finem; abſtractiuè, quia eſt id, quo quis ordinatur in finem. Bona gratuita dicuntur bona ſecundo modo, quia illis mediantibus creaturæ rationales ordinantur in finem, ideo magis ſunt bonitates, quàm bonæ, & magis rationes diligendæ, quàm diligibilia, ſecundùm aliquos; ſed Aug. 8. Trin. c. habet quòd caritas diligenda eſt caritate, & ratio eſt, quia amore concupiſcentiæ diligi dicuntur quæ deſiderantur, ſicut amicitiæ quibus optatur bonum; quia ergo deſiderium bonorum ſpiritualium eſt ipſius caritatis, concedendum eſt, quod bona gratuita diliguntur caritate, ſecundum tamen bona temporalia, quæ habent tantùm rationem commodi.

QVÆSTIO SEXTA.

DISTINCT. XXIX.

Text.

ORdo præpoſterus quidam eſt ex debita cauſa, quidam præter cauſam, quidam contra debitam cauſam: primus eſt, cum quis bonum commune præponit proprio in temporalibus: ſecundus eſt, cum ex ſola libertate voluntatis magis quis ſe exhibet extraneo, quàm domeſtico, vel conſanguineo, conſiderando in ipſo aliquam ſtrenuitatem, magis quàm Dei voluntatem: tertius cum præfertur extraneus neglecto domeſtico, qui in neceſſitate præferendus eſt: primus eſt meritorius, reliqui duo non, imò tertius eſt peccatum. Dub. 1.

Caritas ſumitur largè pro qualibet dilectione, quæ multùm habet carum amatum, & propriè pro virtute Theologica: prima poteſt eſſe inordinata: ſecunda nequaquam. Dub. 2.

Amor alius eſt complacentiæ, alius eſt beneficentiæ: primus eſt, quando quis facta alterius acceptat, & ipſum approbat, & in eius bonitate complacet ſibi: ſecundus eſt, quo quis amat aliquem, quia vult ei benefacere, & non tantùm quia bonus eſt, ſed vt ſit bonus; quantum ad primum, ponderat bonitas, quantum ad ſecundum, ponderat propinquitas. Dub. 4.

Perfectum dupliciter dicitur, vel in se, vel in ordine: primo modo caritas in principio sui est imperfecta, & perficitur per incrementum: secundo modo caritas in quocumque statu sit, perfectionem habet, quia ordinata est in suum finem, & potest elicere debitam operationem. Dub. 5.

Desiderium quiescendi cum Christo potest venire ex duplici causa, vel propter tædium malorum præsentium, vel propter contemptum terrenorum, & abundantem prægustationem cælestium: primo modo est signum imperfectionis, quia recusat laborem: secundo est signum perfectionis, quia non recusat laborem, sed æstuat desiderio vnionis. Dub. 6.

ART. I. QVÆSTIO I.

PRoportio dupliciter sumitur, strictè, & largè: primo modo dicit commensurationem rerum eiusdem generis: secundo modo dicit habitudinem, quæ attenditur secundùm conuenientiam analogiæ: sic est proportio inter creatum, & increatum, & ordo secundùm rationem causalitatis, & primitatis.

Ordo alius est partium in toto, & rerum in vniuerso; alius eorum, quæ sunt in finem ad ipsum finem: primus principaliter est circa cognitionem: secundus circa affectionem, & dilectionem, & talis est caritatis.

QVÆSTIO SECVNDA.

DVplici motu dilectionis contingit Deum diligere, amicitiæ videlicet, & concupiscentiæ, siue desiderij.

QVÆSTIO TERTIA.

PRoprium quærere contingit dupliciter: primò proprium dicitur cum præcisione, & sic excludit bonum commune, & inuoluit vitium: & sic dicit Apostolus, quod caritas non quærit quæ sua sunt, secundò proprium dicitur, quod pertinet ad se, ita vt in eius appetitu voluntas nec repugnet diuinæ voluntati, nec præiudicet bono communi, vt est appetitus salutis propriæ, & qui sic se diligit, ex caritate diligit

Curuitas naturæ alia est in vitium, alia dicit tantum intrinsecam naturæ inclinationem; prima est, qua quis se diligit plus quam Deum, secunda, qua quis diligit se plus, quàm proximum. Gratia corrigit primam, & dirigit secundam.

QVÆSTIO IV. V.

DVplex ordo attenditur in caritate: vnus, qui ei cõpetit secundùm seipsam, & hic attenditur penes bonum, magis bonum, & maximè bonum; alius, qui competit ei ratione naturæ substratæ, & hic attenditur secundùm differentias, quæ sunt proprium, & alienum, propinquum, & extraneum: affectus enim caritatis substernit sibi affectum naturæ, & illum perficit, & regit secundùm rectitudinem quam habet in se, & sic domestici præponendi sunt extraneis.

QVÆSTIO VI.

AFfectus aliquãdo accipitur pro passione, aliquando pro motu; passio, hic est muliebris complacentia, motus verò rationalis eligentia, qui est duplex, quidam à caritate elicitus, quidam imperatus: primus est, quo quis optat alteri summum bonum; secundus, quo optat bonum temporale ordinatum ad conseruationem naturæ; tertius verò est affectus annexus, quo delector de alterius bono, & dicitur passio. Caritas respicit principaliter primum affectum: magis enim mihi debeo optare beatam vitam, quàm alij, deinde Patri meo, & sic vlterius procedendo; imperatur verò minus principaliter; passionem non respicit ordo caritatis, quia potius respicit sensibilem experientiam, quàm rationalem eligentiam.

Effectus exterior triplex est, procuratio æternæ salutis, releuatio temporalis necessitatis, commissio beneficij Ecclesiastici; primum respicit ordo caritatis principaliter, secundum minus principaliter, quia secundùm diuersas occasiones potest, & debet homo esse magis, vel minus beneficus, tertium non respicit caritas, quia in eo attendenda est ratio meriti, & parum, aut nihil propinquitas sanguinis.

DISTINCT. XXX.

TEXT.

POtest aliquis amari dupliciter, aut specialiter, aut sub quadam generalitate; primo modo non potest idem motus esse in amicum, & in inimicum, quia sunt diuersa obiecta, & diuersa diligibilia, secundo modo quatenus cogitat omnem hominem esse diligendum, potest esse idem motus, vel sic motus simplex, & absolutus non potest esse vnus, & idem circa amicum, & inimicum collatiuus, quo quis afficitur erga duo, vnum alteri præponendo, potest esse. Dub. 1.

Aliud est dimittere rancorem, aliud signa rancoris; primum est necessitatis, siue inimicus repugnet, siue petat veniam; secundum est perfectionis, nec ad hoc tenetur homo, nisi in casu, videlicet quando deuotè, & humiliter venia postulatur. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

SVbire mortem intentione placendi Deo tripliciter contingit, primò instante deserendi vel vitam, vel iustitiam; secundò offerente se occasione diuinam gloriam manifestandi, & ædificandi Ecclesiam; tertiò ex hoc solùm quod vitam suam habet exosam; primum est iustitiæ, & necessitatis; secundum perfectionis, & supererogationis; tertium seueritatis, & crudelitatis.

QVÆSTIO TERTIA.

CAritas dicitur dupliciter proficere; primò propter multiplicationem bonorum operũ; secundò propter ipsius augmentum, & progressum ad vltimum statum; quando dicitur, quòd homo tenetur proficere in caritate, intelligitur de secundo.

QVÆSTIO QVARTA.

DVplex est affectus amoris, alter elicitus à caritate, alter imperatus: primo optatur alij summũ bonum, seu beatitudo æterna; secundo bonum temporale, & prosperitas transitoria, nisi impediat salutem; primo tenemur inimicos etiam actu inimicantes diligere; secundo non tenemur, sed sufficit non odisse: est tamen perfectionis, & supererogationis sic diligere.

Digitized by Google

Dupliciter contingit facere mirabilia, id est supra facultatem naturæ; primò secudùm naturam simpliciter; secundò supranaturam rationalem; primum est per gratiam gratis datam, quam vocat Apostolus operationem virtutum, quæ non omnibus datur. Secundum est per gratiam gratum facientem, vt per fidem, & caritatem; sic credimus quæ videntur incredibilia infidelibus, & amamus, quæ videnturodibilia, vt inimicos.

QVÆSTIO QVINTA.

SIcut diligere affectu vno modo est perfectionis, & alio necessitatis, sic & effectu; nam instante necessitate tenemur inimicos diligere benefaciendo, præcisa necessitate; in aliis occasionibus est perfectionis, & supererogationis.

QVÆSTIO SEXTA.

AMor amicorum, & inimicorum comparari potest vel ad eumdem habitum, & radium caritatis, vel ad diuersos; primo modo sunt æquales respectu præmij substantialis, quia hoc respondet caritati, quantùm ad accidentale, & vigorem ipsius actus, mutuò se excedunt: nam erga amicos est feruentior, & frequentior, erga inimicos purior, & difficilior, & magis in hoc exercetur caritas extensiuè; in illo verò intensiuè: sicut virtus caloris extensiuè magis exercetur in longinqua, intensiuè in propinqua. Secundo autem modo vt sunt à diuersis habitibus, excellentius est diligere inimicum, & perfectiori habitu opus est propter difficultatem: absolutè tamen probabile est meliorem esse motum erga amicos secundùm Magistrum; sed August. videtur præferre dilectionem inimicorum: vnde Apostolus commendat caritatem Dei, Quia cum essemus inimici, &c. Rom. 5.

Maior æquitas attenditur vel ex meritorum exigentia, & dignitate dilecti, vel ex maiori rectitudine à parte diligentis: primo modo æquius est diligere amicum; secundo modo inimicum, vtpote abundantioris iustitiæ.

In exhibitione beneficij, & executione actus potest homo duplici intentione se exercere, aut propter profectum alterius, aut propter meritum suum; sicut ergo in dilectione inimici maior sit via proficiendi, quia tamen magis obligatur homo amico, frequentius debet se amore erga illum exercere. Neque verum est, quòd debeat homo se magis exercere in ijs, quæ sunt maioris perfectionis, sed potius in ijs, quæ sunt maioris obligationis.

DISTINCT. XXXI.

TEXT.

ALiquis potest dici scribi in libro vitæ dupliciter, vel secundùm præsentem iustitiam, vel secundùm finalis gratiæ præuisionem; primo modo dicitur quis scriptus, quia scribuntur eius merita, secundo modo non solùm quia scribuntur eius merita, sed etiam quia ipse ordinatur ad vitam secundùm prædestinationem diuinam; & hæc scriptio nunquam deletur. Dub. 1.

Voluntas in Deo est antecedens, & consequens: illa est solummodo ex ipso; hæc verò pendet ex causa nostra.

ARTIC. I. QVÆST. I.

QVando dicitur, quod omne peccatum est ex amore inflammante, vel timore malè humiliante, dupliciter intelligi potest, aut quòd istæ duæ passiones præcedant tempore omne peccatum perpetratum exterius: & hoc non est vniuersaliter verum, quia in priori peccato primi hominis non habuit locum; aut quia præcedant origine, & verum est, quia nemo peccatum externum perpetrat, nisi malo affectu, &c.

Liberum arbitrium sequitur affectionem prædominantem non in habitu, sed in actu: in habente caritatem caritas prædominatur habitu, sed aliquando affectio carnalis prædominatur actu.

QVÆST. II. III.

ART. II. QVÆST. I.

HAbitus fidei dupliciter consideratur, aut quatenus est distinctus ab alijs virtutibus, aut vt gratia informatus; primò maiorem habet oppositionem ad statum gloriæ, quàm ad statum culpæ; secundo modo vice versa, & ideo euacuatur per gloriam in patria, non per peccatum in via.

Videre per speculum dicitur, qui ascendit à cognitione creaturæ ad cognitionem creatoris; in speculo videt, qui Deum in ipsa creatura clarè intuetur; prima visio non erit in gloria, secunda erit.

QVÆSTIO SECVNDA.

DEsiderium aliud est de acquirendo, aliud de continendo: primum esse potest cum spe, secundum nequaquam, quia non est expectatio nundum habiti, vt in patria, vbi desiderium dicit indeficientiam delectationis sine fastidio, non autem anhelationem ad non habitum, id est summum bonum, & arduum, quod est obiectum spei.

QVÆSTIO TERTIA.

IN scientia considerantur tria, habitus, vsus, modus, manebit in patria quoad habitum, & actum, non quoad modum per inquisitionem, & discursum, sed quoad simplicem aspectum: & sic intelligitur Apostolus primo Cor. 13. Siue scientia destruatur, &c.

ARTIC. III. QVÆST. I.

DIspositio alia est, quæ habet oppositionem cum termino ad quem disponit, vt medius color ad extremos, & tepiditas ad frigiditatem, & calorem, & hæc desinit aduenient termino; alia quæ simpliciter disponit, & non habet oppositionem cum termino, sed potius perficitur ab illo, vt perspicuitas respectu luminis. Primi generis sunt fides, & spes respectu gloriæ; secundi generis est caritas, quæ communis est statui viæ, & patriæ, in qua perficitur ob tres rationes in textu.

Ex parte dicitur esse aliquid, quod est secundum quid, & hoc dupliciter, vel eo quod deficiat ab eo, quod est simpliciter, sicut albus secundùm quid; vel quia non tantùm deficiat, sed

Digitized by Google

etiam quia repugnet, sicut homo mortuus respectu hominis: sic ex parte dicitur id, quod sonat imperfectionem, deinde quod etiam oppositionem; primo modo dicitur caritas, quæ non euacuatur in patria; secundo modo fides, & spes. Medium aliud est, quod facit distare; aliud, quod facit proximare; quod vnitur hoc secundo modo, magis vnitur quàm sine illo, & talis est caritas, qua media vnitur anima Deo etiam in patria.

QVÆSTIO SECVNDA.

LAtitudo caritatis dupliciter consideratur, videlicet liberalitatis magnitudine, & diligendorum multitudine; prima est caritati essentialis, secunda est accidentalis; respectu primæ dilatatur in patria caritas, quia creseit eius bonitas, & communicationis liberalitas: ratione secundæ potius restringitur caritas, quia nunc diligendi sunt qui in statu patriæ, & qui in statu viæ versantur: tunc autem solùm qui in statu patriæ, quia cæteri non poterunt ad eam peruenire.

Diligere multa contingit dupliciter, aut multa vt multa, aut relata ad vnum; hoc secundo modo diligit caritas in patria, quia Deus erit omnia in omnibus, & in omnibus diligetur, & sic non dispergetur caritas, sed colligetur.

QVÆSTIO TERTIA.

DISTINCT. XXXII.

TEXT.

DIlectio Dei dupliciter consideratur aut à parte principalis significati, aut à parte connotati; primo modo est Dei essentia; secundo connotat aliquid temporale, & habet ordinem ad extrinsecum, cuius causa est substantia Dei. Dub. 2.

Dilectio alia est electionis, alia approbationis; prima est æterna, sicut & voluntas Dei; secunda ratione connotati potest esse ex tempore. Dub. 3.

ART. I. QVÆSTIO I.

DEus diligit non affectu, sed effectu; hic autem potest dupliciter connotari, actu, & habitu: & vtroque modo Deus dicitur diligere effectu, tam quoad effectus gratiæ, quàm naturæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVando dicitur Deus ex caritate diligere quæ diligit, ly, ex, dupliciter potest accipi; primò vt dicit habitudinem principij motiui, & productiui respectu effectus creati, & sic omnia quæ diligit, ex caritate diligit, quia caritas est principium omnium effectuum.

Duplex est conformatio rerum ad Deum, secundùm similitudinem vestigij, & similitudinem expressam, quæ est ratio imaginis; sic dilectio Dei accepta generaliter connotat sibi quandam generalem assimilationem: specialiter verò quandam expressam vnionem; prima est respectu omnis creaturæ, secunda respectu eius, cui Deus communicat caritatẽ, qua ipsi adhæret vnione maxima.

QVÆSTIO TERTIA.

DIlectio Dei vt dicit actum essentialem, vno, & eodem actu simplici, & indiuisibili diligit se, & omnia; vt autem dicit efficaciam, & actum consequentem, sic non æqualiter diligit omnia, & idem est, quod ex parte actus volendi æqualiter diligit omnia, non autem ex parte obiecti voliti, quia maius bonum vult vni, quàm alteri.

QVÆSTIO QVARTA.

DIlectio Dei vel attenditur in ordine ad creationem, vel in ordine ad reparationẽ; quoad primam magis dilexit Angelos, quàm homines, quia meliora naturalia eis contulit: quoad secundam vice versa, quia Angelos deseruit, & homines releuauit.

QVÆSTIO QVARTA.

DISTINCT. XXXIII.

TEXT.

QVbuenire miseris potest quis dupliciter, aut prout mouetur sub ratione debiti, aut prout simpliciter considerat necessitatem proximi, cui compatiendum est: primum est iustitiæ, secundum misericordiæ. Dub. 1.

Actus virtutis vel est interior, vel exterior; primus semper est positiuus; secundus potest esse negatiuus, vt silentium, ieiunium, &c.

Duplex est porta ingrediendi cœlum: obseruatio mandatorum; Si vis ad vitam ingredi serua mandata, Mat. 19. & tolerantia passionum; per multas tribulationes oportet nos, &c. Act. 14.

ART. I. QVÆST. I. II.

QVando dicitur, quòd virtus est æqualitas vitæ vndique rationi consentiens, vndique, potest dupliciter intelligi distribui: aut ita vt distribuat pro duabus extremitatibus consistentibus circa medietatem; & sic conuenit cuilibet virtuti cardinali per se, quia nec declinat ad superfluum, nec ad diminutum; aut potest distribui pro omnibus partibus rationalibus animæ; & tunc non competit alicui virtuti cardinali absolutè, sed inquantùm habet connexionem cum alia, quo modo omnes virtutes habent quandam vnitatem aggregationis, per quam dicitur anima integrè, & perfectè potens, sicut & per potentias inter se distinctas, quarum vna sine altera non dat perfectè posse.

Prædicatio est multiplex per causam, per essentiam, per concomitantiam; quando dicitur, quòd vna virtus denominat aliam, intelligitur de concomitantia in vno simplici subiecto, quod potest reflectere se super se, & super omne, quod est in se, vt sunt intellectus, & voluntas: ideo dicitur fortitudo prudens, & prudentia fortis, non autem Musica alba.

Iustitia dupliciter accipitur, generaliter, & complectitur omnes virtutes cardinales, & Theologicas; specialiter, & distinguitur ab aliis virtutibus.

Inspectio medij sit dupliciter, vel per modum considerationis directiuæ, vel per modum inclinationis determinatæ; primo modo conuenit prudentiæ; secundo modo cuilibet virtuti, quia quælibet est pondus inclinans ad medium, in quo consistit, sicut grauitas ad medium Mundi.

Digitized by

QVÆSTIO TERTIA.

RAtionale dicitur dupliciter, largè, quod rationi obedit; & propriè, ac ſtrictè, quod rationem participat. Virtutes omnes ſecundùm Theologos, tam cardinales, quàm theologales, ſunt in parte rationali propriè dicta, omnes enim ſunt principium merendi, meritum autem radicaliter eſt circa liberum arbitrium, & proinde virtutes in ea parte eſſe debent, quæ eſt rationalis, eiuſdem enim eſt liberum arbitrium.

Rationale item accipitur vel vt diſtinguitur à parte ſenſitiua, vel vt ab affectiua; primo modo omnes virtutes ſunt in parte rationali; ſecundo modo quædam ſunt in ratione, quæ videlicet dirigunt in diſcernendo, vt fides, & prudentia; quædam in voluntate, quæ moderantur iraſcibilem, & concupiſcibilem, vt ſunt rationis, non vt ſenſitiuæ obedientis; rationalis autem pars dicitur, ſecundùm quam nati ſumus, immediatè in Deum ferri, in qua communicamus cum Angelis.

Obliquitas dupliciter eſt circa aliquam potentiam, aut quia in ea inchoatur, aut quia conſummatur; primò eſt in parte ſenſibili propter fomitis inclinationem; ſecundo modo eſt in rationali, propter conſenſum, & deliberantem electionem: & in hac principaliter reſidet obliquitas vitij, & rectitudo virtutis.

QVÆSTIO IV. V.

VIrtutes cardinales dicuntur virtutes dupliciter, tùm quia habilitant ad opera moralia, tùm quia eleuant ad opera meritoria: & ſic ſunt à diuino munere, quia eleuat ſupra naturam; primo autem modo ſunt à natura radicaliter, ab operum frequentia completè, & perfectè, quod fieri poteſt vel à natura, vel à gratia, vel ab vtraque ſimul, ſecundùm perfectum complementum.

Opus virtuoſum, ſeu ſtudioſum dupliciter dicitur, primò quod procedit ab habitu iam completo; ſecundò quod diſponit ad habitum virtutis, & hoc modo eſt neceſſe, vt ſit à virtute, ſed poteſt à voluntate deliberante conſona naturali rectitudini, videlicet iudicio conſcientiæ, & inclinationi ſyndereſis, quibus virtus conformatur.

QVÆSTIO SEXTA.

DISTINCT. XXXIV.

Text.

PRincipium aliud eſt ad intra, aliud ad extra; primum poteſt ſe compati cum principiato, non item ſecundum; timor Domini eſt primi generis, reſpectu ſapientiæ, ſi ſit timor filialis, & caſtus, qui dicitur manere in ſæculum ſæculi; ſi ſit ſeruilis eſt primi generis, quem perfecta charitas foras mittit. Dub. 2.

In timore duplex eſt affectus, & duplex effectus; vnus, qui attenditur in quadam reſilitione mentis a malo; alius, qui attenditur in quadam reſilitione à ſummo arduo. Primi timoris effectus eſt malum reſpuere, ſecundi eſt facere Deo ſubiacere, & eidem obedire; vnus effectus conuenit patriæ; vterque affectus conuenit huic ſtatui.

ARTIC. I. QVÆST. I. II.

HAbitus virtutum, & donorum dupliciter conſiderantur, vel reſpectu originis, vel reſpectu vſus; primo modo omnes ſunt ſimul origine, quia omnes ſimul infunduntur cum gratia; ſecundo modo virtutes præcedunt dona.

QVÆSTIO TERTIA.

HAbitus virtutum, & donorum ſub ratione dignitatis tripliciter comparantur, aut ad gratiam ipſos informantem, aut ad actus, aut ad ſtatus conſequentes; primo modo omnes ſunt æqualis dignitatis, vtpote ab vna, & eadem forma; ſecundo modo vnus eſt nobilior altero. Donorum vſus promouet hominem ad ſtatum perfectiorem: & ſic dona dicuntur excellentiora virtutibus: ſicut ſtatus perfectorum eſt excellentior ſtatu proficientium, & incipientium.

Perfectio alia eſt ſufficientiæ, alia excellentiæ, alia ſuperabundantiæ; prima eſt perfectio in genere, & ſecundùm quid, cui poteſt aliquid ſuperaddi, id eſt excellentia ſupererogationis vltra ſufficientiam neceſſitatis; vltima verò eſt excellentia ſimpliciter, cui non poteſt ſuperaddi. Virtus eſt diſpoſitio perfecti primo modo, ad optimum vltimo modo.

Medium eſt duplex ſufficientiæ, & excellentiæ; primum eſt inter ſuperfluum, & diminutum; ſecundum eſt, quod maximè recedit ab omni inæqualitate, & ab omni imperfectione, & hoc magis attenditur quàm virtutum.

ART. II. QVÆST. I. II. III.

DISTINCT. XXXIV.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

DOna Spiritus ſancti alia ſunt à Spiritu ſancto, ſed non cum Spiritu ſancto, vt timor ſeruilis ſecundùm quod huiuſmodi; alia à Spiritu ſancto, & cum Spiritu ſancto, vt donum caritatis; alia à Spiritu; & aliquando à Spiritu ſancto, aliquando non, vt donum prophetiæ, ſcientiæ, &c. quæ aliquando ſunt in bonis, aliquando etiam in malis.

QVÆSTIO SECVNDA.

AMor naturalis duplex eſt, alius qui eſt cum ipſa natura plantatus; alius, qui eſt ex naturali affectu; & voluntatio exercitio acquiſitus ſine gratiæ dono: & tali amore poteſt peccator ſeipſum amare ſine peccato, & ſua mala fugere, ſiue præſentia, ſiue futura, & ex eo procedit timor ſeruilis.

QVÆSTIO TERTIA.

ADditio alia eſt ſimpliciter complens, alia eſt diſtrahens. Timor initialis addit ſupra ſeruilem, non ſolùm complendo, ſed etiam diſtrahendo, quia aufert ei defectum concomitantem, ſeu voluntatem deformem, & conditionem complentem, quæ erat in ſtatu illo principaliter intueri pœnam, & ideo ſic ſupra illum addit, vt etiam illum minuat.

Digitized by Google

ARTIC. II. QVÆST. I. II.

VSus timoris gratuiti est duplex, primus, quo sollicitatur cor hominis ex consideratione suæ fragilitatis; secundus, quo humiliatur ex consideratione suæ prauitatis, & diuinæ magnitudinis; primus minuitur, cum caritas perficitur, quia confidentia consurgit ex perfectione caritatis; Alius verò vsus crescit caritate crescente, sicut timoris habitus, vnde quanto quis habet plus de spiritu amoris, tanto plus habet de spiritu timoris, quia tanto magis elongatur à spiritu superbiæ.

Vsus alicuius habitus potest dici dupliciter crescere, vel decrescere, vel motus intensione, vel actuum numero; de hoc secundo verum est, quòd crescente caritate amor decrescit quantùm ad vsum sollicitudinis de casu, quia non adeo indiget sollicitari, sicut imperfectus, qui habet vnde magis sollicitetur, tùm ratione præteritæ culpæ, tum ratione periculi nouæ, defectu amoris, &c.

QVÆSTIO TERTIA.

TRiplex est doni timoris differentia; vnus qui principaliter aspicit pœnam, & est seruilis; alter, qui principaliter offensam, & est initialis; tertius qui principaliter reuerentiam, & majestatem, & est filialis, qui resilit à summa maiestate quam reueretur in suam paruitatem, & hic est in Sanctis, Angelis, & Christo D.

DISTINCT. XXXV.

TEXT.

SIcut iustitia dupliciter accipitur, pro generali, quæ complectitur omnes virtutes; & speciali, quæ est virtus cardinalis: ita sapientia alia est communis, quæ includit cognitionem omnium; alia specialis, quæ est cognitio causarum altissimarum. D. 1.

Negotiari circa temporalia, & æterna potest esse dupliciter, vel secundum rationes easdem, vel secundùm rationes alias, & alias.

ARTIC. I. QVÆST. I.

SApientia primò dicit cognitionem generalem; sapiens est, qui omnia nouit secundùm quod conuenit. 1. Met. in secundò dicit cognitionem, non quamlibet, sed sublimem, scilicet æternam: 1. Cor. 12. Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ; tertiò magis propriè est cognitio Dei secundum pietatem, & attenditur in cultu latriæ exhibito Deo per fidem, spem, & caritatem: sic accipit Aug. 14. ciu. exponens illud Iob: Ecce pietas ipsa est sapientia; quartò magis propriè est cognitio Dei experimentalis: & hoc modo est vnum ex septem donis Spiritus sancti, cuius actus consistit in degustando diuinam suauitatem: & partim est cognitiuus, partim affectiuus.

QVÆSTIO SECVNDA.

SCientia alia est, quæ consistit in affectu purè speculatiuo, & est fundata super principia rationis; & hæc est scientia acquisita de quacumque creatura: quædam consistit in intellectu inclinato ab affectu; & hæc est fundata super principia fidei, & tamen acquisita, qualis est scientia sacræ scripturæ, quam nullus habere potest, nisi habeat fidem saltem informem; quædam autem est fundata in intellectu, inquantùm inclinat affectum ad operationem, & hæc est fundata supra principia iuris naturalis, quæ ordinatur ad rectitudinem, & honestatem vitæ; & talis est scientia virtutis prudentiæ; alia est, quæ consistit in intellectu, vt est inclinatus à fide, & inclinans ad bonam operationem: & hæc fundatur supra principia fidei, & habet ortum à gratia: & talis est donum Spiritus sancti, cuius actus est dirigere ad agendum secundum regulam fidei, & nosse ea, quæ sunt fidei, tanquam fundamentum suæ directionis, & humanitatem Christi, tanquam exemplar sui regiminis, qui est triplex respectus ad motiuum, fundamentum, & exemplar excitans.

QVÆSTIO TERTIA.

COgnitio Dei sub ratione veri tripliciter habetur, per simplicem assensum, per rationis adminiculum, per simplicem contuitum; primus est virtutis fidei, secundus doni intellectus, cuius est condita per rationem inuestigare; tertius est beatitudinis munditiæ cordis, cuius est Deum videre.

QVÆSTIO QVARTA.

COnsilium tripliciter accipitur, pro actu consiliandi, pro obiecto consilij, pro habitu inclinante ad intelligenda quæ prosequenda sunt, & fugienda quæ non prosequenda.

Et hic duplex est, iuxta diuersitatem eligibilium, & modorum eligendi. Eligibilia quædam sunt necessitatis, quædam arduitatis: in primis dirigit prudentia, in secundis consilium, propter excellentiorem, & maiorem difficultatem. Rursus directio potest esse vel secundum regulam iuris naturalis, vel diuini; prima est prudentiæ, secunda consilij. Actus igitur doni consilij est dirigere in electione agendorum, quæ sunt peculiaris arduitatis, secundùm regulam Iuris Diuini: & idem est respectu vitandorum: & quidem principaliter est ad directionem propriam, sed extenditur etiam ad alienam, si sit copiosum.

QVÆSTIO QVINTA.

ARduum, circa quod est fortitudo, dupliciter sumitur, pro laborioso, & aggrauante facultatem potentiæ; & pro eo, quod est extra necessitatem, & excedit statum communem; circa primum versatur fortitudo virtus: circa secundum Donum, & vtraque in tolerantia passionum, sed vt virtus propter honestatis, & iustitiæ conseruationem, vt donum propter perfectam Christi imitationem in crucifixione ipsius, qui modus tolerandi est excellentior.

QVÆSTIO SEXTA.

PIetas vel ordinat ad Deum, & dicitur theoseuia; vel ad parentes, & est species iustitiæ virtutis; vel ad proximos, attendendo in illis diuinam imaginem, & est donum, à quo promanat affectus compassionis, beneficentiæ, &c. non vt misericordia, quæ respicit miseriam, & regulatur secundùm dictamen iuris naturalis, & prudentiæ, cum Pietas secundùm regulas iuris diuini, & doni scientiæ.

DIST.

DISTINCT. XXXVI.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

PErſeuerantia dicitur tripliciter; primò eſt voluntas perferendi paſſiones ſine perfectione: & ſic eſt ſpecies fortitudinis; ſecundò propoſitum perſeuerandi in bono vſque in finem: & ſic eſt conditio annexa cuilibet virtuti; tertiò continuatio in bono vſque ad finem; & eſt nomen non virtutis, ſed ſtatus conſequentis ad omnes virtutes.

QVÆSTIO SECVNDA.

HAbitus donorum conſiderantur dupliciter, vel ſecundum eorum originem, vel ſecundum vſum. Primo modo, cum origo omnium habituum gratuitorum conſiſtat materialiter in natura, & completiuè, ac formaliter in gratia, quando hæc infunditur, omnes illi poſſunt oriri ex ipſa, ſi velimus ſuſceptæ gratiæ cooperari; ideo quantum ad originem omnia dona Spiritus ſancti habent connexionem; quantum ad vſum non habent, niſi in Chriſto Domino, quia quæ ſupererogationis ſunt, & excellentiæ, non neceſſariò connectuntur cum ijs, quæ ſunt neceſſitatis. 1. Cor. 12. Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ &c. quod probat non ſolum de gratijs gratis datis, ſed etiam de donis Spiritus ſancti quoad vſum.

QVÆSTIO TERTIA.

DE virtutibus politicis loquimur, vel quantum ad propria, vel quantum ad appropriata. Primo modo habent connexionem reſpectu ſtatus perfectionis, quia vna virtus non habetur perfectè ſine alijs: ſimpliciter autem, & ſecundum omnem ſtatum non habent, quia vna poteſt eſſe ſine alia; ſecundo modo ſunt connexæ, quia illis appropriantur quatuor conditiones, quæ ſunt diſcernere, quid ſit eligendum, & tenere medium, rectè tendere in finem, & negotiari circa arduum, & difficile; primum eſt prudentiæ, ſecundum temperantiæ, tertium iuſtitiæ, quartum fortitudinis, ſed appropriantur cæteris.

QVÆSTIO QVARTA.

PEccata conſiderantur vel quantum ad auerſionem, vel quantum ad conuerſionem; ratione primi habent connexionem, quatenus omnia priuant gratia, & auertunt à bono incommutabili, &c. ratione ſecundi non habent, quia pro quolibet punietur homo ſpeciali pœna ſibi debita reſpondente conuerſioni ad diuerſa bona mutabilia.

Virtus, & vitium dupliciter conſiderantur, vel in generali, vel in ſpeciali; primo modo opponuntur circa ſuum ſuſceptibile immediatè, non eſt enim medium, quin homo aut eſt Dei inimicus, aut amicus; ſecundo modo non opponuntur immediatè, non enim oportet aliquem aut habere continentiam gratuitam, aut eſſe incontinentem, & ſic de cæteris.

QVÆSTIO QVINTA.

DE habitibus gratuitis loquimur dupliciter, aut quantum ad habitum ipſum, aut quantum ad exercitium; primo modo, reſpectu gratiæ informantis, omnes ſunt æquales, quia gratia ſecundum ſuam excellentiam reddit potentias habitus, operationes meritorias: ſed reſpectu liberi arbitrij non habent æqualitatem, quia habent maiorem repugnantiam, aut facilitatem circa diuerſa. Secundo modo vix vnquam eſt æqualitas, tum quia fructuoſius eſt exercitium vnius virtutis, quàm alterius, verbi gratia Pietatis, quàm abſtinentiæ: tum quia liberum arbitrium non æqualiter ſe habet ad obiecta, & actus virtutũ.

QVÆSTIO SEXTA.

HAbitus cuiuslibet virtutis conſideratur tripliciter in ordine ad obiectum, ad ſubiectum, ad finem vltimum; primo modo virtutes non ſunt formabiles ab aliquo vno, cum ipſæ ſint formæ, & perfectiones diſtinctæ; ſecundo modo ſunt formæ & formabiles, formæ, quia informant ſubiectum, quantum ad bonitatem moralem; formabiles, quia perficiuntur à gratia, per quam redditur anima Deo grata; tertio modo etiam formæ ſunt, & formabiles; formæ quidem, quia diſpoſitiones ſunt ipſius animæ ordinantes ad finem vltimum; formabiles autem, quia etſi omnes diſponant ad finem, perfectio tamen tendentiæ eſt à charitate.

Perfectio ſecundum quid eſt à ſingulis virtutibus; perfectio ſimpliciter eſt ab omnibus vt informatis charitate.

Vnum informari ab alio contingit dupliciter, vel ſicut à principio conſtitutiuo, vel ſicut à principio regitiuo, & directiuo, ſeu à forma, quæ complet in eſſendo, & quæ complet in mouendo: hoc ſecundo modo charitas informat virtutes, dans complementum in regendo, & ordinando.

DISTINCT. XXXVII.

Text.

DOlum conſideratur dupliciter, aut quantum ad materiam, & formam ab artifice factam; aut quantum ad diuinitatis excellentiam, quam idololatria attribuit: & hoc modo nihil eſt realiter, ſed ſolum in fictione. Dub. 1.

In falſo teſtimonio duo conſiderantur, & iniuria illata ſummæ Veritati, quæ in teſtimonium aduocatur, & illata proximo, qui damnificatur: ratione primi prohibetur in ſecundo mandato primæ tabulæ; ratione ſecundi in quinto ſecundæ tabulæ. Dub. 2.

ARTIC. I. QVÆST. I.

OPera formata dupliciter dicuntur, vel per excluſionem deformitatis peccati, vel per poſitionem dignitatis meriti; primo modo cadunt ſub obligationem præceptorum, quia hæc obligant ad vitanda mortalia: ſecundo modo vel obligatio eſt conditionalis, qua quis obligatur ad aliquid faciendum, ſi vult peruenire ad præmium; vel abſoluta, qua quis ſimpliciter obligatur ad aliquid faciendum, ſecundum primam præcepta Decalogi obligant ad opera formata,

oportet enim volentem ad vitam ingredi seruare mandata ex caritate, quæ est principium meriti; si iuxta secundam, vel considerantur præcepta vt collecta, & reducta ad duo caritatis, aut quodlibet singillatim; primo modo obligant ad aliquod opus formatum, vel in se, si adsit facultas operandi, vel in animi præparatione, si absit. Secundo modo præcepta Decalogi non obligant singillatim ad opera formata, quia comprehendunt etiam peccatores, in quorum potestate non est informare opera sua; & præterea declinare possunt à malo, & obseruare præcepta negatiua sine opere formato.

Modus iustitiæ duplex est, alius, qui facit opus Deo placitum, & meritorium, & hic propriè reddit opus formatum: alius qui excludit circa actum viri iusti deordinationé intentionis, & dispositionis, & hic modus cadit sub præceptũ, non primus.

QVÆSTIO TERTIA.

OBligatio mandatorum Decalogi consideratur tripliciter, secundùm triplicem statum naturæ institutæ, lapsæ, legis scriptæ: & hunc tertium respicit simpliciter, & explicitè, quia illa decem mandata fuerunt à Deo pronunciata, & scripta; statum verò naturæ lapsæ respicit implicitè secundùm duo præcepta iuris naturalis, quæ natura semper dictabat, facere videlicet alij quod tibi vis fieri, & non facere quod tibi non vis fieri; statum autem naturæ institutæ respiciebat partim explicitè, partim implicitè: explicitè in ijs, quæ ordinant ad Deum, & eius cultum; implicitè in ijs, quæ ad proximum, quatenus ex deordinatione post lapsum oriebatur necessitas explicandi illa; obligatio ergo mandatorum Decalogi radicaliter sequitur legem naturæ, sed quantùm ad explicationem legem scripturæ.

ARTIC. II. QVÆST. I.

COncupiscentia accipitur generaliter pro omni appetitu immoderato, & spiritualiter pro appetitu delectabilis secundum gustum, & tactum; primo modo in prohibitione concupiscentiæ prohibentur omnia mala; secundo modo tenet ratio spiritualis mandati, & numeratur inter præcepta Decalogi.

QVÆST. II. III.

SCriptura mandatorum in tabulis dupliciter habet distingui, videlicet secundùm sensum litteralem, & secundùm mysticum; primo modo quinque sunt in vna tabula, & quinque in alia; & hoc modo distinguit Iosephus; secundo modo mandata ordinantia ad Deum pertinent ad primam tabulam, ordinantia ad proximum pertinent ad secundam.

DISTINCT. XXXVIII.

Text.

AD completam mendacij rationem duplex falsitas concurrit, vna per comparationem ad rem, altera per comparationem ad intentionem loquentis; prima tenet rationem materialis; secunda formalis, & ab illa secunda denominatur quis mendax.

QVÆSTIO SECVNDA.

SImulatio alia est cautelæ, vt in Iehu, qui finxit se cultorem Baal; & Daniel, qui finxit se stultum: alia doctrinæ, vt in Christo, qui finxit se longius ire, in quo erudiuit Discipulos hospitalitatis; alia est duplicitatis, vt in hypocritis, & hæc tertia tenet rationem mendacij.

QVÆST. III. IV. V.

MEndacium aut est cum intentione iuuandi, & est officiosum, aut delectandi, & est iocosum; aut lædendi, & est pernicioſum; & hæc variè subdistinguntur in textu.

QVÆTIO VI.

DIST. XXXIX.

Text.

ARTIC. I. QVÆST. I.

IVratio triplex est: quædam deliberata, & solemnizata, vt quando testes iurant supra sancta Dei Euangelia in iudicis præsentia; quædam est deliberata, sed non solemnizata, vt quando quis in occulto iurat deliberatè intendés illud per diuinæ veritatis testimonium confirmare: quædam est nec deliberata, nec solemnizata, sicut quando quis iurat in communi sermone, non attendens quem inuocet, & ad quid, sed ex quadam consuetudine; & sic triplex est periurium respondens; Primum est graue peccatum reddens infamem periurantem; secundum vel deliberat de dicto, & de iuramento, vtrum videlicet dictum sit verum, & vtrum iuramento confirmandum; & tunc est mortale, si peierat; aut deliberat de dicto tantùm, vtrum sit verum, non tamen de iuramento, & tunc potest esse veniale.

ART. II. QVÆST. I.

NEgatio præponitur signo vniuersali, & postponitur, & variat sensum; nam præposita facit æquipollere particulari negatiuæ, postposita suo contrario: verbi gratia, non omnis homo currit, id est aliquis homo non currit: omnis homo non currit, id est nullus; sic Dominus non dixit, omnino non iurabis, sed non iurabis omnino, vnde non probibuit omnem iurationem, sed quod non esset omni modo, & sine omni causa.

Periculosum dicitur aliquid dupliciter, aut quia causa periculi, aut quia occasio; iurare per Deum dicitur occasio periculi in non aduertente qualiter iuret, sed non causa, quia potest esse meritorium.

QVÆSTIO SECVNDA.

IVramentum assertorium dupliciter fit, vel per imprecationem, vel per ipsius veritatis testimonij inuocationem; primo modo vt si dicatur, Ita viuat filius meus, vel pater meus: id est nisi fecero quod promitto, non viuat filius, vel pater meus: & sic non inuocatur Creator, sed potius ei oppigneratur, secundum August. putantem tamen esse grauissimum. Secundo modo fit iuramentum per aliquem, inuocando illum in testem: & creatura quidem aduocatur, vel secundum se, vel vt est vestigium veritatis diuinæ: secundum se non licet, ne credatur diuinitas ei inesse, ratione cuius possit dictum confirmari; secundo modo licet, hoc enim nihil aliud est, quàm iurare per eum, qui in creatura relucet: & tunc non veneratur quis creaturã, sed creatorẽ, sicut cũ colitur imago, &c.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

IN iuramento per Idolum duo conſiderantur, videlicet Idoli veneratio, & exterioris verbi confirmatio: cum reſpectu ad primum nulli licet iuramentum exigere, vel recipere; cum reſpectu ad ſecundum licet, maximè pro vtilitate communi: ſic recepit Iacob pro pace ſuæ poſteritatis, & Iudas pro pace ſuæ gentis.

ARTIC. II. QVÆST. I.

SEcundùm forum Eccleſiæ iuramentum doloſum obligat: eccleſia enim iudicat de ijs, quæ exterius obligare poſſunt; ſecundùm forum conſcientiæ non obligat, quia ſic iurans noluit obligare ſeipſum. Vice verſa in foro Eccleſiæ iuramentum coactum non obligat, ſed bene in foro diuino, ſeu conſcientiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVÆSTIO TERTIA.

MVltipliciter iuramentum eſt incautum; primò ſi vergat in ſalutis detrimentum; ſecundò ſi in ſalutis diſpendium, & impedimentum perfectionis; tertiò cum eſt in omnem euentum: & poteſt in vno caſu vergere in ſalutis diſpendium, in alio poteſt vergere in ſalutis profectum, verbi gratia ſe nunquam recepturum Prælationem. Primo modo non eſt licitum, nec obligatorium, & ipſum obſeruare peccatum eſt; ſecundo modo non eſt licitum, nec obligatorium, ſed ſeruari poteſt ſine peccato; tertio modo ſeruandum eſt, ſi vergit in ſalutis diſpendium, quia videlicet ineptus ſit omninò ad prælationem; non ſeruandum, ſi vergit in profectum, ſi ſit aptus, & vocetur à Deo, vt Aaron.

DISTINCT. XL.

Text.

ART. I. QVÆSTIO I.

LEx vetus, & lex noua comparantur vel ſecundùm ſtatũ communem, vel habendo reſpectum ad ſtatum ſpecialis perſonæ; primo modo differunt, quia vetus reſpiciebat ſtatum imperfectionis: neminem enim ad perfectionem adduxit lex Hebr. Euangelium verò reſpicit ſtatum perfectionis: Eſtote perfecti, ſicut pater veſter ipſe perfectus eſt, Math. 5. & imperfectorum eſt duci ſpiritu timoris, perfectorum, amoris: & ſic lex vetus dicitur timoris, noua amoris. Secundo modo non eſt differentia, quia multi in lege Euangelica dicuntur ſpiritu timoris: multi etiam in lege veteri ducebantur ſpiritu amoris.

Duplex amor; alter, quo amatur Deus inquantùm bonus; alter, quo amatur inquantùm beneficus; ex primo oritur timor filialis, qui timet Patrem offendere, quia diligit: ex ſecundo timor pœnæ, quo quis timet beneficia perdere, & pœnam incurrere; primus amor, & timor conuenit legi Euangelicæ, ſecundus legi Moſaicæ, vt ſtatui imperfectionis.

QVÆSTIO SECVNDA.

IVſtificans dicitur aliquid multipliciter primò effectiuè, & ſic ſolus Deus iuſtificat, ſecundò formaliter, vt gratia, tertiò in effectu, vt caritas, ac fides, quæ per caritatem operatur; quartò in ipſius iuſtitiæ exercitatione, & vſu, & ſic mandata Dei dicuntur iuſtificare, quando obſeruantur, &c. & ſic legi Euangelicæ competit iuſtificare formaliter ratione gratiæ Sacramentalis; & in effectu ratione amoris ſpiritualis, in exercitio ratione multiplicis boni operis, ad quod dirigitur homo per conſilia.

QVÆSTIO TERTIA.

LEx vetus, & noua comparari poſſunt vel quoad præcepta obligantia, vel quoad affectiones mouentes, vel quoad Sacramenta adiuuantia. Primo modo ſe habent ſicut exceſſum; nam vetus erat grauior ob multitudinem præceptorum iudicialium, & ceremonialium; quantum verò ad perfectionem, & arduitatem grauius eſt Euangelium. Secundo modo leuius eſt Euangelium, quia in eo mouet amor, qui onus alleuiat, ſecundùm Bern. in lege Moſaica mouebat timor & punitio, & quia timor de ſe pœnam habet, ideo grauior erat lex vetus. Tertio modo leuior, eſt lex noua, quia Sacramenta vetera multum habebant ponderis, & parum de efficacia virtutis; vice verſa Sacramenta nouæ legis.

Mandata dupliciter conſiderantur, vel comparatione ad naturam ſanam, vel comparatione ad infirmam; reſpectu primæ non dicuntur grauia, quia ſunt naturæ conſona; reſpectu ſecundæ quæ habent pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum, ſic grauia ſunt, & difficilia.

Homo virtuoſus conſideratur dupliciter, vel quantum ad profectum in bono, vel quantùm ad ſtatum perfectionis; primo modo multa ſunt ipſi difficilia ob naturam corruptam, cui difficile eſt cooperari virtuti, niſi fulciatur magno iuuamine; ſecundo modo omnia ſunt facilia.

Vide Epilogum redolentem humilitatem, & deuotionem, &c.

EX QVARTO LIBRO SENTENTIARVM.

FORMA vno modo dicitur perfectio rei: alio modo paradigma, siue exemplariter: tertio modo dicitur forma, quasi foris manens, id est aliqua similitudo exterius repræsentans: & sic accipitur in definitione Sacramenti, qua dicitur, est inuisibilis gratiæ visibilis forma. Dub. 2. text.

Similitudo duobus modis attenditur, primo secundùm vnius rationis proprietatem, siue naturæ participationem. Prima dicitur similitudo proportionis; secunda proportionalitatis. Sacramentum gerit similitudinem gratiæ secundo modo, non primo, pro eo quod sicut aqua abluit carnem: ita gratia mundat animam; & sicut oleum lenit exterius, ita gratia interius: & hæc similitudo est in quatuor terminis. Dub. 3.

Videre sine medio stat dupliciter, aut sine medio adminiculante: aut sine medio obumbrante. Primum medium est speculatiuum: secundum ænigmaticum. Primo modo non erat homo ante peccatum: quia dicebatur videre Deum sine medio solùm obumbrante, in quod incidit per peccatum. Dub. 9.

Exercitari in obseruantia Sacramentorum stat dupliciter, aut in solo exteriori ritu: & sic ad modicum valent; aut iuncta deuotione mentis: & sic non est corporalis exercitatio, sed etiam quodammodo spiritualis. Dub. 10.

EX DISTINCT. I.

ARTIC. I. QVÆST. I.

EVit necessarium instituere Sacramenta necessitate congruitatis, non ineuitabilitatis: quia Deus potentiam suam Sacramentis non alligauit. In resol.

Onus aliud est onerans, aliud alleuians, sicut sunt pennæ in auibus, & rotæ in curribus, & vela in nauibus. Primum grauat, non secundum; & huic comparantur Sacramenta, in quibus est gratia, quæ fortificat, & mandata facilitat. In resp. ad vltimum.

QVÆSTIO SECVNDA.

SIgnum duplicè habet comparationem, & ad id, quod signat, & ad id, cui signat. Prima est essentialis, & sacramentum habet ipsam semper in actu; secundam autem habet in habitu: & à prima dicitur signum, non à secunda. Ad 3.

Signum habet duplicem veritatem, vt dicit Anselmus; vnam ab institutione, aliam ab vsu. Ab institutione, quia impositum est ad hoc signandum; & hæc veritas non potest mutari. Alia veritas est secundum vsum, & hæc etiam est immutabilis, quantum ex parte sui, siue etiam dantis Sacramentum; sed impediri potest ex parte suscipientis; & Sacramentum non falsificatur, sed male recipiens falsus, & fictus iudicatur. Ad penult.

Tria sunt in Sacramento, similitudo ex creatione, significatio ex institutione, sanctificatio ex benedictione. Prima est indita per creatorem; secunda adiuncta per saluatorem: tertia administrata per dispensatorem. Ad vltimum ex Hugon.

QVÆSTIO QVINTA.

DIST. I. PARS I.

Text.

DVplex est requies, aut per ablationem omnis mali, & sic fuit locus, in quo sancti Patres expectabant Christum: aut per collationem omnis boni: & sic est locus gloriæ, & Paradisus. Dub. 3.

In datione circumcisio duo considerantur, scilicet institutio, & præceptum. Illa fuit contra morbum originalis peccati, vt esset remedium: & sicut morbus omnes respicit, ita & remedium. Sed præceptum fuit in pactum, & Dominus pactum fecit cum Abraham de certitudine natiuitatis Christi, & de terra promissionis: & ideo illi soli hoc intelliguntur præcepto astricti, ad quos se extendit pactum. Dub. 4.

Res Sacramenti circumcisionis duobus modis est: primo est illa, quam significat, & donat. Secundo illa, quam significat faciendam. Illa erat propria, & principalis, nimirum curatio ab originali; hanc verò contingit esse duplicem, secundùm duplicem statum, scilicet viæ, & gloriæ, secundùm quod duplex est spiritualis circumcisio, scilicet à culpa, & à miseria. Dub. 7.

ART. I. QVÆST. I.

IN baptismo sunt tria, Sacramentum tantùm, vt elementū visibile; res tantum, vt gratia curans; Sacramentum, & res, vt character. Ad Argum.

QVÆSTIO SECVNDA.

NOmẽ dicitur tripliciter; primò vox impositа ad significandum aliquid, vt Petrus. Secundò notitia, vt Deus in nomine tuo saluum me fac. Tertiò notitia voce expressa, vt in Israel magnum nomen eius, Ps. 75. Ad penultimum.

PARS II. DIST. III.

ARTIC. III. QVÆST. I.

DIcitur æternum tripliciter, aut quantum ad durationem: aut quantum ad finis indeterminationem: aut quantum ad significationem; & rursus subdiuidit. Ad primum.

Ratio, cur Chriſtus voluit circumcidi, fuit triplex; in fidei argumentum: humilitatis exemplum: legis complementum. Ad tertium.

DISTINCT. IV.

ARTIC. I. QVÆST. I.

REmedium poteſt morbum reſpicere dupliciter, aut quia principaliter ſit ad hoc: aut quia hunc curat tanquam annexum, quia habet perfectam virtutem curandi. Ad primum.

Gratia baptiſmalis habet duplicem comparationem; ad bonum, ad quod habilitat: & ad malum, à quo curat, ſiue ad peccatum. Secundum primam competit ſtatui incipientium; ſed quantum ad ſecundam, cum ſit perfectum medicamentum, habet vim gratiæ; & hoc ex diuina ordinatione, quia in hoc Sacramento vult omnia peccata delere, & innocentiam perfectè reſtituere. Ad ſecundum.

Quædam eſt cauſa efficiens, & conſeruans, vt ſol reſpectu luminis: alia formam inducens, & non conſeruans, vt gladius reſpectu vltionis. Quæſt. 1. ad arg. repetit. diſt. 22. a. 1. q. 1. ad arg.

Gratia duplicem habet actum, ſcilicet delere peccatum, & habilitare ad bonum. Ratione primi habet maiorem effectum in eo, qui plura peccata commiſit: ratione ſecundi in eo, qui ſe magis diſponit. q. 3. in reſol.

ARTIC. II. QVÆST. I.

DVplex eſt coactio, ſufficiens, & inducens. Prima tollit omnem voluntatem, & impedit baptiſmi effectum. Secunda poteſt ſtare cum voluntate faciendi quòd facit Eccleſia, & non impedit; ſecus ſi tantum exterius ſimulationem habet ſine intentione vera ad vitandum damnum aliquod. In reſol.

Repugnantia eſt duplex, vel quantum ad reſiſtentiam, vel quantum ad oppoſitionem ſecundum formam. Fictio in baptiſmo pertinet ad primam reſpectu gratiæ; lux, & tenebræ ad ſecundam. Ad arg.

QVÆSTIO SECVNDA.

POtentiæ animæ dupliciter impediuntur, ne debitè exeant in actus ſuos. Primò à corporis imperfectione, & corruptione, vt in paruulis, & dormientibus. Secundò ab habitu malo, & à concupiſcentia, ſiue à culpa; & contra hoc eſt gratia, & virtutes. In reſolut.

Triplex eſt habitus, innatus, ortum habens à nat. & eius principiis. Acquiſitus, ortum habens à libero arbitrio, ſed non vſum, donec perficiatur: & ideo ſequitur naturam perfectam. Infuſus, ortū habens à Deo, non à libero arbitrio: & ideo poteſt eſſe in puero ante vſum rationis, & quia non habet ortum à natura, poteſt eſſe in natura imperfecta. ibid.

DISTINCT. V.

ART. I. II. QVÆST. I.

EST opus, quod habet virtutem à caritate, vel voluntate interna ſolum: & eſt opus, quod habet ab inſtitutione diuina. Primum eſt virtutis, & vitij, & à Deo penſatur ſecundum qualitatem voluntatis. Secundum eſt eſt opus ſacramenti: & ideo penſatur ſecundum meritū, & dignitatem Chriſti inſtituentis: & tale ſemper remanet efficax, & inpollutum, habet enim virtutem à Chriſto, non à miniſtro. In reſol.

ARTIC. III. QVÆST. I.

COoperari alteri contingit dupliciter, vel per modum verè efficientis, ſicut natura cooperatur Deo in productione naturalium, & liberum arbitrium gratiæ in faciendo opus meritorium: Vel per modum diſpoſitionis, ſicut cooperatur homo Deo, quantum ad gratiam, quia ſe diſponit. Primo modo (quicquid videatur Magiſtro) Deus dare non potuit: quia creatura capax non eſt, quia dare gratiam eſt potentiæ infinitæ. Secundo modo potuit, vt homo alteri gratiam impetraret. Quæſt. 1. in reſol.

In redemptione duo ſunt, ſolutio pretij, pro quo eramus obligati; & donatio gratiæ, per quam ſumus reconciliati. Primum eſt minoris potentiæ, ſecundum maioris: & ratione primi dicitur redemptor, ſcilicet ratione humanitatis; ratione ſecundi quantum ad diuinitatem. q. 2. ad penult.

DISTINCT. VI.

TEXT.

DVplex eſt ſanctificatio; quædam, quæ ſpectat ad ſolemnitatē, quædā quæ ad neceſſitatem. Illa fit à Prælato Eccleſiæ per orationem: hæc fit per verba formæ, quæ habent efficaciā ab inſtituente. Dub. 3.

ART. II. QVÆST. I. II.

ASſimilatio eſt vel per qualitatis participationem; vel per imitationem; vel per omnimodam indiuiſionem. Prima eſt creaturæ ad creaturam; ſecunda creaturæ ad Deum; tertia Dei ad Deum. Ad argum.

DISTINCT. VI. PARS II.

ARTIC. I. II.

DVplex eſt finis, primus, qui eſt rei terminus, & complementum; ſecundus, qui eſt rei vtilitas. Primus in ſacramento eſt vnio verbi, & elementi; ſecundus eſt vtilitas baptizati, & baptizantis. In reſolut.

Diſt. 7. art. 1. q. 1. Gratia gratum faciens dicitur dupliciter; aut gratum faciens de non grato, vt baptiſmi, & penitentiæ; aut magis gratum faciens de iam grato, vt gratia confirmationis. In reſol.

ARTIC. III. QVÆST. II.

NEceſſitas alia eſt ſimpliciter, alia conditionata. In reſol.

DIST. VIII. PARS I.
DIST. X. PARS I.

SIcut filius ſecundum diuinitatem habet triplicem modum eſſendi, in omnibus per eſſentiam, in iuſtis per gratiam, in Chriſto per vnionem: ſic corpus Chriſti localiter eſt in cæ-

lo, personaliter in verbo, sacramentaliter in altari. Art. 1. q. 3. resol.

Proprietates corporis Christi sunt duplices: quædam absolutæ, vt esse bicubitum, & talis figuræ: quædam relatæ, vt videri, & tangi. Ab illis non abstrahitur, sed ab istis: tum propter veritatem sacramenti, qua oportet, vt magnum corpus sit in parua specie: tum propter vtilitatem fidei, quam oportet occulta ri. quæst. 4. ad arg. eandem habet distinctionem infra. dist. 11. p. 1. a. 2. q. 2.

Aliquid dicitur esse localiter, aut quia secundum corporalem præsentiam: aut quia secundum commensurationem corpori debitam. Primo modo Christus est sub speciebus; secundo modo est in cælo. q. 4. ad arg.

Esse conterminatiuè dicitur dupliciter: primò priuatiuè, quia nec excedit, nec exceditur, & ex hoc non sequitur esse dimensiuè. Secúdò positiuè, quia primum respondet primo, & postremum postremo, & medium medio; & tale est circumscriptiuè, quamuis non excedat, neq; excedatur; ibid.

DIST. X. PARS II.

VIrtus concipiendi in matre Virgine, & transsubstantiandi in sacerdote dupliciter consideratur: primò vt est in fonte, & primo pricipio, vt dicit causam principalem operantem propria auctoritate. Secundò vt communicata est creaturæ. Primo modo non est maior, aut minor. Secundo modo virtus concipiendi est dignior, & excellentior, quia subiectum magis nobilitat: magis enim est esse matrem Dei, quàm esse sacerdotem; & magis est concipere, quàm conficere. A matre accipit humanitatem, & esse: non item à sacerdote. quæst. 2. a. 1.

DIST. XI. PARS I. II.

MIstio dicitur dupliciter, communiter, & propriè: communiter, quando miscetur aliquid alicui alterius naturæ, quod non habet proportionem in quanto, sed illud tanquam prædominans soluit speciem, & conuertit in se; & tunc non est mistio propriè: & sic contingit in sacramento altaris, vbi aqua, vel modica aqua conuertitur in vinum. Altera mistio est, quæ dicitur miscibilium alteratorum vnio: & hæc repugnat huic sacramento: ideo non debet admisceri aqua, vt alteret vinum, &c. Art. 1. q. 4. ad arg.

DIST. XII. PARS I.

COmparatio accidentis ad operationem est & secundum actum, & secundum aptitudinem: illa est accidentalis, hæc essentialis; ita & ad subiectum, nam secundum aptitudinem est essentialis: secundum actum est accidentalis; & ideo potest separari sine vllo inconuenienti. art. 1. q. 1. in resol.

Duplex est ordo rerum, vniuersalis, & particularis, qui debetur huic, vel illi rei. Per miraculum non debet fieri aliquod præiudicium ordini vniuersali, aut totius vniuersi: sed potest contra ordinem particularem, res enim meliorem accipit statum, quàm comperat naturæ suæ, dummodo fiat ordinatio conueniens secundùm ordinem vniuersi. Vel dicendum, quod competit naturæ vniuscuiusquæ rei obedire creatori. art. 1. q. 2. ad arg.

PARS II.

MAgis vnire est tripliciter, aut maiori vinculo, vt qui maiorem habet caritatẽ: aut strictius eodem vinculo, vt qui secundùm eumdẽ habitum fortius amat: aut quia eodem firmius, vt qui in eodem habitu est fortius radicatus. art. 1. q. 2. in resol.

DISTINCT. XIII.

IN Missa vel consideratur quod est substantiale, hoc est confectio corporis, & sanguinis Domini; vel accidentale, vt petitiones, obsecrationes, deuotiones. Quoad primũ est æqualitas in omnibus, siue sacerdos sit bonus, siue malus. Quoad secundum est inæqualitas, & bene facit qui libentius audit Missam boni sacerdotis, quàm mali. art. 1. quæst. 4. resolut.

In ventrem ire est dupliciter, aut quantum ad substantiam, aut quantùm ad cibandi efficaciam. Primo modo descendit aliquod corpus in ventrem, etiamsi non sit cibus; secundo modo non est, nisi sit cibus. Similiter in mentem recipi est dupliciter, aut quantum ad substantiam, & sic vadit illud, quod illabitur animæ; & hoc est solus Deus: Aut quantum ad efficaciam; & sic dicitur in mentem ire, quod ipsam reficit. Si ergo loquamur quantum ad cibi efficaciam, sic certum est, quod corpus Christi non vadit in ventrem, sed in mentem. Sed vtrum sic vadat in ventrem, dubium est, propter diuersitatem opinionum.

DISTINCT. XIV.

ODium dicitur dupliciter, aut cum quadam displicentia, aut cum insurrectione, & vindicta, & ira. Primum est in concupiscibili, secundum in irascibili: & tale est pœnitentia; sicut enim per iram, & per zelum irascitur homo, & indignatur peccatis proximi; sic per pœnitentiam peccatis suis. art. 2. q. 1. ad argum.

Expellere omnia vitia est dupliciter, vel per modum detestantis, vel per modum informantis. Primò expelluntur per pœnitentiam; secundo modo per virtutes oppositas. Ibid. ad vlt.

Donum Spiritus sancti aliud est, cum quo est Spiritus sanctus, & datur, & hoc est gratiæ gratum facientis; aliud, quod est sine Spiritus sancti donatione propriè dicta, quæ est per inhabitationem, & hoc donum est gratiæ gratis datæ, & tale donum est timor seruilis, qui ante cedit virtutes. q. 1. ad vlt.

Prius dupliciter dicitur, vel secundùm substantiã, vel secundum vsum. Primo modo omnes virtutes sunt simul; secundùm vsum distinguendum est: aut enim secundùm imaginis informationem, & sic fides est prima: aut secundùm regressum, & reparationem, & sic actus pœnitentiæ est primus, quia est immediatior. quæst. 3. in resol.

Digitized by Google

DIST. XIV. PARS II.

Actus pœnitentiæ vel eſt dolere de culpa cõmiſſa, & hic eſt pœnitentiæ ſecundùm quod pœnitentia: vel velle emendare, & eſt pœnitentiæ virtutis; vel velle offendere, & perficit vtrãque, eſtque annexus vtrique. Dub 4. text.

Perfectus dicitur dupliciter, aut quantum ad temporis durationem, aut quantùm ad ſtatus ſublimitatem. Prima diuiditur contra incipientes, & proficientes, ſecundùm profectum temporis; altera cõſiſtit in operibus ſupererogationis. Dub. 8.

Veritas pœnitentiæ dupliciter accipitur, ſicut & cuiuslibet virtutis; primò dicitur vera virtus, quæ habet verum virtutis opus, vel nata eſt habere, quantum eſt de ſe: & ſic hæc veritas eſt de eſſentia virtutis. Secundò quæ perducit in finem, & hæc veritas non eſt eſſentialis virtuti, ſed tantùm dicit virtutis ſtatum, ſiue continuationem. Primo modo de veritate virtutis Pœnitentiæ eſt deteſtari peccatum commiſſum, & pro illo tempore nullum committere, & de futuro proponere non committere: & ab hac poteſt homo cadere. Secundo modo eſt finalis, & continuata, & non contingit ab illa cadere, quia perducit in finem. art. 1. q. 1. reſol.

Dolere de culpa commiſſa eſt dupliciter, aut propter læſionem naturæ: aut propter offenſionem maieſtatis diuinæ, & ipſius iuſtitiæ; prima haberi poteſt ex ſola natura, ſiue gratia. Secunda non poteſt haberi ſine gratia gratum faciente, aut gratis data. quæſt. 3. reſol.

Pœnitentia perfecta conſideratur dupliciter, vel quantum ad durationem: vel quantùm ad durationem, & feruorem. art. 2. quæſt. 2.

Dupliciter eſt loqui de ſanitate, aut quantum ad ſubſtantiam, & habitus gratiæ: & ſic per pœnitentia reſtituitur homo in priſtinam ſanitatem: vel quantum ad aliquem ſtatum, ſiue integritatem, vel decorem accidentalem: & quantum ad hoc non eſt neceſſe reſtitui, & hæc eſt continuatio innocentiæ, & integritatis carnis. ibid.

DIST. XV. PARS I.

Cauſa dupliciter dicitur, communiter, & propriè: primò conuenit cauſæ, ſine qua non: ſic originale eſt cauſa omnis pœnæ, quia niſi præceſſiſſet, nulla eſſet pœna. Secundò conuenit etiam meritoriæ, & finali. Dub. 3. text.

Deus infligens flagella, quantùm ad voluntatem antecedentem, quicquid nobis facit, habet ordinationem ad vitam æternam; quantum ad voluntatem conſequentem vult pœnam, quia præſcit in malitia permanſurum. Dub. 4.

In peccato duo ſunt, offenſa Dei, & libido deordinata; illa eſt infinita, & pro illa non eſt ſatisfactio: ſed Dei miſericordia illam remittit ſuam dando gratiam: hæc finita eſt, & pro illa poſſibile eſt Deo ſatisfacere. art. 1. quæſt. 1. reſolut.

Duplex eſt forum ſecundum duplex iudicium: ſcilicet forum conſcientiæ, & forum iuſtitiæ diuinæ. Primum eſt manifeſtum, ſecundum occultum, implens pœnitentiam extra caritatem, non tenetur amplius ſatisfacere, nec in iudicio ſacerdotis, nec ſuo: tenetur tamen iudicio Dei, quia adhuc Deus exigit pœnam. Illud autem forum diſtinguitur contra iudicium Eccleſiæ, quod eſt in facie Eccleſiæ, & publicum. quæſt. 3. ad arg.

Peccator apud Deum nihil meretur de condigno, ſed poteſt mereri de congruo, quia poteſt facere aliquod bonum per gratiam aliquam gratis datam. quæſt. 5. reſol.

Non viuum dicitur dupliciter, negatiuè, quod non viuit, nec aptum eſt viuere: & priuatiuè, quod non viuit, ſed aptum eſt viuere. Peccator non eſt viuum ſecundo modo. ibid. ad vltimum.

DIST. XV. PARS II.

Poteſt dari eleemoſyna indigenti dupliciter: aut ſolum quia conſideratur indigentia, & eſt pietatis; aut quia conſideratur indigẽtia & debitũ, puta quia habet ſuperflui: & ſic eſt pars iuſtitiæ. Dub. 5. text.

Peccatorum cauſas excindere eſt dupliciter: primò per declinationem ſolam; ſecundò per pugnam, & violentiam. art. 1. quæſt. 1. ad arg.

Neceſſarium dicitur dupliciter, vel ſecundùm naturæ arctitudinem, vel ſecundùm communem vſum viuendi. art. 2. q. 1. ad vlt.

Inſtrumentum aliud eſt ſeparatum, aliud coniunctum. quæſt. ad arg.

DIST. XVI. PARS I.

Pœnitentia ſumitur dupliciter, pro Pœnitentiæ virtute, & pro Sacramento. Primo modo contritio, confeſſio, & ſatisfactio non ſunt partes integrales, ſed poteſtatiuæ, quia ſunt actus egredientes ab habitu Pœnitentiæ. Secundo modo ſunt partes integrantes, quantum ad eſſe perfectum, quia omnes ſunt perfectum Sacramentum, & nulla ſingillatim eſt perfectum Sacramentum. Dub. 1. text.

Satisfactio dicitur dupliciter, primò ipſa reconciliatio: & ſic quia omnes partes Pœnitentiæ ſunt ad reconciliationem ordinatæ, quælibet poteſt dici ſatisfactio, ſeu ſatisfactoria. Secundò dicitur ſatisfactio perſolutio pœnæ debitæ: & ſic competit propriè vni parti pœnitentiæ, quæ eſt adimpletio pœnæ iniunctæ: aliis partibus competit per accidens, puta contritioni, ratione doloris coniuncti, qui eſt in parte ſenſibili; confeſſioni, reſpectu erubeſcentiæ. Dub. 2.

Compungitur cor ſecundùm duplicem reſpectum, aut carentia gloriæ, aut conſideratione offenſæ: & ſecundùm hoc attenditur duplex dolor, & duplex irriguum, ſcilicet ſuperius, & inferius. Dub. 3.

Dolor dicitur dupliciter, primò ipſe diſſenſus voluntatis; ſecundò paſſio reſultans in ſentientem, vel ſenſualitatem ex illo diſſenſu, per quam prorumpit homo in lachrymas. Primus eſt de eſſentia contritionis: ſed illa paſſio eſt effectus eius. art. 1. quæſt. 1. reſol. idem repetit quæſt. 2. ad 2.

Conſenſus ſemiplenus aut eſt propter defectum voluntatis, ſicut piger vult, & non vult: & talis velleitas eſt pigritiæ; aut propter defectum voliti, quia non eſt natum eligi, cum ſit impoſſibile: & talis eſt à virtute, vt patet in pietate, & hic eſt plenus conſenſus à parte voluntatis.

Digitized by Google

Collatio potest esse dupliciter, primò discursus ab vno in aliud, & hæc successiua est; secundò duorum comparatio secundùm aliquem respectum: & tunc accipiuntur plura in vna ratione: & talis potest esse in instanti, & simul de pluribus, vt patet in iudicio consonantiæ Musicæ. art. 3. quæst. 1. ad argum.

Dispositio contraria in materia aut est non resistens, vt in conuersione miraculosa aquæ in vinum, & hæc non facit successionem in inductione formæ: Aut est resistens non informationi, sed vsui & sic pronitas ad peccatum resistit vsui gratiæ, & contritioni, non informationi, & hæc ponit successionem in duratione, & in vsu contritionis in prima inductione. ibid.

Quidam est dolor illatus, vt in sectione carnis; quidam voluntariè assumptus, vt quando dolet de morte amici, qui dolor causatur à voluntate; talis est dolor de peccatis. quæst. 2. ad arg.

Quædam medicina est sanatiua tantum, & hæc est, quando est morbus: quædam præseruatiua, & melioratiua; & talis est contritio: & hanc semper habere bonum est. ibid. ad vltimum.

Dupliciter est loqui de contritione, aut prout est deletiua culpę; aut prout est deletiua pœnæ. Primo modo operatur in iustificatione impij in instanti, & contra omne peccatum. Secundo modo habet maiorem, & minorem intensionem etiam secundum actum, quia maior est de maiori malo. art. 4. resol.

DIST. XVI. PARS II.

DUplex est genus venialis peccati, ex surreptione, quod tunc vitari non potest; ex cogitatione sine voluntate, & consensu; & ideo veniale est, quia non plenè consentit homo; ex cogitatione, & consensu, vt mendacium iocosum. art. 3. quæst. 1. resol.

Veniale consideratur vel in se, vel in ratione periclitandi. Primo modo non est necessaria pœnitentia interior, vel exterior de illo, quia deletur etiam post mortem. Secundo modo tenetur homo pœnitere, quando aduertit periculum: vt contingit in multitudine venialium, quæ debilitant animæ vires, & disponunt ad mortalia. Ibid. in resol. quæst. 2.

DIST. XVII. PARS I.

CVratio à morbo est dupliciter, aut per virtutem, aut per Sacramentum. Si per virtutem, dicit pœnitentiam; si per Sacramentum, est dupliciter, sicut duplex est tabula, & sic est baptismus, & confessio. Dub. 5. text.

In peccato tria sunt, actio mala, & interior macula, & sequela. Prima expellitur timore, secunda dolore, tertia caritatis ardore. art. 1. quæst. 3. ad argum.

Est trahi per inductionem, & subleuationem, & per coactionem. Primo modo trahit Deus, quia inducit, & subleuat, non secundo. art. 1. q. 1. ad arg.

Intrare sine potestate clauium dicitur dupliciter: aut contrariè, si adsit contemptus, & nemo fit intrat; aut priuatiuè, idque dupliciter; aut priuatiuè simpliciter, ita vt non habeat quis effectum absolutionis, nec in opere, nec in deuotione, siue in desiderio; aut ita quod habeat in deuotione, & proposito, & ita quodammodo habet, & sic intrat aliquo modo per clauem. q. 4. ad penult.

DIST. XVII. PARS II.

VEniale dicitur tribus modis; ex genere, vt mendacium iocosum: ex euentu, propter effectũ diuinæ misericordiæ: ex circumstantia, vt illud, quod habet excusationem. Primo modo veniale non fit mortale, sed secundo modo. Hoc autem quod veniale fiat mortale, intelligi potest dupliciter, aut quantum ad maculam, & deformitatem, & hoc est impossibile; aut quantum ad reatum, non quia hic reatus fiat ille; sed quia hic succedat illi, quo modo quis obligatus ad pœnam æternam per diuinam misericordiam obligatur ad temporalem. Dub. 7. text.

Dupliciter sunt aliqua de dictamine iuris naturalis, aut in generali, aut in speciali; in speciali, vt honorare parentes; in generali, vt dictat natura ea, quæ superaddit lex Euangelica: sicut sunt aliqua supererogationis, vt consilia, vel etiam aliqua Sacramenta. art. 1. q. 1.

Teneri ad confessionem peccatorum est dupliciter, scilicet ex institutione prima, vel ex constitutione superaddita. Primum præceptum datum fuit ab Apostolis, & vulgatum à S. Iacobo Episcopo Hierosolymitano; secundum à Patribus in generali Concilio, & vulgatum ab Innoc. 3. art. 2. q. 1. resol.

Obligatio ad confessionem est dupliciter, vel propter vinculum peccati, vel propter vinculum solius præcepti. Venialia tenemur confiteri semel saltem in anno, vinculo præcepti. ibid. ad argum.

Laus est specioſa dupliciter, vel secundùm acceptationem Dei: vel secundùm conscientiam laudantis. Prima est, in qua peccator fit iustus; vel quam facit, postquam est iustus, secunda est per quam voluntas, & conscientia conformat se laudi diuinæ secundùm existimationem: & ad hanc tenemur quæst. 4. ad argum.

DIST. XVII. PARS III.

CONfessio consideratur vel prout est opus virtutis directè repugnans hypocrisi, in quo se quis accusat, ne alius quàm sit appareat; vel inuestigat curationem, & fieri potest cuilibet valenti iuuare instruendo, orando, & vel vt est opus Sacramenti in ordine ad absolutionem, & soli sacerdoti fieri potest. art. 1. q. 1. resol.

Proprius sacerdos dicitur vel communissimè quicumque potest absoluere, siue per propriam auctoritatem, siue per commissionem; vel communiter, & est qui propria auctoritate, aut ex officio potest absoluere, vt Prælatus; vel propriè, & est is, cui commissa est cura peculiaris, vt Parochialis. q. 2. resol.

Circumstantiæ vel sunt alleuiantes peccatum, & non est bonum confiteri, nisi vt satisfiat alienæ inquisitioni; aut vt prouideatur scandalo, vel turbationi. Vel sunt trahentes ad aliud genus, &

Digitized by Google

eas oportet confiteri: vel sunt aggrauantes tantùm, & eas quidam dicunt aperiendas: alij tantùm esse congruum eas confiteri, non autem necessarium, quibus assentitur. art. 2. quæst. 3. resol.

DISTINCT. XVIII.

Pars prima.

Triplex est modus dimittendi peccata secundùm Ambrosium, per clauem auctoritatis, & est Dei iudicantis: per clauem excellentiæ, & est Verbi incarnati; per clauem ministerij, & est sacerdotis. Dub. 2. text.

Obstaculum ingressus cœlorum est debitum alicuius peccati: hoc autem est triplex: primum peccati mortalis commissi, & hoc est debitum æterni supplicij, quod solus Deus amouet; secundum est debitum peccati contracti, & hoc est debitum solutionis pretij, & hoc potuit solui per eum, qui potuit satisfacere, qui fuit solus Christus; tertium est debitum peccati dimissi, quia remissa culpa, adhuc est soluenda pœna temporalis: & tale potest solui per eum, qui potest pœnam taxare, vt est minister Christi. art. 1. quæst. 1. resol.

Ostenditur aliquid vel per solam demonstrationem, vt quod digito indicatur: vel per quandam exhibitionem, vt artifex ostendit imaginem inchoatam, quando eam consummat: sacerdos ostendit absolutum à culpa & demonstrando, & perficiendo, ac exhibendo. quæst. 2. ad penult.

Pars secvnda.

Communio triplex est, spiritualis omnino per dilectionem interiorem: corporalis per exteriorem conuersationem, & medio modo se habens per Sacramentorum susceptionem, præsertim Eucharistiæ. art. 1. q. 1. ad primum.

Tradere tortori est dupliciter, aut cessando à protectione: aut exponendo, siue iubendo tortori, vt affligat. ibid. ad vltimum.

Quædam excommunicatio est à iure: quædam à iudice; prima est præseruatiua, secunda curatiua. q. 2. resol.

Excommunicatio alia est maior, alia minor; illa separat non solùm à Sacramentis, sed etiam ab alijs actibus legitimis cum personis; hæc tantùm à Sacramentis.

DISTINCT. XIX.

Habere iudicium ad repellendum, vel admittendum est dupliciter, vel ad ipsa Sacramenta, & eorum efficaciam, ea prout oportet administrando: vel ad loca Sacramentorum, qualis est Ecclesia. Prima pertinet ad sacerdotes, qui propterea dicuntur habere claues cœli. Secunda infimum ordinem, & est potestas quædam, respectu templi materialis. art. 1. q. 1. ad argum.

De potentia visiua est loqui dupliciter, vel quantum ad essentiam, vel quantum ad vsum. Primo modo fundatur potentia radicaliter in anima, nec illam deserit vnquam; quantum verò ad vsum, exigit organum bene dispositum, & medicum illuminatum. Sic potentia soluendi radicaliter est in ipsa anima, & quantum ad essentiam: sicut & character, à quo non differt, nisi secundùm quandam relationem: & hoc modo est inseparabilis ab ordine sacerdotali: sed quantum ad vsum requirit statum viatoris, & auctoritatem iurisdictionis. q. 2. resol.

DIST. XX. PARS I.

Duplex est status, vnus in quo sceptrũ habet misericordia, & hic est vitæ præsentis; alter, in quo sceptrũ habet iustitia, & hic est vitæ futuræ. Dub. 5. text.

Est labor in operando, & est labor in patiendo. art. 1. q. 1. ad argum.

Pœna tripliciter dicitur voluntaria, primò quia assumitur à voluntate imperante; secundò quia sustinetur à voluntate acceptante, sicut est pœna martyrij; tertiò quia sustinetur à voluntate tolerante, vt quæ in infirmitate contingit: talis est pœna purgatorij in iustis eam voluntariè sustinentibus. art. 3. ad argum.

Duplex est similitudo, vel symbolum, vna quæ est via ad faciliorem transitum, quo modo ait Philosophus in symbolis faciliorem esse transitum; alia quæ ad transitum non disponit, sicut os similius est ossi, quàm sic humor: & tamen non ita facile conuertitur in alimentum, & humor. art. 2. q. 1. ad argum.

Locus Purgatorij secundùm legem communem est Limbus; secundùm legem specialem diuersis diuersa loca sunt concessa, vel propter eorum celeriorem liberationem, vel propter nostram instructionem. q. 4. resol.

Pars secvnda

Dupliciter quæritur consilium ab aliquo, aut propter instructionem, vt à sapiente; aut propter auctoritatem obtinendam, vt à superiore. Dub. 5. text.

Pœna consideratur vt medicina contra sequelas peccati: & pretium ad soluendum reatum peccati. Primo modo non potest commutari in aliam personam; secundo potest. art. 1. q. 1. resol.

DISTINCT. XXI.

Pars prima.

Lignum, fœnum, stipula dupliciter dicuntur superædificari. Potest enim per lignum intelligi opus bonum, cui tamen est annexum aliquod veniale peccatum; ratione primi superædificatur: ratione secundi cremabile est, & vix contingit, vt non sit in eo aliquid reprehensibile, præterquam in viris perfectis. Secundò per lignum, fœnum, stipulam intelligi possunt venialia, quæ dicuntur superædificari, quia fundamentum ædificij non subuertunt, & tamen cremabuntur. Dub. 2. text.

Dupliciter est loqui de adhærentia venialis, aut quantum ad maculam, aut quantum ad pronita-

tem, quæ est via ad illam; ratione primi plus adhæret mortale, quàm veniale; ratione secundi è contrario. Dilectio autem non est respectu pronitatis; sed potius respectu maculæ peccati, ideo mortale deletur per contritionem, veniale etiam sine illa, per Sacramentalia, benedictionem Episcopalem, Orationis dominicæ recitationem, &c. art. 1. q. 2. ad argum.

Dupliciter potest deleri vnum veniale sine alio, vel quia voluntas habitualiter adhæret vni, & non alteri, & tunc culpa remittitur, cui non inhæret; vel quia voluntas vnum magis detestatur quàm alterum, vnde & gratia magis delet culpam venialem, in cuius dilectione magis voluntas consonat. ibid. ad vltimum.

PARS SECVDA.

FAteri se reum, vel iniustum est dupliciter: aut pront reatus est iniustitia: & sic simpliciter priuat iustitia; & hoc modo non debet quis se fateri reum, nisi habeat mortalis conscientiam; alio modo vt priuat iustitiæ perfectione: & sic omnis homo potest se iniustum fateri, secundùm illud Is. 64. Vt pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Dub. 3. text.

DISTINCT. XXII.

AD hoc vt aliquis sit verè gratus, duo requiruntur, scilicet quod pro loco, & tempore sit memor beneficiorum ad gratias agendum: & quod sit promptus ad obsequendum, & reddendum bonum pro bono. Similiter ingratitudo dupliciter dicitur, vno modo obliuio beneficij cum contemptu, vt puta quando est locus, & tempus agendi gratias, & recognoscendi; & sic est peccatum speciale contentum sub omissione. Alio modo dicitur ingratus, qui recipit bonum, & reddit malum: & hæc est circumstantia peccati, & sic est in omni peccato. Dub. 3. text.

De pœnitentia est loqui dupliciter, vel prout est reconciliatiua Deo, vel prout est reconciliatiua Ecclesiæ. Primo modo est de dictamine legis naturalis, quæ dictat conteri de peccato, & humiliari debere, tamen aliqua illustratione fidei. Secundo modo instituta fuit in vtraque lege, in veteri imperfectè, quantum ad quandam generalitatem in determinatione oblationum, quæ erant loco confessionis. In noua verò perfectè, & quantum ad materiale, & quantum ad formale. art. 2. q. 1. resol.

Fundamentum dicitur dupliciter; primò locus, in quo ædificium stabilitur, & sic dicitur Christus fundamentum, sed spiritualis ædificij, & proinde secùs. Secundò, id in quo res locatur, quod est triplex. art. 2. q. 1. resol.

Pœnitentiæ vt est virtus, competit ratio fundamenti, vt est Sacramentum ratio tabulæ. art. 3. quæst. 2.

DISTINCT. XXIII.

DE veniali peccato est loqui dupliciter, aut prout quis est in statu viæ: aut prout est in egressu; primo modò morbus venialis est quasi inseparabilis, vel quadam necessitate iterabilis: ac per hoc quodammodo incurabilis: & ideo non debuit contra ipsum aliqua medicina principaliter institui: immo quodammodo omnia Sacramenta valent ad eius curationem. Secundo modo possunt venialia curari sine iteratione, & sic diuina misericordia instituit remedium, quo anima curari posset, quantum ad remissionem culpæ, & etiam partis pœnæ, & hoc est Sacramentum Extremæ vnctionis. art. 1. q. 1. resol.

DIST. XXIV. PARS I.

DVpliciter est loqui de Ordine, aut in comparatione ad alterum, respectu cuius est; aut à parte subiecti, in quo est. Primo modo Sacramentum ordinis in dispensante debet præcedere, & præcedit omnia Sacramenta, prout suscipiuntur; secundo modo sequitur necessariò, quia baptismus primò recipitur, & est janua Sacramentorum. Dub. 1. text.

Decor naturæ duplex est, spiritualis, & temporalis: ille est à gratia, hic à corporis, & membrorum dispositione, &c. art. 1. q. 1.

Ordo dupliciter dicitur, primò ipsa relatio ordinandorum, vt prælatio, & subiectio, & hæc non dicitur, nec est Sacramentum; secundò ordinata potestas, secundùm quam ipsum subiectum potens habet ordinari dupliciter, vel ad opus, seu ad ministerium, & ad alterum, & hanc dicimus ordinis Sacramentum. art. 2. q. 2.

Duo sunt, quæ integrant Sacramentum, scilicet sensibile signum, & spirituale, siue sacrum signatum; ratione primi deficit in Angelis, qui sunt omnino spirituales; ratione secundi deficit in laicis, in quibus ordo attenditur inquantum ad potestatem terrenam, &c. ibid. ad argum.

PARS SECVNDA.

DVpliciter est loqui de characteribus, aut in se, aut prout vniuntur in vnitate, & integritate Sacramenti. Si in se, sic differunt, sicut diuersæ species numeri, sicut binarius, & quaternarius. Si vt vniuntur in vnitate Sacramenti, habent rationem partis completiuæ, &c. art. 1. q. 2. ad argum.

Est ordo necessitatis, & est ordo cõgruitatis: progressus in ijs ordinibus suscipiendis est congruitatis, non necessitatis, quia ad bene esse ministerij sequentis præexigitur ordo, siue potestas ministerij præcedentis. q. 3. resol.

DIST. XXV. PARS I.

POtestas quadruplex reperitur in ministris Ecclesiæ: quædam fundatur principaliter super ordinem, vt potestas conficiendi: quædam super iurisdictionem canonicam principaliter, vt potestas excommunicandi: quædam super ordinem, & eminentiam, vt potestas ordinandi: quædam super ordinem, & iurisdictionem, vt potestas absoluendi, & ligandi in foro pœnitentiali. Et quoniam character auferri non potest; ideo potestas, quæ consequitur characterem de facto, auferri non potest. art. 1. q. 2. ad argum.

Spirituale dicitur tripliciter. Primò quod est spirituale purè, vt gratia, & virtutes, & dona: &

Digitized by Google

& hoc nec de facto, nec de iure vendi poteſt. Secundo quod adiungitur rei corporali, quæ tamen ratione illius ſpiritualis conſecratur, & accipit rationem ſpiritualis; & hoc ratione rei corporalis vendi poteſt; Talia ſunt Sacramenta Eccleſiæ, Tertiò quod adiungitur rei corporali, quæ tamen rationem habet temporalis, vt calix conſecratus, aut ius patronatus, quia ibi conſecratio iuncta eſt argento, & ius patronatus fundo, & dicitur ſpirituale, quia ſpirituali annexum eſt, & vendi poteſt quod temporale eſt, non quod ſpirituale. quæſt. 3. reſol.

Quædam eſt perfectio ſtatus, qui reſpicit gratiam gratum facientem; & huius æquè ſuſceptiua eſt mulier, ac vir, quædam quæ reſpicit aliquid gratis datum; & hæc poteſt competere vni ſexui, & non alij: quia reſpicit non ſolum quod eſt interius, ſed etiam quod eſt exterius: talis eſt perfectio ordinis, in qua eſt collatio poteſtatis, quæ mulieri non conuenit. art. 2. quæſt. 1. ad vltimum.

DISTINCT. XXVI.

QVædam Sacramenta ſunt purè fidei, vt baptiſmus, & confirmatio, & ſimilia; quædam ſunt etiam naturalis dictaminis, licet non omnino, vt pœnitentia, & matrimonium. Prima Deus inſtituit mandando; ſecunda inſtituit interius illuminando. art. 1. quæſt. 1. reſol.

Coniunctio Chriſti cum Eccleſia eſt dupliciter, per caritatem, & per naturæ conformitatem; & in Sacramento matrimonij dupliciter ſignificatur; prima per conſenſum animorum, ſecunda per ſexuum commixtionem. art. 2. q. 1. ad arg.

Integritas rei dupliciter accipitur, vel quantum ad eſſe neceſſitatis, vel quantum ad eſſe completionis, ſiue plenitudinis. Primo modo Sacramentum matrimonij habet eſſe ſine commixtione carnis, non ſecundo modo. quæſt. 3. reſol.

In matrimonio conſiderantur tria, ſignum, officium, remedium, & hæc ſubdiuidit. ibid.

Remedium contra peccatum eſt dupliciter, aut quia liberat à peccato commiſſo, & hoc eſt per gratiam, quæ in matrimonio confertur; aut quia liberat à peccato, quod alias committeretur: & tale eſt matrimonij vſus. ibid. Reliqua de matrimonio omittuntur.

DISTINCT. XLIII.

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

QVædam ita ſeparantur, ita vt poſt ſeparationem vnum non habeat inclinationem ad alterum, & talia non ſunt apta reuniri, vt eſt ſpiritus Angelicus à Deo ſeparatus; quædam verò retinent appetitum, & inclinationem ad alterum: & talia ſunt apta reuniri, vt anima, & corpus ſeparata. art. 1. quæſt. 1. ad vltimum.

Vita accipitur dupliciter, largè, & propriè; largè viuificatio corporis, : propriè viuificatio corporis cum ſalute. art. 2. ad 2.

Mortale tripliciter accipitur: primò dicit naturalem aptitudinem ad moriendum, ſecundò poſſibilitatem ad moriendum, tertiò neceſſitatem. q. 4. ad arg. Primum competit homini, vt eſt compoſitum quoddam ex partibus eterogeneis, & diuerſis naturis, ac diſpoſitionibus; Secundò vt conſtat partibus habentibus defectibilitatem; vt in primo homine, qui habebat ſtatum animalem, tertiò vt conſtat contrariis pugnantibus adinuicem. ibid.

Res conſiderari poſſunt vel quantum ad fluxum, & durationem, vel ſecundum ſe. Primo modo oportet, quod duratio ſit alia, & alia, ſicut & menſura durationis. Secundo modo plurificatur, & numeratur à principijs permanentibus; & quia ſunt hæc eadem, ideo res eſt vna, & ſic forma abſoluta eſt vna, actio verò ſucceſſiua habet præteritum, & futurum. ibid.

In reſurrectione tria ſunt: primum eſt corporis ex pluribus reformatio, ſecundum ipſi corpori reformato animæ vnio; tertium vnitorum inſeparabilis obligatio. Primum eſt contra naturam, id eſt contra ſolitum curſum naturæ, quæ poteſt perfecta deſtruere, non deſtructa reparare. Secundum ſecundum naturam, quod anima corpori organizato vniatur, cui cupiebat vniri: tertium eſt ſupra naturam, ſcilicet quod ex corruptibili fiat incorruptibile non ſeparabile. q. 5. in reſol.

Quædam à natura modicam organizationem habent, vtpote vermes, & animalia corporis anuloſi: & hæc poſſunt produci per putrefactionem; quædam habent completam, vt ſenſibilia perfecta, & gradientia, vt equus, & hæc non poſſunt produci, niſi per virtutem formatiuam influxam cum deciſione ſeminis, vt homo. ibid. ad 3.

Chriſtus Dominus eſt cauſa noſtræ reſurrectionis efficiens ſecundum diuinitatem, tanquam cauſam principalem; & inſtrumentalis, quatenus vox eius eſt inſtrumentum, ad cuius prolationem mortui reſurgent. Item cauſa exemplaris duplex eſt, vna, in qua res cognoſcitur, & diſponitur, & ſic eſt Dei filius ſecundum diuinam naturam, & tota Trinitas: altera, in qua res inchoatur, & exemplificatur: & talis eſt reſurrectio Chriſti; talia enim erunt corpora noſtra, qualia Chriſtus ſua reſurrectione monſtrauit, vt Aug. de Ciu. vnde eſt quaſi exemplum, in quo noſtra reſurrectio eſt inchoata, tanquam membrorum in capite. quæſt. 6. in reſol.

In auditu ſunt duo, ſcilicet receptio ſpeciei in organo, & iudicium organi de re recepta. Prima præcedit expectationem, ſecundum ſequitur. ibid. ad arg.

Libri duplex eſt proprietas, vna in ſe ſcilicet ſcientiæ retentio in ſimultate, & vniformitate, & ſic transfertur ad Dei notitiam; alia ad nos, quia per librum eſt in nobis oblitorum recordatio, & ſic transfertur ad vim illam, qua fit recordatio præteritorum. a. 2.

Creaturarũ ad Deum duplex eſt comparatio, vna in exercendo, & hæc eſt omnium creaturarũ, quia omnes à Deo exierunt; alia eſt in reddendo, & hæc eſt creaturarũ ad beatitudinem ordinatarum, quia egreſſus per virtutẽ, & quies per beatitudinẽ. Ratione primi dicitur filius ars plena omnium rationum viuentium, & ſcriptura huius libri eſt æterna diſpoſitio omnium producendorum quantum ad ſuas rationes, & ideas. Ratione ſecundi dicitur filius liber vitæ, & ſcriptura huius libri eſt prædeſtinatio omnium ſaluandorum, quantum

Digitized by Google

ad ipsos, & gratiam, & gloriam, & quam habituri. ibid. q. 2.

Memoria malorum dupliciter esse potest, aut considerando malum euentum, & sic generat tristitiam, vt in eo, qui conteritur; vel considerando bonum euentum, quod de tantis malis misericorditer sit ereptus: & hæc generat lætitiam. art. 1. q. 1. ad arg.

Videre multa vt multa contingit tripliciter, aut ratione eius, in quo videt, quia videt multa in vno, & sic in speculo æterno est videre multa, quia per idem homo ibi videt diuersa, aut ratione sublimitatis intellectus, qui efficitur Deiformis per gloriam, vnde videt plura, sicut Deus, licet non omnimodè, sicut Angelus beatus simul cognoscit Deum in se, & creaturam in Deo, & proprio genere. Aut ratione diuinæ virtutis hoc facientis, quæ tamen non efficit gloriam, vt ostendat ei exemplar æternum, sed leuat intellectum, vt possit aliquid supra se vel ad gloriam, vel ad pœnam. q. 3. in resol. hoc tertio modo videbunt animæ malæ in iudicio.

DISTINCT. XLIV.

De Resurrectione quantum ad modum, qualitatem, &c.

Aliquid est de veritate humanæ naturæ tripliciter, aut quantum ad esse necessarium, sicut membra principalia, aut quoad esse integrum, & completum, vt quæ faciunt ad corporis perfectionem, aut quoad esse decorum, prima oportet resurgere secundum totalitatem, alia secundum quod faciunt ad complementum, & decorem, & sic resurgunt humores in ea quantitate, quæ competit corpori. a. 1. q. 1. ad arg.

Tripliciter dicitur aliquid viuere, aut quia respicit influentiam vitæ, aut quia disponit ad vitam, aut quia ortum, & conseruationem habet ex actu vitæ; primo modo viuificatur caro, secundo modo spiritus, & humor; tertio capilli, vngues, &c. ibid.

Deformitates quædam sunt qualitatiuæ, vt quæ veniunt ex malo, & inordinato situ membrorum: quædam sunt quantitatiuæ, vt quæ excedunt in quantitate, qualis est gibositas: primæ nullo modo resurgent in electis; secundæ resurgent quoad substantiam, quæ diffunditur quantum ad superfluitatem, non tamen resurgent quoad vitiositatem. a. 3. q. 1. in resol.

Ordo creaturæ ad finem est duplex, vel quantum ad finem creatum, vel quantum ad finem vltimum, & vniuersalem, qui Deus est. Item ordo partium vel est earum in toto, vel in vniuerso, & sicut creatura non potest produci à Deo deordinata à fine vltimo, ita nec ab ordine in vniuerso, quamuis ergo corpus deforme sit deordinatum in se, est tamen ordinatum in mundo. q. 2. ad argumentum.

PARS II. DIST.

Substantia patiens est in duplici differentia; aut potest suscipere formam contrariam suæ perfectioni, quantum ad esse; aut quia potest suscipere contrariam dispositionem quantum ad bene esse: primo modo passio intensa aufert esse, secundo modo bene esse. art. 3. q. 1. ad arg.

DISTINCT. XLV.

De statu, & conditione bonarum animarum.

Gaudium dupliciter, augetur vel numerositate, vel intentione, siue qualitatiuè; primo modo non ponit augmentum in præmio essentiali, quia illud est in vno solo, sed in accidentali, quod consistit in gaudio de bono creato, & illud potest augeri, quantum ad obiectum, vt de pluribus gaudeat tunc, quàm prius. Secundo modo non augetur nisi per accidens, quia inclinatio animæ ad corpus, quæ ipsam retardat, ne intensius feratur in summum bonum, aufertur. Dub. 1.

Consultatio fit dupliciter, aut per indagium, & inquisitionis discussionem; aut per subitam illustrationem: Primum est humanum, secundum est etiam angelicum. Dub. 8.

Infernus vel est locus infimus, in quo est maxima pœna, & est damnatorum: vel locus inferior, in quo est pœna damni: huc ante Christi aduentum sancti Patres descendebant, & nunc infantes non baptizati: sed illi erant in parte superiori, quia erant cum expectatione. art. 1. q. 1. in resol.

Post Christi aduentum animæ locus est vel Paradisus, vel Infernus, vel Purgatorium, vel Limbus: illud est superius, hic inferior. q. 1. in resol. Suffragia aut sunt opera Sacramentalia, vt celebratio Missæ, & prosunt etiam facta à malis: aut sunt alia opera, & hæc vel fiunt purè à malis, & non valent pro defunctis: vel fiunt à malis ad imperium boni, vt ipsius defuncti, vel amici eius de re danda in eleemosynam, vel ad consortium alterius, vt quando duo recitant psalterium, quorum alter est bonus, alter manus: vel in alijs operibus, vt quando datur eleemosina iusto, vt oret, pro mortuo, & tunc valeat ratione doni charitatis hominis. q. 2. art. 2.

Voluntas dupliciter comparatur ad actum, vel proprium, vel alienum; primo modo Sancti possunt quicquid volunt, non secundo. art. 3. quæst. 1. ad argum.

Intellectus dicitur ad Deum ascendere tripliciter, aut per nouum aspectum in Deum, scilicet quando homo reuocat cogitationem ab alijs, & conuertit in Deum, & est tantum in viatoribus: aut per aspectum inferioris rei, vt cum quis cogitat alienam miseriam, & implorat misericordiam, & sic etiam est in beatis, quando pro nobis orant: aut propter continuationem intuitus primi, & solum est in beatis. ibid.

DIST.

Digitized by Google

DISTINCT. XLVI.

De ſtatu, & conditione malarum animarum poſt mortem.

IVdicia Dei dicuntur dupliciter; primò iudicatiua præcepta, quæ erant in lege, quæ ſæpe vocantur iudicia in pſalmis. Secundò diuina diſpoſitio, & diuini conſilij definitio, & hæc ſunt incomprehenſibilia. d. 4.

Mitigatio pœnæ damnatorum dupliciter poteſt intelligi, aut quantum ad taxationem, & inflictionem pœnæ, & ſic eſt mitigatio, quia diuina miſericordia partem aliquem remittit. Vel poſt taxationem, & ſic nulla eſt amplius mitigatio à diuina miſericordia. art. 1. q. 2. in reſol.

Delectatio dupliciter comparatur ad pœnam, aut ſecundum intenſionem huius in genere pœnæ, & illius in genere delectationis, & ſic multo minor eſt pœna quàm delectatio in peccato: aut ſecundum rationem meriti, & demeriti, & ſic meritum delectationis eſt maius, quia dignum eſſet amplius puniri, vnde etſi delectatio ſit momentanea, tamen offendit bonum infinitum, & digna eſt æterna pœna. ibid.

Miſericordia dicitur tripliciter, primò largiſſimè, vt eſt diuinæ bonitatis affluentia, communiter vt eſt benignitas in ſuperogatione bonorum, ſtrictè vt eſt pietas in ſubleuatione malorum. Item iuſtitia largiſſimè eſt condecentia diuinæ bonitatis communiter, liberalitas in retributione præmiorum, ſtrictè ſeueritas in punitione malorum. Iis tribus modis miſericordia, & veritas concurrunt in eodem opere: primo modo, quia Deus omnia facit ex affluentia bonitatis, & nihil facit, quod non deceat bonitatem ſuam. Secundo modo, quia non retribuit niſi merenti, & ſupra illud, quod meruit. Tertio modo, quia nunquam ita ſeuerè punit, quin aliquid debitum de pœna dimittat. art. 2. q. 1. in reſol.

DISTINCT. XLVII.

De iudicio extremo quantum ad modum ſecundum quem datur

IVdicium dicitur tripliciter. Communiter, & eſt collatio manifeſta meriti ad præmium, & ſic omnes iudicabuntur: propriè, & eſt diſcuſſio meritorum, & prolatio cum ſententiæ definitione, & ſic non omnes iudicabuntur, ſed erunt quatuor ordinationes ſecundum Greg. lib. 26. mor. c. 24. & Magiſtrum in hac diſt. Alij enim iudicantur, & pereunt, alij iudicantur, & regnant: alij non iudicantur, & regnant, vt qui præcepta legis vitæ perfectè tranſcendunt. Alij non iudicantur, & pereunt, de quibus Dominus dicit, Qui non credit, iam iudicatus eſt; eorum enim damnatio toti Eccleſiæ manifeſta eſt, & certa. Tertiò iudicium dicitur appropriatè, eſt ipſa condemnatio, & conuenit tantum malis. art. 1. q. 3.

In conflagratione ignis inchoatio erit virtutè ſupernaturali, progreſſus naturali, conſummatio ſupernaturali, quia corpora manebunt incorruptibilia, & qualitates mutatæ. art. 2. quæſt. 2.

Duplex eſt purgatio, prima à fœditate peccati, altera à vetuſtate corruptionis: reſpectu primæ ignis tantum aſcendet, quantum aqua diluuij, in aëre enim fit peccatum, & inficitur quodammodo fumo ſacrificiorum idolis factorum; reſpectu ſecundæ aſcendet vſque ad vltimum ſpheræ ignis, quia elementa debent purgari, & reddi incorruptibilia. q. 3. in reſol.

Duplex eſt innouatio, vna per abiectionem in corporibus elementaribus,, in quibus purgabuntur qualitates corporales. Altera per additionem, & meliorationem in corporibus celeſtibus, quibus augebitur lumen, ſed non per ignem. ibid. ad argum.

DISTINCT. XLVIII.

De forma, & poteſtate Iudicis.

VT iudicium ſit firmum, requiritur auctoritas in ſententiando, & poteſtas in retribuendo. Hæc duo ſunt in Deo per naturam, in Chriſto per gratiam, vtraque eſt in eo, vt cauſa principali, reſpectu diuinitatis, minus principaliter ratione humanitatis: robur ſententiæ erit ex prima, licet ratio iudicandi ſit penes vtramque.

Duplex eſt cognitio diuinitatis, vna per ſigna, & effectus; alia in ſua forma, & eſſentia: primam habebunt reprobi de Chriſti diuinitate, non ſecundam rationem improportionis, & quia non poteſt haberi ſine delectatione, quæ reprobis non conuenit, in quo differt à luce Solis; quæ videri poteſt ab oculo infirmorum triſtitia. q. 2.

Dupliciter aliquid eſt remunerabile; primò quod eſt aptum mereri, & hoc eſt liberum arbitrium. 2. quod eſt ipſi merenti coniunctum, vt corpus humanum. tertiò quod eſt ad ipſum ordinatum, vt ad obſequium. Sic corpora ſupercelestia quodammodo præmiabuntur, quia pulchriorem diſpoſitionem recipient, vt ſunt conſona corporibus glorioſis, id eſt ſecundum lucem, & ſplendorem. art. 2. q. 1. in reſol.

Labor dicitur dupliciter; primò propriè, & eſt opus pœnale, ſecundò communiter, & ſic dicitur labor quodcumque obſequium præſtitum hominibus, quomodo & Angeli, & corpora celeſtia laborare dicuntur. ibid. ad argum.

In motu duplex eſt finis: alius dicitur intra, & eſt terminus, ſiue conſummatio; Alius extra, & iſte eſt terminus intentionis, verbi gratia cum lapis deſcendit, locus terræ eſt terminus intra; quies in loco eſt terminus extra. q. 2. in reſol. Motus corporum celeſtium non habet terminum intra, ſed extra, ideo completo numero electorum propter quem eſt, & ipſe complebitur, ſicut motus rotæ completur, quando factus eſt cultellus acutus.

Figura dicitur tripliciter, primò diſpoſitio ex clauſione linearũ, ſecundò exterior rei facies, ſiue pulchritudo; tertiò fictio, vel fragilitas. His modis trãſibit figura, de qua dicitur 1. Cor. 7. Præterij

enim figura huius mundi. q. 3. ad argum.

Habere esse nobilius dupliciter cõtingit, vel quia permanentius, & quod tale est, magis est de integritate vniuersi; vel quia completius, & hoc non est magis de integritate vniuersi, nisi simul habeat incorruptionem durationis, si enim sit corruptibile, desinit hoc ipso esse de perfectione. q. 4. ad argum.

Differentiæ quædam sunt perfectiuæ simpliciter, quædam cum diminutione: primæ sunt de perfectione vniuersi: secundæ verò tantùm secundùm hunc statum. ibid.

DISTINCT. XLIX.

Pars prima.

De statu, & conditione bonorum post iudicium.

QVod satiat appetitum nostrum, duplex est, vel sicut obiectum; vel sicut informans. Primum est solus Deus, ad quem capiendum anima ordinatur. Secundum est ipsa influentia Dei in animam, quæ est ipsa Deiformitas, & satietas. art. 1. q. 1. in resol.

Accidens est duplex: aliud quod causatur ex principijs subiecti, & hoc est ignobilius forma substantiali, quia ab illa habet originem: aliud, quod causatur à causa superiori: tale potest esse nobilius, quia dirigit ad eum cui inngit, talis est; beatitudo, quæ iungit animam Deo, & ab eo ortum habet. ibid. ad argum.

Sicut duplex est instinctus ad bonum in generali, & speciali, sic & duplex appetitus, & dictamen boni in generali est à cognitione naturali, & quantum ad hoc non est error. In speciali verò huius, vel illius est à ratione deliberante: & circa hoc potest esse error. ibid. q. 2. in resol.

Indigentia quædam est omnino priuans, quædam disponens, & inclinans, & hæc est ratio cognoscendi bonum, quo caret homo. ibid.

Sicut beatitudo dicitur dupliciter; vel satians effectiuè, sicut obiectum; vel satians informatiuè, sicut perfectio: ita & præmium, vel donum; si vt obiectum, vna est merces, vnus Deus, vna beatitudo; si autem formaliter, differens est in quantitate gaudij, & remunerationis. q. 6. in resol.

PARS II.

De Beatitudine & gloria Sanctorum ex parte corporis.

GAudium potest dici maius quadrupliciter, aut quia de maiori obiecto, aut quia ex maiori habitu, aut quia ex habitu, aut quia de pluribus, aut quia ex eodem habitu intensius. Primo modo dicitur maius, quia non reperitur de maiori, cum sit de infinito. Secundo modo est maius respectu diuersorum, quia maiori habitu gaudet Petrus, quàm Linus. Tertio modo reperitur in eodem secundum diuersa tempora, quia Petrus post iudicium gaudebit de pluribus, puta de anima, & de corpore, & de gloria omnium saluatorum, sed non est maius hoc modo in diuersis, quia de tot, & eisdem gaudebit vnus Sanctus inferior, ac superior. Quarto modo erit maius tam in eodem, quia resumpto corpore intensius gaudebit anima, quàm in diuersis, quia vnus intensius mouetur, quàm alter. art. 1. q. 1. in resol.

Dupliciter considerantur dotes glorioſæ corporis, vel quantùm ad dispositionem, vel quantum ad consummationem. Primo modo sunt qualitates absolutæ ipsius corporis datæ à Deo in eius reformatione. Secundo modo sunt ab anima glorioſa, quæ illas perficit; & consummat per influentiam, sicut nunc colorem, &c. ideo si separaretur anima, non remanerent dotes ita perfectæ. q. 2. in resol.

Quædam recipiunt magis, & minus per contrari; admistionem; vt album, & nigrum: quædam per accessum ad terminum, vt lucidum, &c. tales sunt dotes glorioſæ, quæ recipiunt magis, & minus in diuersis, art. 2. q. 2. in resol. & ad argum. addit, quod quædam sunt, quæ dicunt simul positionem, & negationem, vt impassibilitas, & receptio secundum magis, & minus est, respectu positiui.

Delectatio est in sensu dupliciter, vna per redundantiam, altera per obiecti præsentiam. Primo modo, quando anima est plena delectatione, ita inebriantur potentiæ, quod nullo modo quærunt, nec egent exterius delectari; & hæc delectatio erit præmium omnium sensuum, & omnibus, hanc autem non habent à se potentiæ sentiendi, sed ab anima, & ideo non est necesse, vt propter istam sint in suo actu. Altera solum erit in duobus sensibus, quia duo tantum habent obiecta glorioſa, nimirum visus, & tactus. art. 3. q. 1. ad arg.

Mutatio naturalis est duplex: alia per receptionem, & abiectionem, vt calidi à frigido: alia per solam receptionem, vt perspicui à luminoso, & hæc erit in patria, non prima. art. 3. q. 2. fin.

Quadruplex est operatio elementorum, prima quantum ad constitutionem, & hæc est mistionis; secunda quantum ad conseruationem, & hæc est ministerialis delatio caloris vitalis per corpus. Tertia est pugnæ ordinans ad dissolutionem. Quarta exterioris impressionis, per quam alicuius elementi operatio intenditur, & pugna oritur: primæ duæ manebunt in patria, secundæ duæ non manebunt. art. 4. q. 1. in resol.

Actio corrumpens aut est per influentiam, vt ignis comburentis, aut est per violentiam, vt cultelli diuidentis. q. 2. in resol. neutra est in corpore glorioso.

Occultari potest aliquid dupliciter, primò propter obscuritatem obiecti, & ita lux non potest occultari; secundò per impotentiam à parte oculi, quia non potest figi propter excellentem subtilitatem, vt in corpore glorioso. art. 5. q. 2. fin.

Digitized by Google

DISTINCT. L.

Pars Prima.

De ſtatu, & conditione damnatorum poſt iudicium, quantum ad rationem, & voluntatem.

MAla voluntas dicitur dupliciter, actu, & habitu; quantùm ad actum, damnati vellent peccaſſe, non quia peccatum illis diſpliceat, ſed pœna: quantum ad habitum durat mala voluntas, quia peccarent, ſi non diſpliceret pœna. art. 1. q. 1. in reſ.

Abſtinere ab actu malo, quia eſt contra Deum, & quia iniquum, non eſt ſine gratia gratis data: quia læſiuum, & eſt per naturam. ibid. ad argum.

Maius malum dicitur vel extenſiuè, vel intenſiuè: æterna miſeria eſt malum maius extenſiuè, non intenſiuè. Natura magis illud refugit, quàm hoc. q. 1. fin.

Ignis vel eſt purus, vt in propria materia; vel incorporatus, vt in natura aliena, vt in terra, vel aëre: vel etiam permixtus, vt ignis ſulphureus, & fumoſus; primus eſt lux, & purè lucet, ſecundus carbo, & flamma, & lucet; tertius eſt tenebroſus, & talis eſt in inferno. art. 2. q. 1. in reſol.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPVTATIO PRIMA

IN QVINQVE QVÆSTIONES DIVISA

PRIMÆ TRES SVNT EX ENVMERATIS,
AN SIT, QVID SIT, QVALIS SIT.

Quarta explicat modos varios conſtituendi creaturam potentem in actu primo operari ſupernaturaliter.

Quinta quomodo conſtituatur potens in actu ſecundo.

QVÆSTIO PRIMA

PRÆAMBVLA AD DISPVTATIONES

CONTINET QVINQVE CAPITA.

I. *An sit admittenda potentia obedientialis actiua.*

II. *Solutiones argumentorum.*

III. *Regulas ad cognoscendam possibilitatem vel repugnantiam rerum.*

IV. *Corollaria ex dictis deducta.*

V. *Quid sit ens supernaturale obiectum huius Potentiæ.*

Digitized by Google

DISPVTATIONIS I. QVÆSTIO I.

PRÆAMBVLA AD SEQVENTES DISPVTATIONES.

I. Quid ſignificet potentiæ nomen in vniuerſum.
II. Quid in particulari potentiæ obedientialis largè.
III. Quid preſſè ſumptæ.
IV. Eſt vox tranſlata.
V. Potentia hæc remota ſit proxima per eleuationem.
VI. Quid ſit potentia obedientialis in genere.

I. PRÆMITTENDVM. poteſt potentiæ vocabulum ſignificare id, quo aliquid redditur potens, ex S. Bonau. in 3. diſt. 12. art. 2. q. 2. Et quia potens dicitur aliquid vel agere, vel pati, vel vtrumque, ideo potentia diuiditur in actiuam, & paſſiuam ex eodem in 1. diſt. 41. fin. quæ eſt diuiſio Ariſtotelis 9. Metaph. t. 2. accepta communiter à Philoſophis definientibus cum ipſo actiuam, quòd ſit principium transmutationis ab alio, prout aliud eſt; Et quia actiua ſupereminet paſſiuæ, & Deo ipſi conuenit, non autem paſſiua, ideo primò impoſitum eſt hoc nomen ad ſignificandam actiuam, ſecundariò paſſiuam, vt S. Th. in 1. diſt. 41. q. 1. art. 1. c. & de Potent. q. art. 1. c. & prima quidem impoſitione de homine dictum, ſed deinde ad res alias naturales translatum, vt S. Th. ibid. ex Auic. ſupponens verius de Deo dici, cuius eſt potentia, & regnum, immo qui eſt ipſa potentia, à qua aliæ deriuantur. Quæ vera cum ſint de potentia in genere, prout eſt communis naturali, ac ſupernaturali, locum habent in potentia obedientiali, de qua nobis in præſentia ſermo inſtituendus eſt, initio facto à nominis ipſius explicatione, iuxta regulas bonæ tractationis, ac methodi, quæ & nominum ambiguitatem, vt obuiantes ramos, initio exſcindit, & obiectum ſuæ diſſertationis in conſpicuo Lectori proponit, & in ſuas illud partes, ac membra amico diſciplinis ordine, ac diuiſione diſponit, & ſuam cuiuſque eſſentiam, ac proprietates perpendit.

Potētiæ nomen primò ſignificat Actiuam, ſecūdariò Paſſiuam.

II. Quia igitur in omni inquiſitione, (ait S. Bon. in 2. diſt. 36. art. 2. q. 1. fin.) *prius oportet intelligere quid eſt, quod per nomen dicitur*; Ideo præmittendum ſecundò eſt, ſub his vocibus, Potentia obedientialis, venire quandam creaturæ habilitatem ad parendum, ſeruiendumque creatori volenti ea vti ad effectus vel vſitatos, vel inuſitatos naturæ, vt S. Aug. de Gen. ad lit. lib. 6. c. 14. ſic loquens, *Reſtat ergo, vt ad vtrumque modum habiles creaturæ ſint, ſine ad iſtum, quo vſitatiſſimè temporalia tranſcurrunt, ſine ad illum, quo rara, & mirabilia fiunt, ſicut Deo facere placuerit quod tempori congruat, &c. ſic aqua concreta terræ cū ad radices vitis venerit, ducitur in ſaginam eius, & conuert liquorem ſolis adiutorio, dierum recurſibus e is, & eadem ſine temporum mora intro ca dia mutatur in vinum, & tale vinum, quod ebrios etiam comua laudaret: & ſimilia habet lib. 3. Trin. c. 5.* Quibus indicat duplicem creaturæ obedientiam erga Deum; alteram ordinariam, qua ſeruat naturæ leges in creatione impoſitas, Gen. c. 1. alteram extraordinariam, qua illi obtemperat in operibus, quæ ſupra, vel contra eaſdem leges patrare vult in ipſa, vel per ipſam: ex eodem S. Auguſt. lib. 2. Trin. c. 5. *Quis*, inquit, *arbuſta fronde, ac flore veſtit ſolemniter, niſi Deus? Verum cum floruit virga ſacerdotis Aaron, collocuta eſt quodammodo cū dubitante humanitate diuinitas, & lignis certè omnibus, & omnium animalium carnibus gignendis, atque formandis communis eſt terrena materies. Et quis ea facit, niſi qui dixit, vt hac terra produceret, & in eodem verbo ſuo quæ creauit, regit, atque agit, ſed cum eandem materiam ex virga Moyſi in carnem ſerpentis proximè, ac velociter vertit, miraculum*

Quid vtniat nomine Potentiæ obedientialis.

S. Auguſt.

Creaturæ erga Deum obedientia ordinaria, & extraordinaria.

fuit rei quidem mutabilis, ſed tamen inuſitata mutatio. Et re eadem aliis ſcripturæ exemplis confirmata, concludit. Sed cum fiunt illa, continuato quaſi quodam fluuio labentium, manentiumque rerum, & ex occulto in promptum, atque ex prompto in occultum vſitato itinere tranſeuntium, naturalia dicuntur; cum verò admonendis hominibus inuſitata mutabilitate ingeruntur, magnalia nominantur, &c. Hæc autem eò ſpectant, vt probent Deum creatorem, omnibus vti, vt vult. Quam doctrinam S. Thom. q. 6. de Potentia ſcholaſticè diſcuſſam rationibus confirmat, concluditque ad 18. in natura creata eſſe potentiam, quæ vocatur obedientiæ, & extendit ſe ad illa, quæ inferior potentia facere non poteſt. Ideo.

111. Potẽtia obedientialis preſſè accepta.

Tertiò preſſius accipitur apud Theologos Potentia obedientialis pro illa, cui reſpondet effectus vim naturæ tranſcendens, indigens peculiari concurſu ad hoc vt fiat; ſed minimè naturæ debito ſiue ille ordinarius ſit, & ſemper paratus, vt in productione gratiæ per Sacramenta ritè obita; ſiue inſolitus, & ratiò exhibitus, vt in cæcorum illuminatione, & ſuſcitatione mortuorum. Sic autem accepta varia ſortitur nomina apud ſcholaſticos, ſed illud communius, & frequentius, vt dicatur Potentia obedientiæ, vt vocat S. Bonau. in 1. diſt. 42. art. 2. q. 4. in reſol. & in 3. diſt. 4. art. 3. q. 1. ad vltimum, & alibi, & S. Thom. frequenter, ſed præſertim in 4. diſt. 8. q. 2. art. 3. 4. vbi habet celebre dictum. *In creatura ineſt Obedientiæ Potentia, vt in ea fiat quicquid creator diſpoſuerit, &c.*

Quo factum eſt, vt promiciue vocetur potentia obedientialis, vt videre eſt apud Soarium, lib. 2. de Attrib. negat. c. 10. n. 14. & c. 21. n. 7. com. 1. in 3. par. diſp. 31. paſſim, & tom. 3. diſp. 9. ſect. 1. & tom. 3. de Grat. lib. 6. c. 6. & 11. in ijs enim locis, tum de Potentia Obedientiali in vniuerſum; tum de eadem in ſpecie, vt conuenit humanitati Chriſti Domini, & Sacramentis Eccleſiæ, & intellectui, ac voluntati in ordine ad actus ſupernaturales, præſertim beatificos, variè diſputat.

Dicitur etiam poſſibilitas Obedientiæ, & longinqua poſſibilitas ab eodem S. Bonau. in 1. diſt. 44. art. 1. q. 1. ad arg. non quia potentia huiuſmodi non ſit actu, cum poſita ſit in eſſentiali ſubiectione ad creatorem, & Dominio eius perfectiſſimo in creaturam, ſed quia eget peculiari eleuatione Dei, vt fiat de longinqua proxima, & immediata. Quæ eleuatio non eſt debita creaturæ, &

Poſſibilitas obedientiæ dicitur potentia longinqua, ſeu remota, & radicalis.

[illegible] abſolutè conſiderata ſecundùm ſua naturalia ſit [illegible]per impotens eſt, & ſolum apta ad hoc vt fiat proximè, & abſolutè potens; vnde & ab alijs appellatur remota, & radicalis, quia formaliter, & proximè de ſe potentia non eſt, quæ nihil poteſt, quod de actiua in primis intellige, & conſequenter de paſſiua, quamuis enim hæc non egeat eleuatione ad receptionem ſupernaturalium impreſſionum, tamen quia non eſt Paſſiua Obedientialis vt ſic, niſi vt reſpondet actiuæ, non poteſt de ipſa dici propinqua, niſi ſuppoſita propinquitate Actiuæ, cuius eſt correlatiua; & illa præciſa non eſt potentia, niſi ſecundum quid, vt S. Bonau. loco cit. ſimpliciter enim illa eſt potentia tam agendi, quàm patiendi, quæ habet neceſſaria ad hæc quãtum eſt de ſe, etiamſi defectu extrinſeci alicuius impediatur, ac proinde cum creatura nulla habeat in ſe neceſſaria ad operãndum ſupernaturalia, nec etiam habet ad recipiendæ; non quia potentia hæc paſſiua ſecundum id, quod dicit in recto, pendeat in ſuo eſſe ab actiua, ſed quia in eſſe ſupernaturali formaliter non eſt completa, neque denominatur potentia ſimpliciter, niſi dependenter ab actiua, vt ex dicendis inferius fiet manifeſtum.

Adde quod remota eſt à ſenſibus, & cognitione perfecta, vt infra ex S. Auguſt. & infinitè diſtantia diſtat à qualibet naturali potentia, cum à nulla compleri poſſit, & ideò longinqua meritò vocatur à S. Bonau. & inchoata à Soario, quia non eſt perfecta, niſi eleuetur; vnde non dicitur remota, quia non attingat, aut recipiat immediatè actum, ſed quia non eſt ex ſe proximè potens, ſed eget conſortio cauſæ ſuperioris eleuantis.

Quartò locutio iſta, & appellatio Obedientiæ, & Obedientialis, eſt metaphorica, quia tribuitur etiam rebus inanimatis, quæ non ita poſſunt obedire, vt alterius imperium prius percipiant, & deinde exequantur, quod requiritur ad obedientiam propriè dictam, ſed quia ad nutum diuinæ voluntatis vel recipiunt, vel agunt quod Deus vult, vt fuſius Soar. cit. diſp. 3. in 3. p. ſect. 6. §. quod verò ſpectat, edoctus ab Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 14. *Non enim*, inquit, *hoc acceperunt, vt poſſint beſtiæ, vel aues, intelligere ſcilicet, & obedire; in ſuo tamen genere obtemperant Deo, non rationali voluntatis arbitrio, ſed ſicut monet ille omnia temporibus opportunis, non ipſe temporaliter motus per Angelica miniſteria, &c. Ac ſic cum ea viſa per Angelicam obedientiam deſuper miniſtrantur, peruenit iuſſio Dei non ſolum ad homines, nec ſolum ad aues, & pecora, verumetiam ad ea, quæ ſub aquis latent, ſicut ad cetum, qui glutiuit Ionam: Nec ſolum ad iſta maiora, verumetiam ad vermiculum, nam & hinc legimus diuinitus iuſſum, & radicem cucurbitæ roderet, ſub cuius vmbraculo Propheta requieuerat.* S. Auguſt.

Sed tunc maximè elucet obedientia iſta, cum mutato naturæ curſu, & ordine leges naturæ poſitæ inuertuntur, vt cum ſol ſtare iubetur, aut regredi, cum mare tranquillatur, reſidentibus ventis: Quis eſt hic, quia mare, & venti obediunt ei Matt. 8. vbi Centurio Chriſti miratur dominium, ac poteſtatem ex obedientia creaturæ comparatione vſus à minore ad maius; nam & ego homo ſũ ſub poteſtate conſtitutus ſub Chiliarchi videlicet, & Cæſaris, & dico militi vade, & vadit. Fac hoc, & facit; quanto magis tu liber ab omni ſeruitute, & habens omnem poteſtatem, vnico verbo ſanare, ſi velis, poteris puerum meum, obediente tibi natura, & euaneſcente infirmitate ad tui imperij acceſſionem. Cuius ratio eſt, quam ſupponit, & non explicat plena ſubiectio creaturæ erga Deum, cui vt Domino obedire, & ſeruire in omnibus ſemper eſt parata; creatura, ait Aug. lib. 2. de Trin. c. 6. *ſeruiente creatori, & ad nutum eius incommutabiliter in ſeipſo permanentis, ad eum ſignificandum, & demonſtrandum, ſicut ſignificari, & demonſtrari oportebat, mutata, atque conuerſa.* S. Matt. 8. Creaturæ plena ſubiectio Creatori. S. Auguſt.

Et quia huic Dei dominio magis ſubiecta eſt creatura, quàm cauſæ ipſæ inferiores ſuperioribus, per quas adminiſtratur, & regitur mundi machina, vt S. Bonau. in 2. diſt. 36. art. 3. q. 1. ad argum. ideo habito reſpectu ad hanc ſubordinationem eſſentialem non dicitur Deus facere contra naturam, cum ſupernaturalia operatur per creaturas, licet conſiderata earum lege in creatione conſtituta, dicatur agere vel præter naturam, vel ſupra, vel contra naturam, vt S. Thom. in 2. S. Bonau. S. Thom.

Digitized by Google

dist. 18. q. 1. art. 3. c. & de Pot. q. 6. art. 2. 3. & S. Bonau. in 2. dist. 18. art. 1. q. 2. ad arg.

Creaturæ rationalis Deo plenè subiectæ.

Neque ab hac plenissima subiectione immunis est natura rationalis, siue Angelica, siue humana, non solum quia illa vti potest, tanquam instrumento; vt cæteris omnibus ad producendos effectus supernaturales, sed quia eius potentias rationales eleuare potest ad actus vitales pariter supra vires ipsarum. Quin etiam cum ipsa ex sua libertate Deo videtur inobediens, & refractaria, non transilit fines voluntatis eius; siue quia relabitur in pœnarum iudicium, vt S. Th. 1. p. q. 19. art. 6. S. Thom. c. siue quia non plus potest deprauata voluntas eius, quàm permittatur à rectissima Dei ordinantis mala, quæ permittit in bona maiora, quæ intendit, vt Aug. in Enchir. c. 100.

IV. Vox obediẽtialis est antiqua.

Quæ aduertisse oportuit contrà recentiores fastidientes vocem hanc, obedientialis, tanquam nuperam, cum verè sit antiqua in scholis, & aptè translata ad significandam prædictam habilitatem creaturæ ita subditæ creatori, vt venire etiam potuerit in mentem speculantium, an inde potius translatum sit vocabulum ad obedientiam, virtutem moralem denotandam; nisi quod vsus videtur proprietatem huic concessisse, translationem illi reseruasse; à quo nequaquam recedendum est, cum nomina sint ad placitum, & hæc sint conformia modo loquendi scripturæ sacræ, ac sanctorum Patrum, vt patebit ex auctoritatibus suo loco inferius adducendis.

V. Potẽtia hæc remota fit proxima per eleuationẽ.

Quintò potentia hæc remota fit proxima per eleuationem virtute supremæ causæ, cui subdita est, quod multis modis contingere potest singillatim postmodum examinandis: nunc in vniuersum aduertenda est etiam in hac voce metaphora sumpta à rebus, quæ in altum eleuantur, vt Isa. 1. Eleuabitur super colles: ad hoc enim vt creatura creatori seruiat, ad opera supra, vel contra naturam, ipsa vti volenti, erigi debet de suo statu infimo, & roborari ad hoc vt sit potens; siue effectus nobilitatem habeat, ex qua dignitas causæ arguatur, vt in Sacramentis nouæ legis gratiæ productius; siue tantum sit improportionatus, & supra vim naturalem, vt est pœna damnatorum spirituum ab igne proueniens; in ijs enim omnibus eleuatur creatura, & potentia eius remota fit proxima per virtutem superiorem toti naturæ; idque in omni operatione, ac termino superante ipsam quocunque deinde modo illa contingant.

VI. Potẽtia obedientialis in vniuersum, quid sit.

Sextò hinc patet, quod sit significatum prædictarum vocum, & quomodo definiri possit Potentia obedientialis in vniuersum. Est enim aptitudo creaturæ ad seruiendum creatori volenti ea vti ad effectus supra naturæ vires. Dicitur aptitudo, non quia hæc sit proprietas distincta ab entitate ipsa, ex eo enim præcisè, quod creatura est sub plenissimo dominio Dei, est & ex seipsa apta illi deseruire. Dicitur ad seruiendum, non quia Deus illa indigeat pro se, aut sua operatione, Bonorum meorum non eges, Psal. 15. sed quia & in hoc diuitias suæ sapientiæ, ac potentiæ pandere voluit & in creatura, ac per illam operari quod per seipsum potest. Ad effectus supra naturæ vires, non quia etiam in alijs naturalibus non seruiat creatura Deo, cum scriptum sit, Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi, Psal. 118. sed quia ad hæc indita est virtus principalis secundis causis, ratione cuius dominari potius videntur, quàm obedire, etiam cum maximè obediunt legi in creatione acceptæ, quod non contingit, cum eleuantur ad effectus sua virtute superiores, in quo instrumenta sunt causæ eleuantis, & suo imperio quæcumque operantis. Et quia seruitus hæc creatori præstita tam in agendo, quàm in patiendo exercetur, ideo potentia obedientialis ritè distinguitur adæquata distinctione in Actiuam, & Passiuam. Quanquam enim Actiuam plerique Theologorum negant; tamen iam communiter recipitur vt sufficiens hęc distinctio, quę vniuersaliter loquendo negari non posse videtur ob auctoritates sacras infra citandas, & modum loquendi Patrum ex scripturis desumptum; licet in ea explicanda varia sint sententię, vt suis locis videbimus; Interim supponenda est sufficientia distinctionis ex sequentibus quęstionibus valide firmanda. Sed prius soluendum est argumentum contra prędictam diuisionem; nam creatura ob totalem subiectionem erga Deum potest ipsi in seruire non solum vt instrumentum effectiuè concurrens ad effectus supernaturales, vt infra probabimus; neque solum vt subiectum recipiendo varias mutationes, sed etiam vt forma informando supra suam naturalem aptitudinem; verbi gratia si accidens materiale sustentaretur subiectiuè à substantia spirituali, vt fieri posse infra ostendemus. Item vt finis mouendo intentionem supernaturaliter per Dei potentiam, quod ex sua natura, & exigentia non potest; Denique vt terminus, quia diuina virtute potest terminare actionem, quam natura sua non potest, vt si crearetur quantitas sine subiecto, & de facto corpus Christi terminat actionem concursiuam panis in ipsum miraculosè, & similia. Propterea Aur. in 1. d. 42. a. 3. §. Ad horum autem, in sententia faciente potentiam obedientialem quid positiuum, censet adęquatam eius diuisionem, ad hęc etiam tria extendendam. Et videtur quæstio hæc non merè verbalis; siquidem informare, terminare, finalizare plusquam vocibus differunt, vt patet ex tract. de causis 2. Phys. Aureol.

Sufficiẽs est diuisio Potẽtiæ obedientialis in Actiuam, & Passiuam.

Respondeo, hæc tria membra ad illa duo facile reduci, & ideo sufficientem esse diuisionem in Actiuam, & Passiuam; de forma recepta in subiecto non proportionato patet: nam potentia passiua vt dicitur de subiecto recipiẽte iam inuoluit formam receptam & informantem, & quia necessariò hæc coniuncta sunt, immò quia subiectum recipere, & formam illud informare idem sunt, non fuit opus in duo membra distinguere.

Finis verò pertinet ad causam efficientem, quæ est voluntas appetens, & indigens eleuatione, vt supernaturaliter in illum tendat, cum ipse non egeat voluntate; verbi gratia si supernaturalis actus voluntatis feratur in bona temporalia, puta in victoriam de hostibus in bello reportandam, in sanitatem per preces, & sacrificia consequendam. Finis est res naturalis, & non postulat eleuari, vt moueat voluntatem; sed solum proponi ab intellectu; at voluntas si actu supernaturali appetat illum; eleuari debet, si naturali, non eget eleuatione, sicut neque; si naturaliter optet bonum supernaturale, aut ab illo refugiat. Iccirco non fuit necesse finalizationem facere distinctum membrum Potentiæ obedientialis, idem est de terminatione, quia hæc vel reducitur ad causam efficientem, si Deus ad productionem termini adhibeat creaturam vt instrumentum efficiens, quia actionis eius supernaturalis debet dari terminus;

Digitized by Google

ad quem est, & idem erit creaturam agere supernaturaliter, & terminum ab ea fieri supernaturaliter; aut seipso solo producit Deus terminum supernaturaliter, verbi gratia quantitatem sine subiecto, & tunc exercetur potentia obedientialis passiua sicut in creatione: aut si restringatur potentia ad res existentes, erit sola non resistentia rei, quæ de nihilo producitur.

Ex quo patet actionem conuersiuam vnius creaturæ in aliam continere posse vtramque potentiam Actiuam, & Passiuam, & per illas sufficienter explicari, nulla facta mentione terminandi, tanquam potentiæ distinctæ, sicut neque informationis, aut finalizationis, quæ intercedunt verbi gratia in Eucharistia, fit conuersio panis in corpus Christi, quia ille est in potentia obedientiali passiua, vt sit terminus à quo, istud vt sit terminus ad quem, sed totum explicatur per hoc quod dicitur vi formæ, vt instrumenti, de pane fieri corpus, quicumque deinde sit finis, & modus, per quem vnitur speciebus.

His præmissis ad vniuersam disputationem spectantibus, quærendum primò est.

AN SIT ADMITTENDA POTENTIA OBEDIENTIALIS IN VNIVERSVM.

CAPVT PRIMVM.

I. Status Quæstionis.
II. Duæ diuersæ sententiæ.
III. Eligitur secunda, & probatur,
IV. Auctoritate Scripturæ sacræ.
V. Deinde Patrum Sanctorum.
VI. Tum Scholasticorum insigniorum
VII. Adduntur rationes variæ.
VIII. Soluuntur argumenta contraria.

QVÆSTIONI An est satisfit sufficienter ostendendo possibilitatem, & essentiam rei in eam venientis, etiam præcisa existentia, vt cum alijs notat Toletus in cap. 1. lib. 2. Poster. Præsenti tamen suppetunt auctoritates, ac rationes ad vtrumque probandum, quas infra adducemus, explicato prius statu ipsius, ne in ambiguo hæreamus. Plerique etenim omnes Theologi veteres, ac recentiores in modo loquendi conueniunt, & operationem supernaturalem creaturæ, tanquam Dei instrumento, concedunt, ne à scriptura sacra discrepare videantur non raro, nec obscure illam concedentes; in re autem ipsa valde sunt discrepantes, quia non pauci ita ablegant à concursus supernaturalis consortio omnem creatam virtutem non vitalē, vt in Deum solum ipsam refundant: Alij verò non verentur tribuere vim actiuam creaturæ à Deo acceptam, ad cooperandum ipsi instrumentaliter, vt causæ principali in supernaturalibus; sed nomine tenus videntur dissentire à primis negantibus omnem agendi facultatem etiam increatam, & radicalem creaturæ ad sic operandum, quia totam rationem agendi adscribunt virtuti supernaturali, creaturæ autem solum vim subiectiuam, ac sustinentatiuam eiusdem virtutis vel transeunter, vel parmanenter inditæ, vt ex infra dicendis apparebit in sententiarum istarum discussione.

Præsens ergo quæstio in eo potissimum consistit, an creaturæ ita assumantur, assumiue possint à creatore, ad operandum supernaturaliter, vt compleantur in esse principij operatiui, & vere etiam concurrant physicè, & coagant Deo ipsas eleuanti, & principaliter agenti; quomodocumque deinde compleatur vis illarū, de quo infra. Verbi gratia an aqua in baptismo ita abluat sua natiua virtute corpus; vt etiam per eandem eleuatam attingat physicè gratiam; vel si de facto id non contingit, saltē de absoluta potentia contingere possit, vt fiat instrumentū physicum; An verò solum moraliter concurrat, aut passiuè se habeat, solum deferendo virtutem, vt instrumentum agentis principalis, cui dicitur deseruire ad effectum à se intentum. Status quæstionis. I.

Prima sententia negatiua est. Vasq. 1. p. disp. 1. 76. à c. 3. t. 1. in 3. p. disp. 57. à 1. 5. & disp. 132. cui etiam nomen ipsum potentiæ obedientialis, vt vsurpatur à recentioribus, exosum est etiam in potentijs vitalibus eleuatis, quibus concedit influxum physicum in actus supernaturales, sed negat esse causas instrumentales, vt vocantur aliæ creaturæ, si eleuentur, facitque partiales principales. Sequitur P. Ægid. Coninch. de Sacramentis in q. 62. 3. p. art. 4. dub. vnico. Philip. Faber Fauent. in 4. Sent. Scot. disp. 2. c. 4. n. 36. vocans inauditum in Theologia: P. Angelus à monte Piloso, & ipse Scot. interpres, tom. 1. p. par. disp. Theol. disp. 23. a. 13. censens figmentum recentiorum Potentiam hanc. Gasp. Hurtad. de Incarn. disp. 9. n. 11. Io. Præpositus in 3. p. q. 13. n. 2. & Negat P. Vasq. Ægid. Coninch. Philippus Faber. Angel à monte Philoso. Gaspar. Hurtad. Io. Præpositus.

Digitized by Google

alij, quibus non adnumero P. Valent. de Herice in 1. p. S. Th. disp. 16. n. 34. quia solum improbat potentiam obedientialem actiuam, quæ sit vniuersalis ad omnes effectus; non absolutè, & ad aliquos.

Secunda sententia affirmat vniuersaliter dari potentiam obedientialem actiuam in omni creatura ad effectus non implicantes, ita vt virtute diuina eleuari possit ad illos causandos, non solum vt instrumentum morale, sed physicum. Est Suarij in tertia editione tom. 1. in 3. p. disp. 3. per totum, vbi fusè vindicat ab oppugnatione Vasq. & aliorum commentationes priorum editionum, & tom. 3. de Gratia, l. 6. c. 6. fin. asserens non nisi friuolis argumentis hactenus impugnatam fuisse Potentiam istam. Sequuntur Albertus tom. 1. q. 1. Theol. in prim. Corol. Bellar. l. 6. de Gratia, & lib. arb. c. 15. quatenus ad opera pietatis concedit in homine potentiam remotam, & imperfectam. Petr. Hurt. disp. 11. Phys. de causa effic. sect. 14. §. 177. & in 3. p. disp. 58. sect. 3. n. 24. tribuens meritò Mol. 1. p. q. 45. art. 5. disp. 2. ad 3. & disp. 55. art. 2. dub. 2. memb. 4. 3. & plures alij tam veteres, quàm recentes Theologi, quos numerat per aliquot decades, & sequitur, P. Io. Martin. à Ripalta, de ente supern. disp. 40. sect. 2. quibus addo Matthæum Kellisonum in 3. p. D. Th. q. 13. a. 2. dub. 2. & q. 62. a. 1. Et in hac classe sunt Thomistæ, qui Christi Domini humanitati, & Sacramentis vim physicam tribuunt, ad gratiæ, & miraculorum operationem, licet in explicanda definitione Potentiæ huius, & modo conuertendi creaturarum, discrepent à nostris, & inter se.

P. Suarij affirm. — Albertus Bellarm. — Petrus Hurtad. — Merat. tom. 3. de Sect disp. 4. Sect 3. — Ripalt. — Matth. Kellison.

Quorum Doctorum tam grauium, tamq; multorum vel sola auctoritas vindicare potest ab omni nota Potentiam Obedientialem actiuam, vt nec inaudita audiat, nec figmenti nouitatem sapiat; quamquam si noua esset, improbatorem sui ad S. Aug. amandaret, qui l. 9. de Gen. ad lit. c. 17. quod totum de illa agit. *Dicam*, inquit, *quid mihi videatur, sine affirmandi temeritate; quod tamen cum dixero, forsan esse prudenter ista considerantes, quos iam Christiana fides imbuit, etiamsi nunc primitus ista cognoscant, non esse dubitandum iudicabunt.*

ASSERTIO VNICA.

Admittenda Potentia obedientialis Actiua. II.

SEntentia admittens Potentiam Obedientialem Actiuam Physicam conformis est scripturæ Sacræ, Sanctis Patribus, scholasticis antiquis, præsertim S. Bonau. & S. Thomæ, & rationi.

Ordior à prima, id est ab auctoritate scripturæ sacræ.

Hæc in creaturis supra suas naturales vires agentibus prædicat Dei potentiam, & illarum promptitudinem ad imperium eius exequendum, operando quod iusserat, in quo manifestè denotatur concursus physicus. *Et murmurauit populus contra Moysem dicens, quid bibemus?* At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum; quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt, dicitur, Exod. 15. qui locus duas habet expositiones: altera est, quod lignum illud haberet naturalem virtutem ad dulcorandas aquas, tum quia sapiens de virtutibus naturalibus inditis à Creatore creaturis differit; tum quia textus Hebræus habet. Docuit eum Dominus lignum, naturam scilicet, & virtutem ligni; tum quia Eccles. 38. vbi agitur de eodem ligno, textus Græcus legit εἰς τὸ γνωσθῆναι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ ὑπὸ ἀνθρώπου, vt cognosceretur virtus illius ab homine, quæ expositio placet Lyrano. Sed displicet Aug. vel quicumque est auctor Mirab. sac. scrip. l. 1. c. 22. t. 3. deneganti hanc vim ligno, & soli Deo tribuenti; igitur.

Exod. 15. — Primus sensus. — Lyran.

Alter sensus est, quod lignum illud non haberet talem virtutem dulcorandi aquas, sed inseruiret, vt instrumentum Deo mirabiliter dulcedinem conferenti per illud, idque ad probandam mentè sapientis eo loco accommodatè ex eo arguentis, Deum indidisse virtutes varias creaturis: quia si potest per illas effectus producere vel contra, vel supra ipsarum naturam, multò consequentius quod possunt viribus proprijs, per ipsum possunt, qui creauit, & ornauit illas, & dedit facultatem, & vim operandi. Fauet huic expositioni quod refertur in Historia scholastica ex sententia quorumdam Hebræorum, inter quos Rabbi Salomon, teste Abul. ibi q. 8. lignum illud fuisse amarissimum, & mortiferum, vt mirabilior esset dulcoratio, & non dissimilis alijs prodigijs, quæ per seruum suum Moysem Dominus frequenter ostentauit populo peregrinanti. Textus etiam Græcus commodè patitur argumentationem hanc, quia Relatiuum, illius, referri potest ad Deum mirabiliter vtentem ligno ad dulcorandum, vt notat ibi Iansenius; nec abnuit Cornel. à Lapide; consequenter lignum effecit dulcedinem contra suam vim naturalem, volente Deo, qui si solus effecisset ad præsentiam ligni, debilis esset illatio ab operatione supra naturam ad virtutes naturales rebus inditas, de qua paulo supernùs, quia lignum nihil fuisset operatum, sed Deus solus, cuius potentia constare quidem poterat ex conuersione amari elementi in dulce, sed non ex hoc, quòd per lignum conuerteret, quod tamen intendit sapiens. Certè sal iniectum in aquas ab Helisæo. 4. Reg. 2. & arcens ab illis mortem, ac sterilitatem supra vim suã naturalem salubres reddidit. Et massa ficorum naturalium Ezechiæ Regis applicita Isa. 38. medicamen erat, leuando dolori minus aptum: & tamen vt luculentius appareret miraculum, per eam sanitati restitutus est Sic Iudic. 15. maxilla Asini peremit Samson mille viros, procul dubio diuina virtute, cuius fuit instrumentum os emortuum, & quidem actiuum physicè, quandoquidem super dorsa, & capita immicorum impulsum illa comminuebat: non secus ac olim cum viuens, & vegetans paleas, & stramina manderet.

Secundus sensus. — Historia Scholastica. — Iansenius contenit. — Salian. in Annal nec abnuit Cornel. à Lapid. — 4. Reg. 2. — Isa. 38. — Iudic. 15.

Sed magnificè commendatur hæc obedientia creaturæ Sap. 16. & 19. ibid. dicitur. *Quodam enim tempore manifestabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia, &c. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardebat vndique, vt iniquam terræ nationem exterminaret, &c.* Exardere supra naturam combustionem significat ab igne quidem promanantem, sed altioris virtute, quàm sit vis eius combustiua roborati: quod indicatur verbis sequentibus, quibus causa admirabilis effectus explicatur; *Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro iis, qui in te confidunt.* Non potest hoc intelligi de concursu morali; primo quia exardere in aqua supra virtutem physicum est. 2. quia sapiens extollit dominium Dei, & creaturæ seruitutem, quæ statim sese prodit, si peragat Dei iussa; vix

Sapient. 16. & 19.

Digitized by Google

deprehenditur, si otiosa consistat, & Deus solum ad eius præsentiam comburat, frigefaciat, immutet. 3. quià subdit scriptura, *Propterhoc, & tunc omnia transfigurata omnia nutrici gratiæ tuæ deseruiebant*, in morali non opus est transfigurationem elementorum intercedere. 4. quia scriptor sacer commemorat plagas varias, quibus impij Ægyptij per ignem, & aquam affecti sunt, ostenditq; eorum conspirationem contra naturæ leges ad eos puniendos, non quia per antiperistasim, aut alio naturali modo inualescerent; sed mirabiliter supra naturam volente Deo. *Quod enim*, inquit, *mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat*; Græcè habetur παραδόξοτερον, mirabilissimum supra omnem opinionem, & vim naturæ incrementum hoc virtutis, & actio ab igne ad vindictam impiorum exardente manans plus significat, quàm concursum moralem, vel potentiam passiuam obedientialem: ignis enim grandini mistus ipse erat, qui deuorabat Ægyptios, eorumq; sata depascebatur; in qua depopulatione Deo factori deseruiebat, vt patet ex verbis illius, Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum, &c.

5. Principaliter, quia c. 19. repetens eadem prodigia, & causam eorum, explicat etiam modum, quo sunt peracta. Omnis enim creatura, inquit, ad suum genus ab initio refigurabatur deseruiens tuis præceptis, id est iuxta genus suum, seu in genere suo, secundùm textum Græcum, nouam induebat figuram, quasi nouam naturam ab initio acciperet.

Fallar, nisi & quid reconditum continet locus iste, cui lucem afferat Augustini commentatio, S. August. l. 9. de Gen. ad lit. c. 17. vbi agit de causis rerum in Deo distinctis à rationibus seminalibus, quas inseruit in creatione, vt paulò post dicam: nam illud ab initio legitur Græcè απ' ἄνωθεν, id est rursum desuper, siue ex alto, & refigurabatur εἰς τυπῶ suu, id est ad suum typum, seu primæuam suam ideam reformabatur. Sensus igitur vnus ex multis allatis ibi ab interpretibus, præsertim Cornel. à Lapide est, quod cum mirabilia illa tam Cornel. à Lapid. multa, tamq; potentia in gratiam Israelitarum, & vindictam Ægyptiorum per creaturas fierent; hæc rursus quasi applicita typo nouam figuram induebat, qualem scilicet dabat idea diuina, secundum quam non solùm inditæ sunt, & concreatæ rationes seminales naturis rerum; sed quas apud se reseruauit dandas tempore opportuno prouidentiæ, ac sapientiæ suæ; vt quemadmodum agendo, patiendoque vsitatos peragunt cursus; ita & inusitatos peragerent, dante desuper virtutem Deo, cuius voluntas pro natura, & operando principio rebus creatis est, vt August. infra.

Explicat sapiens modum istum, quo Deus creaturis vtitur ad effectus mirabiles exemplo vulgari cytharœdi, aut cuiusuis alius periti tractandorum organorum, iuxta regulas artis. *In se enim*, inquit, *elementa dum conuertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt*, &c. qui similitudinis sensus quanquam visus est obscurior Iansenio etiam ad textum Græcum recurrenti; elucidatus nihilominus est à S. S. Bonau. Bonau. ibid. ex verbis ipsis vulgatæ, vt elementa nimirum dicantur conuerti, id est transire vnum in vim, ac potestatem, seu officium alterius mi- S. Athan. raculosè, Deo sic volente, & nulla tamen redundet dissonantia: quia sicut artifex in arte pulsandi versatus ex vario contactu fidium modulationem, & harmoniam efficit, retinentibus suum ordinem fidibus organi, & ijsdem manentibus; ita Deo veluti ludente, & iussu, quasi manu elementa regente, fit sonus varius, ac multiplex euentuum naturalium, ac supernaturalium; retinentibus nihilominus habitualiter elementis suam naturam, & ordinem, non secus ac chordæ retinent suum sonum, & solum quoad operandi vim mutatis ad tempus, quo assumuntur à Deo ad mirabilia facienda.

Quemadmodum igitur fides cytharæ ex. g. ex sua virtute non possunt sonum reddere, nec harmoniam exhibere, quam tamen exhibent artificiosè tractatæ: sic elementa vi sua naturali non pertingunt ad miracula, sed accedente Dei imperio obsequentia ipsi sunt, & iussa facessunt; vnde & in aquatica conuertebantur agrestia, & quæcumque erant natantia in terra transibant, ignis in aqua valebat, & aqua extinguentis naturæ obliuiscebatur, vt dicitur eodem cap.

Constat ergo ex scriptura sacra dari Potentiam obedientialem Actiuam, ex eo quod creaturæ Deo creatori seruientes vltra limites ab ipso præscriptos in creatione, sic eo volente transgressæ operantur mirabilia, & non ipse solus ad earum præsentiam, vel impetrationem, licet adhuc non constet de modo, ad quem explicandum plures instituendæ sunt quæstiones.

Dices nullum ex effectis, duobus illis Sapientiæ capitibus commemoratis, excedit limites naturæ, quandoquidem omnes physici sunt, & per physicam aliquam operationem producti; potentia autem obedientialis, attenditur penes effectus supernaturales. Respondeo potentiam obedientialem vniuersim sumptam extendere se ad omnes effectus superantes vires naturalis causæ à qua fit, siue spectetur terminus operationis, siue modus operandi, quorum vterque superare potest virtutem causæ; & ideo vocatur potentia obedientiæ, quia Dei voluntati obedit in omnibus, ad quæ illam eleuat, quacumque deinde ratione, & ad quemcumque effectum eleuare velit.

orat. contra Idola ait, quemadmodum si musicus vbi Lyræ adaptauerit, & grauia acutis, & media extremis ex sua arte coniunxerit, certum, designatumq; melos absoluit; ita quoque Dei sapientia terrũ vniuersitatẽ in Lyram tenens, & aërea terrenis copulans, cælestia aëreis, vniuersaque cũ singulis coaptans, & circumagens nutu suo, ac volũtate vnum mundum, vnumque mundi orbẽ recte, & congruenter absoluit, &c.

Potẽtia obedientialis attenditur etiã pænes modum operãdi.

II. PROBATVR ASSERTIO.

Auctoritas Patrum. S. August. l. 11.

AVctoritate Patrum. Præcipua est S. Aug. de Gen. ad lit. l. 6. c. 14. & l. 9. c. 17. *Habet ergo*, inquit, *Deus absconditas in ipso quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo opere prouidentiæ, quo eas substituit, vt sint, sed illo quo eas administrat, vt voluerit quas vt voluit, condidit, ibi est & gratia, per quam salui fiunt peccatores*, &c. Cum ergo causis effectuum mirabilium, quos recenset, adnumeret gratiam, & quæ disponuntur à prouidentia supernaturali, signum est, eum loqui de potentia Actiua, quia causæ actuum supernaturalium actiuè concurrunt. Adde quod de potentia passiua sola non diceret Aug. quod Deus eam non inseruit rebus, quas condidit, quia ad recipiendum, & patiendum supernaturalia non indigent aliquo superaddito, sed seipsis recipiunt, vt infra dicemus; non sic de actiua, quæ compleri debet, vt agat. & l. 2. de Trin. c. 5. & l. 3. c. 5 quibus locis omnipotentiæ diuinæ tribuit dispositionem creaturæ ad libitũ, siue ad agendum, siue ad patiendum, vt verba ipsa indicant, quæ actionem significant, & ratio à pleno creatoris dommio

domin io, & creaturæ ſubiectione petita, quæ gratis ad potentiam paſſiuam limitantur, immò & violentè; nam exempla affert, quæ manifeſtam actionem continent.

Spiritus incorporei ab igne patiuntur.

Præterea l. 21. de Ciu. c. 10. *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam Spiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? &c.* Quicumque igitur ſit iſte modus, quo ignis cruciat Spiritus; per potentiam obedientialem cruciat, cum per naturalem agere non poſſit in Spiritus quod ſi id præſtaret, producendo qualitatem ſpiritualem dolorificam, vt cenſent Soar. de Angelis l. 8. c. 15. n. 4. liquidius conſtaret per obedientialem potentiam producere. Neque hoc eſt aſſumere quod erat probandum, quia aſſumo auctoritatem particularis agentis ad probandam concluſionem vniuerſalem. ſerm. 17. in natali Domini. *Virgo genuit, quia Virgo concepit, vtrobique*, inquit, *miraculum, & ſine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera*; concepit autem per potentiam generatiuam eleuatam virtute Spiritus ſancti, qua fuit obumbrata: vnde & verè mater Dei dici debet, & Chriſti, non minus propriè, quàm reliquæ matres, ſed longè eminentiori modo, vt paulò poſt ex S. Bonau.

A Virginis conceptu miraculoſo.

Confirmatur, quia ſerm. 1. in Dominica proxima ante feſtum Natiuitatis Domini, qui eſt in Dominica 3. Aduentus 4. ait. *Virga autem Aaron poſt alterum diem inuenitur ſubito produxiſſe flores & frondes, & peperiſſe nuces: & mox, Virga ergo potuit contra naturam nuces educere, virgo non potuit contra naturæ iura Dei Filium generare?* Ad generationem hanc miraculoſam Beata Virgo concurrit effectiuè, quia mater fuit, per potentiam obedientialem, quia naturalis ſola non attingit miraculum omnium maximum, qualis eſt Incarnatio, & generatio Filij Dei, quæ eſt miraculum miraculorum, vt S. Thom. in 3. d. 3. q. 2. art. 2. c.

Virga Aaron florens.

S. Thom.

Vt autem argumentum S. Aug. ſit efficax, exempla, quæ commemorat ex ſcriptura ad probandam potentiam diuinam in myſterio Incarnationis elucentem, intelligenda ſunt de potentia obedientiali actiua: alioqui ſi de paſſiua tantum, non concluderet, Virga Aaron floruit, & eduxit nuces contra naturam, igitur & Virgo beata potuit contra naturæ iura Dei Filium generare: paritas, vel comparatio nulla eſſet, ſi virga tantum paſſiuè ſe habuit; nam ad veram maternitatem, qualis eſt Beatæ Virginis requiritur concurſus actiuus, etiamſi illam miraculoſè præſtiterit; quanquam verba ipſa Auguſtini, produxiſſe flores, peperiſſe frondes, nuces educere, actiua ſunt, & actionem ſignificantia.

Rationem vniuerſalem tradit cit. cap. 17. de Gen. ad lit. l. 9. cum enim dixiſſet rerum naturalium virtutes ad ſuos certos effectus eſſe determinatas, ſubdit: *Vt autem lignum de terra exciſum, aridum, perpolitum, ſine radice vlla, ſine terra, & aqua repente floreat, & fructum gignat; vt per ſuauitatem ſuccus in ſenectute pariat, vt aſina loquatur, & ſi quid eiuſmodi eſt, dedit quidem naturis, quas creauit, vt ex eis & hæc fieri poſſint, &c.* & mox. *Verumtamen alio modo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, ſed in eo quo ita creata eſſent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius ſubiaceret, &c.* Huic textui quam modo non violenta, ſed repugnans gloſſa ſit de potentia paſſiua interpretans, cùm verba actiua ſint, & ſenſus de potentia actiua euincat? comparat enim Aug. effectus illos mirabiles naturalibus virtutibus operatiuis rerum creatarum, illaſque mirabilius operari oſtendit, quia ſubiacent amplius voluntati potentiori: eò quod vltra ordinariam ſubiectionem ad effectus vſitatos ſecundum curſum naturalem, eleuari poſſunt ad effectus extraordinarios vltra naturæ terminos, & reddi potentiores ex Dei voluntate, quàm ſint ex natura ſua; quæ comparatio eſt virtutis actiuæ, cum actiua, & concludens de plena ſubiectione creaturæ, & omnipotentia creatoris ad diſponendum de illa, non ſolum vt patiatur, ſed etiam vt agat quicquid ipſe iuſſerit; *Ita enim* (ait Auguſt. de Gen. ad lit. l. 6. c. 13.) *certas temporum leges generibus, qualitatibuſque rerum in manifeſtum ex abdito producendis attribuit, vt eius voluntas ſit ſuper omnia: potentia quippe ſua numeros creaturæ dedit, non ipſam potentia eiſdē numeris alligauit.*

S. Auguſt.

Ex S. Auguſt. igitur ſic licet argumentari: Creatura, quia ſubiacet Creatori habenti plenum dominium ſuper illam, poteſt operari ſupra vires ſuas naturales quicquid ille voluerit, cum eius potentia ſit ſupra omnia, ergo creaturæ ineſt virtus obedientialis actiua.

Ex pleno dominio Creatoris ſuper creaturam.

Confirmatur ex eiuſdem doctrina, nam effectus mirabiles fieri poſſunt vel applicando actiua paſſiuis, ex quorum coniunctione reſultet aliquis effectus inſolitus, & impoſſibilis ſecundum curſum ordinarium cauſarum, ſicut & ipſa coniunctio cauſarum; vel ſecundò impediendo actiones ordinarias cauſarum naturalium, v. g. aquæ ne deſcendat, animalis, ne progrediatur; vel tertiò augendo virtutes ipſorū naturales, v. g. ignis, vt ſupra ſuam naturam exardeat; vel quartò ſubſtrahendo concurſum neceſſarium, v. g. ne ignis Babylonicus inſontibus pueris noceat; vel quintò immutando ſubſtantias accidentaliter, aut ſubſtantialiter, puta aquam in vinum, & hoc in ſanguinem; vel ſextò producendo varios effectus gratiæ, tam iuſtificantis, quàm gratis datæ, in quibus creatura paſſiuè ſe tantum habeat: de quibus modis non eſt controuerſia, ſed de ſeptimo, qui eſt eleuare creaturam, vt ad omnes, vel fermè omnes effectus concurrat vt Dei inſtrumentum phyſicè operans, & non ſolum paſſiuè recipiens, ac deferens eius virtutem, aut moraliter ſe habens.

Multis modis fieri poſſunt effectus mirabiles. IV.

Primo modo operantur Angeli, quibus ſubdita eſt omnis natura corporea, ait Auguſt. l. 8. Gen. ad lit. c. 24. omnis irrationalis vita, &c. non operando interius, ſed applicando exterius, ſicut ergo, ait idem de Trin. l. 3. c. 8. *Nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamuis eorum extrinſecus adhibitis motibus iſta creanda Dei virtus interius operetur; ita non ſolum malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubſiſtentia ſui ſenſus, & corporis ſemina rerum iſtarum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones, quod repetit c. 9.*

S. Auguſt.

Secūdus etiā modus non excedit vires naturæ

Angeli possunt impedire multipliciter causas naturales.

impedire enim possunt Angeli, vel subtrahendo necessaria ad agendum, vel apponendo obstacula, vel obsistendo per motiuam potentiam, vt cum properantem Asinam Balaam stitit, ne pergere posset, Angelus, de quo S. August. serm. 1. fer. 5. post Dominicam 4. in Quadragesima. *Ascendit ergo Asinam Balaam, occurrit ei Angelus, qui excubabat pro Israel; de quo scriptum est, dicente Domino ad Moysem, Angelus meus ibit tecum; pertendens autem ire comprimitur in via, conteritur ab Asina, &c.* Et vniuersaliter quoad alios modos operari possunt Angeli in rebus creatis, quæ pendent à potentia eorum motiua, quæ magna est, & admiranda, Deo permittente patrare potest, vel iubente; sed aliud est ex intimo, ac summo causarum cardine condere, atque administrare creaturam, quod qui facit solus creator est Deus: Aliud autem pro distributis ab illo viribus, & facultatibus aliquem operationem forinsecus admouere, vt tunc, vel tunc, sic, vel sic exeat quod creatur; vt Aug. c. illo 9. l. 3. Trin. vnde nec substantias immutare, nisi prædicto modo; neque per subtractionem adiutorij naturam euertere, quam solus ille conseruat, qui creauit, & nisi perpetuò conseruaret, interiret, iuxta illud l. 6. de Gen. ad lit. c. 20. *Sic ego credamus, vt si possimus, etiam intelligimus, vsq; nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant, &c.* Cum igitur in istis omnibus mirabilium operum euentis Dei potentiam, & creaturis præsertim incorporeis tam insignes virtutes communicatas fateamur, quid est, quod negemus istis aptitudinem ad inseruiendum illi quocumque eas adhibere voluerit, vt administras effectuum supra vires naturales gignendorum.

S. August.

S. August.

Dices, S. Aug. l. 22. de Ciu. c. 9. sub dubio relinquit modum, quo miracula fiunt. *Siue enim*, inquit, *Deus ipse per seipsum isto modo, siue per suos ministros etiam faciat, siue etiam per Martyrum spiritus, siue per homines adhuc in vita constitutos, siue omnia ista per Angelos, quibus inuisibiliter imperat, operetur, &c.* Ergo ex eius doctrina statui non potest potentia actiua creaturæ respectu istorum mirabilium.

Respondeo, sancto Augustino propositum ibi fuisse probare, quod miracula attestentur fidei euangelicæ resurrectionis, vt diserte apparet in contextu; ad hoc autem satis erat, quod fierent, quocumque deinde modo fierent, cum non esset eius loci de hoc disputare, quod alibi fecit.

Auctoritas Sancti Amerosij.

V. ACcedat S. Ambros. lib. de ijs, qui myst. initiantur c. 9. *Circumclusus erat vndique populus Hebræorum, hinc Ægyptijs vallatus, inde mari clausus; virgam tenuit Moyses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra naturam in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturam vel violentissimorum fluctuum, vel fluuialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, & aqua de petra fluxit; numquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura, &c.* Quæ ibi fusè persequitur à scriptura commemorata miracula, eorumque causam Dei potentiæ adscribit, quia qui fecit naturas, mutare & easdem potest, per quam mutationem incipiunt posse operari, quæ ante non poterant. Et eadem recensens l. 5. de Sacra. c. 4. vtitur verbis actionem à creatura manantem supernaturaliter indicantibus: v. g. diuino imperio virga Moysis tetigit aquas, & se vnda diuisit, non vtique secundum suæ naturæ consuetudinem, sed secundum gratiam cælestis imperij, vbi considerauit aquam & absolutè secundum naturam suam, & respectiuè, vt substat imperio Dei: quæ est consideratio etiam S. Aug. loc. cit. & præsertim de Gen. ad lit. l. 6. c. 13. *Hæc ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter natura cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura quod fecerit.* S. August.

Quæ distinctio notanda est pro solutione argumentorum, & eius quæstionis, an potentia obedientialis sit naturalis, vel supernaturalis nominanda, de quo inferius. Interim manifestum est S. Ambrosium de potentia obedientiali actiua loqui, & de actione physica; nam si de passiua tantum loqueretur, & de concursu morali non erat quod in creaturæ mutationem Dei potentia factam, hos mirabiles effectus referret, quia Deus manente eadem natura, auctor illorum duntaxat extitisset, sicut aqua immutata manens in natura corpus tangit, & animam abluit, si nihil agit, sed ad eius præsentiam agit Deus, & purgat animam, infundendo gratiam.

Plures auctoritates congerit Suar. t. 3. in 3. p. disp. 9. s. 2. ad probandam physicam efficaciam Sacramentorum per potentiam obedientialem actiuam, quæ minus aptè explicantur de concursu morali, & violentè de sola potētia passiua. P. Suar.

VI. Tertiò Probatur auctoritate scholasticorum, & primò S. Bonauenturæ.

S. Bonau. Hic in 3. sent. d. 4. a. 3. q. 1. asserit B. Virgini datam esse virtutem, per quam conceperit Christum, & ad eius generationem effectiuè concurrerit: id autem probat auctoritate Damasceni dicentis, quod Virgo habuit virtutem Verbi & susceptiuam, & generatiuam, & hanc vocat obedientiæ in solutione argumentorum; sicut ergo susceptiua est potentia passiua obedientialis, ita generatiua est potentialis actiua: quis enim per virtutem generatiuam non intelligat actiuam, si contra distinguat susceptiuæ? *Generare* (inquit idem S. Bonau. in 4. d. 14. a. 2. q. 2. p. 1. c.) *est efficientis, & principij effectiui: sed concipere, receptiui, id est, passiui.* Si ergo Virgo concurrit per virtutem generatiuam, effectiuè concurrit obumbrata virtute Altissimi.

Confirmatur, quia ibi refert sententiam asserentium Beatam Virginem solum fuisse cooperatam Spiritui sancto, ministrando materiam in conceptione Christi, & fouendo illam in vtero per menses nouem, eo quòd ex Phil. l. 1. de Gener. anim. t. 19. secundum sententiam nouam materia se habet sicut principium materiale, & semen viri sicut principium actiuum, & ideo verè matrem fuisse Beatam Virginem, quia nihil ei defuit, quod spectat ad veram matrem in generatione prolis, Spiritu sancto supplente mirabiliter quod defuit ex parte principij operatiui. Quæ fuit sententia D. Thomæ in 3. d. 4. q. 1. art. 3. c. vbi duas actiones tribuit Beatæ Virgini, præparationem materiæ, & fomentum eius; sed negat principalem formationis, & organizationis corporis. Reijcit S. Bonau. *quia mater* inquit, *in generatione non solū habet potentiā passiua, sed & actiuā: vnde quandoq; proles assimilatur magis matri, quàm patri; vnde quod dicūt* S. Thom.

Digitized by Google

Philosophi, intelligendum est per appropriationem. Et tandem concludit approbando eorum sententiam, qui dicunt, quod B. Virgo habuit virtutem sibi diuinitus datam, per quam administraret materiam illi conceptui, materiam (inquam) quæ non solum habuit rationem materiæ, siue potentiæ passiuæ, sed etiam sufficientiam & virtutem ad prolis productionem: illa tamen virtus per se non poterat prodire ad perfectum actum, nisi per successionem in tempore, sed quoniam non decebat carnem Christi formari successiuè, ideo Spiritus sanctus sua infinita virtute perduxit illam materiam ad actum completum. Igitur materia subministrata à B. Virgine fuit actiua, sed non eo modo, quo fuit operata, quia ad hoc opus fuit virtute infinita, cui illa cooperaretur. Hanc vocat S. Bonau. obedientiæ. Et simile est de intellectu, & voluntate, vt infra. S. Bonau.

In eodem 3. dist. 3. p. 1. art. 3. q. 1. ad penult. *In perfectione dominus corporis non tantum operatur virtus diuina, sed etiam creata, &c.* sermo est de operatione physica, ne sit æquiuocatio in verbo.

Et in eodem, 3. cit. dist. 4. art. 3. q. 2. 3. *Dicendum*, inquit, *quod aliquando datur potentia ad actum naturæ consonantem; aliquando datur potentia ad actum excedentem terminos naturæ: quando datur potentia ad actum naturæ consonantem, tunc & si collatio potentiæ illius sit mirabilis, operatio tamen est naturalis, sicut si detur potentia videndi cæco; quando autem datur potentia ad actum excedentem terminos naturæ, tunc non solum collatio potentiæ est mirabilis, sed etiam exitus illius potentiæ in actum est mirabilis, &c.* Et huius secundi generis fuit potentia generatiua in Virgine, quam in resolutione quæstionis docet fuisse eleuatam supra naturam ad præparandam materiam, secundum quod tam nobili, & tam perfectæ conceptioni competebat.

Ex quo fieri potest hic Syllogismus, Virtus generatiua Virginis in conceptione Christi fuit effectiua; sed hæc fuit virtus obedientiæ, seu obedientialis. Ergo in Virgine fuit virtus obedientialis actiua, seu effectiua.

Idem S. Bonau. in 4. dist. 43. art. 1. q. 6. ad vlt. duplicem modum recenset, quo vox Filij Dei erit causa resurrectionis mortuorum. Primus est, si dicantur suscitari à Deo ad vocem filij sui, sicut si suscitarentur ad preces Pauli. Secundus est, si dicatur dari virtus suscitandi voci excitanti. *Præterea*, ait, *esto quod data sit virtus, quia est ad actum supra naturam, & modum operandi supra naturam; hinc est quod miraculose exit in suam operationem, sicut exemplo patet de potentia pariendi, quæ dicitur data B. Virgini, &c.* hæc autem vtraque est virtus operatiua, vnde subdit. *Sic igitur patet, quod resurrectio Christi est causa, & vox aliquo modo, tamen principalis causa est Dei virtus, &c.* hic sermo est de causa efficiente, tum principali, quæ est Deus, tum instrumentali, quæ est vox, non moralis, sed physica, sicut potentia generatiua Virginis est physica, & physicè concurrit.

In 2. d. 2. art. 1. q. 5. ad arg. tribuit potentiam obedientiæ arbitrio libero, & subdit. *Quia ibi est obedientia perfectio, & liberum arbitrium respectu Dei ad omne quod Deus voluerit, sic habet moueri sicut pila ad omnem partem; ideo quicquid de ipso, vel circa ipsum faciat, non compellit, nec; violentiam inducit; quantum ad illam potentiam obedientiæ: quantum autem ad obedientiam specialis naturæ bene aliquando infert violentiam in miraculorum operatione, sed talis violentia infertur virtuti naturali, non voluntati, quia virtus naturalis sic est determinata ad vnum, vt si trahatur ad oppositum, hoc est per violentiam. Voluntas verò vertibilis est ad vtrumque oppositum, sicut & rota, & pila habent vertibilitatem ad motum.* Igitur liberum arbitrium habet potentiam obedientialem actiuam, quia quando consentit Deo mouenti, non habet se merè passiuè, sed concurrit agendo, vt etiam Trid. sess. 6. can. 4.

Item in 3. d. 13. art. 1. q. 1. docet animam Christi, sicut & hominum reliquorum indigere habitu supernaturali ad videndum Verbum. *Hæc aliter*, inquit, *potest intelligi; quomodo enim potest anima lumen æternum cognoscere, & claritatem summam intueri, quin ipsa efficiatur clara, & luminosa? &c.* per lumen scilicet gloriæ eleuans potentiam intellectiuam ad videndum. Et loquitur de anima, tanquam de principio actiuo visionis virtute luminis, quod est habere potentiam obedientialem ad ipsam eliciendam, & non solum recipiendam. Meritò proinde citatur S. Bonau. pro hac sententia à Soar. disp. illa 31. S. 6. paulò ante solutionem argumentorum; sed non quia in 4. d. 10. art. 2. q. 2. ad 2. agens de virtute efficiente transubstantiationē, & miraculosam Christi conceptionem, significet vtramque fuisse in creatura potentiam obedientiæ, vt ait Soar. quasi Doctor Seraph. admittat dari virtutem physicam transubstantiationis, quam tamen negat apertè q. 3. sicut & in sacramentis d. 1. p. 1. art. 1. q. 4. quam ibi commemorat, cum solum Deum faciat auctorem, & causam influentem, & verbis solum moraliter concursum tribuat. Alia ergo ratione probatur ex eo loco, quia respondet argumento, quod transubstantiatio sit excellentior, quàm conceptio, quia panis minorem habet dispositionem ad corpus Christi, quàm caro B. Virginis; ideò requiri videtur maior virtus ad transubstantiationem quàm ad conceptionem Christi. *Dicendum*, inquit, *quod ex vtraque erat potentia obedientiæ; verum tamen esto, quod minor sit dispositio, tamen virtus data verbo sacerdotis non efficit, vel reducit ad actum, sicut virtus conceptionis data virgini*; Ex quo sic licet arguere; Virtus data verbo in hoc consistit, quod illo posito ex diuina institutione fit transubstantiatio, in qua solus Deus est efficiens, vt q. 3. declarat; sed in conceptione Christi potentia generatiua Virginis eleuata est per virtutem Spiritus Sancti, & effectiuè concurrit, vt patet ex dictis in 3. Sen. Igitur si in transubstantiatione, & Sacramentis est concursus moralis, & diuersus à conceptione, hic erit physicus à potentia generatiua, cum qua operatus est Deus, & dedit matri cooperari miraculo omnium maximo. S. Bonau.

Hauserat à suo Magistro Alensi, qui 4. p. q. 10. memb. 4. a. 2. §. 6. q. 2. ad vlt. in noua impressione: Virtutem, inquit, creatam per se non habere quod possit in aliquid, quod est supra communē naturam, id tamen posse vt adiutam à virtute increata. Alens.

Sequitur secundo loco auctoritas S. Thomæ.

VII. IN 4. Sent. d. 8. q. 2. a. 3. 4. *Nulla creatura potest agere ea, quæ sunt supra naturā quasi principale*

Digitized by Google

gens, poteſt tamen agere quaſi agens inſtrumentale à virtute increata motum: quia ſicut creaturæ ineſt obedientialis potentia, vt in ea fiat quicquid creator diſpoſuerit; ita etiam vt ea mediante fiat, quod eſt ratio inſtrumenti ex ea. Hic vtramq; potentiam obedientialem paſſiuam, & actiuam aperte indicat, quam paſſim illo articulo comparat inſtrumentis artis, naturæque, præſertim ad g^m. manui, & pennæ conficientibus integrum principium ſcriptionis.

De inſtrumento in communi hæc habet 3. p. q. 62. art. 1. 2. *Inſtrumentum habet duas actiones, vnam inſtrumentalem, ſecundum quam operatur, non in virtute propria, ſed in virtute principalis agentis; aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundum propriam formam, ſicut ſecuri competit ſcindere, ratione ſuæ acuitatis.* Facere autem lectum inquantum inſtrumentum eſt artis, non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam; ergo inquantum inſtrumentum agit, & non ſolum recipit motum, iuxta id quod docet in corpore art. Cauſa verò inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo mouetur à principali agente. Ibi autem oſtendit Sacramenta eſſe cauſas gratiæ inſtrumentales, & actiuè ad illam concurrere, non ſolum diſpoſitiuè, ſed etiam immediatè illam attingendo, vt Caiet. ibi aduertit, §. Ad argumenta 2. loco inducta, cenſens reuocaſſe quod in 4. d. 1. q. 1. art. 4. q. 1. c. dixerat, Sacramenta pertingunt inſtrumentaliter ad effectum in anima, qui primò correſpondet eis, ſcilicet ad characterem, vel aliud loco eius, non autem ad vltimum effectum, ſcilicet ad gratiam, niſi diſpoſitiuè; vnde & ibidem 3. p. *Et ſecundum hoc*, inquit, *Sacramenta noua legis ſimul ſunt cauſæ, & ſigna; & inde eſt, quod ſicut communiter dicitur, efficiunt quod figurant, ſcilicet gratiam.* Efficere eſt agere phyſicè: & non mouere moraliter. Et ratio eſt, quia inſtrumentum verè agit per motum, quo mouetur à principali agente, ſicut enim artifex mouendo ſerram agit, ita ſerra mouendo partes ligni agit, vt Caiet. ibidem. §. Ad hæc facile.

Caiet. cenſet S. Thomam retractaſſe in Summa.

Similia docet q. 6. de potentia, quæ eſt de miraculis, nam art. 4. c. *Nec mirum eſt*, inquit, *ſi per hunc modum ſpiritualis creatura Deus inſtrumentaliter vtitur ad faciendum mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporalis creatura vtatur inſtrumentaliter ad ſpiritualem iuſtificationem, vt in ſacramentis patet.* Rationem autem vniuerſalem dat art. 1. ad 12. quia quanto virtus eſt altior, tanto poteſt eamdem rem perducere in effectum altiorem. *Vnde*, inquit, *nihil prohibet, quin natura creata ſit in potentia ad aliqua facienda per diuinam potentiam, quæ inferior potentia facere non poteſt; & iſta vocatur potentia obedientialis.*

Præterea 3. p. q. 48. art. 6. quærens an Paſſio Chriſti ſit operata ſalutem noſtram per modum efficientiæ, ait: *Duplex eſt efficiens, principale, & inſtrumentale; efficiens quidem principale noſtræ ſalutis eſt Deus. Quia verò humanitas Chriſti eſt diuinitatis inſtrumentum, ideo ex conſequenti omnes actiones, & paſſiones Chriſti inſtrumentaliter operantur in virtute diuinitatis ad ſalutem humanam, & ſecundum hoc Paſſio Chriſti efficienter cauſat ſalutem humanam.*

Dices, hinc potius colligi, quòd ſit cauſa moralis, & non phyſica: paſſio enim, & actiones meritoriæ Chriſti iam præceſſerunt, & non poſſunt phyſicè cauſare.

Reſpondeo, hoc idem ferme argumentum obijcit ſibi S. Th. & ſoluit. *Non videtur eſſe eiuſdem operari per modum meriti, & per modum efficientiæ; quia ille qui meretur, expectat effectum ab alio: ſed Paſſio Chriſti operata eſt noſtram ſalutem per modum meriti, non ergo per modum efficientiæ.*

Ad 3. inquit, dicendum; *Quod Paſſio Chriſti, ſecundum quod comparatur ad diuinitatem eius, agit per modum efficientiæ, inquantum verò comparatur ad voluntatem animæ Chriſti, agit per modum meriti, &c.* certè hic efficientiam diſtinguit à merito, quod illa eſt cauſa phyſica, hęc moralis. Sed quomodo cauſat phyſicè, cum iam non ſit? Reſpondet ibid. ad 2. quod per Spiritualem contactum efficaciam ſortitur ſcilicet per fidem, & & fidei ſacramentum, ſecundum illud Apoſtoli: Quem poſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Fides ergo, & Sacramenta ſunt inſtrumenta phyſica per virtutem paſſionis, quæ eſt veluti medicina; Vt enim hæc corporaliter adhibita infirmo (ait Caiet.) inſtrumẽtaliter ſanat, *ita Paſſio Chriſti ſpiritualis contactui fidei ſacramentis adhibita nobis, iuuat nos etiam inſtrumentaliter, &c.* Quamuis igitur Paſſio iam non ſit, neque actiones Chriſti meritoriæ, quæ præterierunt; tamen eſt fides, & Sacramenta: atque adeo dicuntur remanere in virtute, & hoc in ſententia D. Th. quod Sacramenta ſint inſtrumenta phyſica; de quo infra. Caiet.

Præterea in 4. d. 8. q. 2. art. 3. 3. *Si conceptionis opus includat tantum conuerſionem ſanguinum puriſſimorum Virginis in corpus in Chriſti, ſic maior difficultas eſt in hac conuerſione, panis ſcilicet in corpus Chriſti, quam in illa conceptione: vnde potuit etiam alicui creaturæ conferre, quod in illa conceptione ſibi cooperaretur, quamuis non fuiſſet conueniens propter dignitatem Chriſti ſeruandam,* ergo non eſt hic ſermo de cauſa morali, quia reſpectu huius non eſt maior difficultas in hac conceptione, quàm in illa conuerſione. Eſt diſt. 49. q. 2. art. 7. aperte loquitur de potentia actiua creaturæ in miraculis vniuerſaliter.

Præterea q. 4. de malo art. 3. c. ponit diſcrimen inter cauſam principalem, & inſtrumentalem, *quia in principali (* ait *) cauſa eſt aliquid ſecundum ſimilitudinem formæ, vel eiuſdem ſpeciei, ſi ſit cauſa vniuoca: vel ſecundum aliquam excellentiorem formam, ſi ſit agens non vniuocum, ſicut ſol generat hominem. In cauſa autem inſtrumentali eſt aliquis effectus ſecundum virtutem, quam recipit inſtrumentum a cauſa principali, inquantum mouetur ab ea.* Et hoc de cauſa morali, & potentia paſſiua non poteſt intelligi, vt patet ex terminis; proinde cum Sacramenta, & Chriſti humanitas ſecundum S. Th. ſint inſtrumenta gratiæ, concurrunt efficienter per potentiam obedientialem.

Clarius quæſt. 3. de potentia art. 4. c. loquens de inſtrumento in communi. *Inſtrumentum*, inquit, *efficit actionem inſtrumentalem, non per virtutem propriæ naturæ, ſed per virtutem mouentis.* Verba igitur ipſa indicant apertè S. Thomam loqui de inſtrumento phyſico, qualia ſunt efficientia, ſeu efficere, agere, cooperari, ri, & ſimilia, quæ propterea ita actionem,

Digitized by Google

ſonant, vt pro potentia obedientiali paſſiua tam commodè vſurpentur, quàm ſi dicatur, ago, id eſt patior, efficio, id eſt fio: quæ ſunt ridicula.

Adde hunc eſſe communem ſenſum Thomiſtarum in loca citata ex S. Thoma.

AVCTORITAS ALIORVM SCHOLASTICORVM.

VIII. NEc iſtorum quiſquam diſſentire poteſt, aut debet, niſi de nomine ſit diſſenſio. Statuatur per potentiam obedientialem eam intelligi, quæ attingit effectum ſupra ſuas vires naturales eleuata per diuinas, & quæſtionis ſenſus teneatur, an detur aliqua talis in vniuerſum, & nondum an vniuerſalis reſpectu creaturæ cuiuſlibet, de quo infra, neque quid illa ſit, aut in quo poſita ſit eius eſſentia, de quo maxima eſt diſſenſio; nunc autem quæſtio proponitur in vniuerſum, An ſit. Hoc poſito & Scotus ipſe potentiam iſtam agnoſcit, vt indicant ſequentia.

Primò Pœnitentia, & alij actus ad iuſtificationem tanquam diſpoſitiones requiſiti ſuperant naturæ vires, & non niſi gratiæ auxilio fieri poſſunt; ergo potentia illorum effectiua eſt obedientialis; ſequela patet ex ſuppoſitione præmiſſa, quid per potentiã obedientialem Actiuam intelligatur. Scot. *Antecedens eſt Scoti, nam in 4. d. 14. q. 2. art. 2. quod homo ex puris naturalibus cum communi influentia poteſt habere attritionem, quæ ſit meritum de congruo ad delendum mortale: & hæc ſi fuerit perfecte circumſtantionata in genere moris, eſt ſufficiens diſpoſitio ad iuſtitiam in ſuo termino acquirendam. Et inp. d. 17. q. 1. a. 1. Ad primum*, inquit, *dico, quod actus, qui eſt meritum, & in poteſtate mea, ſuppoſita influentia generali, ſi habeo vſum liberi arbitrij, & gratiam.*

Quæ loca, & ijs ſimilia explicant Scotiſtæ de gratia præueniente neceſſaria ad meritum de cõgruo, & attritione, quæ eſt diſpoſitio ad iuſtificationem; de habituali verò neceſſaria ad meritum condigni; & primam quidem ſignificari per influentiam generalem, ſecundam verò per vocem, Gratiam: quia ægrè ferunt imponi Scoto, quòd requirat tantum naturæ vires ad attritionem illam, & deceptum dicunt Vaſq. 1. p. d. 91. c. 5. & 22. diſp. 218. hunc ſenſum verbis Scoti tribuentem, Faber Iauent. in 4. diſp. 15. c. 1. Faber Iauent. vbi & impenſè nititur Scotum à vulgari multorum interpretatione vindicare, qui ſenſum eius minimè penetrarunt, & extraneum affinxere, qui Pelagianiſmum olet. Ergo ſecundum Scotum non poteſt voluntas hominis proprijs viribus ſe diſponere ad iuſtificationem, ſed eget auxilio gratiæ, vt ſe diſponat per actus ſupernaturales: & proinde operatur vt eleuata, quam nos vocamus potentiam obedientialem Actiuam.

Et ſanæ à doctrina de neceſſitate gratiæ nefas eſt ſentire: aliter Trident. namque ſeſſ. 6. c. 5. Tridentin. definit liberum arbitrium concurrere actiuè ad iuſtificationem, ita vt *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit, &c.* Homo igitur aliquid agit in præparatione ad iuſtificationem, ſed non niſi adiutus gratia, ergo per potentiam obedientialem actiuam.

Confirmatur ex Can. 2. 3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Neque valet dicere, hanc non eſſe potentiam obedientialem, quia intellectus, & voluntas non ſunt cauſæ inſtrumentales, ſed principales partiales, quibus reſpondet in effectu ratio vitalitatis. Nam virtus iſtarum potentiarum per ſeipſam nihil poteſt in effectus ſupernaturales, ſicut neque calamus per ſe inſcriptionem; ergo habet ſolum potentiam obedientialem, etiam ad rationem vitalitatis, quæ non diſtinguitur ab entitate ipſa actus ſuperantis vires naturæ, & ideò neque ipſa vt talis vitalitas eſt à principio merè naturali attingi poteſt; ſiue deinde vocetur inſtrumentum potentia attingens, ſiue cauſa principalis partialis, quod non obſtat rationi potentiæ obedientialis actiuæ in hoc poſitæ, vt per virtutem ſuperioris agentis agat, cùm per propriam nequeat attingere effectum ſupernaturalem. Sic S. Th. 1. 2. q. 68. art. 3. vocat hominem inſtrumentum, quod ſic agitur à Spiritu ſancto, vt ſimul agat inquantum eſt liberi arbitrij; quod idem habet 3. p. q. 7. art. 1. 3. & de Verit. q. 29. art. 1. 9. Imo omnes cauſæ inferiores comparatæ ad ſuperiores primarias vocantur inſtrumenta ab eodem l. 2. contra Gent. c. 21. rat. 4. quia vt notat ibi Ferrar. non agunt niſi motę, id eſt applicatæ per concurſum illarum, ſine quo nihil poſſunt; etiamſi hæc ſit acceptio inſtrumenti lata. Sed quomodo potentiæ vitales concurrant ad actus ſupernaturales, inferius pluribus agendum eſt. S. Thom.

Secundò quamuis Scot. problematicè tractet quæſtionem de viſione beata, an ſcilicet intellectus paſſiuè tantum ſe habeat reſpectu illius; & eſſentia, ſeu obiectum concurrat actiuè, vt apparet ex 4. d. 49. q. 11. & ex 3. d. 14. q. 1. & alibi propendere videatur in affirmatiuam, vt in 3. d. 31. q. 1. in. & d. 4. q. 1. Nihilominus in 4. d. 49. q. cit. docet naturam humanam non eſſe ſufficiens principium actiuum ad videndum Deum ex puris naturalibus, & ſupponit concurrere actiuè.

Et in 1. ſent. d. 3. q. 7. tribuit intellectui præcipuas partes ad intelligendum; ſecundas autem obiecto; & ſi dicas, hoc intelligendum de intellectu in via, non in patria, non tamen obtinebis de ſententia Scoti, nihil agere in patria: Scot. nam quod lib. 15. habet hæc verba; *Igitur remanebit in patria naturalis actio, quæ nata eſt competere naturæ ſecundum ſuam perfectionem*; competit autem intellectui, efficienter cauſare intellectionem; atque ita à doctis Scotiſtis intellecta Scoti opinio pro nobis eſt; nam intellectus per vires proprias non poteſt videre Deum clarè, & intuitiue; ergo concurrit per potentiam obedientialem actiuam. Antecedens probat Scot. in 4. cit. quia non poteſt habere Deum in ſe præſentem ratione obiecti, nec in alio, in quo eminentius contineatur, ergo neque elicere viſionem intuitiuam, quæ eſt rei in ſe præſentis, & proinde egere auxilio ſupernaturali; ſequela patet ex dictis.

Eadem ratio eſt de voluntate, quam actiuè

concurrere ad fruitionem docet in 3. d. 13. q. 3. in ſolutione argumentorum, §. ad 3. quæſtionem dico; vbi diſtinguit poſſe ſummè frui vel formaliter, vel effectiuè: hoc eſt, quod fruitio informet animam, ſeu voluntatem, à quocumque cauſetur, vel quod ipſa voluntas eliciat fruitionem, & ſit, inquit, cauſa actiua reſpectu eius. Et primo modo poſſibile eſt ſummam fruitionem creabilem conferri animæ Chriſti, quia ipſa eſt capax, & Deus potens illam creare immediatè ſine actione voluntatis creatæ; & ſubdit. *Secundo modo videtur probabile, quod cum illa voluntas non poſſit tantam vim actiuam habere, quantam voluntas creata alia poteſt habere, vt Angelica, non poteſt ita perfectè elicere fruitionem, ſicut alia voluntas poteſt: licet enim poſſit ſummam gratiam habere, quæ vt cauſa partialis reſpectu fruitionis æquè cauſaret fruitionem in ipſa, & Angelo, ſi haberet eam: tamen alia cauſa partialis erit inæqualis, vt voluntas; altera autem cauſa partialis deficiente deficit effectus, licet reliqua cauſa partialis ſit æqualis: modo tamen de facto eſt maxima elicitiuè, quia licet non ſit voluntas eius ita perfectè actiua, ſicut voluntas Angeli: tamen ipſa cum ſumma gratia, vt alia partialis cauſa actiua poteſt in perfectiorem fruitionem, quam voluntas Angeli cum minori gratia, quia excellentia gratiæ excedit in ea efficientiam voluntatis Angeli, &c.* Voluntas ergo Chriſti Domini; & eadem quoad hoc eſt ratio aliarum voluntatum, actiuè concurrit ad fruitionem, ſed non per vim actiuam naturalem ſine gratiæ auxilio, igitur per potentiam obedientialem actiuam, alterutra enim eſt principium actiuum immediatum fruitionis; ſi ergo non eſt naturalis ſecundum vires proprias, erit obedientialis per virtutem diuinam eleuantem, ſicut & potentiæ intellectiuæ reſpectu viſionis.

Scotus.

Plures alij ſunt Scholaſtici, & omnes fermè potioris notæ, exceptis Nominalibus, idem affirmantes, & de viſione, ac fruitione patriæ, & de actibus ſupernaturalibus viæ, quos recenſent Soar. 1. p. t. 1. l. 2. c. 10. n. 5. Salaſ. 1. 2. tract. 2. d. 2. ſ. 4. & d. 5. ſ. 3. Faſ. in 1. p. q. 12. art. 5. dub. 6. n. 24. & à nullo iam negari poteſt de actibus ſupernaturalibus viæ, ob auctoritatem Conc. Trid. paulò ante relatam. Effugium igitur erit in conſequentia, quæ eſt, quod detur potentia obedientialis Actiua, quia intellectus, & voluntas huiuſmodi actus non poſſunt virtute propria naturali elicere, ſed indigent eleuatione diuina, cum ſint ſupernaturales in ſe, ſicut ſunt & vitales; & ratio negandi conſequentiam erit, quia ſunt cauſæ principales partiales, quæ poſtulant quidem auxilium cauſæ ſuperioris, non tamen vt inſtrumenta, quæ mota moueant, ſed vt concauſa, cuius conſortio compleatur integrum principium effectus, ſeu operationis, in qua vna ratio reſpondeat vni cauſæ, altera alteri: licet tota entitas phyſica reſpondeat indiuiſibiliter vtrique, ſicut tractio nauis duobus trahentibus.

Verùm contra eſt, quia ſupponimus potentiam obedientialem actiuam dici illam, quæ de ſe eſt inſufficiens ad effectum ſupernaturalem, non ſolum deffectu confortij cauſæ ſuperioris, ſed quia præciſè conſiderata non habet virtutem attingendi effectum, cum ſit extra terminos cauſæ naturalis minimè proportionatæ effectui ſupernaturali. Tales autem ſunt intellectus, & voluntas reſpectu actuum prædictorum: quanquam enim maiorem proportionem, ſeu minorem improportionem habent cum actibus ſupernaturalibus intelligendi, & volèdi, quàm habeant aliæ potètiæ, ſiue vitales, ſiue inanimes; tamen abſolutè ſunt impotentes, & niſi eleuètur, non pertingunt ad actus in ſua entitate ſupernaturales; ideo in via dătur habitus infuſi, vel auxilium ſpeciales, & in patria lumen gloriæ, non ſolum vt concauſa, ſed etiam vt roborans, ſeu confortans intellectum ad videndum Deum: & ſine lumine, vel auxilio ſupernaturali, tam eſt impotens ad eliciendam viſionem, quàm voluntas, vel res alia carens anima, ſicut præciſis alis non minus inepta eſt ad volandum actualiter columba, quàm lapis; Cum ergo intellectus non habeat vim naturalem ad videndum Deum clarè, & intuitiuè, potentia, ſecundum quam denominatur potens, eſt obedientialis. Neque refert, quod in viſione ratio voluntatis ipſis reſpondeat, ſicut ſupernaturalitas lumini: nam hęc ratio non eſt quid diſtinctum à viſione, ſed eſt eadem indiuiſibilis entitas ſupernaturalis, quam non poteſt intellectus attingere, niſi vt eleuatus, id eſt, niſi per potentiam obedientialem. In quo eſt magnum diſcrimen potentiarum vitalium ab alijs concauſis naturalibus, ſiue ſubordinatis, & æquiuocis, ſiue non ſubordinatis, & vniuocis, vt dicã infrà.

Intellectus ac voluntas ſunt de ſe impotentes attingere actus ſupernaturales.

Eſt eadem indiuiſibilis entitas viſionis, & ſupernaturalis.

PROBATVR EADEM ASSERTIO RATIONE.

IX.

PRima ratio à pleno dominio Dei in creaturam.

Secunda à creatione vt à maiori, ad eleuationem, vt ad minus.

Tertia à comparatione accidentium, quæ conjuncta ſubſtantiæ producunt effectus nobiliores.

Quarta à comparatione potentiæ angelicæ ad diuinam.

Quinta à paritate potentiæ obedientialis paſſiuæ.

Sexta ab intellectu, & voluntate ſupernaturaliter operantibus.

Prima, & potiſſima eſt, quam tradit ſcriptura ſacra, & ſancti Patres ſuprà, pleniſſimum videlicet Dei dominium, & illi reſpondens omnimoda ſubiectio creaturæ: ſeu quod idem eſt, omnipotentia, & virtus infinita Creatoris, & totalis dependentia creaturæ ab ipſo in eſſe, conſeruari, & operari omnia illa, quæ non implicant in ſe contradictionem, neque arguunt impotentiã in omnipotente, vt mentiri, negare ſeipſum, & ſimilia, de quibus ſupra in ſupponendis. Atque eleuare creaturam ad aliquid faciendum, quod ipſa per vires ſuas naturales efficere nequeat, nullam dicit implicantiam in ſe, vt patebit ex ſolutione argumentorum, neque impotentiam in Deo, cuius potius commendat omnipotentiam: quia maioris potentiæ eſt poſſe per creaturam operari mirabilia, quàm non non poſſe, ſi operatio talis non habet in ſe repugnantiam, ergo admittenda eſt potentia obedientialis actiua.

Non implicat eleuari creaturam ad operandũ ſupernaturaliter.

Confirmatur ex S. Aug. de Ciu. l. 21. c. 7. ad idem caput omnipotentiæ, reuocante rationem

Digitized by Google

credendi mira, quæ fiunt volente Deo; *Cum Deus*, inquit, *auctor sit naturarum omnium, cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid volut impossibile nolunt credere, eisque reddi-*
S. August. *tionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem omnipotentis Dei, qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, qui potuit creare tam multa, quæ si non ostenderentur, aut à credendis, hodieque testibus dicerentur, profectò impossibilia putarentur, non solum quæ ignotissima apud nos, verùm etiam quæ notissima posui.* Et loquitur ibi etiam de effectibus miris à creatura prouenientibus, non naturaliter operante secundum proprias vires, sed Dei virtute ipsam assumentis, vt patet ex initio capitis; *cur itaque facere non possit Deus, vt & resurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in in cælo, in terra, in aëre, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, &c.* Et ab infidelibus istorum deposcit fidem, quam non denegant admirandis naturæ, vel ingenio humano fabrefactis, vel incantationibus, & Dæmonum arte, versutiaque confictis: multo enim magis Deus potens est facere quæ ipsis sunt incredibilia, sed illius facilia potestati: quandoquidem ipse lapidum, aliarumque vim rerum, & hominum ingenia, qui ea miris vtuntur modis, angelicasque naturas omnibus terrenis potentiores animantibus condidit; vniuersa mirabilia, mirabili vincente virtute, & operandi, iubendi finendique sapientia: vtens omnibus tam mirabiliter, quàm creauit, quæ sunt verba eiusdem in fine cap. 6. eiusdem libri tam propria, tamque significantia, vt elicere velle videatur S. Doctor non solum ab Ethnicis fidem mysteriorum religionis verę miracula diuina venerantis, sed & assensum à sapientibus Theologis potentiæ Actiuæ obedientialis creaturæ, quam præbent omnipotentiæ creatoris. Hanc profectò sonant, quod vniuersa mirabilia mirabili virtute vincat, quod præpolleat sapientia operandi, iubendi, finendi, quod tam mirabiliter omnibus vti possit, quàm creauit.

Quod si creatura solum passiuè habere se potest, aut moraliter concurrere, quis non aduertat, neque esse vsum istum tam mirabilem, quàm fuit creatio, neque tam amplam esse sapientiam, quæ careat potestate iubendi, vt creatura sibi cooperetur in mirabilibus, neque tam altè eminere creatis etiam spiritibus potentiam creatoris, quos tantorum miraculorum effectores fecit, vt loquitur ibid. Aug. Si præ illis administram suæ virtutis creaturam facere nequeat in operibus placitis suæ voluntati. Sane verba & ratio Augustini plus euincunt, quàm doceant osores huius potentiæ: quia sicut Deus auctor naturę indidit illi vim, facultatęq; vsitatos cursus, & inusitatos etiã ad certos vsq; terminos conficiendi, ita eandem, cum sit Dominus eius, euehere potest sublimius, & suo imperio adhibere in consortiũ factorum naturali virtute superiorum: nam si ipse solus sit, qui fata, segetesque Ægyptiorum exterminarit, & non ignis ardens in grandine, & pluuia corrusans, qui dici posset valuisse supra suam virtutem, si nihil agebat? sicut non diceretur citharædus citharizare, si ad eius præsentiam fides pulsaret alter; nec miles pugnare, vel repugnantem ferire, aut vincere dicendus esset, qui præsens pugnæ nec gladium distringeret, nec torqueret; licet Angeli virtute inuisibili tractantis brachium eductus gladius adigeretur in hostem, nullam interim vim conferente, qui extrinsecus speciem præliantis exhiberet.

Confirmatur rursus, quia si passiuè tantum, vel moraliter se habent creaturæ respectu creatoris, quando dicitur per eas mirabilia operari, non est quod pro ratione afferatur earum subiectio, seruitus, secundum quam obediunt ipsi; nam pati, seu recipere non est obedire in omnem vsum: at Ecclesiastici 42. dicitur: *In omni necessitate omnia obediunt ei, in nutum* Cornel. à Lap. *χειρὸς*, ad omnem vsum, vt notat ibi Cornel. Metaphora sumpta à seruis imperio Dominorum obtemperantibus, quorum nullus ita promptus sit ad vocem Domini, vt sunt creaturæ ad voluntatem Dei.

Non benè explicantur per concursum moralẽ, vel passiuum tantum.

Secunda ratio est à maiori ad minus: nam de nihili abysso educere creaturam ad esse vel corporeum, vel spirituale, maius quid est, quàm eam iam factam eleuare ad operandum supernaturaliter, sed illud Deus effecit, ergo & hoc efficere potest. Argumẽtum est S. Ambrosij lib. 5. de Sacramentis c. 4. *Quis*, inquit, *sermo Christi?* S. Ambros. *nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & facta est calum; iussit Dominus, & facta est terra; Iussit Dominus, & facta sunt maria; Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur, &c.* Sermo ibi est de virtute verborum consecrationis, quæ sunt verba Christi, & operantur diuina virtute; quæ eadem elucet in alijs miraculis, quæ fusè persequitur, & in alijs, quæ à Christo Domino facta narrat lib. 4. de fide c. 3. simili modo argumentantur reliqui Patres Græci, ac Latini apud Bellarm. lib. 3. de Euchar. c. 20. t. 2. & Maldonat. in c. 26. Matth. & alij, quos citaui supra in supponendis.

Maius est creare quàm eleuare ad agendum.

Verum quia adhuc non disputo de concursu verborum formæ in consecratione, neque cæterorum Sacramentorum in gratiæ productione, sit ne physicus, vel moralis, discursus hic eò collimat, vt probet, Deo, qui creauit omnia, & potest per pauca verba vnam substantiam in aliam conuertere, non esse difficile, si velit vti creatura vt efficiente ad effectus supernaturales producendos, quia cùm sit Dominus, Dixit, & factus est mundus, mandauit, & creatus est; Iussit aquam in vinum conuerti, & facta est vinum; panem, & vinum in suum corpus, & sanguinem conuerti quotidie imperat, & conuertuntur; quidni igitur obtemperet coefficiendo creatura, quod ille vt causa principalis vult efficere per illam, & per instrumentum suæ potentiæ; non enim facile ostenderetur repugnantia in minori vbi constat de possibili in maiori.

Tertia ratio. Accidentia coniuncta substantiæ producunt effectus nobiliores se, & non producibiles separatim, vt patet in calore, qui coniunctus animę vt instrumentum eius produ- S. Thom. cit sanguinem, spiritus, carnem. S. Thom. 1. p. q. 115. & de Potent. q. 3. art. 4. c. ex Arist. l. 2. de Anima c. 4. t. 41. vbi Auer. & idem S. Th.

Accidentia non subiecta producunt effectus seipsis nobiliores.

lect. 8. & receptus in seminibus concurrit ad generationem viuentium; quomodocumque deinde vocetur nomine causæ principalis subordinatæ, vel instrumentalis, de quo non laboro in præsentia, eo contentus, quod cum hac vnione concurrat ad effectum, quem non attingeret sine illa, saltem in probabili sententia, quod accidentia attingant effectum principalem. Instrumenta pariter artis in manu artificis per directionem eius, & motum artificiosum concurrunt efficienter ad opera intellectualia, ad quæ neque per se, neque per motum alienum pertingerent, vt in calamo formante characteres, & in penicillo fingente imagines manifestum est; & vniuersaliter natura tota, posito concursu generali primæ causæ operatur ea, quæ nulla ratione potest, eo sublato; igitur posito concursu extraordinario, & minimè debito, potest aliquid efficere supra suas vires ordinarias, & naturales, quod est habere potentiam obedientialem. Patet sequela, quia non minus vnitus est Deus creaturæ, quàm calor animæ; neque minor virtus eius infinita, quàm substantiæ creatæ, quæ participatio quædam illius est, siue agat illa naturaliter, & necessariò, siuè liberè, & intellectualiter: vt enim S. Bonau. in 2. dist. 37. a. 1. q. 1. fin. *Diuina virtus existens in creatura potentialiter, essentialiter, & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando*; ergo accedente voluntate eius potens est creatura aliquid efficere, quod ex sua virtute non potest, & sicut ex insolita conjunctione cum causis naturalibus producit effectus naturales insolitos, ita cum causa supernaturali continente in se eminentissimo modo virtutes omnium causarum, potest supernaturales, & insolitos, de quo infra pluribus agēdum.

Quarta ratio. Longè maior est subiectio creaturæ tam spiritualis, quàm corporeæ ad suum conditorem, quàm sit corporeæ ad spiritualem, & angelicam, cum ab illo pendeant omnia essentialiter, quæ facta sunt, quoad esse, conseruari, & operari, vt supra ex scriptura, & August. diximus; ab Angelis autem solū quoad gubernationem extrinsecàm corpora adiuuantur, iuxta illud eiusdem August. de Gen. ad litt. l. 8. c. 25. fin. *Quod autem attinet ad creaturæ angelicæ actionem, per quam vniuersarum rerum generibus, maximeque humano, prouidentia Dei prospicitur, ipsa extrinsecus adiuuat, & per illa visa, quæ similia sunt corporibus, & per ipsa corpora, quæ angelicæ subsunt potestati*, sed Angelis tam malis, quàm bonis obedit aliquando creatura corporalis, ad ea efficienda, quæ licet miracula non sint, tamen mirabilia dicuntur, & magualia, quòd fiant modo inusitato, vt S. Aug. 3. Trin. c. 6. vbi de miraculis Magorum arte Dæmonum factis in Ægypto: ergo multo magis Deus vera miracula totam naturam excedentia per easdem creaturas, tanquam per instrumenta facere potest.

Maior est subiectio omnis creaturæ ad Deū, quam corporeæ ad spiritualem.

S. August.

Certè ipse etiam malus Angelus non solum applicando actiua passiuis, potest inusitata mutabilitate magnalia ingerere, sed etiam singularibus modis per motum localem artificiosum vti corporibus ad effectus mirabiles; sic per serpentem locutus est malus, & per Asinam bonus, de quo idem Aug. l. 11. Gen. ad litt. c. 27. & 29. ait; *Si ergo locutus est serpens homini, sicut Asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini, nisi quod illud fuit opus Diabolicum, hoc angelicum: habent enim quædam boni, & mali Angeli similia opera, sicut Moyses, & Magi Pharaonis; verùm in his etiam boni Angeli potentiores sunt, &c.* Atqui & bonis Angelis in infinitum potentior Deus est; quidni igitur obedientem sibi totam creaturam habeat, & per eam, tanquam per organum, suæ voluntatis operetur admiranda, siue intra naturæ cancellos continere suam potentiam voluerit, siue extra, supraque illos protendi, aut euehi creaturæ vires, alioqui impares pro sua voluntate mandauerit?

S. August.

Quinta ratio. Datur potentia & obedientialis passiua, ergo & Actiua. Antecedens conceditur ab aduersarijs de hac interpretantibus scripturam, Patres & veteres scholasticos, vbi de potentia obedientiæ loquuntur. Consequentia probatur primò ex doctrina S. Greg. 2. Dial. c. 30. & 31. allata à S. Th. q. 6. de Poten. art. 4. & à Suar. disp. illa 31. s. 6. §. secunda ratio, seu coniectura; *Si hominibus*, inquit, *datae sunt potestas filios Dei fieri, non est im. ut, si ex potestate mira facere possint.* Secundò, cur potentia passiua creaturæ supra, vel contra naturæ suæ exigentiam recipiat in se, vel patiatur quod Deus vult, propter omnimodam subiectionem ad illum, & non concurrat effectiuè ad effectum supra vires proprias volente Deo?

Datur passiua ergo & Actiua.

S. Greg. S. Thom. P. Suar.

Quia, inquies, obedire est quoddam pati, respondet enim imperio, quod in actione consistit, cui comparatur creatura, non vt est principium agendi, sed recipiendi, vnde communiter definitur potentia obedientiæ aptitudo creaturæ ad recipiendum aliquod ab eo, cui in omnibus subiecta est, & obediens.

Respondeo, obedire commune esse actioni, & passioni, siue propriè sumatur, vt cōuenit creaturæ rationali, siue metaphoricè, vt ratione carenti: sic seruus dicitur facere voluntatem Domini, siue foris exeat ad negotia, siue domi sedeat ad custodiam; & equus voluntati sessoris obsequitur, siue stimulet calcaribus ad currendum, siue frænum reducat ad standum; & in proposito voluntas præuenta gratia charitatis actum elicit, & eadem infusam gratiam recipit; & vtrumque habet per potentiam obedientialem. Proinde definitio potentiæ obedientialis non est, quod sit aptitudo ad recipiendum tantum, sed & ad agendum, vt infra melius explicabitur.

Obedire cōmune est Actioni & Passioni.

Confirmatur hæc ratio, quia sicut humanitas Christi Domini habuit potentiam obedientialem passiuam ad vnionem hypostaticam, & ad dona concomitantia, & ita actiuam habuit ad operationes theandricas, & meritorias: & in vniuersum non est maior ratio, cur entia supernaturalia possint pendere à creatura in genere causæ subiectiuæ, & materialis, & non possint in genere causæ efficientis instrumentalis. Quare eædem fermè difficultates, quæ fiunt contra potentiam actiuam, militant contra passiuam: & si huic non obstant, neque illi obstare debent.

Sexta ratio est, quia de fide est dari actus vitales supernaturales, & habitus infusos, qui sunt principia, & causæ partiales ipsorum, vt constat ex dictis ergo & dari potentiam obedientialem actiuam. Patet sequela, quia isti sunt

Potentiæ vitales per potentiam obedientialem Actiuam operantur

ſupernaturaliter.

ſupra facultatem naturalem, & exigentiam, ac debitum naturæ, igitur non datur potentia naturalis ad illos; cum ergo eliciuntur, per potentiam eleuatam producuntur, hoc eſt, per obedientialem, quæ opponitur naturali meræ improportionatæ actibus ſupernaturalibus, niſi eleuetur. Nec valet dicere, quod potentiæ reſpectu iſtorũ actuũ ſunt cauſæ principales, quibus reſpondet in effectu ratio vitalitatis: quia ad hanc etiam vitalitatem indigent eleuatione, neque eſt debita potentijs, quas Deus gratuitò eleuat; igitur concurrunt per potentiam obedientialem; quod ſi ſufficit ad excludendam potentiam illam, quod aliqua ratio in effectu reſpondeat cauſæ, ſequeretur quod intellectus, & voluntas per potentiam naturalem elicerent actus ſupernaturales: quod licet concedant aduerſarij requirentes ſolum auxilium ſupernaturale, vt quid requiſitum ad hoc vt operetur, & hanc eleuationem eſſe ſibi indebitam, & non exigere concurſum ad actus ſupernaturales; ſicut igitur dicitur potentia obedientialis paſſiua, inquantum recipit actus, & habitus tales; ita & Actiua dicenda eſt, inquantum elicit ob eamdem cauſam; & quæſtio erit, non vtrum ſit potentia obedientialis actiua, ſed an ſit cauſa principalis, vel inſtrumentalis, quaſi nulla principalis vocari debeat obedientialis; de quo erit alia diſtincta diſputatio inferius; nunc autem illud contendo, potentiam illam vocari obedientialem, quæ non eſt ordinata ad actum, quem recipit, vel producit, neque exigit ipſum, ſed ſolum operatur, aut patitur, in quantum ſubſtat voluntati Dei illa vtentis pro libito ad effectus ſupra, vel contra exigentiam ſuam naturalem, quomodocumque deinde nomines, vel principalem, quia reſpondet ei aliqua ratio in effectu magis proportionata, quàm alteri cauſæ; vel inſtrumentalem, quia agit in virtute principalis; & ſiue remotam, ſiue proximam, ſiue natiuam, ſiue naturalem; dummodo concedas, hanc eſſe inſufficientem, non ordinatam, neque exigentem actum, vel concurſum ad illum, ex natura ſua, & totam actus entitatem eſſe ſupra vires ipſius, & rationem illi reſpondentem, cum à parte rei non diſtinguatur ab entitate actus, ſed ſolum metaphyſicè per noſtrum modum concipiendi cum fundamento in re. Hanc enim potentiam ſic effectam voco obedientialem Actiuam, quia totum eius poſſe in ordine ad effectus ſupernaturales conſiſtit in obedientia, ſeu ſubiectione ad voluntatem Dei potentis ipſam eleuare, & non in aliqua virtute naturali, quam habeat ex ſe, præciſo dicto reſpectu.

Confirmatur, quia ſi ad tollendam potentiam obedientialem actiuam, ſatis eſt, vt aliqua ratio effectus reſpondeat cauſæ, ſequeretur, quòd ſi Deus aſſumeret vnam creaturam ad producendam aliam eiuſdem ſpeciei vel generis, illa eſſet potens per innatam potentiam actiuam principalem, ſicut ab ordinarijs ponitur intellectus cauſa principalis viſionis beatæ, & aliorum actuum ſupernaturalium, v. g. ſi Deus voluiſſet habere conſortem productionis Euæ Adamum, aut Adami Angelum, vterque eſſet cauſa principalis, quia tota ratio humanitatis Euæ reſpondet Adamo conuenienti in humanitate, & ratio intellectiui reſpondet Angelo: conſequens eſt abſurdum, quia neutri competit talis potentia, vel productio hominis eo modo, quo ſupponimus ſimul cum Deo, ſed ſe habent vt inſtrumenta Dei ad effectum ſupra vires ipſorum. Neque refert, quod non attingant animam, quæ immediatè creatur à Deo: tum quia neque Pater per viam generationis illam attingit, qui tamen dicitur cauſa filij; tum quia adhuc controuerſum eſt, an & animæ rationalis poſſit per diuinam potentiam dari inſtrumentum; tum quia etiamſi eſſet impoſſibile, adhuc viget argumentum de conſeruatione ad quam, ſi Deus velit, poteſt concurrere Angelus, & alia anima, & tamen non diceretur vt cauſa principalis concurrere, vel habere potentiam innatam ad hunc effectum ſuperantem virtutem creatam, & indebitam illi, etiamſi haberet naturam eiuſdem ſpeciei, & proinde multiplicem rationem illi reſpondentem.

Eſt autem paritas exempli huius, & viſionis beatæ, aut alterius actus ſupernaturalis vitalis, quia tam intellectus eſt impotens videre clarè Deum, quàm anima, vel angelus conſeruare animam, vel angelum, & vtrumque eſt ſupra debitum, & exigentiam ipſorum, & eleuatur diuina virtute, & habet in effectu rationes ſibi reſpondentes, & proportionatas. Quod autem viſio exigat eſſe in intellectu, non autem conſeruatio poſtulet eſſe ab anima, vel angelo, ſed à ſolo Deo, eſt quid accidentale potentiæ obedientiali actiuæ, quæ eſt quid prius effectu, & ideo attenditur penes hoc, quod ſit inferior illius productioni, indigens diuino concurſu ſupernaturali, & non exigens, neque ordinata ad illum effectum, & per accidens ſe habens ad ipſum ex ſola Dei voluntate: quia nulla vis naturæ extenditur vltra ſphæram naturalium operum, quamuis tota natura ſubdita ſit auctori ſuo, & apta ab illo extendi, ſi voluerit.

Dices non poſſe quidem negari hoc de potentijs iſtis vitalibus, quin efficienter concurrant ad actus ſupra vires naturæ ſuæ, ſed non poſſe inde inferri, quod aliæ etiam res omnes eleuari poſſint, & cõcurrere ad effectus ſupernaturales, quia in iſtis potentiis eſt inchoata quædam virtus, & remota, quæ perfici poteſt, & fieri concauſa ſuperioris agentis, quod de alijs rebus dici nonpoteſt, nullam habentibus proportionem cum effectibus ſupernaturalibus.

Reſpondeo in primis quæſtionis eſſe in genere, an detur potẽtia obedientialis actiua? Ad quam definiendam affirmatiuè ſufficit, quod in ijs potentijs concedatur, quas omnes fatemur impares eſſe actibus ſupernaturalibus producendis, niſi roborentur diuinitus, etiamſi actus huiuſmodi maiorem quamdam proportionem cum ipſis habeant, quàm alij effectus ſupernaturales cum alijs inſtrumentis, v. g. cum aqua gratiæ. Deinde ad iſtos actus non ordinentur potentiæ, neque illos exigant, aut ſint illis proportionatæ ſecundum vim naturalem, dicimus ad illos concurrere per potentiam obedientialem, & inde arguimus non repugnare, quòd aliæ etiam res eleuentur ad effectus ſupra vires ſuas; & ſolum hoc diſcrimen minoris improportionis actuum vitalium ſupernaturalium cum potentijs vitalibus, non eſſe ſufficiens ad negandum diuinæ omnipotentiæ, quod non poſſit vti creaturis alijs ad effectus ſimiles; quinimmo etiamſi non influerunt intellectus, &

Digitized by Google

voluntas per potentiam obedientialem actiuam in actus supernaturales, sed per vim innatam cum auxilio supernaturali, adhuc non esset ratio negandi vniuersaliter vllam creaturam eleuari posse, vt instrumentum Dei. Adde quod si potest eleuari natura ad aliquos effectus supernaturales, in quibus resplendet aliqua formalitas similis illis, quæ inest effectibus naturalibus eius, & datur virtus inchoata respectu illorum, quæ completur virtute diuina, non solum potentiæ vitales rationales, sed multæ aliæ res poterunt eleuari, v. g. calor vt vnum ad efficiendum calorem vt duo, & ad producẽdum ignem; Sol ad producendam lucem corporum beatorum, quæ secundum plures Theologos supernaturalis est, vt P. Sal. 1. 2. q. 5. tract. 2. disp. 14. s. 16. n. 132. nam in illa luce supernaturali est qualitas similis qualitatibus lucis naturalis, igitur eleuari poterunt ad producendas alias formas supernaturales non vitales, quæ non postulant produci à natura, vt formæ vitales, quia natura æquè est impotens ad istas, & ipsæ non exigunt processionem à natura. Quartò esse inchoatam virtutem in intellectu, & voluntate ideo dicis, quia actus supernaturales postulant fieri ab illis, aut quia illis inest virtus naturalis ad actus eiusmodi; si 1. ergo cæteræ formæ supernaturales non exigentes determinatũ principium, poterunt produci indifferenter à qualibet causa eleuata, vel saltem à qualibet habente virtutem productiuam qualitatum similium qualitatibus supernaturalibus, vt est ratio lucis in luce solis, & corporum glorioſorum, immo & cuiuscumque genericè conuenientis; atque ita cum omnis qualitas supernaturalis conueniat in ratione accidentis, & qualitatis cum gratia, & alijs accidentibus supernaturalibus, poterit eleuari ad illa producenda. Secundum dici non potest, quia nulla virtus naturalis attingere ex se potest supernaturalia. Vltimò termini isti, creatura, & aptitudo ad seruiendum Deo pro instrumento effectus supernaturalis non habent immediatam contradictionem, & formalem, cùm sint positiui; neque illa aliunde à posteriori colligi potest, cur igitur dicatur impossibilis potentia hæc actiua, aut cur non computetur inter causas primarias, seu primordiales, quas Deus apud se retinuisse dicebatur superius ab Augustino, præsertim cum eius assertioni faueat & fœcunditas diuinarum Idæarum, & virtus interminata diuinæ omnipotentiæ, & auctoritas sacræ scripturæ, ac Patrum, & consensus grauissimorum Theologorum veterum, ac recentiorum, & facilitas solutionis argumentorum in contrarium, vt mox patebit.

Soluuntur argumenta aduersariorũ. Primum est ab auctoritate Patrum.

CAPVT II.

SANCTVS Augustinus pluribus locis supra citatis, sed præsertim lib. 9. Gen. ad lit. c. 17. vbi manifestè negat creaturas esse causas supernaturalium effectuum, & eorum, qui præter vsitatum naturæ cursum contingunt, quia istas sibi reseruauit Deus. *Potestas*, inquit, *creatoris habet apud se posse de ijs omnibus facere aliud, quam eorum quasi rationes seminales habeant, &c.* Et inde sunt miracula, quæ enumerat, & c. 18. Habet ergo Deus in seipso absconditas quorumdam factorum causas, vt supra retuli. Causæ igitur effectuum supra vsitatum naturæ cursum, nullæ sunt in rebus creatis, quia omnes apud se retinuit Deus: igitur in creatura est tantum denominatio extrinseca à potentia creatoris, & nulla actiuitas. X.

Confirmatur ex ep. 3. supra cit. *In talibus rebus, (scilicet mirabilibus) tota ratio facti est potentia facientis.* Quæ verba fermè eadem Gregor. vsurpat homil. 20. in Ezechiel. *Sola*, inquit, *est in miraculis ratio, potentia facientis.* S. Greg.

Confirmatur, quia cum S. August. loquitur de miraculis Christi, eorum causam facit Deum, & non humanitatem, quæ tamen erat instrumentum diuinitatis; vt vel hinc colligatur, multo minus alias creaturas effectiuè ad illa concurrere; sic tract. 8. expositionis in Euangelium Ioan. cap. 2. de conuersione aquæ in vinum in Cana Galilææ ait. *Miraculum autem, quod faciturus erat, secundum diuinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem; secundum quod Deus erat, non secundum quod infirmus natus erat.* Et serm. 10. de Tempore, qui est 7 de Natali Domini. *Per ista, frater, aduerte eum & vt hominem infirma pro infirmis pertulisse, & vt Deum potentiam exercuisse cælestem, &c.* in miraculis videlicet. *Hic qui famineo lacte nutritur, multa hominum millia paruissimo pane satiauit. quid illud adjciã, quod Deum illum, & verum Dei esse filium resurgens à mortuis Lazarum probat, recepto lumine cæcus annuncrat, venerandis eius calcata vestigijs maris vnde testatur, & quod præcellit hæc omnia resultans è cælo vox paterna confirmat, &c.* Et vniuersaliter l. 21. Ciu. c. 7. vim miraculorum effectricem in solam omnipotentiam, & voluntatem Dei reiicit, potentis quicquid vult. S. Augusti. Tom. 9. Et initio tract miraculum quidem Domini nostri Iesu Christi, quod de aqua vinum fecit, non est mirandum eis qui nouerunt, quia Deus fecit.

Accedit S. Athan. orat. 4. contra Arian. paulo ante med. *Quia & ea opera, quæ sunt propria Verbi, qualia sunt mortuos excitare, cæcis visum reponere, Hemorroissam sanare, ea quoque corporis ministerio peragebantur, &c.* Sed ne corpus aliquid effeciſſe putares, subdit. *Certè cum necessitas requirebat, vt Socrum Petri febricitantem excitaret, humano quidem more manum extendit, diminitatis autem morbum compescuit; & in cæco à natiuitate humanum è carne emisit sputum, diminitus autem oculos aperuit per lutum: in Lazaro autem vocem quidem vt homo edidit, diminitus ta-* S. Athan.

men vt Deus eumdem è mortuis excitauit.

S. Leo Epist. 10. c. 4. *Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exequente quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, alterum succumbit iniuriis.*

Et communiter alij sancti Patres operationes miraculosas humanitatis Christi Domini, & Sacramentorum Deo soli, vt auctori, & efficienti tribuunt creaturæ nihil amplius, quàm materiale aliquid, contactum, vocem, ablutionem, &c. Quòd si de facto, vel saltem de possibili dari potentiam obedientialem actiuam existimassent sancti Patres, à qua creatura conuenientius exerceri illam, quàm à sacra humanitate Christi, & Sacramentis ab ipso institutis ad producendam gratiam iudicassent?

S. Bonau. Respondeo, S. Augustinum de rationibus seminalibus ambiguè locutum sentit Bonau. in 2. d. 18. art. 1. q. 2. prolixè explicans, quid illæ sint, & concilians varia Augustini loca, præsertim ex 5. & 6. lib. super Gen. ad lit. Sed quod attinet ad solutionem argumenti, distinguit ibi S. Aug. Potentiam actiuam, & passiuam rerum naturalium à potentia obedientiali. Primò quia illæ habent vires certas, & determinatas ad peragendos cursus naturales in actionibus, & passionibus vsitatis. Explicatur locus Aug. *Et elementa*, inquit, *mundi huius corpores habent definitam vim, qualitatemque suam quid vnumquodque valeat, vel non valeat; quid de quo fieri possit, vel non possit, &c.* At obedientialis non habet aliam legem, vel determinationem, quàm voluntatem creatoris. *Verumtamen*, inquit, *aliomodo dedit, vt non hoc haberent in motu naturali, sed in eo quo ista creata essent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret.* Secundò differunt, quia potentiæ actiuæ, & passiuæ naturali seminales quasdam rationes indidit, secundum quas agunt, & patiuntur. *Alius est ergo rerum modus, quod ista herba sic germinat, illa sic: Illa arbor parit, illa non parit, &c.* Horum, & talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, *sed ab illo etiam rebus creatis inditæ, atque concreatæ, &c.* Obediētialis autem potentiæ causas non inseruit rebus, sed apud se retinuit. *Habet ergo Deus in seipso ab condita quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet non illo opere prouidentiæ, quo naturas subsistere iussit, vt sint, sed illo, quo eas administrat, vt valeant, quas vt voluit, condidit, &c.* Nulla ergo est ratio in creatura, cur potius assumatur ad vnum effectum ad alium, ex ijs, qui non contingunt secundum cursum naturalem, & vsitatum; aut cur potius ista, quàm illa, cùm quælibet sit determinata ad effectus suæ naturæ conuenientes, & tota ratio concurrendi ad alios sita sit in voluntate creatoris, & eius omnipotentia.

Hinc sequitur, posse, quod habent creaturæ ad effectus supernaturales formaliter, & completè sumptum inuoluere in suo cōceptu & entitatem creaturæ, & potentiam, ac voluntatem Dei. Sine qua nec intelligibilis quidem est potentia obedientialis, & cum qua sicut cum causa eleuante potens est & recipere, & agere ex intrinseca sua natura potentiori voluntati subiacente; vnde subdit Augustinus. *Neque enim ex eis vel ipse faceret, quod ex eis fieri posse ipse præfigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior, quoniam dedit naturis, quas creauit, vt ex eis & hæc fieri possent, nimirum vt lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice vlla, sine terra, & aqua repente floreat, vt fructum gignat; vt per iuuentam sterilis fœminæ in senectute pariat, &c.* Florere autem, fructum gignere, parere actionem significant, non Dei solius, sed arboris, & fœminæ, non naturaliter, & secundum propias vires, sed supernaturaliter, & virtute diuina operantium. Ne forte dixeris sermonem esse de potentia tantum passiua contra mentem Augustini contendentis posse creaturam præstare multa, vt subest voluntati Dei, quæ non potest ex sua naturali virtute; Et comparat potentiam ordinariam actiuam cum absoluta, & extraordinaria tum Dei, tum creaturæ, vt supra notauimus.

In rebus creatis non sunt rationes seminales effectuū supernaturalium.

His positis in forma ad argumentum concedo in rebus creatis non esse rationes seminales effectuum supernaturalium, quia illæ sunt virtutes actiuæ, & passiuæ rebus inditæ ad continuandum naturæ cursum, iuxta leges in creatione positas, vt patet ex eodem S. August. loc. cit. & S. Th. 1. p. q. 115. art. 2. 4. de Ver. q. 5. art. 9. 8. sed nego sequelam, quod non habeant potentiam obedientialem in sensu explicato, quia propter omnimodam subiectionem ad creatorem possunt illi inseruire ad effectus supernaturales producendos, quorum causas, & rationes apud se seruasse dicitur Deus, quia horum effectuum habet in se ideas, seu formas ideales, & exemplares, vt S. Bonau. loc. cit. & decretum æternum causandi illos in tempore; Et sicut præter virtutes seminales creaturis inditas non fiunt opera naturalia; ita neque per rationes ideales fiunt miracula, quæ tamen fiunt præter rationes seminales, vt S. Th. 1. p. cit. ex quo patet.

S. Bonau.

S. Thom.

Ad confirmationem, solum enim vult S. Aug. ep. illa 3. non esse in creaturis rationes seminales miraculorum, quia de se neque possunt, neque poscunt illa producere; sed tota potentia est in creatore, siue ad miracula vti velit creatura, siue non velit, sic tota ratio formandi picturam est in pictore, sed penicillus illi inseruit pro instrumento, & dicitur posse pingere virtute vtentis illo, non autem ex seipso.

Ad alias auctoritates de miraculis humanitatis Christi Domini, & Sacramentorum concursu, patebit quid de illo sentiendum sit infra in propria disputatione: interim respondeo, quòd etiāsi illa non concurrerent vt instrumenta physica, non tamen inferri posset vniuersalis negans potentiam obedientialem actiuam, vt patet ex dictis; Interim satis sit recoluisse quod supra aduertimus ex S. Thoma, huiusmodi locutiones exceptiuas non excludere concursum instrumentorum, sicut neque excludunt causarum secundarum, cum solus Deus dicitur operari effectus illarum, vt apud S. Aug. lib. 3. Trin. c. 5. supra cit. *Quis*, inquit, *attribuit humori emperatam vitis ad botrum, & vinum facit, nisi Deus? qui & homine plantante, & irrigante incrementum dat, &c.* Quis arbusta fronde, ac flore vestit solemniter, nisi Deus? & tamen certum est, quod & vitis natiua virtute trahit, & arbores vegetante facultate, frondibus, ac floribus se conuestiunt. Sed quia in omnibus operatur Deus, dans virtutes, & eas conseruans, ac

S. Augustī.

Cur Deus dicatur solus operari.

Digitized by Google

motus dirigens, tanquam prima cauſa, à qua cæteræ pendent; iccirco dicitur plerumque ſolus operari, quod cum ſuis creaturis operatur. Et quis ea facit, niſi qui dixit, vt hæc terra produceret, & in eodem verbo ſuo quæ creauit, regit, atque agit. Subdit ibidem Auguſt. Quare cum de virga Moyſi in ſerpentem repente conuerſa loquitur, & conuerſionis huius ſolum Deum cauſam facit, in eodem ſenſu planiſſimè interpretaretur, qui ad illud miraculum concurriſſe diceret inſtrumentaliter creaturam; quoniam de illo, ac de naturalibus prorſus eodem vtitur loquendi modo. Quis autem animat quæ que viua naſcentia, niſi qui & illum ſerpentem ad horam, ſicut opus fuit, animauit, &c. At l. 9. de Gen. ad lit. c. 17. Et elementa
S. Auguſt. (inquit) mundi huius corporei habent definitam vim, qualitatemque ſuam, quid vnumquodque valeat, vel non valeat, &c. igitur non ſola cauſa prima, ſed ſecunda etiam cum illa agunt per vim à creatore acceptam.

Ad argumentum reſpondeo, conceſſo antecedente, nego ſequelam; nam ad relationem inter effectum ſupernaturalem, & cauſam naturalem, qua Deus vtitur, ſufficit actio procedens ab illa, vt eleuata: eſt enim ſufficiens fundamentum relationis tam in actiua, quàm in paſſiua potentia obedientiali, quæ & ipſa reſpicit effectum, quem recipit, & ſuſtentat, etiamſi non habeat connexionem cum illo ex natura rei; ſicut neq; potentiæ vitales cum actibus ſupernaturalibus, quos tamen producunt; quomodo autem eleuetur, infrà patebit.

Ad relationem inter effectum ſupernaturalẽ, & cauſam creatam ſufficit actio eius vt eleuatæ.

Ad confirmationem, agit per virtutem propriam, id eſt, per ſuam intrinſecam entitatem, ſed eleuatam, quæ eleuatio poteſt eſſe extrinſeca Dei aſſiſtentia, & decretum, de quo inſtituenda eſt peculiaris quæſtio inferius; nunc ſatis ſit, quod cauſa poteſt reddi potens per conſortium alterius cauſæ, ſine qua nihil poteſt in effectum, tam in vniuocis, quàm in æquiuocis cauſis inferioribus naturalibus, quæ poſſunt adiunctis ſuperioribus, non poſſunt ſine illis ſuos effectus producere, etiamſi vna nihil ſuperaddat intrinſecum alteri. Neque ſequitur quod concurſus Dei reſpondens iſti virtuti ſit naturalis, aut debitus, quia per ſe non eſt ordinata ad effectus ſupernaturales, ſed ſolum eſt apta aſſumi ad illos, vt ſubiacet voluntati Dei. Neque item quod ſit proportionata ſecundum ſe, ſed ſolum vt eleuatur per diuinam, per quam confert aliquid ad effectum, quia attingit totum. Et eadem difficultas valeret contra te, qui dicis intellectum eleuari poſſe ad videndum Deum ſine lumine per extrinſecam aſſiſtentiam Dei in actu primo & in actu ſecundo per concurſum ſpecialem; tunc enim nihil intrinſecum ſuperadditur intellectui, & tamen redditur potens ad videndum, vt Vaſq. ipſe concedit 1. p. d. 46. c. 2.

Creatura concurrit per ſuam entitatem eleuatam.

Inſtabis, quia eadem difficultas eſt de actione, quæ ponitur ad fundamentum relationis prædictæ, quia omnis actio dicit ex ſua natura intrinſecam, & eſſentialem habitudinem ad ſuum principium, ſeu ad potentiam, à qua fluit; ſed nulla actio productiua gratiæ, aut alterius effectus ſupernaturalis, præſertim ſpiritualis dicit habitudinem eſſentialem ad entitatem materialem, vel ad aliam quamlibet naturalem, ergo in nulla iſtarum reperitur potentia obedientialis actiua, à qua manare poſſit talis actio. Maior patet, quia actio vt ſic dicit rationem eſſentialis dependentiæ effectus à cauſa, quocumque nomine deinde appelletur, & quomodocũque diſtinguatur à termino. Minor probatur, quia huiuſmodi actio eſt ſpiritualis, vt proportionetur termino, qui ſpiritualis eſt, ergo non habet vllam connexionem cum principio materiali, nec vllam naturalem proportionem. Ita fere ſibi obijcit Soar. diſp. illa 31. Sexto loco.

Reſpondeo, nego minorem; ad probationem, ſupponit quod res ſpiritualis non poſſit habere connexionem eſſentialem cum materiali, quod eſt falſum: Anima enim rationalis eſt ſpiritualis, & tamen dicit eſſentialem habitudinem ad corpus, cuius eſt forma: & phantaſma inſeruit intellectui agendi ad formandam ſpeciem intelligibilem, & proinde actio iſtius habet connexionem cum illo. Deinde res ſupernaturalis

Res ſpiritualis poteſt habere connexionem cum materiali, & ſupernaturalis cum naturali.

Secundum argumentum, ex ratione effectus ad potentiam obedientialem.

XL. INtet cauſam etiam inſtrumentalem, & eleuatam, ac inter effectum datur relatio; quin & realis dependentia, ergo vel hæc conſurgit ex natura rei, vel ex aliqua mutatione creaturæ operantis: non prima, quia inter effectum ſupernaturalem, & cauſam naturalem, nulla eſt connexio ex natura rei, & proinde neque fundamentum relationis inter ipſa: neque ſecundum quia talis mutatio vel eſſet in re, quæ aſſumitur pro inſtrumento tanquam eleuans, & diſponens ipſum ad agendum; & hoc non poteſt vniuerſaliter contingere per te aſſerentem, quod ſola adſiſtentia extrinſeca omnipotentiæ ſufficit ad hoc vt reddatur potens creatura in actu primo ad effectus miraculoſos: vel eſſet in ipſo effectu, & hæc mutatio non poteſt eſſe alia, quàm ipſa eius productio, & dependentia à creatura: atqui hæc non habet connexionem cum inſtrumento, vel ſi habet, ratione eius effectus refertur ad inſtrumentum, igitur in eo eſt virtus productiua, & non eget virtute alterius, etiamſi cum altero agere debeat.

Confirmatur, quia vel creatura eleuatur per virtutem ſuperadditam, vel ſeipſa ſine additione vlla; non primum per te aſſerentem poſſe per ſolam diuinam voluntatem, & concurſum eius in actu ſecundo: ſi verò dicatur agere ſine additione vlla, ſequitur quod agat per virtutem propriam: quia ſi agit, vel per propriam, vel ſuperadditam virtutem debet agere, ſi ergo nihil ſupperadditur, & tamen concurrit, potens eſt per ſeipſam concurrere, ergo eſt propria cauſa eius effectus, & ei reſpondet naturalis Dei concurſus, quia concurſus reſpondens naturæ virtuti naturalis eſt, ſicut ipſa eſt naturalis. Neque ſatisfit dicendo, quòd illa virtus non eſt proportionata effectui, nec ex ſe æquatur illi, & ideo concurſum eſſe debere ſupernaturalem: nam virtus, quæ confert aliquid ad effectum, non poteſt non eſſe illi proportionata, & ſi non ſit proportionata alicui rationi in effectu, nihil eſt.

pernaturalis habet connexionem essentialem cum naturali: vt patet in actibus, & habitibus infusis, & viæ, & patriæ, qui de sua ratione postulant esse in potentijs naturalibus, tanquam in subiecto, etiamsi ipsis non debeantur, igitur poterit etiam actio rei materialis esse spiritualis per diuinam virtutem, & ab ea pendere essentialiter. Sed tunc est

Tertium argumentum, ex connexione effectus supernaturalis cum sua causa.

XII. ISTud est, quia licet actus vitales postulent fieri, ac recipi in potentijs vitalibus, tamen possunt dari alij effectus supernaturales, qui de sua natura non postulant esse in aliquo determinato subiecto, ex. gratia, vnio hypostatica non magis requirit naturam humanam, quàm angelicam, aut etiam irrationalem; & penetratio duorum corporum nullam habet cum illis connexionem, ergo neque postulant vnam potius actionem, quàm aliam, neque vnum potius instrumentum, quàm aliud, si instrumentaliter produci à creatura possint; cur enim gratia potius ab aqua, quàm ab igne fieri possit, cùm de se à Deo solum sit producibilis, & cum nulla re materiali proportionem habeat? Quo posito sequeretur remanere eamdem actionem mutato principio agente, quia neque terminus eius essentialiter ab illa pendet, neque agens principale indiget instrumento ad illam producendam; Deus enim sine creatura potest producere quod cum illa producit, & multo magis si ea vtatur solum vt instrumento, & postmodum non pendet, cùm nulla sit mutatio in Deo, neque in gratia ipsa, quæ supponitur manere eadem, actionem mutari oportet, quia prius instrumentum agebat, & postea non agit, & prius erat dependentia gratiæ ab illo, & postea non est dependentia, ergo facta est mutatio in actione. Et de facto gratia in fieri pendet à sacramentis per actionem physicam in probabili sententia, de qua infra, eleuante illa Deo, quia est causa principalis, & post productionem incipit à solo Deo conseruari, ergo per diuersam actionem, vt euincit argumentum, & in catholica sententia accidentia ante consecrationem pendent à substantia panis, & vini, post illam non pendent. Hîc explosum volo responsum recurrentium ad complexum, quod mutari asseuerant remanentibus terminis inuariatis; cum enim per ipsos complexum nihil realiter dicat præter terminos, si isti inuariati manent, quomodo variatum sit complexum ab ipsis indistinctum? exempli causa, si manet eadem gratia, idem productiuum eius, nimirum Deus, & idem instrumentum, puta aqua, quomodo complexum, quod nihil est reale, præter ista, realiter est mutatum? Mutata est, inquies, connexio, nempe hoc ab hoc, vel hoc, & hoc, aut cum hoc. Sed connexio ista quomodocumque explicetur, vel est quid realiter, id est nullo cogitante intellectu, idem cum terminis, vel diuersum; si primum manentibus ijsdem terminis realibus, manet idem complexum reale, quia idem non potest manere, & non manere idem realiter: proinde erit hoc ab hoc vt prius: gratia scilicet ab aqua, contra suppositionem; si secundum, nihil potest diuersitatem facere præter actionem, quia omnia alia eodem modo se habentia realiter vt prius illam non faciunt, iuxta axioma, idem inquantum idem, &c.

Non valet responsio recurrentiũ ad complexum.

Respondeo igitur, admisso primo argumento, & sequela eius, nego secundum, ob rationem eius probatam à Soar. t. 3. in 1. p. disp. 9. s. 2. qui per diuersam actionem conseruari à Deo gratiam fatetur post instans productionis, in quo simul concurrit Sacramentum; & hoc conuincit argumentum factum, maiorem habere connexionem productionem gratiæ, vel alterius termini à potentia obedientiali creaturæ manantis cum sua causa, etiam instrumentali, quam habeat terminus ipse cum productione, aut instrumento: potest enim per aliam actionem produci, & sine instrumento, vel per aliud instrumentum; sed actio non potest eadem esse ab alio agente, vel adæquato, vel inadæquato, vel principali, vel instrumentali; quia essentialiter pendet, & seipsa ab isto; alioqui sequeretur, quod ipsa inuariata posset esse per aliam actionem, quia & ab alio agente, atque ita daretur actio ad actionem, & idem esset agens, & non agens; quæ incommoda non apparent in termino, quem certum est esse posse à Deo solo per creationem, qui de facto simul fit à causa secunda, neque in agente, quem possibile est per diuersas actiones influere in eundem effectum, vt contingeret, si Deus se solo inciperet conseruare lumen in aëre, & paulò post vellet rursus, vt penderet à sole, aut ad Angelum, quem solus conseruat, vellet adhibere ministerium alterius in conseruatione, quod est argumento non ita necessariam connexionem habere terminum cum actione, & causa agente, exceptâ primâ, sicut habet actio cum eadem.

Actio essentialiter à sua causa, etiam instrumentali pendet.

Proinde actio instrumentalis creaturæ non est indifferens ad quamlibet motionem principalis agentis, quia est vna, & eadem cum ipsa motione, & illam oportet esse diuersam pro diuersitate instrumentorum, quibus cum causa principali integratur vnum principium agendi,

Quartum argumentum à variis incommodis potentiæ obedientialis actiuæ.

XIII. SEqueretur, quòd formica retinens naturam formicæ non solum transferret montes, sed etiam intelligeret, frueretur Deo, & similia efficeret, quæ sunt ridicula. Potest quidem per potentiam obedientialem passiuam recipere qualitatem aliquam, & virtutem horum effectiuam, sed non immutata illa efficere, quia repugnat creaturam supra suas vires operari, & data potentia actiua obedientiali hoc sequeretur. Ita Philip. Faber disp. cit.

Confirmatur, quia potentia hæc est in aliquo obtemperante imperanti, verbi gratia in equo respectu aurigæ dirigentis, habet enim potentiam actiuam aliquid agendi, sed subordinatam voluntati aurigæ, ergo potentia obedientialis habet in se vim producendi, & non recipit illam ab agente superiori, sed solum producendi hunc,

Digitized by Google

vel illum effectum, hoc, vel illo modo. Neque valet dicere in creatura esse virtutem inchoatam, præter quam requiritur concursus, & auxilium diuinum ad opera supernaturalia, vt docet Soar. nam quæro quid sit hoc auxilium, qualitas ne, vt assignatur à Capreolo, vel motus virtuosus, vt à Caiet. & ab alijs plerisque Thomistarum, à quibus recedit idem auctor.

Respondeo, formicam transferre montem, imò & orbem terræ vt instrumentum Dei principaliter transferentis, non magis esse ridiculum, quàm quòd concurreret ad mundi conseruationem, aut gratiæ, quæ nobilior est vniuersa creatura corporali, productionem; quam enim maiorem virtutem habet aqua ad hunc effectum, quàm formica? & tamen de facto aquam esse instrumentum gratiæ, probabilis sententia est Thomistarum, & aliorum grauium Theologorum; in quo maximè elucet potentia creatoris, non virtus actiua creaturæ, quæ fit potens adiunctione diuinæ. Ad illud de intellectione patebit infra, interim dato quòd actus vitales non possent produci, nisi à potentia propria vitali, argumentum esset à particulari ad vniuersale peccans in Dialecticam.

Ad confirmationem concedo antecedens: nam non minus obedit creatura, etiam muta, & inanima Creatori, quàm equus sessori; sed non oportet ideireo inesse illi vim actiuam, sicut adest virtus motiua equo; sufficit aptitudo ad seruiendum Deo, per virtutem ab ipso additam, licet non inditam; & sic ad quæsitum, quid sit hoc auxilium, respondeo in actu primo esse diuinam assistentiam; in actu secundo esse operationem eius, modo inferius explicando. Plura, & difficiliora objicit sibi Soar. disp. illa 31. & egregiè soluit. Similia obijcit P. Angelus à Monte piloso loc. cit. v. g. quòd admissa potentia ista actiua, sequeretur, nihil esse impossibile respectu diuinæ omnipotentiæ, sicut non est impossibile quamlibet rem in aliam transmutare, stante potentia obedientiali passiua; at multa sunt quæ implicant, & non sunt possibilia diuinæ omnipotentiæ, vt quod lapis videat, oculus audiat.

Deinde in particulari de intellectu, & voluntate, in quibus dicitur esse potentia obedientialis ad actus supernaturales, sequeretur, quòd ille non haberet potentiam ad videndum Deum, sed eam reciperet à lumine, & ita lumen esset, quod per se videret, sicut intellectus per se videt obiectum creatum; at in ordine suo habet intellectus totam actiuitatem ad suos actus tam in patria, quàm in via, quæ hîc dicitur remota, ibi propinqua propter præsentiam obiectiuam essentiæ beatificæ.

Respondeo ad primum, nihil esse impossibile diuinæ potentiæ, quòd in se non repugnet, aut Dei attributis. quæ verò repugnant alterutro modo, non sunt obiectum illius potentiæ, quia illa posse est impotentiæ, vt supra; quæ verò talia sint, dicemus infra, vbi patebit ad exempla lapidis, & oculi.

Ad secundum respondeo intellectum, & voluntatem habere potentiam remotam ad actus supernaturales, non quia non sint præsentia obiecta; sed quia nisi compleantur & eleuentur virtute diuina, nihil possunt respectu actuũ supernaturalium.

Ad sequelam concedo lumine compleri potentiam videndi Deum, quin dicatur lumen videre, sicut non sequitur lumen corporale videre, quia eo iuuatur oculus ad videndum: ad hanc n. denominationem requiritur potentia vitalis, quale non est lumen. Sed hîc occasione argumenti à rerum paruitate, & vilitate ducti.

Confirmatur magis sententia affirmans dari potentiam obedientialem actiuam.

XIV. EX eo quod non sit metienda ex creaturæ conditione, aut præstantia, sed ex omnipotentia Dei, cui plenissimè subijcitur omne ens, quæque potest per minima operari maxima, cum se sola possit omnia quæ vult, quia possibilia solùm vult, qualis est vsus potentiæ obedientialis actiuæ, vt mox confirmo, nam maximè mouet eius impugnatores, quòd incredibile putant, ac ridiculum inesse vim inchoatam minimæ etiam, ac vilis creaturæ ad efficienda maxima, & mirabilia, quæ facere dicitur solus creator in scriptura sacra; sed quia hoc illis damus, facimusque Deum solum causam principalem mirabilium huiusmodi, & aptitudinem tantum instrumentalem ad illi cooperandum creaturæ tribuimus, respondere in primis possemus cum S. Aug. lib. 21. Ciu. c. 7. *Contra negantes miracula veræ fidei, cum Deus sit auctor naturarum omnium, cur volunt nos fortiorem reddere rationem, quando aliquid velut impossibile nolunt credere, eisque redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatẽ omnipotentis Dei, qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest,* vt supra. Sed quia ratio & à diuina omnipotentia repetita minus arridet aduersario eximenti à terminis eius potentiam obedientialem actiuam, & inter impossibilia collocanti, adhuc suppetunt, quę illam paulò attentius considerãti persuadere possint. S. Augustin.

Valet in primis discursus sancti Augustini lib. 50. homil. 32. *Mirati*, inquit, *sunt homines Dominum Deum nostrum Iesum Christum de quinque panibus saginasse tot millia, & non mirantur per pauca grana impleri segetibus terras. Quæ aqua erat vinum factum, viderunt homines, & obstupuerunt, quid aliud fit de pluuia per radicem vitis? Ipse illa fecit, ipse ista, illa vt pascaris, ista, vt mireris; Sed vtraque miranda sunt, quia opera Dei sunt. Videt homo insolita, & miratur; vnde est ipse homo qui miratur, vbi erat, & vnde processit, vnde forma corporis, vnde membrorum distinctio, vnde habitus iste speciosus: de quibus primordijs, de quam contẽptibilibus, & miratur alia, cum sit ipse miratur, magnum miraculũ. Vnde ergo ista, quæ vides, nisi ex illo, quem non vides? Sed vt dicere cœperam, quia tibi ista viluerant, venit ipse ad faciendum insolita, vt & in ipsis solitis agnosceres artificem tuum.* S. Augustin.

Frequens est S. August. in eadem ingerenda doctrina, vt patet ex loco citato, & præsertim lib. 3. Trin. à c. 4. ad 7. vt aduertat lector omnipotentiam Dei non solum in ijs, quę fiunt præter vsitatum cursum, & magnalia, aut etiam miracula dicuntur; sed etiam in ijs, quæ secundum cursum vsitatum, quæ miranda prædicat, licet assiduitate viluerint apud hebetes hominũ

mentes, & non minus, quàm insolita, ad quæ sola aduertenda eriguntur, & mirantur. Vide & tract. 8. in Ioan.

Cum autem in potentia, ac sapientia creatoris in vtrisque operibus multipliciter eluceat: tum verò in eo maximè, quod ex vili materia, & exigua pretiosos, & pulcherrimos educat partus, & efformet, qualis est homo de limo terræ, & fœmina de costa viri, & ex vtriusque luto, ac sordibus posteritas in hanc vsque diem, & non solum in homine, quod est animal rationale, & hoc cæteris animalibus excellentius, atque præstantius, sed in qualibet minutissima muscula (ait S. Augustinus l. 22. Ciu. c. 24.) bene consideranti stuporem mentis ingerat, laudemque pariat creatoris.

S. Augustinus.

Idem est de plantis, ac seminibus, ex quibus mole exiguis enascuntur arbores proceræ, flores, & fructus vberes, ac præstantes, quod aduerti voluit Christus Dominus in grano sinapis, Matt. 13. & Luc. 13. quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. In semine ergo illa omnia fuerunt primitus non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiaque causaliter; ait Augustinus lib. 5. Gen. ad lit. c. 24. de omni arbore; quid enim ex arbore illa surgit, aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum, atque depromptum est? Si quis igitur ex mole metiretur virtutem seminis, hallucinaretur: ita qui virtutem obedientialem creaturæ ex magnitudine, vel paruitate eius pensandam censet, errore decipitur, quia præstantiam artis in instrumento requirit, quæ tota in artifice posita est æque instrumentorum non indigo, ac perito instrumenta facere, ac vti pro libito. Nimirum voluit Deus ad hæc etiam occulta sapientiæ suæ nos assurgere ex visibilibus istis. *Et cum plures sint* (ait Orig. homil. 3. in Cant.) *in grano sinapis virtutes, quæ rerum cœlestium imagines teneant, vltimus, & extremus eius vsus est iste, qui habetur apud homines in ministerio corporali, ita etiam in reliquis vel seminibus, vel virgultis, vel herbarum radicibus, vel etiam in animantibus intelligi potest, vt vsum quidem, & ministerium hominibus præbeant corporale, habeant autem incorporalium rerum formas, & imagines, quibus docere anima possit, & instrui ad contemplanda etiam ea, quæ sunt inuisibilia, & cœlestia, &c.* Inter hæc autem computantur quæ pertinent ad potentiam obedientialem, vt indicant verba Augustini supra recitata ex lib. 9. Gen. ad lit. c. 18. *Habet ergo in seipso abscondita quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inserit, &c.* Vbi distinguit potentiam obedientialem à naturali, per hoc quod hæc indita est rebus, & concreta, vt quod illa herba germinet, illa ætas pariat, homo loquatur, non autem pecus; illa verò indita quidem sit, ne dicatur ex rebus facere, quod ex eis fieri non ipse præfigeret, & esse seipso potentior, sed alio modo indita est, vt non hoc haberent in motu naturali, sed in eo, quo ita creata essent, vt eorum natura voluntati potentiori amplius subiaceret, quale est quod lignum aridum sine radice & aqua repente floreat, & fructus pariat, &c. ac proinde quod res vilissima, & minima inseruire illi possit ad maxima. Sic enim licet arguere, si Deus potest in tam friuolis granis, vt loquitur S. Ambros. tom. 1. serm. 1. tantum calorem, virtutemque concludere, vt sint causa principalis effectuum, quos non crederemus, nisi experiremur, cur non possit & illis hoc impertiri, vt sint causa instrumentalis sibi subseruiens in ijsdem, & alijs, quos non experimur.

Origen.

S. Augustin.

S. Ambros.

Confirmatur sequela ex eodem S. Augustino ep. 49. q. 1. *Nam & ego*, ait, *& mecum quicumque inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intelligere molimur, aut non minus, aut amplius admiramur in vno semine tam paruulo grano omnia quæ laudamus in arbore tanquam licita latuisse, quàm mundi huius tam ingentem sinum, quæ de corporibus humanis dum diuabuntur, assumit resurrectioni tota & integra redditurum.* Sicut ergo non est magis mirabilis resurrectio mortuorum, quàm virtus tam parui grani in arbore se se explicans; ita neque magis mira, vel incredibilis videri debet aptitudo ad inseruiendum Deo ad opera supernaturalia, quæ mirabiliora non sunt, quàm resurrectio mortuorum.

S. Augustin.

Secundò, ad ostendendam Deus potentiam, ac sapientiam suam in mirabilibus, quæ præter vsitatum naturæ cursum operatus est, assumpsit sæpius instrumenta inepta, & infima, immo & quæ viderentur repugnantia effectis per illa productis; non igitur opponenda est paruitas, ac vilitas creaturæ ad potentiam obedientialem impugnandam. Antecedens patet in commemoratis exemplis aquæ per lignum amarum, & salem dulcoratæ, vlceris pertinuum massam sanitati restituti, & similibus supra cõmemoratis.

Vtitur Deus instrumentis etiam ineptis.

Quò pertinent quę habet Apostolus 1. Cor. c. 1. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia elegit Deus, vt ea quę non sunt & ea, quæ sunt, destrueret, &c. cuius consilij rationem reddens Augustinus lib. 22. Ciu. c. 5. *Qui propterea*, inquit, *numero exiguo Apostolorum videlicet ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testibus multo mirabilius diuinitas seipsa persuasit.* Confirmatur ex ijs, quæ habet Philo lib. 1. de vita Mosis, vbi de animalculis, quæ ad vindicandam Ægyptum suscitauit Dominus. Homines quando bella gerunt, auxilia sibi adsciscere potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant, Deum verò omnipotentem, & nullius egentem opera, si quando vult tanquam instrumentis quibusdam vti, ad exigenda supplicia, non valida eligere, quorũ robur non curat minime, sed vilia paruaq; instruere inuictis viribus.

1. Cor. 1.

Philo.

Tertiò, duobus modis ait S. Th. in 3. dist. 3. q. 2. art. 2. c. *Contingit esse miraculum, vnomodo, quando neque agens est naturale, neque materia naturaliter proportionata ad talem formam, vt patet in formatione hominis de limo terræ; Alio modo quando materia est naturalis, sed agens est supernaturale, vt quando aliquis miraculosè à febre sanatur: corpus enim hominis est naturalis materia sanitatis, quæ per supernaturale agens conferitur illi, &c.* Sicut igitur improportio materiæ, ex qua fit aliquid, non obstat potentiæ obedientiali passiuæ, ita neque obstare

S. Thom.

Digitized by Google

debet improportio inſtrumenti, per quod fit potentiæ actiuæ, ſiquidem in vtraque ratio facti eſt potentia facientis.

Confirmatur, quia vniuerſaliter in miraculis non attenditur proportio vllius cauſæ, vel conditionis cum effectu miraculoſo, ſed ſola voluntas, & potentia operantis Dei, igitur neque in cauſa inſtrumentali requiri debet, ſi Deus aliqua vti velit ad miracula efficienda. Sequela patet à paritate, & quia quælibet creatura eſt de ſe æqualiter improportionata operationi miraculoſæ, ſiue illa ſit excellentioris naturæ, vt Angelus, ſiue ignobilioris, vt formica.

Varij gradus miraculorũ.

Antecedens probatur ex allata ſuperius diuiſione graduum miraculorum ex S. Th. 1. p. q. 105. art. 8. quorum primus eſt quantum ad ſubſtantiam facti, vt penetratio corporum. Secundus quantum ad ſubiectum, in quo fit, vt reſurrectio mortuorum. Tertius quantum ad modum, & ordinem faciendi, vt repentina curatio infirmitatis. In ijs omnibus non eſt alia proportio, vel ratio effectus reſpectu creaturæ concurrentis præter ſubiectionem eius ad omnipotentiam Dei.

S. Thom.

Miracula ſũt vel ſupra, vel præter, vel contra naturam.

Immo eſt improportio, quia vt diximus ex eodem S. Th. in 2. d. 18. q. 1. art. 3. c. miracula vel ſunt ſupra naturam, quia hæc non poteſt in ſubſtantiam facti, vt diuiſio maris rubri, ſuſcitatio mortui, &c. Vel præter naturam, quia præter eius operationem fiunt iuſſu diuino, etiamſi quoad ſubſtantiam fieri à natura poſſint, vt productio ranarum in multitudine alias non viſa in Ægypto. Vel contra naturam, quando in re eſt aliquid contrarium ei quod fit, & manet dum fit, vt ſi graue moueatur ſurſum, virgo pariat, &c. In ijs improportio ſtultum eſt argumentum ad improbandam potentiam obedientialem in vniuerſum, ergo etiam paruitas, aut vilitas creaturæ debile eſt argumentum ad impugnandam potentiam obedientialem actiuam creaturæ, cum ſit potius ad commendandam potentiam, & ſapientiam creatoris vtentis illa non ſolum vt materia, ſed etiam vt inſtrumento ſibi cooperante.

Quartò, quando quidem aduerſarios male habet, quod formica, vel granum milij ſit inſtrumentum, quo Deus vtatur ad mouendum montem, vel mundum, rogo, quid eſt facilius mouere montem, vel gratiam producere? reſpondent, quod hoc ſecundum, quia gratia per illos producitur creationè, quæ longè difficilior eſt, & ſupra creaturæ vires omnimodè, non autem motus. Atqui gratiam produci per aquã, & Sacramenta inſtrumentaliter, ac phyſicè, probabiliter aſſeri à Thomiſtis, & alijs multis inficiari non poſſunt, ergo neque quod mons moueri poſſit à formica vt inſtrumento Dei.

Vilitas, vel paruitas creaturæ nõ obſtat potentiæ obedientiali.

Deinde ſi creaturæ paruitas, vilitaſque pro argumento valido illis ſunt negandi potentiam obedientialem actiuam, eiuſdem magnitudo, ac nobilitas ſint pro ratione concedendi. Inferuiat ergo Angelus Deo vt inſtrumentum non vitaliter concurrens, ſed mortuo modo, quo concurreret lapis ad mouendum montem, vel alium effectum ſupernaturalem efficiendum: ſi hanc reſpuant hypotheſim, nil ipſos iuuat creaturæ vilitas, quia nobiliſſimus Angelus eſt; ſin admittant, non maior eſt aptitudo in ſubſtantia Angeli ad vſus ſupernaturales, quàm ſit in formica, ergo præſtantia, vel vilitas inſtrumenti nihil facit ad potentiam obedientialem actiuam: quia omnis creatura tam ſublimis, quàm infima æquè potens eſt ex ſe ſupernaturaliter operari, & æquè potens Deo cooperari, ſi abipſo eleuetur, cuius voluntas omnipotens eſt.

Dices, vim argumenti non in eo poni, quòd creatura ſit nobilioris naturæ, vel ignobilioris; ſed in eo potius, quòd nulla habeat poſitiuam potentiam etiam inchoatam, & remotam ad effectum ſupernaturalem, quod facilius ſuadetur de minima, & viliſſima, vt inde arguatur ad excellentiſſimam, cum ſit omnium quoad hoc eadem ratio, & impotentia.

At ego vice verſa ſumo mihi exemplum à nobiliſſima, de qua non poteſt afferri ratio vlla ſuadens, quod implicet contradictionem, vt aſſumatur à Deo pro inſtrumento operis ſupernaturalis, vt inde arguam à paritate de qualibet creatura, etiam minima, & vili, quòd eleuari poſſit virtute diuina ad cooperandum inſtrumentaliter, ſiquidem eodem modo poteſt de illa diſponere Deus; ac de nobiliori qualibet, cùm in nulla ſit maior aptitudo vel exigentia ad operandum ſupernaturaliter, ſed ſolum ad cooperandum iuxta eleuationem, qua poſita ſi creatura cooperatur in actu ſecundo, ſupponitur potens in actu primo remotè per ſuam entitatem naturalem, proximè per eleuationem.

Neque hoc magis videri debet mirum, quàm quòd imperante Deo contraria ſuæ virtuti multa agentia naturalia produxerint, producantq; in dies, vt ex ſupra numeratis à ſcriptura ſacra didicimus; talia ſunt quod ignis exardeſcat in aqua: quod lignum amarum, aut ſal vndas dulcorent: quod durus ſilex latius vberes effundat, & ſimilia, quæ mirabiliora videntur, quàm quod Deus medio lapillo, vel formica vti valeat, vt inſtrumentis, ad mouendum montem, quod aduerſarijs videtur incredibile.

In vniuerſum pro ſolutione argumentorum contra hanc ſententiam inſeruit primò inſtantia de potentia paſſiua obedientiali admiſſa ab aduerſarijs, contra quam non pauca militant æquè ac contra actiuam, & eadem ratione ſatisfit illis ac iſtis, vt dixi ſuprà. Secundò, diſtinctio creaturæ, quę vel conſideratur abſolutè ſecundum proprias qualitates, ac virtutes, vel reſpectiuè, vt ſubiacet diuinæ omnipotentiæ habenti totam virtutem principalem. Tertiò, conſequentur animaduerſio fallaciæ argumentorum, quæ vtplurimum procedunt à ſenſu diuiſo ad ſenſum compoſitum; & remouere conantur à creatura ſimpliciter, & abſolutè conſiderata, quæ illi conueniunt ſolum coniunctim cum potentia creatoris volentis illam aſſumere pro inſtrumentis: ſic enim poſſunt quæ ex ſe non poſſunt, ſicut ſerra, vel ſcapellum in manu artificis operantur, quæ ex ſe operari nequeunt; vnde & à S. Th. 3. p. q. 13. 2. anima Chriſti conſideratur ſecundum ſe, & ſua intrinſeca, & vt inſtrumentum Verbi. Quartò eſt inſtantia in potentijs vitalibus intellectus, & voluntatis, quæ eliciunt, & recipiunt actus ſupernaturales eleuatæ per diuinam virtutem ſupra propriam, ſiue deinde voces inſtrumenta, ſiue cauſas principales, de quo infrà.

S. Thom.

Digitized by Google

Quintum Argumentum à comparatione potentiæ actiuæ ad passiuam.

XV. CVilibet enim potentiæ actiuæ respondet potentia passiua, & vice versa, alioqui esset frustra: & ideo dicit Com. 9. Metaphys. comm. 11. quod non est aliqua potentia passiua, cui non respondeat actiua, ait S. Th. de Verit. q. 18. art. 2. c. Et idem habet de Potent. q. 1. a. 2. & de virt. q. 1. art. 10. 13. docet quod ordo, & differentia potentiarum passiuarum in eodem passiuo, & secundum ordinem potentiarum actiuarum eis correspondentium: ergo si datur potentia actiua obedientialis, etiamsi remota distincta à Dei omnipotentia, oportet dari etiam passiuam illi respondentem; sed hæc non datur, primò quia esset potentia proxima, & immediatè receptiua, & ita diceret ordinem ad effectus supernaturales, quorum est receptiua, idque non per aliquid à se distinctum, sed per suam entitatem naturalem; at nulla potentia naturalis per se respicit terminum supernaturalem. Deinde cum paucissimi sint effectus miraculosi, atque adeo paucissimæ creaturæ inseruiant Deo pro ipsis, frustra darentur tot potentiæ, quę vix aliquando reducuntur ad actus. Tertiò vtraque potentia in sua entitate naturalis, exigeret concursum naturalem Dei, & ordinarium.

Confirmatur, quia dicitur potentia obedientialis respectu eorum, quæ superant vires naturæ, & proinde quorum non est potentia in natura, neque actiua, neque passiua, quia nihil agit quod non potest agere, neque recipit quod non potest recipere, non ergo datur talis potentia.

Respondeo primò, propositionem illam intelligi de potentia naturali, non de supernaturali, de qua nō agit Arist. vt D. Th. de Potent. q. 1. art. 2. 1. at obedientialis completè sumpta, tam actiua, quàm passiua sunt supernaturales in sensu explicato; incompletè verò vt dicunt solam entitatem, creaturæ non sunt potentiæ, quia neque ordinatæ ad actus supernaturales abstrahendo à potentijs vitalibus neque respicientes illos vt sibi debitos. Secundò respondeo quia remotè tribuitur etiam illis nomen potentiæ, vt subiacent potentiori voluntati Dei, ideo potentiæ obedientiali passiuæ respondet obedientialis actiua, & vice versa, nec vna sine altera potest concipi; si enim aqua ex. gratia, eleuari potest ad abluendam animam, & anima per illam potest ablui, sed per potentiam Dei; atque ita potentiæ obedientiali passiuæ animæ respondet actiua principalis Dei, & instrumentalis aquæ ad eandem supernaturalem effectum eleuatæ.

Ad primam probationem in contrarium respondeo, potentiam passiuam esse immediatè receptiuam, sed non dicere ordinem ad effectus supernaturales, quia non sunt illi debiti, neque ab ipsa requisiti. Ad secundam nego esse frustra tot potentias, quia potentia dicitur esse frustra, quæ non reducitur ad actum sibi debitum vt complementum, qualis non est supernaturalis, vt S. Bonau. in 1. d. 43. a. 1. q. 3. vel quia frustra dicitur, quod non attingit finem, ad quem est, vt S. Th. 1. p. q. 25. 2. 2. potentia autem obedientialis non ordinatur ad actum supernaturalem, considerata secundum entitatem creaturæ, tanquam ad aliquid debitum naturæ suæ. Ex quo patet ad tertiam, nam potentia hæc, vt se tenet ex parte creaturæ non differt ab ipsa, & ideo non alium exigit concursum ordinarium, quàm qui ex communi lege prouidentiæ diuinæ ipsi debetur.

Ad confirmationem respondeo, potentiam obedientialem completè sumptam esse respectu eorum, quorum non est potentia proxima in natura, sed remota, quæ fit proximè per potentiam diuinam modo inferius explicando, ideo nego sequelam, quod non detur talis potentia actiua, & passiua.

S. Thom.

Potentiæ obedientiali passiuæ respondet obedientialis actiua.

Quid dicatur esse frustra. S Bonau. S. Thom.

Refertur nouus modus impugnandi potentiam obedientialem actiuam.

XVI. PRo illo aduertunt Theologi quidam recentiores potentias naturales ita determinatas esse ad actus suæ naturæ conuenientes, & ab illa per se intentos, vt tamen ex consortio aliarum causarum producere possint alios non per se intentos; sed per accidens, & secundarios, qui præternaturales nominantur: sic ex varia insitione surculorum arborum diuersarum innominatæ speciei nascuntur fructus, & innotescit nobis, quid valeret insitio, vt alterius generis lignum radice propria poma portaret aliena, & coalescente vnitate cum sua, vt loquitur Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 16. & promiscua seminum iunctura, hybridas, id est fœtus à progenitoribus speciei differentibus enatos; vt patet in Lyciſca, in mulo, in Leopardo, & similibus. Inter has causas connumerant intellectum sua natura ordinatum ad cognitionem veri, qui tamen ex varijs accidētibus obnoxius est erroribus multis; sed error non intenditur per se à potentia, cum non sit illi bonus, vt S. Th. q. 5. de mal. art. 2. comparans rubigini in ferra, quæ ex necessitate materiæ, & non ex intentione artificis contrahitur: sicut neque effectus supra dicti à natura per se intenduntur: propterea neque ab ipsis specificantur potentiæ, neque dependent; quia quamuis essent impossibiles, adhuc tamen consisteret ipsarum essentia, contra quam eueniat in actibus primarijs, & per se intentis, à quibus specificantur, & pendent potentiæ. Dicunt igitur potentiam obedientialem istarum facultatum nihil esse aliud, quàm perfectionem productiuam actuum naturalium, ad quos per se ordinantur, quatenus præterea secundariò se extendit ad supernaturales cum consortio agentis superioris, & in nulla re dari potentiam obedientialem actiuam, si sua innata virtute nequeat attingere effectus supra naturam cum eodem consortio probant.

S. August. S. Thom.

Primò, quia congruentior est locutionibus scripturæ, Patrum, & conciliorum tribuentium virtuti diuinæ opera supernaturalia, & seruat analogiam agentium, & actionum naturalium.

Secundò, quia hic dicendi modus vitat plura incommoda, quæ afferuntur in argumentis contra potentiam obedientialem actiuam aliter explicatam; & illud in primis, quia admissa potētia obedientiali actiua in sensu aduersariorū,

Digitized by Google

ſequitur dari prædicatum aliquid eſſentiale in rebus omnibus creatis habens connexionem cum aliquo effectu, qui tamen illi non ſit connaturalis, aut conueniens naturaliter, quod eſt abſurdum; nam prædicatum illud eſſentiale eſt naturale rei, cuius eſt prædicatum, igitur effectus illi reſpondens, & propter quem eſt, oportet eſſe naturalem, ſeu naturaliter conuenientem; nullum enim ens naturaliter ordinaliter ad aliud, vel naturaliter connectitur cum alio ſibi naturaliter non conueniente, quia connexio naturalis eſt quædam conuenientia naturalis, nemo autem ſane dixerit viſionem beatam naturalem eſſe intellectui. Quod autem potentia obedientialis prædicatum ſit eſſentiale, patet, quia per illud arguitur differentia ſpecifica inter res creatas, verbi gratia inter animam rationalem, & lapidem; quia illa, ſiue intellectus eius eleuari poteſt ad viſionem beatam, hic verò nequaquam; eleuabilitas autem ineſt illi, quia eſt imago Dei, vt S. Aug. ſupra; & ſi non adeſſet, non eſſet intellectus eiuſdem ſpeciei, atque nunc eſt, ergo eſt prædicatum eſſentiale; nam omne prædicatum faciens differe eſſentialiter vnam rem ab alia, eſt ipſi eſſentiale.

Tertiò quia non multiplicat entia ſine neceſſitate, etiamſi multiplicitatem virtutum à Deo poſſibilium non tollat, quia vbi potentia prædicta in natura non inuenitur, quæ poſſit cum ſuperioris cauſæ conſortio effectum ſecundarium producere, ſi velit Deus ab illa produci, infundere poteſt qualitatem actiuam, per quam res reddatur potens agere de non potente.

Quartò quia per hunc modum ſatisfit pluribus difficultatibus, & illi præſertim, cur non poſſint aliæ potentiæ vitales, v. g. viſiua, aut entia inanima eleuari ad producendam viſionem beatam per potentiam obedientialem; reſpondetur enim hoc prouenire ex determinatione, & natura talis virtutis productiuæ, quæ non poteſt cum cuiuslibet cauſæ conſortio producere tertium effectum indeterminatè: ſed talem, id eſt magis proportionatum naturæ ſuæ, vt patet in exemplis allatis ſeminum & plantarum, & animalium: ſicut enim ex ſeminibus diſparatis plantarum, & animalium ex gratia non poteſt viuens vllum produci, ſed bene ex habentibus aliquam proportionem in genere propinquiori, ita ex creatura qualibet indifferenter non poteſt produci effectus ſupernaturalis, ſed aliquis determinatè habens proportionem in genere propinquiori, vt habent actus ſupernaturales cum intellectu, & voluntate.

Hic dicendi modus parum diſcrepat à prima ſententia ſuperius relata, quæ negat abſolutè omnem potentiam obedientialem actiuam, etiamſi in explicatione diſcrepet.

Reijcitur ex multis capitibus.

Diſplicet primò, quia nimis arctat infinitam Dei potentiam, dum eam metitur regula finitarum cauſarum, quarum nulla plenum habet dominium in alteram, vt de ea diſponere liberè queat, aut ſapienter nouerit, ſicut habet Deus, in cuius manu tota creatura eſt, vt lutum in manu figuli, Hierem. 18.

Hierem.

Retorquetur argumentũ.

Deinde quia totum argumentum retorqueri poteſt contra doctrinam de potentijs vitalibus, quæ ſine conſortio cauſæ ſuperioris non poſſunt elicere actus ſupernaturales; poſſunt autem vnitæ illi; nam potentia obedientialis eſt prædicatum eſſentiale, & diſtinctiuum ab alijs, quæ non poſſunt eleuari ad actus vitales ſupernaturales, & tamen actus iſti non ſunt naturaliter conuenientes, aut debiti naturæ. Et idem eſt de potentia paſſiua in vniuerſum, vt paulò poſt, ergo à prædicato eſſentiali quouis modo conueniente ſubiecto non valet illatio ad effectum ſupernaturalem, tanquam naturaliter conuenientem: poteſt enim prædicatum eſſentiale eſſe remotum, & indifferenter ſe habere ad effectum non debitum, quia determinatio ad illum pendet ab extrinſeco, ſicut indifferenter ſe habet genus ad inferiores differentias. Et ita contingit in potentia obedientiali, vt ſe tenet ex parte creaturæ; hæc etenim remota eſt, & non poſtulat naturaliter reduci ad actum, ſed ſi reducatur per Dei voluntatem, effectus eſt ipſi connaturalis, quatenus concurrit inadæquatè ad conſtituendum vnum integrum principium operationis ſupernaturalis.

Tertiò quia locutionibus ſcripturæ, & Patrum videtur aduerſari, quarum proprietati iuxta communem ſignificationem verborum in vſu & placito hominum conformare ſe profitetur; nam tantum abeſt ex ſcriptura haberi, quòd potentia obedientialis ſit potentia rei naturalis, quatenus vnita cauſæ ſuperiori producit effectum tertium proportionatum, licet ſecundarium, vt eam agnoſcat in potentijs eiuſdem rationis minus aptis ad iuuandum ſe inuicem, & producendum effectum proportionatum vtrique; nam ignis admixtus aquæ Sap. 16. & 19. citatis inualeſcebat ad vltionem impiorum, vt maius appareret miraculum; & ſcriptor ſacer non ad naturas rerum recurrit, tanquam ad cauſam facti contra naturam ipſarum; ſed ad Dei potentiam, & dominium, cui ſubſeruit omnis creatura, vt ſupra retulimus.

Non eſt cõformis locutionibus ſcripturæ, ac Patrum.

Quod ſi dicas hoc factum eſſe per qualitatem ſuperadditam igni: in primis ſcriptura huius non meminit; deinde elementa tantum paſſiuè ſe habuiſſent, recipiendo illam virtutem, quod ægrè congruit cum verbis ſacris, in ſe enim elementa dum conuertuntur, &c. agreſtia in aquatica conuertebantur, ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem, &c. Quod enim mirabile erat in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat; Et ſimilia illis capitibus numerata, & ſupra à nobis expenſa, ex eo quod recenſeantur vt admirabiliſſima, & per verba ſignificantia actionem, quæ ſi denegetur elementis alioqui de ſe ineptis, & ad contrarium propenſis, ceſſat cauſa tantæ admirationis, quantam ſcriptura ingerit: & paſſio ſolum adſtruitur, vbi illa inualeſcentem virtutem agendi aduerti impenſè poſtulat à legente: & ideo verba repetit ſine ambiguitate illam reſonantia, quibus vis infertur, ſi pro paſſione ſumantur, omni prorſus adempta actione, vt ſenſus ſit, Ignis in aqua valebat ſupra naturam ſuam, id eſt ignis patiebatur aliquid, quem plus exarſiſſe in aqua ſcriptura obſtupeſcit, & cauſam tandem in dominium creatoris, & ſuruitutem creaturæ rejicit. Quod ſi verba ſacra in propria ſignificatione ſunt accipienda, quando ratio non cogit contrarium, iuxta regulam Auguſtini receptam à Theologis, præſertim à Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 4. ſect. 5. quanto magis illæſa ſeruanda à ſenſibus aduerſantibus, quales ſunt in propoſito

Sapient. 5.

Verba ſacra in propria ſignificatione accipienda.

pati pro agere, valere supra virtutem, & non habere virtutem? cum nulla ratio obstet, quominus dicantur verè elementa deseruisse factori suo, faciendo quod ille iubebat, & ipsa facere non poterant præcisa iussione.

Quartò in particulari de actibus supernaturalibus intellectus, & voluntatis ex scriptura habemus locutiones significantes actionem, vt sunt videre, credere, sperare, diligere; ex Trid. citando sæpius, quod voluntas, seu liberum arbitrium non se habet merè passiuè, vt inanime aliquid in consentiendo; ab eodem tamen loc. sup. cit. requiritur gratia, sine qua nemo credere, sperare, aut diligere potest, vt oportet ad salutem; Et ex Viennen. in Clement. ad nostram de Hæret. in 6. intellectus creatus per vires naturæ non potest Deum intuitiuè videre, sed eget ad hoc lumine glo[illegible] eleuante, & confortante potentiam. Quod si vera est doctrina petita ex analogia causarum secundarum, quæ iuxta variam coniunctionem producunt effectus secundarios præternaturales, ita vt intellectus pari modo iunctus lumini gloriæ eliciat visionem beatam, tanquam effectum secundarium, & per accidens, sequitur, quod non agat supra naturam, sed ad summum præter naturam, quia hoc est naturale, per te, potentiæ, vt per accidens iuncta alteri, cum qua iungi non postulat, producat effectum tertium, & in hoc tantum differt ab alijs agentibus naturalibus, quod vniri non possit causæ supernaturali, sicut illæ vniuntur naturalibus; at verò suppositâ vnione, ita se habeat ex parte sua ad effectum supernaturalem, sicut illæ ad naturalem; hoc autem durum est, quia quicquid in effectu supernaturali reperitur, est supernaturalis entitas, quam non attingit vis naturæ, nisi per virtutem ordinis supernaturalis, à qua eleuatur.

Tridentin.

Viennens.

Intellectus in visione beata agit supra naturã, & non præter naturam

Quintò in vniuersum quodlibet instrumentum, siue animatum, siue inanime, siue sit agens totale in suo genere, siue partiale, si sit physicum, concurrit efficienter physicè ad effectum causæ principalis, cui subseruit: sed creatura quælibet potest esse instrumentum Dei physicum ad effectus supernaturales, ergo & physicè concurrere. Maior patet; Minor probatur, quia non ostenditur repugnantia, vt apparebit ex solutione argumentorum huius sententiæ, igitur si concurrit in actu secundo, potens est in actu primo; ita vt non solum virtus diuina sit principium operandi, sed etiam creatura per ipsam sit proximè potens, alioqui non concurreret, nisi posset concurrere, erat ergo apta reddi potens proximè, quod est habere potentiam remotam.

Omne instrumentum physicum concurrit physicè cum causa principali.

Sextò vel supponis creaturam non posse reddi potentem operari supernaturaliter, nisi per affusam qualitatem, & habes contra te omnes nostros pro vtraque sententia citatos validè probantes oppositum, vt infrà dicam; vel non supponis, concedens etiam aliter reddi posse potentem, & habes aduersarios auctores primæ, & hoc commune cum illa incommodum, quod non ostendis quomodo creatura operetur vt instrumentum physicum, si non habet vim saltem inchoatam operandi, quæ compleatur per virtutem superiorem: si illum concedis, nobiscum sentis.

Responsio ad argumentum.

XVII. AD primum ex auctoritatibus supra citatis constat contrarium: scriptura enim, ac Sancti Patres apertè fauent nostræ sententiæ.

Quoad aliam partem ex analogia ad causas naturales petita, hæc, si qua est, pro nobis est; sicut enim causæ naturales instrumentales, siue habeant aptitudinem remotam, siue proximam, concurrunt efficienter cum causa principali, cui seruiunt, & proinde potentes sunt seruire cooperando; ita & creaturæ ex eo quod assumuntur à Deo pro instrumentis physicis, habent potentiam inchoatam seruiendi, & cooperandi, si compleatur.

Ad secundum, cætera incommoda non obstant, vt patet partim ex solutione superiorum argumentorum, partim patebit ex alijs passim soluendis. Ad illud, quod hîc proponitur, primò retorqueri potest ad hominem; habere enim potentiam ad producendum effectum secundarium cum causa superiori, v. g. visionem beatam cum lumine, est prædicatum essentiale intellectus, ergo naturale; ergo visio illi respondens est conueniens naturaliter, sicut fructus innominatæ speciei conuenit naturaliter tali causæ totali, ex bini surculi insitione conflatæ.

Neque valet discrimen, quod illæ sint naturales, lumen autem supernaturale, sed potius auget difficultatem: ita enim intellectus, per te, ex sua natura se habet ad lumen, sicut duo surculi arborum se habent ad inuicem, qui non exigunt quidem inseri vnus alteri, sed si inserantur, poscunt tales fructus; igitur hoc prædicatum est essentiale intellectui posse roborari à lumine, & rursus cum eo producere tertium effectum, qui est visio beata, & sic respectu duorum prædicatorum essentialium, visio erit connaturalis intellectui.

Confirmatur, quia ex hypothesi, quod intellectus non esset capax, & potens cum lumine producere visionem, iam non esset intellectus, nec imago Dei, ratione cuius beatus esse potest ex August. supra, ergo ista capacitas, & potentia est illi essentialis, quin illi sit connaturalis visio.

Secundò respondeo directè ad argumentum: nam prædicatum essentiale rei conueniens est duplicis generis aliud enim ingreditur conceptum primarium, & sine illo intelligi non potest essentia, quale est animalitas, & rationalitas respectu hominis; & hoc à S. Bonau. in 1. d. 3. p. 2. art. 1. q. 3. 2. poniturque triplex, nimirum quod dicit rei essentiam, vt species singularis. 2. Quod est essentia, & constitutione rei, vt materia, & forma, & omnes differentiæ physicæ, & metaphysicæ. 3. Sine quo res non potest esse, nec intelligi esse, vt vnum, verum, bonum, quæ sunt transcendentia. 4. Sine quo nec non potest intelligi habere perfectum esse, vt sunt potentiæ in anima. Aliud est secundarium, sine quo intelligi essentia potest, licet non ita perfectè, vt in homine, quod si capax ægritudinis corporalis, ex eo quod constat quatuor elementis; quod obnoxius erroribus intellectus, & vitijs, ac peccatis, cum sit liber ex parte voluntatis, & seruus quodammodo ex parte sensualitatis, & alia similia, præsertim

Prædicatũ essentiale est duplicis generis.

Digitized by Google

quæ in ſuo conceptu inuoluunt aliquid extrinſecũ; & ideo ad hoc ſecundum genus pertinent prædicata connotatiua, & reſpectiua, quæ conueniunt rei non abſolutè conſideratæ vt in ſe eſt, ſed vt habet connexionem cum aliquo extrinſeco, & ſupponunt eſſe prius, vt fundamentum ordinis, & connexionis; quo modo miſericordia Dei, vt ſignificata hoc nomine, eſt attributum ſecundarium, quia non poteſt intelligi ſine termino, quæ ſunt miſeriæ creaturarum, etiamſi poſſit ſecundum principale ſignificatum in recto, quæ eſt eſſentia diuina, quæ clarè videri poſſet, etiam non viſis miſerijs alienis. Concedo igitur, quod omne prædicatum eſſentiale primi generis eſt naturale: quid enim magis naturale rei, quàm natura, & eſſentia ipſius? ſed de prædicato ſecundi generis diſtinguo; nam vel conſideratur ſecundum id, quod dicit in obliquo, quod eſt terminus, vel connotatum, & ab eo accipit denominationem extrinſecam, quæ poteſt eſſe non naturalis, ſed vel præternaturalis, vel ſupernaturalis, iuxta conditionem rei, à qua ſumitur denominatio: ex. gr. ſurculus pyri conſideratus in ordine ad pomum, cui poteſt inſeri, dicitur potens producere fructum tertium, hæc denominatio duo inuoluit, vnum in recto, quod eſt ſurculus, & ita prædicatum potentis eſt illi eſſentiale, quia eſt eadem ipſius entitas, alterum in obliquo, id eſt arborem pomi, & reſpectu ipſius potentia eſt prædicatum præternaturale; quod ſi conſideretur totum complexum, eſt quid conſtans prædicato naturali, & præternaturali, & non eſt inconueniens, quod illi, tanquam adæquatæ cauſæ reſpondeat fructus naturalis, ſed præternaturalis ſingulis ſingillatim conſideratis, ita in propoſito ſi conſideretur viſio, vt procedens à principio completo ex intellectu, & lumine, eſt naturalis illi; ſi verò comparetur ad intellectum ſolum, eſt illi ſupernaturalis, quia ſupra exigentiam, & vires naturæ; proinde prædicatum potentis videre, ſecundum id quod dicit in recto eſt naturale, & eſſentiale, quia eſt ipſa entitas intellectus, ſecundum id quod dicit in obliquo, nimirum lumen, vel auxilium ſupernaturale, à quo fit, & denominatur extrinſeca, potens ſupernaturaliter non eſt eſſentiale, aut naturale, ſed accidentale, & ſupernaturale, quia non debetur illi, neque ex natura ſua ordinatur ad illud: ſed quia potentia obedientialis completè ſumpta eſt complexum ex naturali, & ſupernaturali: ideo vt ſic eſt connaturale principium effectus ſupernaturalis, quia inuoluit cauſam principalem ſupernaturalem; conſequenter viſio beata non eſt naturaliter conueniens, aut debita intellectui vt habet potentiam obedientialem remotam, & inadæquatam, ſed vt habet completam, & eleuatam per lumen.

Omne prædicatum eſſentiale primi generis eſt naturale

Viſio beata eſt conueniens naturaliter intellectui non ſecundùm ſe, ſed vt eleuato.

Confirmatur tota doctrina allata, quia per te datur potentia paſſiua obedientialis, id eſt receptiua diuinæ virtutis, & effectus: neque tamen debetur illi aliquid ſupernaturale, quo compleatur; & ſi quis ita argumentaretur: potentia hæc paſſiua, ſeu poſſe recipere quod voluerit Deus, eſt prædicatum eſſentiale, & in propoſito poſſe recipere lumen, & viſionem eſt eſſentiale intellectui, quia eſſentialiter eſt creatura ſubiectiua Deo, ergo eſt illi naturale, quia omne eſſentiale eſt naturale: & proinde actus reſpondens huic potentiæ eſt naturalis, cum potentia, & actus ſint eiuſdem ordinis, & ita viſio beata eſſet naturalis intellectui; argumentum hoc non valet; quia potentia obedientialis paſſiua eſt, prædicatum eſſentiale ſecundarium & reſpectiuum, atque adeo complexum ex ſubiecto naturali, & termino ſupernaturali, cui reſpondere poteſt actus ſupernaturalis, alioqui indebitus ſubiecto puro.

Ad 3. neque nos multiplicamus entia, quia potentiam obedientialem inadæquatè ſumptam non diſtinguimus ab entitate creaturæ, & adæquatè facimus complexum ex creatura, & virtute Dei applicata; quam quæſo hîc multiplicitas entium ſine neceſſitate? Ex alia parte cum SS. Patribus, præſertim Auguſtino, à ſcriptura edocto agnoſcimus in eadem creatura plenam ſubiectionem; & in eadem virtute perfectum dominium; quæ per potentiam obedientialem explicamus, tribuentes Deo quæ decent, ac commendant eius omnipotentiam, & creaturæ; quæ exprimunt eius ſeruitutem, ac dependentiam: quod vix præſtet qui negat hanc obedientialem potentiam, niſi verbo tenus.

Ad 4. primò eſt contra te, nam ſi ex natura talis potentiæ prouenit, vt non poſſit indifferenter eum tali cauſa producere quemlibet effectum, ſed aliquem determinatè, ergo hoc prædicatum eſt ipſi eſſentiale, puta intellectui poſſe producere viſionem cum lumine, ergo viſio eſt connaturalis intellectui, vtpote reſpondens prædicato naturali, quale dicis eſſe omne quod eſt eſſentiale. Secundò ne ſic quidem ſoluitur communis illa difficultas; nam intellectus ex gratia, ſecundum ſuam virtutem naturalem tam eſt impotens elicere viſionem beatam, quàm eſt auditus: cur igitur vbi agitur de infinita Dei potentia, non poteſt eleuari auditus, & poteſt intellectus? aut cur non poſſit per exceſſum infinitum potentiæ Dei ſuperari exceſſus finitus improportionis inter viſionem, & auditum, ſi ſuperatur improportio inter qualitatem ſpiritualem, & cauſam materialem, quæ poteſt eleuari ad illam producendam. Alia igitur eſt ratio impoſſibilitatis huius, quàm vel proportio intellectus cum actu ſupernaturali, vel improportio auditus cum eodem, niſi melius explicetur, addendo & rationem, cur non ſit ſuperabilis improportio ab infinita potentia, quam infra meditor afferre: & interim quæcumque illa ſit.

Reſpondeo, directè vel ex hoc capite probari, quod detur potentia obedientialis actiua, nam intellectus ſicut & aliæ potentiæ vitales non poſſunt elicere ſupernaturales actus, niſi eleuentur per virtutẽ diuinam, & eleuatæ eliciunt, igitur per potentiam obedientialem actiuam patet ſequela, quia non per naturalem ſolam, & ex propria virtute, ergo vt eleuatam virtute diuina operatur: hæc autem obedientialis eſt, vt patet ex dictis.

Neque dicas, quod per naturalem eum conſortio ſupernaturalis, quia conſortium hoc eleuat, ac roborat virtutem alioqui inſufficientem, & dat poſſe ſimpliciter, vt certum ſupponit vtraque ſententia. In quo differt à conſortio cauſarum naturalium, quarum vna non eleuatur ab alia; quia omnes habent ſuam virtutem

Vna cauſa naturalis nõ eleuat propriè alteram; ſed bene ſupernaturalis naturalem.

in ſuo genere ſufficientem, vt patet in duobus trahentibus nauim; hîc autem non ita eſt, ſed potentia vitalis eſt omnino inſufficiens, niſi eleuetur à virtute diuina; & ideo non poteſt dici, quod ex ſua virtute coniuncta diuinæ operetur, vt operantur duæ cauſę naturales ſimul iunctæ effectum, quem neutra ſeparatim poteſt.

Denique ſicut ex eo quod multa ſint impoſſibilia, non valet inferre, quod non detur potentia obedientialis actiua; ita neque ex eo quod aliqua ſint poſſibilia diuinæ potentię, & non alia aſſignari debet pro ratione maior proportio cauſæ cum effectu, quia hæc non requiritur vbi tota ratio facti eſt potentia facientis: ſed aliunde venanda eſt poſſibilitas, vel repugnantia rei, de qua quæritur, an cadat ſub potentiam obedientialem actiuam: ſiquidem hæc non eſt impoſſibilium, vt ſupra; & ideo ſi præter intellectum non poſſunt eleuari cæteræ potentię vitales ad viſionẽ beatam implicãtia aliqua eſt in terminis ipſis ex natura rei, ad quam dignoſcendam inſeruient regulæ vniuerſales tradendæ inferius.

Vltimum argumentum ex non implicantia contradictionis.

XVIII. ARguebamus ſupra ad probandum, quod detur potentia obedientialis actiua ex communi effato Theologorum, quod nihil denegandum ſit diuinæ omnipotentiæ, quod non implicet contradictionem, hoc enim eſt eſſe poſſibile, ac proinde intra obiecta diuinæ potentiæ contineri, cui nihil eſt impoſſibile, niſi quod ei ex natura terminorum repugnat in ſe; hinc enim ſequitur, dari potentiam obedientialem actiuam, quia nulla in ea repugnantia apparet, vt ex dictis conſtare poteſt recolenti vim probationum, & ſolutiones argumentorum.

Idem eſt eſſe poſſibile & non implicare contradictionem.

P. Vaſq. multa obijcit contra modum argumentandi à non implicantia.

Sed enim Vaſq. in 3. p. diſp. 132. c. 6. tom. 2. hoc genus argumentandi reijcit vt infirmum; primò in vniuerſum, vbi aperta implicatio non affertur, non eſt melior conditio aſſerentiũ rem eſſe poſſibilem, quàm negantium: & ideo non ſtatim aſſumendum hoc pro argumento, quod ſit poſſibilis: multa enim fatemur omnes eſſe impoſſibilia, in quibus non apparet manifeſta ratio implicantiæ, vt propterea conſultius ſit diuino iudicio relinquere, quod euidenter cerni non poteſt poſſibile, ne ſit, vel impoſſibile poſt diligentem conſiderationem rei in ſe, & comparationem cum alijs, quæ poſſibilia, vel impoſſibilia iudicantur.

Secundò, in particulari de potentia obedientiali actiua non valet hic modus argumentandi, non apparet implicantia ergo eſt poſſibilis: nam apparet aliquid incredibile, puta quamlibet rem indiſcriminatim cuiuſuis generis, & perfectionis ab alia quacumque re minima, aut etiam indiuiſibili, poſſe phyſicè produci; hoc namque minus poſſibile videtur, quam pleraque alia, quæ communiter cenſentur impoſſibilia; vt quod accidens ſpirituale ſit in ſubiecto materiali, vel vice verſa; quod aliena natura à ſuppoſito creato ſuſtentetur, & ſimilia; igitur & quod detur potentia obedientialis actiua, ex qua ſequuntur magis impoſſibilia.

Tertiò, non valeret dicere huic herbæ ineſſe vim ſanatiuam talis morbi, quia non apparet rèpugnantia, ergo neque quod hoc vel illud ſit poſſibile, aut de facto, quia non oſtenditur repugnare; proinde neque in ſacramentis, noque in humanitate Chriſti reperiri potentiam hanc, ex tali argumento probari poſſe contendit.

Quartò, etiamſi poſſibilis eſſet aliqua creatura, cui conueniret talis potentia; non tamen ſequitur quod ſit de facto, aut quod conueniat cuilibet enti creato, quia creatura eſt; ſicut neque ſequitur, quod omnia poſſint eſſe ab alio, vt ab inſtrumento, quia poſſunt aliqua.

Quintò, argumentum ab intellectu & voluntate, quæ operantur per potentiam obedientialem actus ſupernaturales non concludit; de illis enim conſtat nobis, quod habeant potentiam actiuam, & paſſiuam obedientialem, de cæteris non conſtat; & ideo gratis aſſeritur quod ignoratur. Adde quod hinc potius colligitur non dari indifferenter potentiam obedientialem; quia iſtæ eædem potentiæ eleuantur ad effectus determinatos, & non ad omnes, intellectus enim non poteſt elicere actus voluntatis, neque voluntas intellectionem producere.

Sextò, neque paritas potentiæ paſſiuæ locum hîc habet; nam in intellectu quidẽ, & voluntate admittitur, ex eo quod actus ipſarum ſupernaturales, cum ſint vitales, poſtulant eſſe in ipſis, vt in ſubiecto, ſicut & lumen gloriæ, quod infunditur propter viſionem, & ideo oportet eſſe in ipſis potentiam productiuam, & receptiuam, quæ huic exigentiæ reſpondeat. In alijs autem rebus non reperitur talis exigentia, aut connexio: vnde neque potentiæ obedientialis admittendæ fundamentum habemus in illis ad omnem effectum.

Addi ijs poteſt, quod eadem res eſſet potentia effectuum repugnantium, v. g. ignis eſſet productiuus caloris, & frigoris ſaltem remotè, quod implicat, quia nulla res poteſt per ſuam entitatem eſſe deſtructiua ſui etiam remotè, ac proinde neque productiua qualitatum deſtructiuarum.

XIX. Pro ſolutione aduerte, aliud eſſe dicere, nihil denegandum eſſe diuinæ omnipotentiæ quod in ſe non implicet, vel quod ſit poſſibile; aliud non eſſe denegandum quod manifeſtè non implicat. Primum abſque controuerſia certum eſt: quia nihil eſt poſſibile, quod Deus facerè non poſſit. Secundum non item, quia quorundam occulta eſt implicantiæ ratio, quamuis ſit certa implicantia ipſa, & non quicquid impoſſibile eſt, euidenter eſt impoſſibile, vt Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. Quapropter in rei controuerſiæ inueſtiganda poſſibilitate ſeruandum eſt quod monet S. Aug. de Gen. ad lit. l. 5. c. 13. vbi agens de rationibus æternis, & incommutabilibus in verbo, & de operibus, à quibus dic ſeptimo requieuit, quæ ſunt opera creationis, & potentiam obedientialem inuoluunt. *Duo vero illa*, inquit, *remota a ſenſibus noſtris, & ab vſu cognitionis humanæ, prius ex diuina auctoritate credenda ſunt: deinde per hæc quæ nota ſunt, vtcumque noſcenda, quanto quiſque magis, minus ne poſſit proſus capacitatis modo diuinitus admixtus interius, æterniſque rationibus vt poteſt, &c.*

Aliud eſt nõ eſſe negandum dicens potentiæ quod in ſe non implicat; aliud quod manifeſte non implicat.

S. Auguſt.

Digitized by Google

Quoniam igitur ex mirabilibus, quæ per creaturas à Deo facta vetus, ac nouum testamentum sæpe commemorat, potentiam obedientialem haud dubiè colligimus, quidnam illa sit, & in quo consistat, duplici via inuestigamus: primò positiuè per verisimiles rationes argumenta formando; eas autem venamur ex verbis, & sensu scripturæ, adhibitâ Patrum interpretatione; ex collatione, & varia comparatione maiorum, quæ gesta sunt, ad minora, quæ inde possibilia inferimus: ex diuersis similitudinibus rerum notarum, quibus magis clarescunt ignota, vt Aug. serm. 51. de verb. Dom. in euangel. Ioan. & lib. de Trin. præsertim 9. & sequentibus prolixius mysterium Trinitatis explicat, similitudine animæ rationalis, id est potentiarum eius. Secunda via est negatiua, soluendo argumenta, quæ obiiciuntur ad impossibilitatem demonstrandam, vt depulsis nebulis inumbrantibus lucidior appareat veritas, & suasibilior fiat sententia diuinæ potentiæ fauorabilior. Has iniuere vias sancti Patres in mysterijs nostræ fidei comprobandis, & S. August. in primis aduersus hæreticos libris varijs; Hasce terunt scholastici; præsertim vbi de mysterio Trinitatis, & Incarnationis agunt in 1. & 3. Sent. & 1. p. art. ac tertia. Quemadmodum igitur in ijs auctoritas manifesta scripturarum fidem exigit; & vis rationum assensum etiam à proteruo obtinere potest: ita in alijs, quæ de fide non sunt, ac fidei testimonijs fauentibus abundant, & momentis rationum fulciuntur, æquitas postulat ex duabus sententijs, eam præferri, quæ diuinæ potentiæ campum dilatat, non quæ arctat. Talibus igitur subsidijs munitam partem potentiæ obedientialis amicam amplexi, vt pluribus iam argumentis occurrimus, ita propositis à P. Vasq. hoc loco ire obuiam facilius est, quàm forte existiment osores eius.

Dupliciter inuestigamus an sit, & quid sit potentia obedientialis actiua.

S. August.

Ad primum negatur parem esse conditionem vtriusque sententiæ carentis euidentia impossibilitatis; potest enim alterutra pluribus & melioribus niti rationibus intra limites probabilitatis propinquiores euidentiæ: huiusmodi est affirmans dari potentiam obedientialem actiuam.

Ad secundum distinguo antecedens argumenti illius, dupliciter enim potest non apparere implicantia; primò negatiuè, quia soluuntur argumenta, quod valet ad ostendendam negationem euidentiæ impossibilitatis; secundò positiuè, quia cum solutione argumentorum profertur copia rationum probantium rem possibilem, vel euidenter, vel probabilissimè, vti fit in proposito; neque quod assumitur verum est, impossibile videlicet esse rem minimam eleuari ad operationem maximorum; roboratur enim diuina virtute; aut magis hoc esse incredibile, quàm sint exempla ibi adducta; nam pleraque possibilia sunt, vt patebit inferius; si quæ verò sunt impossibilia minus valent ad inferendam impossibilitatem eleuationis prædictæ. Ex quo patet

Apparentia possibilitatis est sufficiens fundamentũ asserendi

Ad tertium: non enim dico esse sufficiens fundamentum asserendi, quod aliquid sit possibile, non apparentiam impossibilitatis; sed requiro apparentiam possibilitatis, aut ex auctoritate, vel ratione multiplici, vel ex vtraque; quarum nulla si adsit, gratis adscribitur herbæ virtus sanatiua, ex eo quòd non appareat repugnantia; neque qui humanitati Christi Domini, & Sacramentis virtutem operatiuam tribuunt, hac forma argumentandi vtuntur, sed positiuè procedunt.

rem possibilem.

Ad quartum, si semel vni creaturæ conceditur potentia obedientialis, non est quòd negetur alijs, quia tota ratio est dominium creatoris, & subiectio creaturæ, ex eo quòd creatura est; & non maior, vel minor eius perfectio, quæ nihil confert ad eleuationem.

Concessa semel potentia obedientiali vni creaturæ, nõ est alijs deneganda.

Ad quintum, negatur assumptum: ex eo enim quòd certum est, vt à pari arguimus ad id, quod controuersum est, constat intellectum, & voluntatem eleuari supernaturaliter ad operandum, cur nequeunt eleuari etiam creaturæ reliquæ? Quia, inquis, cæteræ non habent proportionem cum effectibus supernaturalibus, vt habent intellectus, & voluntas.

Sed iam suprà diximus, proportionem fundatam in natura nihil addere virtutis intellectui, ac voluntati, & ideò ab illa non posse peti disparitatem, vt dicatur, non posse eleuari cætera, quæ proportione carent cum effectis supernaturalibus.

Immo vt aduertit Soar. disp. illa 31. sect. 6. §. Dicunt verò aliqui, paulò ante solutionem primi argumenti; maior quædam videtur repugnantia in actibus vitalibus, quia ex natura sua petunt fieri à principio vitali intrinseco, & tamen per potentiam obedientialem eleuantur intellectus, & voluntas, & complentur per principium non vitale ad illos producendos; quidni igitur eleuari possint aliæ creaturæ ad productionem effectuum non habentium dependentiam à determinato principio creato.

P. Soar.

Valet argumentum ab intellectu, & voluntate ad probandã potentiam obedientialem aliarum rerum.

Ad confirmationem negatur illud colligi, nam intellectus, & voluntas non quatenus sunt agentes immanenter, & causæ principales, sed vt entia possunt eleuari vt instrumenta pura ad omnes effectus inderminatè, ad quos & reliquę creaturæ, cum sit omnium eadem ratio, vt supra Neque hinc infertur, quod intellectus possit velle, & voluntas intelligere, quia huiusmodi actus sunt essentialiter seipsis dependentes à suis potentijs, quod in præsentia supponendum est; quòd si possunt per diuinam potentiam produci ab alio, quàm à proprio principio vitali, potest & intellectus esse instrumentum volitionis, & voluntas intellectionis. Vt vt sit de possibili, argumentum à facto tenet; quod si non repugnat illis eleuari ad actus determinatos supra naturę vires, neque repugnabit alias creaturas eleuari ad operandum supra vires naturales, & non vnum effectum potius, quàm alium, cùm eadem sit ratio vnius, & omnium, vbi de operationibus transeuntibus sermo est.

Actus intellectus & voluntatis si seipsis essentialiter pendent à suis potentijs, nõ possunt non esse ab ipsis.

Ad sextum, iam dixi non ideò præcisè eleuari intellectum, & voluntatem, quia sunt subiectum, quod exigitur ab actibus vitalibus, sed qui sunt creaturæ omnino subiectæ dominio creatoris, quia potentiori sua virtute potest illas eleuare supra vires naturales in creatione inditas, vt immanenter producant actus vitales supernaturales; quod certum est, vnde & deducitur posse etiam transeunter non vitales, quod quidem est controuersum; sed longè probabilius, quàm oppositum.

Intellectus & volũtas ideo eleuari possunt ad actus supernaturales, quia sunt tales creaturæ omnino subditæ dominio creatoris.

Digitized by Google

Ad septimum, non potest esse vna, & eadem res principium naturale, & proximum qualitatum contrariarum in se receptarum, potest esse remotum, & obedientiale, quia magis essentiale est creaturæ subdi creatori, quàm seipsam conseruare.

Magis essentiale est creaturæ subdi creatori, quàm seipsam conseruare.

Instabis, ergo potentia obedientialis est de primario conceptu creaturæ, contra dicta superius, quòd sit de secundario, qualia sunt prædicata connotatiua, & respectiua, quæ supponunt absoluta vt priora; patet sequela, quia prædicata magis essentialia potiori ratione sunt de conceptu primario, quàm minus essentialia.

Respondeo, nego sequelam: quia tam subdi creatori, & esse aptam illi inseruire ad operandum supernaturaliter, quàm conseruare seipsam, seu esse conseruatiuam sui, sunt prædicata de conceptu secundario creaturæ: sed ex ijs duobus magis essentiale assero primum, quàm secundum, & si vtrumque essentiale sit: sicut esse intellectiuum, & appetitiuum est essentiale homini, sed magis primum, quia supponitur secundo, & magis est independens.

Itaque ex hactenus dictis conficitur hîc Syllogismus in forma: Nihil est diuinæ potentiæ denegandum, quod non implicat contradictionem, talis est potentia obedientialis actiua, ergo, &c. Maior est certa. Minor est probata sufficienter; sed quia in ea totus est controuersiæ cardo, sicut & aliarum similium, quæ hoc tomo continentur; ideo paulò altiùs repetenda sunt principia, quæ minoribus propositionibus futurarum argumentationum deseruiant; & regulæ aliquot proponendæ, quibus iuuetur intellectus in iudicio ferendo de re obscurissima, quodnam sit ens possibile, & in se non implicans contradictionem; cum enim Deus dicatur omnipotens, quia potest absolutè omnia possibilia, vt S. Th. 1. p. q. 25. art. 3. perinde erit dicere Deum hoc posse facere, atque hoc esse factibile, seu possibile; vt iccirco dicatur obiectum formale, & proportionatum diuinæ omnipotentiæ esse ens possibile vt sic, quod notat etiam Ferrar. lib. 2. cont. gent. cap. 22.

Deus est omnipotens quia potest quicquid non implicat. S. Thom.

Ferrarien.

Hę verò regulæ eo potissimum collimant hoc quidem loco, vt applicatæ præcipuæ assertioni, cui probandę assistimus, nimirum potentiam obedientialem actiuam non inuoluere vllam repugnantiam, magis ac magisque illam explicent, ac confirment, & aboleant, si obtineri potest ab animis de diuina potentia altè sentientibus; propositionem falsitatis insimulandi sententiam illius amplificationi intentam. Iamque clara luce euidentiæ probabilitatis splendidam, & apud summos Theologos gratiosam minimè aspernentur.

REGVLÆ

Ad cognoscendam possibilitatem, vel repugnantiam rerum.

CAPVT III.

XX. Card. Bellarm.

CArdinalis Bellarm. l. 3. de Euch. c. 2. docet in vniuersum regulam cognoscendi quid Deus possit, sumi posse vel ab ipso Deo, de cuius agitur potentia; vel ab homine illam cognoscente, vel à rebus, quæ per eam fiunt; sed primum nobis hîc non inseruit, quia licet verum sit, illud solum esse possibile, quod Deus cognoscit esse tale, quis tamen intellectus capiat hoc, præter diuinum? Secundum etiam fallax est, aut mancum, quia plura sunt possibilia, quàm possit homo concipere, ex 3. Ephes. & multa esse vera, quæ ab homine non possunt intelligi, docet S. Aug. l. 21. Ciu. c. 5. Ex tertio igitur capite hoc inuestigandum est. Pro quo in primis recolenda doctrina S. Th. de potent. q. 1. art. 3. c. sumpta ex Arist. 5. Metaph. t. 17. possibile, ac impossibile ipsi oppositum tripliciter dici, primò secundum aliquam potentiam actiuam, & passiuam, v. g. homini possibile est ambulare secundum potentiam gressiuam, volare verò impossibile defectu potentię volandi; alio modo non secundum aliquam potentiam, sed secundum seipsum, sicut dicimus possibile quod non est impossibile esse, & impossibile dicimus, quod necesse est non esse, ait S. Th. Tertiò secundum potentiam Mathematicam, quæ est in Geometricis, prout dicitur linea potentia commensurabilis, quia quadratum eius est commensurabile, & diameter incommensurabilis costæ. Impossibile secúdum seipsum dicitur, cuius termini non cohærent, ratione alicuius oppositionis; & vice versa possibile, cuius termini cohærent, & carent oppositione: in omni autem oppositione includitur affirmatio, & negatio ex 10. Metaph. com. 15. quare tale impossibile est quod includit negationem, & affirmationem, & neque est ens, neque non ens: nam affirmatio, seu esse tollit non esse: & negatio, seu non ens tollit esse, & hoc neque directè, neque consequenter potest esse terminus diuinæ actionis, non defectu potentiæ, sed quia in se implicat; idem habet 1. p q. 25. ab art. 3. & in 1. sent. d. 42. q. 2. art. 2. c. & ibidem, S. Bonau. art. 1. q. 3. Quæ doctrina recepta est pro axiomate certo apud omnes; quę verò sint quæ includunt affirmationem, & negationem, & ideo sunt impossibilia, non est in promptu dijudicare, sed ad hoc inseruire potest

S. Augusti. S. Thom. Aristot. Possibile dicitur tripliciter, item & impossibile. In omni oppositione includitur affirmatio, & negatio. S. Thom. S. Bonau.

Prima Regula vniuersalis.

QVam tradit S. Th. q. 25. cit. possibile est id, cuius prædicatum non repugnat subiecto; Impossibile, quod constat prædicato, & subiecto repugnantibus, v. g. hominem esse

S. Thom. Possibile est id, cuius prædicatum nõ

repugnat ſubjecto.

Aſinum: & hoc dicitur impoſſibile abſolutè ex habitudine terminorum, quia includit ſimul affirmationem, & negationem: ex eo enim quod eſt homo, & rationalis eſt; ex eo quod aſinus, eſt irrationalis, id eſt non homo: & ideo nullius potentiæ obiectum eſſe poteſt, aut terminus; quia nec eſt ens, nec non ens: eo quòd affirmatio tollat rationem non entis, & negatio rationem entis; omnis autem terminus potentiæ actiuę eſt ens; & licet ex conſequenti ſit non ens, vt cum ex productione calidi corrũpitur frigus: tamen numquam poteſt terminari ad ens, & non ens, quia nulla potentia eſt ad impoſſibile. Ideo conuenientius dicitur, quòd hoc non poſſit fieri, quàm quòd Deus non poſſit facere, ait S. Th. loc. cit. Contra hanc Regulam arguit Aur. in 1. d. 42. p. 2. diſt. art. 2. quia non diſtinguit inter repugnantiam ſubiecti, & prædicati, & inter implicationem contradictionis: quę enim implicant, fieri à Deo non poſſunt, ſed aliqua repugnantia poſſunt fieri, quicquid namque repugnat definitioni, etiam definito repugnat; & tamen Deus poteſt facere aliqua circa ſubiecta, quæ eorum definitioni repugnat, v. g. quòd accidens ſit ſine ſubiecto, cuius tamen eſſe eſt inęſſe: quod color ſit ſine mixto, grauitas ſine graui, &c.

Aſſignat autem ipſe duplicem modum contradictionis, & repugnantiæ formalis, & ex primo docet oriri impoſſibilitatem ſimpliciter: ex ſecundo impoſſibilitatem in natura, cum quaſtàr poſſibilitas, reſpectu altioris potentiæ. Primus modus eſt, ſecundum quem prædicatum repugnat ſubiecto, quia contradicitur ſuæ definitiuæ rationi, negando definitionem ipſam, vel partem eius eſſentialem, vt ſi dicatur homo irrationalis, & ad hunc reducitur prædicatum tollens effectum primarium à forma, qui dicitur exhibitio formæ, v. g. animam à viuente, albedinem ab albo, extenſionem à quantitate. Secundus modus conſurgit, dum prædicatum includit negationem alicuius exiſtentis in ratione definitiua ſubiecti adiectiuè, vel in obliquo, vt ſi dicatur animal ſpirituale, aut animal non organicum: ſpirituale enim negat corporeum, quod ingreditur adiectiuè, vel in obliquo definitionem animalis, quod non eſt ſine organizatione; ſicut & naſus in definitione ſimitatis; & ad hunc modum reducitur repugnantia, ſecundum quam tolluntur ſecundarij effectus formæ, ſeu proprietates à compoſito, vel accidentia à ſubiecto. Illud ergo eſt impoſſibile ſimpliciter, quod eſt impoſſibile primo modo; quia qui tollit aliquid incluſum in recto, & per ſe primo modo à ſubiecto, tollit ſubiectum: & qui tollit à forma actum primum, tollit formam. Impoſſibile eſt autem idem poni, & tolli, quia impoſſibile eſt idem eſſe, & non eſſe. Conſequenter illud eſt poſſibile in ſe, quo poſito non ſequitur eſſe, & non eſſe, quod ſolum contingit in primo modo, qui propterea ſolus arcetur ab obiectis potentiæ diuinæ.

Repugnantia prædicati à ſubiecto, & implicantia contradictionis non diſtinguuntur.

Sed hæc nihil officiunt doctrinę S. Thomæ, primò quia non diſtinguuntur inter ſe repugnãtia prædicati ad ſubiectum, & implicantia contradictionis, quando vera eſt repugnantia formalis, & eſſentialis, vel mediata, vel immediata; hæc enim ſecũ affirmationem, & negationẽ de eodem, vt patet in exemplo allato de homine, & aſino, vel equo: ex hoc enim quod eſt homo, repugnat quod ſit equus, quia eſſet homo, & non homo, & ideo dicitur implicare contradictionem, quod homo ſit equus: quia prædicatum repugnat ſubiecto, & vtrumque dicitur impoſſibile, quia non differunt niſi ad modum definitionis, & definiti: illud enim implicat, cuius prædicatum repugnat ſubiecto, qualia ſunt definitum, & definitio, & coniuncta ipſis. Secundò, quia actualis inhærentia accidentis in ſubiecto non eſt de eſſentia, & definitione eius, ſed aptitudinalis, vt S. Bonau. in 1. d. 3. 1. p. a. 1. q. 1. ad vltimum; & in 4. d. 12. p. 1. art. 1. c. cum S. Th. 3. p. q. 75. paſſim; propterea Capr. in 1. d. 42. q. 1. art. 2. ad arg. contra quintam concluſionem, ridiculam videri poſſe infidelibus doctrinam iſtam, & fidei incommodam conqueritur; quia ſi actualis inhęrentia eſſet de definitione, & eſſentia accidentis, quî fieri poſſet vnum manere ſine altero, quod in venerabili Sacramento euenire fides docet. Tertiò, impoſſibilitas etiam attenditur in alijs modis dicendi per ſe, & non ſolum in primo, cuius ſolius meminit Aureolus. Quartò, quædam prædicata ſunt adiectiuè conuenientia rationi definitiuæ ſubiecti, quæ tamen implicat ſeparari, v. g. eſſe coporeum animali, quòd includit eſſe ſenſibile; & proinde corporeum. Idem eſt de quibuſdam inuoluentibus in ſua definitione prædicata in obliquo, quæ tamen ſeparabilia non ſunt: relatiua enim exempli gratia inſeparabiliter connectuntur terminis. Denique quod addit ab intellectu cognoſci vt repugnantia, quę pertinent ad ſecundum modum, non eſt ſemper verum; ſuppoſita namque fide intellectus percipit non repugnare ſeparari accidens à ſubiecto; duas quãtitates habere ſe penetratiuè, & vniuerſaliter effectus ſecundarios ſeparari poſſe diuinitus à ſuis formis, etiamſi naturaliter ſit impoſſibile, quæ non eſt repugnantia formalis terminorum, ſed defectus potentię naturalis, vel impedimentum inſuperabile ab ipſa, ſi adſit. Regula igitur à S. Th. tradita veriſſima eſt: ſed in particulari iudicare quæ contradictionem implicant, & quæ non, alterius eſt negotij, ait Caiet. q. illa 25. art. 3. §. circa hanc poſitionem, ſicut & quot modis contingat implicantia, & quidem tam ardui, vt aciem etiam angelicam ſuperet, quæ cum ſupernaturalia planè attingere, & dilucidè penetrare naturæ virtute nequeat, quid in illis repugnans ſit, quidue poſsibile, probabiliter quidem coniectare, ſed clarè aſſequi non valet, etiam vbi nihil poſitiuè obſtare videt: quia non omnia ſibi nota eſſe videt, & ideirco hæret. Quare nec fidei, neque Incarnationis in primis poſsibilitatem euidenter nouerunt Angeli, vt Soar. t. 3. in 3. p. d. 3. ſ. 1. ex Patribus, & Concilijs oſtendit. Verum quidem eſt, eos, qua pollent mentis intelligentia, & gratiæ Donis, ex ijs quæ facta ſunt, multo plura fieri à Deo poſſe ſupernaturaliter, & peruidere illuſtrius, & perſpicacius opinari, ſed & in ijs eſt ſua meta, ac terminus, quoniam latent in abyſſo interminа diuinitatis, cui ſoli perſpecta eſt ſua potentia, & obiecta eius; nobis autem cæcutientibus in vmbroſis peregrinationis noſtræ nemoribus pauca ſunt admodum, quæ illuceſcant de abſ-

S. Bonau. S. Thom. Capreol.

conditis

sconditis in Deo rationibus, præter eas, quæ reducta per reuelationem cortina comparuerunt; in reliquis tantùm coniecturis vtimur, & opinationibus exercemur, cum de rerum possibilitate disputatio incidit, & ingeniorum diuersa sentiétium alteratio. Nihilominus in præsenti non obscurè apparet potentiam obedientialem actiuam extra numerum illorum esse, quę simul inuoluunt affirmationem, & negationem, & sunt ens, ac non ens. Non enim in terminis ipsis est discoherentia vlla; quia creaturam posse obedire Deo in omnibus quæ vult, sunt termini non solum cohærentes, sed necessariò etiam connexi, & omnes affirmatiui, vnde nec mediatè ex illis inferri potest vlla contradictio de eodem, neque hactenus vlla, vel apparens deducta est in argumentis, quæ contra hanc potentiam excogitata sunt, vt ex eorum solutione manifestum est.

Regula secunda.

XXI. Quod dicit carentiam omnis existentiæ est impossibile secundum se.

DEsumi potest ex S. Bonau. in 1. d. 42. a. 1. q. 3. supra cit. Quod dicit carentiam omnis existentiæ est impossibile secundum se, vt præteritum non fuisse præteritum. Ratio est, quia omnis potentia, quæ intelligitur aliquid facere, respicit ens, vel in ratione principij, ex quo fit, vel in ratione termini, qui proponitur in esse, vel ratione vtriusque: ideo de ente potest facere non ens, & vice versa: potest enim annihilare, & potest creare, & potest facere de ente ens, vt de materia formam, & de vtraque compositum, & vnum in aliud transmutare; at de non ente facere non ens implicat, quia omnis actio est vel productio, vel destructio, vel transmutatio, atque ita inuoluit semper aliquid positiuum existens, vel quod producitur, vel quod supponitur, & hoc modo non implicare potentiam obedientialem actiuam, seu Deum vti pro instrumento creatura ad opus supernaturale in terminis non dicit priuationem omnis existentiæ, sed positionem potius, & principium.

Implicat de non ente facere ens.

Addit ibi S. Bonauent. aliquid esse impossibile secundum illustrationem veritatis æternę, & ordinem diuinę sapientiæ, vt quod duo opposita insint eidem secundum idem, quod idem est cum eo, quod ait S. Thom. quando prædicatum repugnat subiecto, sed cum multipliciter contingere possit hæc repugnantia, & aliquando ægrè dignoscitur, modus certus, & clarus assignatur à S. Bonauent. secundum illustrationem veritatis æternæ, quę est intelligentia, & naturale lumen ab æterno sole animis nostris inditum, iuxta illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, per hoc videlicet ex terminis ipsis cognoscitur plura possibilia etiam à rudioribus, vt quod duo, & tria sint quinque, quod duo numeri pares gignunt parem: & in moralibus, quod sit virtus amore digna, diligendi parentes, &c. & contraria ijs iudicant impossibilia, secundum se; At verò neque hoc modo apparet implicantia potentiæ obedientialis, sed potius maxima probabilitas, vt patet ex dictis.

Impossibile secundum illustrationem veritatis æternæ.

Ad hunc modum pertinent exempla, quæ profert S. Thom. 2. 1. q. c. 25. vt sunt priuatiuè opposita, v. g. cæcitas, & visio: naturaliter enim quilibet videt, non posse eumdem cæcum, ac videntem esse; viuum, ac mortuum: remotio principij essentialis, quam sequitur destructio rei, v. g. remota anima perit animal, & nemo non percipit animal non esse quod caret anima; Principia scientiarum verbi gratia esse genus, & non esse prædicabile de pluribus: esse compositum, & non habere partes: esse circulum, lineas à centro ad circumferentiam non esse æquales; Ad horum, & similium intelligentiam sufficit naturale lumen, & istis absimillima est potentia obedientialis. Sed quid vbi lumen naturale sistit, & ratiocinatione multa opus est? pro responsione sit

Regula tertia.

XXII. Ex notioribus procedi-tur ad cognitionem possibilū ignotorum.

PEtitur ex comparatione rei dubiæ, quę venit in controuersiam cum cæteris, quæ extra controuersiam certa sunt ex fide, aut demonstratione: ex ijs enim notioribus, & certioribus aditum sibi facit intellectus ad ignota, & incerta, & argumentans à pari, vel à maiori ad minus concludit, rem, de qua agitur, esse possibilem, vel impossibilem. Exempla sunto.

A creatione mundi. S. Basil.

Primò ex eo quod creauit Deus cælum, & terram colligit S. Basil. in Exam. hom. init. possibilem aliarum rerum creationem: audi ipsum. *Deinde addidit, fecit, vt quod factum est, minimam esse de opificis potentia particulam ostendatur. Nam & cum ab eadem arte figulus vascula mille finxit, neque artem, neque vires assumpsit; sic & huius opifex vniuersi non ad vnum tantum mundum procreandum accommodatam potentiam habens, sed in infinitum exuperantem rerum earum omnium, quæ spectantur magnitudinis, solo sanè voluntatis momento creauit.* S. Bonau. S. Thom. Infirma argumenta Aristotelis circa possibilitatem creationis terum.

Quod idem docet S. Bonauent. in 1. d. 44. a. 1. per totum, S. Thom. ibid. q. 1. a. 2. & dist. 42. q. 2. a. & 1. p. q. 25. a. 5. Et infirma sunt argumenta Aristotelis l. 1. cæl. à t. 95. Illud inprimis quod consumpta sit tota materia, quasi qui materiam mundi creauit, non possit aliam pro libito creare. Hæc magis valida quę obijciuntur à quibusdam Philosophorum stultè asserentium Deum necessariò fecisse quod fecit, aut quia immutabilis est non posse velle quod non voluit, quasi non contingat mutatio in creatura, nisi etiam & in Deo, aut actus diuini sint vt nostri ipsi aduenientes, quæ sunt ridicula apud Theologos.

S. August.

Ab eadem creatione probat resurrectionis à mortuis possibilitatem S. August. serm. 19. de Verb. Apost. t. 10. tanquam à maiori ad minus. *Sed tc*, inquit, *appello, quicumque infidelis animo de resurrectione dubitas, & putas non posse resuscitari mortuos. Quid est amplius ex nihilo facere homines qui vinunt, an eos qui factis sunt, atque vixerunt reparare post mortem? Visque plus est facere quod nunquam fuit, quam reparare quod fuerit, &c.*

S. Ambros.

Nec minus validè S. Ambros. l. 5. de Sacrament. c. 4. confirmat ex potentia ad creandum vim sermonis Christi Domini ad consecrandum. *Iussit*, ait, *Dominus, & factum*

Digitized by Google

repugnat subjecto.

Asinum: & hoc dicitur impossibile absolutè ex habitudine terminorum, quia includit simul affirmationem, & negationem: ex eo enim quod est homo, & rationalis est; ex eo quod asinus, est irrationalis, id est non homo: & ideo nullius potentiæ obiectum esse potest, aut terminus; quia nec est ens, nec non ens: eo quòd affirmatio tollat rationem non entis, & negatio rationem entis; omnis autem terminus potentiæ actiuę est ens; & licet ex consequenti sit non ens, vt cum ex productione calidi corrũpitur frigus: tamen numquam potest terminari ad ens, & non ens, quia nulla potentia est ad impossibile. Ideo conuenientius dicitur, quòd hoc non possit fieri, quàm quòd Deus non possit facere, ait S. Th. loc. cit. Contra hanc Regulam arguit Aur. in 1. d. 42. p. 2. dist. art. 2. quia non distinguit inter repugnantiam subiecti, & prædicati, & inter implicationem contradictionis: quę enim implicant, fieri à Deo non possunt, sed aliqua repugnantia possunt fieri, quicquid namque repugnat definitioni, etiam definito repugnat; & tamen Deus potest facere aliqua circa subiecta, quæ eorum definitioni repugnat, v. g. quòd accidens sit sine subiecto, cuius tamen esse est inesse: quod color sit sine mixto, grauitas sine graui, &c.

Assignat autem ipse duplicem modum contradictionis, & repugnantiæ formalis, & ex primo docet oriri impossibilitatem simpliciter: ex secundo impossibilitatem in natura, cum qua stat possibilitas, respectu altioris potentiæ. Primus modus est, secundum quem prædicatum repugnat subiecto, quia contradicitur suæ definitiuæ rationi, negando definitionem ipsam, vel partem eius essentialem, vt si dicatur homo irrationalis, & ad hunc reducitur prædicatum tollens effectum primarium à forma, qui dicitur exhibitio formæ, v. g. animam à viuente, albedinem ab albo, extensionem à quantitate. Secundus modus consurgit, dum prædicatum includit negationem alicuius existentis in ratione definitiua subiecti adiectiuè, vel in obliquo, vt si dicatur animal spirituale, aut animal non organicum: spirituale enim negat corporeum, quod ingreditur adiectiuè, vel in obliquo definitionem animalis, quod non est sine organizatione; sicut & nasus in definitione simitatis; & ad hunc modum reducitur repugnantia, secundum quam tolluntur secundarij effectus formæ, seu proprietates à composito, vel accidentia à subiecto. Illud ergo est impossibile simpliciter, quod est impossibile primo modo; quia qui tollit aliquid inclusum in recto, & per se primo modo à subiecto, tollit subiectum: & qui tollit à forma actum primum, tollit formam. Impossibile est autem idem poni, & tolli, quia impossibile est idem esse, & non esse. Consequenter illud est possibile in se, quo posito non sequitur esse, & non esse, quod solum contingit in primo modo, qui propterea solus arcetur ab obiectis potentiæ diuinæ.

Repugnantia prædicati à subiecto, & implicantia contradictionis non distinguuntur.

Sed hæc nihil officiunt doctrinę S. Thomæ, primò quia non distinguuntur inter se repugnãtia prædicati ad subiectum, & implicantia contradictionis, quando vera est repugnantia formalis, & essentialis, vel mediata, vel immediata; hæc enim secũ affirmationem, & negationẽ de eodem, vt patet in exemplo allato de homine, & asino, vel equo: ex hoc enim quod est homo, repugnat quod sit equus, quia esset homo, & non homo, & ideo dicitur implicare contradictionem, quod homo sit equus: quia prædicatum repugnat subiecto, & vtrumque dicitur impossibile, quia non differunt nisi ad modum definitionis, & definiti: illud enim implicat, cuius prædicatum repugnat subiecto, qualia sunt definitum, & definitio, & coniuncta ipsis. Secundò, quia actualis inhærentia accidentis in subiecto non est de essentia, & definitione eius, sed aptitudinalis, vt S. Bonau. in 1. d. 3. 1. p. a. 1. q. 1. ad vltimum; & in 4. d. 12. p. 1. art. 1. c. cum S. Th. 3. p. q. 75. passim; propterea Capr. in 1. d. 42. q. 1. art. 2. ad arg. contra quintam conclusionem, ridiculam videri posse infidelibus doctrinam istam, & fidei incommodam conqueritur; quia si actualis inhęrentia esset de definitione, & essentia accidentis, quî fieri posset vnum manere sine altero, quod in venerabili Sacramento euenire fides docet. Tertiò, impossibilitas etiam attenditur in alijs modis dicendi per se, & non solum in primo, cuius solius meminit Aureolus. Quartò, quædam prædicata sunt adiectiuè conuenientia rationi definitiuæ subiecti, quæ tamen implicat separari, v. g. esse coporeum animali, quod includit esse sensibile; & proinde corporeum. Idem est de quibusdam inuoluentibus in sua definitione prædicata in obliquo, quæ tamen separabilia non sunt: relatiua enim exempli gratia inseparabiliter connectuntur terminis. Denique quod addit ab intellectu cognosci vt repugnantia, quę pertinent ad secundum modum, non est semper verum; suppositа namque fide intellectus percipit non repugnare separari accidens à subiecto; duas quãtitates habere se penetratiuè, & vniuersaliter effectus secundarios separari posse diuinitus à suis formis, etiamsi naturaliter sit impossibile, quæ non est repugnantia formalis terminorum, sed defectus potentię naturalis, vel impedimentum insuperabile ab ipsa, si adsit. Regula igitur à S. Th. tradita verissima est: sed in particulari iudicare quæ contradictionem implicant, & quæ non, alterius negotij, ait Caiet. q. illa 25. art. 3. §. circa hanc positionem, sicut & quot modis contingat implicantia, & quidem tam ardui, vt aciem etiam angelicam superet, quæ cum supernaturalia planè attingere, & dilucidè penetrare naturæ virtute nequeat, quid in illis repugnans sit, quidue possibile, probabiliter quidem coniectare, sed clarè assequi non valet, etiam vbi nihil positiuè obstare videt: quia non omnia sibi nota esse videt, & iccirco hæret. Quare nec fidei, neque Incarnationis in primis possibilitatem euidenter nouerunt Angeli, vt Soar. t. 3. in 3. p. d. 3. s. 1. ex Patribus, & Concilijs ostendit. Verum quidem est, eos, qua pollent mentis intelligentia, & gratiæ Donis, ex ijs quæ facta sunt, multo plura fieri à Deo posse supernaturaliter, & peruidere illustrius, & perspicacius opinari, sed & in ijs est sua meta, ac terminus, quoniam latent in abysso interminа diuinitatis, cui soli perspecta est sua potentia, & obiecta eius; nobis autem cæcutientibus in vmbrosis peregrinationis nostræ nemoribus pauca sunt admodum, quæ illucescant de absconditis

S. Bonau. S. Thom. Capreol.

sconditis in Deo rationibus, præter eas, quæ reducta per reuelationem cortina comparuerunt; in reliquis tantùm coniecturis vtimur, & opinationibus exercemur, cum de rerum possibilitate disputatio incidit, & ingeniorum diuersa sentiétium alteratio. Nihilominus in præsenti non obscurè apparet potentiam obedientialem actiuam extra numerum illorum esse, quę simul inuoluunt affirmationem, & negationem, & sunt ens, ac non ens. Non enim in terminis ipsis est discoherentia vlla; quia creaturam posse obedire Deo in omnibus quæ vult, sunt termini non solum cohærentes, sed necessariò etiam connexi, & omnes affirmatiui, vnde nec mediatè ex illis inferri potest vlla contradictio de eodem, neque hactenus vlla, vel apparens deducta est in argumentis, quæ contra hanc potentiam excogitata sunt, vt ex eorum solutione manifestum est.

Regula secunda.

XXI. Quod dicit carentiam omnis existentiæ est impossibile secundum se.

DEsumi potest ex S. Bonau. in 1. d. 42. a. 1. q. 3. supra cit. Quod dicit carentiam omnis existentiæ est impossibile secundum se, vt præteritum non fuisse præteritum. Ratio est, quia omnis potentia, quæ intelligitur aliquid facere, respicit ens, vel in ratione principij, ex quo fit, vel in ratione termini, qui proponitur in esse, vel ratione vtriusque: ideo de ente potest facere non ens, & vice versa: potest enim annihilare, & potest creare, & potest facere de

Implicat de non ente facere ens.

ente ens, vt de materia formam, & de vtraque compositum, & vnum in aliud transmutare; at de non ente facere non ens implicat, quia omnis actio est vel productio, vel destructio, vel transmutatio, atque ita inuoluit semper aliquid positiuum existens, vel quod producitur, vel quod supponitur, & hoc modo non implicare potentiam obedientialem actiuam, seu Deum vti pro instrumento creatura ad opus supernaturale in terminis non dicit priuationem omnis existentiæ, sed positionem potius, & principium.

Impossibile secundum illustrationem veritatis æternæ.

Addit ibi S. Bonauent. aliquid esse impossibile secundum illustrationem veritatis æternę, & ordinem diuinę sapientiæ, vt quod duo opposita insint eidem secundum idem, quod idem est cum eo, quod ait S. Thom. quando prædicatum repugnat subiecto, sed cum multipliciter contingere possit hæc repugnantia, & aliquando ægrè dignoscitur, modus certus, & clarus assignatur à S. Bonauent. secundum illustrationem veritatis æternæ, quę est intelligentia, & naturale lumen ab æterno sole animis nostris inditum, iuxta illud Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, per hoc videlicet ex terminis ipsis cognoscitur plura possibilia etiam à rudioribus, vt quod duo, & tria sint quinque, quod duo humeri pares gignunt parem: & in moralibus, quod sit virtus amore digna, diligendi parentes, &c. & contraria ijs iudicant impossibilia, secundum se; At verò neque hoc modo apparet implicantia potentiæ obedientialis, sed potius maxima probabilitas, vt patet ex dictis.

Ad hunc modum pertinent exempla, quæ profert S. Thom. 2. t. q. c. 25. vt sunt priuatiuè oppositа, v. g. cæcitas, & visio: naturaliter enim quilibet videt, non posse eumdem cæcum, ac videntem esse; viuum, ac mortuum: remotio principij essentialis, quam sequitur destructio rei, v. g. remota anima perit animal, & nemo non percipit animal non esse quod caret anima; Principia scientiarum verbi gratia esse genus, & non esse prædicabile de pluribus: esse compositum, & non habere partes: esse circulum, lineas à centro ad circumferentiam non esse æquales; Ad horum, & similium intelligentiam sufficit naturale lumen, & istis absimillima est potentia obedientialis. Sed quid vbi lumen naturale sistit, & ratiocinatione multa opus est? pro responsione sit

Regula tertia.

XXII. Ex notioribus procedi tur ad cognitionem possibiliū ignoterum.

PEtitur ex comparatione rei dubiæ, quę venit in controuersiam cum cæteris, quæ extra controuersiam certa sunt ex fide, aut demonstratione: ex ijs enim notioribus, & certioribus aditum sibi facit intellectus ad ignota, & incerta, & argumentans à pari, vel à maiori ad minus concludit, rem, de qua agitur, esse possibilem, vel impossibilem. Exempla sunto.

A creatione mundi. S. Basil.

Primò ex eo quod creauit Deus cælum, & terrām colligit S. Basil. in Exam. hom. init. possibilem aliarum rerum creationem: audi ipsum. *Deinde addidit, fecit, vt quod factum est, minimam esse de opificis potentia particulam ostendatur. Nam & cum ab eadem arte figulus vascula mille finxit, neque artem, neque vires assumpsit; sic & huius opifex vniuersi non ad vnum tantum mundum procreandum accommodatam potentiam habens, sed in infinitum exuperantem rerum earum omnium, quæ spectantur magnitudinis, solo sanè voluntatis momento creauit.* Quod idem docet S. Bonauent. in 1. d. 44. a. 1. per totum, S. Thom. ibid. q. 1. a. 2. & dist. 42. q. 2. a. & 1. p. q. 25. a. 5. Et infirma sunt argumenta Aristotelis l. 1. cæl. à t. 95. Illud inprimis quod consumpta sit tota materia, quasi qui materiam mundi creauit, non possit aliam pro libito creare. Hæc magis validā quę obijciuntur à quibusdam Philosophorum stultè asserentium Deum necessariò fecisse quod fecit, aut quia immutabilis est non posse velle quod non voluit, quasi non contingat mutatio in creatura, nisi etiam & in Deo, aut actus diuini sint vt nostri ipsi aduenientes, quæ sunt ridicula apud Theologos.

S. Bonau. S. Thom. Infirma argumenta Aristotelis circa possibilitatem creationis rerum.

S. Augusti.

Ab eadem creatione probat resurrectionis à mortuis possibilitatem S. Augustin. serm. 19. de Verb. Apost. t. 10. tanquam à maiori ad minus. *Sed te*, inquit, *appello, quicumque infideli animo de resurrectione dubitas, & putas non posse resuscitari mortuos. Quid est amplius ex nihilo facere homines qui vnquam, an eos qui facti sunt, atque vixerunt reparare post mortem? Vtique plus est facere quod nunquam fuit, quam reparare quod fuerit, &c.*

S. Ambros.

Nec minus validè S. Ambros. l. 5. de Sacrament. c. 4. confirmat ex potentia ad creandum vim sermonis Christi Domini ad consecrandum. *Iussit*, ait, *Dominus, & factum*

eſt cælum. Iuſſit Dominus, & facta eſt terra. Iuſſit Dominus, & facta ſunt maria. Vides ergo, quàm operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant; quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud conuertantur? Et lib. de myſt. init. c. Sermo ergo Chriſti; qui potuit facere quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare quod non erant? non enim minus eſt nouas rebus dare, quàm mutare naturas.

Matth. Quid quod Satan ipſe Matth. 4. diuinitatem Chriſti mutatione lapidum in panes explorat, haud inſcius eiuſdem eſſe poteſtatis lapides creare, & in panes commutare?

Ab Incarnatione Verbi. Secundo loco eſt myſterium Incarnationis Verbi concepti à Virgine: ex quo deducunt Patres, & ſcholaſtici tanquam ex miraculo omnium maximo, poſſibilia eſſe Deo alia minora.

S. Auguſt. Sic S. Aug. l. 9. de Gen. ad litt. c. 16. formationem Euæ ex coſta Adami explicat his verbis. *An verò ſine cuiuſquam concubitu vir ex fœmina fieri potuit, fœmina ex viro non potuit? & virginalis vterus vnde vir fieret habet; virile autem latus vnde fœmina fieret, non habebat, cum hic Dominus de famula naſceretur, ibi de ſeruo famula formaretur? Poterat etiam Dominus carnem ſuam de coſta, vel de aliquo membro virginis creare; ſed qui poſſet in corpore ſuo oſtendere, hoc ſe iterum feciſſe quod factum eſt, vt ſibi ſus in matris corpore oſtendit, nihil pudendum eſſe quod caſtum eſt.*

A formatione hominis de limo terræ. Et vice verſa à formatione hominis de limo terræ arguit ad poſſibilitatem Incarnationis: *Cur non credis, cum in vtero incorruptæ Virginis potuiſſe hominem figurare, quem credere debes hominem feciſſe de limo terræ? ait ſerm. 4. fer. 3. poſt Domin. Palmar.*

Luc. 1. Hoc modo vtitur Eubr. Ang: Quin & ipſe Archangelus Gabriel ſimili argumento Luc. 1. fidem adſtruit legationi ſuæ, & exemplum profert cognatæ ſterilis, ac ſeneſcentis aptum ad probandum poſſibile, quod nunciabat mox futurum. Nec refert quod maius miraculum ſit virginem concipere, quàm ſterilem reddi fœcundam, vt docet Soar. t. 2. in 3. par. diſp. 2. ſect. 1. quia Dei virtuti infinitæ nihil eſt difficile, quod eſt factibile. Sic Chryſ. hom. 49. in cap. 25. Gen. *Tu autem*, inquit, *obſecro, attende, quomodo ſterilis iſtam manuducat ad fidem partus. Quoniam prior demonſtratio maior erat cogitatione virginis (nimirum, Spiritus ſanctus in te deſcendit; audi quomodo & humiliorem ſermonem affert, & per ſenſibilia ipſam manuducēs, & ecce*, inquit, *Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis ſextus eſt ei, quæ vocatur ſterilis: vides quod ſterilis propter virginem. Quoniam cuius gratia alioqui retuliſſet partum cognatæ; cuius item gratia dixiſſet, quæ vocatur ſterilis? Planè per omnia manuducebat eam ad credendum Annunciationi, &c.*

In quo apparet eandem à nobis ſeruari methodum in aſſerenda potentia obedientiali actiua vniuerſim ſumpta, quam & ſeruauit Archangelus in myſterio particulari Incarnationis beatæ Virgini declarando. Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: En rationem à priori, & præcipuum fundamentum potentiæ obedientialis tum rerum aliarum, tum verò maximè conceptionis Verbi cum virginitate Matris coniungendæ, & deitatis cum humanitate copulandæ. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit Filium in ſenectute ſua. En argumentum à comparatione rei ſenſibilis, fidem faciens inuiſibilis Dei virtutis, & poſſibilitatis operationum per creaturas primo aſpectu incredibilium. Et ideo ait Sanct. Thomas 3. p. q. 30. a. 4. ad tertium. *Conceptus Eliſabeth, ſterilis inducitur, non quaſi ſufficiens argumentum, ſed quaſi quoddam figurale exemplum. Et ideo ad confirmationem huius exempli ſubditur argumentum efficax ex omnipotentia diuina.* Sic ille. S. Thom.

Ex eodem myſterio colligunt Patres poſſibilem vnionem humanæ naturæ cum perſonis Patris, ac Spiritus ſancti, quia eadem eſt illarum ratio, ac perſonæ Filij: & quia non ſolum anima, ſed & corpus, id eſt natura tota aſſumpta fuit à Verbo, aſſumi etiam poſſe naturas vitæ, ac rationis expertes non dubia argumētatione deducunt: quos ſequuntur ſcholaſtici in 3. d. 2. Soar. tom. 1. diſp 14. ſect. 2. Vaſq. diſp. 30. c. 2. & alij communiter fatentes congruentius aſſumi rationalem. Inter Patres eſt Aug. l. de vera, & falſa Relig. c. 46. *Vbi dignitatem naturæ humanæ inde commendat, quod non ſolum viſibiliter (nam & id poterat in aliquo æthereo corpore ad noſtrorum aſpectuum tolerātiam) ſed etiam hominibus in vero homine apparuit, &c.* Et ſermo eſt de vnione hypoſtatica poſſibili cum æthereo corpore, vt aduertunt Soar. & Vaſq. loc. cit. & indicat diſcurſus Auguſtini ſubdentis, ipſa enim natura ſuſcipienda erat quę liberanda, vt ſenſus ſit, non ſuſcepit aliam naturam, quàm humanam (nimirum hypoſtaticè) quia hæc erat liberanda. Quòd ſi alia natura non eſt aſſumibilis, ratio cur illam non aſſumpſerit, non eſt, quia non erat liberanda, ſed quia non erat apta ſuſcipi, quod non conuenit menti Auguſt. Colligitur poſſibilitas Incarnationis aliarum perſonarū. P. Soar. P. Vaſq. S. Auguſt.

Expreſſius id habent Tertul. lib. de carne Chriſti contra Marcion. c. 4. Nyſſen. orat. Catechetica c. 27. apud eoſdem. Tertullia.

Item qui naturæ ſubſiſtentiam dicunt eſſe modum ab ipſa diſtinctum pluſquam ratione, hoc myſterio edocti inferunt poſſe diuinitus illam exiſtere quin ſubſiſtat in aliquo ſuppoſito; & proinde ſi voluiſſet Verbum relinquere naturam humanam, potuiſſet illa eſſe actu ſine propria ſubſiſtentia impediente Deo, ne maneret, contra alios non admittentes diſtinctionem hanc modalem, de quo Suar. in Metaph. diſp. 34. ſect. 4. & t. 1. in 3. p. diſp. 36. ſect. 1. Vaſq. tom. 1. in 3. p. diſp. 3. paſſim. P. Suar. P. Vaſq.

Tertio loco Natiuitas Chriſti Domini ex vtero ſacratiſſimo Virginis matris prodeuntis; eiuſdem ingreſſus in cœnaculum clauſis ianuis, aſcenſio ſuper omnes cœlos ad dexteram Patris teſtantur indubitanter, poſſibilem eſſe corporum penetrationem, & poſitionem eorumdem in vno, & eodem loco. *Quid ergo mirum*, ait S. Greg. hom. 26. in Euang. *ſi clauſis ianuis poſt reſurrectionem ſuam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens non aperto vtero exiuit?* Et S. Auguſt. l. 22. Ciu. c. 8. cum retuliſſet caſum annuli exilientis ex zona, cui firmiſſimis nodis erat adſtrictus, ijs minimè ſolutis, aut laxatis: *Non cre-* S. Auguſt.

Digitized by Google

Non credunt, inquit, *hoc qui etiam Dominum Iesum per integra virginalia matris enixum, & ad discipulos suos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt; sed hoc certe quærunt, & si verum inuenerint, illa credant*, &c. nimirum quia ex iis, quæ de facto mirabilia fecit Dominus, quæ sint ipsi possibilia, innotescit, & fides exigitur eorũ, quæ facturum se præfatus est: vt quod resurgent mortui, & ibunt qui bona egerunt, in vitam æternam. Si Christus resurrexit, & nos resurgemus, quia ipse est causa, & exemplar nostræ resurrectionis, & saluationis, vt ex 1. Cor. c. 15. patet, vbi Apostolus ex Christi Domini resurrectione arguit resurrectionem hominum, & vice versa.

Quartò ex eo quod saluator ex mortuis suscitauerit quatriduanum Lazarum, quod est in primo gradu miraculorum, vt infra dicetur, facile est colligere, non esse difficile sanare omnigenos morbos: ita apud eundem Aug. lib. 22. c. 8. Ciu. Innocentiæ primariæ fœminæ Carthaginensi miraculosè sanatę intercessione S. Stephani protomartyris, ex insanabili vlcere mãmillari, religiosa vrbanitate respondit perculsus nouitate medicus: *Quid graue fecit Christus sanans cæcum, qui quatriduanum suscitauit?* In quo argumentandi genere non ineptè, si non malignè intulissent arguentes illi, qui Ioan. 11. dictitabant. Non poterat hic, qui aperuit oculos cęci nati, facere, vt hic non moreretur; fatebantur enim potuisse à Lazaro mortem auertere, qui restituere poterat visum cæco à natiuitate; minus quippe fuerat ægrotantem sanare, quàm cæcum illuminare, cuius exemplum à sæculo auditum non erat: sed noluit Christus facere quod minus erat, vt Maldonat. ibi ex Ruperto. Est igitur valida cõsequẽtia possibilitatis ad sanandam omnem infirmitatem, & languorum per virtutem Christi, quia nulla difficilior, quàm reuocatio ad vitam: & proinde qui hanc habet in manu sua, habere oportet & omnium sanitatum potentiam, cùm sit vitæ dominus, & mortis, & hoc sensu ferebantur quotquot tangebant eum, vel alijs modis satagebant, vt liberarentur infirmitatibus suis.

Minus est sanare ægrotum quam cæcũ illuminare.

Maldonat. Ruper.

Quintò huc accedit Sacramentum Eucharistiæ, & admirabilis transmutatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini, in qua maximè exercetur potentia obedientialis, tum passiua in conuersione substantiarum; tum actiua in ministerio sacerdotum, & prolationis verborum, quæ virtute infinita sancti Spiritus perficiuntur, vt schol. in 4. dist. 11. & S. Thom. 3. p. q. 73. n. 4. iuxta illud Damasc. 4. de fid. c. 14. *Panis, vinumque, & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus, & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum, & idem. O miraculum!* (exclamat D. Chrysost. l. 3. de sacerdotio) *ô Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac seipsum tradit volentibus excipere, & amplecti.* Sunt autem in eo plura miracula, ex quibus argumentari licet, & de alijs similibus non adeo sublimibus, puta quod Deus potest mutare vnam rem in alteram, vt formam in formam, materiã in materiã, & totum in totũ, vt S. Th. 3. p. q. 75. a. 4. c. tertiũ. Immo & corpus in spiritũ, vt docet in 4. dist. 12. q. 1. art. 2. quæstiuncula ad

S. Damasc.

S. Chrysost.

Deus potest mutare vnã rem in aliã. S. Thom.

secundum: de quibus mutationibus infra dicturi sumus, cum de potentia obedientiali passiua agemus.

Item quod idem corpus possit circumcriptiuè per diuinam potentiam esse in pluribus locis, vt cum Scot. in 4. dist. 10. q. 2. Soar. tom. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 4. Bellar. l. 3. de Euch. c. 3. 4. & alijs plures apud ipsos, & Fabrum Iauent. in 4. disp. 36. c. 2. præsertim Alens. & Ricard. & proinde S. Bonau. aduersus quos stant Thomistæ. Item quod accidentia sint superabilia à substantia, & à se inuicem, non solum corporalia, sed & spiritualia, vt S. Th. q. 7. a. 10. secundum & alia plura Philosophiæ imperuia, ni præsidio Theologiæ iuuentur.

Scotus. Soar. Bellarm. Faber Iauẽt. Alens. Ricard. S. Bonau.

Ad hanc eamdem regulam pertinet consideratio effectuum innumerabilium, quia accidentibus variè coniunctis, & attemperatis prouenire possunt; hinc enim facile mente conscendemus ad intelligendum & accidentia, & quælibet entia creata ex sua intrinseca entitate hoc habere, vt iuncta virtuti infinitæ, & continenti eminenter virtutes omnium causarum secundarum, quas solæ, & cum alijs exercere possunt, eo plura possint operari, quàm si iungantur causis finitis, quibus sine vlla proportione maior est virtus diuinæ omnipotentiæ; exemplum sit in calore, vel influentia solis, si datur ab illo distincta, qui de facto ad omnes animalium, arborum, plantarum, & cæterorum mixtorum species, & individua concurrit, & concurrere potest ad infinita; Quanto magis, & quanto excellentius concurreret, si Deus illo vti vellet vt instrumento?

Innumeri effectus ab accidentibus variè coniunctis pos. sunt prouenire.

Iuuat etiam comparatio instrumentorum cum perito artifice, qui vnico ex illis potest vti ad plurimos effectus, ad quos non potest imperitus; Vt patet in instrumentis musicis, à quibus infinitæ consonantiæ, & harmoniæ fieri possunt, quæ omnes sunt in idæis diuinis; Et in penicillo, quo formare potest pictor figuras infinitas; poterit ergo Deus illimitatæ virtutis creatura qualibet vti illimitatè ad omnes effectus non implicantes, si potest artifex ad infinitos suæ artis, & finitę virtutis. Amplius ait S. Th. 3. con. gen. c. 100. Omnes creaturæ comparantur ad Deum sicut artificiata ad artificem; & c. 102. *Eius*, inquit, *virtus, cùm sit omnino infinita, non determinatur ad aliquem specialem effectum, neque ad hoc quod effectus illius producatur aliquo determinato modo, vel ordine.*

Infinitæ cõsonantiæ fieri possunt ab instrumentis Musicis.

S. Thom.

Regula quarta.

SI facta comparatione ad similia, vel dissimilia, consistat mens in consideratione, & penetratione rerum absolutè, vt videat, an quod venit in controuersiam possibilitatis, sit tale, de quo verificetur principium, in quod resoluitur omnis contradictio, seu affirmatio, & negatio, cognita enim, & penitus inspecta definitione, siue essentia, facilius cognoscuntur prædicata consona, & dissona: verbi gratia si bene intelligatur quid sit visus, & quid cæcitas, apparebit statim esse repugnantia in vno & eodem subiecto, quia vnum dicit negationem alterius; non item conceptio, & virginitas, quę licet non possint coniungi naturaliter, defectu potentiæ naturalis,

XXII

at possunt per diuinam virtutem, vt Aug. frequenter, sed præsertim epist. 3. cit. *Ipsa quippe virtus, & sapientia Dei*, inquit, *a supremo fine creaturæ rationalis vsque ad infimum finem creaturæ corporalis attingens fortiter, & disponens omnia suauiter, præsens, & latens, nusquam conclusa, nusquam discissa, nusquam tumida, sed sine mole, vbique tota, leuge alio modo quodam, quàm eo, quo creaturis ceteris adest, suscepit hominem, seque & illum fecit vnum Iesum Christum, mediatorem Dei, & hominum, æqualem Patri secundum diuinitatem, minorem Patre secundum carnem, hoc est secundum hominem, incommutabiliter immortalem secundum æqualem Patrè diuinitatem mutabilem, atque mortalem secundum cognitam nobis infirmitatem, &c.* Ratio autem à priori ex parte Dei est eius omnipotētia; ex parte obiecti est possibilis vnio extremorum, vel infinitè distantium, vt sunt Deus, & homo; vel omnino disparatorum, vt sunt virginitas, & maternitas, quàm nouimus ex prima regula, quod vna non negat alteram, quia in ratione virginitatis non includitur negatio maternitatis, sed cognitionis viri, vt D. Th. in 1. d. 42. q. 2. a. 1. 8. cum S. Bonau. ead. dist. a. 1. q. 3. ad arg.

S. Augusti.

S. Thom. S. Bonau. P. Suar.

Ita procedit Suar. t. 3. de gratia, lib. 7. à c. 19. vbi sustinet per diuinam potentiam simul esse posse in eodem subiecto peccatum, & gratiam, quia non opponuntur contradictoriè, vt appareat ex eo quod datur medium inter ipsa, quale non est inter contradictoria: in statu enim puræ naturæ non esset peccatum, neque gratia: proinde effectus primarius, formalis, & immediatus gratiæ non est tollere peccatum, sed secundarius; sicut vice versa peccati secundarius est priuare gratia, quos esse separabiles censent qui in gratiæ infusione agnoscunt beneficium Dei volentis remittere culpam, ita posscente natura gratiæ, cui de potentia ordinaria obsequitur, potens de absoluta non remittere, quod non posset si contradictoriè opponeretur, vt lux, & tenebræ; quamquam enim gratia luci comparatur, & peccatum tenebris; tamen ad hoc satis est, quod ex natura sua gratia sit expulsiua peccati, quod ordinariè expellit; sicut quantitas resistit quantitati, ne penetrentur; quæ tamen absolutè penetrari possunt, quia impenetrabilitas est proprietas secundaria quantitatis, quæ per diuinam potentiam tolli potest. Cum Soar. sentiunt Med. 1. 2. q. 117. art. 2. dub. pen. ad 7. & q. 110. a. 4. & alij, quibus aduersatur Vas. 1. 2. disp. 204. sed hoc exempli gratia innuimus: disputare enim ex instituto de re controuersa vehementer alterius loci est; huius autem solum ab aduersario petere, vt ostendat, quomodo essentia creaturæ secundum se consideratæ, repugnantiam habeat cum eleuatione, seu eleuabilitate à Deo; aut quomodo in hoc inuoluatur affirmatio, & negatio, aut vnum dicat negationem alterius immediatam, vel mediatam. Certè cum Deus longius in infinitum distet à creatura, quàm ipsæ inter se creaturæ, cuiuscumque generis sint, magis videntur repugnantes termini Deus homo, verbum caro, quàm equus homo: & tamen certò scimus, quod Verbum caro factum est, & Deus homo; & euanidas esse sequelas, Verbum est, ergo non est caro, quia summus, & purissimus Spiritus non est caro: Deus est, ergo non est homo, quia Deus est primus factor non factus æternus, immobilis, &c. quorum negationem includere videtur homo, sed non immediatè, nec vndequaque compositus, quia homini directè opponitur per contradictionem non homo, & idem solitariè opponitur Deus, non per vnionem assumpto ad Deitatem, & per idiomatum communicationem priuilegijs, diuinis gaudenti. Quod non volo dictum, vt rationem reddam facti, quod non erit mirabile, si quæratur ratio, nec singulare si poscatur exemplum, vt Aug. ep. 3. sed vt ostendam ex eleuatione hominis ad esse Dei, & eleuabilitate substantiæ cuiuslibet ad subsistendum diuina subsistantia, nullam esse repugnantiam, quod eleuetur creatura ad esse causam instrumētalem operationum diuinarum. Verùm quia in comparationibus eorum, quę facta sunt inniti facile possunt disparitates cum ijs, quæ vt possibilia asseruntur propter paritatem aliquam; propterea aliò etiam confugiendum; laborique huic facilitas, quantum fieri poterit, conciliandа.

De potentia absoluta posse stare simul gratiа & peccatum sensit probabiliter Soar.

Medin. Contra Vasq.

S. August.

Regula Quinta.

XXIV. SIt recursus ad effectus consequentes ex coniunctione terminorum, si in eodem vnirentur prædicata, & subiecta rei, de qua dubitatur, an sit possibilis, & inde perpendatur, an simul iungantur affirmatio, & negatio, ens, & non ens in sensu explicato, quod contingere potest etiam cum termini sunt positiui, & non oppositi contradictoriè oppositione immediata, & proxima. Sic S. Th. 2. 2. q. 1. a. 5. repugnare arbitratur scientiam, & fidem in eodem intellectu circa idem obiectum, quia scitum est visum, quod autem creditur non est visum, vt respondet ad 4. & tamen actus scientiæ, & fidei sunt positiui, & minimè contradictorij immediatè in terminis; sed quia ferunt secum effectus contradictorios, qui sunt euidentia, & ineuidentia, claritas, & obscuritas, ideo non posse simul esse sancto Doctori visum fuit; fauentibus scriptura, & Patribus, præsertim S. Gregorio, qui fidem non apparentium cum Apostolo Heb. 11. argumentum explicantes, quæ apparent, id est in conspectu per euidentiam sunt, sub credulitatem cadere inficiantur; quod etiam cum ipsis docet S. Bonau. in 3. d. 23. a. 1. q. ad arg. & alibi. Sed hoc etiam exempli gratia esto dictum: sunt enim qui dissentiunt vt Soar. t. 3. p. d. 19. s. 2. & tom. de fide tract. 1. disp. 3. s. 9. Valent. 2. 2. d. 1. q. 2. p. 4. & alij.

S. Thom.

S. Greg.

S. Bonau

P. Soar. Valent.

Manifesta magis est repugnantia inter amorem Dei super omnia, & affectum creaturæ alicuius contra voluntatem eius: quamquam enim isti actus sunt positiui circa obiecta diuersa; tamen vnus fert secum negationem alterius, & ex eorum coniunctione sequitur negatio, & positio eiusdem, id est amor Dei super omnia, & non amor: quia ex hoc quod amatur Deus super omnia, nihil amatur supra ipsum, vt ex terminis notum est; ex eo autem quod amatur creatura contra voluntatem eius, iam amatur aliquid supra ipsum, & non ipse super omnia, & idem est de dissensu, & consensu respectu eiusdem obiecti, & subiecti; quamuis enim vterq; sit actus positiuus: tamen vnus est per modum fugæ, alter per modum prosecutionis, quæ simul esse non possūt circa idē, sicut neq; accessus, & recessus ab eodē termino. In quo genere repugnantię nō at-

Digitized by Google

tenditur distantia terminorum, sed comparatio cum creatura, & proprietas vtriusque, possunt enim plerumque coniungi in vnum, & in vno, quę distantissima sunt in ratione entis; & quæ sub eodem genere sunt, vice versa esse insociabilia; Sic amor, & odium respectu eiusdem conueniunt in genere actus vitalis, liberi, & ab eodem principio elicuti; neque tamen se simul in eodem compatiuntur circa idem obiectum, cùm vnus dicat prosecutionem, alterum fugam, id est non prosecutionem; vice versa natura humana, & diuina infinitè distant in ratione entis, & tamen vniuntur in vnam hypostasim, & in eodem composito, quod est Christus: cuius rationem affert S. Bonau. in 1. d. 42. a. 1. q. 3. ad arg. quia vna non destruit alteram, sed perficit: opposita autem incompossibilia se destruunt vel immediatè, vel mediatè, quæ destructio non consistit in aliqua actione physica, sed in formali oppositione, qua essentialiter ferat secum destructionem alterius, seu negationem; vel immediatè, vt motus sursum, & motus deorsum, quorum alter acquirit quod deperditur ab altero; & rationale fert secum negationem irrationalis; vel mediatè, quomodo idem rationale habet proprietatem oppositam proprietati irrationalis, puta hinnibilitati equi, quæ opponitur risibilitati, & non stat cum illa, quia differentiæ hominis & equi sunt incompossibiles in eodem subiecto: sicut & quod idem sit in duplici specie, aut habeat duas formas vltimò constitutiuas. Et hîc etiam locum habet dictum S. Th. quod implicans contradictionem licet includat simul esse, & non esse, cum inuoluat affirmationem, & negationem; tamen neque est simpliciter ens, quia non ens in ipso inclusum tollit ens; neque simpliciter non ens, quia ens in ipso inclusum tollit non ens, vt Fer. 2. cont. gen. c. 22. §. ad huius euidentiam: vnde non potest dici hominem esse hinnibilem est ens, quia includit non esse rationalem, quod dicit non ens; neque etiam absolutè potest dici esse non ens, cùm includat hominem esse animal, quod est ens. In proposito igitur hoc modo opponi terminos istos, creatura, & potentia obedientialis actiua, nulla ratio ostendit, aut suadet; tantum enim abest, vt esse creaturæ trahat secum negationem potentiæ huius, aut aliquid repugnans illi inuoluat, vt potius sint connexa, quia ex eo quod creatura est, essentialiter creatori subditur in omnibus, & ex eo quod ille est omnipotens, & infinitè sapiens, potius sequitur, quod possit illa vti ad effectus, quos voluerit; neque apparet vlla repugnantia, cur isti etiam si supernaturales non possint simul à Deo, vt causa principali, & à creatura vt instrumentali dependere, ita vt in aliquo extremorum istorum sit negatio alterius; vel in bona consequentia inferatur, illam sanè non potuerunt videre lincei oculi doctissimorum Theologorum in abdita quæque Theologiæ penetralia cæteroquin ingressi, etiam post discussam diligenter quęstionem, & conjecta totis neruis obiectionum iacula ab aduersarijs potentiam obedientialem actiuam acriter impugnantibus.

Plerumque vnin possunt maximè distantia. Alias non possunt quæ sub eodem genere.

S. Bonau.

Inuoluens cõtradictionem neq; est simpliciter ens, neque simpliciter non ens. Ferrarien.

Regula sexta.

XXV. QVod si non ita facile fuerit videre, an coniunctio prædicati, & subiecti ferat secum immediatè, vel mediatè affirmationem, & negationem de eodem, & proinde implicantiam contradictionis, proderit animum aduertere ad consequentia ex positione rei, id est considerare, an sequantur aliqua absurda apertis scientiarum, vel fidei dogmatibus aduersantia; inde enim si deductio fiat ad impossibile per plures, vel pauciores illationes, manifestum est à vero principio manare non posse absurda, sed à falso, quod non est ens; quia ens, & verum identificantur; sic S. Bonau. in 1. d. 42. a. 1. q. 3. c. probat, Deum non posse facere, quod præteritum non sit præteritum, quia sequeretur, quod faciẽdo nihil faceret, & quod esset actio sine termino, contra principium physicum, quod actio non sit sine termino, & quod implicat in terminis; nam illud non fieret, nisi vel faciendo positiuè, vel destruendo; sed facere quod non fuerit est nihil facere, cum nullus sit positiuus terminus huius operationis, ergo faciendo nihil faceret; neque destruendo, quia quod non est, quomodo destruatur? de quo & S. Aug. l. 26. cont. Faust. c. 5. t. 6. *Quisquis itaque ait, si omnipotens est Deus, facia. vt quæ facta sunt, facta non fuerint, non videt, hoc se dicere: si omnipotens est faciat, vt ea quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint, &c.* Et mox, *Quicquid enim præteritum est, iam non est; quod si & de ipso fieri aliquid potest adhuc est de quo fiat, & si est, quomodo præteritum est?* Et S. Th. l. 2. cont. gent. c. 59. ex absurdis consequentibus probat merum esse figmentum Auerrois, qui 3. de anima com. 5. inuexit formam vniuersalem, quæ sit intellectus passibilis vnus respectu omnium indiuiduorum, & nulli vnitus, nisi medio phantasmate; quod idem præstat S. Bonau. in 2. d. 18. a. 2. passim, & d. 31. a. 1. q. 1.

Actio non est sine termino.

S. Augustin.

S. Thom.

S. Bonau.

Aristoteles etiam hoc genere argumenti vtitur sæpius, præsertim l. 1. Physicorum, impugnando Philosophos antiquos Melissum, Parmenidẽ, Anaxagoram ex absurdis, quæ sequuntur ad eorum opiniones de principijs rerum naturalium; & lib. 3. phys. à t. 40. impossibilitatem infiniti in corpore sensibili ex varijs incommodis planè demonstrat. At in proposito nullum inconueniens, sequitur ex positione obedientialis potentiæ actiuæ vniuersalis; cui non occurratur conuenienti solutione; non est igitur quod ex hoc capite illi incommodẽtur.

Aristot.

Regula septima.

XXVI. SEptima regula esse potest reflexio ad diuina attributa, quorum participatio quædam sunt creaturæ omnes in diuina essentia creatrice prius habentes esse, quàm in seipsis, iuxta illud Io. 1. Quod factum est in ipso, vita erat, vt probabiliter explicat S. Aug. l. 5. de Gen. ad lit. c. 14. 15. & alij apud Maldonat. in c. 1. Ioan. Proinde si quis effectus repugnans sit alicui attributorum, ipsius bonitati, sapientiæ, iustitiæ, &c. implicat in se, quia nec ideam, nec rationem incommutabilem habere potest in Deo, à quo pendent omnia in genere causæ exemplaris, efficientis, & finalis, vt S. Th. 1. p. q 44. a. 1. 2. 3. & nihil in creatura est, quod non sit in illo eminentius: creaturæ enim non debetur aliquid, nisi in eo præexistens, id est in Deo, ait S. Th. 1. p. q. 21. ad 4. c. nihil autem in eo præexistit contrarium essentiæ, vel attributis, vnde nec extra ipsũ poni potest per vllam potentiam: quia non est possibile, *loquendo de re Physica verbi*

S. Augustin.

Omnia à Deo pendẽt in genere causæ exemplaris, efficientis, & finalis.

S. Thom.

facere alium Deum; nam de ratione entis facti est quod ab alio pendeat, quod est contra rationem deitatis, vt S. Th. 2. cont. gen. c. 25. Item non potest facere, quin ipse sit beatus, & bonus, quia neq; hoc potest velle, vt idem l. 1. c. 80. quæ autem velle non potest, neque potest agere, cum sit agens per voluntatem. Vice versa creatura pendet ab eius voluntate, & influxu essentialiter, cum sit ens per participationem, & non ex se, neque quoad esse, neque quoad conseruari; ideo implicat esse creaturam, & non conseruari liberè à Deo, aut esse ens necessarium, ac independens, aut non subdi ordini Dei, vt S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. 2. Si verò loquamur de moralitate, & malitia, cum dicat defectum, potest quidem esse à causa deficiente, quale est arbitrium creatum, sed non à Deo, neq; vt à causa totali, neque vt à partiali;

S. Bonau. *Deus*, ait S. Bonau. in 1. d. 42. art. 1. q. 3. *sic est omnipotens, vt nihil possit nisi quod decet suam potentiam, & non deordinat potentiam, &c. & vniuersaliter non potest quod dicit defectum, vel imperitiam, vt mori, peccare, &c.* vt ibid. q. 2. quæ solum dicunt potentiam secundum modum significandi; & d. 43. dub. 7. text. *Deus cum sit summè iustus, summè misericors, sicut non potest facere contra misericordiam, sic nec contra iustitiam.* Idem docet S. Th. 1. p. q. 21. art. 4. & q. 25. art 4. & vterque à S. Aug. didicit varijs locis id docente, sed signanter l. 5. Ciu. c. 10.

S. Thom.

S. August. *Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori, & falli non potest, dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens; vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est.* Et S. Ansel. in Prosel. c. 7. Nam qui hæc potest, quod seipsum sibi non expedit, & quod non debet, potest: quæ quanto magis potest, tanto magis aduersitas, & peruersitas possunt in illum, & ipse minus contra illas: qui ergo hæc potest, non potentia potest, sed impotentia.

Deus non potest quod dicit defectū, vel impotentiam, vt peccare, mori, &c.

Implicat esse simul fidem, & falsitatem. Hinc sequitur primò fidem diuinam, & falsitatem simul implicare contradictionem, quia nititur Dei reuelatione, qui mentiri non potest. Fidelis est, seipsum negare non potest 2. Timoth. 2. & sicut deesse non potest promissioni suę, ita nec falsum miscere reuelationi: est enim Deus verax, & prima veritas, atq; adeo non mẽtiri neq; fallere sunt possibilia ipsi, sicut neq; eius sapientiæ desipere, aut scientiæ ignorare. Ideo fidei falsum subesse non posse docent S. Bonau.

S. Bonau. S. Thom. in 3. dist. 24. art. 1. q. 1. S. Th. 2. 2. q. 1. art. 3. Soar. t. de fide tract. 1. disp. 3. sect. 5.

Vnio hypostica non stat cum peccato. Secundò sequitur vnionem hypostaticam non posse esse cum peccato, siue quia per eam natura vnitur Deitati, quæ est summa sanctificatio, & sanctificans singulariter, repugnatque omni peccato, vt Vasq. t. p. in 3. p. disp. 61 n. 32. siue quia inducit obligationem directionis, ita vt verbum assumens teneatur illam regere, tanquam sibi coniunctam, multo magis quàm Pater, & maritus tenentur regere filios, & vxorem, & pars superior hominis continere in officio appetitum inferiorem, vt Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 34. s. 2. siue ob aliam causam: & ideo Christus Dominus fuit impeccabilis etiam physicè, non enim erat paratus Dei concursus ad operationem peccaminosam, quæ non erat possibilis cum vnione, sicut nec ad alias res impossibiles, & propterea etiam ex parte actus primi deerat aliquid ad complementum principij physici: ob debitum enim dirigendi humanitatem vnitam imputatum fuisset peccatum verbo, iuxta hanc sententiam, quod implicat contradictionem.

P. Vasq.

P. Soar.

Ex ijs, & multis alijs similibus inuoluentibus contradictionem, eo quod repugnent attributis diuinis, constare potest nec à longè quidem apparere vmbra declinationis huius, aut difformitatis ad diuina attributa ex positione potentiæ obedientialis actiuæ; quin potius ea videtur esse radius, quo Dei omnipotentia, & sapientia fit conspicua; si quidem latius illæ protenduntur, & patescunt quo plura sunt, quæ manare ab eis possunt, & ad commendationem diuinæ essentiæ pertinet, quod in ea, vt in exemplari contineatur idea potentiæ obedientialis, non solum passiuæ, sed etiam actiuæ; vt supra diximus.

Pertinet ad commendationem diuinæ potentiæ & sapiẽtiæ, vt in ea contineatur idea potentiæ obedientialis actiuæ.

Immo si passiua eo vsque diffunditur, vt omnis substantia etiam vilissima possit esse subiectum, & sustentare gratiam, & alia dona supernaturalia, si Deus de absoluta potentia velit in ea producere; mirum non videatur, quod ad eamdem producendam possit quamlibet creaturam pro instrumento adhibere. Esse autem illud possibile constabit ex ijs, quæ de potentia obedientiali passiua dicenda sunt in disputatione propria.

Regula octaua.

XXVII. REcurrunt etiam aliquando Theologi ad hypotheses impossibiles, vt videant vtrum vna data per locum intrinsecum, sequantur contradictoria simul; valet enim hæc regula ad cognoscendas rationes formales rerum, de quibus disputatur, vnde & Metaphysicis, ac physicis vsui esse potest, vt aduertit Vasq. 1. p. disp. 145. c. 1. Potest autem propositio,

P. Vasq. vel quæstio hypothetica dupliciter proponi, primò ita vt termini, quibus constat, immediatè ferant secum contradictoria, verbi gratia an si homo non esset rationalis, distingueretur à belluis, & hæc implicat in terminis, & dicitur superuacanea, & inutilis ex eo namque quod est homo rationalis, & distinguitur à belluis, & ex suppositione, quod non sit rationalis, homo non est, nec distinguitur, vt supra dixi. Ideo non manet suppositio, & quæstio fit de subiecto non supponente, quæ tamen ex altera parte supponitur manens, & sic inuolvit contradictoria affirmationem, & negationem. Secundò potest hypothesis fieri per terminos non implicantes, vt si quæratur, an posito quod homo esset intellectiuus, & non sensitiuus, distingueretur, ab Angelo, quamuis enim homo, qui de facto est, sit essentialiter animal, & sensitiuus, & manere non possit suppositio hominis, & non sensitiui, tamen abstractè sumendo hominem vt concipitur possibilis sine sensu, quæri potest, an distingueretur ab Angelo, & ita manet suppositio hominis, & vtiliter quæritur, an sensatio sit adæquata ratio distinctionis eius ab Angelo; & in primo quidem modo, quia positio inuolvit repugnantiam, non potest deduci magis vnum, quàm alterum oppositum, & ideo inutile est

Potest quæstio hipothetica dupliciter tractari.

Digitized by Google

quæsitum. In secundo non item, quia licet hypothesis sit impossibilis, tamen virtute continet categoricam quæstionem, an adequata ratio distinctionis sit sensatio, vt aduertit Suar. 1. p. lib. 10. Trin. c. 2. initio. Pro explicatione maiori inseruit quæstio illa celebris, an si Spiritus sanctus non procederet à filio, distingueretur ab ipso: de qua Theob. prima p. q. 36. q. 4. quam quidem relati, & reiecti à Scot. in 1. d. 11. quæst. 2. & à P. Vasq. 1. p. disp. 147. c. 1. inutilem putant, quia cum ea, quæ sunt in Deo, sint summè necessaria, illis opposita sunt summè impossibilia, quale est Spiritum sanctum non procedere à filio, atque adeo ex impossibili sequitur vtraque pars contradictionis, & nihil certi ex quæstione hac colligi potest. Contra verò alij communiter vtilem iudicant, & Scotus profuga reputat responsionem istam, quia mouetur quæstio, vt inquiratur, quid sit principium distinctiuum reale Filij à Spiritu Sancto, vtrum filiatio, an sola spiratio actiua; quia si filiatio, per quodcumque incompossibile circumscripta spiratione actiua, adhuc remanebit ratio distinguendi. Ex quo infert alteram partem contradictionis nimirum, quod adhuc distingueretur Filius à Spiritu sancto, quia remaneret ratio distinctiua, quę est filiatio, & quamuis S. Th. S. Bonau. & alij inferant contradictoriam, quod videlicet non distingueretur, si non procederet à Filio Spiritus sanctus, tamen conuenit inter auctores vtriusque sententiæ, quod ex hypothesi impossibili non sequantur simul duo contradictoria, sed vnum tantum.

De Suar.

Scot. Vasq 1. p. disp. 147. c. 1.

Et Suarius quidem loc. cit. n. 12. existimat, quòd si limitetur quæstio ad personas, quæ de facto sunt, proponitur in primo sensu, & implicat in terminis, ac inutilis est, quia nulla certa pars sequitur, sed duo contradictoria inuoluuntur in ea, nam ex suppositione essent distinctæ personæ, eo quod sermo sit de ijs, quæ sunt de facto, quas repugnat esse vnam personam; & non essent distinctæ, quia non haberent processionem, quam nunc habent, iuxta sententiam requirentem illam ad distinctionem. Si verò proponatur in secundo sensu, quatenus concipitur processio Spiritus sancti, non vt huius personæ, quæ nunc est, sed personæ tertiæ, secundum se abstrahendo ab ista, vtiliter instruitur quæstio.

Quod verè dicitur, & fusius explicabitur infra n. 31.

Alij verò etiam instituta quæstione de personis, quę de facto sunt ex hypothesi impossibili, quòd Spiritus sanctus non procederet à Filio, deducunt vnam partem contradictionis, quod distingueretur ab ipso, quia licet processio ius necessariò sit à filio & opponatur contradictoriè non processioni: tamen inuoluit alia prædicata, quæ explicitè, & formaliter non opponuntur contradictoriè non processioni a Filio, inter quæ est processio à Patre, & relatio ad ipsum, & ista possunt considerari in Spiritu sancto, præcisâ consideratione processionis à filio, & quęri, an cum istis intelligeretur distinctus à Filio, vt inde colligatur, quæ sit ratio distinctionis, nam si cum tali circumscriptione spirationis actiuæ Filij, & passiuæ Spiritus sancti intelligitur distinctio, signum est ab illa non esse petendam rationem distinctionis, ac proinde etiam non spiraretur à Filio, adhuc distingueretur, vt sensit Scotus, secus si non esset fundamentum vllum distinguendi præcisâ spiratione, vt SS. Th. & Bonau. & alij. Nos hîc solum exemplum famosum afferimus ad explicandum, quod licet interdum recurrere ad hypotheses impossibiles, vt videamus, an ex illa sequatur implicantia contradictionis in aliqua materia particulari, vt vna ex contradictorijs eligatur, vt certa, vel probabilior; verum de hypotheticis impossibilibus recurret sermo infra in solutione argumenti ex S. Th. auctoritate ducti contra doctrinam de possibili, & impossibili. Interim si hæc regula applicetur propositæ quæstioni, an detur potentia obedientialis actiua, confirmat alias, quia nulla hypothesis fingi potest vel possibilis, vel impossibilis, ex qua inferatur eius impossibilitas, aut simultas duarum contradictoriarum, vel affirmatio, & negatio de eadem, iuxta dicta in prima regula; quin potius datâ hypothesi aduersarij illam negantis, sequuntur incommoda superius allata contra dominium Dei, & totalem, subiectionem creaturæ, &c. quod autem non sequantur contradictoria, patet ex solutione argumentorum.

Corollaria ex regulis præcedentibus.

CAPVT IV.

§. I.

PRimum est de repugnantia, vel non repugnantia effectuum potentiæ obedientialis actiuæ, seu de obiecto possibili respondente ipsi, eodem modo proportionaliter esse ratiocinandum, ac de obiecto potentiæ diuinæ, nimirum non pendere ab eius libera voluntate, quod hoc, vel illud sit producibile per creaturam vt instrumentum eius, quia si non est repugnantia in rebus, aut modo productionis earum, non potest non esse producibile potentia logica, etiamsi physica inuoluente actualem productionem possit non produci, cum omnis actio extrinseca pendeat à voluntate Dei. Patet hoc primò ex ratione vniuersali, quia omnis potentia supponit suum obiectum. Secundò ex ratione particulari diuinæ omnipotentiæ, quæ vt supra docuit S. Th. 1. p. q. 25. art. 3. non sic vocatur, quia possit facere omnia possibilia suæ potentiæ, esset enim circulus inutilis: idem enim esset dicere, quod potest omnia quæ potest: est ergo omnipotens, quia potest omnia possibilia absolutè, id est quæ non implicant in se contradictionem, ac proinde non implicantia non causatur ab omnipotentia; sed supponitur illi ex positione essentiæ: & eadem ratio est de possibilitate effectuum supernaturalium per creaturam, vt instrumentum ipsorum efficiendorum: non enim hæc causatur ab omnipotentia, sed ipsi supponitur; & multo magis potentiæ obedientiali, quę completur ab illa. Hinc

XXVIII.

S. Thom.

Tertiò probatur ex ratione particulari potentiæ huius. Vt enim S. August. cit. lib. 9. de Gen. ad lit. c. 17. *'Deus non est ipsi ipso potentior, & ideo non faceret ex naturis rerum, quod ex eis fieri non*

S. August. Deus non est ipsi ipso potentior.

posse ipse præfigeret : Ergo neque facere potest vt non sit factibile à sua omnipotentia per creaturam, vt per instrumentum, quod fieri non implicat; si enim iccirco diceretur omnipotens, quia potest quicquid non implicat, ex suppositione quod destruere posset obiectum omnipotentiæ, faciendo quod factibile ab ipsa non esset factibile, potentia in eo esset maior omnipotentia, quod implicat in terminis, & ponit in Deo aliquid inordinatum, ac repugnans: Igitur possibilitas effectuum supernaturalium per creaturam est immutabilis, sicut & rerum cæterarum & independens à decreto libero, sine potentiæ præiudicio, Immo sic ipsa exigente, quia mutabilitas dicit inordinationem, & impotentiam.

Quartò, si talis possibilitas pendeat ab actu diuinæ voluntatis, vel hîc esset liber, vel necessarius: Non primum, quia potuisset Deus illum non habere, atque ita non fuisset possibilis gratiæ productio, vel miraculorum, illo præciso: igitur cecidisset actus super impossibile saltem negatiuè, & illi dedisset esse possibile positiuè; at hîc dici non potest quia vel ante actum in signo rationis quo concipitur impossibile negatiue est repugnantia in terminis; & ita per actum non tollitur, quia sic Chimera acciperet esse possibile per actum diuinum, quod est absurdum: vel non est repugnantia in terminis, & ita est possibile positiuè, quia negatio repugnantiæ est de aliquo positiuo, quod non potest fieri impossibile, sicut non potest fieri possibile quod implicat in terminis; alioqui esset possibile, & impossibile. Neque dici potest quod pendeat per actum necessarium, quia hîc est possibilium, ac impossibilium vt terminorum quos non causat, sed super quos cadit, & supponit, & quemodmodum non est causa impossibilium: ita nec possibilium.

Dices creaturas accipere esse possibile ab intellectu diuino, quatenus cognita essentia tendit in creaturas, vt terminum secundarium, & dat illis esse quoddam diminutum, quod est esse possibile, vt Scotus in 1. dist. 25. & 36.

Scotus. Respondeo quicquid sit de hoc esse diminuto, non satis hucvsque elucidato à Scotistis, & vindicato tamen à censuris per Soar. disp. 31. Metaph. sect. 2. & Vasq. 1 p. disp. 70. c. 2. non est illud esse possibile, de quo loquimur, quia quamuis res denominetur cognita ab intellectu diuino versante circa illum, & tamen ab illo accipit esse possibile, sed supponitur illi, & ipse Scotus ibidem negat à cognitione diuina creaturas accipere essentiam, vel existentiam; In quo est paritas aliqua cum omnipotentia, siue potentia actiua Dei, à qua denominari quidem potest extrinsecè possibile, sed denominatum est ens quoddam absolutum, & quasi passiuum aptum terminare respectum diuinæ potentiæ, vt Henric. quodl. 8. q. 3. & cum eo Vasq 1. p. disp. 104 n. 15. & alij. Henric. Vasq.

An verò hoc esse possibile quod est æternæ veritatis, dicat aliquid reale distinctum à diuina virtute eleuante, & à creatura eleuabili, idem iudicium ferendum quod de possibilitate rerum omnium, & essentijs ipsarum, quæ est disputatio Metaphysica, de qua Soar. disp. 31. Hurtad. disp. 8. Metaph. Arriag. disp. 2.

Et verum quidem est quod ait P. Soar. sect. 2. à nullo catholico Doctore asseri, quòd essentiæ habeant aliquod ens reale à se absque libera efficientia Dei, si de esse reali intelligatur quod actu in se existat; quia quicquid existit actu, à Deo libere productum, à quo nihil ab æterno fuisse productum certum est: si autem sermo sit de ente reali ampliatiuè, vt contra distinguitur à nihilo, & à chimerico, præcipui Thomistæ Capreol. Caiet. Ferrar. & alij distinguunt essentiam ab existentia realiter, nixi auctoritate S. Thomę; Scotistæ & plerique alij distinctionem formalem seu ex natura rei agnoscunt; & ijdem cum Scoto ens diminutum conantur explicare quod est extra nihil, & æternum: & isti omnes admittunt propositiones æternæ veritatis in diuerso sensu, quàm admittantur à constituentibus solum distinctionem rationis inter essentiam, & existentiam, & nullum tamen periculum, vel incommodum illorum doctrinæ subesse suspiciendum est.

Ratio hominis secundùm se distinguitur à ratione indiuiduorũ. S. August.

Sed quid si S. Augustinus epist. 115. distinguit rationem hominis secundum se à ratione indiuiduorum. *Item*, inquit, *quaris vtrum summa illa vera, & summa sapientia, & forma rerum per quam facta sunt omnia, quam Filium Dei vnicum nostra sacra prophetantur, generaliter hominis; an etiam vnuscuiusque nostrum rationem contineat. Magna quæstio; sed mihi videtur quod ad hominem faciendum attinet, hominis quidem tantum, non meam, aut tuam ibi esse rationem. Quod autem ad verbum temporis, varias hominum rationes in illa sinceritate viuere, &c.* Neque interpreteris de rationibus vt sunt idem quod verbum, in quo dicuntur contineri; nam hoc modo non distinguuntur vniuersales, à singularibus, quia neque verbum, & essentiâ diuina, cui identificantur distinguitur à seipsa.

Et de lib. arb. lib. 2. c. 8. *Non enim si sensi corporis percepi numeros, iccirco etiam rationem partitionis numerorum, vel copulationis sensu corporis percipere potui, & mox, septem autem, & tria decem sunt, & non solum nunc, sed etiam semper: Neque vllomodo aliquando septem & tria, non fuerunt decẽ, aut aliquando tria & septem non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri naturam, dixi mihi, & cuilibet rationanti esse communem.* Ecce in Augustino æternam, & incommutabilem numeri naturam & eadem ratio est de alijs naturis rerum. Numquid non Catholicus Augustinus, & Doctorum doctor.

Rationes incommutabiles.

Sed frequens est apud eum mentio rationum incommutabilium æternarum præsertim lib. 83. qq. 46. lib. 6. Music. c. 12. lib. 4. de Gen. ad lit. c. 24. & sæpe alibi. Et loquitur de illis vt distinctis à diuina sapientia, in qua continentur & in qua vita esse dicuntur quæcumque sunt; quia obiectiuè in eius mente versantur, cui omnia perspecta sunt, & proinde etiam rationes numerorum, puta quod septem, & tria sunt decem, & omnes aliæ veritates, quæ non sunt prima veritas, sed ab illa participatæ: Neque solum rei singularium, sed etiam vniuersalium secundum S. Augustinum, qui & lib. de immort. Anim. c. 1. Quod est, atque immutabile est, semper sit necesse est, esse autem disciplinam nemo negat. Et quisquis fatetur fieri non posse, vt ducta per medium circulum linea non sit omnium, quæ non per medium ducuntur maxima, idque esse alicuius disciplinæ, immuta-

bilem disciplinam esse non negat. Et c. 2. Item semper eodem modo est, quod est, quod quatuor habent duo, & duo, hoc autem non habent duo. Duo igitur quatuor non sunt; est autem ista ratio immutabilis. Quò pertinent Mathematicæ demonstrationes de numeris, de lineis, de angulis, de circulis, quę sunt certissimę veritates; puta quod triangulus constet tribus angulis æqualibus duobus rectis, quod impossibile sit constare duobus rectis, quod diameter sit incommensurabilis costæ: quod angulus contingentiæ sit minor omnibus rectilineis, & similia, quæ non verificantur de istis Physicè acceptis, sed Mathematicè, abstrahendo ab omni existentia, vt notum apud Mathematicos est, vt aduertit Michaël Seisilius infra cit.

Sancto Augustino consonat S. Bonau. in 1. dist. 35. a. 1. q. 1. & q. 4. asserens quod idea diuina est similitudo, & ratio expressiua cognoscendi non tantum vniuersale, sed etiam singulare, quamuis ipsa non sit vniuersalis, nec singularis, sicut neque ipse Deus: Et ideo non tantum est vniuersalis vt vniuersale est, sed etiam singularis, vt singulare, & proinde multiplicatur non solum secundum multitudinem vniuersalium; sed etiam singularium, &c. Idque probat multis auctoritatibus S. Aug. hæc autem vniuersalia, quæ respondent diuinis Ideis, sunt rationes incommutabiles, & æternæ, de quibus S. August. Et lib. 2. dist. 37. dub. 5. ait. *Dicendum quod quædam sunt, quæ exemplar habent in Deo secundum conformitatem, quæ attenditur quantum ad esse generale. Quæuis ergo pœna, sine passio non habeat correspondens ex in Deo passionem, vel pœnam, habet tamen correspondens in genere entis, at in genere ordinis, &c.* Hoc generale correspondens est ratio aliqua, & nonnihil, neque Deus ipse. Quod probant etiam quæ habet in 1. d. 41. q. vlt. de vero quod supponitur diuinæ scientiæ.

S. Thom. Consonat & S. Th. non semel, sed præsertim 1. p. q. 15. a. 3. tertium asserés in diuina mente esse ideas non solum specierum, sed etiam indiuiduorum; quia diuina prouidentia ad hæc omnia se extendit, quicquid Plato existimauerit indiuidua non habere aliam ideam quàm specierum. Si ergo species habent suas ideas quibus respondent, oportet illas esse quid reale, licet non existens ante productionem indiuiduorum.

Scot. Scotus etiam in 1. dist. 35. §. Ad ista approbat Platonis doctrinam, vt exponitur à S. August. quod dentur quidditates non per se existétes, vt illi Aristoteles affinxit; sed in diuina mente obiectiuè existentes, & habentes ab illa esse cognitum. Quicquid tamen sit de mente Platonis non vno modo intellecta etiam à Platonicis, & à Patrum plerisque confutata, satis est in præsentia ideis diuinis in quocumque demum consistat ipsarum definitio, variè item tradita à scholasticis, respondere non solum singularium in tempore existentium; sed etiam vniuersalium à tempore abstrahentium rationes, quas S. Aug. vocat incommutabiles, & æternas: etiamsi ab hac sententia recedant multi recentiores, præsertim Vasq. 1. p. disp. 74. n. 6. citata pro contraria & insoluta relicta auctoritate S. Aug. & cum ipso alij.

Ratio etiam præter contentas in auctoritatibus citatis fauet, quia possibile vt sic distinguitur à pura negatione entis, & ab entibus fictis per intellectum chimerice, ergo est intra limites entis realis. Antecedens patet, quia illa nec sunt actu, nec potentia ens reale. Sequela probatur, quia quod poni potest actu, est extra nihil, & inter limites entis.

Secundò, possibile habet aliquam rationem boni, & amabilis, & de facto amatur à Deo, saltem simplici complacentia, ergo & habet rationem entis.

Confirmatur, quia Deus vult omnes homines saluos fieri, etiamsi non omnes saluentur, ergo amat salutem possibilem non futuram.

Inter has ergo rationes numero possibilitatem effectuum supernaturalium per creaturas eleuatas diuina virtute, quia diuinæ potentiæ non minus facile est eleuare aquam ex. grat. ad producendam gratiam, quàm concurrere cum ipsa ad producendum frigus: Et aquæ non minus connaturale est subdi diuino imperio, eique cooperari instrumentaliter ad effectus supernaturales, quàm principaliter ad naturales, & proprios suæ naturæ, consequenter obiectum potentiæ obedientialis actiuæ supponi ipsi, non secus ac cætera obiecta suis potentijs: cum hoc tamen discrimine, quod potentiæ creatę specificantur, & pendent ab obiectis, non item obedientialis: hæc enim si consideretur secundum id quod se tenet ex parte creaturæ, cum non sit quid distinctum ab eius entitate non specificatur, neque ordinatur ad effectus supernaturales, aut ad aliam creaturam vt causatiuam ipsorum: Immo respectu illorum non tam potentia, quàm impotentia est appellanda, cum nihil penitus in illos possit: si vero consideretur vt dicit virtutem diuinam eleuantem, multo minus specificatur, aut pẽdet ab obiecto creato, sed solum dicitur versari circa illud, ratione suæ infinitæ perfectionis, quæ se extendit ad omne illud quod non implicat contradictionem, qualis est possibilitas effectus supernaturalis per creaturam operantem instrumentaliter.

Potentia obedientialis non specificatur ab obiectis.

Obijcies quia darentur entia realia ab æterno, quod est impium asserere.

Deinde quod aliquid independens à Deo, aut non creatum, immo tertio quod aliquid prius Deo.

Respondeo nego omnes istas sequelas. Primò enim argumenta sunt contra SS. Aug. Bonau. Thom. admittentes rationes vniuersales respondentes ideis diuinis, & proinde æternas, quin admittant aliquid existens in se cœternum Deo.

Ideo secundò respondeo catholicos Doctores esse omnes in hoc conformes, quod nihil actu sit æternum præter Deum: non item in hoc quod sint rationes incommutabiles, de quibus agit S. August. sicut neque in eo quod sint essentiæ, & quomodo ab existentia distinctæ: mihi satis est habere plures, & graues, qui distinguunt pluſquam ratione, & veritates æternas admittant ac rationes incommutabiles, quæ non sunt nihil simpliciter, licet creatæ non sint.

Ad secundum nego non pendere à Deo: non pendent quidem à libera voluntate ipsius, neque ab vlla actione physica: sed altiori modo ab essentia, & prima veritate: quatenus illa posita sicut non potest non esse trinitas personarum, &

Rationes incommutabiles à Deo pendent.

Digitized by Google

& proceſſio multiplex ipſarum; ita non poſſunt non eſſe rationes incommutabiles, & veritates, quæ ſunt participationes eius, & dependentiæ Metaphyſicæ ab ipſa, & neceſſariò connexæ cum ipſa: ita vt ſit neceſſaria ſequela à poſitione eſſentiæ ad poſitionem iſtarum rationum; non tamen mutua, quia etiamſi implicarent omnia entia, adhuc eſſet Deus qui nunc eſt; non tamen vice verſa, vt alias oſtendam ex S. Bonau. quicquid Vaſq. P. Soar. in contrarium. Ex quo patet huiuſmodi rationes nec eſſe creatas, nec non creatas, vt Mayr. in 1. d. 36. fin. de quidditate quia non ſunt nihil, etiamſi non exiſtant actu: nec ſunt ipſæ creator.

Ad tertium nihil prius eſt Deo, vt S. Thom. 1. p. q. 3. a. 5. quia ab illo eſt, vt à principio primo, & ſummo ente, quicquid habet ratione entis; ſed participatio iſta eſt multiplex, & per creationem & phyſicã actionem; & per metaphyſicam conſecutionem, ex eo quod non poſſunt non ſequi veritates æternæ ad poſitionem primæ, ob infinitam eius perfectionem, non ob dependentiam, aut indigentiam vllam; ſed propter abundantiã bonitatis, fœcunditatem naturæ, ad cuius ſimpliciſſimã actualitatem conſequuntur poſſibilitates omnes creaturarum, & rationes vniuerſales, & particulares earum; quæ conſecutio non eſt actio phyſica, ſed metaphyſica connexio ſecundarum veritatum cum prima.

Rationes æternæ difficiles captu ait eſſe S. Auguſt.

Sed non facile, ait Auguſt. loquens de ijs rationibus lib. 3. contra Acad. c. 17. *Percipiuntur, niſi ab eis, qui ſe ab omnibus vitijs in aliam quandam pluſquam humanam conſuetudinem vendicauerint*. In quem ſtatum euexerat ſe mens Auguſt. & ideo illas percipiebat, & idem de ipſis diſſerebat; oſtendebatque quantum viatori licet, Et quod ſunt in Deo, & verbo eius; & quod præter vitam, quam in ipſo habent à creatrice eſſentia indiſtinctam, habent æternas proprias veritates, & connexiones terminorum ſuorum, nulli mutationi obnoxias, & abſtractas ab omni tempore. Et ideo ſupponuntur quidem potentiæ diuinæ, vt à nobis concipitur tanquam attributum diſtinctum ab eſſentia, non tamen ſimpliciter illa priores dicendæ ſunt, quia poſteriores ſunt eſſentia, cum qua identificatur omnipotentia; quatenus vero conſiderantur vt reducibiles ad actualem exiſtentiam in ſingularibus, poſteriores & ſunt omnipotentiæ, quia per illam producuntur in eſſe cum omnimoda neceſſitate dependentiæ eſſentialis, tanquam à prima, & vniuerſali cauſa. Atque adeo ipſa rerum exiſtentia vt exercita, ſeu vt reducta ad actum pendet ab omnipotentia; vt eſt cauſa effectiua omnium quæ ſunt, ac eſſe poſſunt actualiter: At ſecundum ſe vt dicit poſſibilitatem, ſeu non implicantiam ad actum, non pendet ab omnipotentia, vt cauſa efficiente; ſed vt à primo ente, ſiue eſſentia cum qua identificatur, quia ipſa poſita vt cõtinente in ſe omnem perfectionem, & veritatem oportet, ſequi veritates alias, vt diximus. Qua diſtinctione opus eſt ad ſoluenda varia dicta Theologorum, puta quod omnia quæ aliquo modo ſunt, pendẽt à Deo, cui videtur oppoſita quod eſſentiæ, & rationes æternæ non pendent à Deo, v. g quod quinque & quinq; vel ter & ſeptem ſint decem, vt S. Aug. ſupra. Primũ namq; eſt verũ, quia etiam participationes quædam ſunt eſſentiæ creaturarum eſſentialiter connexæ cum prima creatoris, & neceſſaria conſecutione ad illam conſequentes; ſecundum verò, quia ſicut in poteſtate Dei non eſt ſuam naturam mutare, cum ſit incommutabilis, & primum neceſſarium; ita neque peruertere rerum eſſentias, quia neceſſariò ſunt participationes ſuæ eſſentiæ, à qua vtpote infinite perfecta, & fœcunda reſultat omnis ordo, numerus, & menſura naturarum, non vt à libere tantum operante, & dante eſſe actuale; ſed vt à primo ente, ſummo, neceſſario, optimo, quod ſolum eſt ens à ſe, omnino independens ab vllo alio.

Inſtabis, quia ens immediate diuiditur in ens creatum, & increatum: cum igitur prędictæ rationes non ſint ens increatum, eſſe debent creatum, & proinde pendentes à voluntate Dei.

Diuiſio entis in ens creatum, & increatum ſumitur ampliatiue.

Reſpondeo diuiſionem hanc deſcendere ad ens creatum ampliatiuè ſumptum, vt complectitur omne ens reale, & verum, & proinde omne non implicans contradictionem: & hoc pendet à Deo, ſed non à voluntate Dei, quaſi per illam pendeat implicantia, v. g. hominem eſſe quid poſſibile, aut animal rationale, & non rationale: tria, & tria eſſe ſex, & ſimilia vt diximus.

Rationes incommutabiles differũt à præciſius.

Si quæras an huiuſmodi rationes ſint illæ, quæ à pleriſque recentioribus vocantur præciſiuæ? Attenta ſignificatione præciſiuæ,

Reſpondeo negatiuè, ſiue enim illæ admittendæ ſint, ſiue negandæ, tam in diuinis, quàm in creatis, de quo diſputant Philoſophi in Logica, & Metaphyſica, requirunt opus intellectus præſcindentis vnum ab alio, v. g. rationem ſuperiorem ab inferiori cum fundamento in re, quod alij maius admittant & ſufficiens ad concipiendum vnum ſine alio: Alij minus, & inſufficiens ad diſtinctionem pręciſiuam ſaluantes diuerſos conceptus penes diuerſa connotata. At vero rationes immutabiles, de quibus agit S. Auguſt. non egent operatione intellectus, vt dicantur diſtingui inter ſe, & à Deo, quia etiam intellectu creato nihil cogitante, videt diuinus rationem hominis, & connexionem terminorum eſſentialium ipſius; & rationes omnes numerorum non pendentes ab hoc vel illo numero in particulari: ſed ſolum à ſua eſſentia; puta decem, ac decem eſſe viginti independenter à ſtellis, vel Angelis, vel hominibus. Et iſtæ ſunt rationes metaphyſicæ per metaphyſicam dependentiam, ideſt, per neceſſariam conſecutionem ſeu connexionem, & non per vllam phyſicam actionem pendentes à Deo.

Dixi attentâ ſignificatione præſiciuè, quia ſi ſub illam etiam vocentur rationes, quas vocant obiectiuas, quòd obijciantur intellectui, vt quid verum, & neceſſarium de illis verificantur auctoritates, & rationes adductæ, ſiue veritas cadat ſuper poſſibilia, ſiue ſuper impoſſibilia, tam enim verum eſt, non poſſe hominem eſſe leonem, quàm eſſe animal rationale, & vtraque hæc veritas, ſicut & omnis alia participatio quædam eſt primæ, ac ſummæ veritatis, vt paullò poſt dicam.

Confirmatur, quia in ſententia negantiũ actionem diſtingui modaliter à termino, & agente, valet dicere quod effectus, v. g. ignis B pendet ab igne A non quia per aliquam entitatem medium accipiat eſſe; ſed quia poſito igne A in

talibus circumſtantijs loci, temporis, diſpoſitionum, &c. verum eſt dicere ideo exiſtit ignis, B, quia exiſtit ignis A, vt Val.

Valent.

Si ergo dependentia hæc phyſica eſt ſine actione phyſica diſtincta ab extremis, quid mirum, quod dependentia metaphyſica ſine vlla actione intelligatur præciſe per hoc, quod dicantur eſſe poſſibiles connexiones terminorum, & ſequi veritates æternas ex eo præciſe quod ſit Deus?

Item ex vi decreti diuini liberi res quę fiunt in tempore acceperunt eſſe futurum, vel non futurum ab æterno, quin aliqua actio tranſiens ad extra interceſſerit. Verum enim fuit ab æterno quod mundus, Incarnatio, gloria beatorum erat futura, quia Deus voluit: ſicut ergo futuritio fuit quædam veritas non creata, ſed reſultans ab efficatia diuinæ voluntatis; Ita poſſibilitates, & eſſentiæ rerum ſunt veritates non factę, ſed neceſſaria connexione ſequentes ad eſſentiam, & primam veritatem, quæ Deus eſt. Licet hoc ſit altiſſimæ ſpeculationis negotium, vt S. Auguſt. ſupra: in quo plus momenti apud Theologos habere debent Patrum auctoritates, quàm Philoſophorum quorumdam argutiæ illis haud ignotæ, & nihil penſi habitæ præſertim in à S. Anſelmo, cuius verba huc transferre libet.

Teſtimonio S. Anſelmi probatur idem ex S. Auguſtino aſſertum præmiſſum.

§. II.

HIc quoque mõdo loquendi S. Auguſtini inhærens, ſicut ille aduerſus Academicos quoſdam non valentes rationes æternas, & incommutabiles intelligentia comprehendere mentem ab omnibus purgatam vitijs, & ſupra humanam conſuetudinem euectam ad eas percipiendas requirit; ita S Anſelmus, Homo, inquit, ſe temere mergat in condenſa difficillimarum quæſtionum, niſi prius in ſoliditate fidei, conquiſita morum, & ſapientiæ grauitate, ne per multiplicia ſophiſmatum diuerticula in tãta leuitate diſcurrẽs, aliqua tenaci illaqueetur falſitate. Tum in hominum ſectatores inuchens, quibus huiuſmodi rationes æternæ exoſæ ſunt, ſubdit. Cumque omnes, vt cautiſſimè ad ſacræ paginæ quęſtiones accedant, ſunt commonendi illi vtique noſtri temporis Dialectici (imo Dialecticæ hæretici, qui quidem non niſi flatum vocis, putant eſſe vniuerſales ſubſtantias, & qui colorem non aliud queant intelligere, niſi corpus, nec ſapientiam hominis aliud quàm animam) prorſus à ſpiritualium quæſtionum diſputatione ſunt arcendi. In earum quippe animabus ratio, quæ princeps, & iudex omnium debet eſſe, quę ſunt in homine, ſic eſt imaginationibus corporalibus obuoluta, vt ex eis ſe non poſſit euoluere, nec ab ipſis ea quæ ſola, & pura ipſa contemplari debet, valeat diſcernere. Et ne forte dicas ſermonem ibi eſſe de ſubſtantijs ſpiritualibus, quæ dicuntur vniuerſales in cauſando, obſtat primo quia Si Anſelmus catholicos carpit, qui non negant huiuſmodi ſubſtantias. Deinde textus ipſe de vniuerſalibus logicis aperte loquitur. Qui enim, ait, nondum intelligit, quomodo plures homines in ſpecie ſint vnus homo, qualiter in illa ſententia, & altiſſima natura comprehendit, quomodo plures perſonæ, quarum ſingula quæque eſt perfectus Deus, ſint vnus Deus, & mox. Denique qui non poteſt intelligere aliquid eſſe hominem, niſi indiuiduum, nullatenus intelliget hominem niſi humanam perſonam; Omnis enim indiuiduus homo, perſona eſt. Igitur natura ſpecifica hominis non eſt nihil, ſecundum S. Anſel. de Incarnat. Verb. c. 2. ſed aliquid prẽter indiuiduum, non quia ſit aliqua realitas phyſica diſtincta realiter per peculiarem exiſtentiam; ſed quia eſt aliqua æterna ratio, & veritas modo explicato: quo ſenſu Ariſt. l. 1. Poſt. t. 181. ait, vniuerſale autem honoratum eſt, quoniam ſignificat cauſam, &c. cognitionis videlicet demonſtratiuæ.

Confirmatur ex Monolog c. 9. vbi hæc habet, Rem vnam tripliciter loqui poſſumus. Aut enim res loquimur ſignis ſenſibilibus, id eſt quæ ſenſibus corporeis ſentiri poſſunt, ſenſibiliter vtendo: aut eadem ſigna, quę foris ſenſibilia ſunt, intra res ſenſibiliter cogitando: aut nec ſenſibiliter his ſignis vtendo, ſed res ipſas vel corporum imaginatione, vel rationis intellectu pro rerum ipſarum diuerſitate intus in noſtra mente dicendo. Aliter namque hominem dico eum tum hoc nomine quod eſt homo, ſignifico: aliter cum hominem mens, aut per corporis imaginem, aut per rationem intuetur: per corporis quidem imaginem, cum eius ſenſibilis figuram imaginatur: Per rationem verò, vt cum vniuerſalem eius eſſentiam, quæ eſt animal, rationale, mortale, cogitat. Et in Deo fuiſſe hanc tertiam locutionem docet, qua in ſe prius dixit creatam creaturam, quàm eam ſecundum eamdem, & per eamdem locutionem conderet. Terminos igitur huius locutionis ſecundum S. Anſelmum ſunt eſſentiæ rerum; quæ, ſi attendatur exiſtentia dicuntur non eſſe, ſi poſſibilitas ad exiſtendum, obiecta menti ſummi artificis dicuntur eſſe aliquid non ſimpliciter, quia hoc dicitur de re exiſtente, ſed ſecundum rationem facientis per quam, & ſecundum quam fiunt, vt loquitur. c. 8.

Dices: Ratio hæc facientis nihil eſt aliud quam creatrix eſſentia in qua continentur creaturæ ſecundùm ſubſtantificas rationes, vt loquitur S. Dionyſ. ipſi eſſentiæ identificatas.

Contra eſt, quia S. Anſelmus ſtatim c. ſequenti diſtinguit triplicem loquendi modum, & tertium transfert ad Deum, per quem videlicet intelligitur eſſentia ab omni indiuidualitate præciſa, & ea locutione ait expreſſius res ſignari, quàm per aliam quamlibet, & antequam fierent, & poſtquam factæ ſunt.

Dices rurſus hoc eſſe Verbum Dei in quo, & per quod facta ſunt omnia, ac proinde S. Anſelmum non de eſſentijs rerum, ſed de verbo intelligendum, etiamſi loquendi vocem vſurpet.

Reſpondeo, ſermonem ibi eſſe de verbo, & de obiecto intellecto per verbum; vt patet ex allata diſtinctione, in cuius tertio membro inducitur mens loquens cæleſtis intelligens vniuerſalem hominis eſſentiam, cuius ſimilitudinem applicat diuinæ locutioni, loquenti creaturas, ideſt

Digitized by Google

intelligenti illas antequam fierent, & proinde vt erant quid distinctum à locutione, quam terminabant.

Idem secúdò ex ijs quæ probãtur habet, in Dialogo de veritate, in quo passim docet præter illã rectitudinem, quæ est in rebus corporeis, & in singularibus, dari aliam, quæ sola mente percipi potest, & in subiecto non sentitur, vt expresse c. 12. & hanc vnam esse in omnibus veris, & rectis, quę quod talia sunt, dicitur esse huius, vel illius, puta vetis, actionis, voluntatis, quemadmodum dicitur tempus huius, vel illius rei, tum vnum, & idem sit tempus omnium, quæ sunt in eodem tempore simul, & si non esset hæc, vel illa res, non minus esset idem tempus. Quamquam discrimen in cæteris est, quia rectitudo significationis in oratione, & idem est de reliquis, non habet esse, & non esse, aut aliquem motum per significationem, sed est quid immutabile, & æternum, quod est in veritate summa, vt loquitur c. 11. neque tamen est formaliter ipsa summa veritas, vt declarant exempla illis locis adducta, v. g. præteritum dicitur esse aliquid, quia ita est in re, & ideo est aliquid præteritum, quia ita est in veritate summa: quod iuxta dicta superius facile explicatur, asserendo rem præteritam esse, & impossibile esse vt non sit præterita, sunt propositiones significantes verum: omnis autem veritas creata est participatio quædam primæ increatæ veritatis, & ideo in illa tamquam in radice continetur, & etiãsi desinat esse intra obiecta omnipotentiæ, quia non est possibile quod præteritum non fuerit præteritum, aut quod veritas non sit veritas; non tamen desinit pendere à primo principio omnium veritatum, quia consurgit ex diuina essentia, cum qua connexionem habet, ac dependentiam essentialem, non solum omne creatum ens existens, sed omne possibile ac verum, cuiuscunque sit generis.

Dices fuisse præteritum nihil est, vt S. Bonau. in 1. d. 44. in fin. Hinc probare non esse quid destruibile à Deo, igitur neque est verum, nam ens, & verum conuertuntur, igitur non pendet à Deo. Respondeo concedo præteritum nihil esse actu, nego non esse verum, ad hoc enim non est necessaria actualis existentia, vt patet in eo quod futurum est, v. g. mundum futurum fuisse verum fuit ab æterno, & hæc veritas non erat nihil, quia per decretum Dei acceperat esse futurum, vt supra dixi; neque tamen erat existentia vlla actualis, sed veritas futuritionis: ita & in præterito est veritas præteritionis sine existentia actuali præteriti: ens igitur, & verum conuertuntur, non quia omne verum existat actu, sed quia non est nihil, sed ratio aliqua extra nihil: nam & propositiones de non ente possunt esse veræ, v. g. quod chimera impossibilis est, & nihil in seipsa, &c.

Confirmatur responsio: quia si præteritum accipiatur pro re quæ præterijt; & ita Deus potest illam reproducere; igitur quando dicitur præteritum non posse reproduci, intelligitur de veritate formaliter vt distincta à re materialiter sumpta, quam explicamus per hoc quod fuit præteritum non potest non esse præteritum: ita potest Deus mundum destruere, & reproducere, non potest facere quin creatus fuerit, quia hoc est impotentiæ, vt explicat S. Bonau. loc. cit. exemplo scientiæ diuinæ, quæ omnino in se immutabilis dicit scire aliquod enunciabile ratione connotati, quia scibile definit esse verum, & scientia connotat in cognito veritatem, ita vt valeat hoc est verum, ergo cognoscitur non vice versa, vt idem dixerat distinct. 41. q. vlt.

Rationes etiam mathematicæ valent ad hoc probandum.

§. III.

QVoniam negantes rationes æternas, & veritates abstractas habent contra se, non modo S. Patres, & Theologos numeratos supra, sed etiam Mathematicos, qui magna ex parte in huiusmodi veritatibus considerandis occupantur, quæ in quantitate continua, & discreta abstrahente à motu, ac materia elucent, libet aliquot exempla ex eorum fontibus huc afferre.

Primum sit de quadratura circuli, in qua demonstranda nequicquam adlaborauere plures antiquorum, vt testatur Aristot. lib. primo Elench. c. 10. & lib. 1. Poster. t. c. 67. nec pauciores recentiorum irrito conatu in eodem opere desudauere; vt argumento sit scibilem non esse, aut certe humano ingenio imperuiam. Hæc quippe quadratura nihil aliud est, quàm constitutio quadrati æqualis circulo dato, quæ non ad circonferentias referenda est, sed ad arcas figurarum. Inuentio autem æqualitatis huius supponit numerum aliquem repræsentantem longitudinem circumferentiæ circuli præcise, siue rationalem, siue irrationalem, qui non est dabilis, quia circulus mathematicus est polygonia infinitorum laterum, & ideo eius circumferentia nullum recipit numerum neque rationalium, neque irrationalium, vnde nec circulum mathematicum dederis, nisi & infinitum numerum dederis. Quod idem est in angulo contingentiæ, qui minor est infinitis angulis rectilineis.

Præterea eiusmodi circunferentia nullam habet propottionem neque rationalem, neque irrationalem ad suum diametrum, & ideo quadratura eius excedit rationem calculationis humanæ, quæ si inueniretur, ratio etiam innotesceret quadrationis, ex multiplicatione enim semidiametri in semicircunferentia produceretur area quadranguli æqualis dato circulo, & solum reliqua esset inuentio medij proportionabilis inter duo latera quadrãguli illius inæqualia. Quod medium esset costa quadrati circulo æqualis. Sed huius vtriusque impossibilis est inuentio, & proinde etiam quadraturæ circuli, vt pluribus Mathematici differunt, & fusius explicat Michaël Stifilius in Appendice libri 2. de quadratura circuli, rectè monens argumenta physica in contrarium nihil probare, quia diuersæ rationis est circulus mathematicus, & quadratum à physicis, & similia sunt ijs quibus vtebatur Bryso apud Aristotelem loc. cit.

In horum sententia probabili corpus perfectè Sphæricum est impossibile produci physicè,

&c

& tamen de illo fiunt demonstrationes, & assumuntur ad illas propositiones veræ, quarum obiecta neque sunt nihil, cum de ipsis demonstrentur passiones reales; neque sunt entia rationis, cùm non fiant ab intellectu, neque possunt dici veræ respectu singularium possibilium existere quæ implicitè, seu confusè, concipiuntur, aut disiunctiue veniunt sub significationem, & prædicationem terminorum vniuersalium, quia numquam reduci possunt ad actum physicum. quid aliud igitur sunt obiecta istiæc intellectus tam abstrusa, & recondita de ipsis demonstrantis, nisi rationes, & veritates mathematicæ mediæ inter physicas, & metaphysicas, partim vtrisque similes, partim dissimiles, quia videlicet quantitate constant, imò meræ quantitates sunt, & tamen abstrahunt à materia: ac motu & si concretè in materia concipiantur, aut existere dicantur, iam mathematicæ non sunt; neque de quantitatibus compluribus ad actum physicum reductis verificarentur, quæ à mathematicis demonstrantur verbi gratia, & sit secundum exemplum desumptum ex Euclide quo

Secundò, probatur nostra assertio de veritatibus, & rationibus abstractis, demonstrat Euclid. lib. 3. Propos. 16. angulum semicirculi, factum videlicet à linea recta ducta ab extremitate diametri, quouis angulo acuto rectilineo maiorem esse, reliquum verò angulum contingentiæ, minorem esse omni acuto angulo rectilineo. Hîc ex vna parte demonstratio tam euidens est, vt euincat intellectum: ex altera, parte si fiant circuli, & anguli physici in materia aliqua, videntur negari non posse, quod positis duabus quantitatibus inæqualibus, si à maiori continua fiat ablatio, & minori continua fiat additio tandem non inueniatur æqualitas, non obstante etiam diuersitate figuræ, quia si additio, & detractio fiant secundum omnem partem saltem per diuinam potentiam, deuenietur ad terminum æqualitatis, quia totus excessus vnius additus est defectui alterius.

Neque soluit argumentum responsio Peletarij asserentis angulum contingentiæ nihil esse, neque ex contactu lineæ rectæ, & circumferentiæ effici angulum vllum: nam egregiè illum refutat Clauius in scholio ad dictam propositionẽ, & alioqui plures, ac præcipuæ demonstrationes factæ ab Euclide, essent de nihilo, & mera figmenta fundamento discursus carentia. Quod ne de solidissima, & certissima dicatur scientia asserendæ sunt rationes, & veritates, quæ sunt obiecta realia, neque tamen facta, aut factibilia, eo quod redacta ad actum physicum non admittant illas demonstrationes.

Tertiò, plane negat Euclides, inquit idem Stifilius lib. 2. Arithmeticæ, propositione quinta sui decimi, numeros irrationales esse numeros, & ostendit quomodo ex illa propositione id colligat. Nec tamen subdit, voluit eos omnino esse nihil, cum eis pulchrè vsus sit, tanquam numerorum imaginibus, &c. quid istæ sint imagines nisi rationes abstractæ, de quibus loquimur, quæ ad actum physicum existẽtiæ reduci non possunt: neque tamen nihil sunt, quia obiecta scientiæ realis sunt, super quæ cadunt definitiones, diuisiones, demonstrationes, & non finguntur ab intellectu, sed supponuntur. Vide Clauium in Algeb. c. 16. vbi numeros esse dicendos monet, quia cadunt sub regulam, licet neque integri sint, neque fracti, neque cum ijs proportionem habeant, quæ exprimi possit, vel audiri, & ideo irrationales, ac surdi nominantur.

Quartò, notum est peritis in Algebra numeros assumi nihilo minores, & de ijs, ac per eos subtilissimè multa demonstrari: & tamen physicè, ac metaphysicè loquendo, nihilo non potest dari aliquid minus. de quo vide Clauium in Algebr. c. 6. vbi de numeris fictis, siue minoribus nihilo.

Confirmatur & explicatur magis prædicta dependentia.

§. IV.

XXIX. Variæ continentur rationes in Deo.

QVia rationes æternæ continentur in Deo ex Sanct. Auguſt. supra, ideo secundum varia altributa Dei per nostrum modum considerandi distincta, varia etiam concipitur continentia. Si enim consideretur potentia, creaturæ continentur in ipsa vt in causa effectrice. Si sapientia, continentur tanquam in exemplari formali, in quo existunt obiectiuè. Si essentia, continentur in ipsa tanquam in radice originali; quia nimirum ipsa vt tali modo imitabilis, & communicabilis est ratio per modum ideæ radicalis, cur natura verbi gratia humana sit possibilis, & habeat esse obiectiuum & potentiale; atque ita dicitur esse prima radix possibilitatis intrinsecè omnium possibilium, & iccirco eâ per impossibile subiatâ corruunt omnia, quæ quouis modo sunt extra nihil, & omnes rationes conceptibiles, ac veritates, vt declarat Lessius in opus. de Omniporentia Dei, ac dominio l. 5. c. 2. Et ante ipsum S. Dionys. de diu. nomin. c. 5. In se, inquit, omnia initia, omnes conclusiones, & terminos rerum omnium continens, & antehabens, & supra omnia est, vt quia ante omnia per substantiæ eminentiam præest. Lessius. S. Dionys.

Quæ doctrina est aliorum Theologorum præsertim Sanct. Thomæ in primo Sent. dist. 19. quæst. 5. art. 2. quartum. Exemplar, inquit, rerum est in Deo dupliciter: vel quantum ad id quod est in intellectu suo, & sic secundum ideas est exemplar intellectus diuinus omnium quæ ab ipso sunt, sicut intellectus artificis per formam artis omnium artificiatorum: vel quantum ad id quod est in natura sua, sicut ratione suæ bonitatis qua bonus, est exemplar omnis bonitatis, & similiter est de veritate. Quod scilicet omnia dicuntur vera veritate increata exemplariter. Nec solum loquitur Sanct. Thomas de veritate singularium, seu quæ est in rebus singularibus, quæ dicuntur apta intelligi vt sunt; sed etiam de ratione veritatis, quæ tantum S. Thom.

Digitized by Google

intellectu perceptibilis eſt, vt patet ex articulo præcedenti, in quo de ente, & vero abſtractiuè ſumptis etiam meminit, & vtriuſque cauſam fatetur Deum, nempe exemplarem quantum ad id quod eſt in natura ſua; Idque ſiue accipiatur verum pro re, quæ apta eſt facere veram apprehenſionem; ſiue pro vero intellectus, id eſt pro actu intellectus apprehendentis, aut enuntiantis. Vtraque enim veritas reducitur, inquit, ſicut in primum principium, in ipſum Deum; quia ſuum eſſe eſt cauſa omnis eſſe, & ſuum intelligere eſt cauſa omnis cognitionis. Et hoc eſt quod dixi poſita eſſentia diuina, & prima veritate neceſſariò ſequi rationes æternas, & veritates immutabiles non ſolum conſecutione Logica, qua per diſcurſum vnum ex alio deducitur; ſed Metaphyſica cauſalitate, qua primũ ens eſt ſummè neceſſarium & principium omnium rationum obiectiuarum, & potẽtialium, ob infinitam ſuam perfectionem, & fœcunditatem, quam conſequuntur tam quæ vocãtur poſſibilitates, & eſſentiæ neceſſario, vt cauſam exẽplarem; quàm quæ actualiter exiſtunt in tempore vt cauſam efficientem libere communicantem illis eſſe. Vt fixũ maneat axioma quæcumque habent rationem entis à Deo pendere, omnemque poſſibilitatem, & actualitatem ab ipſo eſſe vt à principio primo quà neceſſario, qua libero: Ita vt quemadmodũ res exiſtens formaliter per ſeipſam exiſtit, & efficienter à Deo producente, & conſeruante libere: ita poſſibilitas, & eſſentia intrinſecè ſit, & formaliter non repugnãtia, ſeu compoſſibilitas terminorum eſſe; ſed exemplariter à Deo vt primo ente neceſſario ab ipſa participato. Atque adeo dupliciter res dicitur poſſibilis, intrinſecè ex natura ſua participata ab eſſentia diuina, vt prima radice exemplari; & extrinſecè ab omnipotentia, à qua poteſt participare eſſe actuale per liberam productionem. Vt Leſſ. loc. cit.

Dices cauſa exemplaris ex D. Th. 1. p. q. 15. a. 3. c. eſt ſolum exiſtentium, & dicitur ibi principium factionis rerum, & q. 8. de verit. a. 8. primum dicitur id, ad cuius imitationem fit aliquid; cum igitur rationes æternæ, & poſſibilitates non fiant, non poſſunt pendere à Deo vt à cauſa exemplari.

Exemplar multipliciter accipitur à S. Thom.

Reſpondeo, quod in S. Thoma exemplar multipliciter accipitur, primò propriſſimè, & in rigore, eſtque principium effectionis ad extra, vt dicitur 1. p. & de verit. cit. & hoc ponitur à D. Thom. q. illa 15. a. 2. c. diuina eſſentia vt imitabilis à creatura, & ſic cognita.

Secundò propriè, ſed non ita rigoroſe; & eſt natura ipſa diuina, & perfectio ſimpliciter, ad quam vt ad primum principium, & primum ens, ac verum, ſequuntur rationes & poſſibilitates prędictæ vt quædam ſimilitudines participatæ. Quo modo accipitur in 1. ſent. q. 19. cit.

Tertio largè, & impropriè, & eſt omne repręſentatum ab alio aliquo modo; ſic Angelorum eſſentię dicũtur exemplaria rerum materialium, à S. Thom. q. illa 8. de ver. a. 8. primum, & hoc tertio modo non eſt dependentia repræſentati ab exemplari, ſed bene primis duobus eſt omnium, quæ ſunt à Deo vt tanquam habente ideam formaliter omnium exiſtentium pro aliquo tempore; vel tanquam à principio omnis entis, ac veri qualecumque hoc ſit. Inſtabis quia S. Thom. q. 8. de ver. a. 5. probat multitudinem veritatum non dari ab æterno, ſed vnam tantum quæ eſt prima in intellectu diuino; quod ſi admittantur rationes æternæ, plures etiam veritates æternæ ſunt admittendæ.

Reſpondeo, S. Thomam ibi loqui tam de veritate formali, quæ conſiſtit in adæquatione cognitionis ad rem cognitam; quàm de veritate obiecti, quæ dicitur ineſſe rei, & vtrumque negat ab æterno fuiſſe multiplicem. Tum quia ſolus intellectus diuinus eſt æternus, & eius vna tantum eſt cognitio comprehenſiua omnium intelligibilium: Tum quia nulla res extitit ab æterno præter Deum; atque adeo neque vlla veritas rei actualiter exiſtentis niſi Deum. Cæterum ſi ſermo ſit de rationibus incommutabilibus, non negat S. D. eas fuiſſe in mente diuina ab æterno, & earum dari veritatem æternam vnam; ſicut & omnium quæ ab æterno nouit Deus; ſed ſolum dari veritatem obiectiuam vt rerum exiſtentium. Patet hoc

Primò, quia proponit octauo loco argumentum ex S. Auguſt. de libero arbitrio, quod nihil magis eſt æternum; quàm ratio circuli, & duo, & tria eſſe quinque, quorum veritas eſt creata, & proinde dantur plures veritates æternæ, & non ſola prima.

Reſpondet autem quod verbum S. Auguſt. eſt intelligendum quod illa ſunt æterna, ſecundum quod ſunt in mente diuina. Quod idem eſt cognoſci ab intellectu diuino, quia non aliter res eſt in intellectu cognoſcentis, niſi quia cognoſcitur ab illo; ſiue deinde cognitio ſit cauſa vt futurorum; ſiue tantum expreſſio vitalis, vt poſſibilium, quorum cognitio dicitur ſpeculatiua, & ſimplicis intelligentia; vt ſupra ex S. Th. Ex hoc autem infertur dari rationes immutabilis circuli, numerorum, &c. quia iſtæ non ſunt ipſa eſſentia diuina, ſed quid ab illa diſtinctum, iuxta doctrinam S. Aug. ſupra. Et de prẽſenti exemplo ſic loquitur lib. de Immortal. Animæ c. 4. tom. 1. *Sed cum vel nos ipſi nobiſcum ratiocinantes, vel ab alio bene interrogati de quibuſdam liberalibus artibus, quædam inuenimus; non alibi quàm in animo noſtro inuenimus. Neque enim idem eſt inuenire, quod facere, aut gignere: alioquin æterna gignere[mus] inuentione temporali, nam æterna ſæpè i[nuenimus]. Quid enim tam æternum, quàm circuli rat[ionem]? ſi quid aliud in huiuſcemodi artibus nec non fuiſſe aliquando, nec non fore comprehenditur, &c.* Hic Auguſt. pro rationibus æternis intelligit aliquid non factum, & tamen non meras negationes, aut nihil: Neque ipſum Deum, quia poteſt animus nihil de Deo cogitans, aut ſciens concipere rationem circuli, & cum eam inuenire dicatur, & non gignere, aut facere, indicat non eſſe ens rationis, quod fit ab intellectu; neque Deum qui non eſt ratio, circuli inuenta ab animo ignaro deitatis: neque rurſus eſſe quid creatione productum ab æterno, quod ipſe ſuperius confutauerat; Igitur veritatem obiectiuam eſſe vult rationem circuli, ideſt aliquod verum æternum, licet non exiſtens, niſi in intellectu diuino. S. Auguſt.

Secundò, in eodem S. Auguſtini ſenſu loqui S. Thomam quæſt. 8. cit. patet ex reſponſione ad 14. *Non enim*, ait, *dicitur vniuerſale incor-* S. Thom.

Digitized by Google

ruptibile quaſi habeat aliquam formã incorruptionis, ſed quia non conueniunt ei ſecundum ſe diſpoſitiones materiales, quæ ſunt cauſæ corruptionis in indiuiduis; vnde vniuerſale in rebus exiſtẽs ſimpliciter dicitur corrumpi in hoc, & in illo. Quid eſt vniuerſale ſecundum ſe? Num forte nihil? & quomodo ſcientia, & prædicatio de illo eſt? Num ſingularia collectiuè ſumpta, ſiue aggregatum omniũ indiuiduorum poſſibilium? ſed illis omnibus conueniunt ſecundum ſe diſpoſitiones materiales, quæ ſunt cauſæ corruptionis in generabilibus, & corporeis; ex quibus nullũ eſt incorruptibilis exiſtentiæ, quia omnia tam diſtributiuè, quàm collectiuè ſũpta ita exiſtunt, vt deſinere, & interire poſſint. Et quia ſecundum rationem poſſibilitatis, ſiue non repugnantię ad eſſe, neceſſitatem immutabilem inuoluant, ſecundum illam habent æternam veritatem, quæ dicitur vna, quia cum veritas formaliter dicat adæquationem intellectionis ad intelligibile, non poteſt ab ęterno eſſe niſi vna, propter vnam, & ſolam intellectionem Dei, & vnicum obiectum eius primarium, ideſt eſſentiam primò, & per ſe intellectam; & rationem intelligendi alia ſecundaria obiecta, habentia ſuas intelligibilitates tam communes, quam proprias, quia ad vtraſque terminantur ideæ diuinæ vt ſupra ex SS. Auguſt. & Thom. relatum eſt.

Tertiò quod S. Thomas loquatur de veritate in ſummo rigore, vt ſignificat formaliter cognitionem, & obiectiuè eſſe actuale cui adæquatur patet ex ſolutione 18. argumenti, quod erat Patrem ab æterno genuiſſe Filium, & Spiritum S. proceſſiſſe ab vtroque, quæ ſunt duæ veritates diſtinctæ, quia Pater alio eſt Pater, & generat Filium; alio Filius eſt Filius, & ſpirat Spiritũ S.

Reſpondet autem negando ſequelam, quia ratio veri fundatur ſupra ens, & quamuis in diuinis ponantur plures perſonæ, vel proprietates, non tamen ibi ponitur niſi vnum eſſe, quia eſſe in diuinis non niſi eſſentialiter dicitur, & omnium iſtorum enunciabilium Patrem eſſe, vel generare; Filium eſſe vel genitum eſſe, ſecundum quod ad rem referuntur, eſt veritas vna quæ eſt prima, & æterna, quia videlicet eſt vna ſimpliciſſima entitas in diuinis ſeu vnum eſſe ſimplex: Cæterum cum perſonæ etiam ſint res ex eodem S. Thoma 1. p. q. 39. a. 3. 3. & S. Aug. ab citato, ſicut perſonæ ſunt tres; ita & tres ſunt intelligibiles, & tres veritates obiectiuæ, & proinde etiam aliæ plures rationum incommutabilium quæ non ſunt eſſe Dei.

Secundum Corollarium.

§. V.

Continetur hoc duplici propoſitione, quarum altera ſit.

PRima radix poſſibilitatis rerum creabilium eſt diuina eſſentia. Explico, & probo: vel enim conſiderantur rationes formales ſignificatæ per terminos, & radix immediata eſt compoſſibilitas earum, puta poſſibilis eſt homo, quia poſſunt coniungi rationalitas, ac animalitas; anima, & corpus illius conſtitutiua: vel vlterius quæritur cur poſſint coniungi, & alia ratio intrinſeca reddit nõ poteſt: extrinſeca poteſt, quia nimirum poſita diuina eſſentia, vt prima veritate, & ſummo, ac ſimpliciſsimo ente, & abſolutè neceſſario, ſequuntur aliæ veritates ab ipſa manantes, & rationes tam ſimplicium, quàm compoſitorum incommutabiles, quæ non eſſent ſi per impoſsibile non eſſet prima eſſentia, cuius ſunt participationes. Quo ſenſu S. Th. 1. p. q. 75. a. 5. 1. ait primum actum participari à rebus ſecundum diffuſionem proceſsionis eius.

Dices data hac hypotheſi impoſsibili, adhuc eſſet verum quod nihil eſt poſsibile, ergo non omnis veritas eſt ab illa prima.

Reſpondeo præciſa prima veritate nulla eſſet veritas, vel entitas, ſed merum chaos, & nihil. Ideo hæc imaginatio inutilis eſt etiã ex loco intrinſeco ad cognoſcendam naturam rerum, quæ nullæ eſſent, vel poſsibiles, vel actu exiſtentes; & ſolum inſeruit ad cognoſcendam eſſentialem dependentiam à Deo omnis veritatis & entis quoquo modo diſtincto à nihilo.

Quia tamen horum nulla fuit actualis productio à Deo, ſed ſolum connexio per modum ſequelæ, vt dictum eſt, ideo non abſolutè aſſerendum eſſe à Deo, ſed potius in Deo, retento communi modo loquendi, quia vt docet S. Bonau. in 1. diſt. 36. dub. 2. tex. Eminenti propoſitiones A Ab &c. ſignificant per modum fieri, & motus, & actus, ſed, in, ſignificat per modum quietis, ab æterno autem nullus fuit motus, ideo neq; propriè enunciatur per Ab eorũ origo.

Altera propoſitio. Radix impoſsibilitatis eſt incompoſsibilitas rerum inter ſe, v. g. creaturæ, & infiniti in ſententia probabili quod repugnet à parte rei. Quærenti rurſus cur ſint incompoſsibiles, reſpondetur quod hæc eſt natura ipſarum rationum incompoſsibilium loquendo de cauſa formali intrinſeca, nam extrinſeca nulla eſt; quia incompoſsibilitatis, cum ſit nihil, non datur vlla cauſa poſitiua extrinſeca, niſi forte per accidens, in quantum diuina eſſentia eſt radix poſsibilitatis modo ſuperius explicato, & compoſsibilitatis ſeu connexionis rerum, & proinde rationum formalium intrinſecarum, ad quas ſequitur incompoſsibilitas connexionis cum aliis extraneis, v. g. rationalitatis, cum hinnibilitate ſicut dicitur cauſa tenebrarum, quatenus creator, & motor ſolis, ad cuius abſentiam ſequuntur tenebræ. Niſi forte dicatur cauſa poſsibilitatis, & incompoſsibilitatis immediata, & per ſe, quia etiam iſtæ ſunt quædã veritates, & rationes cõceptibiles cõuenientes quoad hoc cum poſsibilitate, & incõpoſsibilitate, quia non minus verum eſt incompoſsibiles eſſe rationalitatem, & hinnibilitatem, quàm compoſsibiles eſſe rationalitatem, & animalitatem: ſed iſtæ ſunt veritates metaphyſicæ, & vt ſic bonæ, quæ pro materiali habere poſſunt falſum, & malum tam morale, quàm phyſicum: verum enim eſt peccatum eſſe malum moris, & monſtrum eſſe malum naturæ, ſicut & mortem: & verum eſt materiam non eſſe formam, nec accidentia eſſe ſubſtantiam: omnis autem veritas eſt à prima, & participatio quędã eius, ſiue cõſideretur formaliter vt eſt in intellectu concipiẽte rẽ vt eſt in ſe; ſiue fundamentaliter pro obiecto apto ita cõcipi, vt S. Th. in 1. diſt. 19. q. 5. a. 2. c. ſupra cit. cum hoc tamen diſcrimine, quod in malis moralibus malitia non eſt à Deo vt declarat quæſt.

Omnis veritas eſt à prima, & ſumma veritate.

q. 1. de verit. a. 8. in c. & ad 1. ex dictis a. 2. & 6. nã veritas inuenitur in rebus, & in intellectu. In intellectu quidem vt adæquatur rebus, quarum cognitionem habet. *In rebus autem secundum quod imitantur intellectum diuinum, qui est earum mensura, sicut ars est mensura omnium artificiatorum; Et aliquo modo secundum quod nata sunt facere de se veram apprehensionem in intellectu humano, qui per res mensuratur, vt dicitur 10. Metaph. com. 5. res autem existens extra animam per formam suam imitatur artem diuini intellectus, & per eandem nata est facere de se veram apprehensionem in intellectu humano; per quam etiam formam, vtraque res esse habet; vnde veritas rerum existentium includit in sui ratione entitatem earum, & superaddit habitudinem adæquationis ad intellectum humanum, vel diuinum. Sed negationes, & priuationes existentes extra animam non habent aliquam formam per quam vel imitentur exẽplar diuinæ artis, vel ingerant sui notitiã in intellectu humano, sed quod adæquentur intellectui est ex parte intellectus, qui earũ rationes apprehendit, &c.* Ex quibus habetur quod priuatio bonitatis moralis, & quæcumque alia cum nihil sit, non est à Deo, licet veritas vt dicit adæquationem eius ad intellectum sit à Deo: vnde cum dicitur omne verum est à Deo, istum fornicari est verum, ergo istum fornicari est à Deo, est fallacia accidentis à malitia, seu priuatione ad veritatem, seu adæquationem ad intellectũ, quæ debet inferri in syllogismo, vt S. Thom. a. 8. cit. ad primum, & vniuersaliter omnis veritas etiam defectuum est à Deo; non tamen defectus sunt à Deo; veritas autem hæc vocatur à S. Thomæ ratio apprehensa ab intellectu.

S. Thom.

Ex his probatur hæc secunda propositio: quia tam impossibilitas, quàm incompossibilitas, quæ assignatur pro ratione, dicunt negationem, cuius nulla est causa propriè, & per se, ac proinde neque exemplaris in Deo: & quia nihilominus præbent intellectui fundamentum adæquatæ apprehensionis ad ipsas, ideſt concipiendi vt possunt, vel debent concipi, ideo dicuntur habere suam veritatem obiectiuam, cui conformatur formalis: sic mendacium exempl. gr. vere dicitur malum, ideſt carens rectitudine, cuius carentiæ non est causa in Deo: & quod sit malum, est quædam veritas, quę est participatio primæ veritatis ita necessaria, vt per nullam potentiam possit non esse malum, alioqui esset malum, & non malum, iustum, & iniustum, vt arguit S. August. lib. contra mendac. c. 15. tom. 4. cuius rei si causa quæratur, non potest alia reddi, nisi quia rationes formales significatæ per terminos sunt incompossibiles, & ideo ex ipsis non potest aliquid constare, vt docet Franciscus Mayron dictus Illuminatus in 1. sent. dist. 43. q. 1. inferens q. 2. non esse potentiam in Deo ad hoc producendum, quia non est potentia productiua nisi producibilis; etiamsi quoad modum loquendi rectius dicatur hoc non esse producibile, quàm non esse in Deo potentiam, vt supra ex S. Thom. quia in Deo est omnis plenitudo potentiæ possibilis, & quæ dicitur non posse, non esset potentiæ posse, sed impotentiæ, vt diximus ex Sancto Bonaventura.

Franciscus Mayron.

Obijcies primo, quia ex dictis supra omnis entitatis, ac veritatis causa exemplaris est diuina essentia; sicut ergo ratio vltimata possibilitatis ab illa petenda est; ita & impossibilitatis, ex regula posterioristica, si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis: quæreti igitur cur aliqua sint impossibilia, vel incompossibilia, non plene satisfit recurrendo ad rationes formales ipsorum; sed ad diuinã essentiam, in qua non sunt exemplaria ipsorum. At ex alia parte diximus cum S. Thoma, & communi Theologorum, rationem cur Deus aliqua dicatur non posse facere, esse, quia in se repugnant: quod si non repugnarent, continerentur in diuina essentia vt in exemplari, à qua sunt possibilitates obiectiuæ, igitur ratio possibilitatis non est diuina essentia.

1. Post. t. 30. S. Bonau. in 1. dist. 40. a. 3 q. 2. ad argum.

Secundò possibile, seu producibile vt sic ab aliquo est producibile quod est productiuum, ergo depẽdet ab illo non solũ vt termino, sed vt causa effectiua, igitur producibilitas habet causam, quæ est virtus productiua, & valebit sequela, est producibile, ergo causa producibilitatis termini est productiuitas veritatis effectiuæ.

Tertiò producibilitas est passio communis omnibus possibilibus Angelo, homini, soli, &c. Ergo non assignatur propria ratio, quando quæritur cur Deus possit facere hæc, & non illa, & respondetur, quia hæc sunt possibilia secundum suas rationes formales; illa vero repugnant; sed alia magis propria est inuestiganda, qualis esset, quod non est eius exemplar in diuina essentia.

Ad primum respond. quod causa dupliciter accipitur in ordine ad affirmationẽ & negationẽ. Primo propriè, & est quæ concurrit in aliquo genere ex quatuor assignatis ad esse rei. Secundo impropriè, & quęlibet ratio vtilis ad affirmãdũ, vel negandum vnum de altero: primo modo diuina essentia est causa exemplaris possibilitatis iuxta superiorem explicationem; sed non est impossibilitatis, quia negationis non datur causa positiua per se, cum potius sequatur ex remotione causæ, vt docet S. Thom. 1 p. q. 75. a. 1. c. Secũdomodo diuina essẽtia potest inseruire pro ratione remota impossibilitatis, valet enim hoc argumentum, diuina essentia est id quod est, ergo chimera est impossibilis: ex eo enim quod est infinite perfecta, & continens omnem perfectionem creaturarum præcisis imperfectionibus, non continet chimeram, quæ est mera imperfectio, & inordinatio; & ideo non est possibilis, quia omne possibile continetur in illa. Remotio ergo causæ est ratio negationis possibilitatis, quia positio est causa possibilitatis iuxta regulam posterioristicam. Ex quo patet ad primam partem argumenti.

Negationis non datur causa per se positiua.

Ad alteram. S. Thomas loquitur de omnipotentia, quam diximus supponere possibilitatem rerum, ad quas se extendit, id est ad omnia, quæ in seipsis non repugnant, & non habent intrinsecam possibilitatem ab ipsa vt causa efficiente; sed vt identificata cum essentia quæ dicitur causa exemplaris, in qua non continentur quia in se repugnant, & sunt nihil; sed hæc est ratio posterior remotione causæ, seu negatione continentiæ ob infinitam perfectionem essentiæ diuinæ non patientis talem continentiam, quæ esset imperfectio.

Aliqui doctissimi recentiores Theologi dicunt diuinam omnipotentiam esse primariò causam possibilitatis, & secundariò impossibilitatis rerum, v. g. ex eo quod est causa possibilitatis cerui, esse & impossibilitatis Hircocerui, quia hæc extrema realia se inuicem excludunt, qua de paulò post dicam quid sentiam.

Producibile dupliciter cõsideratur.

Ad secundum patet ex dictis supra, nam producibile dupliciter consideratur: primò absolutè, seu possibile potétia logica, vel metaphysica, vt dicit non repugnantiam, seu compossibilitatem terminorum, & hoc modo non dicit respectum ad potentiam effectiuam, neque ab illa pendet. Secundò dicitur relatiuè à potentia actiua, à qua potest accipere esse existentiæ; & sic pendet ab illa, & valet illatio posita in argumento, iuxta doctrinam S. Anselmi de casu Diab. c. 12. Ideo esse aliquid possibile, quia ab alio fieri potest, vt notat Vasq. 1. p. disp. 104. n. 15. sed corollarium est de producibili in primo sensu.

Ad tertium respondeo quod effectus, & passionis communis recte assignatur causa, vel ratio communis: sicut si quæratur cur planta, & bestia, & homo crescat, nutriatur rectè respondetur quia habet animam vegetatiuam: cur omne animal sit sensibile, quia habet animam sensitiuam: Ita quærenti cur Deus possit facere hæc, & non illa, respondetur quia sunt possibilia, aut impossibilia ex seipsis, seu secundum rationes formales, quæ ita sunt communes, vt tamen etiam descendant ad proprias, in quibus vel mediatè & implicitè; vel immediatè & explicite elucet affirmatio, & negatio; ens, & non ens: v.g. lux, & tenebræ formaliter includũt negationem, & affirmationem; sed præteritum, & præsens, non ita apertè, quia vtrumque immediatè & formaliter dicit aliquid positiuum, vnde visa est quæstio non inutilis Theologis antiquis vtrum Deus possit facere quod præteritum fiat præsens; cum tamen nullus dubitauerit, An lux, & tenebræ possint esse simul, cum sit manifesta implicantia in terminis: sed vtriusque ratio impossibilitatis est propria, resolubilis in communem prima regula comprehensam superius.

At, inquis rationem magis propriam peti ex diuina essentia, dicendo esse impossibilia hæc, vel illa, quia non est exemplar illorum in Deo.

Responsio patet ex dictis, negationem videlicet istam posse assignari pro ratione mediata, & extrinseca impossibilitatis, & incompossibilitatis; sed immediatam, & formalem attendi penes ipsas naturas rerum, quæ inuicem repugnant. Præterquam quod negatio continentiæ in diuina essentia, ita est communis omnibus impossibilibus; vt fiat etiam propria cuiuslibet in particulari. Sed responsio magis patebit ex solutione aliorum argumentorum mox inferenda.

Respondetur argumentis contra dicta in superioribus corollarijs.

§. VI.

F. XXXI. S. Thom.

PRimum est quia S. Thom. 1. p. q. 7. a. 1. probat Deum esse infinitum, quia eius esse non est receptum in aliquo. Et idem confirmat de potentia q. 1. a. 2. *Est enim*, inquit, *Deus ipsum suum esse non receptum vnde patet quod Deus est infinitus.* At si dantur rationes incommutabiles, & radices impossibilitatis non pendentes ab eius voluntate, & potentia, sequitur eas etiam esse infinitas, quia earum esse irreceptum est: & cum aliunde constet eas esse limitatę perfectionis, non videtur bene probari infinitas esse ex irrecepto.

Respondeo, quod vt colligitur ex doctrina eiusdem S. Doctoris cit. quæst. de potentia ad infinitatem etiam requiritur, quod non recipiat esse ab agente, aut enim, *diuinus actus non finitur ex aliquo agente, quia est à seipso; neque finitur ex aliquo recipiente, &c.* Et quo infert esse infinitum: at vero omnes rationes rerum infra Deum recipiunt esse ab alio, non solum quia in suis singularibus sunt producibiles à proprijs causis; sed etiam quia secundum veritates metaphysicas, & essentias pendent à prima veritate, & essentia in sensu explicato.

Ad esse irreceptum requitur vt non sit ab alio agente.

Secundum argumentum contra hanc responsionem est, quia ideo essentiæ rerum, & rationes incommutabiles pendent à diuina essentia, vt fonte omnis entis, ac veri, quia in seipsis sunt quid non repugnans; & non vice versa sunt quid non repugnans, quia pendent à diuina essentia, cum hoc sit signum solummodo à posteriori: Igitur antecedenter ad dependentiam à diuina essentia habent hanc non repugnantiam. Quemadmodum enim quærenti cur hircoceruus nullam habeat veritatem, & possibilitatem, aut essentiam; respondetur quia termini sunt in seipsis incompossibiles, & non dicitur, quia non pendent à diuina essentia; ita quærenti cur animal rationale sit possibile, respondetur, quia termini sunt inter se compossibiles, & hæc est ratio cur pendeant à diuina essentia: igitur ratio dependentiæ est compossibilitas terminorum, & non ipsa essentia diuina.

Possibilitatis rei duplex ratio potest reddi.

Respondeo, nego sequelam; vt enim supra aduerti, quando quæritur cur aliquæ res sint possibiles, vel impossibiles, duplex ratio reddi potest, vna intrinseca; altera extrinseca: Illa attenditur penes prædicata essentialia, & connexionem ipsorum: Altera penes causam extrinsecam, quæcumque illa sit, in proposito autem est essentia diuina. Perenti igitur cur homo sit possibilis, & non hircoceruus; respondetur quia animal, & rationale sunt termini compossibiles, & apti ad constituendum vnum per se; non item ceruus, & hircus, qui mutuam exclusionem includunt. Neque horum vlterior ratio quærenda, quia non alia assignari potest, quàm ipsa natura rerum; & ridiculum ait Aristoteles l. 4 Metaph. t. 9. quærere rationem eius, cuius nulla est ratio: quid enim reddas pro intrinseca ratione interroganti cur homo sit animal rationale, & ens possibile? At verò pro causa extrinseca assignari potest diuina essentia, dicendo quod est exemplar infinitæ perfectionis, & thesaurus inexhaustus continens eminenter in se quicquid est possibile, & imitatiuum sui; quod esse ab illa manat non per actionem physicam; sed per consecutionem metaphysicam in sensu explicato. Ex ijs autem duabus rationibus prior est diuina essentia, quia ex eo quod talis

Diuina essẽtia est prior possibilitate creaturarũ.

eſt, & pelagus omnium perfectionum, ſequitur poſſibilitas earum in infinitum in creaturis, quas falſum eſt antecedenter ad diuinam eſſentiam habere ſuum eſſe poſſibile, & eſſe ſolum ſignum à poſteriori non repugnare, quia pendent ab ipſa, niſi vis fiat in verbo pendendi, vt denotante effectum aliquem actu exiſtentem, & ſupponentem cauſam, à qua pendeat. Cæterum comparando perfectiones poſſibiles creaturarum cum diuina eſſentia, verum eſt habere eſſe poſſibile, quia eſt diuina eſſentia vt exemplar imitabile earum, quo per impoſſibile ſublato, auferrentur omnia poſſibilia, ob eſſentialem eorum dependentiam, & non vice verſa, quæ eſt cauſalitas exemplaris, de qua S. Bonau. in primo diſt. 31. art. 1. q. 1. c. ait, quod dicit expreſſionem per modum actiui, id eſt, ad cuius imitationem fit aliquid, licet in creaturis exprimatur cum magna diſſimilitudine, vt habet diſt. 19. dub. 7. & diſt. 35. a. 1. q. 1. ad argum. vt etiam S. Thom. 1. p. quæſt. 15. ſupra relatus.

In quo eſt diſpar ratio impoſſibilium, quia iſtorum nulla poteſt reddi ratio extrinſeca, cum non ſint in numero entium, ac proinde neque habentium cauſas, vel rationes poſitiuas ſui ipſorum, potiſſimum in diuina eſſentia, quæ non dicitur imitabilis à non entibus. Atque ita patet cur quærenti rationem poſsibilitatis hominis, bene aſsignetur diuina eſſentia, quæ eſt cauſa exemplaris omnium perfectionum creaturarum; non item quærenti rationem impoſsibilitatis hircocerui, quia extrinſeca nulla eſt; intrinſeca vero eſt incompoſsibilitas terminorum, quæ nullam inuoluit perfectionem, & ipſa etiam non poteſt eſſe prior diuina eſſentia, ſi quidem, quicquid illa ſit, ſequitur ex eo quod diuina eſſentia eſt perfectionis infinitæ, & non eſt imitabilis à non ente; atque adeo talis negatio eſt quid conſequens ad diuinam eſſentiam: ſed rurſus.

Inſtabis quia ſi quæratur cur in eſſentia diuina contineatur homo, & non hircoceruus; reſpondetur bene quia homo ex ſe non repugnat, hircoceruus ex ſe repugnat; & ideo poſita eſſentia conſequitur poſsibilitas vnius, & non alterius, igitur independenter ab omni extrinſeco eſt repugnantia, & non repugnantia.

S. Thom. Confirmatur quia vt S. Thom. 1. p. q. 25. a. 3. ſepæ citato, Deus dicitur omnipotens, non quia poteſt omnia quę ſunt poſsibilia ſuæ potentię, ſic enim committeretur circulus, & idem eſſet ac dicere quod poteſt omnia quæ poteſt, ſed dicitur omnipotens, quia poteſt omnia poſſibilia abſolutè, igitur omnipotentiæ ſupponitur obiectum poſsibile ſecundum ſe, & non cauſatur ab ipſa; eſt autem eadem ratio eſſentiæ quando dicitur quod eſt exemplar, vel quod continet omnia poſsibilia, ſi ſit ſenſus quod continet omnia quæ contineri in ipſa poſſunt, aut quorum poteſt eſſe exemplar imitabile, ſed debet potius dici continere omnia quę in ſe non repugnant, & proinde participare poſſunt ipſius imitationem, igitur talis poſsibilitas, & non repugnantia ſupponitur eſſentiæ, & non ſolum omnipotentiæ.

Reſpondeo ad inſtantiam ex dictis præter rationem formalem intrinſecam, quæ aſſignatur ſic interroganti, reddi debere aliam extrinſecam à priori, & vltimatam quæ eſt infinita perfectio diuinæ eſſentiæ, ad quam conſequitur poſsibilitas hominis, & negatio poſsibilitatis hircocerui.

Quæ reſponſio confirmatur ex eo quod vel poſsibilitas hominis ex. g. eſt aliquid extra nihil, & diſtinctum ab entibus rationis, ac negationibus; atque ita cum ſit intra terminos entis, debet eſſe aliquo modo à primo ente, à quo vt primo principio eſt quicquid extra nihil eſt, vt S. Dionyſ. de diuin. Nomin. c. 5. citatus à S. Thom. 1. p. q. 75. a. 5. init. vel poſsibilitas, & non repugnantia terminorum eſt merum nihil, atque ita ſecundum intrinſeca non differt à Chimera, & non ente quod non concedis, quia Chimera eſt impoſsibilis.

Ad confirmationem nego ſequelam; diſparitas eſt, quia potentia actiua vt potentia formaliter non eſt conſtitutiua ſui obiecti, quod reſpicit. nam quod dicitur conſtituere vel eſt poſsibile, vel impoſsibile; ſi primum, iam ſupponetur poſsibile, & non redderetur tale à potentia: Si ſecundum, ergo impoſsibile fit poſsibile, quod implicat in terminis, quia quod accipit poſsibilitatem, poterat illam recipere, quod eſt fuiſſe poſsibile: ne forte dicas fuiſſe in ſtatu abſtractionis, & per Dei potentiam accepiſſe poſitiuè poſsibilitatem, nam in illo ſtatu poterat accipere poſsibilitatem, quæ eſt aliqua poſsibilitas; & de illa rurſus quæram vnde, & à quo eſſet.

At verò eſſentia eſt, & concipitur vt quid abſolutum à creaturis ſub ratione eſſentiæ, cum ſit primum ens omni infinitate perfectum, & radix omnium perfectionum creaturarum, quarum nulla eſt à ſe, ſed omnes ſecundum quanlibet entitatem, & rationem qua extra nihil ponuntur, ab illa ſunt. Atque ita ſub hac conſideratione poſsibilia non ſunt obiectum eſſentiæ, vt ſunt potentiæ formaliter. Sed comparantur potius vt effectus ad cauſam diuerſam à quatuor aſsignatis à Philoſophis, & omnibus eminentiorem, niſi quod habet ſimilitudinem aliquam cum efficiente emanatiua, quia conſecutio poſſibilium à perfectione diuinæ eſſentiæ aſsimilatur phyſicæ emanationi proprietatum, vel effectuum à cauſis.

Atque ita intelligitur dictum S. Th. in ſenſu formali omnipotentiæ vt omnipotentia eſt; ſic enim cum ſit alicuius omnipotentia, non eſt niſi poſsibilis quod ſupponit, & non facit: eſſentia autem non dicitur vllius extra Deum eſſentia, neque ad ſuum conceptum formalem requirit, aut præſupponit aliquid extra ſe; ſed ſolum ex ſua perfectione infert quicquid aliquo modo ens eſt, quia ab ipſa eſt; ſicut omnipotentia non ſupponit eſſe actuale creaturarum, ſed cauſat illud: Idque loquendo formaliter de omnipotentia vt eſt attributum eſſentiæ, ſiue deinde hoc eſſe abſolutum, & primum eſſentiæ comparetur ad creaturas tanquam exemplar, & idea in qua contineantur, ſiue alio vocabulo ſignificante primum ens, & infinitum à quo cætera omnia accipiant eſſe poſsibile, ſeu non repugnans, circa quod deinde verſetur omnipotentia, quæ non eſt nihil, vel repugnantis eſſe, quandoquidem poteſt illi dare eſſe exiſtentiæ. Sed hic eſt aduertenda diſtinctio S. Thomæ in 1. ſent. diſt. 19. q. 5. a. 2. quartum, quod exemplar rerum eſt in Deo dupliciter, vel quantum ad id quod in intellectu ſuo, & ſic ſecundum

ideas intellectus diuinus est exemplar omnium quæ ab ipso fiunt, sicut intellectus artificis per formam artis omnium artificiatorum. Vel quantum ad id quod est in natura sua, sicut ratione suæ bonitatis qua bonus, est exemplar omnis bonitatis. Et de hoc 2. hic loquimur, à quo participatiuè est omne ens, & bonum, etiam antequam actu efficiatur ab omnipotentia, quæ supponit possibilitatem eius quod actu producit, & proinde bonitatem aliquam per participationem prædictam.

Tertium argumentum, quia si nihil ponatur ab æterno præter potentiam Dei, quæ formaliter reddat Deum potentem intrinsecè, & formaliter faciat omnipossibile secundùm prædicata contenta in eo, ac extrinsecè denominet possibilia, melius ratiocinamur: tum quia conformius principijs fidei negantis omnem creaturam ab æterno; tum quia sic in diuinam omnipotentiam refunditur etiam ratio impossibilium, & non tantum possibilium, quod facit ad eius commendationem: præter alia commoda consequentia ad positionem istam. Nam si dicatur vnus terminus realis ex sua ratione excludere alium, cum quo est incompossibilis, sequitur esse impossibile vnum conflatum ex ipsis, quia ipsi sunt possibiles, & impossibile constitutum ex ipsis qui ex sua ratione includunt incompossibilitatem mutuam; atque ita nihil eximitur ab omnipotentia Dei, siue agatur de non repugnantibus, siue de repugnantibus, quia sicut dat illis primariò esse possibile, ita dat secundariò istis esse impossibile. Quo discursu doctissimus P. Iulius Cæsar Recupitus tom. 1. in 1. part. S. Thomæ q. 3. de infinitate Dei lib. 4. numero 19. soluit argumentum eximens à Dei omnipotentia non repugnantiam hominis, non secus ac repugnantiam hircocerui, quia vtraque videtur petenda ex ratione terminorum in se ipsis, & non refundenda in extrinsecum.

Respondeo in primis negando assumptum, iam enim supra ostendi quomodo posita rerum possibilitate ab æterno, adhuc verum sit dogma fidei nihil fuisse ab æterno præter Deum, quia essentiæ, & possibilitates non fuerunt aliquid creatum à Deo ab æterno, sed sunt rationes mediæ inter ens actu existens, & nihil, consequentes necessario ad positionem essentiæ diuinæ modo explicato superius de rationibus incommutabilibus frequenter à S. Augustino commemoratis agendo; eas enim pro essentijs accipimus, & pro possibilitate rerum, seu non repugnantia secundum significatum in recto denominatum à potentia extrinseca creatoris.

Ad alterum caput quod pertinet ad commendationem diuinæ potentiæ respondeo, si accipiatur specificatiuè, vt est idem realiter cum essentia, satis apparet ex dictis in eam refundi omnes rationes tam possibilium, quàm impossibilium: Si autem reduplicatiue vt dicit attributum ratione distinctum, dico in ipsam non posse refundi tanquam in primum principium neque possibilia, neque impossibilia, sed in essentiam.

Possibile supponitur diuinæ omnipotentiæ.

Primò quia S. Thomas cum quo stare se profitetur solidus Theologus, supponit omnipotentiæ ipsum possibile, cum ait. Quod Deus dicitur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolutè, & subdit loc. cit. quod aliquid dicitur possibile, vel impossibile ex habitudine terminorum: possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subiecto: Impossibile verò quia prædicatum repugnat subiecto. Non igitur consonat S. Doctori quod Dei omnipotentia faciat formaliter rem possibilem, quia quod ex seipso est tale, sicut à diuina potentia non potest fieri non tale, ita neque potest fieri tale, v. g. quod homo non sit animal rationale, & quidem reale, & non chimericum; alioqui posset vice versa facere vt chimera esset ens reale, & possibile, quæ posse supra ostendimus esse impotentiæ, & imperfectionis Deo disconuenientis: Aliquorũ interpretatio contraria ostẽdetur non esse consona textui, & rationibus S. Thomæ infra p°. sequenti: interim maneat diuinam potentiam, quæ potest quicquid non implicat supponere non implicantiam eius, quod potest facere, & non dat illam. Quod si dixeris dare non per productionem, qua res fiat actu existens, sed per quandam resultantiam Metaphysicam omnium veritatum, ac rationum à prima veritate, & ente, & omnipotentiam non distinguas etiam quoad hoc ab essentia, in re non dissentis à nobis, sed in modo loquendi, & tunc

Secundò arguo, quia ex vna parte valet inferre, essentia diuina vt essentia est illa quæ est, ideſt continet omnes perfectiones possibiles, igitur est imitabilis ab infinitate creaturarum possibilium, & proinde in priori signo quam concipiatur omnipotentia, quæ est attributum eius supponuntur possibilia, & non fiunt ab omnipotentia. Ex alia parte possibilia per te non sunt nihil, vel chimera; sed sunt intra limites entis, & amabilis à Deo, ergo ab illo pendent, quia omne ens est à primo ente, igitur ab eius essentia, in qua & dicuntur contineri; Ita vt argumentum hoc sit à priori. Datur diuina essentia, ergo & imitabilitas eius à creaturis, quibus supposita hac imitabilitate potest dare esse actuale omnipotentia.

Tertiò, vt supra innuebam, vel daretur processus in infinitum, vel tandem sistendum in diuina essentia; si omnes rationes possibilium, & impossibilium in Deum sunt reducendę. nam quod accipit esse possibile ab omnipotentia in priori signo quo concipietur essentia diuina vel poterat accipere esse possibile, vel non: si primum ergo habebat esse possibile, & non à diuina omnipotentia nondum concepta pro illo signo ergo ab essentia in qua continebatur secundum sua prædicata. Si secundum, igitur accepit à diuina potentia quod non poterat accipere; vel si poterat, iam erat possibile, & si possibile fiat rursus possibile à diuina omnipotentia, dabitur possibilitas possibilitatis in infinitum. Deinde si data essẽtia diuina necessario datur, & imitabilitas eius à creaturis, necessario fert secũ ipsarũ possibilitatẽ, sine qua nõ est imitabilitas, non ergo possibilitas est ab omnipotentia sed ipsi supponitur; Ne incurratur absurdum quod imitabilitas essentiæ diuinæ tribuitur ab omnipotentia. Verum quidem est possibilitatem connotare in obliquo potentiam actuam à qua potest accipere existentiam, & ab illa extrinsecè denominari; sed secundum significatum intrinsecum, & in recto non accepit esse ab illa quod præsupponit, & non primo ponit.

Quarto, quærenti mihi cur res ab æterno

habeat hæc prædicata, & non alia, v. g. eſſentia hominis animalitatem, & rationalitatem, reſpondes quia ſub ijs terminis eſt producibilis à potentia diuina, & non ſub alijs, ex quo prouenit limitatio ab agente, quia potentia limitat effectum quoad eſſe poſſibile. Sed vlterius quæro cur res ſit poſſibilis ſub ijs terminis, & non ſub alijs; reſpondere debes quia alij termini non ſunt compoſſibiles, puta homo, & hircus; igitur potentia diuina non facit compoſſibilitatem terminorum, ſed ſupponit, ſicut neque incompoſſibilitatem; Alioqui cur non facit indifferenter quamcumque velit poſſibilitatem, vel incompoſſibilitatem, niſi quia termini ex ſua natura neceſſariò illam habent? non ergo à potentia extrinſeca accipiunt.

Confirmatur quia diuina potentia formaliter ſumpta non dat eſſe rei alicui extra ſe niſi libere, non ergo tribuit poſſibilitatem rebus, quia hæc eſt quid neceſſarium, & immutabile. Quod ſi dicas hoc eſſe verum de ijs, quæ accipiunt eſſe actuale, non de poſſibilibus. In primis communis modus loquẽdi Theologorum explicat omnipotentiam, vt reſpicit productionem in tempore, non producibilitatem, ſeu poſſibilitatem æternam, & ita eſſentiam appellat exemplar, & ideam creaturarum; potentiam vero cauſam efficientem. Deinde recurrit argumentum, quod omnipotentia ſicut ſupponit eſſentiam; ita & imitabilitatem creaturarum, quæ inuoluit poſſibilitatem earum.

Quartum argumentum eſt, quia maioris potentiæ eſt, ac dominij eſſe cauſam liberam, & poſſe dare, ac non dare eſſe rebus quàm neceſſariò dare, & determinatum in tali ſpecie: cum igitur eſſentiæ diuinæ conueniat perfectio, qua nulla poſſit excogitari maior, conuenientius diceretur liberè per voluntatem dare eſſe poſſibile, & impoſſibile rebus quàm neceſſariò, ſiue per neceſſariam conſecutionem.

S. Anſel. Imo videtur hęc doctrina aperta S. Anſelmi l. 2. cur Deus homo c. 7. aſſerentis. Nihil eſſe neceſſariũ, aut impoſſibile, niſi quia ipſe ita vult; *Ipſum vero aut velle, aut nolle aliquid propter neceſſitatem, aut impoſſibilitatem, alienum eſt à veritate.* Et mox; *ſicut nulla neceſſitas, aut impoſſibilitas precedit eius velle, aut nolle, ita nec eius facere, aut non facere.*

Reſpondeo ad argumentum, negando aſſumptum, ſi vniuerſaliter accipiatur reſpectu rerum omnium quę quouis modo accipiunt eſſe à Deo, aut non accipiunt, quia ſunt impoſſibiles; In aliquibus enim neceſſitas, & impoſſibilitas earum arguit potentiam Dei. *Quoties namque*, ait ibi S. Anſelmus, *dicitur Deus non poſſe, nulla negatur in eo poteſtas; ſed inſuperabilis ſignatur potentia, & fortitudo: Non enim aliud intelligitur, niſi quia nulla res poteſt efficere, vt agat ille, quod negatur poſſe.* Quod idem fuſe perſequitur S. Ambroſ. Epiſt. 37. In illud Pauli Hebr. 6. Impoſſibile eſt mentiri Deum, concludens impoſſibile Dei eſſe potentiſsimum. De quo ſupra plura diximus cum SS. Bonauentura, & Thoma aſſerentes, poſſe quædam facere eſſe impotentiæ, & imperfectionis Deo non conuenientis, ſicut & quædam non poſſe facere eſſe potentiæ, & perfectionis, puta ſeipſum negare non poſſe, nec fallere, nec mentiri vt, S. Auguſt. lib. 5. Ciu. c. 10. Sic in propoſito eſt ſummæ perfectionis, ac potentiæ, quod eius eſſentia neceſſariò ſit imitabilis à creaturis, ſeu quod ex illa dimanet omnis veritas, & poſſibilitas & impoſſibile ſit non manare. Ad auctoritatẽ ergo Anſelmi adhibẽda reſponſio, quam ille indicat eodem capite. *Omnis*, ait, *neceſſitas eſt aut coactio, aut prohibitio: quæ duæ neceſſitates conuertuntur inuicẽ contrariè, ſicut neceſſe, & impoſſibile: quicquid namque cogitur eſſe, prohibetur non eſſe; & quod cogitur non eſſe, prohibetur eſſe; quemadmodum quod neceſſe eſt eſſe, impoſſibile eſt eſſe, & conuerſim. Cum autem dicimus aliquid neceſſe eſſe, aut non eſſe in Deo, non intelligitur quod ſit in illo neceſſitas aut cogens, aut prohibens: ſed ſignificatur quod in omnibus alijs rebus eſt neceſſitas prohibens eas facere, & cogens non facere, contra hoc quod de Deo dicitur. Nam cum dicimus quod neceſſe eſt ſemper Deum verum dicere, & neceſſe enim nunquam mentiri, non dicitur aliud, niſi quia tanta eſt in illo conſtantia ſeruandi veritatem, vt neceſſe ſit nullam rem facere poſſe, vt verum non dicat, aut mentiatur.* Omnis neceſſitas aut coactionis aut prohibitionis

Cum ergo dicit Anſelmus omnem neceſſitatem, & impoſſibilitatem ſubiacere Dei voluntati, loquitur de neceſſitate coactionis, & prohibitionis, reſpectu eorum quæ facit in tempore: huic enim ſuperior eſt eius voluntas, quia cogi, aut prohiberi, à nullo poteſt, quin faciat, aut omittat, quæcumque vult in cœlo, & in terra, & in omnibus abyſsis: cæterum aperte admittit aliquam neceſsitatem, & impoſsibilitatem ante ipſius voluntatem, vt indicant verba relata de impoſsibilitate mentiendi, & neceſsitate verum dicendi.

Quod autem ſubdat neceſsitatem voluntati in ijs, quæ facit extrinſecus, patet ex ſequẽtibus: *Si proponit*, ait, *ſe aliquid immutabiliter facturum, quamuis quod proponit antequam fiat, non poſsit non eſſe futurum, non tamen vlla eſt in eo faciendi neceſsitas, & non faciendi impoſsibilitas, quia ſola operatur in eo voluntas.* Quæ videlicet cogi non poteſt, vel prohiberi. Inſtabis, & eſt

Euodius apud Auguſtum. Quintum argumentum, quia vt arguebat Euodius ad Auguſt. epiſtola 2. in fine epiſtolarum, Ratio oſtendit neceſse eſse quod Deus ſit, quæ ratio, inquit, ſi auferatur, quod dictu nefas eſt, non erit Deus, ſi ratio non oſtenderit neceſse eſse Deum: Igitur ratio iſta, quæ eſt aliqua veritas, non pendet ab eſsentia diuina per neceſsariam conſecutionem, ſi quidem vel eſt prior, vel non eſt poſterior, vt ibidem dicitur.

Confirmatur ex S. Dionyſ. c. 8. de diuin. nom. relato à S. Anſel. in c. 2. ep. 2. Timoth. ad illa verba, Ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt, ſic enim ratiocinatur, Suimet negatio caſus veritatis eſt: veritas autem ὂν eſt, & veritatis caſus, non ὂν ὄν verò interpretatur exiſtens, vel qui eſt. Si igitur veritas ὂν eſt, negatioque veritas non ὂν, ἐκτὸς caſus, ex ente cadere. Deus cadere non poteſt, & non eſse non ὄν. Tanquam ſi quis dixerit, non poſse non poteſt, & neſcire ſecundum priuationem neſcit. &c. hæc impoſsibilitas cadendi, ſeu neceſsitas eſsendi non conſequitur ad eſsentiam, quia imbibitur in conceptu eſsentiæ, quæ non poteſt concipi quin concipiatur vt ens neceſsarium igitur non omnis neceſsitas, neque omnis ratio incommutabilis eſt manans ab eſsentia.

Reſpondeo ad argumentum quod vt ibidem aduertit Euodius, ratio neceſsitatis quod ſit

S. Auguſt.

Digitized by Google

Deus nihil est aliud quàm ipse Deus necessario existens, licet per nostrum modum intelligendi concipiatur vt quid distinctum, & assumatur vt medium ad probandam necessitatem existentiæ Dei, sicut etiam assumi potest definitio ad probandum definitum nominibus solum, & modo concipiendi distinctum. Quod si ratio illa esset veritas, vel essentia à Deo distincta, manaret ab essentia diuina, & non esset illa prior, ex quo patet.

Ad confirmationem: nam necessitas existentiæ Dei, & impossibilitas cadendi à veritate non distinguuntur ab ipso Deo, & ideo nec dicuntur manare ab ipso vt essentiæ, vel rationes diuersæ; sed in conceptu eius essentiæ includi, quod si distinguerentur, ab illa manarent, sicut essentiæ, & veritates omnes, quæ non sunt ipsa, sed pertinent ad creaturas.

Sextum argumentum principale.

EX dictis sequitur, quod si vna, vel plures creaturę essent impossibiles, non esset eadē diuina essentia, quæ nunc est de facto; quia non esset idem fons, & origo, quæ nunc est; nam possibilia, quæ ab illa manant, ex hypothesi non manarent; ac proinde ipsa non esset illarum origo. Falsitas consequentis patet; quia diuina essentia penderet à creaturis, imò ab vna creatura, puta à formica, quia si hæc esset impossibilis, illa non esset quæ modo est, nempe iustius origo & fons; quemadmodum si implicaret vna, vel plures formæ, materia non esset illa, quæ de facto est; quia de illa educi non possent quæ modo educuntur, non respectu agentis; quia suppositio est, quod manerent eadem agentia, quæ de facto sunt; ac proinde quod mutatio teneret se ex parte materiæ.

Simile argumentum fit ab ijs, qui negant creaturas cognosci in Deo tanquam in medio cognito, siue tanquam in causa, qua cognitâ, necessariò cognoscantur effectus possibiles, quia sequeretur, quod data impossibilitate creaturarum vel omnium, vel aliquarum, tolleretur omnipotentia, quæ ad illas se extendit; ac proinde si essent impossibiles, iam non se extenderet, quod non potest intelligi sine aliqua mutatione in ipsa. Ex quo rursus sequeretur, tantam esse necessitatem creaturarum possibilium, ac ipsius diuinæ essentiæ, & Verbum diuinum ęque necessariò procedere ex cognitione creaturarum possibilium ac ipsius diuinæ essentiæ procedere, quę videntur absurda, igitur & inconueniens est dicere, quod ab essentia diuina, necessariò manent creaturæ. P. Suar. cum Thomistis pluribus in q. 14. 1. par. concedit, ex impossibilitate creaturarum colligi à posteriori mutatum iri essentiam, ac omnipotentiam diuinam, & hoc idem admitti à Doctoribus quibusdam Salmaticensibus, testatur Hurtad. disp. 8. Phys. de causis sect. 4. numero 73. Alij apud Prem Arriagam disp. 7. Phys. sect. 3. hoc idem fatentur, si essent impossibiles omnes creaturę: secus si aliquæ, vel etiam vna dicatur possibilis. Consequenter ponunt isti omnes connexionem inter Deum, & creaturas omnino necessariam: Imò P. Suar. in 1. p. tract. 3. l. 9. c. 6. tam esse impossibile tolli possibilitatem creaturarum, quàm tolli perfectionem omnipotentiæ.

At P. Vasq. 1. p. disp. 60. c. 2. negat Deum videre creaturas in seipso tanquam in causa & obiecto primario, ex vi cuius visi illæ videantur; & consequenter ex impossibilitate creaturarum etiam omnium negat inferri posse, non futuram eamdem essentiam diuinam, quæ nunc est, cum sit in se quid omnino absolutum sine vllo respectu ad creaturas; quæ est etiam opinio Nominalium apud ipsum, quā licet diuerso modo explicent; tamen omnes conueniunt in hoc, quod in Deo nulla est relatio ad creaturas, vt ostendit Vasq. disp. 104. c. vlt. Deinde quod maior est necessitas diuinæ essentiæ, quàm creaturarum possibilium, quia illa est primum ens omnino independens ex se necessariū; cętera omnia quomodocumque rationem entis habeant, per participationem ab illo habent, & proinde non æquè necessaria sunt.

Quæ doctrina magis est conformis principijs S. Bonauenturæ, vt in propria quæstione demonstro, & adeo connexa est cum argumento, quod in præsentia tractatur, vt quę dicuntur de omnipotentia, scientia, idæis diuinis, de essentia, vt est origo omnis veritatis sint asserenda. Ideo in forma

Respondeo, negando sequelam; nam diuina essentia dicitur fons & origo creaturarum, non quia fit propter illas, aut ordinetur ad illas, vt dicuntur cætera agentia esse propter operari ex Aristot. l. 2. cæl. t. 17. sed quia propter infinitam suam perfectionem creaturæ pendent ab illa secundum omnem rationem entis, quam in se habent; & ideo valet quidem dicere, quod si per impossibile non esset Deus, neque essent possibilia vlla entium genera, vel species; non tamē vice versa si esset impossibile hoc vel illud ens, aut etiam totum quod extra Deum est arguitiuè colligeretur non esse hunc Deum, qui modò est; nam Deus adeo eminentis naturæ est, vt omnino absolutus sit ab omni dependentia à creaturis, & nulla indigeat ad suum felicissimum, & incommutabile esse; creatura verò quęlibet essentialiter ab eo pendet, nec esse, aut intelligi potest independens ab illo. In quo statim apparet discrimen inter Deum & exempla creaturarum, quæ afferuntur ad probandum, quod sublato vno termino, aufertur & alterum, v. g. ablato vna forma ablatum iri & materiam; & idem est de terminis aliarum potentiarum, & actuum; nam quicquid sit de hoc quod à pluribus Philosophis negatur asserentibus respici formas à materia sub ratione communi, & actus pariter ac obiecta à potentijs sub ratione eadē, & non omnes collectiuè, aut in particulari, adhuc apparet discrimen inter illa, & essentiam diuinam; quippe inter prædicta est mutua relatio, & dependentia in diuerso genere, non item inter Deum & creaturas; & ideo circo Deus idem esset, sublatis creaturis omnibus etiam possibilibus, quia neque refertur, neque pendet ab illis, proinde nec dependenter ab illis cognoscitur, sed seorsim ab omnibus, vt diserte S. Dionys. c. 7. de diu. nom. & S. Aug. l. 8. de Trin. c. 3. Si potueris, ait, sine illis quæ participatione bona sunt, perspicere ipsum bonum, cuius participatione bona sunt, perspexeris Deum:

Inſtabis, ſi per impoſſibile non eſſet Filius & Spiritus ſanctus, aut aliud quippiam eorum quæ ſunt in Deo, iam non eſſet hic Deus, ergo vel eſſe hunc Deum pendet ab impoſſibilitate, ſine qua non poteſt eſſe; vel argutiuè colligitur, non fore hunc Deum, ſi non eſſent poſsibiles creaturæ, quia talis argumentatio non magis debet habere locum in vna impoſsibilitate, quàm in alia, ſiquidem ex neutra infertur dependentia vel relatio Dei ad aliquid extra ſe: quis enim hanc admittat in Deo ad impoſsibilia?

Confirmatur quia ſicut valet dicere, Deus eſt qui eſt, ergo impoſsibile eſt non eſſe poſsibiles creaturas, ergo vice verſa ſicut valet, ſi non eſſent tres Perſonæ in vna eſſentia, non eſſet Deus qui eſt, ita & valebit, ſi non eſſent poſsibiles creaturæ, Deus non eſſet qui eſt; quia ſicut eſt origo perſonarum in ipſo, ita & creaturarum, quas ſi non poſſet producere, non eſſet Deus qui eſt.

Reſpondeo ad inſtantiam nego ſequelam, quia categorema illud impoſsibile æquipollet neceſſario; & idem eſt impoſsibile eſſe, quod Deus non ſit Trinus, aut non identificetur cum omnibus, quæ concipiuntur in ipſo, ac neceſſarium eſſe: porro hæc neceſsitas non diſtinguitur ab ipſo Deo, licet explicetur à nobis per diuerſos terminos mutuatos à rebus creatis; proinde inualidè infertur, quod pendeat ab hac impoſsibilitate, quia idem non pendet à ſeipſo. Multo minus pendet à poſsibilitate creaturarum, à quibus propter eminentiam ſui eſſe penitus abſoluit; qui ſimpliciter, ait S. Dionyſ. de myſt. Theol. c. 5. abſolutus ab omnibus, & vltra omnia eſt. Atque ita apparet, cur ex hypotheſi impoſsibile, quod Deus non eſſet ſequatur ſublatum iri omnem creaturam, veritatem, rationem; non autem vice verſa ex impoſsibilitate creaturarum etiam argutiuè auferatur Deus; nam Deus eſt radix, idea, cauſa, à qua eſſentialiter pendet quicquid aliquo modo entis rationem habet, ipſe autem independens eſſentialiter eſt abſolutus ab omnibus, ſupereminens omnibus. Ex quo patet

Ad confirmationem. Prima enim hypotheſis deſtruit in terminis eſſentiam Dei, qui de ſua natura Trinus eſt. Secunda nequaquam, quia eſſe originem perſonarum eſt ipſa eſſentia diuina independenter à noſtro conceptu, eſſe originem poſsibilium & exiſtentium omnium eſt perfectio, quam nos explicare non poſsumus, niſi per ordinem ad creaturas ſed in re abſoluit ab illis, & eodem modo ſe haberet, ac de facto ſe habet, etiamſi illę eſſent impoſsibiles. Eſt enim ſupereminens eſſentia, in qua eſset eadem perfectio originis rerum, non tamen ijs nominibus ſignificata, & à nobis explicata, ſed eſſentiæ identificata & omnibus abſoluta, quæ ex ſuppoſitione, quod impoſsibilia eſsẽt poſſibilia, ab ea penderent, & neceſsariã connexionẽ haberent cum illa, licet ipſa nullã habeat cum creaturis. Neque hoc magis mirum videri debet, quàm quod habet S. Dionyſ. de myſt. Theol. c. 4. Omnium cauſa ſuper cuncta cum ſit neque ſubſtãtia eſt, neque vita. Et c. 5 Neque ratio eſt, neq; intelligentia, &c. eo ſcilicet modo, quo à nobis hæc percipiuntur, quia ſupereminentior eſt noſtris conceptibus, alioqui de diu. nom. c. 5. Eſt enim, inquit, principium rerum, ex quo eſt & ipſum eſſe, & omnia quæ quomodolibet ſunt, omne initium, omnis finis, omnis vita, immortalitas omnis, omnis ſapientia, omnis ordo. Itaque & nos dicere poſſumus, quod non eſt origo omnium quæ ſunt, vt ſcilicet à nobis concipitur, ſignificatum huius vobis cum reſpectu ad creaturas; à quibus abſoluit; eſt origo, vt ſignificatur in recto, illud eſſe ſupereminens, quod non intelligimus, nec exprimimus ob tenuitatem noſtri intellectus, niſi per ordinem ad creaturas. Ideo in ſimilibus argumentis cauenda eſt fallacia accidentis ab eſſe rei in ſe ad eandem vt ſubſtat noſtro modo intelligendi, & negandæ ſequelæ inde deductæ.

Dices, in hac doctrina de origine creaturarum poſsibilium ex diuina eſſentia inuolui multa difficilia, & ferme inintelligibilia, à quibus facilè ſe expediunt, qui negant iſtas rationes æternas neceſſarias, & poſſibilia explicant per hoc quod Deus conceſſa re aliqua, & eius exiſtentia non videt quod per duos ſyllogiſmos in forma concedi debeant duæ contradictoriæ, vt videt de chimera, ſeu de quolibet impoſſibili.

Reſpondeo, quod iccirco D. Auguſt. ſupra citatus requirit mentem hæc intelligentem non mediocris acuminis, & quæ ſe in aliam quamdam pluſquam humanam conſuetudinem vendicauerit; huic longè facilius eſt cum SS. Dionyſ. Auguſt. Thom. Bonau. rationes, ac veritates haſce percipere, quàm obiectum diuinæ omnipotentiæ in genere poſſibile quodlibet non admittere, & ſolum ad extrinſecam denominationem, vel ad diuinam cognitionem recurrere.

Deinde cum dicis Deum videre, quod poſita aliqua exiſtentia non ſequerentur duo contradictoria per duos ſyllogiſmos in forma, peto, cur hoc in aliquibus videat, in alijs videat oppoſitum; v. g. ſi ponatur à parte rei, Petrus videt non ſequi contradictoria, ſi per impoſſibile poneretur chimera videt ſequi contradictoria: huius diſparitas non eſt cognitio diuina, quia illa non mutat obiecta, ſed percipit perfectiſſimo modo, vt ſunt perceptibilia, igitur diuerſitas tota eſt obiectis cognitis, quia videlicet vnum eſt poſſibile in ſe, & idea produci poteſt abſque vllo incommodo contradictoriarum; aliud impoſſibile, quia termini ſe inuicem deſtruunt, & ideo ex hypotheſi eius impoſſibilis ſequitur concluſio repugnans lumini naturæ, quod idem ſit; & hoc præſupponitur diuinæ cognitioni, vt dabat exemplum ſupra S. Auguſt. de numeris; v. g. quod duo & tria faciant quinque, & quod ſit impoſſibile ex illis conflari ſeptem; quod triangulus habeat tres æquales duob. rectis, & impoſſibile ſit habere tres æquales angulos; idque non ſolum de hoc & illo triangulo in communi, cuius rationem & non ſolum indiuiduorum contineri in diuina eſſentia, ſatis ſuperque ex S. Auguſt. diſertè hoc docente demonſtrauimus. Et de rectitudine in vniuerſum, ſicut & de veritate ex S. Anſel. oſtendimus vnam eſſe in omnibus indiuiduis, & non eſſe plures rectitudines, quia plures ſunt res, quę rectæ dicuntur; non ſolum quia eſt vna veritas æterna, à qua omnis alia deriuatur; ſed etiam quia res ſingulares vere conueniunt in ve-

Digitized by Google

ritate vna de ipſis prædicabili, vt individua humana, in vna natura hominis, quod eſt exemplum S. Anſelmi. Deniqúe rationes multæ Mathematicæ non poſſunt reduci ad exiſtentiam, vt ſuprà oſtendimus, ergo de illis non valet hæc tua regula; & tamen ſunt obiecta vera, ac proinde participantia primam veritatem, vt fontem, à quo eſſentialiter pẽdet omnis veritas. Verùm quia tota doctrina de rationibus æternis ac veris, vt vocantur à S. Aug. ſupra de poſſibili & impoſſibili; ſeu non implicante contradictionem, & implicante, vt loquuntur S. Thom. & S. Bonau. ſupponit ac oſtendit non eſſe has meras denominationes extrinſecas ab omnipotentia Dei. Quidam conantur pro ſua ſententia explicare D. Th. & eius auctoritatem dictis ſupra opponere, quorum vltimo loco ſoluendum eſt argumentum, & aliquæ concluſiones ex ſolutione deducendæ.

Reſpondetur argumento à Sancti Thomæ auctoritate ducto.

§. VII.

Dicunt à S. Doctore q. 25. 1. p. a. 3. explicari conceptum entitatiuum rei poſſibilis, ſed tradit indicium ad indicandum, an obiectum alicuius noſtræ cognitionis ſit factibile à Deo, cui nimirum ſi aſſentiamur, non cogimur, per propoſitiones veras & neceſſarias in duobus ſyllogiſmis in forma concedere duas propoſitiones contradictorias, vt patet ex verbis in corp. art. Si autem, inquit, dicatur, quod Deus ſit omnipotens, quia poteſt omnia quæ ſunt poſſibilia ſuæ potentiæ, erit circulatio in manifeſtatione omnipotentiæ, hoc enim non erit aliud, quàm dicere, quod Deus eſt omnipotens, quia poteſt omnia quæ poteſt, &c. Non igitur híc aliud quærit S. Thom. quàm manifeſtationem omnipotentiæ, non autem eſſentiam illius, quia à parte rei Deus eſt omnipotens, quia poteſt omnia quæ poteſt.

Sed contra eſt primò, Quia S. D. ibi tota quæſtione diſputat de potentia Dei, & a. 3. de omnipotentia non ſolum in ordine ad manifeſtationem, & intellectum noſtrum; ſed etiam & quidem principaliter ſecundum eſſentiam ſuam, ſicut facit de alijs attributis, ideo quærit, an ſit in Deo, an ſit infinita, &c.

Secundò, ſicut in præcedentibus & ſequentibus articulis affert rationes dictorum non ſolum in ordine ad manifeſtationem, ſed de re ipſa in ſe, cur non dicatur idem præſtare, cum quærit, an ſit omnipotens?

Tertiò, cum recta diſputandi methodus exigat tractationem de eſſentia omnipotentiæ, cum dicatur ex neglecta S. Doctorem ſolum de manifeſtatione fuiſſe ſollicitum.

Quartò, diſertè habet dici omnipotentia, quia poteſt omnia poſſibilia abſolutè, & explicat quid ſit poſſibile, & impoſſibile ſecundum rem, & non tamen in ordine ad manifeſtationem.

Quintò, ſubdit quod eſſe diuinum, ſuper quod ratio diuinæ potentiæ fundatur, eſt eſſe infinitum non limitatum ad aliquod genus entis, ſed præhabens in ſe totius eſſe perfectionem. Vnde quicquid poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens. Hoc igitur repugnat rationi poſſibilis abſoluti, quod ſubditur diuinæ omnipotentiæ, quod implicat in ſe eſſe & non eſſe ſimul, & quæ profectò non dicuntur ſolum in ordine ad manifeſtationem.

Sextò, quia manifeſtatio per noſtrum intellectum ſupponit obiectum in ſe, de quo eſt intellectio: igitur cum S. Thomas meminit manifeſtationis, ſupponit rem, quæ manifeſtatur; & hîc non eſt alia, quàm diuina omnipotentia, quam agnoſcit in Deo, quia poteſt omnia, quæ non implicant contradictionem.

Ex quo patet ad rationem in contrarium; ſi enim dicatur Deus omnipotens, quia poteſt omnia quæ ſunt poſſibilia ſuæ potentiæ, erit circulatio in manifeſtationem omnipotentiæ; quia hæc non eſt ratio à parte rei, & proinde nec vtilis ad manifeſtationem: ſi autem dicatur omnipotens, quia eius potentia extenditur ad omnia, quæ non repugnant, redditur ratio ſine circulo.

Patet deinde in S. Thoma poſſibile dicere aliquam rationem diſtinctam ab omnipotentia. Primò quia alioqui ſenſus probationis ex Luc. 1. non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum, eſſet iſte, non erit impoſſibilis omnipotentia. Patet, quia per te verbum poſſibile, ſeu non impoſſibile, nihil præter purum nomen includit diſtinctum ab omnipotentia.

Deinde definit poſſibile ex habitudine ad terminos, quia prędicatum videlicet non repugnat ſubiecto. Hoc autem non eſt omnipotentia diuina: quis enim dixerit, Socratem peccare eſt poſſibile, quia non repugnant termini, nihil eſſe aliud, quàm diuinam omnipotentiam, cum illi repugnet poſſibilitas hæc, quæ eſt impotentia [illegible] defectus, vt S. Thom. ibid. ad ſecundum.

Tertiò, expreſsè ad quartum, poſſibile abſolutè non dicitur ſecundum cauſas ſuperiores, neque ſecundum cauſas inferiores, ſed ſecundum ſeipſum; & illud diſtinguit à poſſibili ſecundum eaſdem cauſas. Igitur præter denominationem à potentia, quæ eſt in hoc S. Thom. admittit aliud poſſibile in ſe quod eſt illud, cuius termini in ſe non repugnant, & ita interpretantur S. Thomam eius Diſcipuli, conuenientes in hoc quod obiectum poſſibile ſupponitur omnipotentiæ, & proinde quod ſit aliquid ab ipſa diſtinctum.

Patet tertiò, ſecundum S. Thomam propoſitiones conditionales impoſſibiles ſignificare aliquam veritatem ex parte obiecti conditionalem, & non eſſe ſolum deductiones, quas intellectus noſter teneretur concedere, conceſſa ſemel conditione impoſſibili. Probatur quia S. Thom. cit. q. 25. a. 3. ſecundum, ait nihil prohibet conditionalem eſſe veram, cuius antecedens & conſequens eſt impoſſibile; v. g. ſi homo eſt aſinus, habet quatuor pedes. Deinde ideo intellectus tenetur concedere vnam partem ex conceſſione alterius; quia à parte rei eſt fundamentum huius neceſſitatis, ergo & eſt veritas obiectiua, quæ non eſt Dei omnipotentia abſo-

luta, neque ſolus conceptus formalis intellectus; quia vt hic dicatur verus, debet conformari obiecto, quod intellectione exprimitur.

Tertiò, ſicut vera eſt ex parte obiecti hæc propoſitio, Si homo non eſſet rationalis, non eſſet riſibilis, quia iſti termini ſunt neceſſariò connexi, ita & hæc; ſi homo eſſet leo, rugiret, quia eſſe rugibile neceſſariò connectitur cum Leone; & vera eſt modalis; impoſſibile eſt, leonem non eſſe rugibilem, neceſſe eſt Leonem eſſe rugibilem, cui æquiualet conditionalis impoſſibilis.

Quartò, tota doctrina prioriſtica propoſitionum modalium oppoſitarum conditionalium fundatur in natura rerum per illas ſignificata; & hęc debet attendi, vt tradantur regulæ argumentandi in diſciplinis, igitur non ſignificantur per illas puræ deductiones, ſed veritates, penes quas regulatur intellectus in deducendo; v. g. cur vera eſt hæc, poſſibile eſt hominem quemlibet currere, ergo poſſibile eſt, Petrum currere, & vniuerſaliter cur à dictum de omni deducimus concluſionem de aliquo ſub illo contento per affirmationem validè, per negationem inualidè, & falsò, niſi quia vt res ſe habent ad eſſe, ita & intelliguntur, ſi probè intelliguntur & deducuntur per diſcurſum. Certè quando aſſeris intellectum habere neceſſitatem concedendi vnam partem, quia concedit aliam, fateri debes cogi illum ab obiecto, & veritate eius apprehenſa, & proinde conditionalem impoſſibilem: cuius antecedens & conſequens eſt falſum, & impoſſibile eſſe veram, vt S. Thom. docet, in ſe & fundamentum præbere intellectui faciendi varias deductiones.

Dices, poſita conditione impoſſibili ex parte obiecti verificarentur contradictoria, ergo nullum remaneret obiectum non deſtructum ab alia parte ſuæ contradictionis, ergo nihil remaneret in obiecto, quod poſſet verificare talem propoſitionem conditionatam; v. g. ſi dicatur, ſi homo eſſet leo, rugiret, ita quidem eſt [illegible], ſi intelligatur de neceſſitate, quam haberet intellectus concedendi hanc; homo rugiret, ſi concederet hanc, homo rugiet, ſi homo eſt leo: Non tamen eſſet vera, ſi hoc ſignificaret abſolutè ex parte obiecti: Nam ſi homo eſſet leo, haberet ſimul negationem leonis per te coniunctam eſſentialiter cum homine, ergo nihil haberet, per quod rugiret; talis enim negatio tolleret ab eo eſſe leonis, & ſic principium rugiendi.

Imò nec habet veritatem obiectiuam hęc conditionalis, ſi eſſet chimera, non eſſet chimera; nam chimera dicit exiſtentiam & negationem eiuſdem exiſtentiæ, ſed ſi eſſet chimera, non eſſet exiſtentia ergo non eſſet tota chimera. Probatur minor, quia non eſſe exiſtentiam dicit formaliter negationem exiſtentiæ, ergo ſi eſſet chimera, non eſſet exiſtentia, quia dicit eius negationem.

Contrà primò, quia hypothetica impoſſibilis ad hoc vt valeat ad inferendam veritatem conſequentis, debet ſeruare conſtantiam antecedentis, alioqui inutilis eſt ad argumentandum; v. g. in dicta propoſitione, ſi homo eſt leo, eſt rugibilis, ſenſus eſt, ſi manet leo, alioqui nihil ſequitur; ſicut niſi maneat conſtantia ſubiecti, argumentum nullum eſt, vt cum dicitur, ſi homo eſſet Angelus & homo eſſet, alioqui idem eſſet ac dicere, ſi non eſſet homo inter u m natura, & eſſet Angelus, aliquid non exiſtens homo eſſet ſpiritus; quæ propoſitio eſſet vera, ſed non ex antecedenti impoſſibili. ſubiectum igitur conſequentis eſt totum antecedens, cuius prædicatum tranſit in partem ſubiecti, & retinere conſtantiam debet, vt valida ſit illatio, vt Summuliſtæ tradunt. Vide P. Ant. Caſilium Introduct. l. 3. c. 15. quare gratis infers, quod nullum remaneret obiectum non deſtructi, poſita conditione impoſſibili. Neque obſtat, quod inferantur duo contradictoria; nam hoc ſequitur ratione materiæ, & impoſſibilitatis abſolutè coniunctionis terminorum in antecedente; non autem ratione formæ, & regularum ſyllogiſmi, ſecundum quas retenta conſtantia antecedentis, & connexionis conditionalis abſolutè impoſſibilis, ſequitur veritas illationis.

Secundò, non manere deſtructum obiectum ex conditione impoſsibili argumento eſt, quia ex illa non infertur, niſi determinata veritas conſequentis, puta rugibilis eſt homo, ſi leo eſt, bene infertur, falsò ſi dicatur, ſi homo eſt, hinnibilis eſt; igitur ex vi obiecti, ſeu antecedentis ſequitur veritas, non igitur deſtructum eſt, ſed manet conſtantia.

Tertiò, doctrina communis tradita ab Ariſtot. de poſsibili, & impoſsibili ſuadet non deſtrui obiectum; nam antecedens impoſsibile eſt neceſſarium ex natura ſua, & per ſe non minus quàm Categorica; v. g. diameter eſt commenſurabilis coſtæ, licet hoc ſit falſum & illud verum quod ſequitur ex impoſsibili conditionato: ſicut ergo contrarium categoricæ falſæ verum eſt, quod ſcilicet diameter ſit incommenſurabilis coſtæ: & ideo illa eſt impoſsibilis, & falſa ex Ariſtot. 5. Metaph. c. 17. ita contrarium conſequentis ex hypothetica impoſsibili falſum eſt, quod ſcilicet non eſſet rugibilis; quia antecedens verum eſt, cum denotet connexionem rugibilis cum leone, & non cum homine, niſi ex ſuppoſitione quod eſſet leo; quod eſt quidem impoſsibile; ſed propoſitio conditionata non enunciat poſsibile, & alioqui de eſſentia conditionis eſt, vt nihil ponat in eſſe: ac proinde valet ſolum ad agnoſcendam rei naturam per locum intrinſecum, quod ſi deſtrueretur eius obiectum, nihil valeret ad argumentandum, & fruſtra in eius regulis explicandis oleum & opera Dialecticorum inſumeretur. Hinc

Quartò, ex vi non obiecti, quæ nulla eſt, vel falſi, non ſequitur verum. Si ergo vera eſt propoſitio de conditione impoſsibili ob connexionē terminorum puta rugibilis cum leone, obiectum non intelligitur deſtructum, quia de nihilo enūciaretur rugibilitas, & eſſet falſa propoſitio, atque adeo nulla talis hypothetica eſſet vera, vt, pote de ſubiecto non ſupponente, quod deſtruit totam doctrinam hypotheticarum, qua vtuntur Philoſophi, & Theologi, ad cognoſcendas rerum naturas per locum intrinſecum. Propterea non admittitur in Theologia communiter eorum reſponſio, qui dicunt, quæſtionem eſſe friuolam, quam mouent ſcholaſtici, vt diximus ſupra numero 27. quęrētes, an ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, diſtingueretur ab ipſo, eo quod hypotheſis ſit impoſsibilis, & ideo quæſtio inutilis; quia cum ea quæ ſunt in Deo, ſint ſummo modo neceſſaria, oppoſita ſunt tantummodo impoſsibilia, qualis eſt hæc, Spiritum

Sanctum

Sanctum non procedere à Filio; quare cum ex impossibili sequatur quodlibet, id est quælibet pars contradictionis, sequetur Spiritum Sanctum distingui, & non distingui, & redditur quæstio inutilis, ex qua nihil statui potest. Ita Godfredus quodlib. 7. q. 4. quem refert Scotus in 1. dist. 11. q. 2. & sequitur Greg. ibid. q. 5. a. 2. qui reijciuntur communiter, quia vt Scotus, & cum eo Vasq. 1. p. disp. 147. c. 1. ex tali hypothesi per locum intrinsecum, & hypothesi permanente non potest inferri vtraque pars contradictionis, & alioqui inseruit cognitioni essentiarum, de quibus disputatur; v. g. supposito quod homo non esset animal, & tamen esset rationalis, inquirenti an distingueretur ab equo, non sequeretur vtraque pars contradictionis. Sed sequeretur distingui, quia manet distinctiuum; & instanti quod remoto animali non manet rationale, ac proinde neque differentia distinctiua: respondetur quæstionem fieri suppositione permanente, ex qua solum licet inferre, & hoc est per locum intrinsecum ex suppositione argumentari, ait Vasq. nã alioqui non manente suppositione vna pars contradictionis destruit alteram; & inutilis est argumentatio, quia non est per locum intrinsecum requirentem permanentiam antecedentis; v. g. quod Filius à Patre procedat, sed Spiritus S. non spiretur à Filio; in eadem tamen natura procedat à Patre, & maneat eadem spiratio passiua, ac eadem Filiatio, quæritur, an maneret aliquid quo inuicem personæ distinguerẽtur. Quæ quæstio per te non potest institui, quia destruitur obiectum antecedentis, & est inutilis, ac superuacanea, eo quod vtraq; pars contradictionis verificaretur, quod est absurdum iuxta opinionẽ Theologorũ asserẽtium esse vtilem, quia per eam innotescit formalis ratio, & causa necessaria distinctionis inter Filium, & Spiritum S. si enim Spiritus S. non procederet à Filio, & tamen distingueretur, sequitur necessariò causam distinctionis in Filio nũc esse spirationem; si vero adhuc distingueretur, alia quærenda est ratio distinctionis. Etenim manente causa distinctionis, manet distinctio, & ablatâ, aufertur. Negandum igitur quod assumis positâ conditione impossibili tolli obiectum, quia verificantur contradictoria, & nihil remanere quod possit verificare talem propositionem; & licet ad veritatem formalem necessarius sit ordo ad intellectum formantem propositiones; tamen supponitur veritas obiectiua, cui debet conformari conceptus, alioqui formaret propositiones ad libitum, & de nihilo, contradicta, quia non potest ex antecedente impossibili sequi quodlibet verum, sed hoc vel illud iuxta exigentiam, & connexionem terminorum, igitur fundamentum est in re ipsa.

Dices sensum propositionis, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo, hunc esse; intellectus habet indicium deducendi duas contradictorias, quod scilicet distingueretur, & non distingueretur, & dicitur vera per propositionem reflexam.

Sed huic responsioni obstant modò dicta ex cõmuni sensu Theologorum, & rationibus allatis, quæ absque propositione reflexa probant esse veram, sicut & aliæ hypotheticæ de impossibili.

Multo minus attribui potest illi sensus disiunctiuus, qui est talis: Spiritus Sanctus vel procedit à Filio, vel non distinguitur à Filio: nam propositio hypothetica de impossibili diuersa est à propositione disiunctiua, & facit diuersum sensum, licet ex vna inferatur altera.

Patet quartò quid sentiendum de ista hypothetica, si esset chimæra, non esset chimera; si enim significetur per illam, quod si actu existeret chimæra, non existeret actu, falsa est, quia vt Aristot. 4. Metaph. t. 9. Impossibile est putare idem simul esse, & non esse, quod est primum principium lumine naturæ notum: sin sensus sit, si existeret chimæra, non esset chimæra, quia de conceptu chimæræ est quod non possit existere, vera est; quia consequens est ex vi antecedentis conditionati impossibilis existere; & proinde non coniungibilis cum antecedente, cuius dicit negationem; locumque habet hîc regula contradictoriarum quod vna earum est necessariò vera, altera necessariò falsa; nam verum est quod si existeret chimæra, deducitur quod non esset chimæra, quia existentia excludit formaliter negationem sui, quam chimæra formaliter includit, cum dicat impossibilitatem existendi; & ideo si existeret, simul esset, & non esset chimæra; quod implicat in terminis; sicut si homo rugiret, esset leo, & non esset leo; & tamen per locum intrinsecum valet, quod si esset leo rugiret: & licet aliunde colligatur non rugire, non tamen per locum intrinsecum manente suppositione, sed aliunde, quia vna pars destruit aliam, vt Vasq. loc. cit. in simili.

Hinc deducunt aliqui rationem, cur Deus diceretur impotens, si posset producere chimæram, quia ille est impotens producere aliquam existentiam, qui non potest impedire negationem illius existẽtię. Deus autem non posset hanc impedire; quia chimęra existens inuoluit negationem sui: ergo si crearetur, poneretur talis negatio, ergo Deo negaretur potentia respectu entis possibilis, & tolleretur omnipotentia.

Sed hæc non est ratio vniuersalis, quia etiam dicitur Deus non posse peccare, esurire, fatigari, moueri, non quia non potest impedire negationes existentiarum istarum, neque Patrum vllus hanc rationem tangit, sed aliunde, quia est substantia pura, sancta immaterialissima cui hæc repugnant, quæ includunt in se imperfectionem; vnde & ab Apostolo dicitur seipsum negare non posse.

Deinde, quia variaret conceptum chimæræ possibilitas creationis eius; & ideo si crearetur per impossibile, non includeret negationem suę existentiæ, neque Deus diceretur non esse omnipotens, quia non posset impedire negationem eius existentiæ; ex suppositione enim quod crearet, illam impediret, sed iam non esset conditionalis de impossibili, quia si crearet, esset possibilis, & non esset chimæra. Ratio ergo, cur in hoc casu posse creare diceret impotentiam, est quam supra attulimus ex S. Th. quia chimæra implicat contradictionem, & prædicatum creabilis destruit, hunc conceptum subiecti, vel subiectum ipsum duabus vocibus constat, quarum significata repugnant inter se, sicut cum dicitur, animal spirituale: per chimæram enim significatur aliquod impossibile, quo apprehenso secundum mentis illustrationem, & ordinem sapientiæ, statim innotescit, non esse creabile à Deo, iuxta explicationem S. Bonau. supra allatã.

Secunda, S. Anselmus in Monol. c. 17. docet quod nulla veritas clauditur principio aut fine, explicat S. Th. loc. cit. ar. 5. primum quia non potest intelligi, quando illa oratio esset, & veritas illi deesset, qua videlicet significatur aliquid esse futurum, non ratione veritatis inhærentis, sed ratione primæ veritatis, à qua sicut à mensura extrinseca enunciatio vera dicitur. Idem habet a. 4. ad primum, respondens argumento ex Ansel. dicente quod veritas ita se habet ad omnia temporalia, sicut tempus, quod est vnum, & repetit a. 6. primum.

Tertia, In particulari contra exempla de futuro quod affirmatur verè futurum, & de præterito, quod verè est præteritum, & semper verum erit dicere, est præteritum, ait S. Th. illo a. 5. ad 6. quod id quod est futurum, inquantum est futurum non est, & similiter præteritum inquantum huiusmodi. Vnde eadem est ratio de veritate non entis, ex qua non potest concludi æternitas alicuius veritatis, nisi primæ, & a. 4. tertium ait, quod destructis rebus solum remaneret veritas in intellectu diuino. Et S. Bonau. in 1. dist. 44. in fine ait fuisse præteritum nihil esse, hinc probans, non posse à Deo destrui.

Quarta, Contra rationes ex Mathematica & rationibus numerorum ex S. Aug. quod nihil magis est æternum, quàm ratio circuli, & quod duo & tria sint quinq; habet ibid. ad septimum intelligenda ista de æternitate in mente diuina: idq; vt probet præter illam nullam dari æternã veritatem: & de potentia q. 3. a. 5. secundum ex hoc ipso, inquit, quod quidditati esse attribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, vbi non est creatura, sed creatrix essentiæ.

Quinta, Ad illud quod diximus de vniuersali approbat dictum Auicennæ asserentis esse incorruptibile, & perpetuum ratione particularium, quę nunquam incæperunt, nec deficient, iuxta erroneam opinionem de mundi æternitate. Sic ad 13. a. 5. & art. præcedenti ad 6. dixerat quod veritas immutabilis est veritas prima.

Sexta, Quærit disertè S. Th. d. q. art. 5. Num præter primam veritatem aliqua veritas sit æterna, & respondet negatiuè. Et hæc ferme eadem repetit 1. p. q. 16. a. 7. & 8.

Septima, Ratio harum explicationum est, quia non est intelligibile, quid sit ista veritas creaturarum, quæ dicitur æterna, immutabilis, &c. siquidem nihil æternum agnoscunt Patres, ac fides, præter Deum, qui est prima, & summa veritas.

Deinde quia diceretur Deus non ex nihilo condidisse omnia, sed ex essentijs præsuppositis, tanquam ex mat. quod est erroneum in fide.

Aduerte, quod ens considerari potest vel in se & absolutè, vel relatiuè in ordine ad aliud. Primo modo nihil inuenitur in ipso affirmatiuè dictum absolutè, quod possit accipi in omni ente, nisi essentia eius, secundum quam esse dicitur, & sic imponitur nomen res, quod in hoc differt ab ente secundum Auicennam lib. 2. suæ Metaphys. quod ens sumitur ab actu essendi; sed nomen rei exprimit quidditatem, siue essentiam entis. Ita in terminis S. Th. de ver. q. 1. a. 1. c. & ad tertium ex Boet. asserente, diuersum est esse, & quid est. In ordine verò ad aliud comparatur ens intellectui, cui correspondet; & hæc correspondẽtia est adæquatio rei & intellectus, & in ea dicitur consistere veritas formaliter, & completè accepta; cum quo tamen stat, vt verum etiam dicatur quod præcedit hanc rationem tanquam fundamentum eius; quo sensu definitur à S. Augustin. in Soliloq. l. 2. c. 3. verum est id quod est; & ab Auic. l. 2. Metaph. c. 2. veritas cuiuslibet rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei, vt S. Th. ibid. Igitur verum consideratur dupliciter, fundamentaliter, & est ens absolutè consideratum; Et formaliter, vt adæquatur intellectui tam diuino, quàm creato. Respectu primi res dicitur vera; inquantum nata est de se formare verã æstimationem, ex 5. Metaph. tex. com. 4. quo sensu disp. l. 2. Met. t. 4. vt secũdum esse vnumquodque se habet, ita etiam secũdum veritatem: quæ distinctio entis vt dicit essẽtiam, seu quidditatem, & vt dicit actum existendi ipsi conuenientem, est S. Doct. loc. cit. Veri item accepti fundamentaliter pro obiecto, & re absolutè considerata, & formaliter pro adæquatione ad intellectum passim vsurpatur à S. Thoma loc. cit. in sum. & de ver. Inseruitque solutioni argumentorum ex eodem adductorum. Vtrum autem hoc verum fundamentaliter dicat ordinem transcendentalem ad intellectum, parui refert ad præsentem quæstionem, dummodo concedatur, quod hæc veritas est in re secundum quod habet esse conformabile intellectui, vt S. Th. 1. p. q. 16. a. 5.

Aduerte secundò, quod verum fundamentaliter, secundum scilicet quod dicitur de rebus per prædicationem conuertitur cum ente; omne enim ens est adæquatum intellectui diuino, & potens sibi adæquare intellectum humanum, & è conuerso. Si autem accipiatur verum formaliter, prout dicitur de intellectu, sic conuertitur cum ente, quod est extra animam, non per prædicationem, sed per conuenientiam, eo quod cuilibet vero intellectui oportet quod respondeat ens aliquod, & è conuerso. Ita S. Th. illa ver. a. 2. ad primũ, ex quo clare habes, quod non potest esse, nec dici verus intellectus; quin habeat pro obiecto ens aliquod, proinde intellectui diuino ab æterno cognoscenti rationes supra numeratas, respondebat obiectum, quod erat ens ab ipso distinctum: & quamquam denominatio rei veræ formaliter & cõpletè sumpta sit ab intellectu diuino, vel creato, sicut cibus denominatur sanus à sanitate animalis; tamen supponitur veritas rei, quæ nihil aliud est, quàm entitas intellectui adæquata, sicut forma inhærens, non secus ac in cibo supponitur qualitas, à qua sanus dicitur. Ita S. Th. ibid. q. 1. a. 4. c. & explicat P. Didac. Ruiz disp. 88. de ver. sect. 6. & 7. citans Ferrar. 1. cont. gen. c. 60. Soncinatem, & alios præcipuè auctoritate Aug. nixos l. de ver. rel. c. 36. Quapropter, inquit, quoniam intantum vera sunt, in quantum sunt; in tantum autem sunt, inquantum principalis vnius similia sunt, ea forma est omnium, quæ sunt, quæ est summa similitudo principij p. Non dixit intantum sunt, inquantum existunt, quia veritas latius existentibus patet, vt paulò post dicam.

Ex ijs responderi potest ad allatas instantias, in quib. apertè distinguitur esse actuale ab esse obiectiuo, quod tribuitur omnibus veris

Digitized by Google

reſpectu diuini intellectus, vt vel hinc intelligatur, eſſe vnam veritate æternam formalem, ſed cadentem ſuper multas obiectiuas.

Ad primam. Si ſermo ſit de veritate formali, & completa, quæ conſiſtit in adæquatione rei ad intellectum, & principaliter eſſe dicitur in intellectu, verum eſt illam eſſe vnam, æternam, immutabilem, &c. Quia cum nullus intellectus ſit æternus, & immutabilis, præter diuinũ, nulla etiã veritas eſt æterna, niſi illius. Si ſermo ſit de veritate fundamentaliter ſũpta, ſeu de obiecto intellectus, hoc non ſolum eſt diuina eſſentia, vt primarium, & per ſe; ſed etiam res creabiles, & omnes rationes tam Metap. quàm Math. & quicquid cognoſcibile eſt, non quòd iſtæ ſint quid exiſtens in ſe ab æterno; ſed quòd ſint extra nihil, & participationes aliquæ infinitæ perfectionis diuinę modo explicato. Ex hoc enim ſũt obiectum cognoſcibile, & à diuino intellectu ſemper, & immutabiliter cognitum, vnde & dicuntur habere ſolũ eſſe cognitum, quia à parte rei non exiſtunt, ſed tantum obijciuntur intellectui diuino, & ipſi adæquantur, hoc eſt cognoſcuntur perfectiſſimè, vt cognoſci debent, & habent veritatem formaliter: ſed obiectum hoc non eſt nihil, aut mutabile, & eſt ex ijs, quę Ariſtoteles 9. Metaph. t. 21. aliter ſe habere non poſſe, & ſemper vera eſſe docet.

Ad ſecundam, res futura non dicitur habere veritatem Inhærentem, ſed denominari vera à prima veritate, quia cum non exiſtat, non poteſt eſſe ſubiectum inhæſionis vllius proprietatis. Cæterum ſi pro veritate inhærente intelligatur intrinſeca, quę eſt fundamentum veritatis formalis, hanc ineſſe obiecto, vt qualitas ſanitatis ineſt cibo, ſupra docuit S. Thom. neque negauit aſſeri à S. Anſelmo; eſt enim ipſummet obiectum, vt conformabile dicitur intellectui

Ad tertiam, futurum vt ſic, & præteritum quà præteritum nihil eſt in ſe exiſtens actu, & de illis eadem eſt ratio, ac de non ente; vt verò obiectum ſunt intellectus cognoſcentis ſpecificatiuè quod erit, vel fuit; & ideo Sanct. Thom. addit particulam reduplicatiuam inquãtum, quia vt ſic nihil ſunt exiſtens. Item S. Bonau. intendit nihil eſſe actu exiſtens, quod præteritum eſt, non negat eſſe verum præteritum fuiſſe: quis enim neget verum eſſe quod Chriſtus Dominus, exempli gratiâ ſit mortuus, ac ſepultus: Imò vt notauimus ſuprà, hinc ſumitur argumentum ad probandum quod verum. Latius patet, quàm poſſibile; præteritum enim non fuiſſe non eſt poſſibile, & tamen verum eſt; & fuiſſe præteritum, & impoſſibile eſſe non fuiſſe præteritum; proinde latius etiam patet ente, quod exiſtere non implicat: nam propoſitiones de non ente veræ eſſe poſſunt, v.g. quod chimæra eſt impoſſibilis, quod peccatum eſt nihil, & de futuro; quis dicat poſt decretũ de mundo creando, non fuiſſe Dei cognitionem adæquatam obiecto, quod decreuerat, & videbat futurum? & idem eſt de futura paſſione Chriſti, de qua Act. 4. Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſum ſanctum puerum tuũ Ieſum Herodes & Pontius Pilatus facere? quæ manus tua & conſilium tuum decreuerunt fieri. Certè vt decreuerat Deus, ita futurum erat, ac proinde verũ erat obiectum iſtud. Sicut verũ eſt, Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram, Rom. 4. Item verum eſt, futurã mortuorum reſurrectionem, & gloriam; & eius cognitionem eſſe de ente futuro, etiamſi actum nihil ſit vt futurum vt ſit. Certè qui ponis ſcientiam mediã, fateris Deum præuidiſſe ab æterno, quid voluntas creata in talibus circumſtantijs eſſet operatura, & hanc eſſe veram; non ideo res futura eſt, quia Deus vidit eſſe futuram; ſed vice verſa. Et hoc præuiſum non eſt dicendum abſolutè non ens, aut non verũ, ſed non exiſtens niſi in diuina cognitione obiectiuè: quomodo aſſeris omnia futura contingentia eſſe Deo præſentia, non ſecundũ realem exiſtentiam in æternitate, vt multi exiſtimant; ſiquidem ab æterno non exiſtebant, ſed ſecundum obiectiuam, vt videlicet obijciebantur diuino intellectui, & ita intelligendus S. Th. locis cit. in argumento; non enim futuris, vel deſtructis rebus, negat veritatem obiectiuam, quia concedit diuino intellectui veritatem formaliter, quam dixit conſiſtere in adæquatione rei ad intellectum, ac proinde in qualibet cognitione admittit rem non in actu exiſtentiæ, ſed in eſſe obiecti, in quod fertur cognitio, & non vt ih nihil, quando illi obijcitur quod futurum realiter eſt, vel fuit.

Ad quartam, neque nos aſſerimus illas rationes Mathematicas circuli, numerorum, &c. aliquid eſſe actuale ab æterno, ſed ſolum non eſſe dicendas nihil: Item concedimus ab æterno non fuiſſe vllam veritatem earum, niſi in diuino intellectu; quia præter illum nullus fuit, cui adæquaretur obiectum cognitum, in qua adæquatione conſiſtit veritas formaliter, & completè ſumpta, ſed diuina cognitio illas intuens non habuit pro obiecto ſuæ cognitionis nihil aut non ens, ſed ſolum non exiſtens actu, cũm quo tamen ſtat, vt rationes illæ ſint fundamentum requiſitum ad veritatem formalem: quod fundamentum non eſt multiplicitas ſingularium poſſibilium exiſtere, quia in Mathematicis plura ſunt, quæ ad actum phyſicum non poſſunt reduci, vt ſupra probatum eſt, & dato quod poſſent, non ſolum res futura, ſed etiam poſſibilis eſſet obiectum diuinæ cognitionis, idque diſtinctum à nihilo & non ente ſimpliciter, neque eſt ipſa diuina eſſentia, aut omnipotentia, diuinus enim intellectus non ſolum in illum tendit, ſed etiam in prædicata obiecta, quæ vocamus rationes æternas, ſeu virtutes participantes primam veritatem, ex quo patet

Ad quintam illud dictum eſt contra Ideas Platonis, quas paſſim impugnat Ariſtot. præſertim l. 1. Moral. Nicom. c. 16. vbi tamen vniuerſale admittit, & definit l. 1. Poſt. t. c. 36. Vniuerſale autem dico, quod vtique & de omni ſit, & per ſe, & ſecundum quod ipſum; & hoc intellectu tamen percipitur, cum ſingularia ſenſibus percipiantur, ex primo Phyſ. t. 49. Igitur vniuerſale vt diſtinguitur à ſingularibus, non eſt nihil; neque tamen eſt aliqua idæa exiſtens ab ipſis ſeparata, ſed ratio aliqua intelligibilis; ideo non dicitur corrumpi ad eorum corruptionem, ſed ſemper eſſe, & non contingenter, ita vt aliquando ſit, aliquando non, vt ibid. primo Poſt. Ariſtoteles. Neq; S. Th. approbat dictum Auicennę, niſi in hoc ſenſu, quod vniuerſale non eſt quid exiſtẽs actu ab æterno; non negat autẽ fuiſſe rationes vniuerſales cognitas à diuino intellectu, & fuiſſe fundamẽtũ veritatis formalis, q; vna eſt

Digitized by Google

immutabilis in Deo, cum omnis creatura ſit mutabilis, ac proinde omnis veritas completa; ac formalis conſiſtens in adæquatione rerũ cum intellectibus ipſas cognoſcentibus, quorum nullus eſt neceſſariò exiſtens; omnia enim à voluntate Dei liberè conſeruantis dependent; cum quo ſtat, vt ſcibile omne ſit neceſſarium & æternum, ex Ariſtotele 6. Eth. c. 3. ſicut & vniuerſale 1. Poſt. cit.

Ad ſextam, patet ex dictis. veritas enim propriè & formaliter conſiſtit in adæquatione rei ad intellectum, ac proinde nulla fuit æterna præter primam. Sed hinc confirmatur noſtra aſſertio, quia adæquatio eſt obiecti ad intellectum, & cum hoc obiectum actu non extiterit ab æterno, obijciebatur diuinæ menti vt poſſibile, vel futurum, vel ſecundum aliam rationem cognoſcibilem, vt de Mathematicis rationibus non reducibilibus ad actum Phyſicum, ſupra diximus, de quib. non valet quod quidam aiunt, ſenſum huiuſmodi propoſitionũ æternæ veritatis eſſe conditionatum, quod videlicet ſi exiſterent in rerum natura quæ enunciant, eſſent quod enunciatur, puta animal rationale in Petro, Paulo, &c. color in hoc albo, nigro, &c. Nam rationes aliquę Mathematicæ non ſunt reducibiles ad actum vt ſupra, & ſi reduceretur per impoſſibile, non eſſent quod enunciantur eſſe. Certè de lineis S. Aug. l. 7. Gen. ad lit. c. 21. ait, in corporibus non poſſe inueniri, & hoc animam nouiſſe, quæ videlicet per longum ſint ſectiles. quia tales nullæ ſunt in illis; & tamen de illis in Mathematica fiunt demonſtrationes.

Quid ſit iſta veritas fundamentalis immutabilis.

§. VIII.

NOn quæro, in quo conſiſtat veritas formaliter, de quo Theologi potentia 1. p. q. 16. ſed quid illa ratio ſit, quæ dicitur fundamentum veritatis formalis, cui quia conformatur intellectus, dicitur verus, pro quo

Aduerte primò quod ſicut naturæ vocabulum ex pluribus ſignificatis quæ habet, vnum eſt quod dicitur de omni intelligibili, vt docet S. Thom. de ente, & eſſ. c. 1. & in 2. ſent. diſt. 7. q. 1. a. 1. ex Boet. de duab. naturis; ita nomine entis ac veri in propoſito venit quicquid intellectione eſt intellectui conformabile, etiamſi nihil poſitiuum dicat; v.g. Sortes eſt cæcus, non ſignificat inhærentiam cæcitatis in Sorte, ſed carentiam virtutis viſiuæ, qua priuatur Sortes, vt aduertit Caiet. de ent. & eſſ. c. 1. q. & eſt doctrina Ariſtotelis 4. Metaph. t. 10. & 17. Verum eſt, inquit, non eſſe quod non eſt; & l. 5. t. 14. nomen veri extendit ad omne illud, quod per enunciationem ſignificatæ rei conformem ſignificari poteſt. Ad hoc ergo vt obiectum dicatur verum, & conformabile intellectui, non requiritur poſitiua entitas, ſed ſufficit conformabilitas, quæ cadere poteſt etiam ſuper negationes, & priuationes, quomodocumque illæ explicentur, multo magis hoc locum habet in rationibus, quæ inuoluunt connexiones terminorum poſitiuorum adeo neceſſarias, vt implicet contradictionem diſſolui, aut diſiunctas concipi, quales ſunt ſupra allatæ ex Auguſt. de numeris, vt quod ſeptem & tria non ſint decem, duo & tria non ſint quinque. Septem autem & tria decem ſunt, & non ſolum nunc, ſed etiam ſemper. Neque vllo modo aliquando ſeptem & tria non erunt decem. Hanc ergo incorruptibilem numeri naturam, alias veritatem, dixi mihi, & cuilibet ratiocinanti eſſe communem. Quod ab Euodio dictum approbat, & in fine capitis ſubiungit. Hoc ergo quod per omnes numeros eſſe immobile, firmum, incorruptumque conſpicimus, ita l. 2. de lib. arb. c. 8. Vnde huiuſmodi connexionem ſignificantes propoſitiones à Dialecticis dicuntur æternæ veritatis, quia in ijs ſpectatur eſſentialis connexio terminorum præciſè abſtrahendo à tempore, & exiſtentia, & illa eſt immutabilis, ac neceſſaria. Neque quod rurſus moneri Lectorem oporter, ſermo ibi Auguſtino de diuina eſſentia, aut veritate: quamquam enim de omni creatura non ſemel docet habere eſſe in Deo nobilius, quàm in ſe, & eſſe in ipſo creatricem eſſentiam, quæ incommutabilis eſt; attamen de rationib. rerum præſertim numerorum, quas immutabiles, & incorruptibiles vocat, tum locis ſupra citatis, tum l. 2. de lib. arb. vt de rebus à Deo diſtinctis tamen apertè diſſerit, vt de prima ſolum veritate interpretationem textus non admittat, niſi quod clariſſimum eſt, tales rationes ab ea cognitæ vt obiecta diſtincta ibidem adſtrui concedatur. Primò enim quærit, an aliquid inueniatur quod omnibus ratiocinantibus occurrat, hoc eſt quod ab omnibus hominibus mente vtentibus communiter cognoſcatur; & reſpondet affirmatiuè. Imò multa, inquit, eſſe video, è quibus vnum commemorari ſatis eſt, quod ratio & veritas numeri ratiocinantibus præſto eſt. Deinde inſtat, Si tibi aliquis diceret, numeros iſtos non ex aliqua ſua natura, ſed ex ijs rebus, quas ſenſu corporis attingimus, impreſſas eſſe animo noſtro, quaſi quaſdam imagines quorumcumque viſibilium, quid reſponderes? An tu quoquè id putas? Nullo modo id putauerim, non enim ſi ſenſu corporis percepi numeros, iccirco etiam rationem partitionis numerorum, vel copulationis ſenſu corporis percipere potui. Hac enim luce mentis refello eum, quiſquis vel in addendo, vel in retrahendo dum computat, falſam ſummam renunciauerit. Tertiò probat numeros nonper ſenſus corporis attractos, ſi cogitetur quèlibet numerum tot vocari, quoties vnũ habuerit. Vnum verò quiſquis veriſſimè cogitat, profectò inuenit corporis ſenſibus non poſſe ſentiri, idque fusè declarare pergit. Quis non aduertat hìc de numeris, & eorum computationibus, & non de prima veritate diſſeri? Aut quis non ſimul intelligat, reijci ab Auguſtino reſponſum eorum, qui nihil eas eſſe contendunt præter ſingularia, quorum ſpecies per ſenſus ingeruntur menti? Neque de negatiua ſolum veritate poſſe explicari, quatenus ei non repugnat ita intelligi; & ex ſuppoſitione quod intelligatur, debet ita & non aliter intelligi tum quia reſpectu diuini intellectus poſitiuè ſemper omnia intelligentis hoc falſum eſt, tum quia iſta exigentia eſt fundata in natura obiecti, quæcumque illa ſit. Similia habet S. Auguſt. l. 2. de ord. c. 19. vnum ad duo, vel duo ad quatuor

veriſſima ratio eſt, nec magis heri fuit iſta ratio vera, quàm hodie, nec magis cras aut poſt annum erit vera.

Hinc patet reſponſio ad quæſitum; quamuis enim in vniuerſum definire propriè, ac rigorosè quid ſit veritas in ſenſu explicato ſit difficile; deſcribi tamen poteſt, vt eſt quid commune omnibus intelligibilibus, quæ ſunt fundamentum veritatis formalis, & adæquantur intellectui illa cognoſcenti, vt cognoſci debent. Sic ab Auguſt. l. 2. ſoliloq. c. 5. dicitur, Verum eſt id quod eſt: quam definitionem recipit S. Thom. 1. p. & de ver. vt ſupra vidimus, & communiter explicatur de fundamento immediato veritatis formalis, vt notat cum alijs P. Didac. Ruis. tom. de ſcientia Dei, diſp. 86. ſect. 5. fin. quomodo quædam quæ relatiuè falſa ſunt, abſolutè in ſe dicuntur vera, quia ſunt quod ſunt, v. g. aurichalcum comparatione auri cui adſimilatur, falſum eſt aurum; in ſe verum eſt, quia eſt quod eſt, nimirum aurichalcum: igitur in propoſito veritates, quas vocat æternas S. Auguſt. & immutabiles, ſunt id quod ſunt, quatenus ſunt, abſtrahit ab actuali exiſtentia, aut etiam à poſſibili, & ſignificat ſeipſum, ſeu connexionem terminorum, per quos explicari poteſt, & ſaltem Metaphyſicè, veluti prædicatis intrinſecis conſtitui intelligitur; ſic ratio circuli, trianguli, numerorum, & ſimilium veræ dicuntur, quia ſunt id quod ſunt; hoc autem quod ſunt non habent, quia in ſeipſis exiſtunt; ſed quia etiam non exiſtendo participationes quædam ſunt primi eſſe, & obiectiuè in prima veritate, quia cognoſcuntur à Deo, & radicaliter in eſſentia, à qua eſſentialiter eſt omne quod eſt, vt ſupra dixi.

Secundò, deſcribi poteſt verum explicando quid ſit verum eſſe quod eſt, ſi dicatur hoc eſſe illud, cuius termini ſunt compoſſibiles. Probatur ex Ariſtotele lib. 5. Metaph. t. 34. falſum, inquit, dicitur vno modo vt res falſa. Et huius hoc quidem eo quod non componitur, aut quod impoſſibile ſit componi, quemadmodum dicitur diametrum eſſe commenſurabilem, aut te ſedere Horum enim illud quidem ſemper; hoc verò aliquando falſum eſt, &c. Igitur per regulam contrariorum illud eſt verũ, quod componitur, vt quod triangulum habeat tres æquales duob. rectis. Sed quia incompoſſibilitas compoſitionis tam terminorum à parte rei, quàm per intellectum eſt adæquabilis intellectui eam percipienti, ideo etiam ipſa vera dicitur, ſicut negationes, & priuationes veræ dicuntur, quia adæquabiles ſunt intellectui percipienti quid dicant in recto, & quid in obliquo. Imò & mala ipſa fundamentum ſunt veritatum contingentium; v. g. Iudam proditionem patraſſe verum eſt; & hæc veritas cum ſit creata, pendet à prima ex ſuppoſitione actionis malæ ex libero arbitrio permiſſo operari malè, & conformatur diuino intellectui cognoſcenti non ſolum actionem, & malitiam, ſed etiam veritatem, & adequabilitatem earum ad intellectum cognoſcentem hos terminos eſſe componibiles contingenter. ſed ex ſuppoſitione quod componantur, eſſe fundamentum veritatis neceſſariæ, quia impoſſibile eſt, non eſſe verum, quod Iudas tradiderit, & quod peccauerit; & ideo hæc prædicata non dicuntur componere, quia ex compoſitione ſequerentur contradicto-

ria

Propriè enim termini dicuntur componibiles, qui ſi intelligantur connexe, nulla ſequitur contradictio, aut incommodum: & vice verſa ſi ſeparati concipiantur, iuxta dicta in regulis cognoſcendi quæ poſſibilia ſint, vel implicent. Hæc autem connexio terminorum non eſt nihil, vt ſupra oſtenſum eſt; & ideo illi conuenit dictum Auguſt. de vera Relig. c. 36. Quapropter vera, quoniam in tantum vera ſunt, in quantum ſunt; in tantum autem ſunt, in quantum principalis vnius ſimilia ſunt, ac forma eſt omnium quæ ſunt, quæ eſt ſumma ſimilitudo principij, &c. Omnia autem quę non ſunt nihil, neque entia rationis aliquo modo, ſimilia ſunt ſummo principio, à quo habent eſſe verum, & id quod ſunt, & cuius intellectui adæquantur, quatenus cognoſcuntur, ſecundam totam, illorum cognoſcibilitatem, quæ fundamentaliter accepta ſupponitur intellectioni, & non cauſatur ab illa, etiamſi Patri Ruis loc. cit. diſp. 90. numero 4. libuerit dicere, quod connexio terminorum non eſſet poſſibilis, niſi Deus illam intelligeret, & intelligendo cauſare potuiſſet; nam non ideo homo v. g. eſt animal rationale, quia à Deo intelligitur, ſed potius talis intelligitur, quia talis eſt in ſeipſo: neque verum eſt, Iudam fuiſſe proditorem, quia Deus intelligit, ſed vice verſa, licet illa veritas ſit à Deo ex ſuppoſitione, quod prodiderit, vt idem ibid. numero 6.

Tertiò, deſcribi hinc poteſt verum quaſi à poſteriori ac ſigno, ſi dicatur eſſe id quod imitatur in ſuo eſſe qualecumque ſit à nihilo diuerſum, diuinam intellectionẽ, hoc eſt, quod cognitum reſpondet diuinæ cognitioni, & eſt id quod concipitur ab ipſa eſſe; quamuis enim in hac inuoluatur formalis veritas, & adęquatio iuxta dicta ſuperius tamen quod ipſi ſupponitur, ideó illam participat, & ab ea denominatur, quia eſt quod eſt, & proinde aptũ cõformari illi omnia cognoſcibilia perfectè penetrãti, quãtũ cognoſcibilia ſunt; Probatur deſcriptio, quia quicquid hoc modo imitatur diuinam intellectionem, eſt id quod eſſe cognoſcitur, ac proinde eſt id quod eſt; quia diuinus intellectus hoc eſſe cognoſcens non decipitur; igitur eſt verum fundamentale ſuppoſitum fundamentali veritati.

Idem aſſero de imitatione eſſentiæ, quia ex eo quod eſt adæquabile diuino intellectui cognoſcenti eſſe id quod eſt, bene colligitur habere hoc eſſe ab eſſentia diuina, eamque imitari vt imitantur omnia quæ ſunt aliquo modo entia, & extra nihil, & ſi in hac imitatione diuerſi ſint gradus, vt docet S. Auguſt. l. 83. qq. 31. Et hæc in vniuerſum de vero, vt dicit rationem obiecti conformabilis intellectui primùm diuino, deinde creato.

Quartò, per negationes deſcribit rationem veritatis Aur. in 1. d. 9. q. 3. a. 2. prop. 1. dicens, quod conſiſtit in quadam puritate, & ſinceritate, & impermixtione, & excluſione, & ſegregatione cuiuslibet ab omni ſibi extraneo poſitiuo, & priuatiuo, v. g. ratione poſitiui aurum mixtum non eſt verum aurum; ratione priuatiui homo pictus non eſt verus homo: quam definitionem impugnat Capr. in 1. d. 19. q. 3. a. 2. ad primum eorum, quæ ſecundo loco inducta ſunt contra ſecundam concluſ. quia illa depura-

Digitized by Google

tio posterior est adæquatione ad ideam diuinam quæ est quid positiuum, per quod tollitur priuatio, seu segregatio ab omni extraneo. Fasolus autem 1. p.q. 16. a. 1. dub. 4. confutata hac Capreoli instantia aliter Aur. refellit. Ego verò descriptionem hanc non rigorosam definitionem accipio, & siue segregatio prædicta sit quod prius, siue posterius conformitate inseruit pro declaratione definitionis primo loco traditæ ab August. Verum est id quod est, tale enim est, quod est segregatum ab omni extraneo positiuo & negatiuo; & licet non sit veritas formaliter; est tamen eius fundamentum quod hîc quærimus quid sit, & dicimus esse id quod est res, seu quod stabilitum est ei, vt dicebat supra Auicenna, seu quod assequitur naturam propriam, vt loquitur Aur. loc. cit. prop. 1. imò & D. Thom. 1. p. q. 16. a. 1. c. Dicitur, inquit, verus lapis, quia assequitur propriam lapidis naturam secundùm præconceptionem intellectus diuini, &c. hęc enim certissima regula est veritatis, quia decipi non potest in concipiendo; & ideo valet inferre, rem esse id quod concipitur esse à diuino intellectu. Hinc

Quintò descriptio sumitur veritatis à posteriori, & respondetur quærenti, quid sint rationes istæ æternùm veræ, ac immutabiles, si dicantur esse obiecta intelligibilia à diuina mente secundum id quod sunt, seu vt assequuntur naturam propriam ex participatione primæ essentiæ, & veritatis, cuius infinitæ perfectioni debetur emanatio, seu connexio omnium veritatum; ex hoc enim quod tales sunt, conformabiles sunt diuino intellectui, & tales sunt quales ab ipso cognoscuntur, & per hoc distinguntur à nihilo, quod non habet vllum esse stabilitum; & abente rationis, quod nihil in se est, neque ab essentia diuina promanat, ac proinde neque potest dici obiectum diuinæ cognitionis, secundum id quod est. Istæ veræ rationes sunt aliquid intelligibile, & non factum ab intellectu. Sic S. Bonau. in 1. d. 3. p. p. a. 1. q. 2. ad vltimum.

Vnitas, inquit, veritas, bonitas, in quibus consistit vestigium, sunt conditiones maximè vniuersales & intelligibiles. Si ergo sunt vestigium vt rationes vniuersales constat non esse nihil, sed entia intelligibilia.

Ex quibus patet ad septimam Instantiam in superioribus etiam solutam. Libet concludere cum S. August. cit. S. 2. de lib. arb. c. 8. His & talibus documentis coguntur fateri quibus disputantibus Deus donauit ingenium, & pertinacia caliginem non obducit, rationem, veritatemque numerorum & ad sensus corporis non pertinere, & inuertibilem, sinceramque consistere, & omnibus ratiocinantibus, ad videndum esse communem, &c. quibus ostendit, in alijs etiam similes occurere rationes, quæ omnibus præsto sunt, & incommutabiles. Vt ijs propterea conuenire videatur, quod ait Aristoteles 2. Metaph. init. speculationem veritatis partim esse facilem, quatenus videlicet omnibus rattocinantibus occurrit quod sit; partim difficilem, quia quid sit, non statim innotescit, neque omnibus, sed ijs, qui supra humanam consuetudinem speculari dilicerunt, vt supra ex August. eodem.

Tertium corollarium.

§. VIII.

NOn ea solum quæ opponuntur contradictoriè sunt formaliter incompossibilia, sed etiam quæ priuatiue ac relatiue, ac præterea disparata, vel contraria, ex quibus infertri potest contradictio, affirmatio, & negatio contra primam regulam. Probatur quia non solum repugnant inter se videns, & non videns, vt est lapis comparatus cum habente visum; sed etiam cæcus & videns, quia vnum dicit negationem alterius in eodem subiecto videre apto. Item repugnat paternitas, & filiatio in eodem respectu eiusdem, non enim potest esse idem pater sui. Pari modo non potest idem esse homo, & equus licet equinitas, & humanitas non opponantur contradictoriè; quia ex differentijs vltimò constitutiuis infertur negatio vnius de altero, puta rationalitatis si est equus; hinnibilitatis, si homo; aut certè altera contradictio quod differentię vltimò constitutiuæ non essent vltimò constitutiuæ, & principia proprietatum speciei atomæ si concurrerent, vt formæ partiales ad constitutionem illius, contra communem doctrinam de differentijs vltimis non egentibus, neque patientibus consortium alterius item vltimæ in dando esse specifico naturis: quod idem est de formis physicis, à quibus principaliter deæ sumuntur differentiæ metaphysicæ: Quamuis enim per diuinam potentiam ponerentur in eodem subiecto; tamen non componerent cum eo duo indiuidua diuersarum specierum, puta hominis, & equi; sed vna tantum, iuxta dispositionem meteriæ exigentis vnam, & non alteterum, per illam enim constituitur in tali specie indiuiduum quæ habet proportionem cum materia dispositа ad eius receptionem in ordine ad operationes tali conuenientes, v. g. per animam rationalem, quæ postulat corpus ita organizatum, vt per ipsum operari possit operationes humanas. quare si vniretur illi per possibile, vel impossibile anima equi, diceretur quidem corpus illam habere, sed non esset indiuiduum equi compositum huiusmodi; quia iam est indiuiduum naturæ humanæ, & corpus affectum forma sibi proportionata constituit ita vnum cum ipsa, vt non sit aptum constituer alterum cum alia forma; quod enim est actu completum, & per se subsistens, non potest concurrere ad complendum aliud, quia esset complepletum, & incompletum; Ideo sicut Angelus non potest esse pars componens indiuiduum à se distinctum; Ita neque homo, vel anima rationalis, aut quæcumque forma vltimò constitutiua vnius speciei, potest ingredi compositionem alterius.

XXXIII.

Non possunt esse duæ differentiæ atomæ, ac duæ formæ vltimo constitutiuæ eiusdem indiuidui.

Sed etiamsi posset, gratia solum exempli hoc dictum sit; nam cum alioqui sit certum aliqua esse incompossibilia, hoc est non posse in vnum conuenire ad faciendum compositum, quæ sunt entia positiua, concludimus radicem incompossibilitatis non ex oppositis contradictorie dumtaxat esse petendam; sed ex rationibus formalibus, quę tales sunt ex seipsis, vt non possit conjungi in vnum; quod est esse natura sua incom-

Radix incompossibilitatis non est sola oppositio contradictoria.

Digitized by Google

possibiles, etiamsi in se sint possibiles, ac positiuæ, ac proinde non oppositæ contradictorie: Verum quidem est posse ostendi incõpossibilitatem ex incommodis contradictoriarum, quæ sequerentur; sed immediata ratio illius est oppositio diuersa à contradictoria, quæ abest à terminis positiuis, quales sunt contrarij, relatiui, & disparati incompossibiles.

Confirmatur quia non solum sunt incompossibiles rationes formales entis & non entis; v. g. cæcitatis, & visus in eodem subiecto apto videre, & inepto; sed etiam non entis cum non ente, qualis esset mutatio à non ente ad non ens simpliciter, & à non ente quod fuit ens, sed iam non est, ad ens idem ponendum in actu de præsenti, quia quod fuit præteritum non est factibile præsens cum præteritione, esset enim præteritum, & non præteritum; & hinc arguimus esse incompossibiles rationes præteriti, ac præsentis, non secus ac præsentis, & futur. radix ergo incompossibilitatis latius patet quàm contradictionis, vt est distincta species oppositionum.

Regulæ autem cognoscendæ incompossibilitatis, sunt eædem ac contradictionis, siue repugnantiæ superius traditæ; quia ab vna valet illatio ad alteram: & vtrique seruiunt principia per se nota, quia omnia quæ immediate sunt ipsis contraria, aut deducuntur ex ijsdem contrarijs, sunt impossibilia, & continent in se vel apertam, vel implicitam contradictionem, idest affirmationem, & negationem de eodem quod idem valet in omnibus oppositis, quia in qualibet oppositione inuoluitur contradictio, quia ipsa est prima & maxima oppositio, & causa ac radix omnis oppositionis, vt S. Thom. in 1. dist. 5. q. 1. a. 1. primum, ac propterea quælibet oppositio illi aliquid supperaddit, sicut inferiora omnia superaddent aliquid superioribus.

S. Thom.

Corollarium quartum.

§. IX.

XXXIV. NOn sunt compossibilia duo contradictoria in eodem instanti temporis, per diuersa signa rationis, & instantia naturæ, quasi mensura contradictoriorum non sint signa durationis, sed naturæ. Est communis sententia Philosophorum in 1. Phys. vbi de Priuatione quam negant principiare quando est, quia non potest simul esse cum forma quam negat in subiecto, quia simul esset, & non esset forma in subiecto quod implicat in terminis. Quamquam nonnulli, & signantur Conimbric. ibi in c. 9. quæst. 8. a. 2. asserunt non repugnare in eodem instanti temporis, secundũ aliam, & aliam considerationem dari in materia, & priuationem formæ & ipsam formam; licet talis priuatio in eodem instanti reipsa, ac simpliciter aboleatur: & probari posset, quia sicut eidem indiuisibili quantitatis extrinseco respondere possunt duæ superficies duorum corporũ contiguorum, si per illa transmittatur linea; sic eidem instanti indiuisibili temporis extrinseci respondere possunt duo instantia intrinseca, nimirum ipsum fieri formæ, & corrumpi priuationis, quæ sunt instantanea: neque sequi ex hoc simul esse formam, & non esse, quia quatenus instans extrinsecum respõdet desitioni priuationis, non est forma in eo, sed vt respondet inceptioni formæ, quæ est posterior natura; quæ diuersitas saluat à contradictione, quæ est eiusdem de eodem, & secundum idem considerati. Quæ doctrina communiter reijcitur, & impugnant rationes mox afferendæ: atque illa in primis, Inde sequitur contra axioma per se notum, quod contraria non essent contradictoria realiter, eo quod ex natura rei vnum non tollet alterum, nisi secundum signa rationis, quandoquidem sunt compossibilia in instanti temporis extrinseci. Quæ ratio magis explicatur.

Conimbric.

Contradictoria non sunt simul compossibilia pro vllo instanti temporis.

Primò, quia quæ sunt incompossibilia ex suis rationibus formalibus, ideo simul esse non possunt, quia sunt inuicem destructiua formaliter, idest vnum seipso negat alterum, ergo pro nullo instanti possunt esse simul. Antecedens patet, nam si non essent sui destructiua mutuò formaliter, neque essent incompossibilia, ex suis formalibus rationibus. Sequela probatur, quia in quolibet instanti est ratio formalis cuiuslibet extremi contradictionis, non minus quàm in toto tempore, ergo & eadem incompossibilitas pro instanti, ac pro tempore.

Contradictoria non possunt simul verificari de eodem.

Secundò, axioma item est ex Aristotele sumptum lib. 4. Metap. t. 15. Contradictiones non posse verificari de eodem simul, & respectu eiusdem, quia simul esset affirmatio, & negatio id est esset affirmatio & non affirmatio, negatio & non negatio quod lumini naturali repugnans est, & proinde quod pro eodem instanti simul sint à parte rei, quæ absolutè non possunt concipi compossibilia.

Absurda cõsequentia ex positione cõtradictor orum simul in eodem instanti.

Tertiò, patet hoc ex absurdis quæ sequerentur, nam in eodem instanti temporis esset homo viuus, & moruus, quia in eo est anima, & priuatio animæ secundum diuersa signa rationis: quod anima realiter informaret corpus, quia per illam viuit: & quod non esset in corpore, quia eius absentia causat mortem: quod pro illo instanti valeret baptismus & causaret gratiam, quia ad hoc est id quod requiritur ex parte vitæ: & non valeret, quia mortuus est incapax baptimi. Item quod esset homo quia viuit anima rationali; & non esset homo, quia cadauer non est homo. Consequenter quod idem indiuiduum esset in duplici specie, cadaueris videlicet, & hominis. Præterea in eodem instanti homo esset in gratia amicus, & Filius adoptiuus Dei; & in peccato, inimicus, & reus gehennæ, quia simul per te stant gratia, & peccatum; & idem esset de tenebris ac luce in eodem aere simul lucido, & tenebroso, id est lucido, & non lucido, quæ sunt absurdissima.

Obijcies primò, quia quod aliqua coexistant in mensura extrinseca quæ intrinsecè sunt incompossibilia, nullum est inconueniens: ergo neque quod in instanti temporis extrinseci. Sequela patet à paritate. Antecedens probatur, quia quæ conueniunt rei diuersis temporibus, simul illi conueniunt in nunc æternitatis, & ideo duo contradictoria, Petrus sedit, Petrus non sedit, sunt vera in æternitate, quæ complectitur omne tempus, si copulæ proportionum consignificent idem nunc æternitatis, vt Molina 1. p. q. 14. a. 13. disp. 13. tribuens hoc æternitati,

Molin.

non autẽ instanti tẽporis. Et Caiet. ibi ait nullũ esse inconueniens duas enunciationes contradicentes secundum nunc temporis, esse in eodem nunc æternitatis.

Caiet.

Confirmatur, quia pro primo signo originis Filius non est in diuinis, sed est pro secundo: primũ autem signum, & secundum originis sunt in eodem nunc æternitatis: ergo in eodem nunc æternitatis vt respondet primo signo Filius non est; & vt respondet secundo, est: licet intrinsecè repugnet simul esse, & non esse Filium.

Vasq.

Respondet Vasq. 1. p. disp. 32. c. 2. primo negando quod instans altioris ordinis, qualis est æternitas, euacuet contradictionem; ac proinde quæ in vno genere durationis, & instantis veræ esse nequeunt, in nullo poterunt, cum maneant eiusdem oppositionis in quocumque sint. Deinde respõdet illas propositiones non esse contradictorias in æternitate, aut ęterna Dei cognitione, etiamsi in ea secundum esse rei præsentes essent, quoties referuntur ad diuersa instantia, aut durationes temporis; sed solum quando copula earum enunciat rem pro eodem momento temporis: sic enim numquam vtraque est vera in ęternitate: quando autem contingat affirmatio, vel nẽgatio respectus huius, ex verbis ipsis enunciationis attendendum est; quæ si absolutè proferatur, censetur referri ad nostrum tempus, & ita continere contradictoria, vt si dicatur Petrus sedet, Petrus non sedet; secus si cum additamento aliquo indicante nunc æternitatis permanentis, & successionem temporis transeuntis.

Æternitas complectitur omne tempus.

Itaque in forma negatur sequela. Disparitas est, quia esse simul in æternitate non inuoluit simultatem durationis intrinsecæ earum rerum quarum dicitur mensura, nam æternitas complectitur omne tempus; & ideo in ea esse dicuntur tam præsentia quàm futura, & quia nunc Petrus sedet, & paulò post non sedet, verum est quod in æternitate sedet, & non sedet, neque tamen quod simul sedet, & non sedet, quæ contradictoria sunt; non autem sedere, & non sedere successiuè: Et quoad hoc æternitas se habet per accidens vt quid omnino extrinsecum, quia etiamsi per impossibile illa non esset, adhuc manerent rationes formales contradictoriarum, quæ penitus sunt immutabiles quocumque extrinsecò posito.

Ad confirmationẽ respondeo, non esse Filium in primo signo, & esse Filium in secundo signo originis non sunt contradictoria; sed esse Filium & non esse Filium pro eodem signo: sicut non esse album in Æthyopẽ, & esse album in ligno non sunt contradictoria; sed in eodem subiecto solum. Ad contradictionem enim requiritur vt sit respectu eiusdem non solum subiecti, temporis, sed etiam signi iccircò æternitas hîc etiam necessaria non est ad saluandam contradictionem, quę si aliunde esset, non tolleretur per illam, quia non mutat rationes formales rerum, sicut neque vlla extrinseca duratio mutare potest. quod enim dicimus esse incompossibilia in eodem, non arguit prouenire ex instanti, vel tempore quod contradictoria non possint in illis esse simul; sed supponit incompossibilitatem rationum formalium ex seipsis, ac proinde non solum in tempore, sed etiam in instanti.

Obiic. secundò, quia in eodem instanti est generatio, & corruptio, ergo esse, & non esse; Illa enim ad esse terminatur, hæc ad non esse; Idquo tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus: nam quando homo iustus formaliter peccat pro illo instanti quo voluntas consentit, habet gratiam, quia toto tempore antecedente fuit, & in illo instanti supponitur peccatum prius natura, quàm amissio gratiæ, quę est eius effectus, & homo in primo signo quo intelligitur prodire in actum, nondum intelligitur priuatus gratia.

Generatio vnius formæ & corruptio alterius non sunt contradictoria.

Respondeo, in eodem instanti esse generationem vnius formæ, & corruptionem alterius, quæ non sunt contradictoria, quia neque respectu vnius essent, si eadem forma fieret, & simul desineret realiter in eodem instanti temporis.

Lorca disp. 40. de gratia.

Ad illud de supernaturalibus refert Soar. t. 3. de gratia lib. 7. c. 19. numero 3. sententiam recentioris Theologi concedentis in eodem instanti esse gratiam, & peccatum & citantis pro se Scotum, sed gratis & contra communem reliquorum docentium cum S. Thom. 1. 2. q. 71. a. 4. & q. 113. a. 2. & 2. 2. q. 24. ab art. 10. gratiam, & caritatem non manere in homine actualiter peccante, saltem de lege ordinaria; quia non minus opponuntur peccatum, & gratia, quàm duæ formæ contrariæ, quarum altera desinit in eodem instanti quo introducitur altera. Ideo ad argumentum respondeo, quod statim ac homo prodit in actum peccati, desinit Deus in eodem instanti conseruare gratiam, siue demeritoriè tantum, & moraliter opponatur peccatum gratiæ, siue Physicè, iuxta diuersas sententias relatas ab eodem Soario tom. 3. de gratia lib. 11. c. 4. & Vasq. 1. 2. disp. 91. c. 1. Prioritas autem naturæ petita à causalitate non facit vt simul sit peccatum, & gratia; sed solum quod propter peccatum desinat gratia, quæ desitio contingit in eodem instanti quo ponitur peccatum. Sicut prius natura est sol quàm illuminatio, tamen in eodem instanti temporis sol fit, & illuminat: Atque adeo non sunt simul pro vllo instanti temporis gratia, & peccatum.

Gratia & peccatum non sunt simul pro vllo instanti temporis.

Obiic. tertiò, quia quæ durant solum per instans, simul sunt ac desinunt, ac proinde in eodem instanti temporis sunt, & non sunt, nonnisi quia pro illo non est contradictio.

Qui negant omnia indiuisibilia positiua cum nominalibus, consequenter etiam negant dari durationes instantaneas, qui admittunt variè etiam respondent iuxta varias explicationes inceptionis, ac desitionis rerum, de qua Phys. Soar. in Metaph. disp. 50. Hurtad. disp. 15. Metaph. sect. 8. Aristot. in calcè comment. ad lib. de Gener. & alij. Breuiter ad argum. resp. negando antecedens, nam quæ durant per instans dum sunt non desinunt esse, sed immediate post, ita vt non sit assignare determinatam partem, vel instans, quo prius non desierit; atque adeo huiusmodi entia dicuntur intrinsecè incipere, & intrinsecò item desinere, quia ita existunt primo in instanti determinato, vt toto tempore antecedente non fuerint, & immediatè post illud instans non sint tempore sequenti. Idque in sententia admittente instantia, & inceptionem, ac desitionem instantaneam, & modos loquendi vsitatos, quod aliquà incipiunt intrinsecè, & item intrinsecè desinant; aliqua verò extrinsecè, ne diuertam ad controuersiam receris ortam inter Philosophos aliter loquen-

Quid sit ens supernaturale, quod respicit potentia obedientialis activa.

CAPVT V.

I. Explicatur vox, supernaturalis.
II. Tum significatum eius.
III. Tres gradus entis supernaturalis.
IV. Probatio multiplex assertionis.
V. Responsio ad argumenta.

I. NOn quæro de ente supernaturali latissimè sumpto, vt est commune enti creato, & increato; neque de singulis eius speciebus, ac differentijs: sed solum de creato, quantum satis est ad explicationem definitionis potentiæ obedientialis activæ, quæ se se ad ipsum extendit, relicta interim cura vberioris tractationis ijs, qui de Deo, vt gratiæ auctore disputant: aut de ente supernaturali, tanquam de obiecto suarum commentationum tractatus instituunt, eiusque essentiam, species, & causas prolixa disquisitione inuestigant. Sat meo instituto fuerit breuiter attigisse primò quæ ad nomen ipsum, tum quæ ad rem pertinent, iuxta communiorem sententiam, quam censeo D. Bonau. & S. Thom.

Quid dicatur supernaturale.

Quoad primum. Supernaturale est, quod supra naturam, vel supra naturale ens est; Et non solum à Theologis, ac Patribus vsurpari cæpta vox ista fuit contra Pelagium plus naturæ, quàm fides doceat tribuentem; sed antiquior lõgè est, & ipsis etiam Philosophis non ignota: nam Arist. scientiam, quam diuinorum, & diuinam appellat 1. Met. sum. 1. c. 2. Metaphysicam ideo inscribit, quia trans, siue supra naturam est, & trans naturalia considerat, vt S. Thom. 1. 2. q. 10. a. 1. primum. & in 3. d. 22. q. 3. a. 2. q. 1. & in Prolog. Phys. & Met. vbi & cæteri commentatores conuenientes in Etymologia supernaturalis, vt de scientia, & obiectis eius dicitur: quia sunt separata à materia, ac motu, seu supra materiam, ac motum, totamque naturam à Physica consideratam; non quia & hæc sint intacta Metaphysicę, sed quia sub ratione altiore entis, vt sic ex eodem S. Thom. 3. Met. loc. 4. Expressius Sancti Patres hac voce vtuntur, licet in diuersa significatione, vt S. Dionys. in epist. 4. ad Caium. *Super hominem operabatur quæ sunt humanis, quod monstrat Virgo supernaturaliter concipiens.* S. Cyrill. Alex. l. 1. in Ioan. c. 13. *Accedamus igitur ad supernaturalem dignitatem per Christum, &* c. 14. *Gratia ad supernaturalem dignitatem euolamus.* S. Damas. l. 3. Fid. c. 15. *Super hominem ea, quæ hominum sunt, operabatur, super instabilem aquam terrenis pedibus ambulas, non terrena facta aqua, sed supernaturalis diuinitatis potentia.*

S. Thom.

S. Dionys.

S. Cyril. Alexandr.

S. Damasc.

Et hæc de voce ipsa, supernaturalis. De significato vocis certum est, per hoc esse supra naturam in sensu Patrum, ac Theologorum denotari excessum quemdam, & excellentiam, sed supra quid, an supra naturam, ac naturale, vt accipitur à Philosophis pro principio motus & quietis eius, in quo est ex 2. Phys. initio? Nequaquam, quia intelligentiæ in sententia probabili non sunt tale principium, & tamen supernaturales non dicuntur in hoc sensu, vel si sunt secundũ accommodantes illis definitionem naturæ, multo minus inter supernaturalia numerantur. An vt excessus est supra totam rerum vniuersitatem, vt accipitur natura 12. Metaph. c. 7. vbi dicitur, Natura à primo principio pendere? At etiam supernaturalia pendẽt ab eodem, & hoc nomine inter naturalia censerentur. An vt supra creaturam factam, & possibilem? multo minus, quia supernaturale restringimus ad creaturam: & proinde non potest significare excellentiam supra creaturam omnem, quia supra se non est, & tamen supernaturale est? quid igitur supernaturale est, vt dicit conceptum communem omni enti supernaturali creato? de hoc enim sermo est, non de donis supernaturalibus, quia non ad hæc solum extendit se potentia obedientialis activa, sed ad omne supernaturale creatum; & qui de illis plura scire auet, consulat disputationes, præsertim quartam, & quintam P. Ripaldæ, in quibus accuratè, & acutè examinat varias sententias veterum, ac recentiorum, & suam ab illis diuersam multiplici auctoritate, & ratione munit.

In quo sensu accipitur supernaturale.

P. Ripald.

Dico cum sententia communiori.

COnceptum entis supernaturalis in eo ponit excellentiæ gradu supra naturale, vt totius creati vires activas excedat, & ab increato solum principio sit producibile vel solo, vel vt à causa principali eleuante creaturam ad coagendum. Est SS. Thom. & Bonau. locis mox citandis, Scoti q. 1. prolog. 5. ad quæstionem igitur: & in 4. dist. 10. q. 8. 5. contra rationem: & ita explicatur à Scotistis illi adhærentibus: Bassolis q. 1. prolog. 5. circa primum, Fabro, disp. 3. prol. & disp. 8. c. 2. & alijs: cum quibus est Soto de natura, & gratia c. 4. concl. 3. & in 4. dist. 49. q. 2. art. P. Coninch. de virtutibus supernaturalibus disp. 4. numero 17. & disp. 7. numero 15.

S. Thom. S. Bonau. Scotus. Bassolis. Faber Iuéd. Sot. Coninch.

Addunt ex ijs plerique contineri ens supernaturale intra vires passiuas naturales entis creati, de quo in præsentia non disputo, quia non puto necessarium ad rationem entis supernaturalis creati in genere sumpti, sed solùm quod habeat excellentiam prædictam, loquendo in genere, & in lata significatione de ente supernaturali creato.

Pro explicatione recolenda est distinctio celebris inter Theologos diuidentes ens supernaturale in id, quod est tale secundum substantiam, & quod secundum modum. Pro qua facit doctrina S. Thomæ 1. p. q. 105. a. 8. & 1. 2. q. 113. a. 10. & 3. p. q. 41. a. 4. constituentis tres gradus eorum, quæ sunt supra naturam. Primus attenditur ex parte agentis potentiæ, eo quod à Deo solo fieri possit, vt creatio mundi, iustificatio impij, penetratio corporum, & similia. Secundus ex parte potentiæ naturalis recipientis, supra quam est forma inducta, non autem in seipsa, vt in suscitatione mortui vita est supra na-

Supernaturale secundum substantiã, & secundum modum. S. Thom.

Tres gradus eorum quæ sunt supra naturam.

Digitized by Google

turalem potentiam talis corporis, quæ ſecundum ſe eſt quid naturale. Et quantum ad hoc ait, quod iuſtificatio impij non eſt ſupernaturalis, aut miraculoſa, quia naturaliter anima eſt capax gratiæ, ex eo quod facta eſt ad Dei imaginem. Quod aduertendum eſt pro dicendis infrà. Tertius gradus eſt ex parte ordinis, & modi cauſandi, vt in ſubita ſanatione ægroti, præter ſolitum curſum naturæ, & artis; & repentina conuerſio peccatoris, vt fuit Pauli, ac ſimilia, de quibus etiam agit l. 3. con. gen. c. 101. ad quæ reuoco actionem cauſæ naturalis eleuatæ ad producendum terminum naturalem improportionatum ſuis viribus, puta ignis efficientis frigus, aut aquæ calorem.

Et iſti ſunt tres gradus miraculorum continentes ſub ſe alios multos, ſecundum quod magis, aut minus recedunt à natura; nam reſpectu diuinæ potentiæ nihil eſt miraculoſum, ſed quodlibet factum eſt minimum, vt S. Thom. q. cit. 105. a. 8. & S. Auguſt. de Gen. ad litt. l. 6. c. 13. Eſt autem eadem ratio graduum entis ſupernaturalis, quia omne miraculum eſt ſupernaturale, licet non omne ſupernaturale ſit miraculum, cum non ſit inſolitum quod eſt de ratione miraculi in rigore ſumpti, vt S. Thom. ibid. a. 7. & ſecundum S. Bonau. mirabile diſtinguatur à miraculo, & vtrique conueniat eſſe ſupernaturale, quia hoc eſt contra naturam, illud ſupra naturam, vt docet in 2. diſt. 18. a. 1. q. 2. vbi gradus miraculorum explicatos à S. Thom. ad duos reuocat, eorum videlicet, quæ fiunt contra naturam, id eſt contra ſolitum naturæ curſum, qualis eſt reſtitutio vitæ, aut viſus; & miracula vocat, quorum ſimilia natura facere poteſt, puta vitam, & viſum, ſed non reſtituere, ſeu eodem modo, & ordine facere. Et rurſus eorum, quæ natura facere non poteſt, neque habet ordinem ad illa, vt eſt Incarnatio, & glorificatio corporis. Et hæc appellat mirabilia. Hæc autem omnia ſupernaturalia ſunt, quia à ſolo Deo fieri poſſunt, vel ratione modi quo fiunt, vel ratione rei, quæ fit, quę eſt excellentia ipſorum, & exceſſus ſupra naturalia, quæ vi naturæ fieri poſſunt, accipiendo naturam pro toto creato, vt accipitur à S. Bonau. in 2. d. 37. dub. 2. vbi explicat dictum Aug. *Natura eſt quidquid Deus facit*, & proinde quicquid facit: quamquam enim multa ſunt ſupernaturalia ex factis, & factibilibus: tamen latè ſumpto naturæ nomine, vt diſtinguitur ab auctore ſuo, dicitur de omni creatura, etiam ſupernaturali, quę à ſolo Deo fieri poteſt quouis ex aſſignatis modis, ſiue deinde voces ſupra naturam, ſiue præter, vel contra naturam, vt loquitur de miraculis S. Th. in 2. diſt. 18. q. 1. a. 3. c. & de Pot. q. 6. a. 2. tertium, vno ex ijs modis fieri ſolitis à Deo: ijs enim vocabulis ſignificatur exceſſus non attingibilis à creatura, niſi eleuata, ſeu per potentiam obedientialem. Quare ſi poſſibilis eſſet creatura, cui connaturale foret lumen gloriæ & viſio beata, ex albo ſupernaturalium expungerentur qualitates, & actus iſti, reclamante Theologia, & alia aſſignanda eſſet definitio ſupernaturalis, quàm hæc, qua dicitur, quod à ſolo Deo eſt producibile, ſeu quod excedit totam vim creatam actiuam, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum modum. Et hic eſt terminus eius reſpectus, per quem explicari diximus definitionem potentię obedientialis actiuæ, nimirum ſupernaturale, vt abſtrahit ab eo quod eſt tale ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum modum.

Reſpectu diuinæ potentiæ nihil eſt miraculoſũ. S. Thom.

De ratione miraculi in rigore eſt vt ſit inſolitum. S. Thom. S. Bonau.

Natura dicitur late de omni creatura vt diſtincta à creatore. S. Thom.

Sic explicata ſententia communis probatur primò, quia Sancti Patres paſſim opera Incarnationis, conuerſionis panis in Corpus Chriſti, iuſtificationis, miraculorum Chriſti Domini vocant ſupernaturalia, quia à ſolo Deo, ſiue à potentia eius infinita fieri poſſunt: ergo quærenti in vniuerſum, quare aliquid ſit ſupernaturale, reſpondetur, quia excedit vires creatas, & à ſolo Deo fieri poteſt: Antecedens patet ex citatis ſupra auctoritatibus, & probatione non eget. Sequela probatur, quia alioqui non eſſet congrua oppoſitio ſupernaturalium à naturalibus, quod illa à ſolo Deo fieri poſſint; neque prædicta opera bene vocarentur ſupernaturalia ob hanc rationem, niſi ſupernaturale eſſet in genere id, quod à ſolo Deo fieri poteſt: ſicut non bene redderetur ratio, cur aliquis ſit Filius adoptiuus Dei, ex eo quod habet gratiam iuſtificantem, niſi gratia hæc abſolutè eſſet cauſa adoptionis in Filios Dei, & opponeretur peccato, quo redduntur ſerui Diaboli.

Patres vocãt ſupernaturalia quia à ſolo Deo fieri poſſunt.

Dices ſupernaturalia non opponi naturalibus ex hoc quod à ſolo Deo produci poſſint, quia etiam quædam naturalia ab eo ſolo ſunt producibilia, vt anima rationalis, Angelus, materia prima; & ſimilia, quæ extra ordinem ſupernaturalium ſunt.

Deinde etiamſi per hoc opponerentur, non hinc probari, quod iſte ſit conceptus quidditatiuus ſupernaturalium, ſed aliqua proprietas poſterior, ſicut per riſibile opponitur homo equo, neque tamen riſibilitas eſt de conceptu quidditatiuo hominis, ſed proprietas conſequens.

Contra primum eſt ratio, qua ſecundò probatur concluſio principaliter, quia ens ſupernaturale ſecundum ſe, & in genere ſumptum eſt quid ſuperius commune enti ſupernaturali ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum modum: & de hoc verum eſt dicere, quod ſit producibile à ſolo Deo, verum ergo etiam erit de ſpeciebus eius: & proinde quod tales ſint Angelus, & anima, eo quod ſint ſpecies entis ſupernaturalis ratione modi productionis, quæ creatio eſt poſtulans virtutem infinitam, ſicut viſus cæco reſtitutus eſt inter gradus ſupernaturalium, non ſecundum ſe, ſed ratione modi, quo reſtituitur.

Confirmatur, quia inſtitutio rerum fuit miraculoſa, atque adeo ſupernaturalis ſecundum modum fiendi, ait S. Thom. in 2. diſt. 18. q. 1. a. 2. primum quia per virtutem ſupernaturalem oportuit inſtitui principia rerum, quæ tamen non ſunt ſupernaturalia, ſicut neque proprietates conſequentes, igitur & creatio Angeli, ac proinde Angelus vt creabilis inter ſupernaturalia reponendus, & anima vt vnibilis poſt ſeparationem, & viſus poſt priuationem recuperabilis, ſupernaturalia ſunt; ſtat ergo, quod ens à ſolo Deo producibile ſpecies eſt entis ſupernaturalis, & quod omne à ſolo Deo producibile eſt ens ſupernaturale.

Inſtitutio rerum fuit miraculoſa ſecũdum modum. S. Thom.

Secundum non obſtat, quia per hanc proprietatem notam deſcribitur, & innoteſcit quidditas entis ſupernaturalis in genere nobis ignota, ſicut & entium ſingulorum ſupernaturalium,

quæ

quæ obscura sunt intellectui adhuc peregrinanti; & cognitione solum abstracta attinguntur propterea satis est ad explicandum conceptum quidditativum, quod supernaturalia distinguantur à naturalibus per hoc quod à solo Deo producibilia sint: & quod quæcumque à solo Deo producibilia sunt supernaturalia, id est excedentia totam virtutem activam creatam, vel secundum se, vel ratione modi productionis.

Tertiò probatur, quia ordo supernaturalium est superior ordine naturalium, & excellentior ipso: hæc autem excellentia non potest attendi per comparationem ad entia creata, ita vt dicatur supernaturale quod superat quodlibet ens creatum; vel aliquod particulare, ergo per comparationem ad ens increatum. Probatur minor: nam si dicas supernaturale esse quod excellit toti enti creato, non constat sibi dictum, quia & ipsum ens supernaturale est creatum, & non superius se; si verò quod alicui enti præcellat, non satisfacis, quia sic ens naturale præcellens alteri, puta Angelus esset supernaturalis respectu inferioris, puta animæ, aut cæli. Igitur per comparationem ad Deum attenditur supernaturalitas creaturæ, non quatenus Deus est ipsa superior, quia hoc non constituit supernaturalitatem, siquidem & naturalibus superior est; neque vt participabilis à creatura, quia cum omnes creaturæ sint quædam participatio, & imitatio diuinæ potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis, oportet assignare quid in illa simplicissima essentia supernaturali reperiatur, quod participetur ab entibus supernaturalibus, & quid sit hoc participatum in ipsis, & non in alijs; restat ergo tantum comparatio ad virtutem, & potentiam infinitam Dei, ita vt quæ illam solam postulant ad sui productionem, eo quod ab alia produci nequeant, supernaturalia sint; quæ non postulant, sed ab agente creato produci possint, extra ordinem supernaturalium collocentur: quo posito bene sequitur quod docet Caiet. 1. p. q. 12. art. 5. & 1. 2. q. 62. a. 3. & alibi, entia supernaturalia esse quæ spectant ad ordinem diuinum, naturalia quæ extra illum sunt: hoc enim per se solum est obscurum, & clarescit adiecta luce dictorum ex SS. Th. & Bonau.

Supernaturalitas attenditur in ordine ad Deũ.

Caiet.

Quartò, Illa est bona vel definitio, vel descriptio, in qua partes ita sunt connexæ, vt ab vna sit illatio necessaria ad aliam, id est à prædicato ad subiectum, & vice versa, v. g. est homo, ergo animal rationale, & è conuerso Talis est quæ tradita à nobis est, ergo: valet enim, est ens supernaturale, ergo à solo Deo, vel ab ipso vt causa principali fieri potest, & è contra à solo Deo factibile est, ergo est supernaturale, saltem secundum modum.

Dices, vnde habes, quod supernaturale à solo Deo fieri potest? Respondeo, inde habeo, quod supernaturale ex vi significationis est supra naturam, & non hanc, vel illam particularem, quia excessus iste non facit supernaturalitatem, vt supra dixi, ergo supra totam naturam creatam, non propter excellentiam supra illam, quia quælibet excellentia potest fieri alia maior, & sic inferior non esset supernaturalis, ergo per comparationem ad increatam modo explicato.

Respondetur argumentis in contrarium.

CAPVT VI.

OBijcies primò, quia multa sunt à solo Deo producibilia, quæ sunt naturalia, & natura ipsa, vt materia, forma spiritualis, &c. Neque valet responsio supra allata, quod ratione modi, quo producuntur, pertinent ad supernaturalia, vel quod vt creabilia sunt supernaturalia: nam vel consideratur modus præcisè & hic supernaturalis est, nimirum actio creatiua: vel terminus eius, & hic est naturalis: neque afficitur ita à modo, vt reddatur intrinsecè supernaturalis, præsertim in probabili sententia, quod creatio non sit modus distinctus à re creata, quæ est S. Bonau. vt suo loco ostendemus; vel denique consideratur totum complexum ex modo productionis, & termino, & non est maior ratio, cur ratione modi pertineat ad supernaturalia, quàm ratione termini naturalis, qui præcipuus est, ad naturalia. 11.

S. Bonau.

Respondeo valere datam responsionem, quod huiusmodi entia vt producibilia supernaturaliter sint in ordine supernaturalium. Ad instantiam respondeo, quod consideratur totum complexum, id est terminus productionis, non simpliciter, & absolutè secundum se, sed vt substat modo productionis, seu vt producibilis supernaturaliter, secundum quam considerationem non potest pertinere ad ordinem eorum, quæ naturaliter producibilia sunt, quia isti modi opponuntur, & proinde etiã termini ipsorũ, quos afficiunt, siue intrinsecè, siue extrinsecè, siue vt entitates distinctę realiter, siue tantã formaliter aut, denominatiuè. Vt enim eadẽ res, quę substat diuersæ considerationi, pertinet ad diuersos ordines, ita pertinere potest ad eosdem, quatenus substat diuerso modo productionis; verbi gratia, eadem anima quatenus forma corporis, & cognoscibilis naturaliter pertinet ad ordinem naturæ: eadem vt cognoscibilis per fidem, quod sit spiritualis, & immoralis est inter obiecta supernaturalia: quod enim credibile est per fidem infusam vt sic, supra obiecta naturalia est, sicut & habitus, & actus, per quem attingitur. Et in naturalibus eadem quantitas ex. g. est obiectum Physicæ & Mathematicæ secundum diuersas abstractiones, seu modos cognoscendi distinctiuos scientiarum.

Eadem res secundum diuersas cõsiderationes pertinet ad diuersos ordines.

Instabis, quia sequeretur omnia entia naturalia pertinere posse ad ordinem supernaturalem: possunt enim produci supernaturaliter à Deo solo per creationem. Respondeo nego sequelam quia licet sic possent produci; tamen non exigunt natura sua ita produci, eo quod habent suas causas naturales, à quibus naturaliter sint producibilia; & per accidens est, quod à solo Deo producantur: at quæ à solo Deo produci possunt ex sua natura, postulant modum supernaturalem, & vim potentiæ infinitæ, si producere velit illa Deus, quod addo, quia quæ non sunt, non postulant absolutè produci, sed ex conditione, quod velit ea producere, talis naturæ sunt, vt à causa creata produci nequeant, sed solum ab increata, quod est natura sua substare modo supernatura-

Quæ à solo Deo possunt produci postulant modum supernaturalem productionis.

li, seu poscere supernaturaliter produci, in quo non est propriè exigentia, cum hæc non sit rei non existentis, vt poulò post dicam, sed proportio, & conformitas rei cum modo quo producitur, quæ impropriè dicitur exigentia.

Argumentum secundum.

SEd tunc est argumentum secundum ad improbandam definitionem allatam; Nam vrgebis, hoc est quod quæritur, quid sit illud esse producibile solum supernaturaliter constitutas naturalia in ordine supernaturali.

Deinde in ijs, quæ secundum substantiam supernaturalia sunt, non sufficienter explicari supernaturalitatem per hoc quod à solo Deo factibilia sint, quia hoc supponit talem essentiam eorum diuersi ordinis à naturalibus, idque in priori signo considerationis, quo comparantur essentiæ istæ inter se, & non comparantur cum diuina virtute, à qua causantur; verbi gratia anima secundum se est naturalis, & gratia secundum se est supernaturalis; quæro in quo consistat conceptus supernaturalitatis, siquidem non consideratur in illo priori factibilitas à Deo, & tamen gratia est supernaturalis, anima naturalis.

Ad primam partem respondeo, illud esse producibile nihil esse aliud physicè, quàm rem comparatam cum sua causa, & modo productionis suæ naturæ conuenienti explicatum Logicè, per respectum rationis ad eamdem; metaphysicè per formalitatem formatam ab intellectu cum fundamento in re, quam diuersimodè considerat non secus ac quàm cum humanitatem concipit vt formam quamdam abstractam, eamdem realiter cum homine in concreto; producibilitas enim tali modo res ipsa producibilis est à causa sic producente.

Ad alteram partem concedo assumptum: gratia enim, & dona supernaturalia secundum substantiam dicunt essentiam supernaturalem absolutam distinctam à naturalibus, quam fateor non cognosci naturaliter, neque propriè definitam hactenus ab vllo esse; A me autem solum descriptam supernaturalitatem per proprietatem communem omnibus gradibus supernaturalitatis supra numeratis. Sed tunc

Hactenus non est tradita vltima definitio essentiæ supernaturalis, sed solum descriptio.

Tertiò Obijcies, quia ens supernaturale considerari potest tam relatiuè, quàm absolutè, & vtroque modo traditur conceptus quidditatiuus eius à P. Ripalda loc. cit. duabus assertionibus.

P. Ripalt.

Prima est. Proprius donorum supernaturalium conceptus est connexio quidditatiua cum gratia sanctificante physica, aut intentionalis immediata, aut mediata, antecedens, aut consequens. Ita disp. 4. sect. 4.

Secunda. Ens supernaturale est res, cuius productio, & conseruatio superat exigentiam, ac debitum totius naturæ; Naturale verò cuius productio, aut conseruatio naturæ exigentiam non excedit. Ita vtrumque varia auctoritate, & ratione probat, quæ nostram sententiam impugnat non segnius, quàm plures alias ibi reiectas.

Respondeo, assertiones istas non esse aduersarias nostræ, neque earum probationibus impugnari nostras; ille enim profitetur se loqui de supernaturalibus secundum substantiam, vt apparet ex disp. 5. n. 5. & indicant verba propositionis primæ, quæ expressè est de donis supernaturalibus, inter quæ non numerat supernaturalia secundum modum. Nobis verò sermo est de conceptu entis supernaturalis, vt abstrahit à suis speciebus, & complectitur quicquid vires creatas excedit, quæcumque deinde sit causa excessus huius, & ordinis ad infinitam Dei potentiam, vt fiat.

Certè non esse connexionem cum gratia sanctificante, vt est quid commune vnioni hypostaticæ, & qualitati infusæ multa sunt, quæ mihi persuadent, illud in primis, quod non omnibus supernaturalibus conuenit hæc connexio, qualia sunt substractio concursus diuini conseruatiui, vel cooperatiui, qualitas dolorifera in damnatis spiritibus, non magis connexa cum gratia, quàm peccatum, cui debetur, minimè connexum cum gratia per te. Qualitas indita herbæ, vel lapidi supra naturæ exigentiam, destructiua omnium viuentium, & similia accidentia & infinitis possibilibus; & non potest dici, quod habeant connexionem cum gratia, saltem substantiali vnionis hypostaticæ, cui debeantur ob infinitam perfectionem, quia tantum debentur ea, quæ pertinent ad dignitatem personæ, & finem Incarnationis, qualia non sunt omnia accidentia supernaturalia possibilia; vnde nec de facto anima Christi Domini habuit virtutem annihilandi, vt S. Th. 3. p. q. 13. a. 2.

S. Thom.

Deinde multa sunt connexa cum gratia, quæ non sunt supernaturalia, v. g. anima rationalis, quæ essentialiter est imago Dei, & capax gratiæ naturaliter, vt S. Th. 1. 2. q. 113. a. 10. c. ex S. Aug. sæpe infra citando; neque capacitas est conditionata ex suppositione quod sit possibilis gratia; Sed absoluta, determinata, ac necessaria est connexio, & sicut non est imago ex conditione, sed absolutè, ac determinatè, ita est & capax: neque suppositio hæc est conditio, neque conditionalem veritatem propositionis efficit, sed determinatam, ac absolutam, qualis est hæc altera, si sol ortus est, dies est; eadem anima, Angelus, materia prima intuitiuè cognita inuoluunt dependentiam à virtute infinita Dei, & modo productionis supernaturalis: neque tamen sunt supernaturalia, etiamsi modus iste haberet connexionem intentionalem cum gratia, & proinde etiam cum eadem necterentur saltem mediatè contra prædicta.

Anima rationalis est capax gratiæ ex sua natura.

Tertiò ex ijs, quæ sunt supernaturalia secundum substantiam, multa sunt talia absolutè sine connexione cum alia vlla gratia: v. g. sunt possibiles plures vniones hypostaticæ omnium trium personarum, neque tamen vnio vnius, puta Patris est supernaturalis per connexionem cum vnione Filij, aut Spiritus sancti, neque cum alia gratia, igitur præcisa connexione stat supernaturalitas non solum considerata in communi, sed etiam in specie, quæ obiter dicta sunto, vt probetur constare conceptum supernaturalitatis abstractè sumptæ allata descriptione per proprietatem producibilitatis à Deo solo vt explicuimus.

Verum instabis, quia hinc sequeretur plura

Digitized by Google

entia naturalia posse dici supernaturalia; si enim ad hoc sufficit producibilitas à Deo solo, id est talis natura, quæ à solo Deo sit producibilis, sufficiet etiam, quod à solo Deo sit conseruabilis: plura autem sunt talia, vt Angeli, anima rationalis, &c. ergo quatenus conseruabilia à solo Deo erunt in ordine supernaturalium, si in eo sunt quatenus producibilia ab ipso solo: conseruatio enim non differt à productione, nisi per connotatum incæptionis, & negationis prioris esse.

Producibilitas rei non exigit reduci ad actũ; sed res producta postulat cõseruari.

Respondeo, nego sequelam: disparitas est, quia producibilitas non habet exigentiam naturalem, & actualem, ad hoc vt reducatur ad existendum res possibilis; sed conseruabilitas habet illam, id est res producta postulat naturaliter concursum conseruatiuum Dei, sine quo consistere non potest: ideo Angelus ex. g. & anima rationalis dicuntur natura incorruptibiles, quia non habent contrarium destructiuum, & natura sua poscunt conseruari à Deo liberè conseruante.

Dices hæc exigentia est solum ex suppositione, quòd sint productæ naturæ incorruptibiles, sed etiam exigentia productionis à Deo solo, est tantum ex suppositione, quod velit eas producere, ergo vel vtroque modo est ratio supernaturalitatis, vel neutro, est enim paritas.

Respondeo nego sequelam: disparitas est, quia quod actu non est, non postulat produci, etiam posito decreto Dei de illo producendo; vnde productio ex sola liberalitate Dei est, neque producibilitas fert secum vllam exigentiam, & impropriè dicitur, ex suppositione, quod Deus velit producere, exigere rem produci supernaturali modo; & licet vsurpetur hæc locutio ad significandum modum productionis, non tamen ad notandam exigentiam. At verò postquam producta fuit, propriè dicitur, quod exigat à Deo conseruari, siue ad tempus, si sit corruptibilis; siue æternum, si incorruptibilis. Exigentia itaque ista naturæ habet sibi respondentem modum naturalem: ideo creatio dicitur supernaturalis, conseruatio naturalis: quod si duret conseruatio vltra exigentiam, dicitur & ipsa supernaturalis.

Tandem obijcies, quia actus vitales supernaturales non postulant fieri à solo Deo, immo in sententia probabili nec possunt, cùm essentialiter pendeant à suis potentijs vitalibus, ergo supernaturale in genere non est quod à solo Deo produci potest.

Respondeo, in definitione additum esse vel à solo Deo, vel ab ipso vt à causa principali eleuante creaturam ad coagendum: certum est autem actus vitales supernaturales fieri à suis potentijs à Deo vt causa principali eleuatis.

Atque hæc breuiter attigisse de ente supernaturali in genere sit satis, & opportunum duplici fini. Primò, namque confirmata magis manent tractata superiori quæstione, An sit potentia obedientialis actiua, ex eo quod assignatur eius obiectum proprium, & à quolibet alio potentiæ cuiuslibet distinctum. Deinde vero aperitur via sequenti quæstioni, Quid sit, quę perfecte tradi non potest nisi per ordinem ad obiectum, quod est supernaturale: quemadmodum enim potentiæ naturales definiri bene non possunt, nisi cognito ipsarum obiecto, circa quod versantur illarum actus: Ita neque potentia obedientialis sine cognitione sui obiecti, si non exacta saltem quantum sufficit ad definitionem eius inuestigandam, & ideo commode nectit caput istud quæstionem, quam claudit, huic sequenti, quæ est

QVÆSTIO II.

QVID SIT POTENTIA OBEDIENTIALIS ACTIVA.

S Damasc. Aristoteles 1. Top. 4.

PER *definitionem explicatur breuiter, & compendiosè natura rei, vt docet S. Damasc. in sua Dialect. c. 8. & alij communiter cum Philosopho* 1. *Top. c.* 4. *Verum quia potentia obedientialis complete sumpta est complexum simile enti per accidens, vt infra patebit; propterea definiri proprie non potest, sicut neque entia per accidens, quæ secundum quid solum definiuntur, vt S. Thomas q.* 16. *de ver. a.* 1. *octauum. ex Aristot.* 7. *Metaph. t.* 12. *Neque tamen hoc*

S. Thom. *multum refert ad præsentem quæstionem, in qua non sumus solliciti an rigorosè secundum regulas Dialecticæ definiri possit potentia ista; sed potius quid Physicè loquendo significet, & complectatur; ex quo deinde facile est Metaphysicæ, & Logicæ prædicata ipsi conuenientia inuestigare. Siue igitur propria aliqua definitio assignare possit; siue solum descriptio illi affinis, rectus ordo postulat, vt post quæstionem, an sit, descendamus ad alteram ipsi annexam Quid sit, quæ complectitur quicquid tum in recto, tum in obliquo concurrit ad conceptum adæquatum potentiæ obedientialis formandum, ita vt nihil minus, nihil amplius contineat quàm sit in reipsa, quæ est regula bonæ definitionis, iuxta Summulistas, & S. August. de Quant. Animæ lib. vn. c.* 25. *tom.* 1. *Vt*

S. Augst. *vel hinc appareat, quod Quæstioni præmittendum est, Non esse merum ens per accidens potentiam obedientialem, vt est aceruus lapidum ex. gr. sed aggregatum potiùs habens maiorem affinitatem cum ente per se. Constat enim creatura, & diuina virtute illam eleuante ad operandum supernaturaliter; quæ non sunt partes ordinatæ ad constituendum vnum ens per se; Immo nec ad operandum supernaturaliter; quia creaturæ vires excedit huiusmodi operatio, nec ad ipsam postulat eleuationem, & concursum Dei; nec Dei omnipotentiæ debetur ordinari ad operandum supernaturaliter cum creatura. At quia hæc est essentialiter subordinata illius dominio, quod est plenissimum, & potens libere disponere iuxta suum beneplacitum de omni re creata, ideo est connexio quædam ex parte tam creaturæ naturalis, & supernaturalis, ob essentialem dependentiam; quàm virtutis eleuantis, si per illam à se productam velit idoneam reddere rem aliquam ad sic operandum. Hæc autem eximit à numero entium mere per accidens potentiam obedientialem, & inter ea constituit, quorum descriptio æquiualet definitioni propriæ, ac rigorosæ.*

CONTINET QVÆSTIO HÆC DVO CAPITA PRINCIPALIA.

Primum, Quid ſit potentia obedientialis actiua, cum ſuis aſſertionibus ac probationibus.

Secundum, Solutiones argumentorum contra eaſdem.

Quid ſit potentia obedientialis actiua.

CAPVT PRIMVM.

I. Non dicit ſolam negationem, aut non reſiſtentiam.
II. Neque eſt potentia ſpecialis creaturæ.
III. Sed adæquatè, & phyſicè eſt entitas creaturæ: & virtus diuina applicata.
IV. Inadæquatè eſt ipſa creatura, vt reſpicit virtutem creatoris.
V. Virtus eleuans non eſt tota ratio agendi excludens omnem actionem creaturæ.

1. INTER ipſos etiam potentiæ obedientialis actiuæ Patronos magna diſſenſio eſt, in quo conſiſtat eius eſſentia, ac definitio, in aliquone negatiuo, ac mera non repugnantia; an in aliquo poſitiuo: & quodnam illud ſit: ipſane entitas creaturæ, quæ dicitur agere; an aliqua potentia ipſius propria, aut aliquid extrinſecus ſupperadditum, quod ſit tota ratio agendi. Mihi quid probabilius viſum ſit, per ſequentes explico concluſiones, in quibus conſidero potentiam hanc, vt inadæquatè dicit creaturam, & vt adequatè cum ipſa complectitur diuinam virtutem, à qua completur, & redditur proximè potens in actu primo ad operandum ſupernaturaliter; tandem quæ ſecum fert ex modo concipiendi noſtri intellectus variè illam comparantis, ac diſtinguentis.

Aſſertio prima.

POtentia obedientialis actiua non eſt aliquid negatiuum, aut ſola non repugnantia creaturæ ad obediendum creatori. Eſt contra recentiores aliquos, & poſt Aur. in 1. d. 42. q. 1. a. 3. vbi ait, *Et ideo non propriè dicitur obedientialis potentia, accipiendo potentiam ex parte creaturæ: ſed melius dicitur, quod creatura eſt in obedientia, hoc eſt nullo modo reſiſtit; poteſt tamen dici obedientialis potentia, intelligendo potentiam ex parte creatoris, vt potentia Dei appelletur imperialis, & obedientialis actiuè; vt ſit ſenſus, cum dicitur Deus habet ipſam in ſua obedientia, & in ſua potentia actiua. &c.* Ex quo infert, non poſſe dici, quod aliquid communicetur creaturæ, vt cooperetur per modum inſtrumenti ad eductionem formatum de potentia obedientiali, quia, *ex parte*, inquit, *creaturæ nulla penitus eſt potentia, ſed tantum non reſiſtentia: non poteſt autem communicari creatura, vt educat aliquid de non reſiſtentia, &c.* quæ directè potentiam actiuam impugnant, & proinde etiam paſſiuam in ſenſu admittentium illas vt quid poſitiuum intrinſecum, & propriè potentias appellantium, cum ipſe velit ſolum metaphoricè dici potentias, ſi de rebus exiſtentibus intelligantur.

Aurcol.

Verùm obſtant primò rationes, & auctoritates ſupra allatæ, ad probandum vniuerſaliter dari potentiam obedientialem actiuam: illæ namque ſimul probant eſſe aliquid poſitiuum: quia actiones poſitiuæ ſupernaturales creaturarum non poſſunt à mera negatione, tanquam à principio effectiuo promanare. In primis valent ad hoc idem quæ habet Auguſt. de habilitate creaturæ ad inſeruiendum Deo: negatio enim reſiſtentiæ valde impropriè diceretur habilitas, vnde & non repugnantia creaturæ ad hoc vt creetur, aut annihiletur, non dicitur habilitas propriè loquendo. Sancto Auguſt. concordant dicta ex S. Bonau. in 3. ſent. d. 4. a. 3. q. 2. 3. ſupra cit. vbi tribuit B. Virgini veram, & realem cooperationem in conceptione Chriſti; hæc autem cum ſit actio phyſica, & realis, non eſt à negatione.

Actiones poſitiuæ non manant à negatione.

S. Auguſt.

S. Bonau.

Præterea ibidem d. 13. a. 1. q. 1. c. *Et propterea*, inquit, *dicere oportet, quod anima Chriſti, ſicut & animæ aliorum Sanctorum, Verbum increatum cognoſcit per ſapientiam creatam, quæ diſponit ipſarum animarum potentias cognitiuas, & conformes reddit, vt illud lumen æternum cognoſcant, &c.* cognitio autem hæc eſt à potentia eleuata, & non à negatione; & eadem ratio eſt de alijs creaturis, quæ eleuantur.

Præterea in 4. d. 44. p. 2. a. 3. q. 2. refert ſententiam aſſerentium Spiritus torqueri ab igne inferni, vt inſtrumento diuinæ iuſtitiæ, per virtutem ſibi communicatam; & licet illam recipiat de facto, tamen ſupponit eſſe poſſibilem: torqueretur autem, ſi poneretur actu, poſitiuè ab igne eleuato per potentiam obedientialem, quæ actio non eſſet à negatione, ſed principio poſitiuo.

Digitized by Google

S. Thom. Idem habet S. Thom. 3. p. q. 9. a. 2. & q. 11. a. 1. clarè explicat de potentia obedientiali actiua respectu animæ Christi habentis scientiam infusam. *Utraque autem potentia*, inquit, *anima Christi fuit reducta in actum secundum hanc scientiam diuinitus inditam; quia videlicet eleuata per ipsam cognouit ea, quæ per reuelationem innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus sancti, &c.* Et idem probant aliæ auctoritates supra citatæ.

Instrumenta sunt causæ positiuæ.

Probatur secundò, Instrumenta tam naturalia, quàm artificialia sunt causæ positiuæ effectuum, quibus producendis inseruiunt principali agenti: sed creaturæ assumi possunt vt instrumenta à Deo effectuum, quos viribus proprijs non possunt attingere, quocumque deinde modo ad illos concurrant, ergo sunt causæ positiuæ illorum. Maior patet inductione: calor inseruit animæ ad generationem carnis, sanguinis, &c. & vniuersaliter accidentia in probabili sententia sunt instrumenta subsantiæ, & sunt causæ positiuæ; & idem est de instrumentis artis, serra, malleo, securi, quæ non negatiuè se habent in manu artificis. Minor patet ex dictis supra, & ex eo probatur, quia si creatura, homo, Angelus, &c. potest assumere creaturam ad effectus, quos ipsa per se non potest producere, sed solum vt assumitur à principali agente, cui cooperatur, efficiendo quod ipse vult, ad finem vltimatum; cur non possit infinita virtus, & sapientia creatoris assumere & ipsa creaturam pro instrumento propositiuè concurrente ad effectus supernaturales?

Potentiæ vitales influũt positiuæ in actus supernaturales.

Tertiò, In potentijs vitalibus clarius etiam elucet hæc veritas: nam visio beata, exempli gratia, cum sit vitalis, pendet ab influxu intellectus eleuati per lumen, & concurrente per potentiam obedientialem, cum nequeat per solas vires naturales. Voluntas item elicit actus liberos supernaturales, positiuè in illos influendo, non ex sua tantum virtute, sed ex diuina ipsam confortante; & sic per potentiam obedientialem; nec intelligibile quidem est, quomodo per negationem influat in suos actus: igitur potentia obedientialis non consistit formaliter in negatione; quod argumentum supponit potentias istas non habere se merè passiuè in actibus supernaturalibus immanentibus; & præterea indigere eleuatione, vt illos eliciant; vnde infertur per potentiam obedientialem illas operari.

Quò pertinent plurima dicta Sanctorum extenuantium vires arbitrij in ordine ad actus supernaturales, & meritorios, si suæ naturæ relinquatur, & vice versa extollentium, si per gratiam confortetur, de quibus infrà.

Quartò, Quia (vt infrà dicam) potentia passiua animæ, & facultates eius non sunt quid negatiuum, quia est vera, & positiua dependentia actuum, & habituum supernaturalium ab ipsis in genere causæ subiectiuæ; ergo neque actiua est quid negatiuum, quia est realis dependentia effectus ab ipsa in genere causæ efficientis, & influentis: negatio autem non efficit, neque influit.

Quoad secundum, celebris disputatio est, ac dissensio inter Theologos, etiam inter ipsos Thomistas, quorum aliqui requirunt qualitatem superioris ordinis, qua formaliter reddatur creatura instrumentum aptum diuinæ virtutis; alij solum per modum transeuntis; alij verò contra ipsos neutram esse necessariam; plerique etiam impossibilem existimant, vt Soar. disp. 31. c. sect. 5. & in 3. p. d. 9. cit. de quibus sententijs infra plurib⁹ agendum est. Interim in vniuersum loquendo sit

Assertio secunda.

II. POtentia obedientialis actiua incompletè sumpta pro creatura, quæ eleuatur, non est specialis facultas operatiua, sed ipsa entitas creaturæ de se aptæ eleuari, & cooperari virtuti diuinæ eleuanti. Est Soar. loc. cit. præsertim disputatio 31. cit. sect. 6. in solutione 4. post dicta sect. 5. fin. Explicatio patet ex dictis, nam potentia obedientialis in suo conceptu adæquato inuoluit subiectionem creaturæ, & aptitudinem eius ad seruiendum Deo, quæ est potentia remota; & eleuationem Dei illa vti volentis, per quam fit potens proximè in actu primo ad operandum; ita vt ex ipsa creatura, & virtute diuina eleuante constituatur integrum, & adæquatum principium operis supernaturalis, in quo potentia remota creaturæ non est quid distinctum ab entitate creaturæ, quæ dicitur eleuari; sed est ipsa entitas realis, quæ immediatè eleuatur, & fit potens formaliter.

S. Augustin. Probatur primò ex S. Augustin. locis cit. & alijs, quibus meminit miraculorum, quæ Deus per creaturas operatus est; horum enim rationem refert in potentiam facientis creatoris, & perfectam subiectionem creaturæ ad ipsum, & ne leuiter quidem insinuat, dari potentiam ab ipsa distinctam, per quam deseruiat omnipotentiæ eius; deinde expresse docet factorum istorum non esse inditas à Deo creaturis rationes seminales: id est vt S. Thom. supra interpretabatur, potentias actiuas, & passiuas, sed eorum causas sibi reseruasse; non quia creaturas ad operationem illorum non possit assumere, & efficere, vt etiam ipsæ cooperentur; sed quia ad hoc habent potentiam solum remotam, & minime per se ordinatam ad similes effectus; quod dici non posset, si haberent potentiam distinctam, quia tunc per illam essent proximæ, & immediatæ causæ, sicut est ignis caloris, aqua frigoris, & cætera agentia, quibus data est à natura facultas operandi ab ipsis distincta; per hanc enim constituuntur in esse principij proximi, & immediati, cui debetur concursus ordinarius primæ causæ. Tertiò, Quia S. Augustin. vt patet ex locis supra cit. præsertim ex l. 9. Gen. ad lit. c. 17. potentiam obedientialem tribuit creaturis, inquãtum voluntati potentiori creatoris subiectæ sunt: hoc autem habet quælibet creatura ex eo præcisè quod creatura est, ergo non requiritur ad hoc potentia distincta ab eius entitate: nam etiam hac præcisa creatura substans huic potentiæ plenissimè subiecta est, sicut & ipsamet potentia ex eo quod creatura est. Quod idem probant auctoritates S. Bonau. & S. Thom. supra citatæ.

S. Thom.

Secundò, Ex principijs S. Augustin. sic arguo; siue ratio potentiæ obedientialis sit qualitas quædam, siue modus nullo cogitante distinctus ab entitate, vel est ens naturale, vel supernaturale; non primum, quia nulla potentia naturalis

eſt ad effectus ſupernaturales; neque ſecundum, quia nullum ens ſupernaturale debetur creaturę ex hoc quod plenè ſubijcitur omnipotentiæ diuinæ: medium autem ens inter naturale, & ſupernaturale non datur.

Rurſus iſta potentia vel eſſet materialis, vel ſpiritualis; non primum, quia nulla talis potentia eſt propter effectus ſpirituales, quales ſunt plures à potentia obedientiali prouenientes: Neque ſecundum, quia nulla qualitas ſpiritualis debetur rei planè corporeæ; & tamen hæc etiam non caret potentia obedientiali: Quod argumentum valet contra diſtinguentes in entitate phyſica potentiam obedientialem illi adnexam naturaliter, non contra alios, qui recurrunt ad qualitatem ſupernaturalem minimè debitam creaturæ.

Tertiò. Potentia paſſiua obedientialis non diſtinguitur à re cuius dicitur potentia, ergo neque actiua. Antecedens patebit infra in diſputatione propria de potentia obedientiali paſſiua; & interim patet, quia tandem ſiſtendum eſt in potentia naturali, quæ ſeipſa recipiat, aut patiatur, & non per potentiam diſtinctam; & non eſt maior ratio de illa, quàm de alia: ſiquidem omnis creatura æquè ſubiecta eſt Deo ad patiendum quod voluerit, ex hoc quod creatura eſt, & non eget aliquo determinatiuo; Sequela patet à paritate quoad hoc, quia licet plura requirantur ad agẽdum, quàm ad patiendũ: tamen in ordine ad effectus ſupra naturam, cum neutra ordinetur ad illos, vt ſe tenet ex parte creaturæ, non apparet, cur poſſit immediatè recipere in ſe effectus ſupernaturales volente Deo, & non poſſit per ſe immediatè ad illos eleuari virtute eiuſdem; eleuatio autem inſtar eſt cuiuſcumque qualitatis ſupperadditæ. Antecedens probatur, quia anima rationalis, exempli gratia, immediatè recipit gratiam, intellectus viſionem, voluntas amorem beatificum; ſi enim media aliqua qualitate opus eſt, illa deberet eſſe ſupernaturalis, quia naturalis non inſeruit pro diſpoſitione ſupernaturali melius quàm ipſa potentia immediatè: at illa immediatè reciperetur in anima, ne detur proceſſus in infinitum, ergo entitas animæ eſt potentia obedientialis paſſiua per ſeipſam.

Quartò. Intellectus, & voluntas per ſe immediatè influunt in actus ſupernaturales viſionis, amoris beatifici, &c. ergo potentia obedientialis non diſtinguitur ab ipſis realiter, ac entitatiuè. Antecedens ſupponitur vt certum in actibus meritorijs vitæ, adquos requiritur libertas, quæ eſſentialiter pendet à voluntate; & idem eſt de actibus patriæ. Conſequentia clara eſt, quia non per aliud operantur hæ potentiæ, ſed per ſeipſas immediatè, id eſt per ſuam entitatem eleuatam, ſicut & potentia generatiua B. Virginis in conceptione Verbi Dei, vt ſupra ex S. Bonau. Et idem poteſt aſſeri de cæteris creaturis, quæ eleuantur à Deo ad effectus mirabiles ſupra vires ipſarum.

Aſſertio tertia.

111. POtentia obedientialis actiua completè, ſeu adæquatè ſumpta nihil aliud eſt realiter, & phyſicè, quàm entitas creaturæ, & virtus diuina ipſi applicata, ſiue ipſam eleuans. Eſt communis inter auctores ſecundæ ſententiæ; Et probatur, quia neutra ſingillatim eſt obedientialis, de diuina patet, ipſa enim non eſt potentia obedientiæ, id eſt quæ obediat, & ſubiecta ſit: ſed imperans, & omnium domina. De creata probatur, nam præciſa eleuatione omnino improportionata eſt, & adeo remota, vt nec potentiæ quidem ſimpliciter appellationem mereatur; quia perinde ſe habet, ac ſi non eſſet reſpectu effectus ſupernaturalis, quem nullo modo poteſt attingere, vt manifeſtum eſt in aqua, quæ ſecundum naturam ſuam, niſi eleuetur virtute diuina, non maiorem habet vim producendi gratiam, quàm quælibet alia res materialis; vt ergo dicatur habere potentiam obedientialem actiuam, oportet vt illi adſiſtat diuina virtus, cui inſeruiat vt inſtrumentum ab ea eleuatum in productione gratiæ.

Et rurſus poſita creatura, quæcumque illa ſit, & diuina virtute illi adſiſtente; & volente ea vti ad operandum ſupernaturaliter, nihil deſideratur ad completam rationem potentiæ obedientialis actiuæ, ſicut poſito corpore, & anima informante nihil deſideratur ad rationem hominis. Confirmatur, quia ex diuina virtute adſiſtente creatura redditur proximè potens illi cooperari, & non per potentiam naturalem, ſecundum quam eſt principium operationum non excedentium vires proprias, ergo per potentiam obedientialem: ergo potentia obedientialis completa inuoluit creaturam remotè ſolum aptam, & virtutem diuinam, per quam fit proximè potens, & apta, & nihil præterea, quia diuina virtus ſufficienter dat poſſe cooperari ſibi.

Secundò probatur aſſertio; nam vel operationes ſupernaturales ſunt vitales, & immanentes, vel non vitales, & tranſeuntes, ad vtraſque neceſſaria eſt potentia obedientialis, quæ non eſt aliud, quàm creatura, & virtus diuina ipſam eleuans, ergo. Probatur Minor, nam intellectus, ac voluntas exempli gratia, ſolum per potentiam obedientialem dicuntur potentes proximè, & formaliter elicere actus ſupernaturales, & hæc complectitur in ſuo conceptu facultatem naturalem, & diuinam virtutem varijs modis eleuantem, & nihil præterea; & idem eſt de elementis Sacramentorum reſpectu productionis gratiæ, & de alijs rebus, quæ aſſumuntur ad effectus ſupra naturæ vires, igitur potentia obedientialis actiua in his duobus conſiſtit realiter, & phyſicè loquendo: ſiue deinde vtrumque ſignificetur in recto, ſiue in obliquo, quod in præſẽti negotio parui refert: ſicut & quod homo dicatur eſſe corpus, & anima vnita, vel corpus cum anima. Dixi autem, ipſi applicata, vel ipſam eleuans, quia niſi per diuinam voluntatem intelligatur applicata potentia, ſeu virtus ipſi creaturæ, ſe habent duo prædicta vt diſparata, quoad conſtitutionem vnius principij operatiui tali modo; & ideo requiritur vt conditio diuina voluntas vniens, ſiue applicans ſuam potentiam creaturæ ad hunc finem, vt reddatur potens ſibi cooperari ſupernaturaliter, vt infra explicabo, quare niſi præcedat talis explicatio, creatura nihil habet intrinſecè, vel extrinſecè à quo fiat, & denominetur potens ſic operari in actu primo, niſi remotè.

Atque hæc dicta ſunt de conſtitutiuis phyſicis potentiæ obediẽtialis actiuæ adæquatè ſumptę,

& proximè conſtitutæ in actu primo: nam logicè, & metaphyſicè alius formatur conceptus potentiæ huius, quatenus tenet ſe ex parte creaturæ non materialiter conſideratæ, vt res eſt: ſed vt potentia remota apta fieri proxima per diuinam virtutem, pro quo ſit

Aſſertio quarta.

IV. POtentia obedientialis, vt ſe tenet ex parte creaturæ, non ſimpliciter vt ens creatum eſt, ſed vt aptum fieri inſtrumentum Dei ad operandum ſupernaturaliter, inuoluit in ſuo conceptu reſpectum rationis ad diuinam potentiam, vt ad cauſam principalem eleuantem, & ad effectum, vel modum ſupernaturalem inde procedentem. Pro explicatione.

Eadem res definiri poteſt logicè, phyſicè, & metaphyſicè.

Hîc recolendum ex Philoſophia, quòd vna, & eadem res materialiter ſumpta conſiderari poteſt, ac definiri logicè, phyſicè, & metaphyſicè; ſic homo exempli gratia, logicè eſt ſpecies prædicabilis de pluribus differentibus numero; phyſicè eſt compoſitum ex corpore, & anima rationali; metaphyſicè eſt ens conſtans ex animalitate, & rationalitate, ſiue animal rationale, quæ ſunt prædicata eſſentialia; id autem maximè locum habet in potentijs, & obiectis circa quæ illæ verſantur: nam pro diuerſitate illarum, aut modi verſandi variatur formaliter idem obiectum materiale attingibile ab eis: verbi gratia color phyſicè conſideratus eſt qualitas efficiens ſubiectum ex primis quatuor reſultans; logicè poteſt eſſe genus colorum differentium ſpecie prædicabile de ipſis; metaphyſicè poteſt dici ens intelligibile, ſi comparetur ad intellectum; viſibile, ſi ad potentiam viſiuam; appetibile, ſi ad voluntatem: quæ rationes non ſunt aliquid in colore diſtinctum ab ipſo, ſed eadem entitas comparata ad diuerſas potentias, à quibus attingi poteſt, quæ diſciplinæ gratia dicitur attingibilitas à potentia per actus, & vniuerſaliter in ſcientijs eadem res vt ſubſtat diuerſæ conſiderationi, ſeu abſtractioni pertinet ad Phyſicã, Metaphyſicã, & Mathematicam; vt ſupra diximus. Idem eſt de potentijs, verbi gratia de intellectu, qui dicitur agens, & paſſibilis; practicus, & ſpeculatiuus, iuxta diuerſa munia, quæ obire poteſt non propter diuerſas entitates, quibus conſtet, cum ſit inuiſibilis: immo & in ipſo Deo, qui eſt actus puriſſimus, eadem eſſentia dicitur intellectus, voluntas, omnipotentia, miſericordia, iuxta varios reſpectus ad obiecta, & terminationes ipſorum, ſuppoſita infinita perfectione, vt fundamento diſtinctionum iſtarum. Igitur in propoſito vna, & eadem res præter prædicata cætera, vel abſoluta, vel relatiua, tam eſſentialia, quàm accidentialia; habet hoc etiam, vt dicatur potentia obedientialis actiua, quæ eſt ipſa realis entitas, vt eleuabilis à virtute diuina ad operandum ſupernaturaliter; ſeu res remotè potens agere, vt inſtrumentum Dei, & poſita eleuatione potens proximè illi cooperari. Dico igitur creaturã, vt ſubſtat conceptui eleuabilitatis prædictæ, eſſe potentiam obedientialem inadæquatè, & inuoluere ſub hac formalitate reſpectum rationis ad Deum eleuantem, & ad effectum, pro quo eleuatur. Probatur prima pars ex S. Auguſt. SS. Bonau. & Thom. nam S. Auguſt. loc. ſupra cit. præſertim. l. 9. Gen. ad lit. c. 17. conſiderat creaturam vt habet rationes ſeminales ſibi inditas, ſeu potentias naturales agendi, patiendi ſecundum vſitatum naturæ curſum; & eandem vt ſubiacet potentiori voluntati Dei, quæ eſt diſtinctio formalis eiuſdem à ſeipſo, ſecundum diuerſas conſiderationes, quarum vna eſt eleuabilitas prædicta in ordine ad effectus ſupernaturales.

Creatura vt eleuabilis eſt potentia obedientialis.

S. Auguſt.

S. Thom.

S. Bonau.

S. Bonau. in 2. d. 18. a. 1. q. 2. ait, quod rationes materiales, & ſeminales rebus inditæ ſunt, idem realiter, ſeu ratione diſtinguntur, quia ſecundum quod producitur aliquid ex ipſis modo vſitato naturæ dicuntur materiales, & reſpiciunt agens materiale; vt autem modo vſitato, dicuntur ſeminales, & reſpiciunt agens vel naturale, vel ſupernaturale, iuxta conditionem effectus, qui producitur vel naturaliter, vel ſupernaturaliter, hoc debet intelligi de rationibus ſeminalibus, vt dicunt entitatem rei, quæ poteſt agere, & ſecundum curſum naturæ, & ſecundum voluntatem Dei ſupra curſum naturæ, ſeu vt eſt eleuabilis à Deo ad effectus ſupernaturales, quæ eſt formalitas diſtincta à prima; alioqui enim Bonau. ſeminales diſtinguit ab idealibus, vt patet ex ſupra dictis, & eadem habet in Centiloq. 3. p. c. 25. tom. 4. Confirmatur, quia ibidem diuerſas facit ſecundum rationem rationes cauſales, & primordiales, quæ ſunt ideales in Deo: nam cauſales, dicuntur per poſitionem poſterioris, quod cauſant, & reſpiciunt Deum tanquam finem vltimum: primordiales verò appellantur per priuationem prioris, & reſpiciunt Deum tanquam principium primum. Sic & ſeminales vt dicunt entitatem creaturæ conſiderari poſſunt, vt reſpiciunt Deum tãquam auctorem naturæ concurrentem cum ipſis ad vſitatos effectus, & vt eleuari poſſunt ab eodem ad inuſitatos: atque ita diſtingui formaliter, ſicut cauſales, & ptimordiales, quæ in re ſunt vnum & idem.

Rationes cauſales, & primordiales in Deo ex S. Bonau.

S. Thom. 1. p. q. 115. a. 2. quartum & 3. p. q. 1. a. 3. tertium de ver. q. 8. a. 4. 13. & a. 12. tertium. Potentiam obedientiæ in eſſe creaturæ docet, vt ſubſtat omnipotentiæ Dei, id eſt vt eleuari poteſt ab illo, &c. igitur iuxta doctrinam iſtorum Sanctorum creatura vt eſt eleuabilis à Deo eſt potentia obedientialis.

S. Thom.

Deinde probatur ratione, quia creatura non habet rationem potentiæ obedientialis materialiter, & abſolutè conſiderata, vt ens quoddam eſt; ergo vt ſubſtat virtuti potentiori, cui obedit operando id, ad quod eleuatur. Antecedens patet: ſequela probatur: ideo enim dicitur obedientialis, quia ſubijcitur, & obedit cauſæ ſuperiori, & quia potentia, eſt reſpectu alicuius potentia eſt, nempe ſupernaturalis, adquem inſeruit vt inſtrumentum eleuatum.

Tertiò. Poſita creatura cum tali reſpectu ponitur directè conceptus potentiæ obedientialis in ea, & illo ſublato tollitur, ergo creatura vt ſubſtat virtuti ſuperiori eleuanti eſt potentia obedientialis, ſeu habet rationem potentiæ obedientialis, quia ſeipſa eſt potentia, & non per aliud à ſe diſtinctum.

Quæ quidem potentia dicitur remota, quatenus de ſe eſt incompleta, & non ſufficiens ad operandum, donec compleatur, & eleuetur; ſed quatenus ex natura ſua, & per ſe eleuabilis eſt ſine alio ſuperaddito, dicitur formaliter, & proximè potentia, non ad operandum, ſed ad

recipiendum complementum per virtutem diuinam, ſine qua non poteſt operari.

Iam verò probatur, quod hic reſpectus ſit rationis cum fundamento in re; nam nulla res creata inanimis ordinatur realiter ad effectus ſupra ſuas vires, ac proinde neque poſtulat concurſum primæ cauſæ ad illos; igitur ordo iſte tam ad virtutem diuinam, à qua eleuatur, quàm ad effectum, ſuperiorem proprijs viribus, pro quo eleuatur, eſt rationis cum fundamento, quod eſt plenum Dei dominium, & perfecta ſubiectio creaturæ, vt ſuprà.

Dices, hunc eſſe ordinem tranſcendentalem, quia omnis creatura ſubiacet creatori ex natura ſua, & ordinatur ad illum eſſentialiter, non ſolum vt ad finem, & exemplar; ſed etiam vt ad cauſam efficientem, quæ poteſt de ipſa facere quidquid vult.

Quæ referuntur tranſcendentaliter habent connexionẽ inteſe.

Reſpondeo, nego hunc eſſe ordinem tranſcendentalem realem: quia illa, quæ ſic referuntur, inuoluunt connexionem naturalem, ratione cuius vnum ſaltem aut debetur alteri, aut exigitur ab illo, vt patet inductione materiæ, & formæ; actus, & obiecti; accidentis, & ſubiecti, & ſimilium: atque ita ordo tranſcendentalis eſt de primario conceptu rei, quæ refertur; potentia verò obedientialis eſt de conceptu ſecundario, quia creatura vniuerſaliter non exigit ex ſua natura eleuari ad actus ſupra ſuas vires: neque intrinſecè ordinatur ad illos, ſicut non ordinatur ad effectus præternaturales potentia naturalis, quæ coniuncta alteri cauſæ producit illos; & proinde neque exigit ex ſua natura coniungi illi. Idque loquendo de potentia obedientiali vt ſic, id eſt quatenus obedire debet creatura Deo ad producendos dictos effectus; nam ſub alia ratione habet relationem tranſcedentalem, quia & eſſentialem dependentiam à Deo, & ſubordinationem ad illum in eſſe, & operari. Si inſtes, quia vt potentia obedientialis eſt ens creatum, ergo vt ſic dicit relationem tranſcendentalem, quæ eſt eſſentialis omni enti creato. Reſpondeo, potentiam hanc ſecundum id, quod dicit in recto eſſe ens creatum; ſed diſtinctum ſola ratione à ſeipſo, prout ſubſtat virtuti diuinæ eleuanti, quę ſignificatur in obliquo: & ideo non habet aliam relationem tranſcendentalem; quia ſicut realiter eſt vna, & eadem res: ita & vna relatio tranſcendentalis, quæ non diſtinguitur à relata, & includitur in quocumqùe conceptu illius. Quod verò neque ſit relatio prædicamentalis, patet, quia vel conſideratur hæc potentia in ordine ad effectus poſſibiles: & ita non habet reſpectum prędicamentalem quia hic reſpectus ſupponit actionem productiuam, & terminum productum; vel conſideratur in ordine ad Deum potentem eleuare: & ita non apparet, quem reſpectum realem dicat, præter eum, quem habet, quatenus creatura eſt eſſentialiter ab illo pendens; neque quod fundamentum in ea ſit relationis prædicamentalis, præter actionem Dei productiuam, & conſeruatiuam, quæ non eſt potentię obedientialis, ſed effectus producti.

S Thom. Reſpectus reales ſunt inter res ſecundum ſuã naturam ordinatas.

Confirmatur totum hoc ex S. Th. 1. p. q. 28. a. 1. cit. vniuerſaliter docente, reſpectus reales eſſe inter res ſecundum ſuam naturam ordinatas, & inclinatas; in alijs verò carentibus ea inclinatione, & ſignificatis ad modum relatiuorum eſſe ſolum reſpectum rationis. Ad cuius ordinis explicationem inſeruit doctrina eiuſdem S. Thom. de Potent. q. 7. a. 11. in c. & ad ſecundum. *Contingit enim*, inquit, *hic ordo dupliciter; primò ſecundum quod eſt inuentus ab intellectu, & attributus ei, quod relatiuè dicitur, vt eſt relatio generis, ſpeciei, & ſimilium, quæ attribuuntur rebus intellectis, vt intellecta ſunt; has enim ratio inuenit conſiderando ordinem eius, quod eſt in intellectu ad res, quæ ſunt extra, vel etiam ordinem intellectuum ad inuicem. Alio modo ſecundum quod huius relationes conſequuntur modum intelligendi: videlicet, quod intellectus intelligit aliquid in ordine ad aliud: licet illum ordinem intellectus non adinueniat, ſed magis ex quadam neceſſitate conſequatur modum intelligendi*, & huiuſmodi relationes intellectus non attribuit ei, quod eſt in intellectu, ſed ei quod eſt in re. Ita S. Thom. Huius ſecundi generis eſt relatio rationis potentiæ obedientialis actiuæ, quæ etiam poſſet appellari relatio ſecundum dici: quia licet hæc ſit membrum diſtinctum à relatione rationis communiter ſumptæ, vt aduertit Soar. diſp. 47. Metaph. ſ. 3. numero 8. tamen conuenit ijs, quæ licet in ſe abſoluta ſint, nihilominus à nobis concipiuntur, & explicantur per modum habitudinis, ſeu relationis; ſic diuina omnipotentia dicitur relatiua ſecundum dici, quia concipitur per modum habitudinis ad res poſſibiles. Et S. Bonau. in 1. d. 30. a. 1. q. 3. ad primum docet nomina, quæ de Deo ex tempore dicuntur, ſecundum modum intelligendi dicere relationem, & hanc ibidem vocat relationem ſecundum dici, quæ reſpondet relationi creaturæ ſecundum eſſe: & ad vltimum. *Dicendum*, inquit, *quod reſpectus effectus sbs eſt verè reſpectus, & verè relatio: ſed reſpectus cauſæ non eſt reſpectus, nec relatio in Deo ſecundum rem, ſed ſecundum modum intelligendi.* Ex quibus ſequitur, quod quærenti, quid ſit potentia obedientialis completè ſumpta, reſpondendum eſt, quòd phyſicè duo includit, entitatem creaturæ, & potentiam Dei illam eleuantis ad operandum ſupernaturaliter: Logicè verò, vt eſt definibilis per genus, & differentiam; eſt eadem entitas in recto, vt eleuabilis à diuina potentia ſignificata in obliquo: quæ eleuabilitas cum aptitudine reali creaturæ inuoluit reſpectum rationis ad eleuantem, vt terminum, & connotatum complens rationem potentiæ obedientialis actiuæ, vt infra, cum de potentia paſſiua.

S. Thom.

Soar.

S. Bonau.

Aſſertio quinta.

V.

Diuina virtus adſiſtens, & eleuans creaturam ad eſſe inſtrumenti proxime operatiui ſupernaturaliter, non eſt abſolutè tota ratio operandi: ſed creatura ipſa etiam operatur inſtrumentaliter. Explico, & probo. Diuina virtus eleuare poteſt creaturam tam rationalem, infundendo illi habitus, & qualitates, quæ ſint principia connaturalia actuum ſupernaturalium; & propter quas potentię vitales illis affectæ habeant ſe per modum cauſę principalis; quàm irrationalem, aſſumendo illam vt merum inſtrumentum ad operationes, & effectus ſupernaturales, non vitales ſine habitu, vel infuſa qualitate, ſiue illa poſſibilis ſit, ſiue impoſſibilis, vt infra. Aſſertio præſens eſt vniuerſalis, & intelligitur de omni modo eleuationis, & probatur, quia omnis effectus, qui vere, & realiter fit

ab aliqua causa, supponit vim effectiuam in illa: quomodo enim efficiat, & exeat in actum secundum, nisi potès sit exire in actu primo? quod esse principium per se notum reputat Soar. 3. p. cit. disp. 32. sect. 6. §. Præsens controuersia, licet confirmet auctoritate multorum Theologorum, præsertim S. Thom. & rationibus varijs, quales sunt quod actus secundus subordinatur primo, & sic supponit illum; quod ab actu ad potentiam secundum regulas Dialecticæ necessaria est consecutio, quod teste Aristotele causa vt causa est prior natura sua actione, & effectu: quod actio vt actio dicit ordinem transcendentalem ad causam agentem, à qua fluit: quo modo causa habet rationem termini, & proinde debet in ea esse ratio terminandi, quæ hîc est virtus agendi, non solum causæ principalis, sed etiam instrumentalis, quia & hæc in suo ordine concurrit efficienter ad effectum cum causa principali, & ad illum refertur effectus, & non solum ad principalem.

Quod operatur in actu secundo, potens est in actu primo. P Soar.

Confirmatur, quia instrumentum dicitur cooperari causę principali, & illi actiuè inseruire; ergo verè agit, & proinde habet virtutem agendi. Neque valet dicere, quod hęc vera sunt de causa physica, non morali, quia supra probatum est, creaturas posse esse instrumenta physica Dei ad operandum supernaturaliter.

Instrumentum cooperans causæ principali, vere agit.

Responsio ad argumenta contra definitionem potentiæ obedientialis actiuæ, in genere.

ARGVMENTVM PRIMVM
Ex non resistentia creaturæ.

CAPVT II.

VI. EST contra primam assertionem: quia sequeretur creaturam antequam existeret, potuisse à Deo assumi ad sui productionẽ, siue per creationẽ, siue per naturalem actionem: consequens est absurdum: quia nihil potest esse causa suiipsius: Consequentia probatur: quia ratio cur creatura sit in potentia obedientiali, est omnimoda subiectio ad creatorem, & respondens ipsi plenum dominium creatoris. Hanc autem habet antequam producatur, non per aliquid positiuum, quod nullum supponitur existere, ergo per non resistentiam ad esse: quia Dei potentiæ nihil resistit, aut difficile est; & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, Rom. 4. eo quod æquale habeat imperium in ea quæ non sunt, ac in ea quæ sunt, vt Corn. ibi. Confirmatur, quia obedire inuoluit in suo conceptu non resistentiam, & plenè subijci inuoluit non repugnantiam: ergo negatio pertinet ad rationem formalem potentiæ obedientialis.

Rom. 4. Cornel. à Lapid.

Ad argumentum respondeo, nego sequelam; ad probationem, res dicitur dupliciter esse sub dominio creatoris, quoad esse, & quoad operari, quod supponit esse; primo modo dicitur etiam quando non est per ampliationem, quatenus potest à Deo accipere esse, vel non accipere; sed hoc non habet formaliter per aliquid negatiuum, sed per suum esse possibile; quod explicatur per non repugnantiam terminorum, quæ est essentia vt reducibilis ad actualem existentiam; & per omnipotentiam creatoris, quæ potest producere quicquid non implicat contradictionem. Secundo modo non dicitur esse sub dominio Dei; tum quia implicat, quod aliquid operetur realiter, & Physicè influendo in effectum efficienter, quod non existat actu: tum quia nihil potest producere seipsum: esset enim prius, & posterius respectu eiusdem, existeret, & non existeret; nam causa efficiciens in priori, quo intelligitur existere effectus producendus debet existere; quod si idem produceret seipsum, in instanti, quo agit, intelligeretur existere, & esse prius: & rursus non existere, & esse posterius: quia pro illo instanti, quo agit, & producit se, non intelligitur habere esse: quia hoc accipit per causalitatem agentis, quæ prior natura est, quàm terminus; atque ita debet esse posterius causalitate: quæ tamen rursus ex hypothesi procederet ab illo, tanquam à priori: & proinde non posset causalitas, per quam producitur, considerari prior.

Ad confirmationem argumenti, quamquam Cabrera in 3. p. disp. 6. d. 1. §. 2. dicit negationem inuolui, vt connotatum in positiuo potentiæ obedientialis; tamen distinguo antecedens, inuoluit in suo conceptu essentiali, & primario, nego, quia nulla negatio est de essentia positiui; inuoluit consequenter, & secundariò, concedo, quomodo albedo inuoluit negationem nigredinis; sed ad illam concipiendam non est necesse apprehendere negationem istam oppositi, neque rerum aliarum disparatarum, quæ non sunt albedo. Sic ad concipiendam potentiam obedientialem non oportet distinctè concipere negationem resistentiæ, vel non repugnantiæ: sed sufficit, quod concipiatur positiuum, id est entitas rei, vt eleuabilis modo explicato. Idque tam in recto, quàm in obliquo, siue vt connotatum. Verum quidem est, si non resistere accipiatur pro positiuo, quod est obedire, inuoluere negationem, vt connotatum: sicut quando dicitur substantia incorporea inuoluitur negatio corporis, sed hîc loquimur de re significata per terminos positiuos, quæ sufficienter intelligitur sine negatione ad ipsam consequente.

Negatio inuoluitur cõsequenter in conceptu potentiæ obedientialis.

Secundo loco sunt argumenta ex distinctione potentiæ ab essentia.

VII. CONtra secundam assertionem; primò, quia omnis potentia actiua creaturæ, etiam Angelorum distinguitur ab earum essentia, & in Deo solum identificatur, vt docet S. Thom. 1. p. q. 54. a. 3. ex S. Dionys. c. 11. cæl. hyer. quod repetit q. 77. a. 1. c. & S. Bonau. in 1. dist. 3. p. 2. a. 2. q. 3. addens auctoritatem S. Augustini l. 15. Trin. c. 22. & Bœtij; ergo & virtus creaturæ obedientialis distinguitur; immò multo magis, quia illæ sunt simpliciter naturales, & debitæ: hæc autem non est simpliciter naturalis.

S. Thom. S. Dionys. S. Bonau.

Confirmatur ex dictis in doctrina S. August. negantis Deum inseruisse rebus creatis rationes seminales eorum; quæ fiunt præter vsitatum naturæ cursum; quæ rationes secundum S. Th.

ſup. cit. ſunt potentiæ actiuæ, & paſſiuæ creaturarum: non igitur potentia obedientialis eſt virtus innata, & identificata; quia ſic etiam miraculorum darentur rationes ſeminales.

Deinde idem rei conueniret potentia ad effectus inter ſe, & ſibi contrarios: puta igni producendi calorem, & frigus, proinde etiam inclinatio: quia omnis potentia actiua, quantumuis inchoata, & imperfecta alicuius actus eſt potentia, tanquam ſui perfectiui; atque adeo inclinaretur creatura ad ſui deſtructionem: quia ad qualitates contrarias corruptiuas, quandoquidem ad omnes habet potentiam obedientialem, nihil autem inclinatur ad ſui deſtructionem, vt ſupra diximus.

Tertiò, Si hæc potentia non diſtinguitur à re, cuius eſt potentia, ergo concurſus illi exhibitus ad effectus ſupernaturales non eſt ſupra, vel contra naturam eius: quia potentiæ obedientiali eſt proportionatus ſupernaturalis; ſicut naturali concurſus naturalis; inde autem ſequitur, quod neque effectus eſt ſupernaturalis illi.

Reſpondeo, ad argumentum, admiſſa illa doctrina SS. Th. & Bonau. quam defendunt cum Caiet. contra Scot. in 2. d. 16. & in 4. d. 12. Thomiſtæ communiter, nego ſequelam; diſparitas eſt, quia ſi diſtinguntur potentiæ à ſubſtantia, debuerunt illi inſeri, vt eſſet completum principium operationum ſibi debitarum, quas pro diuerſitate ſua conuenientius fuit habere diuerſitatem etiam potentiarum, & proinde diſtinctionem à ſubſtantia; At verò creatura non ordinatur ad actus ſupra naturam, neque exigit illos: ſed tantum poteſt eleuari à Deo; iccirco non fuit opus potentia diſtincta, quia quælibet res poteſt eleuari, & non eget ad eleuationem vlla re à ſe diſtincta.

Ad confirmationem reſpondeo, rationes ſeminales ſunt potentiæ naturales actiuæ, & paſſiuæ, non excedentes limites naturæ, & ſibi inuicem reſpondentes ad continuandum curſum eius in generationibus rerum, per quas velut ex ſeminibus educuntur fœtus varij effectuum diuerſorum in elementis contentorum; ſed eorum, qui attingi non poſſunt per vires naturæ, non dicuntur inditæ ſeminales rationes creaturis, etiamſi eleuari poſſint per diuinam virtutem ad illos attingendos, quia eorum rationes Deus ſibi reſeruauit. Quò etiam cadit illud S. Aug. l. 3. Trin. c. 9. ſupra relati; *Aliud eſt enim ex intimo, ac ſummo cauſarum cardine condere, atque adminiſtrare creaturam, quod qui facit, ſolus creator eſt Deus. Aliud autem pro diſtributis ab illo iuribus, & facultatibus aliquam operationem foris ſecus admouere, vt tunc, vel tunc, ſic, vel ſic exeat quod creatur. Iſta quippe originaliter, ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata ſunt, ſed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam ſicut matres grauida ſunt fœtibus; ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illo non creantur, niſi ab illa ſumma eſſentia, vbi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit eſſe, nec deſinit, &c.* quaſi dicat conueniens fuit, eorum, quæ perpetuò naſcuntur, & intereunt, rationes ſeminales inſeri cauſis earum; at eorum, quæ ſupra, vel contra naturæ curſum plerumque contingunt, rationes apud ſe ſeruauit Deus, vt ſupra.

S. Auguſt.

Mundus grauis eſt cauſis naſcentium.

Ad ſecundum concedo, quod creatura vt ſubſtat potentiori voluntate Dei, poteſt producere effectus contrarios; nego tamen, quod inclinetur ad illos, quia non debentur ſibi ſecundum naturæ exigentiam. neque ſunt quid poſſibile intra naturalem eius ſphæram contentum; nulla autem potentia eſt ad impoſſibile ſibi; proinde nec inclinatur ad ſui deſtructionem: etſi remotè poſſit cooperari Deo volenti illa vti ad ſui deſtructionem, quam non intendit, niſi per accidens: ſicut neque natura in mixtis, præſertim viuentibus, quæ fouendo paulatim interimit, pugnantibus inter ſe qualitatibus, & inuicem conſumentibus: ſed hoc argumentum ſuprà ſolutum eſt.

Simile eſt in motu grauium, & leuium: illa quippe naturali inclinatione tendunt deorſum ad locum ſui conſeruatiuum: iſta verò ſurſum; qui motus conuenit illis, vt ſunt naturæ particulares in tali ſpecie determinatæ; ſed ſi conſiderentur vt partes vniuerſi, cuius bonum præponderat bono particulari, mouentur illa ſurſum, hæc deorſum ad impediendum vacuum, & per accidens ad malum ſuæ naturæ oppoſitum, & dicuntur habere potentiam remotam, quia in euentis inuſitatis operantur contraria naturæ ſuę; neque tamen dicerentur propriè habere inclinationem naturalem: quia hæc eſt ad bonum conueniens, & dicit ordinationem, ac tendentiam in illud, potentia verò remota nullum iſtorum habet: quia tota quanta eſt, reſpicit cauſam ſuperiorem, & vniuerſaliorem, & iuxta illius regimen exigit in actum etiam ſibi non conuenientem, vt talis natura eſt, ſed ſolum vt regitur à ſuperiore cauſa. Sic S. Thom. q. 1. de potent. a. 3. primum, ait, *Quando corpus inferius à ſuperioris mouetur, eſt ei ille motus naturalis, quamuis non videatur conueniens motui, quem naturaliter habet ex ſeipſo, ſicut mare mouetur ſecundum fluxum & refluxum à Luna: & hic motus eſt ei naturalis: vt Comm. dicit in 3. cæli com. 20. licet aqua ſecundum ſeipſam motus naturalis ſit ferri deorſum: & hoc modo omnes creaturæ quaſi pro naturali habent, quod à Deo in eis fit.* Idem habet d. 3. cont. gent. c. 100.

S. Thom.

Ad tertium reſpondeo primò per inſtantiam: idem enim argumentum fieri poteſt contra obedientialem paſſiuam à te admiſſam, vt indiſtinctam realiter ab entitate creaturæ recipientis aliquid ſupernaturale, illi enim vt obedientialis eſt, ita proportionatur receptio ſupernaturalis, ſicut naturalis, quatenus potentia naturalis eſt. Secundò directè nego ſequelam: & ad probationem eſt fallacia accidentis à potentia, vt ſupernaturalis eſt ad potentiam vt naturalem: ſicut ſi diceretur intellectui vt eleuato, aut eleuabili per lumen eſt connaturalis viſio, & concurſus ad illam, ergo etiam vt eſt potentia naturalis, quia eleuabilitas non diſtinguitur à potentia in vniuerſum, igitur creaturæ vt eleuabili connaturalis eſt, & proportionatus concurſus ſupernaturalis, ſed non ſecundum ſuam naturam præcisè conſideratam: eleuabilitas enim præter entitatem creaturæ inuoluit omnipotentiam creatoris conſtituentis vnum principium operatiuum, cui conturalis eſt concurſus ſupernaturalis, & proportionatus effectus ex illo reſultans, & non item alteri parti, quæ eſt creatura. Exemplum eſt ſimile in motu ſurſum, qui rei graui, vt eſt talis natura particularis, non eſt

Digitized by Google

connaturalis, sed violentus; vt autem est pars constitutiua vniuersi ad vitandum vacuum, conueniens est: sicut & bonum vniuersale, ad cuius conseruationem etiam particularia inclinantur.

Argumentum tertium, ex constitutione vnius principij actiui.

VIII. EST contra tertiam assertionem. Primò, quia diuina virtus, & creatura non possunt constituere vnum compositum per se; sed potentia obedientialis completa est vnum ens per se, & non per accidens, ergo non constituitur ex illis. Maior probatur, quia ex duobus entibus completis non fit vnum ens per se. Minor patet, quia potentia obedientialis est in aliquo prædicamento: ens autem per accidens excluditur à prædicamentis. Secundò, diuina virtus applicata, siue adsistens, & in actu primo reddens potentem creaturam per te nihil ponit ipsi intrinsecum, & inhærens; & vt se tenet ex parte Dei, nihil dicit distinctum ab ipso, ergo per illam non constituitur potentia obedientialis in esse completo. Patet sequela, quia Deus est immutabilis, & creatura per eius adsistentiam non mutatur, ergo non fit nouum compositum, quia ad fit hoc requiritur aliqua mutatio.

Ad primum respondeo, nego Minorem; ad probationem, concedo potentiam obedientialem completam per se in nullo esse Prædicamento: quia est aggregatum ex entibus completis; quod si consideretur præcisè, vt dicit creaturam, transcendit per omnia Prædicamenta realia: quia omne ens reale est eleuabile à Deo ad operandum supernaturaliter, in quocumque prædicamento.

Potentia obedientialis completè sumpta in nullo est prædicamẽto per se.

Ad secundum respondeo per actum diuinæ voluntatis applicari omnipotentiam creaturæ, & illi adsistere, & hoc fieri sine vlla mutatione Dei, & creaturæ, sed non absolutè, quia fit mutatio obiectiua, id est fit obiectum nouum ex diuina voluntate resultans, in hoc consistens, quod futurus est effectus supernaturalis per virtutem diuinam, vt causam principalem, & per creaturam, tanquam per instrumentum ab ea eleuatum, de quo inferius distincta disputatio instituenda est.

Per actum diuinæ voluntatis applicatur omnipotentia creaturæ.

Argumentum quartum, ex relatione potentiæ ad actum.

IX. EST contra quartam assertionem, quia potentia vt sic non solum secundum modum concipiendi, sed etiam à parte rei est aliquid relatiuum, & actiua alicuius est Actiua, ergo potentia obedientialis actiua inuoluit in suo conceptu relationem realem; hæc non est prædicamentalis, quia non requirit terminum existentem, neque est ad purè terminum, id est exercentem purum officium terminandi, quia simul habet rationem specificatiui; sicut enim potentia naturalis specificatur ab actu naturali: ita obedientialis ab actu supernaturali ad quem, & propter quem est; & cum hæc relatio non sit prædicamentalis, erit transcendentalis; sed talis non potest esse, quia creatura non est essentialiter ordinata ad operandum supernaturaliter, vt supra dictum est.

Confirmatur primò, quia si creatura intantum dicitur habere potentiam obedientialem, inquantum est eleuabilis supernaturaliter à Deo ad effectus supernaturales, ergo non potest consistere, neque concipi hæc potentia, nisi per ordinem ad Deum, quia præciso hoc ordine perit conceptus potentiæ obedientialis, & eo posito ponitur: non est autem ordo prædicamentalis, ergo transcendentalis. Neque enim eleuabilitas est denominatio extrinseca, licet per eam explicetur, sed est ipsa entitas creaturæ cum respectu ad virtutem eleuantem; & tunc redit argumentum quod creatura vt sit habet ordinem essentialem ad Deum, sed non sub ratione potentiæ obedientialis, ita vt hic sit alter ordo cui iunctum dicatur debitum eleuationis.

Confirmatur secundò; quia si hæc eleuabilitas non est aliquid distinctum à creatura à parte rei, ergo vel formaliter est aliquid rationis confictum ab intellectu, atque adeo respectus rationis ingreditur rationem formalem potentiæ obedientialis, vt constitutiuum illius, contra dicta superius, quod hæc potentia sit ens reale secundum sua constitutiua physica; vel certè est ordo transcendentalis.

Ad argumentum respondeo, distinguo antecedens: nam potentia dupliciter consideratur; primò latè, vt conuenit cuilibet aptitudini completæ, vel incompletæ; proximæ vel remotæ; habenti inclinationem ad actum, vel tantum indefferentiam: vt patet exemplis de effectibus secundarijs, & per accidens productis à duabus causis simul vnitis, quarum neutra illos se sola potest, vel exigit, concursum causæ primæ ad illos nisi coniuncta alteri; quomodo pomifera arbor simul cum pyro producit fructum tertium, quem potest proinde producere, sed remotè, & non ordinatur ad illius productionem. Secundò accipitur potentia magis propriè, & strictè pro ea facultate, quæ ordinatur ad actus conuenientes substantiæ, cuius est potentia, vt sunt in anima intellectus, & voluntas, in elementis calor, frigus, &c. Et hoc secundo modo dicit respectum tam ad subiectum, in quo est, quàm ad actum, propter quem est. Sed primo modo non est necesse, vt habeat respectum realem, quia hîc dicit ordinationem vnius ad alterum, quæ non est in potentia obedientiali vniuersaliter supra neque respectu actus, quem non exigit, neque respectu subiecti immediati, quia identificatur cum illo, nihil refertur ad se; comparata autem ad Deum iam habet essentialem dependentiam ab illo, vt creatura est, quæ est relatio transcendentalis: & ideo non oportet, vt iterum dicat alium ordinem transcendentalem, vt potest eleuari ab illo: quia hæc eleuabilitas sicut nihil est distinctum ab entitate creaturæ, ita non habet distinctum ordinem transcendentalem, qui, vt nunc suppono non distinguitur à re relata. Est igitur relatio secundum dici, quia concipitur, & explicatur ad modum relatiuorum, & ideo dicitur inuoluere respectum rationis, quem format intellectus cum fundamento in re, vt supra.

Potentia multipliciter accipitur.

Ad primam confirmationem respondeo, eleuabilitatem dicere in recto creaturam, in obli-

quo

quo virtutem, à qua potest eleuari; sed in hoc conceptu non inuoluitur, nisi respectus rationis fundatus in relatione transcendentali creaturæ ad Deum, ex eo precisè quod creatura est, & supponitur conceptui potentiæ obedientialis ratione solum distinctæ ab rei ipsa entitate. Quod si contendas inuolui relationem secundum dici, non abnuo: quia hæc non est aliud in proposito, quàm denominatio eleuabilis à virtute eleuante.

Eleuabilitas addit respectum rationis, & veldenominationem extrinsecam à virtute eleuante.

Ex quo patet ad secundam confirmationem: nam eleuabilitas licet realiter non sit quid distinctum ab entitate rei eleuabilis: tamen formaliter addit respectum rationis ad virtutem eleuantem, & ad effectum, propter quem eleuatur modo superius explicato. Cum quæritur, vt sit relatio etiam secundum dici, quæ in proposito non distinguitur à denominatione extrinseca adueniente creaturæ à virtute diuina eleuante.

Argumentum quintum, ex defectu rationis agendi in creatura,

x. EST contra quintam assertionem: quia nihil penitus est in vna creatura, respectu alterius omnino disparatæ, quod possit dicit principium quo productiuum illius, ergo tota ratio producendi est in virtute diuina. Sequela patet. Antecedens probatur; quid enim est in festuca, exempli gratia, si ea Deus vti velit ad producendum, vel conseruandum Angelum, vt dici possit principium conseruatiuum? aut quid est in ipso Angelo, quod vt effectus respiciat festucam vt causam?

Confirmatur, quia sic nullum discrimen esset inter potẽtias vitales, verbi gratia, intellectum, & voluntatem, & alias creaturas respectu effectuum supernaturalium; Consequens est absurdum: quia cum actus illarum supernaturales sint vitales, & postulent esse ab, & in principio vitali, maior est proportio inter ipsa, quàm inter Angelum, & festucam, ex gr. Sequela probatur: quia quælibet creatura ex eo quod operatur vt instrumentum, habet per te potentiam inchoatam respectu cuiuscumque operationis, non secus ac intellectus, & voluntas respectu suorum actuum.

Respondeo ad argumentum, distinguo antecedens: nihil est formale, & proximum, concedo; nihil materiale, & remotum, seu aptitudinale, nego: omnis enim creatura apta est fieri proximum instrumentum creationis, vt supra. Ex quo patet ad probationem: in Angelo enim nihil est, quod respiciat festucam secundum se consideratam, sed vt eleuatam ad instrumentum Dei, totum quod est in Angelo respicit illam.

Ad confirmationem, distinguo consequens; vel enim consideratur virtus potentiarum vitalium in ordine ad actus supernaturales: & est paritas inter ipsas, & alias creaturas, respectu effectuum supernaturalium, ad quos eleuantur: in vtrisque enim est omnimoda insufficientia: vel attenditur proportio, ac similitudo: & hæc est maior inter potentias vitales, & actus supernaturales, quàm inter cæteras creaturas, & effectus, ad quos eleuari possunt: quia vitalitas est prædicatum proprium principij, & actus vitalis, in cæteris plerumque conuenientia est solum in prædicatis communissimis entis, substantiæ, accidentis, &c. Verum hinc non infertur, quod in potentijs sit ratio partialis agendi, & non in cęteris creaturis: sed solum quod in illis ratio agendi possit dici principalis secundum quid, vt infra ostendam, in reliquis sit merè instrumentalis: in vtriusque autem obedientialis haberi debeat.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

QVALIS SIT POTENTIA OBEDIENTIALIS ACTIVA.

HÆC est tertia huius totius tractatus quæstio, quæ duas alias, priorem qua quod sit, & posteriorem quid sit obedientialis potentia actiua, quæsitum est, ordine naturæ sequitur, & in ea de illius proprietatibus disputatur. Verùm, vt ex hactenus dictis constat, potentia obedientialis actiua, si completè, & secundùm ea omnia quæ habet, sumitur, non est aliquod ens simplex, sed compositum ex ipsa diuina virtute, quæ Deo inest, & ex creatura, quæ per illam eleuatur, aut eleuabilis est. Nisi enim vtramque animo complectaris, non intelliges completum, & totale illud agens, quod effectuum supernaturalium principium est. Inde autem fit, vt potentiæ obedientialis actiuæ proprietates dupliciter, & cum respectu ad vtrumque illud extremum, ex quo ea conflatur, considerari possint, nimirum ex parte Dei eleuantis, aut creaturæ eleuatæ. Quia tamen neutra seorsim sumpta est illud principium, nec diuina virtus aliter ingreditur potentiæ obedientialis actiuæ compositionem, quàm quia eleuat creaturam quemadmodum nec ista, nisi vt illi virtuti subordinatur, in agendo subseruit, estque eius tanquam causæ principalis instrumentum, idcirco non aliæ potentiæ obedientialis actiuæ proprietates nobis quærendæ, & considerandæ sunt, quàm quæ pertinent ad eleuationem aut eleuabilitatem creaturæ. Earum autem proprietatum hæ præcipuæ sunt.

Primò, An Potentia ista sit vniuersalis.

Secundò, An sit naturalis, vel supernaturalis.

Addentur solutiones argumentorum.

An potentia obedientialis actiua ſit vniuerſalis.

CAPVT PRIMVM.

I. Senſus quæſtionis.
II. Sententiæ diuerſæ.
III. Secunda admittens vniuerſalitatem eſt probabilior.
IV. Probatur ex Scriptura, Patribus, Scholaſticis, Rationibus.
V. Soluuntur argumenta contraria.

SENSVS quæſtionis eſt, an quælibet res creata poſſit à Deo aſſumi ad omnes actiones, & effectus ſupernaturales, tanquam inſtrumentum cooperans diuinæ virtuti; an verò aliqui ſint effectus, ad quos non poſſit, ob aliquam peculiarem repugnantiam, quales eſſent verbi gratia actus vitales, de quibus controuerſia eſt, an pendeant eſſentialiter à ſuis potentijs, an verò poſſint ab alia etiam cauſa produci, vt infra in peculiari quæſtione videbimus.

Prima ſententia negat eſſe vniuerſalem: quia omnem potentiam obedientialem inuiſam habet; aut ſolum in intellectu, & voluntate admittit. Vaſq. & aliorum, quos præcedenti diſputatione citaui.

Secunda affirmat, & omni creaturæ dat aptitudinem inſeruiendi actiuè creatori in omnibus, quæ vult, id eſt, quæ poſſibilia ſunt, quoniam impoſſibilia velle non poteſt. Vt Soar. & alij plures relati ſupra, inter quos Bellar. t. 2. de Sacramentorum effectu l. 2. c. 11. aſſignans varia diſcrimina inter inſtrumenta Dei, & hominum, verbi gratia, quod illi egent inſtrumento apto; Deus autem facit aptum quodcumque vult, cum ſit omniporens; quod humanum inſtrumentum humanum aliquid operatur præuium operi finaliter intento; hoc autem in diuino neceſſarium non eſt; quòd Deus poteſt vti quacumque re voluerit: homo non niſi determinato. Quibus affinia habet Ferrar. 3. c. gen. c. 87.

Vnica Aſſertio.

HVic ſecundæ ſententiæ magis fauent Scripturæ, Patres, & Ratio. Probatio ſequitur ex dictis diſputatione præcedenti; nam ſcriptura Sap. 16. & 19. affert rationem vniuerſalem, cur ignis contra naturam ſuam in aqua exarſerit, & omnis creatura ad ſuum genus refigurata ſit, quia videlicet factori ſuo deſeruit, &c. In omni ergo creatura eſt hęc virtus obedientialis ad agendum quod Deus voluerit.

Huc pertinet ſimilitudo organi ibidem allata, & explicata: quemadmodum enim cytharædus quiſpiam peritiſſimus varia fidium contactu varios efficit ſonos hilares, triſtes, acutos, obtuſos, altos, depreſſos, veloces, remiſſos, contortos, rectos, ſimplices, permixtos, obediente toto inſtrumento digitorum, ac manus artificio; ita mundus vniuerſus, qui velut inſtrumentum muſicum creaturis, tanquam chordis compactus eſt, nutui ſui factoris obedit, & facit verbum eius: ſiue cum vſitatos peragit curſus: ſiue cum inuſitatos pandit effectus, prout ille voluerit, qui multiplici Prouidentiæ genere adminiſtrat, & ſuo imperio, quaſi attactu harmoniam ex concordi diſſonantia operationum naturalium, ſupernaturalium ſuauem æquè, ac mirabilem contemperat.

Confirmat, & explicat hoc opportunè diſtinctio à Caietano tradita 3. p. q. 13. a. 2. §. ad euidentiam: *Conſidera*, inquit, *in inſtrumentis artis duplicem potentiam, alteram ad motum localem, alteram ad cooperandum arti, exequendo operationem ipſius artis: verbi gratia inſtrumenta artis muſicæ ſunt in potentia vt moueantur contactu digitorum, & ſunt in potentia vt muſicam ſonent; & conſtat, quod de prima potentia reduci poſſunt ad actum à quocumque, ſine arte potente illa commouere; ſed de ſecunda potentia non niſi ab arte reduci poſſunt ad actum. Cum autem mouere nihil aliud ſit, quàm educere de potentia ad actum, & moueri ſit educi de potentia ad actum, clarè conſtat, quod inſtrumentum tunc mouetur à principali agente, cum educitur de ſecunda potentia ad actum, cum ſit cooperans ipſi principali agenti, & cum ſit exequens operationem principalis agentis: quod ſit per hoc quod principale agens vt ſic vtitur illo ad opus ipſius principalis agentis, puta cum ars Muſica vtitur inſtrumento muſico ad opus muſicum, &c.* Caiet.

Primæ potentiæ comparatur operatio, & concurſus primæ cauſæ ad effectus ordinarios cauſarum ſecundarum, ad quos ordinatæ ſunt. Secundæ eleuatio, ſeu vſus creaturarum ad inſolitos, & ſupernaturales. De vtraque S. Auguſt. l. 6. Gen ad lit. c. 14. Vbi duo recole, primò creaturam cooperando ſeruire factori ſuo, & non ſolum patiendo. Secundò ſi ſemel vni concedatur potentia iſta actiua cooperandi ad aliquem effectum ſupernaturalem non eſſe fundamentum negandi, cur non ad omnes non implicantes, aut cur non omnibus creaturis ea concedatur: cum argumenta æquè valeant, inualidaue ſint contra vnum, ac contra omnia ob vniuerſalem improportionem ex vna parte omnium cauſarum naturalium cum effectibus ſupernaturalibus, & ex alia propter communem ſubiectionem ad Deum, cuius potentia, & ſapientia eſt ratio omnium mirabilium. Hinc enim ſequitur, admiſſo ſemel concurſu vnius creaturæ ad opus miraculoſum, & eiuſdem ad alia eſſe poſſibilem, & omnium ad ſimilia non eſſe impoſſibilem, atque adeo cum ſcriptura vtriuſque teſtamenti multa recenſeat miracula per res corporeas effecta, quæ nullam cum illis proportionem habent, non eſt cur ad creaturas determina- S. Auguſt.

tas facultas iſta limitetur: præſertim cum ad eius fidē adſtruendā plerumq; Deus adhibuerit non inepta ſolum, ſed & repugnantia ijs, quæ per illa producebat. Nonne ſal aquas amaras, & impotabiles reddit? atqui immiſſum ab Eliſeo amariſſimas mirificè dulcorauit 4. Reg. 2. & ob id Chriſtus Dominus Ioan. 9. liniuit lutum ſuper oculos cæci, vt vis appareret miraculi ex remedio inepto, & contrario, vt plerique interpretes apud Maldon. ibi; quod ſi lutum nihil efficiebat, ſed ſola diuina virtus ſine inſtrumento, non magis ex luto, quàm ex alio quolibet magis apto collirio miraculum apparuiſſet, quia merum ſignum fuiſſet, inane, & otioſum. Certè Cyril. in catena de eodem miraculo agens, ait Chriſtum ſaliua vſum, vt oſtenderet carnem ſuam medicam, ac ſalutarem eſſe, cuius vel ſola ſaliua cæcum ſanaret; in quo denotatur actio ſaliuæ, & luti ex ea confecti. Conſonat ratio adducta à Chryſ. Theophil. Leontio, Euthymio ideo adhibitum à ſaluatore ſputum, ne ſanitas aquis ſiloë adſcriberetur, ſed humori de ſuo corpore mananti, vt innoteſcat diſcrimen inter ſaliuam, & aquas, quod iſtæ oculos abluerint, illa ſanauerit, haud dubiè vt inſtrumentum aliquid operans: quod ſi lutum hoc potuit, cur non & res quælibet alia? Ratio eſt allata à S. Auguſtino loc. ſupra cit. & præterea l. 26. contra Fauſtum c. 5. *Ille plane omnipotens verè ſolus dicitur, quia verè eſt, & à quo ſolo eſt quicquid aliquo modo eſt, vel ſpirituale, vel corporale, quia vniuerſa creatura vtitur, vt ei placet, &c.* & loquitur ibi non ſolum de vſu creaturæ ſecundum curſum ordinarium naturæ, ſed & de miraculoſo, vt apparet in exemplo Heliæ, quem ait mutari potuiſſe in melius, aut deterius modo, qui eſſet inſolitus; cum enim ſuper vtrumque emineat Dei omnipotentia, faciens de ſua creatura quod vult, non reſtringitur ad hanc, vel illam, neque ad hunc, vel illum effectum: & hoc quantum eſt ex parte potentiæ increatæ, & infinitæ. Quod verò attinet ad creaturam, rationem attulit ſupra de Gen. ad lit. l. 9. c. 17. *Quia nimirum dedit naturis, quas creauit, vt hæc fieri poſſent, &c.* quæ ſunt miracula ibi commemorata. Neque enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non poſſe ipſe præfigeret, quoniam ſeipſo non eſt, nec ipſo potentior. Vbi rurſus aduerte ſermonem de omni creatura in vniuerſum: propoſitiones namque indefinitæ æquipollent vniuerſalibus; deinde manifeſtè loqui de potentia actiua, vt patet in exemplis arboris facientis fructus, & ſterilis fœminæ parientis, & ex comparatione potentiæ obedientialis cum potentia naturali actiua, quæ eſſet minus apta, ſi hanc inſeruire creatori diceret agendo, illam ſolum patiendo vt in ſe, vel ex ſe fierent inſolita, & ſuperiora naturæ viribus, quaſi vlterius non paritura ſupremo imperio, ſi in conſortium diuinæ operationis aduocaretur, quia à ſuo factore non habuiſſet vnde illi obſequeretur; quod repugnat verbis Auguſt. aſſerentis naturis rerum conceſſum, vt ex eis fieri poſſent miracula, & intentioni eius contendentis extollere Dei potentiam, ac ſapientiam ex maximè quod & creaturæ ad iſta concurrant: quia Deus præfixit in ipſis vnde poſſent, vel ipſe per eas poſſet; quod ſi non præfixiſſet, non poſſet, cum non ſit ſeipſo potentior, vt eſſet, ſi per creaturas efficeret aliquid, cuius potentiam ipſis non inchoaſſet, complemento interim ſuæ voluntati reſeruato.

Cyril. in catena.

S. Auguſt.

S Auguſt.

Dices, ad hanc Dei potentiam, & dominium in creaturas indicandum ſatis eſſe, quod in eis miracula faciat; non requiri autem potentiam obedientialem actiuam, neque de illa loqui S. Auguſt. ſed ſolum de potentia paſſiua, ratione cuius mutationes ſupernaturales pati poſſunt, vt facile ex eius diſcurſu liquet eo collimante, vt oſtendat ex Adami coſta formati Euam potuiſſe; in quo nulla opus fuit potentia obedientiali actiua, niſi forte interceſſit Angelorum miniſterium, quod tamen fuiſſet diuerſum à potentia obedientiali, & à concurſu inſtrumentali, ad quem eleuantur creaturæ à Deo.

Reſpondeo in primis confirmari ex hoc aſſertionem noſtram: ſi enim tanta eſt potentia creatoris, & creaturarum ſubiectio, vt tam multas mutationes pati poſſint per additionem, detractionem, tranſmutationem vnius in alteram, cur non etiam ſe extendat huc vſque, vt apta fiant inſtrumenta tam multarum operationum? Deinde S. Auguſt. profert exempla operationum mirabilium à creaturis manantium, quatenus potentiori voluntati ſubiacent, & non ſolum vt recipiuntur in ipſis; tribuit ergo illis concurſum aliquem actiuum. Quæ omnia ſupra expendimus, vt repetitione opus non ſit.

Confirmatur ex doctrina S. Bonau. in 1. d. 42. a. 1. q. 3. vbi ait, *Quæcumque propter limitationem potentiæ, aut propter imbecillitatem intellectus agens creatum non poteſt, Deus poteſt; quæ verò ſunt impoſſibilia propter priuationem omnis exiſtentiæ, & ſecundum illuſtrationem veritatis æternæ fieri non poſſunt.* At creaturam quamlibet inſeruire Deo pro inſtrumento ad effectum ſupernaturalem nullo ex his duobus modis eſt impoſſibile; non primo, quia hic non eſſet priuatio omnis exiſtentiæ, ſicut eſſet, ſi diceretur poſſe facere de non ente non ens; non ſecundo, quia non eſſent duo contradictoria ſimul vera, aut duo oppoſita in eodem ſecundum eamdem rationem, aut alia, quæ repugnant lumini naturali, verbi gratia quòd duo, & tria non ſint quinque, quæ pertineret ad hunc ſecundum modum, vt ibi S. Bonau. igitur nulla eſt repugnantia, quod paulò poteſt fuſius explicabitur.

S. Bonau.

Accedit S. Thom. cuius videtur in terminis aſſertio noſtra in 4. d. 8. q. 2. a. 3. quartum. Cum docet omni creaturæ ineſſe potentiam obedientiæ, vt ea mediante fiat quicquid Deus voluerit, id eſt, concurrente vt inſtrumento, vel alijs etiam modis ad effectus à Deo intentos. Hinc dicuntur Sacramenta in eius ſententia, & Chriſti humanitas inſtrumenta gratiæ, vt patet ex loc. cit. & poſſent eſſe aliæ creaturæ inſtrumenta, ſi Deus vellet illas aſſumere, cum non ſit maior potentia vnius, quà alterius. Item l. 3. c. q. 1. 102. fin. *Eius etiam virtus cum ſit infinita, non determinatur ad aliquem ſpecialem effectum, neque ad hoc quod effectus illius producatur aliquo determinato modo, vel ordine.* Igitur illimitatio hæc eſt etiam reſpectu vſus omnium creaturarum. Cum illo ſunt Thomiſtæ præcipui, Ferrarienſ. Capreol. Caiet. 3. p. q. 13. a. 2. *Et quia omnipotentia*, inquit, *non eſt alligata certis inſtrumentis, locis, aut propinquitatibus, ideo*

S. Thom.

Thomiſtæ præcipui.

Digitized by Google

non refert quauis re vtatur Deus inſtrumentaliter ad quodcumque miraculum: nam ſicut poteſt ſine inſtrumento opus illud perficere, ita poteſt non ſolum efficere per inſtrumentum, ſed per quæcumque, & vbicumque exiſtant, & quantumcumque diſtent: neque enim minuitur, aut arctatur potentia diuina ad limites inſtrumenti quod aſſumit, ſed inſtrumentum eleuatur ad omnipotentiæ executionem in tali miraculo, ad quod efficiendum ordinatur ab ipſa; Quæ verba expreſsè aſſerunt potentiam obedientialem actiuam vniuerſalem, etiamſi non meminerint potentiæ inchoatæ, in qua illam reponit Soar. & ideo deſtitui illum Caietani auctoritate velit Vaſq. t. 2. in 3. p. d. 132. n. 29. quoad hoc punctum de potentia inchoata, quæ videtur ignota Caietano adſciſcenti motum artificioſum in inſtrumentis vt inſeruiant Deo ad opera miraculoſa, de quo infra. Interim ſtãdo in terminis generalibus Caietanus agnoſcit potentiam obedientialem actiuam in omni creatura ad omnes effectus, de quo eſt quæſtio præſens.

S. Thom. Confirmatur, quia S. Thom. 2. 2. q. 178. 1. primum extendit hanc potentiam ad actum interiorem hominis, aitque Deum vti illo inſtrumentaliter, ſicut & actu exteriori, aut locutione ad miracula facienda, non ſolum meritoriè, ſeu impetratoriè; ſed etiam phyſicè: quãdo videlicet actus ſe habet vt exequens diuinum imperium, cui omnia obediunt: certum eſt autem, quod ſi actus iſti poſſunt eſſe inſtrumenta ad huiuſmodi opera, poterunt etiam aliæ creaturæ non ad vnum ſolum, ſed ad omnia, quæ Deus volet; vnde ſubdit S. Th. ibidem, quod quæcumque mutationes poſſunt fieri per creaturas, poſſunt etiam animam Chriſti, ſecundum quod eſt inſtrumentum Verbi.

Soluuntur argumenta contraria.

CAPVT II.

II. ARgumenta contra hanc vniuerſalitatem ferme ſunt eadem, quæ abſolutè impugnant potentiam obedientialem actiuam, & omnem inchoationem, ac fundamentum erutum voluntà creatura, quod aſſurgat diuina virtute, & eleuetur ad eſſe inſtrumenti ſupernaturaliter operantis. Sed irritum eſſe conatum ipſorum ſatis ſuperque patet ex valida oppoſitione auctoritatum, & rationum adductarum, & ex ſolutione contrariorum; quæ vlterius obijci poſſunt, hæc fermè ſunt.

Primum argumentum, à rerum paruitate,

EST, quia videtur incredibile, quod quælibet res etiam minimæ entitatis, vt ſunt modi aliqui in ſententia admittente illos diſtinctos ex natura rei à ſubiecto, & re modificata poſſe concurrere ad quemlibet effectum etiam nobiliſſimum, & ſupernaturalem, immo & ridiculum, quod relatio vnius formicæ ad alteram, aut inhæſio nigredinis in illa poſſit eſſe inſtrumentum productiuum Angeli nobilioris in omnibus, qui creati ſunt, ſi Deus illum creare velit; aut ſaltem conſeruatiuum, ſi creationis non poteſt dari cauſa inſtrumentalis; quam enim virtutem intrinſecam habeat res materialis viliſſima attingendi ſubſtantiam ſpiritualem eminentiſſimam? Hoc argumentum ſupra ſolutum eſt; tamen quia præbet occaſionem maioris declarationis nouæ difficultatis ex eo conſurgentis.

Reſpondeo primò, per inſtantiam; quia gratia cum ſit ordinis ſupernaturalis, & diuini, habet minorem proportionem, ſi ſecundum ſe conſideretur, cum aqua exempli gratia, quam habeat res naturalis, etiam minima, & materialis ad aliam naturalem, & excellentiſſimam; & tamen negari non debet ſua probabilitas, neque incredibilis cenſeri tam multorum, tamque inſignium Theologorum aſſerentium illam concurrere vt inſtrumentum eleuatum à Deo; atque ita ceſſabit admiratio. Secundò reſpondeo directè non eſſe incredibile quod non eſt impoſſibile. Apud Deum non eſt impoſſibile omne verbum, & proinde nec potentia obedientialis creaturæ cuiuslibet, quia in ea ſufficit ſubiectio, & non requiritur ex parte creaturæ virtus vlla diſtincta ab entitate apta inſeruire creatori, ſeu eleuari ab illo; cætera ad completam rationem potentiæ obedientialis tenent ſe ex parte omnipotentiæ, & ſapientiæ Dei, quæ ſi potuit mundum creare ex nihilo, & tam mirabilia in eo à primordijs natiuitatis illius vſque ad hæc tempora, quid mirum, ſi dicatur poſſe per id quod factum eſt, tanquam per inſtrumentum alia facere.

Inſtabis, ergo poſſet etiam ens minimæ entitatis ſuſtentare ſubſtantiam, id eſt eſſe ſubiectum eius recipiendo illam in ſe, quia plura requiruntur ad agendum, quàm ad patiendum; proinde ſi poteſt per potentiam obedientialem actiuam concurrere, poterit per eamdem & paſſiuè; Falſitas autem conſequentis patet, quia potentia obedientialis non diſtinguitur ab entitate creaturæ; accidens autem non eſt ens ſuſceptiuum ſubſtantiæ, neque ſuſtentatiuum.

Reſpondeo, nego ſequelam; ad probationem dico, etiamſi plus ſit agere, quàm pati, non tamen valere illationem reſpectu eiuſdem, in vt ſequatur, poſſe pati, quia poteſt agere; verbi gratia in Deo eſt potentia actiua, non tamen paſſiua, vt S. Th. 1. p. q. 25. a. 1. c. & a. 3. primum. Angelus item poteſt cauſare motum in corporibus, ſed non recipere motum corporum; & qualitates actiuę ſunt principium effectiuum ſimilium qualitatum, ſed non ſubiectiuum earumdem, cum operationes ipſarum ſint tranſeuntes; & in propoſito non tenet ſequela, quia quod deeſt creaturæ ad operandum Deus ſupplere poteſt, qui ſolus agere poteſt quod cum creatura, vel per creaturam poteſt; ſed non poteſt ſeipſo ſupplere cauſalitatem cauſæ materialis, & receptiuæ, quia intrinſecè dicit potentialitatem, quæ repugnat actui puriſſimo; ſed neque hoc factibile eſt per additionem alicuius extrinſecæ qualitatis, ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis, quia illa deberet perficere, & complere potentiam remotam accidentis ad concurrendum in genere cauſæ materialis in ſuſtentatione ſubſtantiæ: in accidente autem nulla eſt talis potentia, quia eius eſſentia eſt in eſſe, & ſuſtentari: vnde ſi haberet potentiam ad recipiendam, & ſuſtentandam ſubſtantiam, eſſet

accidens, & non eſſet, quia haberet rationem inhærentiæ, & non inhærentiæ in alio.

Dices, hæc duo non repugnare reſpectu diuerſorum, nam vt eſt natura particularis in tali pecie, poſceret inhærentiam ſaltem aptitudinaliter; vt autem comparatur ad diuinam omnipotentiam, eſſet aptum ſuſtentare ſubſtantiam; ſicut ignis exempli gratia, vt eſt talis ſpecies elementorum vniuerſi eſt productiuus caloris; vt autem ſubeſt potentiori voluntati Dei, poteſt producere frigus: & idem naturaliter mouetur ſurſum primariò, & per ſe; ad vitandum tamen vacuum mouetur deorſum. Idem igitur de accidente dici poſſet, quod naturaliter inhæret, ſupernaturaliter eſſe poteſt ſubiectum ſuſtentationis.

Reſpondeo, non habere hîc locum diſtinctionem illam in accidente, ſicut non habet in quibuſdam aliis reſpectu omnium effectuum ob peculiarem aliquam repugnantiam, vt paſſim videbimus; illa eſt hîc, quia eſſentia accidentis eſt ineſſe ſubſtantiæ, & ſuſtentari ab illa, vti diximus: repugnat autem hoc cum eſſe ſuſtentatiuo formaliter, etiam remotè, quia vnum includit negationem alterius, ſicut vice verſa repugnat ſubſtantiæ eſſe inhęſiuè in alio, quia eſſentia eius eſt eſſe per ſe, quæ per nullum extrinſecum mutari poteſt; ideo ponere, quod ſubſtantia inhæreat actualiter idem eſt ac ponere quod non ſit ſubſtantia, & tollere rationem eius formalem: non ſecus ac ſi poneretur, quod homo eſt irrationalis actualiter, & aptitudinaliter rationalis: quia eſſe irrationalem eſt non eſſe hominem; non inhærere autem actualiter non eſt non eſſe accidens, quia inhæſio actualis ſuperaddit modum naturaliter quidem accidenti debitum, ſed non vt quid eſſentiale, & inſeparabile; accidentia namque in Euchariſtia ſunt ſine inhæſione ſecundum totam ſuam eſſentiam: ideo poteſt quidem accidens non inexiſtere actualiter; at verò ſubſtantia non poteſt inexiſtere, ſeu inhærere, quia eſſet ſubſtantia, & non eſſet ſubſtantia, cum eius eſſentia ſit per ſe exiſtere, ſeu ſubſiſtere, quatenus hoc contradiſtinguitur ab inhærere etiam aptitudinaliter, & non vt dicit modum ſeu incommunicabilitatem alteri ſuppoſito. Igitur quæ deſtruuntur formaliter per aliquid contra naturam, non dicuntur habere potentiam obedientialem paſſiuam ad illud: quia nulla potentia etiam remota eſt ad formale deſtructiuum ſui: & ſic patet diſparitas exempli allati de igne, qui cum ſit ſubſtantia actiua, non habet formalem repugnantiam cum frigore; ſicut neque aqua cum calore; neque item cum motu deorſum, ſed tantum naturalem inclinationem ad calorem, & motum ſurſum, qui ſunt effectus eius primarij, & per ſe; quæ inclinatio non tollit formaliter rationem potentiæ obedientialis actiuæ, ſeu aptitudinem ad effectus ſecundarios per eleuationem diuinæ virtutis.

Neque accidens habet potentiam remotam ad ſuſtentandam ſubſtantiam, neque ſubſtantia ad inhærẽdum.

Secundum argumentum, ex improportione rei ſpiritualis ad materialem.

111. SEqueretur, quod ſubſtantia ſpiritualis, & Angelica poſſet concurrere ad operationes animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ, immo & ad omnes alias agentium corporeorum, verbi gratia calefactionis, frigefactionis, &c. Conſequentia probatur, quia non eſt maior ratio, cur minimum ens materiale poſſit eſſe cauſa inſtrumentalis gratiæ, & operum ſupernaturalium, & non poſſit ſubſtantia ſpiritualis eſſe effectuum naturalium. Falſitas conſequentis patet: quia cum potentia obẽdientialis ſit ipſa entitas creaturæ, ſequeretur ſubſtantiam ſpiritualem eſſe potentiam rei materialis productiuam, & habere proportionem cum illa, vt habet cauſa etiam inſtrumentalis quælibet cum effectu, ad quem eſt; ſubſtantia autem ſpiritualis non habet talem proportionem, cum ſit diuerſi ordinis.

Confirmatur, quia ſi dicas non requiri proportionem effectus cum potentia remota, cur non poſſet idem dici de potentia proxima, & proinde ſubſtantiam ſpiritualem eſſe proximè potentem producere effectus materiales, ſicut eſt remotè?

Reſpondeo concedo conſequentiam, ſi conſequens ſit de concurſu per modum inſtrumenti non excludentis cauſam principalem, quæ eſt anima, & vis tantum fiat in hoc, quod ſpirituale non poteſt concurrere ad materiale; nam ſicut creatura corporea poteſt aſſumi vt inſtrumentum à Deo ad operationes, & effectus ſupernaturales, ita incorporea ad naturales, & materiales. Ad probationem in contrarium, patet ex dictis ſupra; nam vel conſideratur creatura ſecundum ſe abſolutè; & ita quia non eſt potens, niſi remotò, nulla requiritur proportio proxima vel in ordine ad diuinam potentiam, cum qua complet vnum principium: & ita eſt proportio ad omnes effectus, ad quos Deus vti ea voluerit, vt inſtrumento, ſicut ſerra exempli gratia non habet proportionem cum arca ſecundum ſe conſiderata, ſed bene vt directa, & dirigibilis ab arte.

Creatura incorporea poteſt aſſumi vt inſtrumentum effectuum materialium.

Ad confirmationem reſpondeo diſparitatem eſſe, quia potentia proxima per ſe, & non per accidens reſpicit effectum, & exigit concurſum ad illum, propterea debet illi eſſe proportionata: alioqui quomodo potius illum reſpiceret, quàm alium quemlibet diſparatum, vel contrarium? At remota neque ordinatur ad effectum, neque reſpicit vnum potius, quàm alterum: quia omnes ſunt illi per accidens, & ſecundarij, & ideo non habet aliam proportionem, quàm illam, quæ eſt cum principio proximo, & adæquato, vt ſupra varijs exemplis declaratum eſt. Propterea ſubſtantia ſpiritualis ſecundum ſe non eſt potentia proxima effectuum materialium, neque eſt illis proportionata, ſicut neque ſubſtantia materialis effectibus ſpiritualibus; quia non ſunt propter illos, aut ad illos ordinatæ; ſed vtraque eſt in potentia remota, quæ fieri poteſt proxima per eleuationem, & eleuatæ reſpondet effectus proportionatus; ſic lingua iumenti non eſt in potentia proxima ad loquendum, ſed remota: fit autem proxima per angelicam virtutem illam dirigentem ex S. Auguſt. ſuprà.

Potentia proxima reſpicit effectũ, & eſt illi proportionata.

Digitized by Google

Tertium argumentum, ex productione effectus materialis à re ſpirituali.

IV. EST, quia ſi ſubſtantia ſpiritualis poteſt producere effectum, vel operationem materialem in alio, poterit etiam in ſeipſa; verbi gratia ſi poteſt efficere viſionem oculi, poteſt eamdem recipere, ſicut & calorem; ex hoc ſequitur, quod poterit etiam intellectionem, & amorem animæ rationalis, aut Angeli; igitur erit, & denominabitur intelligens, aut amans per actus à ſe elicitos tantum inſtrumentaliter, ſi concurrat vt inſtrumentum, immo etiamſi concurrat ſolum paſſiuè recipiendo tales actus ab alio productos, denominabitur ab illis, ſicut alia ſubiecta denominantur ab accidentibus in ſe receptis, à quocumque deinde producantur, vt aqua denominatur calida, & lignum calidum à calore producto ab igne, & non ſolum ipſe ignis producens in ſe calorem; hoc autem dici non poteſt de actibus vitalibus, quia nemo denominatur volens, aut merens per volitionem alienam, ideſt ab alio principaliter productam.

Confirmatur, quia ſi Angelus efficeret vel qualitatem materialem, vel operationem ſenſus in alio Angelo, non crearet illam, ſed educeret de potentia aliqua Angeli: quia ex hypotheſi fieret dependenter ab illo ſubiecto, à quo ſuſtentaretur in primo fieri, ergo haberet ſe Angelus vt materia, à qua educitur, & ſuſtentatur accidens in fieri, & conſeruari; atque ita ſicut formæ materiales tam ſubſtantiales, quàm accidentales continentur in materia, ita & continerentur in ſubſtantia Angeli, quod eſt abſurdum. Nec minus eſſet hoc alterum, ſi diceretur gratia, vel aliud accidens ſupernaturale contineri in materia, ſi fieret in illa, & penderet in genere cauſæ ſubiectiuæ ab ipſa: nam educi de materia formam aliquam nihil eſt aliud, quàm dependenter ab ipſa vt ſuſtentante fieri, certum eſt autem, quòd neque accidens ſpirituale naturale, neque multo magis ſupernaturale educitur de potentia materiæ, nec virtute continetur in materia.

Reſpondeo ad argumentum, dato antecedente, ex ſuppoſitione quòd actus vitales poſſent produci à principio extrinſeco, de quo infra, nego conſequentiam, quod Angelus, aut anima illos ſolum recipiens eſſet, non autè denominaretur intelligens, aut amans; quia amare, & intelligere dicunt concurſum actiuum cauſæ principalis habentis illas operationes: idque ſupponendum in præſentia ex communi acceptione harum vocum, iuxta ſententiam negantium ſatis eſſe ad has denominationes, quòd recipiantur actus in potentijs, etiamſi extrinſecus producerentur, nam intelligere dicitur qui vitali modo producit intellectionem, & velle qui ex principio intrinſeco cognoſcens elicit volitionem.

Ad denominationes intelligentis, & amantis requiritur concurſus potentiæ vitalis.

Hîc aduerte, quòd dupliciter poteſt intellectus, & voluntas concurrere ad actum vitalem ſupernaturalem, poſito quòd à cauſa extrinſeca tranſeunter ſint producibiles actus vitales; primò vt de facto illos eliciunt per auxilium gratiæ, mouendo ſe per intrinſecam virtutem motam à diuina. Secundò vt de poſſibili producerent merè inſtrumentaliter actus vitales in alio ſubiecto extraneo: verbi gratia in lapide, & tunc eodem modo ſe haberent, ſicut quælibet alia res creata, quàm Deus aſſumeret pro inſtrumento eorumdē actuum, & concurrerent mortuo modo, non mouendo ſe intrinſecè, ſed ſolum cooperando motori ſuperiori, vt ſerra cooperatur Fabro. Si ergo actum, quem producunt extra ſe, producerent in ſe concurſu plane ſimili productioni in extrinſeco, non denominarentur intelligentes, aut amantes, quia iſtæ denominationes ſunt ab actibus immanentibus elicitis per ſe immanenter à principio mouente ſe intrinſecè, ac vitaliter influente: in dato autem caſu actus eſſent per accidens immanentes: quia per accidens eſt, quod in hoc ſubiecto fiant, & non in alio. Simile eſt ſi Deus aſſumeret animam vt inſtrumentum ad producendū calorem, productio non magis poſtularet animam vt ſubiectum, quàm aliud produci; licet inter calorem, & alias qualitates non vitales ſit diſcrimen, quia iſtæ à quocumque producantur, denominant ſubiectum, cui inhærent, tale, vel tale, quantum eſt de ſe, ſi ſubiectum ſit aptum denominari: verbi gratia calor denominat corpus, in quo recipitur, calidum, ſiue producatur ab igne, ſiue à ſole, ſiue à Deo ſolo, non tamen denominaret Angelum, vel animam calidam: quia eſſe calidum eſt concretum quoddam, & effectus formalis conſtans, ſeu reſultans ex ſubiecto, & qualitate materialibus, quorum alterum ſit de ſua natura receptiuum, altera receptibilis, & exigens recipi in ipſo ſibi proportionato, ideo cum extraneo non dat denominationem, neque concurrit vt pars ad effectum formalem conflatum ex duplici parte; actus verò vitales præter proportionem, quam requirunt cum ſubiecto, in quo recipiuntur, vt illud denominent, ſunt limitati ad tale in ſpecie, & exigunt produci per ſe immanenter à principio, in quo recipiuntur; ideo ab alio producti vel non per ſe immanenter, non dant denominationem, neque effectum formalem conſtituunt: verbi gratia in lapide poſiti non dant denominationem intelligentis, aut amantis, immò neque in intellectu, aut voluntate, ſi ab ipſis non eliciantur modo prædicto, ſed vt meris inſtrumentis. An autem hoc ſit poſſibile, infra tractandum eſt.

Ad confirmationem, nego ſequelam primæ partis argumenti: quia in eo caſu Angelus reciperet, & ſuſtentaret accidens per potentiam obedientialem paſſiuam: materia autem per naturalem ſuam potentiam ſuſtentat, quæ recipit accidentia; proinde dicuntur hæc contineri virtute in ipſa, quatenus ex vi agentis naturalis educi poſſunt, non præcisè ex hoc in ipſa recipiuntur: vtrumque igitur neceſſarium eſt ad hoc vt formæ dicantur contineri in materia, & quod educi poſſint vi agentis naturalis ab ipſa, vt ſubiecto proportionato, ac potentia naturali, & vt ſuſtententur in ipſa: quod non contingit, quando ſupernaturaliter producuntur virtute agentis infiniti, & ſubiectum concurrit ad ſuſtentandum per potentiam obedientialem. Ex quo patet ad alteram partem; materia enim in dato caſu concurreret per potentiam obedientialem, ideo non diceretur virtute continere gratiam, aut accidentia ſpiritualia, quæ ſuſten-

Requiſita ad hoc vt forma dicatur educi de potentia materiæ.

Digitized by Google

taret; neque dicitur continere animam rationalem, quam recipit vt formam sibi proportionatam, & perfectiuam, quam non sustentat. Sic S. Thom. de potent. q. 3. a. 8. ad arg. ait gratiam non educi de potentia materiæ, sed creari, etiamsi in subiecto creetur; quod idem habet in 1. d. 14. q. 3. etiam Ferrar. in 4. c. q. c. 57. §. considerandum; vbi expressè habet characterem, & ornatum spiritualem à se admissum educi de potentia materiæ virtute agentis supernaturalis, communicata sacramento vt instrumento, ad differentiam gratiæ, quæ tantum à Deo producitur, & creatur, cum sit qualitas omnino supernaturalis à nullo agente creato etiam instrumentaliter attingibilis, de quo tamen pluribus infra differendum est; nunc enim solum adducuntur vt exempla.

S Thom.

Ferrarien.

Character, & ornatus spiritualis educitur de potentia materiæ in sent. Ferrar.

Quartum argumentum, ex comprehensione Angeli,

V. EST, quia Angelus comprehendit suam naturam, & rerum naturalium seipso inferiorum, ergo etiam cognoscit se posse subiectare accidentia materialia, & illa producere instrumentaliter, sicut & alia omnia naturalia, quæ Deus voluerit, cui se plenissimè subijci, & cætera omnia creata clarè cognoscit, ergo si ad hæc datur potentia obedientialis passiua, & actiua identificata suæ naturæ, ad illa etiam omnia terminatur cognitio comprehensiua, quia non solum complectitur quæ sunt intrinseca rei comprehensæ; sed etiam se extendit ad extrinseca ipsi attinentia. Consequentia est falsa, quia sic cognosceret omnia possibilia naturalia, quæ sunt infinities infinita, & soli Deo cognita. Deinde quia cognosceret naturaliter supernaturalia; quod non est concedendum.

Respondeo, comprehensionem esse duplicis generis, perfectam, & perfectissimam. Prima dicit plenam cognitionem eorum, quæ sunt intrinseca rei, & extrinsecorum habentium necessariam connexionem cum illis eo modo quo connexa sunt: verbi gratia, comprehendens animam rationalem plenè cognoscit quod est substantia spiritualis, principium potentiarum, & operationum tam naturalium, quàm liberarum; sed non est necesse vt cognoscat in indiuiduo omnes operationes possibiles, aut liberas actu existentes, vel obiecta ipsarum in indiuiduo, sufficit, quod sub ratione attingibilis, verbi gratia veri, boni, &c. Secunda absorbet quicquid quouis modo pertinet ad rem comprehensam; prima conuenit Angelo; secunda soli Deo; iccirco potest seipsum comprehendere, etiamsi non cognoscat omnes terminos suæ potentiæ, tam naturalis, quàm obedientialis. Ad alteram partem

Respondeo, negando sequelam, quia supernaturalia non cognoscit Angelus virtutè naturali intuitiuè, sed tantum coniecturaliter, & negatiuè; atque adeo etiamsi termini potentiæ obedientialis possint esse naturales, modus tamen est semper supernaturalis, & sic effugiens eius comprehensionem.

Quintum Argumentum.

VI. EST, quia si ratio asserendi potentiam obedientialem vniuersalem est subiectio omnis creaturæ ad Deum, sequitur non posse fieri vllam creaturam carentem hac potentia vniuersali, quod est falsum: quia non apparet implicantia, cur aliqua sit non apta ad hoc.

Respondeo, esse implicantiam, quia ex eo quod est creatura, essentialiter est subiecta creatori in omnibus, & proinde quoad posse illi inseruire pro instrumento in omnibus, quæ non implicant: sicut ex eo quod est potentia visiua, non potest ex sua natura limitari ad vnum colorem, aut intellectus ad vnum intelligibile.

Obijciunt præterea, quia relationes etiam diuinæ essent in potētia obedientiali, sed hoc nihil obstat, quia identificantur essentiæ, quæ neque est receptiua, neque subiecta vlli virtuti principali, vtpote prima virtutum, & principalissima omnium, de quo infra in solutione octaui argumenti.

Sextum Argumentum, ex actibus vitalibus,

VII. EST, quia sequeretur, actus vitales posse produci instrumentaliter à creatura non vitali: quod est falsum. Probatur sequela: quia non est maior repugnantia in ipsis, quàm in reliquis, cum sit eadem ratio subiectionis ad Deum. Falsitas consequentis patet, tum quia sunt actuale exercitium vitæ, & proinde essentialem respectum ad illam dicunt, tanquam ad principium, à quo manant; tum quia si potest Deus vti instrumento ad illos producendos, poterit etiam se solo, atque adeo ponere actus huiusmodi in quocumque velit subiecto, & multo magis in proprijs potentijs; ponat ergo in intellectu cognitionem quandoquidem hîc est subiectum proportionatum, denominabitur intelligens, absque eo quod quicquam agat: intelligere autem inuoluit actionem, cum sit influxus vitalis potentiæ in actum. Item voluntas recipiens volitionem à Deo factam, dicetur volens, & nihil tamen operabitur: quæ sunt absurda, præter alia incommoda, quæ sequuntur ex hac positione. Quod autem Deus possit se solo, si potest cum instrumento, patet, tum ex communi axiomate, de quo supra, quod Deus potest per se solum quod potest per causam secundam: tum quia Deus continet modo eminentissimo totam virtutem potentiæ vitalis, sicut & omnium causarum principalium, & instrumentorum simul.

Respondeo, concedo sequelam cum Soar. disp. illa 31. sect. 6. in solutione 7. & 8. argumenti; tum ob rationem vniuersalem, quod Deus potest attemperare concursum suum per instrumenta creaturarum; tum ob peculiarem istorum actuum, qui si non possunt produci à Deo solo, vt putat Soar. ob id maximè est, quia cum sint vitales postulant influxum potentiæ vitalis, & sunt formaliter exercitium eius. Sed huic rationi non obstat, quod sint à principio extrinseco, simul concurrente potentia; nec aliunde apparet repugnantia huius dependentiæ

Digitized by Google

à cauſa inſtrumentali: quia ſemper adeſt influxus principij vitalis, à quo pendent eſſentialiter.

Ex quo patet ad primam partem probationis in contrarium. Ad alteram, eſt magna controuerſia inter Theologos, an Deus ſeipſo poſſit producere actus vitales, quæ eſt extranea huic loco, poſtulanti tantum ſolutionem argumenti, de eleuatione ad concurrendum inſtrumentaliter cum potentia, & Deo ad actus vitales, quam concedimus, acturi de alia inferius.

Septimum argumentum, ex infinitate potentiæ.

VIII. HÆc virtus eſſet infinita non ob id ſolum, quod ad infinitos effectus extenderetur, ſed etiam quia ad perfectiores in infinitum; æquè enim latè pateret, ac virtus agentis principalis, quæ eſt infinita, & illi inſeruire poſſet ſine limitatione ad omnes effectus poſſibiles; virtus autem actiua eo eſt perfectior, quo plures effectus perfectiores poteſt producere; proinde ſi poteſt perfectiores in infinitum, eſt actu infinita: quia habet priuationem limitationis.

Confirmatur ex S. Bonau. in 1. d. 1. a. 3. q. 1. ad vltimum docente infinitum dici dupliciter, primò per priuationem perfectionis, vt materia dicitur infinita, quia priuatur infinitis formis, quas poteſt recipere. Secundò per priuationem limitationis, vt Dei, & vltimi finis, qui nullam habet limitationem in perfectione. Et d. 35. a. 1. q. 5. ad vltimum. Infinitas per defectum eſt in creatura, per exceſſum eſt tantum in creatore. Si ergo potentia obedientialis non habet limitationem in extenſione ad effectus ſemper perfectiores, eſt infinita ſecundo modo, qui conuenit creatori.

Infinitum per priuationem perfectionis, & per priuationem limitationis.

Confirmatur ſecundò. Non poteſt dari qualitas ſupperaddita creaturæ, quæ ſit principium inſeruiens ad omnes effectus ſupernaturales: quia eſſet infinitæ perfectionis, ergo neque poteſt dari potentia in eadem vniuerſalis ob eandem rationem; Antecedens eſt certum, vt infra patebit: ſequela tenet ex paritate.

Reſpondeo primò per inſtantiam: quia idem valeret de potentia obedientiali palliua, quæ poteſt effectus in infinitum perfectiores recipere, & tamen à te non admittitur infinita. Secundò directè nego ſequelam. Ad probationem dico, ſolum concludere de virtute principali, quæ eminenter debet continere effectum, & eſſe vel nobilior, vel ſaltem æquè nobilis ac effectus; non de inſtrumentali, quæ poteſt eſſe ignobilior, & non continet effectum, niſi quatenus ſubſeruit principali.

Inſtabis, quia etiam vt inſeruit principali, habet virtutem propriam inchoatam ad omnes effectus, quibus inſeruire poteſt producendis, ergo quo illi ſunt perfectiores, eo etiam ipſa perfectior eſt: cur enim hoc valeat in potentia proxima, & non in remota, & inchoata, ſi vtraque ſuorum actuum potentia eſt?

Confirmatur, quia ſaltèm in actione locum habet ſequela: nam quo perfectior eſt effectus, eo etiam perfectior eſt actio, qua producitur, quandoquidem actio, & terminus eius proportionantur; igitur eo etiam perfectior erit virtus, à qua eſt actio, quia non minus illi proportionatur actio, quàm termino, cum verè ab illo procedat, ſicut terminus; ergo eo etiam nobilius eſt inſtrumentum, quo nobilior eſt actio, quia ab illo procedit vt habente intrinſecam vim operandi per te, licet remotam.

Reſpondeo, nego ſequelam: nam potentia hæc remota non ordinatur ex ſua natura ad actus, quos eleuata efficit, & ideo eius perfectio non attenditur ex perfectione illorum, ſed eorum tantum, propter quos inſtituta eſt, vt principium per ſe, cui debetur propterea concurſus primæ cauſæ ad productionem eorum. Quod ſi potentia iſta remota fiat proxima per coniunctionem ad ſuperiorem, iam cum illo conſtituit vnam cauſam adæquatam infinitam, ſed illa non inde accipit infinitatem vllam, ſicut neque ſupernaturalitatem, cum non mutetur intrinſecè, neque neceſſe ſit, vt habeat maiorem virtutem ad vnum effectum, quàm ad alterum; quia indifferenter ſe habet ad omnes, & ad nullum in particulari per ſe, ac primariò ordinata eſt, ſed ſecundariò, & per accidens ad omnes. Ex quo patet diſcrimen inter ipſam, & potentiam proximam, quæ per ſe primariò reſpicit actus, ad quos ordinatur: & proinde quo iſti ſunt perfectiores in ſuo genere, eo etiam perfectior eſt potentia, quæ ſpecificatur ab ipſis.

Ad confirmationem concedo aſſumptum: quia nobilitas, & perfectio actionis attenditur penes cauſam principalem, ſed nego ſecundam ſequelam, quod videlicet attendatur etiam penes inſtrumentalem; nam quamuis hæc ſit intrinſecè potens in ſuo genere; tamen hæc potentia conſiſtit in hoc vt ſeruiat agenti principali, & penes illum attendatur tota perfectio actionis, & termini: idque etiam in ſententia aduerſaria dici debet: nam Vaſq. 1. p. d. 47. c. 6. & plures negantes potentiam obedientialem actiuam negant etiam perfectiorem intellectum cum æquali lumine videre perfectius Deum: & imperfectiorem, qualis eſt hominis reſpectu Angeli, cum maiori lumine perfectius videre; quia vt D. Thom. 1. p. q. 12. a. 6. c. facultas videndi non competit intellectui creato ſecundum ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ: vnde intellectus plus participans de lumine gloriæ perfectius Deum videbit; ſicut ergo maior, vel minor perfectio viſionis non attenditur penes perfectionem intellectus, ſed luminis, quod eleuat, & principaliter concurrit, ita perfectio termini, & actionis non attenditur penes potentiam creaturæ, ſed creatoris eleuantis illam, & principaliter concurrentis ad effectus ſupernaturales. S. Thom.

Dices ergo creatura ſemper concurrit eodem modo, ſiue inſeruiat vt inſtrumentum rei naturalis, ſiue ſupernaturalis, verbi gratia aqua in productione qualitatis ſpiritualis, & materialis, ſi ad hanc etiam eleuetur contra naturam ſuam; patet ſequela, quia tota perfectio attenditur penes virtutem principalem, quæ ſemper eſt eadem per te, nimirum diuina potentia.

Reſpondeo, concurrere eodem modo dupliciter intelligi poteſt; primò vt cadit ſupra virtutem inſtrumentalem, vt ſenſus ſit, quod vbique concurrit vt inſtrumentum, & concedo ſequelam; quia ad effectus ſupra, vel contra naturam

Digitized by Google

nulla res cõcurrit vt cauſa principalis, niſi ſuperaddatur naturę. Secundò vt cadit ſupra actionẽ ipſam, & nego ſequelam: quia hæc eſt iuxta exigentiam effectus, qui ſi ſit ſpiritualis, poſcit ſpiritualiter produci, id eſt per actionem ſpiritualem; ſi materialis, per materialem; atque adeo creatura eleuabitur ad concurrendum vel ſpiritualiter, vel materialiter, vt creator voluerit, & terminus poſtulauerit; vnde & res corporea poteſt ſpiritualiter agere, & incorporea corporaliter.

Ad ſecundam confirmationem nego ſequelam: diſparitas eſt, quia illa qualitas eſſet principium connaturale operum ſupernaturalium, & proximè productiua illorum ex intrinſeca virtute illis proportionata cum ordinario concurſu Dei, vt ſunt habitus virtutum infuſarum reſpectu ſuorum actuum, & proinde ex perfectione operum in infinitum nobiliorum, in quę extenderetur, facile colligeretur infinitas perfectionis eius: non ita de potentia remota creaturæ ſe res habet: ſi quidem ex ſe eſt improportionata, & non concurrit, niſi vt eleuatur: vnde perfectio operum non attenditur penes illam, ſed penes virtutem eleuantem.

Octauum argumentum, in quo quæritur, an diuinæ relationes eleuari poſſint ad agendum extrinſecus, admiſſa potentia obedientiali vniuerſali.

IX. SEqueretur, quod etiam relationes diuinæ haberent potentiam obedientialem, & poſſent aſſumi à diuina omnipotentia ad operationes ad extra, quarum ex ſe non ſunt effectiuæ. Sequela probatur, quia hoc nullam dicit imperfectionem; falſitas conſequentis patet, quia ſic vna perſona operaretur ad extra, non operante alia.

P. Ripal. de ente ſuperm. diſp. 45. n. 59. Doctiſſimus quidam recentiorum Theologorum præſtolatur conſenſum alicuius alterius ęquè grauis, quaſi vadem animoſi aſſerti tribuentis probabiliter hoc diuinis relationibus, vt per diuinam potentiam reddantur actiuæ creaturarum: non ſecus ac creaturas reddi diximus eorum, quæ naturali virtute nequeunt producere. Ego verò ijs duobus, aut etiam tribus, ſi forte accederent, non aſſociarem me, & audenter ſequelam negarem. Primò quia potentiæ obedientialis ratio, & non ſolum vocabulum in hoc conſiſtit, vt quod aſſumitur ad operandum, compleatur virtute aſſumentis, & proinde ſit inſtrumentum cauſæ principalis dantis virtutem proximè operandi; in hoc autem inuoluitur inæqualitas cauſæ principalis complentis, & inſtrumenti indigentis compleri, vt cooperetur: quæ inæqualitas non cadit in diuinis, & ideo neque potentia obedientialis, non ſolum quoad vocem ſignificantem ſubiectionem, & dominium: ſed neque quoad rem, quæ non conſiſtit ſine inæqualitate.

Potentia obedientialis non cadit in diuinas relationes.

Secundò, Iuxta regulas cognoſcendæ repugnantiæ ſuperius traditas, ſequeretur, quod idem inuolueret affirmationem, & negationem reſpectu eiuſdem: nam omnipotentia, ac diuina virtus eſt communis tribus perſonis, ergo ſi relationes perſonarum producerent creaturas vt coniunctæ omnipotentiæ agerent per propriam virtutem, quia de ſe non ſunt actiuæ, ſed aſſumuntur, & redduntur actiuæ per virtutem, cui vniuntur, quæ eſt principalis, & agit per illas vt diſtinctas à ſe formaliter: ſic enim à te conſiderantur relationes vt res carentes completa virtute propria, & redditæ potentes aliena, id eſt cauſæ diſtinctæ aſſumentis, & vtentis illis: atque adeo agerent virtute aliena, & non aliena propria, & non propria; quia omnipotentia ita propria eſt omnium perſonarum, & relationum, vt cum illis identificetur realiter; & non propria: quia per te relationes agerent virtute aliena, cum ex ſe non ſint actiuæ.

Tertiò. Per te res de ſe non actiua, niſi vniatur agenti principali ipſum eleuanti intrinſecè inuoluit imperfectionem, & indigentiam, quæ relationibus diuinis repugnat, non ergo aſſumi poſſunt, & eleuari ad agendum per coniunctionem ad omnipotentiam. Sequela patet. Antecedens probatur, quia quæ actiua ſunt, hoc modo habent potentiam ſolum inchoatam, ac remotam, quę potius impotentia eſt, & eget eleuatione, vt fiat potens ex ſupradictis, in quo eſt defectus, & imperfectio, & ideo arcenda longè eſt à diuinis, in quibus nulla eſt imperfectio neque poſitiuè, neque negatiuè.

Dices eodem modo erit imperfectio, ſi dicatur nulla ineſſe vis actiua relationibus. Reſpondeo, nego hoc ſequi, quia relationis, vt relatio eſt, totum eſſe eſt ad aliud referre: neque aliam perfectionem vt ſic exigit, etiamſi deinde vt forma hypoſtatica conſtitueret perſonam in ſententia probabili; vt autẽ identificatur eſſentiæ, & omnipotentiæ, habet virtutem actiuam infinitam: & ita nulla deeſt ipſi perfectio; & idem eſt de attributis abſolutis, puta immenſitate, æternitate, &c. quæ vt ſic non ſunt actiua: & tamen nullam dicunt imperfectionem, ſed explicitè ſignant perfectionem infinitam in vno genere, implicitè in omni genere, quam illa inuoluit ex eo quod eſt talis infinitas, quæ ſine abſoluta, & omnimoda infinitate non conſiſtit, vt ex tractatu de diuinis attributis ſupponendum eſt in præſentia.

Relationis vt relatio eſt ad aliud referre.

Quartò. Ex abſurdis, quæ ſequerentur, probatur, non eſſe relationes diuinas remotè actiuas, & fieri proximè actiuas per vnionem ad omnipotentiam; primò enim idem dici poſſet de eſſentia, quod ea vti poſſent perſonæ ad agendum extrinſecus, ſicut & relationibus; nam neque ipſa de ſe formaliter, & proximè eſt actiua extrinſecus, ſed per potentiam formaliter diſtinctam: ſiue illa ſit intellectus, & voluntas, ſiue potentia executiua ab ijs diſtincta iuxta varias ſententias. Sequela patet à paritate; cur enim poſſint aſſumi relationes, & non eſſentia abſoluta, ſi ſufficit ad hoc diſtinctio formalis relationum ab omnipotentia, quæ eſt etiam inter omnipotentiam, & eſſentiam? Falſitas conſequentis probatur, quia in diuinis ſunt abſoluta, & relatiua; quando igitur dicitur aſſumi eſſentia ad agendum, peto quænam eſt cauſa principalis aſſumens, & complens in ratione actiui proximè, ac formaliter? Non dices aſſumi à relatione, quia relatio ex ſe non eſt actiua proximè, ſed eget ipſa eleuatione per te, à quo igitur aſſumitur? ſiquidem nulla remanet cauſa aſſumens diſtincta ab eſſentia, cuius coniunctione

essentia reddatur potens; cætera enim attributa non habent aliam virtutem vel absolutam, vel in ordine ad creaturas, nisi quam participant ab essentia, vnde non possunt reddere illam actiuam ex non actiua, per propriam virtutem illi vnitam. Deinde quod erit agens, cui conueniat denominatio assumentis, & vtentis essentia; aut quomodo illam vniet sibi, cum qua omnino identificatur? vel quomodo vtetur in ordine ad extrinseca, tanquam principale agens, siquidem nihil est in diuinis essentia ipsa principalius?

Sequeretur secundò etiam assumi posse attributa alia diuina ad agendum exterius: cur enim possint relatiua, & non absoluta? quod enim non distinguantur ab essentia, & omnipotentia, non obstat; quia neque relationes distinguntur, sed sunt vna res cum essentia: neque item obstat, quòd relationes distinguantur inter se realiter, quia talis distinctio non est necessaria ad hoc vt agant simul cum omnipotentia, cui vniuntur: nam cum exterior actio sit communis toti Trinitati, si assumatur relatio vnius tantum personæ ad agendum, verbi gratia Spiritus sancti, inter ipsum, & suam relationem, qua vtuntur omnes personæ, non est distinctio, nisi rationis ratiocinatæ, siue virtualis, vt ab alijs ponitur; & non sunt duæ entitates, quarum altera habeat locum causæ principalis, altera non principalis; & tamen per te Spiritus sanctus vteretur sua relatione, simul cum Patre, & Filio, cum quibus habet communem actionem extrinsecam.

Sequeretur tertiò, diuersam habere relationem Angelum, exempli gratia, ad Spiritum Sanctum, quam ad reliquas personas: quia pendet ab eius relatione, & non à relationibus Patris, ac Filij, si illa vtantur tres personæ ad illum creandum; & magis concurrere Spiritum Sanctum, quàm Patrem, ac Filium, quorum relationes non assumuntur ad creationem; proinde plus debere Angelum Spiritui Sancto, quàm reliquis personis; & similia, quæ sunt absurda; & alioqui augetur ex tali positione mysterij Trinitatis difficultas, quia inuehitur aliqua distinctio maior, quàm communiter admittatur à Theologis inter essentiam, ac relationes, si istis concedatur actiuitas remota, & inchoata, quæ compleatur ab omnipotentia applicata: præterquam quod non facile explicatur, quomodo fiat applicatio hæc, & coniunctio, & videri possit ex ijs quæstionibus, quibus abstinendum monet Apostolus 2. Tim. 2.

Obijcies primò, Quia non apparet implicantia, cur quod datur creaturæ titulo subiectionis ad diuinam omnipotentiam, non possit tribui Paternitati titulo coniunctionis cum omnipotentia diuina; siquidem hoc pacto extenditur sphæra diuinæ potentiæ, si possit vti etiam relatione ad actiones externas, ita vt etiam ab illa pendeant.

Secundò, Potest Paternitas exhibere concursum obiectiuum efficientem ad visionem, quin eum exhibeat Filiatio, quia potest ipsa directò videri, & immediatè, quin directè, & immediatè videatur Filiatio, ergo poterit & præstare concursum in productionem gratiæ, quin præstet Filiatio, assistente libero decreto Dei Paternitati, & non Filiationi in hac productione.

Tertiò, Potest vna relatio terminare vnionem hypostaticam, quin terminet alia, ergo etiam poterit agere.

Quartò, Si quid obstaret, maximè quia relatio diuina concurreret vt instrumentum, quod aliena virtute operatur, & arguit imperfectionem propriæ; sed hoc non obstat, quia omnipotentia realiter est intrinseca relationibus, & virtualiter solum extrinseca.

Ad primum Respondeo implicantiam patere ex dictis; quia non potest esse eleuabilitas in diuinis sine inæqualitate necessaria inter causam principalem eleuantem, & rem eleuatam: neque sine imperfectione, quam habet omnis potentia inchoata, & indigens virtute superiore, vt compleatur. Præterea inter causam eleuantem, & eleuatam non sufficit distinctio vel virtualis, vel rationis, qualis est inter omnipotentiam, & relationes; quia illa stat cum omnimoda entitate reali; eleuatio autem nequaquam; quia si vera sit, ac realis, inuoluit duas res, quarum altera non est proximè actiua, nisi virtute alterius; idem autem non est actiuum, neque eleuatiuum sui ipsius: quia sic esset actiuum virtute propria, & non propria, aliena, & non aliena; hæc enim si realia sint, requirunt distinctionem etiam realem.

Non potest in diuinis esse eleuabilitas per superiorem virtutē.

Neque valet dicere, quod hæc virtus, quæ est omnipotentia, realiter est intrinseca; virtualiter autem extrinseca, quasi in eodem sensu sit etiam propria realiter, & aliena virtualiter; quia distinctio ista etiamsi haberet fundamentum in re, tamen non est realis duarum rerum; qualis esse debet inter virtutem eleuantem realiter, & eleuatam, vt dicatur constitui ex illis vnum adæquatum principium operatiuum ad extra; cum enim sit vna indiuisibilis entitas relatio, & omnipotentia, non admittit talem eleuationem, quæ est virtutis superioris ad inferiorem; si sit realis, vel formalis realiter, & non solum eminentialis, de qua hic non loquimur. Vnde nec bene vocatur omnipotentia extrinseca virtualiter relationi, quasi idem præstet ipsam eleuando, ac si esset extrinseca, quia implicat talis eleuatio.

Ad secundum, quicquid sit de antecedente valde controuerso inter Theologos, vt suo loco videbimus, nego consequentiam. Disparitas est, quia terminatio illa, & concursus obiectiuus ad visionem, nullam dicit imperfectionem, vel indigentiam, vel inæqualitatem in diuinis; sed potius perfectionem, & omnipotentiam Dei communicantis se pluribus modis intellectui creato, & limitantis eius visionem ad tale obiectum magis, vel minus ipsi manifestatum; at verò eleuabilitas relationum inuoluit intrinsecè imperfectionem, & indigentiam, quæ repugnant diuinis, sicut & inæqualitas, ac distinctio quanta requiritur ad realem eleuationem, & ad assistentiam omnipotentiæ, vt virtutis principalis eleuantis, ac rem, quæ eleuatur, & concurrit vt minus principalis.

Eleuabilitas relationum diceret imperfectionē.

Ad tertium negatur pariter sequela, quia terminatio illa vnionis caret numeratis incommodis; & solum habet difficultatem communem omni sententiæ de distinctione relationis ab essentia; siquidem illa terminat immediatè vnionem hypostaticam, hæc nequaquam; vnde Scotus compellitur ad distinctionem formalem; alij ad virtualem; alij ad rationis ratiocinatæ; quæcumque tamen ex ijs eligatur, non est sufficiens paritas ad inferendam eleuabilitatem

Digitized by Google

Eſſe terminum vnionis hypoſtaticæ dicit perfectionẽ, eluati vt inſtrumentum dicit imperfectionem.

relationum diuinarum; diſparitas eſt, quia eſſe terminum vnionis hypoſtaticæ ſolum dicit perfectionem relationis Filij, ſeu perſonalitatis, quæ dat ſubſiſtere naturæ humanæ vnitæ, & communicat ipſi eſſe perſonale diuinum, quæ eſt ſumma perfectio; eleuari autem, & aſſumi ad cooperandum eſt perfici realiter, id eſt reddi proximè potens, quod ſupponit imperfectionem.

Ad quartum, nego Minorem; ad probationem reſpondeo implicare in terminis, quod omnipotentia ſit extrinſeca virtualiter ei, cum quo identificatur realiter, & non poteſt præſtare id quod præſtaret, ſi eſſet extrinſeca, id eſt eleuare relationes: quia iſtæ non ſunt, eleuabiles ob rationes allatas, nec poſſunt ſeruire pro inſtrumentis omnipotentiæ, cum qua identificantur realiter.

Dices, melius eſt habere potentiam inchoatam concurrendi ad omnes actiones externas, quàm non habere, ſicut abſolutè melius eſt poſſe operari extrinſecè, quàm non poſſe: igitur illud non eſt denegandum diuinis relationibus.

Reſpondeo primò per inſtantiam, quia melius eſt operari intrinſecè, quàm non operari, neque poſſe operari: & tamen hoc non tribuitur relationibus: Secundò reſpondeo directè, negando antecedens; relatio enim conſideratur vel vt relatio eſt, & ita non debet habere aliam perfectionem, quàm referendi vnam perſonam ad aliam; aut ad ſummum conſtituere referendo, iuxta diuerſas ſententias; vel vt identificatur eſſentiæ, & omnipotentiæ: atque ita non debetur ei potentia inchoata, quia de ſe eſt perfecta, & incapax vlterioris perfectionis per aliud quoquo modo diſtinctum, cum ſit ſimpliciter, & abſolutè infinita.

Nonum argumentum, in quo quæritur, an potentia hæc vniuerſalis ſit completa, vel incompleta.

X. NOn poteſt dici completa, ita vt illi reſpondeat totaliter effectus; tum quia eſſet cauſa principalis continens in ſua virtute effectum ſupernaturalem, ſicut aliæ ſecundæ cauſæ completæ operantes cum prima; tum quia de ratione potentiæ obedientialis eſt, vt nihil poſſit operari, niſi compleatur virtute diuina; & illa præciſa non mereatur nomen potentiæ, niſi cum addito diminuente, ſcilicet inchoatæ, remotæ, &c. tum quia nulla creatura poteſt eſſe cauſa completa gratiæ.

Neque rurſus dici poteſt incompleta, ita vt illi reſpondeat aliqua tantum ratio in effectu; ſicut intellectui verbi gratia reſpondet vitalitas viſionis, ſic enim eſſet cauſa principalis partialis: cauſa enim, quæ ſua innata virtute attingit effectum, vel aliquam rationem eius, principalis eſt reſpectu illius, etiamſi indigeat conſortio cauſæ ſuperioris, quia cum ipſa per ſuam virtutem influit, etiamſi non influeret ſine ipſa; non apparet autem quę ratio particularis in effectu ſupernaturali reſpondeat natiuæ virtuti creaturæ, quæ indifferenter inſeruire poſſit ad omnia, quæ Deus velit, cum quicquid in illo eſt, reſpondeat agenti principali, puta gratia, & quæcumque illius ratio reſpondet virtuti diuinæ nihilque aquæ, aut elemento non habenti cum gratia proportionem.

Deinde nulla creatura habet innatam virtutem ad omnes effectus ſupernaturales, & ſi haberet, complementum exigeret alterius cauſæ naturalis, ſaltem ad effectus ſecundum ſubſtantiam naturales, vt illos produceret, alioqui fruſtra eſſet virtus naturalis, quæ naturaliter compleri non poſſet.

Denique omnis virtus actiua rei innata, ſiue completa, ſiue incompleta inclinat in actus, quorum dicitur virtus, & potentia; quis autem dixerit quamlibet creaturam inclinari indifferenter in operationes ſupernaturales omnis generis?

Reſpondeo potentiam hanc vt ſe tenet ex parte creaturæ ſignificatæ in recto eſſe incompletam, quia completè ſumpta comprehendit etiam virtutem diuinam, vt ſupra diximus. Ad primam inſtantiam reſpondeo, quod ſolitarie accepta ſicut non poteſt quicquam operari, ita nulla ratio reſpondet illi neque vllus effectus; ſi verò ſimul cum virtute diuina, dico reſpondere illi totum effectum, ſed non totaliter: quia totus etiam reſpondet cauſæ principali, cum qua creatura vt inſtrumentum conſtituit vnum adæquatum principium, neque opus eſſe, vt illi reſpondeat aliqua ratio particularis in effectu: neque vt ſit cauſa principalis, vt eſſe poſſunt potentiæ vitales in ſententia probabili infra referenda; quia ſufficit, vt ſit inſtrumentalis, cui reſpondet etiam totus effectus, vt agenti per alienam virtutem proximam eleuantem, & ſibi ſubordinantem remotam. Sic in ſententia tribuente calori vt inſtrumento vim productiuam carnis, reſpondet illi tota ſubſtantia, ſed vt inſtrumento animæ coniuncto: neque oportet aſſignare peculiarem rationem in carne reſpondentem calori, vt calor eſt.

Totus effectus reſpondet creaturæ inſtrumento Dei, ſed non totaliter.

Ad ſecundam iam dixi omnem creaturam habere virtutem remotam ad omnes effectus ſupernaturales, ſiue hæc vocetur innata, ſiue natiua, quæ eſt quæſtio de nomine. Nego autem exigi, aut deberi illi complementum virtutis diuinæ, quia in tantum poteſt, in quantum ſubſtat diuinæ voluntati, nunes quam eſt totus vſus creaturæ, & ratio effectuum ſupernaturalium, quorum non indidit inclinationem illi, neque ordinauit ad illos; vnde nec natiua hæc virtus poſtulat compleri ab vlla virtute naturali.

Nego item potentiam iſtam eſſe fruſtra, cum ſit neceſſaria ſicut & ipſa ſubiectio creatori, etiamſi numquam reduceretur ad actum: quia ſatis eſt, vt poſſit reduci ad libitum diuinæ voluntatis; quanquam reductam ſæpius ad actum conſtat reuocanti in memoriam, quæ Deus omnipotens ab initio ſæculi vſque nunc operatur mirabilia.

Decimum argumentum

XI. EST, quia potentia vniuerſalis actiua cum ſit indifferens ad omnes effectus ſupernaturales, & intrinſecè indeterminata; debet, vt operetur, per aliquod intrinſecum determinari, & non per ſolam extrinſecam Dei adſiſtentiam, quæ non ſufficit ad formalem, aut intrinſecam

mutationem

mutationem rei, cui adsistit.

Respondeo determinari sufficienter per extrinsecam voluntatem Dei principaliter operantis, sicut in sententia probabili determinantur causæ ad effectus in indiuiduo, ad quos ex se sunt indeterminatæ.

Si instes virtutem productiuam gratię, & effectuum supernaturalium esse propriam Dei, & non posse conuenire creaturæ, nisi per aliquid superadditum intrinsecè.

Pro responsione paulò exactius tractandum est, Quomodo, & per quid compleatur potentia obedientialis actiua in completa. Sed prius soluenda

---

Noua instantia ex dependentia potentiæ huius à qualibet re singulari.

XII. VRgebis vlterius, aquæ, exempli gratia, est essentiale posse produce rem quamlibet tam naturalem, quàm supernaturalem: quæ non implicet, ergo eius possibilitas pendet à possibilitate omnium rerum in particulari, quod est absurdum. Antecedens patet, quia nihil magis essentiale rei, quàm sua entitas, potentia autem obedientialis est entitas ipsa creaturæ. Consequentia probatur, quia potentia est rei possibilis, ad impossibile enim non est potentia: ergo data impossibilitate vnius rei, vel aliquarum possibilium ex hypothesi impossibili, iam non esset potentia ad illas, & proinde non remaneret eadem potentia creaturæ, pendet igitur ab omni re possibili in particulari.

P. Arriaga putat possibilitatem lapidis pendere à possibilitate rerum omnium.

Aliqui recentiores, inter quos P. Arriaga disp. 11. Phys. n. 65. concedit sequelam, nec pro absurdo reputat possibilitatem lapidis pendere à possibilitate omnium rerum, consequenter eo ipso quod cognosceretur perfectissimè lapis, debere in eo cognosci omnes res possibiles, licet naturaliter etiam ab Angelo, non possit haberi hæc comprehensio.

Sed supposita doctrina Soarij negantis ordinem essentialem creaturæ ad effectus supernaturales, facile negari potest sequela, & verò debet, nam potentia remota creaturæ præcisè considerata non tam est potentia, quàm impotentia, & alioqui plurimæ rerum entitates sunt valde inter se disparatæ, & non habent vllam connexionem, quomodo igitur omnes ita pendeant abinuicem, vt data vnius impossibilitate corruat possibilitas omnium aliarum? ergone possibile est, quod implicante vnico granulo arenæ maris, aut vermiculo terræ, implicaret omnis creatura angelica, & supernaturalis, corporea, & naturalis, aut quod Deus non potuisset creare mundum præsentem, imo neque vnam creaturam ex omnibus, quæ infra, & supra cœlos sunt, si formica esset impossibilis. Et Soarius quidem arguitiuè colligit, non fore eumdem Deum, qui de facto est, si vna creatura implicaret, quod durum nimis visum est Patri Vasq. & alijs: at nunquam concessit, quod ex implicantia vnius creaturæ inferatur implicantia omnium aliarum possibilium, neque vlla ratio adigit ad hoc concedendum. Ad probationem igitur consequentię dico primò creaturæ potentiam obedientialem remotam non tam esse potentiam, quàm impotentiam, quia neque connexionem habet cum effectu supernaturali, neque exigentiam, sed solum aptitudinem ad eleuationem modo explicato. Deinde etiamsi esset potentia proximè, & formaliter, non sequeretur, quod data implicantia vnius creaturæ ipsa implicaret, quia potentia tam actiua, quàm passiua non respicit essentialiter quemlibet terminum in particulari, vt supponit arguens, sed in genere vt habet rationem perfectiui, aut effectus proportionati suę virtuti, verbi gratia materia non respicit omnes formas in indiuiduo, sed in vniuersum vt determinatiuas ad esse specificum, & completum, neque intellectus essentialiter respicit hanc numero intellectionem vt terminum à quo pendet, sed intellectionem in genere vt actum conuenientem suæ naturæ factæ propter intellectionem. Idem est de potentia obedientiali remota respectu effectuum, ad quos assumi potest, dato, quod esset propriè, & formaliter potentia dicens ordinem ad illos, quicquid aliqui in contrarium', pro quibus

Potentia nõ respicit per se primo terminos in particulari.

Dices, forma in genere nihil est, sed solum formæ particulares sunt aliquid; potentia autem realis non est ad nihil, ergo neque ad terminum in genere, vnde nec potentia visiua est ad coloratum in communi, sed ad nigredinem, albedinem, &c. & homo in communi nihil est, sed solum in singulari Petrus, Franciscus, &c. consequenter quocumque obiecto in particulari deficiente, non permaneret eadem potentia, quæ de facto est, quia non maneret idem respectus, quia nec idem terminus.

Respondeo, nego maiorem, prædicata enim & rationes abstractæ non sunt nihil, sed sunt ipsamet inferiora concepta sine differentijs, quæ proinde sic concepta non dicuntur omnia, neque non omnia positiuè, quia siue sint omnia, siue tantum aliqua, à quibus abstrahitur ratio conuenientię communis omnibus, non potest hæc sic concepta dici nihil, cum sit conceptus obiectiuus abstractus ab intellectu cum fundamento in re, vt suppono ex Logicis in sententia communiori Thomistarum, Scotistarum, & aliorum plurium contra Nominales recurrentes ad conceptus formales, & addistinctionem suppositionis personalis, & simplicis, non valentes intelligere in creatis rationes istas abstractas, qui tamen in diuinis agnoscere debent rationes absolutas, & relatiuas in simplicissima entitate; & in numeris rationes binarij, ternarij, paris, imparis, non adstrictas vllis particularibus existentibus, & tamen non priuatas sua realitate, de qua tam multæ fiunt demonstrationes in Arithmetica.

Instabis. Ratio colorati vt sic abstracta non esset eadem, quæ modo est, si esset impossibile coloratum particulare; ergo etiamsi potentia visiua respiceret coloratum vt sic in communi, adhuc penderet ab hoc colorato in particulari. Antecedens probatur, quia ratio colorati vt sic quæ modo est, respicit omnia colorata in particulari, cum quibus petit identificari, ergo diuersa esset, quæ respicit plura ab ea, quæ respicit pauciora, quia respectus ad inferiora variatur essentialiter pro varietate inferiorum. Consequentia probatur, quia si coloratum in communi non esset idem data impossibilitate alicuius colorati in particulari, & potentia pendet à colorato in communi: hoc variato, & potentiam variari necesse est.

Digitized by Google

Confirmatur, qui poſſe videre hanc numero albedinem eſt aliquid eſſentiale potentię viſiuę, quia non per aliquid ſuperadditũ, ſed ſeipſa habet hanc virtutem, quæ deficeret, ſi eſſet impoſſibilis hæc albedo, quia non eſt potentia impoſſibilis obiecti, & proinde deficeret in potentia aliquod prædicatum eſſentiale ipſi identificatum, quod eſt ipſam deficere?

Confirmatur ſecundò in potentijs phyſicè operatiuis tranſeunter, ignis enim exempli gratia non reſpicit calorem vt ſic in communi, quia vt ſic non eſt producibilis, potentia autem effectiua reſpicit ſuum terminum vt producibilem, ergo in particulari, & non in communi. Et potentia viſiua non reſpicit ſuum obiectum, niſi mediis actibus; nullus autem actus reſpicit colorem vt ſic, ſed vel albedinem hanc, vel hanc nigredinem, in quam tendit, & à qua eſſentialiter pendet: ergo potentiæ viſiuæ obiectum nihil eſt aliud, niſi aggregatum quoddam omnium obiectorum in particulari.

Ad inſtantiam nego antecedens: ad probationem, nego rationem colorati reſpicere omnia colorata in particulari, quia non eſt quid realiter diſtinctum ab illis: ſed ſunt ipſa colorata concepta confuſè ſine differentijs, & ideo non eſt reſpectus vllus, niſi rationis, qui non eſt ad plura, vel pauciora, ſed indeterminatè ad colorata quæcumque, & quotcumque illa ſint, quæ conuenire in illa ratione poſſunt, ſeu concipi ſine differentijs cum fundamento in re; vnde ſi vnum, vel plura eſſent impoſſibilia, adhuc eſſet fundamentum concipiendi quæ poſſibilia ſunt ſecundum eandem conuenientiam, & ratio colorati eſſet eadem, & proinde etiam eadem, quę tendit in coloratum, vt ſic, id eſt in hunc, & illum colorem indeterminatè, vt color eſt.

Deficiente aliquo particulari manere poteſt ratio communis.

Ad primam confirmationem, nego antecedens: ad probationem, terminus adæquatus potentiæ viſiuæ eſt coloratum vt ſic, reliqua in particulari ſunt ſolum obiecta, vt participant illam rationem communem, ideo illa manente, manet eadem potentia; manet autem ratio communis etiam deficiente aliquo particulari, quia non deficiunt alia conuenientia in eadem natura, & conceptibilia ſine differentijs, vt dixi.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo primò per inſtantiam: Si enim terminus potentiæ operatiuæ tranſeunter ſunt omnes effectus, ſeu aggregatum omnium effectuum, & obiectum potentiæ viſiuæ eſt aggregatũ omnium obiectorũ in particulari, ergo potentia eſt impoſſibilis. Patet, quia poſſibile eſt reduci ad actum omnes effectus, cum ſint infiniti poſſibiles, qui nunquam tamen per te poſſunt poni à parte rei omnes categoreumaticè, ſicut neque omnia obiecta viſibilia in particulari. Secundò reſpondeo directè æquiuocationem eſſe in aſſumpto: ignis enim, exempli gratia, dupliciter comparari poteſt ad calorem à ſe producibilem, primo Logicè, ſeu Metaphyſicè, vt concipitur virtus eius in abſtracto, & ſic non reſpicit calorem, niſi vt calor eſt, & proinde vt quid poſſibile, & producibile, qui eſt terminus metaphyſicus reſpondens potentiæ metaphyſicè conſideratæ. Secundò phyſicè vt hic ignis eſt in particulari, & ne ſic quidem reſpicit magis hunc numero calorem, quàm alterum, quia non ab ipſo ſolum pendet indiuiduatio caloris, ſed etiam à ſubiecto, in quo recipitur, & ex quo educitur. Ideo ſi aliquod ex ſubiectis, è quibus educitur, eſſet impoſſibile, & proinde etiam hic calor numero ab ipſo pendens, nihilominus maneret idem numero ignis, & eadem eius potentia, licet non denominaretur potentia huius caloris, non defectu alicuius intrinſeci, ſed extrinſeci, quod per accidens ſe habet ad conſtituendam rationem potentiæ formaliter: & idem eſt de obiectis particularibus potentiæ viſiuæ. Et hæc ſatis de materia ferme Logica, à qua tamen dependet quæſtio grauiſſima de rationibus præciſiuis, quas plerique Doctores pro figmentis habent, ſed in pretio ſunt apud alios, pro quibus eſt S. Auguſt. & alij ſupra citati.

An potentia obedientialis actiua ſit naturalis, vel ſupernaturalis.

CAPVT III.

XIII. VT negant hanc potentiam eſſe quid reale, etiam ex hoc capite confirmant, quod neque naturalis, neque ſupernaturalis dici poteſt: non hoc ſecundum, quia non diſtinguitur realiter ab entitate creaturarum, quæ magna ex parte ſunt naturales; neque primum, quia ponitur à te propter effectus ſupernaturales, & proinde debet eſſe ſupernaturalis, cum ad ſupernaturalia nulla ſit potentia naturalis.

Apud alios admittentes potentiam obedientialem actiuam diſſenſio eſt partim de voce, partim de re ipſa apud Soar. t. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6. in ſolutione ſecundi argumenti. P. Ripalt. diſp. 8. ſect. 1. diſp. 33. ſect. 1. & diſp. 42. ſect. 1.

Supernaturalitas poteſt multis modis concipi in creatura.

Prima ſententia vocat potentiam hanc ſupernaturalem, ſed non ob eamdem rationem, quia multipliciter ſupernaturalitas affingi poteſt creaturæ vt eleuabili ad operandum ſupra ſuas vires. Primò namque concipi poteſt conſequi ab obiecto, ſeu termino ſupernaturaliter producibili formalitas quędam in creaturam aptam verſari circa illud, ſi eleuetur virtute diuina; à qua formalitate ſit, & dicatur potentia eius ſupernaturalis, vt cenſent Albertin. Granad. & alij apud P. Ripalt. Secundò cogitari poſſunt in eadem phyſica entitate indiuiſibili duo gradus metaph. inferior, & ſuperior, quorũ alter ſit naturalis, alter ſupernaturalis, & ab hoc denominetur potẽtia ſupernaturalis, ſicut in eadẽ entitate phyſica hominis vniũtur gradus ſenſitiuus, acrationalis; à quibus duas denominationes ſortiatur homo, ſed principalem à rationali: & in eadem entitate actus vniuntur duæ rationes vitalitatis, & ſupernaturalitatis, à quibus denominatur vitalis, ac ſupernaturalis; quem modum refert, & confutat Soar. loc. cit. in ſolutione ſecundi argumenti, cui ſententiæ fauere videntur negantes hanc potentiam eſſe naturalem, inter quos Capreol. apud eumdem, qui expreſsè hoc habet de potentia paſſiua donorum ſupernaturalium quæſt. 1. prologi ad argumenta contra ſextam concluſionem; & Caiet. 1. p. q. 1. a. 1. & q. 12. a. 1. Mol. ib. diſp. 2. concl. 1. & alij, qui multo magis id negarent de potentia actiua. Capreol. Caietan. Molin.

Secunda ſententia tribuitur Scoto à Soar. ibi. quaſi aſſerat potentiam iſtam eſſe naturalem.

Scotus.

Et quidem Scotus hoc habet diſertè de potentia paſſiua q. 1. Prolog. §. ad quæſtionem igitur, & in 4. diſt. 10. q. 8. §. Vnde rationem, & diſt. 49. q. 9. & loquitur de naturali, non ſolum vt opponitur ſupernaturali, ſed etiam vt violento, & neutro. Sequuntur Scotiſtæ, vt videre eſt apud Philippum Fabrum diſp. 3. prolog. & diſp. 8. c. 2. & P. Coninch. 1. 2. diſp. 4. n. 17. & diſp. 7. n. 15. Sed Scot. loc. cit. loquitur de potentia obedientiali paſſiua, à qua non liceret quoad hoc arguere ad actiuam in eius ſententia, quia poſſe recipere dona ſupernaturalia naturæ eſt hominis: illa verò producere potentiæ eſt diuinæ; Argumento eſt quod Scotiſtæ libenter admittunt potentiam obedientialem paſſiuam: non item actiuam, vt ſupra vidimus; ideo citari non poſſunt pro ſecunda ſententia, niſi quatenus ad actus ſupernaturales, verbi gratia viſionis, & amoris beatifici, dant ſuas partes virtuti naturali potentiarum, & actum excellentiorem præſtantiori cæteris paribus ſed nos loquimur in vniuerſum de potentia actiua obedientiali, quam illi in potentiis vitalibus principalem appellant. Itaque nullum mihi legiſſe contigit, qui abſolutè potentiam obedientialem actiuam naturalibus potentijs adnumeret, & ſine addito naturalem appellet.

Faber. Iauēt. Coninch.

Tertia ſententia vocat ſimpliciter obedientialem, vt diſtinguitur obedientialis à naturali, & ſupernaturali. Eſt Soarij loc. cit. in ſolutione ſecūdi referentis alios, quibus adhæreo in ſenſu paulo poſt explicando, nam potentia obedientialis actiua iuxta dicta ſuperius multipliciter accipitur: & ideo pro diſtinctione, & declaratione ſequentes ſtatuo aſſertiones.

Prima Aſſertio.

XIV. POtentia obedientialis actiua adæquatè ſumpta vt eſt complexum ex diuina virtute, & creatura per ipſam eleuata ſimul eſt naturalis, & ſupernaturalis, ſi creatura ſit naturalis: ſi verò creatura ſit ſupernaturalis, vt eſt gratia, & dona annexa, tota potentia eſt ſupernaturalis realiter.

S. Bonau.

Pro prima parte citatur Ferrar. in 3. cont. gen. c. 51. ſed nihil ibi tale reperi; eſt tamen S. Bonau. vt manifeſtè docent eius verba, & diſcurſus; nam in 3. a. 3. q. 2. c. quærens, an cooperatio Virginis Spiritui Sancto in conceptione Filij Dei, naturalis, vel miraculoſa fuerit; *Et ideo, reſpondet; Beata Maria Virgo potentiam habuit ſupra naturam, & potentiam ſecundum naturam: & potentia ſupra naturam fuit ea in ſanctificatione collata, & vtraque erat in illa conceptionis tempore in complemento ſuæ operationis conſtituta. Et ideo operatio, ſiue cooperatio partim quodammodo fuit naturalis, & quodammodo ſupra naturam, & mox, quia hoc erat natura conſonum, vt Virgo miniſtraret humorem ſufficientem ad concepcum quantum miniſtrat ſexus muliebris, ſed quod per ſe ſola miniſtraret quantum miniſtrat mulier coniuncta viro, hoc erat ſupra naturam, & ideo admirabile. Concludendum eſt ergo, quod illa operatio non fuerit naturalis omnino, immo aliquid habuit ſupra naturam: quia hoc inter omnia mirabilia fuit mirabile præcipuum, virginalem ſcilicet vterum eſſe ſimul integrum, & fecundum.*

Ex qua doctrina habetur primò, quod ex potentia generatiua naturali, & ex potentia ſupra naturam conflatum eſt vnum principium completum operationis tam mirabilis, quàm fuit conceptio Chriſti; deinde vtramque fuiſſe neceſſariam; primam quidem, quia nihil defuit Beatæ Virgini, quod ſpectat ad veram matrem, non ſolum ſubminiſtrando materiam, ſed etiam cooperando per virtutem actiuam ad ipſam conceptionem: ſecundam verò, quia hæc virtus actiua accelerata fuit ſupra ſuum poſſe, quatenus in inſtanti materia illa reducta eſt ad actum completum, quod non poterat virtus naturalis efficere, & ideo generatiua potentia (ait q. 2. c.) *in virgine fuit excitata Spiritu ſancto, & fuit ſupra poſſe ſuum eleuata. Vnde aliquid potuit Beata Virgo, quod nunquam potuit aliqua famina, ſubdit in reſponſione ad ſecundum per potentiam ſcilicet obedientiæ, vt vocarat*, q. 1. ad argumenta.

Tertiò, quod operatio iſta ab hoc principio manans poteſt dici naturalis, & ſupernaturalis: *Dicendum*, inquit, *quod operatio ſupra naturam operationem naturalem non excludit; vnde quamuis ipſum mirabiliter conceperit, poteſt tamen propter naturalem operationem concurrentem, dici Filius naturalis, ad oſtendendam veritatem generationis.* Mirabilitas, & ſupernaturalitas attenditur penes modum operandi, vt patet ex verbis quæſtionis primæ ad arg. *Ad actum perfectum perducta fuit (virtus actiua) per virtutem ſupra naturam: & reſpectu talis modi operandi fuit ibi ſolum potentia obedientiæ.* Actiua videlicet; de hac enim loquitur, vt ſupra aduerti. Naturalitas autem attenditur non tantum penes terminum, qui fuit corpus formatum, & organizatum eiuſdem ſpeciei cum corporibus aliorum hominum, ſed etiam ex parte potentiæ generatiuæ, quæ per propriam, & innatam virtutem eleuatam concurrit; & ideo verè & propriè mater vnigeniti Fili Dei nominatur, & eſt.

Complexū potentiæ obedientialis conſtat naturali, & ſupernaturali.

Ex quibus apparet ratio ad probandam aſſertionem; nam virtus diuina eleuans creaturam, & cum ea conſtituens vnum principium operatiuum eſt ſupernaturalis: creatura verò eſt naturalis, ergo complexum ex vtraque eſt naturale, & ſupernaturale; quemadmodum homo quia conſtat anima, & corpore, eſt ſpiritualis, ac immortalis, corporeus, ac mortalis.

Luc. 3.

Confirmatur, quia Luc. 3. dicitur, Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, ſicut columba ſuper ipſum; quæ columba ſiue fuerit vera, vt Aug. lib. de agone Chriſtiano c. 22. t. 3. quem ſequitur S. Thom. 3. p. q. 39. a. 7. ſiue ſolum apparens, vt id. Auguſt. ep. 102. docens non opus fuiſſe vera informari anima: quem ſequitur S. Bonauent. in 1. diſt. 16. fin. & S. Thom. ib. q. 1. vn. a. 3. Soar. t. 1. in 3. p. diſp. 27. ſect. 2. citans alios Patres, certum eſt fuiſſe verum corpus mobile; illi ergo aggregato ex materia, & motore conueniebat denominatio corporei, & incorporei quia vtroque conſtabat. Idem eſt de Angelis aſſumentibus varias formas corporeas, ſtellæ, columnæ, hominis: verbi gratia Iob. 12. dixit Raphaël, Videbatis me manducare, ſed viſu veſtro videbatis, &c. de illa forma aſſumpta verum erat, quod ſpiritu, & corpore conſtabat: & proinde erat corporea, & ſpiritualis. Cur igitur non idem dicatur

S. Auguſt. S. Thom. S. Bonau. Soar.

Digitized by Google

de potentia obedientiali, quod ſit naturalis, & ſupernaturalis, ſi conſtat creatura naturali, & virtute ſupernaturali? aut quod ſit tota ſupernaturalis, ſi creatura ſit ſupernaturalis?

Aſſertio ſecunda.

XV. POtentia obedientialis actiua inadæquatè ſumpta, vt dicit in recto creaturam eleuabilem, non conſtituitur in eſſe potentiæ per vllam diſtinctam formalitatem, quæ det illi eſſe ſupernaturale. Eſt contra vtrumque modum relatum in prima ſententia, & probatur quoad primum, quod talis formalitas non adueniat illi ab obiecto ſupernaturali.

Primò in vniuerſum, obiectum circa quod verſatur, poteſt eſſe poſſibile aliquod naturale, à quo non poteſt prouenire formalitas ſupernaturalis; vt ſi aſſumatur creatura ad producendum effectum naturalem ab ipſa non producibilem naturaliter; quanquam enim modus producendi ſit ſupernaturalis: tamen hic non habetur pro obiecto, in quod refunditur ſupernaturalitas potentiæ; & ſi dixeris conſequi ab illo vt eſt producibile ſupernaturaliter, contra eſt, quia conſecutio iſta non dicit actionem vllam productiuam iſtius formalitatis, ſed connexionem aliquam inter obiectum, & potentiam: ſed nulla talis connexio eſt inter obiectum poſſibile ſupernaturaliter: quia nulla potentia creaturæ reſpicit vllum tale obiectum; neque vllum obiectum poſſibile ſupernaturaliter reſpicit vllam creaturam determinatam; verbi gratia aquæ potentia non reſpicit, vel connectitur cum vllo ente ſupernaturali; neque vice verſa vllum ens ſupernaturale cum illa, aut cum alia creatura, exceptis actibus vitalibus cum ſuis potentijs, ergo ab obiecto tali non conſequitur vlla formalitas ſupernaturalis.

Secundò. Omnis proprietas, & qualitas creaturæ inhærens producitur in ipſa à ſua cauſa, ergo quæcumque habet cauſam naturalem, eſt naturalis: quia nullus effectus ſupernaturalis eſt à cauſa naturali operante naturaliter: proinde nulla creatura habet potentiam ſupernaturalem; qui Deus, quia eſt cauſa ſuprema, non indidit illam rebus naturalibus vt quid diſtinctum ab entitate ipſarum; ſed retinuit apud ſe rationes vtendi illis ſupra curſum vſitatum, & ordinarium modum operandi cauſarum naturalium. Quamuis igitur ab obiecto proueniret aliqua formalitas ſupernaturalis in potentiam, propter ordinem inter ipſam: adhuc tamen deberet eſſe cauſa efficiens illius, quæ nulla eſt.

Tertiò. Creatura ex eo præcisè quod creatura eſt, ſubijcitur pleno dominio creatoris; & ipſe cum ſit omnipotens, & infinitè ſapiens, poteſt de illa facere quicquid vult, igitur non eſt neceſſaria ad hoc vlla formalitas ſupernaturalis ſupperaddita.

Confirmatur, quia rei naturali nulla debetur qualitas diuerſi ordinis à naturali, ſi ſolitariè conſideretur, & non vt iam affecta ſupernaturaliter, ergo neque vlla formalitas ſupernaturalis.

Et hæc dicta volui de formalitate accepta pro re diſtincta à ſubiecto, quod dicitur habere potentiam obedientialem, quæ eſt formalitas quædam realis: nam ſi accipiatur pro formalitate rationis, ſeu pro conceptibilitate rei ſecundum varios reſpectus rationis, per quos diximus ſupra explicari conceptum potentiæ obedientialis actiuæ, non laboro de formalitate ſupernaturali concedenda creaturæ: hæc enim nihil aliud erit res ipſa diuerſo modo cognoſcibilis in ordine ad varia connotata extrinſeca, & formalitas ſupperaddet ſolum vel ens rationis, vel denominationem extrinſecam, & poterit dici ſupernaturalis, ad differentiam ſui ipſius; vel conſideratæ in ſe abſolutè; vel in ordine ad extrinſeca naturalia, ſic aqua, exempli gratia, vt concipitur creatura ſubdita virtuti potentiori, & apta ſeruire Deo ad producendos effectus ſupernaturales, habet formalitatem, ſecundum quam diſtinguitur à ſeipſa, vt poteſt naturaliter frigefacere, & humectare; non quia tales formalitates ſint quid intrinſecum ac ipſa entitate diſtinctum, ſed quia entitas eſt fundamentum diuerſarum conceptionum penes extrinſeca, ad quæ ordinatur ex ſua natura cum poſitiua inclinatione, & exigentia: vel dirigitur à diuina voluntate, citra, aut etiam contra exigentiam naturalem. Verum in præſentia non diſſero de hac formalitate, cum quæro an potentia obedientialis ſit naturalis, vel ſupernaturalis, ſed de phyſica, & reali entitate, quæ creaturæ iuxta vel ſupra naturales perfectiones conueniat; & aſſero nullam illi formalitatem ſupernaturalem in hoc ſenſu concedendam: quia ex eo quod creatura, vt res naturalis eſt, apta eſt ſeruire creatori ſine alio ſuperaddito.

Probatio aſſertionis in ſecundo ſenſu.

QVod nimirum non poſſit eſſe ſupernaturalis ex coniunctione gradus inferioris cum ſuperiori. Primò rationibus phyſicis, deinde metaphyſicis; nam ſi quælibet creatura conſtat hoc duplici gradu, igitur quælibet eſt eſſentialiter ſupernaturalis, ſicut quodlibet animal eſſentialiter eſt ſenſitiuum. quia conſtat principio ſentiendi: atqui inauditum eſt quamlibet creaturam eſſentialiter eſſe ſupernaturalem, aut prædicatum diuerſi ordinis venire in compoſitionem eſſentiæ inferioris, aut vnum prædicatum identificatum realiter alteri eſſe ſupernaturale, & alterum naturale. Cum igitur res naturalis conſter prædicatis naturalibus, nullum habet ſupernaturale ipſis realiter identificatum in vna entitate. Deinde ſequeretur omnem cauſam naturalem eſſe principium effectus ſupernaturalis: quia quilibet effectus eſſentialiter eſt ſupernaturalis: & ſic operari vt naturam iuxta vires proprias, & ſupra naturam, quia effectus naturalis reſpondet principio, & actioni ſupernaturali. Tertiò conſequenter deberetur cuilibet cauſæ naturali concurſus ſupernaturalis, quia debetur ad proprias operationes concurſus naturalis, & ad effectus ipſarum, qui eſſentialiter conſtant gradu ſupernaturali non attingibili, niſi à concurſu proportionato, qualis eſt ſolus ſupernaturalis. XVI.

Denique daretur ordo eſſentialis, & connexio rerum omnium naturalium cum ſupernaturalibus: & proinde quando Sacramenta producunt gratiam, elementa materialia, & voces ipſæ ordinarentur ex ſua natura ad ipſam, & ad omnes alios effectus, qui per ea vt inſtrumenta produci poſſent; ex quo rurſus

Digitized by Google

ſequeretur, deberi illis concurſum ad ſupernaturaliter operandum; & quia effectus huiuſmodi poſſunt eſſe perfectiores in infinitum, potentiæ obedientialis formalitas diceret perfectionem ſuper illos omnes, & proinde exigeret concurſum in infinitum nobiliorem iuxta nobilitatem effectuum, & quod illis eſſet perfectior, atque adeo infinita, ſicut eſt infinita cauſa potens attingere effectus in infinitum perfectiores. Nec valeret tunc dicere, quod attingeret effectus virtute diuina vt inſtrumentum: quia ipſa intrinſecè, & eſſentialiter haberet virtutem ſupernaturalem propter gradum ſupernaturalem ipſi vnitum, immo realiter identificatum.

Ex ſecundo capite ſic probatur: nam gradus iſti metaphyſici ſe haberent vt contrahens, & contrahibile, ſicut ſe habent genus ſuperius, ac inferius: hoc autem eſt falſum; quia quilibet conceptus illorum inuoluit in ſe ens creatum, & proinde aptitudinem ad ſeruiendum creatori in omnibus, quæ eſt eſſentialis creaturæ cuilibet; non igitur datur gradus ſuperior præſcindens à formalitate potentiæ obedientialis.

Confirmatur, quia gradus ſuperior eſt ſupernaturalis, vel naturalis: non primum, quia ſic inferior eſſet perfectior, vt ſunt perfectiores ſpecies ſuis generibus, quæ contrahunt, ac limitant; eſt autem inconueniens dare maiorem perfectionem gradui naturali, quàm ſupernaturali; neque ſecundum, quia gradus naturalis creaturæ præſcinderet à conceptu perfectæ ſubiectionis ad Deum, ſi præſcindit à conceptu formalitatis, in qua conſiſtit ratio potentiæ obedientialis.

Si dicas, hoc non eſſe abſurdum, eo quod conceptus potentiæ obedientialis eſt ſecundarius licet eſſentialis creaturæ: & ideo bene concipi gradum naturalem inuoluentem quicquid eſt de primario conceptu, quin inuoluatur quod eſt de ſecundario conceptu, iuxta dicta ſuperius.

Differunt abſtractio, & præciſio propriè ſumptæ.

Contra eſt, quia aliud eſt abſtractio, aliud præciſio intellectus: hæc enim cadit ſuper ea etiam, quæ conuertibiliter ſe habent, & non vt ſuperius, & inferius; illa verò eſt ſolũ ſuperioris prædicati ab inferiori, quæ non ſe habent conuertibiliter, vt patet in animali, & homine: dato ergo, quod conceptus primarius, & ſecundarius eiuſdẽ rei ſint præciſiui, non tamèn oportet eſſe abſtractiuos: & ideo in propoſito dici poteſt, quod primarius conceptus rei, ac potentiæ naturalis non eſt ſecundarius eiuſdem rei, vt habet rationem potentiæ ſupernaturalis; ſed non quod abſtrahat vt quid ſuperius, quia tenet affirmatio ab illo ad ſupernaturalem; valet enim eſt potentia naturalis creata, ergo eſt etiam obedientialis, & ſupernaturalis per te ponentem formalitatem ſupernaturalem pro potentia obedientiali: propterea gradus naturalis non eſt ſuperior, cum à ſuperiori non teneat affirmatio ad inferius verbi gratia eſt animal, ergo homo.

Secundò. Probatur principaliter, quia gradus metaphyſici vniti eadẽ phyſica entitate vel ſe habent vt genus, ac differentia conſtituentes vnam eſſentiam, vt ſunt animal, & rationale: vel vt duo genera determinabilia ab vna differentia atoma; verbi gratia viuens, & animal, quæ contrahuntur à rationali; ſed neutro modo ſe habent naturalis, & ſupernaturalis gradus in creatura, ergo. Probatur Minor quoad primam partem, quia naturale cum ſit imperfectius, non poteſt eſſe differentia ſupernaturalis; hæc enim ſe habet vt forma conſtitutiua ſpeciei, & perfectiua illius: & proinde eſt nobilior ſuo perfectibili; neque vice verſa ſupernaturale poteſt eſſe differentia naturalis, quia ſic omne ens naturale contractum à differentia ſupernaturali eſſet ſupernaturale eſſentialiter, & haberet duas vltimas differentias, quarum altera daret eſſe ſpecificum naturale, altera ſupernaturale; & idem eſſet in duplici ſpecie, quod eſt abſurdum etiam in eodem odine. Quoad ſecundam partem probatio patet ex antecedente ratione: & præterea, quia ſumpta vna categoria, puta ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, hominis, Socratis, naturale eſt prædicatum tranſcendens à primo ad vltimum; & quia eſſe creatum imbibitur in omnibus; quæ ſunt in linea, potentia obedientialis illi identificata pariter imbibitur: igitur ſi eſt gradus ſupernaturalis, vel conſtituitur ex illo, ſupernaturale etiam inuoluitur in tota linea; duo autem gradus æquè patentes, ac tota linea, non ſe habent vt ſuperius, ac inferius, vt notum eſt ex Dialecticis.

Tertiò probatur, quia potentiæ obedientialis formalitas, quæ à te vocatur gradus ſupernaturalis, vel conſtituit creaturam vltimò potentem operari, ita vt non egeat vlteriori eleuatione, vt operetur; & hoc non, quia cum non ſit qualitas infuſa, ſed innata, creatura ex ſe eſſet eleuata ad operandum ſupernaturaliter, quod eſt falſum: vel eget eleuatione, & ipſa eſt in potentia obedientiali, vt eleuetur, idque non per aliam formalitatem, ne detur proceſſus in infinitum, ergo ex ſeipſa hoc habet, & non ob aliam rationem, niſi quia creatura eſt perfectè ſubiecta Dei dominio: atqui hoc habet omnis creatura, igitur & potentiam obedientialem abſque alio ſuperaddito.

Aſſertio tertia.

XVII. POtentia obedientialis actiua inadæquatè ſumpta, vt dicit in recto creaturam eleuabilem, ſecundum quid eſt naturalis; ſimpliciter autem neque naturalis eſt, neque ſupernaturalis, ſed obedientialis. Ita Soar. loco cit. Explico, & probo. Creaturarum aliæ ſunt actiuæ, vt omnes cauſæ naturales: aliæ non ſunt actiuæ, ſed neceſſariæ in aliquo genere actiuis, vt agere poſſint: verbi gratia materia, quantitas, & ſimiles. Vtriſque commune eſt, vt ſint habiles ad ſeruiendum creatori pro inſtrumentis operationum ſupernaturalium, quæ eſt potentia quædam inchoata, & remota, vt ſuppono ex dictis ſupra: & non magis aptæ ad hoc ſunt actiuæ, quàm non actiuæ: cum potentia actiua naturalis non habeat maiorem connexionem cum ſupernaturalibus, quam merè paſſiua. Potentia igitur hæc remota abſolutè, & materialiter conſiderata eſt ipſa entitas creaturæ, quæ potius meretur nomen impotentiæ negatiuæ: quia licet nihil habeat repugnans eleuationi, per quam fit poſitiuè, & proximè potens tandẽ de ſe omnino eſt impotẽs operari ſupernaturaliter, & ſolum apta eſt fieri potens: dicitur nihilominus potentia cum addito remotę:

principium operandi supernaturaliter.

eadem cum calamo, vel pennicillo est adæquatũ principium scribendi, & pingendi, quod potest dici constans parte vitali & non vitali, & vtraq; significatur in recto, vel vna in recto, & obliquo; dicitur enim manus, & calamus sunt causa scriptionis, & manus per calamum, vel calamo scribit. Ita in proposito dicitur creatura, ac virtus diuina sunt vnum principium operandi; vel virtus diuina per creaturam, verbi gratia aqua, & virtus sacramentalis causæ gratiæ, vel virtus per aquam: vnde & operatio tribuitur aquæ, cum dicitur, quod tangit corpus, & abluit animam: quia verè concurrit cum virtute principali: & ideo: cum ipsa constituit adæquatum principium operatiuum, vt pars etiam significata in recto æquè principaliter quoad significationem: non quoad operationem, cuius est merum instrumentum.

Ad confirmationem concedo, quod creatura est instrumentum supernaturale, & totam potentiam obedientialem, habita ratione instrumenti reduplicatiuè sumpti, vt dicit eleuationem esse supernaturalem; sed quia instrumentum specificatiuè est entitas naturalis, quæ inuoluitur in ratione instrumenti; ideo principium operatiuum adæquatè sumptum, seu potentia obedientialis actiua adæquata constat parte vna naturali, & altera supernaturali: & in natura rationali parte vna vitali, altera non vitali: vnde & sic considerata potest dici intrinsecè naturalis, & extrinsecè supernaturalis.

Nihil est violentum creaturæ respectu Dei. S. August.

Ad secundam confirmationem respondeo, respectu Dei nihil esse violentum in creatura; sic S. August. l. 26. cont. Faust. c. 3. *Deus creator, & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo.* Idem habet l. 6. Gen. ad lit. c. 13. de Ciuit. l. 21. c. 8. & sequitur S. Bonau. in 2. d. 36. a. 3. q. 1. & S. Th. 1. p. q. 44. a. 2. primum. & 3. cont. gen. c. 100.

S. Bonau. S. Thom.

Argumenta.

XIX. CONtra secundam assertionem. Primò potentia obedientialis per te est diuersa à naturali, & supernaturali, ergo etiam habet obiectum diuersum, & terminum, siue actum diuersum, non naturalem, quia esset potentia naturalis, ergo supernaturalem, ergo etiam ipsa est supernaturalis: quia ad actum, & obiectum supernaturale non datur potentia, nisi supernaturalis siquidem ab illis specificationem habet.

Secundò. Omnis potentia, quæ operatur supra vires naturales, est supernaturalis, sicut vice versa quæ operatur iuxta vires naturales, est naturalis; sed potentia obedientialis operatur supra vires naturales, ergo est supernaturalis. Probatur minor, quia dicitur obedientialis potentia, eo quod obediat superiori agenti eleuanti illam ad operandum supra naturam, igitur est supernaturalis.

Tertiò. Operatio proportionatur potentiæ, & hæc operationi; ergo si vna est supernaturalis, & altera est supernaturalis, vnde & actus vitales non essent supernaturales, nisi fierent à principio supernaturali.

Quartò. In particulari contra secundam partem assertionis est, quia in quolibet composito conflato ex partibus diuersi generis, est fundamentum concipiendi gradus superiores, & inferiores, iuxta varias rationes cõueniendi, & differendi ab alijs rebus; verbi gratia in homine concipi potest ratio animalis, viuentis, corporis, communis ipsi, brutis, & plantis: & ratio intellectiui, per quam differt ab ijsdem, & conuenit cum Angelis, ergo etiam in creatura vt eleuabili concipi potest gradus naturalis propter entitatem naturalem, & gradus supernaturalis propter eleuabilitatem, quæ est à virtute supernaturali, & ad effectus supernaturales.

Quintò. Omnia prædicamenta realiter distincta, conueniunt in hoc quod habent potentiam obedientialem actiuam, ergo datur vnica ratio communis illis, qui est gradus quidam genericus, non naturalis, quia nihil est naturale conueniens omnibus prædicamentis præter ens, igitur est supernaturalis: & ex alia parte quælibet res in prædicamento posita, quæ sit ordinis naturalis, habet suam entitatem naturalem, ergo & gradum naturalem: atque adeo in omni creatura erit gradus genericus omnibus prædicamentis distinctis realiter communis, qui supernaturalis est, erit & naturalis ob entitatem naturalem, per quam vna quæque res distinguitur ab alia.

Respondeo ad primum, concedendo totum argumentum, & negando vltimam sequelam: quia distinctio potentiarum penes actus, & obiecta attenditur solum in ijs, quæ de sua natura ordinantur ad illos, & exigunt naturaliter concursum primæ causę ad operandum: non de ijs, quæ de sua natura ordinantur ad illos, & exigunt naturaliter concursum primæ causæ ad operandum: non de ijs, quæ non ordinantur ex se, sed solum inseruire possunt, si eleuentur: talis est potentia remota creaturę, quę cum identificetur ipsi, non aliò tendit, quàm quo creatura: neque habet aliam speciem, quàm habeat creatura; hanc autem non sortitur ab eo quod sibi non debetur, & non habet connexionem, sed ab actu, & obiecto, ad quæ refertur vt sibi proportionata.

Distinctio potentiarum penes actus, & obiecta intelligitur de ijs quæ sua natura ordinantur ad illa.

Ad secundum distinguo maiorem, si operetur ex intrinseca virtute de se proportionata, non agente eleuatione, concedo; si non proportionata, & indigente eleuari, nego: potentia verò obedientialis creaturæ est improportionata, & indigens eleuatione, vt agat: & ideo non est supernaturalis, etiamsi agat supra vires naturales: quia non agit nisi eleuata.

Ad tertium concedo totum: quia causa operationis supernaturalis est virtus diuina: creatura autem est instrumentum, cui etiam respondet operatio; sed vt eleuato, & agenti aliena virtute, à qua est supernaturalitas per se operationis: sicut scriptio est à potentia motiua vitali, & calamo, & proportionatur vtrique, sed calamo vt instrumento directo non vitali.

Ad quartum, antecedens verum est de compositis constantibus partibus ex natura sua ordinatis ad ipsa constituenda: non de ijs, quæ concurrunt ad constituendum aggregatum per accidens ex entibus non ordinatis, vt sunt virtus diuina, & creatura. Adde, quod in hac nullum est fundamentum concipiendi gradum supernaturalem: quia tota entitas est naturalis; vel si sit supernaturalis, eodem modo se habet quoad

Digitized by Google

potentiam obedientialem, ac naturalis : quia nihil continet in ſe, ratione cuius conueniat ipſi eſſentialiter gradus ſupernaturalis potentiæ obedientialis.

Ratio communis potentiæ obedientialis eſt analoga.

Ad quintum ratio illa potentiæ obedientialis, in qua conueniunt creaturæ, eſt analogæ quia hæc potentia non diſtinguitur ab entitate creaturæ, & ſicut nihil datur commune vniuocum entibus diuerſorum prędicamentorum; ita neque ratio communis potentiæ obedientialis; propterea neque duo gradus metaphyſici concipi poſſunt in creatura, quorum alter ſit naturalis, alter ſupernaturalis; ſed omnes in re naturali ſunt naturales.

Argumenta contra tertiam aſſertionem.

XX. PRimò. Quod conuenit rei per propria, & intrinſeca principia eſt abſolutè naturale, vt S. Bonau. in 1. diſt. 8. a. 2. q. 2. Sed aptitudo, ſeu habilitas creaturæ ad inſeruiendum Deo operari ſupernaturalia conuenit illi ex proprijs, id eſt ex eo quod creatura eſt, ergo eſt naturalis abſolutè, & non ſecundum quid, ſicut creatura abſolutè eſt naturalis, & non ſecundum quid, igitur potentia obedientialis vt dicit creaturam eleuabilem non eſt naturalis ſecundum quid, ſed abſolutè, & ſimpliciter. Patet ſequela, quia hæc nihil aliud eſt quàm aptitudo prædicta, ſeu creatura vt apta eleuari ad ſeruiendum creatori.

Secundò. Inter naturale, & ſupernaturale in propoſito non datur medium, ergo potentia obedientialis, vt ſe tenet ex parte creaturæ eleuabilis, ſimpliciter eſt naturalis, vel ſupernaturalis; ſicut quia non datur medium inter ſpirituale, & materiale quodlibet ens aut eſt materiale, aut ſpirituale. Sequela patet. Antecedens probatur, quia quicquid ineſt creaturę, vel prouenit à cauſa naturali & eſt naturale; vel à cauſa ſupernaturali conferente illud ſupra exigentiam eius, & eſt ſupernaturale.

Tertiò. Quælibet creatura ordinis naturalis eſt abſolutè naturalis ſecundum omnia ſua intrinſeca, & eſſentialia, ergo non amittit naturalitatem, niſi & deperdat entitatem, at hanc non omittit ex eo quod eleuabilis eſt, aut eleuatur, ergo vt ſic abſolutè eſt naturalis.

Quartò. Poſſe ſupernaturaliter operari naturæ eſt rerum creatarum, ergo eſt naturale. Antecedens probatur ex S. Auguſt. de prædeſt. §. c. 5. Poſſe habere fidem naturæ eſt hominum, quod Soar. diſp. illa 31. ſect. 6. interpretatur de potentia actiua, & paſſiua: & idem dici poteſt de qualibet creatura, quod naturę eius eſt poſſe

S. Auguſt.

ſeruire creatori. Sequela probatur, quia quod eſt naturæ eſt naturale ſimpliciter.

Reſpondeo ad primum, diſtinguo minorem; nam aptitudo, ſeu habilitas hęc conſideratur dupliciter: nimirum materialiter, & abſolutè ſecundum id quod dicit in recto, & eſt ſimpliciter naturalis, quia eſtipſa entitas rei eleuabilis; ſecundò formaliter ſecundum connotata in obliquo, & vt habet rationem potentiæ formaliter: & hoc modo non eſt ſimpliciter, ſeu totaliter naturalis, ſed ſecundum quid reſpectu materialis, quod vt eleuabile à diuina virtute ad operandum ſupernaturaliter; ſiue vt ſubſtat conceptui eleuabilitatis, dicitur potentia obedientialis, diſtincta ratione à re abſolutè conſiderata ſolum ſecundum intrinſeca, quæ dicit in recto, verbi gratia aqua vt eſt elementum humidum, ac frigidum ſimpliciter ens naturale eſt, vt formaliter habet rationem potentiæ producendi gratiam, naturalis abſolutè non eſt, quia virtus hæc ſupra naturam eſt: neque tamen intrinſecè ſupernaturalis eſt, quia, ſecundum intrinſeca entitas rei eſt: reſtat igitur vt ſit obedientialis.

Habilitas creaturæ cõſideratur materialiter, & formaliter.

Ad ſecundum, nego antecedens: non enim opponuntur contradictoriè naturale, & ſupernaturale: ſed naturale, & non naturale negatiuè, materiale autem, & ſpirituale opponuntur contradictoriè mediatè; quia vnum habet adiunctam negationem alterius.

Naturale, & ſupernaturale non opponuntur contradictorię.

Ad tertium, admiſſo quod aſſumit argumentum, nego ſecundam ſequelam: quia licet creatura concepta vt eleuabilis non deperdat entitatem: mutat tamen conceptibilitatem per extrinſeca connotata virtutis, ac effectus ſupernaturalis, vt ſuprà.

Dices, eleuabilitatem eſſe denominationem extrinſecam, quæ non mutat conceptibilitatem.

Reſpondeo non eſſe ſolum denominationem extrinſecam à virtute extrinſeca eleuante, ſed dicere in recto rem aptam eleuari: & quia hæc aptitudo formaliter connotat extrinſecam virtutem: ideo denominatio ab ipſa mutat conceptibilitatem, & transfert rem à ſtatu merè naturali ad potentiam obedientialem.

Ad quartum, nego ſequelam: non enim quicquid conuenit naturæ humanæ eſt illi naturale, quia conueniunt illi actus virtutum ſupernaturalium, & beatitudo ſupernaturalis; ita & conuenit potentia obedientialis, quæ formaliter accepta ſecundum omnia, quæ dicit in recto, & in obliquo, diſtinguitur à naturali ſimpliciter.

Non quicquid conuenit naturæ humanæ eſt naturale.

QVÆSTIO IV.

DE VARIIS MODIS CONSTITVENDI CREATVRAM IN ACTV PRIMO, POTENTEM OPERARI SVPERNATVRALITER.

AD plenam tractationem Quæstionis qualis sit potentia obedientialis, oportet nosse modos, quibus constituitur creatura potens operari supernaturaliter. Cum enim ad rationem potentiæ requiratur vt possit exire in actum, & ad hoc opus sit diuina virtute eleuante, non potest intelligi qualis sit potentia, nisi simul intelligatur quomodo creatura eleuetur. Cum autem ex natura rei nulla sit exigentia eleuationis in creatura; sed tota pendeat ex voluntate Dei, qui potest infinitis modis etiam in hoc ostendere diuitias sapientiæ, & potentiæ suæ; tentabimus in præsentia explorare saltem vniuersim qua ratione fiat huiusmodi eleuatio, & quæremus.

Primò, An & quomodo creatura constituatur potens in actu primo operari per potentiam obedientialem.
Secundò, An possit affici qualitate non debita ad sic operandum.
Tertiò, An per decretum Dei eleuandi ipsam fiat aliqua mutatio, saltem obiectiua in creatura.
Quartò, Corollaria ex dictis de hac mutatione adiungentur.
Quintò, An creatura fieri possit causa principalis de instrumentali per potentiam obedientialem.
Sextò, An tunc talis potentia extendat se ad effectus supernaturales.
His totidem annectuntur capita ad argumenta soluenda.

AN, ET QVOMODO CONSTITVATVR IN ACTV PRIMO creatura potens operari per potentiam obedientialem.

CAPVT PRIMVM.

I. Tripliciter fieri potest eleuatio creaturæ.
II. Refertur triplex sententia.
III. Non est necessaria ad eleuationem virtus vlla fluens.
IV. Neque possibilis est vlla qualitas permanens vniuersalis ad omnes effectus.
V. Non est necessaria vlla qualitas particularis, sed tamen est possibilis, & aliquando conueniens ad eleuationem.
VI. Sufficit diuina omnipotentia applicata per voluntatem.
VII. Soluuntur argumenta contraria.

QVIA creatura de se impotens est producere supernaturales effectus, ideo eleuanda est aliquo modo, vt reddatur potens in actu primo, quod necessarium diximus, tanquam aliquid suppositum essentialiter actui secundo. Eleuatio autem (vt docet Suar. disp. illa 31. sect. 6. §. quartò hoc declaratur, sub titulo, Ostenditur instrumenta Dei non eleuari per solam subordinationem) tripliciter fieri potest: primò quando rei nullam

P. Soar. Eleuatio potest fieri tripliciter.

habenti vim agendi talem effectum aduenit, aliunde tota virtus & tunc additio eſt intrinſeca, id eſt qualitatis inhærentis, quomodo aqua fit potens calefacere per calorem extrinſecus in ſe exceptum: & tunc tota ratio agendi eſt à ſuperaddito: aqua enim de ſe non calefacit, ſed calor in illa productus, & ab ea ſuſtentatus, ideo ſine illo nullam habet vim calefaciendi. Secundò quando tota virtus agendi non aduenit rei ab extrinſeco, ſed ſolum completur partialis, & incompleta, quam habet in ſe; quomodo eleuantur intellectus, & voluntas per habitus infuſos ad eliciendos actus ſupernaturales, quos per innatam ſolam virtutem non attingunt. Tertiò quando complementum hoc virtutis non fit per aliquid receptum in re, quæ eleuatur, ſed per adiunctionem alterius cauſæ, cum qua altera operari poteſt, & ſine qua non poteſt, vt patet in duobus luminoſis, quæ ſimul vnita poſſunt illuminare tantum ſpatium, quantum non poteſt vtrumuis ſeparatim, & ad hunc tertium ſenſum reducitur quæſtio, an creatura, quæ de ſe apta eſt remotè inſeruire Deo pro inſtrumento ad effectus ſupernaturales, poſſit fieri proximè potens in actu primo per diuinam virtutem aſſiſtentem, quæ adſiſtentia non ſolum dicit intimam preſentiam Dei dantis eſſe, viuere, & operari, omnibus creaturis; ſed etiam diuinum decretum vtendi tali creatura ad tales effectus, quæ eſt veluti applicatio quædam diuinæ virtutis habentis ſe alioqui indifferenter ad operandum, vel non operandum per hoc, aliudve inſtrumentum, ita vt poſito decreto ſine vllo ſupperaddito intrinſeco creatura dicatur proximè potens cooperari, & remotè, eo remoto. Et licet eleuatio alijs modis compleri poſſit additione alicuius intrinſeci, vt infra; tamen cum in omnibus ſit neceſſarium diuinum decretum, in præſentia quæritur, an ſolum ſufficiat.

Prima ſententia negat per ſolam adſiſtentiam diuinæ omnipotentiæ virtute decreti applicatæ, creaturam de non potente fieri potentem; & vniuerſaliter requirit virtutem ſupperadditam, quæ eſt qualitas quædam intrinſecè afficiens. Eſt quorumdam Thomiſtarum illam in Sacramentis neceſſariam eſſe exiſtimantium; & proinde etiam in alijs inſtrumentis diuinis, cum ſit omnium eadem ratio. Capr. in 4. d. q. 1. a. 1. con. 3. dicentis qualitatem hanc eſſe ſpiritualem. Palud. ibid. concl. 2. facientis materialem, & aliorum apud recentiores. Vaſq. t. 2. in 3. p. diſp. 132. c. 2. Suar. diſp. cit. 31. ſect. 5. qui nituntur auctoritate Sancti Thomæ 3. p. q. 62. a. 4. c. admittentis in ſacramentis virtutem inſtrumentalem, quæ non habet eſſe permanés, ſed tranſiens ab vno in aliud, & incompletum, & hanc ad p. ait eſſe ſpiritualem in re corporea, quod etiam affirmat Ferrar. in 4. cont. gent. c. 56. §. ad p. vbi ait eſſe indiuiſibilem, totam in toto, & in totam in qualibet parte; & alij plures apud recentiores ex eo fundamento quod inſtrumentum ex ſe virtutem non habens ad producendum aliquid, debet eam ab alio accipere.

Capreol.

Secunda ſententia eſt Caiet. 3. p. pt 13. a. 2. §. ad euidentiam, & q. 62. in a. 1. & 2. aliter interpretantis D. Th. & negantis ſupperaddi qualitatem vllam Sacramentis, aut permanentem, aut fluentem; ſed ſufficere ſolum motum à principali agente, ſecundum quem eleuantur ad ſuperiorem effectum: qui motus dicitur artificioſus ob ſimilitudinem motus, ſecundum quem artifex dat virtutem inſtrumento ad effectum principalem artis à ſe intentum. Sed quia hic motus tenet ſe ex parte actus ſecundi, ante quem ſupponitur eius principium in actu primo potens, refertur hoc in aſſiſtentiam diuinæ virtutis, cui ſubordinatur omnis creatura, & defert eius imperium per ſeipſam, vel per ſuam actionem, vt fiat effectus ab illa intentus, conſentit Sot. in 4. d. 1. q. 3. a. 1. & alij quidam Thomiſtę ſuperfluam exiſtimãtes qualitatem ſuperadditam in ſenſu Capr. Ferrar. & antiquorum interpretum S. Thomæ, qui etiam diſſentiunt in explicando effectu eius: recenſet illos P. Ripal. diſp. 41. n. 9. ſed nullus iſtorum meminit potentiæ inchoatæ in creatura, quæ compleatur vniuerſaliter per aſſiſtentiam diuinæ virtutis in actu primo; quod argumento eſt ipſis ſufficere ſubordinationem creaturæ ad creatorem, vt dicatur in actu primo potens potius per non repugnantiam, quàm per poſitiuam vllam potentiam, vt P. Fonſ. 9. Met. c. 1. q. 4. ſect. 3. 4. & alij apud P. Suar. diſp. cit. 31. ſect. 5. 6. & P. Ripalt. diſp. cit. 41. n. 3 plures citantem.

Sot.

Fonſ.

Tertia ſententia eſt Suarij diſp. cit. 31. ſect. 6. §. ſoluitur argumentum tertium. Per increatam Dei omnipotentiam à voluntate eius ſpecialiter applicatam ad eleuandam creaturam, & concurrendum cum illa conſtitui in actu primo potentem ad agendum. Sequuntur recentiores, quibus arriſit opinio Soarij ſupra citati; & aduerſarijs diſplicere non deberet, qui poſſe hoc fieri in intellectu fatentur, dum lumen gloriæ, quo fit potens in actu primo ad videndum Deum clarè ſuppleri poſſe per diuinam aſſiſtentiam non diffitentur, vt paulo poſt dicam.

Suar.

Sed quidem recentiores ſtatuunt ſententiam propriam diuerſam à Suarij, dum aſſerunt potentiam obedientialem ſignificare virtutem partim intrinſecã identificatam naturæ; partim extrinſecam, quod eſt auxilium omnipotentiæ Dei eleuantis naturam; primam vocant actiuitatem conditionatam, quam fieri volũt abſolutam per extrinſecum adiutorium. In quo diſcrepant ſolum ab illo in modo loquendi: quia Suar: non vocat primam virtutem conditionatam; ſed in re non differunt: quia conditionata dicitur, eo quod non ſit connexa cum effectis ſupernaturalibus; neque ordine tranſcendentali illos reſpiciat; neque poſſit in illos niſi eleuata: hoc idem ſentit Soar. tota illa diſp. 31. & alioqui melius vocatur abſoluta, quàm conditionata: quia ſi ſolitariè ſpectetur ſine vllo reſpectu ad diuinam virtutem, eſt potentia abſolutè, ideſt non pendens à conditione vlla, cum ex eo præcisè quod creatura eſt, apta ſit inſeruire Deo, ſed quia eſt potentia cum addito remotæ, & inchoatæ, ideo ſimpliciter non tam potentia, quàm impotentia eſt: quia de ſe nihil poteſt, & ideo Suar. inchoatam appellat, & incompletam non conditionatam, quæ eſt magis propria locutio, & compleri docet ſufficienter per diuinam adſiſtentiam, vt abſolutè, & ſimpliciter potentia nominetur, quæ eſt quæſtio de re, pro qua explicanda ſit.

Caiet.

Prima Aſſertio.

11. NOn eſt neceſſaria vlla virtus fluens in creatura, neque vt conſtituatur in actu primo potens; neque vt in actu ſecundo concurrat tanquam Dei inſtrumentum ad actus ſupernaturales. Ita intelligit Caiet. S. Thomam 3. p. q. 62. cit. a. 4. qui cum dixiſſet ad ſua vſque tempora virtutem fluentem aſſertam ibi à S. Doct. & q. 6. de Potent. a. 4. & q. 27. de Verit. a. 4. 4. acceptam fuiſſe pro qualitate ſpirituali habente modum motus, & ſupperaddita motui, ſubdit: *Sed quoniam hic ſenſus non eſt intentus ab auctore, nec verus, vt nunc conabor oſtendere, ideo argumentationibus iſtorum omiſſis ad ſecundum venio ſenſum, vt ſcilicet virtus iſta nihil aliud ſit, quàm motus, quo inſtrumentum à principali agente mouetur ad proprium principalis effectum inducendum, &c.* quibus probat tum ex mente S. Th. tum abſolutè ſuam explicationem, quæ placet Sot. in 4. cit. d. 1. q. 3. a. 1. §. alteram argumentorum phalangem, neganti veniſſe in mentem Sancto Thomæ, hanc virtutem eſſe qualitatem diſtinctam inhærentem Sacramentis; & idem dici debet de alijs creaturis, quæ inſeruire poſſunt Deo pro inſtrumentis operationum ſupernaturalium, ſi à Deo aſſumantur, licet non ſint ad hoc inſtitutæ, vt ſunt elementa Sacramentorum, quod non refert pro præſenti quæſtione. Probatur ergo primò auctoritate S. Thomæ cit. a. 4. primum. *Nihil*, inquit, *prohibet in corpore eſſe virtutem ſpiritualem inſtrumentaliter, & inquantum corpus poteſt moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum, ſicut & in ipſa voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum hominis inquantum procedit à conceptione mentis: & hoc modo vis ſpiritualis eſt in Sacramentis, inquantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem, &c.* In voce autem non eſt vlla vis fluens ab ipſa diſtincta, ſed ſimplex prolatio, vt procedit à mente per ſe vim habet excitandi intellectum. Et quamquam in exemplis non requiritur paritas in omnibus; in eo tamen ſi proferantur aptè, neceſſaria eſt, pro quo explicando afferuntur. Hic autem S. Thom. adducit exemplum vocis, ad explicandam vim Sacramentorum, qualis nam illa ſit, & in quo conſiſtat, & ſimilitudinem in hoc ponit, quod ſicut vox habet vim excitandi non per aliquid ſuperadditum ſibi, ſed per ſeipſam, vt procedit à conceptione mentis; ita vis eſt in Sacramentis, vt ordinatis à Deo ad effectum ſpiritualem, quæ ſimilitudo manca, & inepta eſſet, ſi quid adderetur Sacramentis intrinſecum, quod vim conferret, & hoc idem dici poteſt de alijs diuinis inſtrumentis. Quod confirmatur, quia art. primo eiuſdem quæſtionis 62. cit. de cauſa inſtrumentali in vniuerſum ait. *Cauſa vero inſtrumentalis non agit per virtutem ſuæ formæ, ſed ſolum per motum, quo mouetur à principali agente, &c.* non quia ipſa in ſe non ſit apta agere, ſed quia niſi cõpleatur aptitudo à principali cauſa, nihil prorſus attingere poteſt effectus vltimati ab ipſo intenti; vt patet in calamo, qui de ſe impotens eſt formare characteres, ſed directus à manu format actiuè concurrendo, & ſeruiendo manui; vnde & S. Thom. ait, quod agit inſtrumentum, licet non per motum ſuæ formæ, & proinde habet aptitudinem in ſeipſo, ſed adeo remotam, vt niſi eleuetur à principali agente, prorſus ſit otioſum; & idem eſt de inſtrumentis naturæ comparatis ad effectum ſuperiorem, verbi gratia caloris ad generationem ſanguinis, cui omnino impar eſt ſeiunctus ab anima. Confirmatur, quia eadem q. 62. a. 4. tertium, virtus dupliciter datur inſtrumento, ſcilicet inchoatiuè, quando inſtituitur, & completè quando mouetur à principali agente; quod idem habet q. 72. a. 3. 2. & in 4. d. 1. q. 1. a. 4. q. 2. 2. Sed in inſtitutione nihil accipit intrinſecum, ſed tantum extrinſecè ordinatur; & tamen per hanc ordinationem fit elementum materia Sacramenti, & proximè potens producere gratiam adſiſtente ipſi diuina potentia per ordinationem, ſeu decretum applicata; quod non habent reliqua elementa non ordinata adhunc finem.

Caiet. negat virtutem fluentem, &c.

S Thom.

In voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitandum intellectum.

In re igitur inter ipſos Thomiſtas controuerſa, ſatis eſſe poteſt Caietani interpretatio ad aſſenſum, ſi demque aſſertioni conciliandam à S. Doctoris auctoritate, cuius alibi dicta cedere par eſt aſſertis in ſumma ipſis Thomiſtis volentibus, & palmam in dubiorum interpretatione Caietano ſponte dantibus.

De S. Bonau. luce clarius manifeſtum eſt, minime illum ſtare pro virtute hac fluente; nam in 4. ſent. d. 1. a. 1. q. 4. *Difficile*, inquit, *eſt intelligere, qualiter alia virtus detur, ſicut qualitas abſoluta; difficilius, quando detur. Difficile etiam eſt intelligere, cui detur, verbo ſcilicet, an elemento, quæ ſunt duo nihil vnum facientia. Difficile etiam eſt ſcire, quamdiu duret. Difficile ſimiliter eſt valde intelligere, quomodo influat. Difficile etiam cuius naturæ ſit in ſeipſa.* Et ideo ſequitur opinionem faciliorem magis conformem rationi, & non diſformem pietati, quod Sacramenta ſint cauſa gratiæ extenſo nomine cauſæ, & virtutis ad ordinationem efficacem dandi, & ſuſcipiendi gratiam, ſi ritè obeantur, de quo infra ſuo loco agetur. Conuenit ergo inter S. Bonauenturam, & Caietanum, quod vterque negat ſuperaddi Sacramentis, & proinde etiam reliquis diuinis inſtrumentis qualitatem vllam, quæ ſit ipſorum virtus, quod præſens intendit aſſertio; licet in aſſignanda virtute iſta, & cauſalitate non conueniat, quæ eſt diſtincta quæſtio.

Secundò probatur ratione; nam iſta qualitas vel requiritur, vt creatura proximè fiat potens operari, vel vt actu operetur; non hoc ſecundum vt infra probabo; neque primum, de quo eſt præſens diſputatio; quia ſi creatura non habet vllam aptitudinem ad agendum, neque cum qualitate dicetur agere, ſed tantum qualitatem actiuam recipere; ſicut aqua non dicitur calefacere, ſed ſolum ſuſtentare calorem ab igne receptum; etiamſi vulgariter dicatur calefacere, quæ eſt denominatio materialis; non autem actio ab aqua promanans formaliter loquendo; & Sancti Patres tribuunt cauſalitatem Sacramentis, id eſt materiæ, & formæ ipſorum eleuatis virtute diuina, ita vt hæc principaliter agat; illa verò inſtrumentaliter: & proinde vim inſtrumentalem habere debent: quæ eſt potentia remota obedientialis; alioqui non ageret, ſi non haberent hanc potentiam agendi ſimul cum agente principali, & loquor in ſententia probabili. S. Thomæ, & Soarij, quod de facto concurrant phyſicè ad gratiam producendam, & in

Digitized by Google

probabiliori etiã, quod de poſſibili nulla ſit repugnantia; ſicut ergo intellectus videndo Deum clarè influit in viſionem per virtutem innatam, ſed eleuatam; ita cætera inſtrumenta, quæ agere dicuntur inſtrumentaliter, efficiunt opus per potentiam innatam, ſed eleuatam, ita vt non ſe habeant merè paſſiuè, ſed actiuè; quod fieri non poteſt, niſi habeant in ſe potentiam agendi, & non ſolum recipiendi principium actiuum, id eſt qualitatem; ſic enim ſerra, exempli gratia, eſt apta per duritiem, acumen, dentes, ad ſcindendum, & hæc ſupponuntur ab arte vtente ipſa.

1 Inſtrumenta etiam operãtur per virtutem innatã, ſed eleuatã.

Dices, eſto ſit hæc aptitudo, & potentia remota in creatura, ſicut eſt potentia intelligendi in intellectu, ſed opus eſt qualitate aliqua, vt compleatur, & fiat intrinſecè potens.

Contrà eſt altera ratio, quia ad complendum adæquatum principium ex duabus cauſis conſtans, ſufficit ambarum vnio, ſi neutra ſeparatim poſſit effectum producere, quem poteſt cum alia, vt conſtat inductione ſupra allata per varia cauſarum genera: igitur vt creatura conſtituat cum Deo vnum principium effectiuum, ſufficit vnio cum ipſo ad hunc finem, ſeu applicatio diuinæ potentiæ per decretum: quandoquidem illa dare poteſt quicquid daret qualitas, quod attinet ad eſſe proximum principium agenti.

Neque valet dicere, quod non ſufficit ad hoc extrinſeca adſiſtentia, ſed requiritur mutatio intrinſeca creaturæ, vt fiat formaliter potens, quia hoc falſum eſt in cæteris inſtrumentis; & vniuerſaliter in omnibus cauſis, quæ ſimul operari poſſunt, non autem ſeparatim, ſatis eſt vnio virtutum ad dandam denominationem potentis, quia virtus vnita fortior, etiam ſine vllo ſuperaddito in virtus: quę denominatio partim eſt intrinſeca, quia quælibet cauſa incompletè poteſt; partim extrinſeca, quia completur per conſortium alterius, vel mutuo, ſi vtraque ſit impotens per ſe, vel ex parte vnius ſi altera tantum, vt contingit in omnibus ſecundis, quæ pendent à prima, & non vice verſa. Idque ex eo confirmatur, quia in ipſo vſu inſtrumenti, tam artificialis quàm naturalis, ſeu in ipſa operatione, nihil requiritur quod reſpondeat vlli qualitati ſuperadditæ; ſed ſufficit directio ipſa artis, quæ eſt ipſa operatio artificis, vel naturæ, ergo fruſtra adſciſcitur iſta virtus, ſeu qualitas diſtincta. Antecedens patet conſideranti motum, ſeu operationem, vel ſimpliciter vt eſt à potentia motiua, & operatiua; vel vt ſtat ſub directione, & intentione agentis principalis: verbi gratia ſonus cytharæ, vt eſt ſimplex motus digitorum, vel vt harmonicus, & artificioſè factus, qualis non eſt per vllam qualitatem ſuperadditam, ſed ſeipſo vt procedit ab arte, & vocatur à Caiet. loco cit. motus virtuoſus, igitur in inſtrumentis diuinis ſatis erit actio vt directa à Deo ad producendum effectum ſupernaturalem, & illi vt ſic directæ reſpondebit effectus totus, & totaliter, abſque eo quod ponatur aliud principium effectiuum intrinſecum.

Tertiò. Principaliter, quia iſta qualitas inuehitur à ſuis patronis, non vt producat gratiam in Sacramentis, quia ſecundum illos gratia creatur, & creationis non datur inſtrumentum; ſed vt producat characterem vbi datur, aut ornatum quemdam ſpiritualem in anima tanquam diſpoſitionem ad gratiam ſanctificantem, ergo in alijs effectis miraculoſis extra ſanctificationem iſta qualitas erit immediata cauſa per ſuam virtutem propriam, & non eleuatam, quia ipſa non eleuatur, ſed eleuat; conſequenter erit cauſa principalis; quia cauſa agens per virtutem propriam non eleuatam non eſt inſtrumentalis: de huius enim ratione eſt vt eleuetur ad agendum: quod igitur erit inſtrumentum producendi, & ornatus à te commenti, & aliorum effectuum ſupernaturalium, ſi qualitas iſta non eſt, eo quod agat non eleuata? in Sacramentis autem per te admittendus eſt concurſus inſtrumentalis: quę ſi rurſus aſſeras eſſe inſtrumenta apta concurrere per qualitatem ſuperadditam, peto, eſt ne duplex concurſus qualitatis huius, & Sacramenti, puta aquæ; an vnus tantum qualitatis, ſicut eſt caloris in aqua? ſi primum, ergo qualitas addita ſolum complet potentiam remotam, & eleuat illam, igitur in aqua iam præerat potentia, quæ completur, quod nos intendimus; ſi ſecundum, igitur aqua nihil efficit, ſed denominatur tantum quaſi materialiter agere, quia ſuſtentat virtutem illam. At Patres, quorum te mouet auctoritas ad aſſerendam virtutem iſtam, tribuunt actionem, aquæ, & Sacramentis: ſatius ergo fuerit, vim remotam illis tribuere, quæ fiat proxima per diuinum decretum applicans ſuam potentiam elemento, & eleuans ad operationem ſupernaturalem, quod paulo poſt patebit euidentius.

Dices neceſſariam eſſe qualitatem fluentem ob vniuerſalem, & eſſentialem dependentiam omnium cauſarum, tam principalium, quàm inſtrumentalium à prima, à qua debent applicari ad agendum.

Reſpondeo, hanc eſſe diuerſam quæſtionem ab ea, quã tracto; aliud eſt enim quærere, an omnis cauſa ſecunda egeat applicatione, & præuia motione primæ ad hoc vt actu operetur: aliud an præterea vt ſit potens agere indigeat qualitate intrinſeca, quæ ſit principium operandi. De primo non diſputo in præſentia, ſed de ſecundo, & nego eſſe neceſſariam talem qualitatem, vt reddat formaliter potentem creaturam, etiamſi de cætero requireretur, vt applicaret; nam applicatio ad agendum non dat vim agendi, niſi illa ſit in re, quæ applicatur; vel aliunde aduenit; loquendo præcisè de applicatione vt ſic; communiter enim applicantes actiua paſſiuis, non dicuntur dare vim actiuis, ſed ſupponere in illis, vt patet in applicante ignem ligno: & eadem ratio eſt de prima cauſa, quoad hoc etiamſi neceſſaria eſſet eius applicatio diſtincta ab operatione creaturæ, & prior natura illa, quod non credo.

Applicatio ad agendum non dat vim agendi, ſed ſupponit.

Aſſertio ſecunda.

III. NEque item poſſibilis eſt qualitas vlla vniuerſalis ad omnes effectus permanenter creaturæ ſuperaddita, vt conſtituatur in actu primo cauſa principalis proximè potens operari ſupernaturaliter. Probatur ex S. Thom. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. *Impoſſibile*, inquit, *eſt, quod principium operandi miracula ſit aliqua qualitas habitua liter manens in anima*; Et loquitur de potentia abſoluta, vt indicat ratio, quod diuina omnipotentia nulli creaturæ poteſt communicari, de qua infra; & conſet Soar. diſp. illa 31. ſect. 6. §. vera ergo ratio, contra interpretantes de ordinaria.

S. Thom.

Digitized by Google

dinaria. Probant aliqui ex eo quod ſi vnus effectus poteſt fieri ſine qualitate intrinſeca, poſſunt & omnes: cum eodem modo natura conſtituatur potens reſpectu vnius, & cæterorum. Quod autem vnus fieri poſſit abſque qualitate intrinſeca, oſtendere ſe putant ex vnione hypoſtatica, reſpectu cuius nulla datur qualitas, cui debitus ſit concurſus, & efficientia, cum propter ſuam excellentiam ſit ſupra omne debitum creaturæ; debetur autem concurſus omni qualitati, quæ ex ſe eſſet principium connaturale effectus ſupernaturalis. Sed cur excellentia vnionis repugnat cum qualitate exigente concurſum ſibi proportionatum? ſicut enim nulla eſt exigentia intellectus ſecundùm ſe conſiderati ad viſionem gloriæ; poſito autem lumine conſurgit exigentia, ita poſita qualitate intrinſeca, conſurget debitum vnionis, quæ alioqui eſt ſupra omne debitum creaturæ; ſi enim facta promiſſione vnionis oritur debitum morale eius, poteſt & oriri poſita tali qualitate intrinſeca; vel ſi ſecus, aſſignetur implicantia; dicere enim, quòd propter excellentiam ſupremam eſt ſupra omne debitum, eſt dicere idem per idem; nam peto cur tali qualitati non debeatur concurſus, & efficientia; & reſpondes, quia eſt ſupra omne debitum creaturæ, quod idem ſignificat ac non deberi, ſicut ſi quærenti, cur homo non poſſit volare reſpondeas, quia eſt ſupra potentiam eius; hoc eſt non poteſt, quia non poteſt. Deinde etiamſi hæc ratio valeret, non vniuerſaliter probaret non poſſe dari, aut non opus eſſe qualitate intrinſeca abſolutè, & vniuerſaliter loquendo; quia ſi propter ſupremam excellentiam vnionis hypoſtaticæ non eſt poſſibilis qualitas, cui vt principio connaturali debeatur efficientia illius, vbi non eſt ſuprema excellentia, non erit hæc impoſſibilitas; atque ita ad alios effectus ſupernaturales poſſet dari intrinſeca qualitas. Minus etiam efficaciter inde probatur, quòd natura cum iſta qualitate non eſt vera, & propria cauſa formarum ſupernaturalium, ſed bene ſine illa per potentiam obedientialem eleuata, vt patet in humanitate Chriſti Domini, & Sacramentis; ſicut aër non eſt verè cauſa illuminans, licet ſuſtentet lucem; neque aqua eſt cauſa caloris, quamuis ſuſtentet calorem; quia ſublata natura eodem modo perſeueraret actio qualitatis iſtius, ac ea realiter exiſtente, ſicut ſublata ſubſtantia panis remanent accidentia, & eorum actio in Euchariſtia: igitur natura eſt ſolùm cauſa per accidens, & denominatiuè; ſiquidè cauſa per ſe non eſt, qua ſublata manet actio.

Hoc argumentum valeret ad hominem adſcribentem totam rationem agendi qualitati ſuperadditæ, non abſolutè, ſi qualitas hæc diceretur eleuare naturam, & ſimul cum illa agere; ſicut enim habitus infuſi eleuant potentias vitales, & ſimul cum illis operantur; ita diceret aduerſarius, qualitas illa intrinſeca eleuaret creaturam, & ſimul cum illa immediatè ageret; tunc enim non ſolùm ſuſtētaret creatura qualitatem, vt aqua ſuſtentat calorem; ſed immediatè cooperaretur, & dato quòd ſuſtentata, ſine ſubiecto ageret; non tamen per eamdem actionem diceretur agere; quia diuerſa eſt actio procedens à duobus agentibus ab illa, quæ ſolùm ab vno procedebat; ſicut diuerſa eſt actio, qua Deus producit gratiam ſolus, & qua ſimul cum Sacramentis; ideo negaret aſſertor qualitatis intrinſecæ eleuantis creaturam eſſe cauſam per accidens, & ſolùm denominatiuè.

Probo igitur ratione S. Thom. loc. cit. non eſſe poſſibilem qualitatem vniuerſalem ad omnes effectus ſupernaturales, quia diuinæ omnipotentiæ propria eſt talis virtus, nulli autem creaturæ communicabilis eſt omnipotentia diuina, intellige, ita vt per illam reddatur formaliter omnipotens, quia eſt ſupra totum naturæ creatæ ordinem, tam quoad eſſe, quàm quoad operari, & proinde infinita, ac incommunicabilis. Quòd eſſet infinita patet, quia ſe extenderet ad effectus infinitè perfectiores quoad modum, & intenſionem, quia & ad omnia, quæ non implicant. Quòd eſſet incommunicabilis probatur tum ex eo quòd Chriſto Domino communicata non eſt talis qualitas; fuiſſet autem conueniens communicari, vt pluribus docet Soar. diſp. illa 31. ſect. 6. §. Hic ergo; tum ex eo quòd nullum ſubiectum capax eſt virtutis ſuperantis totum creatum ordinem.

Virtus ad omnes effectus ſupernaturales propria eſt diuinæ omnipotentiæ.

P. Soar.

Secundò vt Soar. ibid. ſect. 4. §. Dico ergo, hæc qualitas non poſſet eſſe principium creationis, quæ requirit infinitam virtutem ex S. Th. 1. p. q. 45. a. 5. & S. Bonau. in 2. d. 1. a. 4. q. 1. neque etiam miraculoſæ tranſmutationis rei iam exiſtentis, quia non fit ſecundum naturalem capacitatem ſubiecti: ac proinde neque ex connaturali virtute formæ creatæ, vt S. Th. 1. p. q. 115. a. 4. Sed ſolum per obedientialem potentiam ad creatorem, qui eſt dominus totius naturæ; igitur quoad hæc non eſſet illa qualitas vniuerſalis; neque quoad alia, quæ infinitis modis fieri poſſunt in omni genere, & ordine rerum credibile eſt eſſe poſſibilem. Quis enim ſibi perſuadeat inferi poſſe qualitatem igni, vel aquæ, aut alteri rei creatæ materiali, vel ſpirituali, per quam fiat principium connaturale productionis aliarum cuiuſque generis qualitatum, tam materialium, quàm ſpiritualium, tam ſupernaturalium, quàm naturalium, ſiue illæ ſymbolæ ſint, & congenææ, ſiue diſſymbolæ, & contrariæ; ſiue in corporibus, ſiue in ſpiritibus; ſiue in propinquo, ſiue in diſtanti loco; ſiue ſucceſſiuè, ſiue ſimul producantur. Hæc, & ſimilia indicant dominium, & poteſtatem ſupra omnes creaturæ leges, quod Dei proprium eſt, & non communicabile creaturæ: quia ex ſuppoſitione eſſet creatura, & per communicationem hanc eſſet ſupra creaturam; & non loquimur de communione idiomatum per vnionem hypoſtaticam, qua non confunduntur naturæ, ſed per formalem impreſſionem qualitatis, qua natura euheheretur ſupra eſſe, & ordinem creaturæ per dominium proprium creatoris, quæ eſt manifeſta implicantia, non minus quàm ſi diceretur corpus imbui qualitate euehente illud ſupra eſſe corporis.

S. Thom. S. Bonau.

Dices, qualitas illa euheret ſupra eſſe creaturæ quoad poteſtatem operandi, non quoad eſſe ſpecificum, quod manet integrum, poſito quocumque ſuperaddito illi non debito.

Contrà, quia tam qualitas, quàm ſubiectum, cui additur, eſt creatura, & totum complexum pariter eſt creatura quoad eſſe, igitur & quoad operari, ſeu eſſe principium operandi: & ex alia parte eſſet ſupra creaturam in ratione principij operatiui: quia tranſcenderet omnes

creaturæ leges, & modos, si haberet vim effectiuam, non solum supra, sed etiam contra totam naturam, comprehendo omnem ordinem rerum, vt suprà.

Tertiò probatur, quia huiusmodi qualitas vel esset causa principalis, vel instrumentalis; neutrum dici potest, & medium non datur. Minor quoad primam partem patet ex dictis, & ex eo quod plures sunt actiones miraculosæ substantiales, quarum non potest forma accidentalis esse principium connaturale exigens concursum Dei ad illas vt sunt transmutationes rerum, puta aquæ in vinum, vt in nuptijs Canæ, vini in sanguinem, & similium; cur enim sit connaturale principium transmutandi aquam, si est vini, aut ignis in aquam, si est aquæ in ignem, aut si est illuminatiua cæci, & suscitatiua mortui, cur dicatur etiam excæcatiua videntis, aut occisiua viuentis? ac similia. Deinde si potest accidens esse principium connaturale substantialis actionis in omni genere, & ordine rerum, cur non poterit etiam dari aliqua substantia eiusdem virtutis? hoc autem est inconueniens, quia ex illuminatione cæcorum, & suscitatione mortuorum non colligeretur diuinitas illuminantis, & suscitantis: siquidem creatura posset esse causa principalis. Christus autem Dominus ex huiusmodi miraculis probauit suam diuinitatem, quia Pater in illo manens faciebat opera.

Probatur deinde eadem minor quoad secundam partem, quia si dicta qualitas esset merum instrumentum, non posset supernaturaliter operari, nisi virtute principalis agentis eleuata, & perinde se haberet ac si non infunderetur creaturæ, ergo non redderet illam potentem operari in actu primo, quod eius esse munus supponebatur. Præterea si esset instrumentum proportionatum effectibus tam multis producendis, deberet habere aliquam propriam actionem non excedentem virtutem suam; quamuis enim vna, & eadem actio possit esse instrumenti, & agentis principalis; tamen si illud sit proportionatum, & connexum ex sua natura cum effectibus, illa actio debet esse illi proportionata, & non solum causæ principali; qualitas autem nulla potest illam habere ex doctrina S. Thom. 1. p. q. 45. a. 5. & patet, quia quoad hoc obstant eædem difficultates, ac si esset causa principalis infinitæ virtutis, vt supra. Dixi autem in assertione, qualitas vniuersalis, &c. nam si sermo sit de qualitate particulari, id est determinata ad aliquem effectum particularem, sit

S. Thom.

Assertio tertia.

IV. QVamuis non sit necessaria vlla qualitas supernaturalis, per quam creatura fiat potens cooperari Deo ad supernaturales operationes, tamen non est denegandum diuinæ potentiæ, quin per aliquid superadditum creaturam disponere possit, & eleuare adhuiusmodi operationes. Est plurium, quos citat, & sequitur P. Ripalt. disp. 41. sectione 2. Explicatur, & probatur, nam qualitas ista considerari potest vt causa partialis ex sua natura exigens diuinum concursum, & concurrens ipsa tanquam principium proportionatum effectibus supernaturalibus, sicut de facto est lumen gloriæ respectu visionis, & habitus infusi respectu suorum actuum, propter quos infunduntur; quo casu Deus concursu ordinario in genere prouidentiæ supernaturalis produceret effectus illos, sicut in genere prouidentiæ naturalis concurrit ad producendos naturales. Vel secundò considerari posset illa qualitas non vt principium effectiuum, & proportionatum vltimo effectui, sed solum vt disponens creaturam ad concurrendum per potentiam obedientialem, magis connaturaliter, quàm sine illa per concursum Dei ordinarium, & non debitum, sicut in dispositione ad gratiam, quæ fieri potest paulatim per varios actus fidei, timoris, spei, &c. Qui disponunt remotè ad vltimum; vel immediatè per actum perfectæ contritionis, vt in Dauid stetit erumpente in illud, Peccaui Domino, 2. Reg. 12. Vtroque modo igitur possibilis est qualitas eleuatiua creaturæ, sed de primo est potior, & præsens difficultas, siue deinde vocetur talis qualitas virtus instrumentalis, siue principalis, siue vtramque denominationem habeat iuxta varios respectus, quod probabilius puto iuxta dicenda inferius de requisitis ad rationem istarum causarum: interim probatur assertio, quia si loquamur de potentia ad aliquos effectus determinatos, expressè docet S. Bonau. in 3. d. 4. a. 1. q. 2. Potentiam supernaturalem generatiuæ naturalis eleuatiuam concessam esse Beatæ Virgini in sanctificatione, & vtramque in conceptione verbi adfuisse, vt supra vidimus, igitur poterit dari similis qualitas ad alios effectus supernaturales, est enim eadem ratio, omnipotentia scilicet creatoris. In sententia ejusdem in eodem 3. d. 13. & 14. datur lumen gloriæ, quod eleuat intellectum, & est principium partiale visionis cum illo; quæ est communis & certa sententia Theologorum. Item dantur habitus virtutum infusarum Theologalium, & moralium effectiuè concurrentes ad actus supernaturales, igitur dari potest qualitas ad alia supernaturalia concurrens, quæ aliunde non implicant; quæ paritas concludit de qualitate saltem ad determinatos effectus concurrente.

P. Ripalt.

Fauet auctoritas antiquorum Thomistarum, qui ad vsque tempora Caietani virtutem requisitam à sancto Doctore in Sacramentis intrinsecè superadditam interpretabantur; licet deinde dissentiant quoad partialem, & immediatam actionem creaturæ eleuatæ, quam plerique eorum agnoscentes totam rationem operandi à virtute hac superaddita, non-secus ac tota virtus calefaciendi aquæ est à calore; & discrepant in eo quod aliqui qualitatem istam materialem esse dicerent, vt Palud. & Her. alji communiter spiritualem, de quo in præsentia non laboro: quia non disputo de eleuatione Sacramentorum, sed de eleuatione creaturæ in vniuersum; & cum assero fieri posse per qualitatem particularem, de spirituali intelligo, dicturus infrà, an etiam per materialem. Potissima ratio assertionis est, quia in hoc nulla apparet repugnantia, vt ex regulis supra traditis, secundum doctrinam S. Bonau. & S. Thom. hîc applicatis patere potest: numquam enim ostenditur affirmatio, & negatio simul de eodem consequens ex hac propositione, possibilis est qualitas supernaturalis in creatura eleuans ipsam ad effectus supernaturales.

Non apparet repugnantia cur creatura eleuari non possit per qualit. superaddita.

Confirmatur, quia dotes corporis glorioſi sunt

Digitized by Google

Dotes corporis glorioſi eleuant ad operationes ſupra naturã.

qualitates ſuperadditæ potentijs; immo ipſi potenti, & eleuant ad operationes ſupra naturam, verbi gratia agilitas ad motum iuxta Spiritus imperium, vt Sancti Bonauentura in quart. d. 49. cum reliquis Scholaſticis, præſertim D. Thom. ergo poſſibiles ſunt aliæ qualitates ſupernaturales, quæ ſunt principia operationum in alijs rebus corporeis, & in corporeis & diſponunt proximè illas ad operandum ſupernaturaliter vt inſtrumenta eleuata.

Dices, ideo Sanct. Thom. ſupra negat qualitatem habitualiter permanentem ad miracula facienda, quia Deus illa operatur, cum requiratur omnipotentia, quæ non eſt communicabilis creaturæ; at hæc ratio valet de qualitate etiam particulari.

Reſpondeo, nego ſequelam; diſparitas eſt, quia vniuerſalis qualitas extendens ſe ad omnes poſſibiles effectus ſupernaturales includit virtutem infinitam, & dominium ſupra totam naturam, non item particularis; ſicut eſſe principium omnium actuum ſupernaturalium eſt proprium Dei; aliquorum autem etiam creaturæ, vt patet in vitalibus, qui fiunt à potentia eleuata per habitum. Neque iccirco valet argumentum ab vno ad omnes ſupra naturam, quia illud eſt minus, ac finitum: hoc maius, & infinitum. Dixi autem in aſſertione, poſſe eleuari creaturam per qualitatem ſuperadditam: quia non eſt neceſſarius hic modus eleuandi; ſed aliter eleuari poteſt creatura ſine additione vllius intrinſeci, pro quo ſit

Aſſertio quarta.

V. SVpoſita eleuabilitate creaturæ ad effectus ſupernaturales, de qua ſuperius egimus, diuina omnipotentia illi adſiſtens, & quaſi per decretum applicata reddit illam proximè potentem in actu primo ad hoc vt inſeruiat ſibi in actu ſecundo ad operandum inſtrumentaliter quod voluerit. Pro explicatione facit communis doctrina Theologorum de identitate omnium attributorum diuinorum, quæ ſunt vna ſimpliciſſima entitas diſtinguibilis per intellectum cum fundamento in re; atque adeo omnipotentia, voluntas, decretum idem ſunt inter ſe, & cum eſſentia, licet ob diſtinctionem virtualem intrinſecam, & terminationem actualem extrinſecam ad creaturas de illis, ac ſi diſtinctæ res eſſent, diſcurramus, ſcientes quicquid perfectionis per creaturas diſperſæ ſignificant hæc nomina, totum illud eminentiſſimo modo in ſumma eſſentiæ ſimplicitate, & infinitate contineri: hinc dicimus omnipotentiam, quæ indifferenter ſe habet ad eſſe futurum, & non futurum creaturarum quaſi determinari per voluntatem ad dandum eſſe quando, & quomodo ſibibi placuerit, & per eamdem decretum eſſe mundum ab æterno, & ab eſſe poſſibili ad futurum fuiſſe extractum, & omnia, quæ per temporum, conſequentias in eo fiunt à ſumma prouidentia conſtituta, vt S. Auguſt. lib. 3. Trin. c. 4 ſupra relatus. idque non ſolum reſpectu eorum, quorum ſeminales rationes naturis indidit, & virtute cauſarum naturalium vſitatos retinent curſus, ſed etiam eorum, quorum abſconditas cauſas apud ſe retinuit, & diuerſo prouidentiæ genere adminiſtrat, qualia ſunt miracula, & effectus, ſuperantes naturæ vires, vt idem S. Auguſt. l. 9. Gen. ad lit. c. 17. non ſemel citato: & quoniam ex ijs plurima per creaturas, tanquam per inſtrumenta operatur in tempore, certum eſt præceſſiſſe decretum de illis eleuandis ad opera ſuperiora viribus naturalibus: id autem cum multipliciter fieri poſſet, aſſero & hunc fuiſſe ſufficientem modum eleuationis, quod decreuerit Deus aſſiſtere creaturæ ad hunc finem, & per ſuam omnipotentiam ſupplere totum id, quod eſt neceſſarium ad hoc vt creatura ſit proximè potens cooperari ſibi inſtrumentaliter ad opus illud ſupernaturale, abſque eo quod illi infundat vllam qualitatem vel permanentem, vel fluentem. Itaque diuina omnipotentia aſſiſtens, & quaſi per decretum applicata creaturæ, cui eſt intimè præſens, eſt ratio denominationis, quod ſit potens proximè, quæ partim eſt intrinſeca ab aptitudine creaturæ ad ſeruiendum Deo, cui plenè ſubijcitur: partim extrinſeca ab omnipotentia aſſiſtente, & decreto: ſicut contingit in cauſis creatis, quæ complent vnum principium adæquatum alicuius effectus, quem ſingulæ producere non poſſunt. Neque verò facienda vis in aſſiſtentia intima diuinę eſſentię, quatenus præſens eſt omnibus per indiſtantiam quaſi localem, ſed quatenus adeſt per virtutem paratam concurrere cum creatura, qua decreuit vti pro inſtrumento: cum enim ſit infinita, & non pendens à loco, etiamſi per impoſſibile eſſet diſtans diſtantia ſuppoſiti, adhuc eſſet præſens ſecundum præſentiam virtutis immenſæ, & eleuaret creaturam quo vellet, & probatur.

Deus poteſt ſolus efficere quod poteſt cum cauſis ſecundis.

Primò. Quia Deus per ſeipſum ſolum poteſt efficere quicquid cum cauſis ſecundis efficit, ſi ob aliquam rationem peculiarem non pendeat eſſentialiter ab iſtis, vt de actibus vitalibus plures exiſtimant, ergo etiam per ſeipſum, ſeu per ſolam aſſiſtentiam poſito decreto poteſt reddere potentem creaturam in actu primo ad operandum ſupernaturaliter. Antecedens eſt iam commune axioma à Theologis receptum, S. Th. 1. p. q. 105. a. 1. c. erroris contrarium damnante, & alibi ſæpius: S. Bonau. in 1. d. 42. a. 1. q. 2. & vltra, Scoto in 4. d. 14. q. 2. a 2. Soar. in Metaphyſ. diſp. 30. ſect. 17. paulò poſt init. & ratio eſt infinitas virtutis illius, cui nulla perfectio deneganda, quæ in ſe non inuoluit imperfectionem, qualis eſt potentia agendi ſe ſolo quod cum creatura poteſt. Conſequentia probatur, quia cauſa de ſe impotens operari aliquem effectum, quem poteſt cum altera, per hoc præcisè quod vnitur illi, redditur potens ſimul cum illa ad operandum; quod in cauſis partialibus æquè ac totalibus in ſuo genere, & principalibus clarum eſt, & de inſtrumentalibus etiam concedi debet tam artificialibus, quàm naturalibus, vt patet inductione exemplorum ſupra, igitur & creaturæ, quæ ſunt diuina inſtrumenta per vnionem cum diuina omnipotentia, vt cauſa principali fiunt potentes in actu primo operari cum illa.

S. Thom. S. Bonau. Scotus, Soar.

Dices, diſparitatem eſſe, quia reliqua inſtrumenta habent potentiam agendi aliquid in ordine ad effectum intentum ab agente principali: creaturæ autem non habent in ordine ad effectum ſupernaturalem, & ideo debent aliquid intrinſecum recipere, vt formaliter reddantur potentes: hoc autem non poteſt dare diuina omnipotentia per ſeipſam formaliter, cũ ſit irrece-

Digitized by Google

pribilis intrinsecè; assistentia autem extrinseca causæ efficientis non tribuit effectum istum formalem causæ, cui vnitur, sed solum cum illa constituit vnum principium effectiuum, si vtraque sit intrinsecè potens.

Responsio patet ex dictis supra de potentia obedientiali creaturæ, quam esse innatam, & intrinsecam eidem probauimus, ex eo quod est indistincta ab ipsa realiter, ideo nego necessariam esse intrinsecam mutationem, vt reddantur potentes creaturæ cooperari Deo vt instrumenta: sufficit enim extrinseca coniunctio cum omnipotentia, sicut in alijs instrumentis coniunctio cum causa principali, & multo magis apparet sufficientia, ex eo quod vnio Dei cum creatura est magis intima, quàm vllius creaturæ cũ alia, cũ Deus illabatur, & det esse omni enti: deinde quia omnis causa creata est limitatæ virtutis, & imperfectæ, & non se extendit, nisi ad certos effectus per determinata instrumenta, si operetur per illa: Deus autem illimitatę potentiæ est, & scientiæ infinitæ, & ideo ad infinitos effectus eleuare potest instrumenta sua, prorsus quidem ex seipsis inepta, sed apta tamen eleuari, & posita eleuatione operari, ita vt eleuatio det proximè posse quod remotè habebant, & omnino inadæquatè effectui, quem eleuata causant, concurrente videlicet illa eadem entitate vt instrumento ad opus supernaturale, sicut concurrit calamus ad scripturam artificialem.

Vasq. Faber. Sala.

Secundò probatur Conclusio ad hominem, & simpliciter: nam Vasq. 1. p. disp. 46. c. 2. & Scotistæ in 3. sent. d. 14. q. 1. vbi signanter Faber Fauentin. disp. 32. c. 3. cum multis alijs, quos sequuntur Sal. 1. tom. in 1. 2. disp. 5. sect. 3. & alij apud ipsum, concedunt contra Thomistas de absoluta Dei potentia non esse necessarium lumen gloriæ ad beatam Dei visionem, sed posse Deum per suam assistentiam eius vices supplere: quod si faceret, intellectus de non potente videre fieret potens, sine vlla mutatione intrinseca, ergo absolutè loquendo non requiritur: aliud ad complendum principium operatiuum, quàm diuina omnipotentia per decretum applicata creaturæ. Patet consequentia: quia non est maior ratio de intellectu creato, & lumine, quàm de alijs creaturis: immo si qua esset repugnantia, ea potius locum haberet in illis, quàm in reliquis creaturis, quia actus vitales maiorem dependẽtiam videntur habere à principio vitali, quàm reliqui effectus à suis causis, siue naturalibus, verbi gratia caloris ab igne, vel supernaturalibus, vt gratię ab aqua baptismi, vt supra cum Soario aduertimus; si ergo de potentia absoluta potest Deus loco luminis constituentis connaturale principium visionis concurrere cum intellectu, cur non poterit cum aqua, vel alia creatura supplere vicem qualitatis supernaturalis, quam requiris ad eleuationem, vt potentia compleatur in actu primo, vt proximè exeat in actum suis viribus superiorem?

Dices, hoc esse quidem possibile in potentijs vitalibus, quæ habent vim innatam, siue natiuam ad actus sibi proportionatos, quales sunt omnes vitales, reliquas creaturas non habere talem potentiam ad actus supernaturales, & ideo in illis sufficere consortium causæ potentioris, vt fiant proximum principium operum supernaturalium; in istis non sufficere; propterea actus vitales habere rationem vitalitatis, quæ potentijs vitalibus respondeat; effectus supernaturales nullam habere peculiarem rationem, quæ respondeat vlli potentiæ naturali vel completæ, vel inchoatæ, quod est argumento non dari talem potentiam, & opus esse aliqua qualitate superaddita, vt creatura sit potens.

Contra, quia hæc responsio duo continet, quorum vnum tantum controuertitur in præsentia, nimirum & quod non detur hæc potentia inchoata, & quod diuina assistentia non sufficiat ad constituendum proximum principium cum illa, sed requiritur qualitas superaddita, si constitui debeat; & de primo quidem egimus supra; de secundo non valet disparitas, quia vniuersaliter difficultas est, quam Thomistæ vrgent, an res simpliciter impotens fieri, valeat potens sine intrinseca mutatione: & hoc negant, consequenter requirentes lumen gloriæ in intellectu beati, ad hoc vt sit potens videre clarè Deum, contra quos affirmas non requiri, igitur per te sufficit assistentia extrinseca ad complementum principij; quod autem potentia intellectiua dicatur habere maiorem proportionem cum suis actibus vitalibus, quàm elementum cum gratia, aut alia qualitate supernaturali, non obstat: quia tam est impotens intellectus elicere visionem beatam per suas vires naturales, quàm elementum producere gratiam per suas; at intellectus per diuinam assistentiam fit potens, ergo etiam elementum fit potens, & proportionatum: quia illa minor proportio suppletur ab infinita virtute Dei.

Confirmatur, quia contra asserentes lumen habere munus causæ efficientis respectu visionis, & formalis respectu potentiæ, reddendo illam intrinsecè potentem, & hinc inferentes non posse suppleri à Deo causalitatem, hanc sicut neque alias formales, tu arguis non propter aliud requiri, quàm vt intellectus reddatur effectiuè potens, quod præstaretur per lumen, etiamsi non inhæreret, & tamen vniretur illi; quo casu non mutaretur intrinsecè intellectus; & inde probas posse per diuinam assistentiam suppleri vicem luminis; at hoc idem valet in re qualibet respectu effectus supernaturalis: nam si adderetur illi qualitas proportionem habens cum illo, sicut habet lumen cum visione, siue illa sit possibilis, siue impossibilis, redderetur creatura formaliter potens operari supernaturaliter, non secus ac per lumẽ potens videre intellectus, sed Deus potest supplere per te causalitatem efficientis cuiuscumque creati, ergo & illius qualitatis, si igitur per illam potest, etiam seipso potest; quod si dixeris neutro modo posse, assignanda tibi est implicantia in re, quam de facto admittunt tam multi, tamque graues Theologi: Thomistæ videlicet per qualitatem superadditam; cæteri sine illa, vt Scotistæ in visione beata; Soar. & alij citati in re qualibet ad omnem effectum aliunde non implicantem. In quo parui deinde refert, quod sit aliqua peculiaris ratio respondens causæ instrumentali, vel non sit; quandoquidem vt diximus supra, tota entitas est supernaturalis, & rationes metaphysicæ non distinguantur ab illa, neq; faciant vt sit potens, sed suponant potentẽ;

Deus seipso supplere potest causalitatem efficientem cuiuscumque qualitatis.

Digitized by Google

& alioqui in omni effectu supernaturali concipi possunt rationes huiusmodi entis, accidentis, qualitatis supernaturalis in indiuiduo, quæ respondeat tali instrumento, sicut vitalitas visionis respondet intellectui, vt potentiæ vitali & habeant relationem ad illud, à quo pendent, sicut visio ad intellectum, in quo exigit esse, vt in subiecto.

S. Thom. Confirmatur assertio ex S. Thom. 3. p. q. 13. a. 2. c. supra anima Christi dupliciter consideratur; primò secundum propriam naturam, & virtutem; secundò vt est instrumentum Verbi sibi personaliter vniti; primo modo habet potentiam ad illos effectus qui sunt animæ conuenientes, vt est gubernatio corporis; secundo habet instrumentalem virtutem ad omnes mutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad finem Incarnationis, &c. Et hanc non habuit per aliquam superadditam qualitatem; vt diximus ex eodem paulo ante ex 2. 2. cui addo auctoritatem in 3. d. 16. q. 1. a. 3. nec Angelo, nec animæ Christi impressa est virtus spiritualis ad facienda miracula, nisi per modum orationis, & interceſſionis: igitur fuit potens per vnionem ad verbum, seu per assistentiam Verbi, sine deriuatione alterius virtutis operatiuæ ab ipso, etiam transeuntis, vt patet ex secunda auctoritate, & ex eo quod habitualiter fuit potens, quia semper vnita verbo, paratum habuit concursum, quoties oportebat ad opera miraculosa, & proinde ante qualitatem transeuntem, si admitteretur impressa fuisse in operando, permanenter verum erat dicere, animam Christi habuisse potentiam ad miracula, & hanc actiuam, quia de actiua loquitur S. Th. vtroque loc. cit. igitur & aliæ creaturæ dici poterunt esse proximè potentes per eamdem assistentiam, quia tam anima, quàm ipsæ impotentes sunt patrare miracula proprijs viribus; & sicut illa fit potens per Verbi assistentiam, ita & istæ fient; quamuis de cætero sit discrimen; quia maior conuenientia est, quod animæ illi benedictæ, & sanctæ assisteret ad hæc Verbum hypostaticè vnitum, quàm ijs minimè vnione coniunctis. Neque formaliter fuit potens per vnionem, quia eius munus non est reddere potentem, sed vnitam.

Anima Christi conderatur secùdum propriã naturam, & vt instrumẽtum verbi.

Anima Christi potuit facere miracula sine qualitate sibi superaddita propter hoc.

Tertiò probatur principaliter Conclusio, quia omnes causæ inferiores pendent à superioribus, & reguntur ab illis. August. 3. Trin. c. 4. *Sed quemadmodum corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora, quadam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, &c. ac sic vniuersa creatura per creatorem suum, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita, & instituta est, &c.* Quod idem docet S. Th. 3. cont. gent. à c. 82. & alibi; igitur ad integrandum principium operationum causarum inferiorum in actu primo, sufficit coniunctio illarum ad primas superiores; & harum omnium vicem supplere potest Deus, ergo ex coniunctione ipsius cum causis inferioribus, si vellet concurrere loco causarum superiorum, compleretur principium operatiuum sine vlla additione intrinseca qualitatis. Neque hîc rursus valet dicere, quod creaturæ habent facultates suas naturales, & ideo faciunt vnum principium cum causis superioribus sine vlla additione qualitatis, non autem in ordine ad effectus supernaturales: quia cum non ordinentur ad effectus superioris ordinis, non habent potentiam ad illos; nam ex suppositione, quod concurrant ad illos, debent posse concurrere, saltem remotè, & hanc potentiam dicimus fieri posse proximam per assistentiam diuinam.

S. August.

S. Thom.

Confirmatur, quia vt docet S. Th. 3. con. gent. c. 98. vniuersa creatura magis est Deo subdita, quàm corpus humanum animæ, & ipse longè maius dominium habet in omnia creata tam incorporea, quàm corporea, quàm habeat anima in membra corporis: illud enim est despoticum quoad omnia; hoc verò similius est politico, & non se extendit vltra motum, & applicationem; atqui per animam vnitam, & membrum fit vnum principium motus, igitur ex creatura, & Deo intimè præsente, tanquam ex causa principali, & instrumentali fit vnum principium adæquatũ operãdi sine vllo superaddito intrinseco. S. Thom.

Quartò. Si seipso Deus non potest supplere, & eleuare creaturam ad esse instrumenti proximè potentis operari supernaturaliter, vel hoc prouenit ex eo quod nulla creatura potest eleuari ad producendum physicè supernaturalem effectum; vel quia, si potest, non tamen sine complemento intrinseco: hæc enim duo sunt assertæ duplicis sententiæ contrariæ, sed neutrum obstat; non primum, vt patet ex dictis; neque secundum, nam vel requiritur qualitas vt informet creaturam, & reddatur potens in actu primo, ita vt non possit sine informatione esse principium effectiuum; vel quia ex eo præcisè quod est causa efficiens actus superantis suam virtutem, postulat sociari alteri causæ superiori, cum qua concurrat non potens alioqui operari, siue deinde informetur, siue non, quomodo lumen concurrit cum intellectu ad visionem beatam, & informat intellectum; sed si per impossibile non informaret, adhuc eleuaret, ac concurreret. Primum dici non potest, quia nulla creatura secundum se postulat informationem qualitatis supernaturalis, neque fieri principium effectus superantis suas vires: si verò consideretur vt eleuatur ad esse causam instrumentalem eius, quod est secundũ, neque ad hoc requiritur aliud, quàm vnio cũ causa principali, qui est Deus continẽs in se eminentissimo modo virtutes omnium efficientium, vt supra diximus.

Soluuntur obiectiones contra præcedentes assertiones.

CAPVT II.

Argumenta contra secundam assertionem.

PRIMVM est, quia potentia obedientialis actiua vna est in qualibet creatura per Soar. disp. illa 31. s. 6. in solutione quinti argumenti, §. Hinc denique: licet per conceptus nostros inadæquatos possit multiplex distingui in ordine ad varios effectus, verbi gratia in verbis ad iustificandum, & transubstantiandum: quia in re est vna, & eadem entitas instrumenti concurrens ad omnes huiusmodi effectus, & ad alios omnes possibiles, ergo etiam poterit dari vna qualitas vniuersalis ad eosdem: patet sequela, quia per te in creatura est verè potẽtia, licet remota: alioqui VI.

non diceretur agere, nisi esset potens: cur ergo potentia remota est vna ad omnes effectus supernaturales, & non potest dari vna proxima ad eosdem, præsertim quando illa est naturalis entitas indistincta à creatura; hæc autem supernaturalis virtus superaddita creaturæ, & proinde nobilior, quàm potentia remota eiusdem? Et sicut in corporalibus lux se extendit ad omnes effectus corporeos, vt S. Thom. 1. p. q. 5. a. 5. primum ita in spiritualibus illa qualitas se extendet ad omnes, quod si non potest dari qualitas vniuersalis, neque poterit particularis, nam contra illam est secundum argumentum:

Quia omnis qualitas supernaturalis habet aliquod subiectum, in quo esse postulat, & magis sibi proportionatum, quàm alia diuersæ speciei; ergo etiam huiusmodi virtus haberet aliquod subiectum sibi respondens; at hoc non apparet, quodnam sit. Antecedens patet, nam gratia postulat esse in anima, vel Angelo; de sua enim natura habet facere gratum subiectum, in quo est, & non potest facere, nisi subiectum sit creatura rationalis. Visio item clara Dei postulat esse in intellectu, & sic de cæteris qualitatibus spiritualibus. At gratiæ miraculorum, si est qualitas spiritualis, nullum respondet subiectum: tam enim potest esse in lapide, quàm in ossibus sanctorum, quam in anima, vel carne; signum est ergo non esse illam possibilem.

Respondeo ad 1. argumentum, nego sequelam: disparitas est, quia potentia remota cum sit entitas naturalis creaturæ, secundum se, non ordinatur ad effectus supernaturales, sed solum per accidens, inquantum assumitur à Deo: & ideo non magis respicit vnum effectum, quàm alterum, nisi vt subsitat voluntati potentiori ordinanti, & assumenti; at verò qualitas superaddita est per se principium certorum effectuum supernaturalium, & ordinatur ad illos ex sua natura; propterea magis est limitata, & tamen perfectior, quàm potentia remota vniuersalior, vt pote in se supernaturalis. Exemplum aliquale est in duritie ferri, quod formari potest in gladios, vomeres, serras, & indifferens est ad omnia huiusmodi instrumenta, sed redactum ad formam vnius limitatur ad certos effectus, & durities sub illa forma, seu figura perfectior censetur in genere artificiatorum, quam cum ferro informi, & impolito; ita virtus sanitatum exempli gratia, magis est limitata, quàm entitas herbæ, aut lapidis, vt dicunt potentiam obedientialem remotam; sed cum sit supernaturalis, excedit in perfectione, & est per se principium effectuum, ad quos per accidens se habent herba, & lapis. Ex quo patet ad illud de luce, quæ licet se extendat ad omnia corporalia, tamen est limitatæ virtutis, sicut effectus corporales; Si verò qualitas supernaturalis extenderet se ad omnes effectus supernaturales deberet esse infinitæ virtutis, quia isti non habent terminum in perfectione; cum possint esse perfectiores in infinitum, & proinde virtus extendens se ad illos non posset esse finita, quia eo est perfectior quo perfectiores sunt effectus ab ipsa producibiles; hinc enim etiam probatur infinitas diuinæ potentiæ, quia ad omnes effectus in infinitum perfectionis extenditur, ad quod non sufficit quod sit diuersi ordinis, sicut dici solet de obiecto quod non refundit infinitatem in actus circa se versantes; sed solum diuersitatem ordinis; nam causa debet esse perfectior, vel æque perfecta ac effectus, & continere in se saltem eminenter perfectionem effectuum, & ideo si potest producere perfectiores in infinitum, debet ipsa esse infinitè perfecta: Nulla autem qualitas potest esse causa infinite perfecta, vt nunc supponendum est, atque adeo neque se extendere propria virtute ad effectus in infinitum perfectiores.

Ad secundum; Sicut in naturalibus dantur qualitates, quæ de se non postulant magis vnum subiectum, quàm alterum, sed solum materiam, vel substantiam materialem in communi; id est, non magis hanc, quàm illam, vt virtus illuminatiua non magis postulans esse in corpore corruptibili, quàm in incorruptibili; ita in supernaturalibus possunt dari accidentia, quæ non magis postulant vnum subiectum, quàm aliud: & talis esset virtus superaddita miraculorum faciendorum: ideo posset esse in anima, in corpore, quin & in quantitate, & accidentibus separatis, verbi gratia in speciebus Sacramentalibus, si Deus illam imprimeret, & simul cum accidentibus sustentaret.

Dices fieret dependenter à subiecto, in quo poneretur, ergo haberet habitudinem particularem ad illud: omne enim accidens productum in subiecto sustentatur ab illo in fieri, & hoc est fundamentum respectus consurgentis, quo respicitur vt causa subiectiua.

Respondeo, hoc esse per accidens, quia subiectum concurrit per potentiam obedientialem ad sustentandum accidens, sibi non debitum, & à se non requisitum; sicut inter gratiam, & aquam baptismi si concurrit physicè, est respectus causæ, & effectus, sed per accidens supposita eleuatione sibi non debita; neque tamen ea præcisa gratia postulat de se produci ab aqua, nec illam respicit; idem est de virtute superaddita respectu subiecti, in quo ponitur, cum quo non habet connexionem, nisi per accidens.

Tertium argumentum. Datur in naturalibus virtus vniuersalis superiorum corporum, quæ se extendit ad omnes effectus naturales corporum inferiorum, qualis est virtus solis concurrens ad omnes generationes, vt supra; ergo etiam poterit dari virtus aliqua supernaturalis, quæ se extendat ad omnes effectus supernaturales; ita enim se haberet hæc ad effectus tales sibi proportionatos, sicut virtus solaris ad naturales.

Confirmatur, quia huiusmodi effectus naturales sunt possibiles in infinitum perfectioris semper speciei, vt sunt etiam possibiles infinitæ coniunctiones qualitatum, & ad illos omnes concurreret eadem virtus solis cum ijsdem qualitatibus, quæ ab ipsa penderent: & tamen non sequitur, quod sit infinita ergo neque etiam argueretur infinitas ex illa qualitate vniuersali, nisi secundum quid, sed ad luminum perfectio diuersi ordinis sicut ad videndum clarè Deum, quod est obiectum infinitè excedens omnia alia obiecta sufficit principium videndi diuersi ordinis, & non infinitum.

Respondeo ad argumentum, nego sequelam; disparitas est, quia omnes effectus naturales inferiorum corporum sunt finitæ perfectionis, vltra quam nulla virtus naturalis creata se extendit: & ideo non est necessaria virtus infinita; at supernaturales possibiles sunt in infinitũ perfe-

Omnes effectus inferiorum corporum sunt finitæ perfectionis.

fectiores, & non poſſunt eſſe à virtute finita. Comparatio teneret, ſi procederet ad effectus naturales perfectioris ſpeciei in infinitum poſſibiles, ad quos ſi daretur virtus proportionata, deberet eſſe infinita. Ex quo patet vis argumenti probantis impoſſibilitatem huiuſmodi virtutis ex impoſſibilitate creaturæ infinitæ perfectionis, quæ in præſentia ſupponenda eſt.

Ad confirmationem, coniunctiones qualitatum variabiles ſunt in infinitum, at nullus effectus poſſibilis eſt ex illis infinitæ perfectionis, neque perfectior in infinitum, ſed omnes poſſibiles non excedunt perfectionem finitam.

Inſtantia de principio viſionis beatæ non obſtat, improportio, quæ eſt inter obiectum, & potentiam ſuppleri poteſt, ſeu tolli per qualitatem eiuſdem ordinis, cuius eſt obiectum, & ſuperioris, quàm ſit potentia; ſublata autem improportione, & roborata potentia, poteſt ſequi actus circa obiectum; ſed improportio, quæ eſt inter potentiam actiuam creatam, & totum aggregatum effectuum ſupernaturalium poſſibilium non poteſt tolli niſi per poſitionem virtutis infinitæ perfectionis, quia cauſa efficiens continet, in ſua virtute effectum, & quia proportionatur illi, eo perfectior eſt quo & effectus eſt nobilior: alioqui ſi non proportionatur, quomodo eſt principium connaturale eius? aut ſi datur certa limitatio perfectionis virtutis, quomodo dicetur proportionata effectibus in infinitum excedentibus illam perfectionem; quæ ratio non habet locum in potentia, & obiecto, quæ fiunt proportionata per additionem qualitatis proportionatæ obiecto intra certam ſphæram determinatæ.

Argumenta contra tertiam aſſertionem.

VII. PRimum eſt, quia ſi poſſibilis eſt huiuſmodi qualitas, quæ ſit principium effectuum, vel inſtrumentale, vel principale operum ſupernaturalium, non eſt ratio, cur de facto negetur per illam Deum operatum eſſe miracula, quæ ſupra retulimus ex ſcriptura ſacra; & in primis quæ à Chriſti Domini humanitate promanarunt, & in dies à Sacramentis virtute paſſionis eius emanant; tum quia ſic ipſorum principium eſſet connaturalius, vt de habitibus infuſis, & lumine gloriæ docent Theologi cum S. Th. tum quia hoc magis auget dignitatem Sacramentorum; tum quia vt Soar. diſp. illa 31. ſect. 6. paulò poſt initium §. Hîc ergo non ſolum excludimus; non loquuntur conſequenter qui poſſibilem huiuſmodi qualitatem aſſerunt, & de facto humanitati Chriſti Domini non tribuunt: quia decens eſſet illi tribuere perfectionem hanc, ex qua nullus ſequitur defectus, vel repugnantia cum alijs donis naturæ, vel gratiæ; neque exceſſus perfectionis debitæ illi humanitati, cui propter vnionem ad verbum debentur maxima quæque dona; præſertim cum ad finem Incarnationis habuerit virtutem miraculorum, & modus eam exercendi fuiſſet connaturalior per qualitatem permanentem, quæ & ipſa in eſſe, & operari dependiſſet à diuina voluntate. Reliquum eſt igitur non fuiſſe communicatam huiuſmodi virtutem, quia impoſſibilis eſt, alioqui communicanda, ſiue conſideretur vt potentia: quia omnis potentia communicabilis cuicumque creaturæ, multo abundantius communicata fuit animæ Chriſti, vt S. Th. 3. p. q. 13. 2. ſecundum ſiue conſideretur vt gratia gratis data: quia huiuſmodi gratiæ omnes fuerunt in Chriſto excellentiſſimè, vt idem S. Thom. 3. p. quæſt. 7. art. 7. cap.

Reſpondeo quæſtionem eſſe de poſſibili, quid enim de facto ſit vel fuerit in mirabilibus ſacræ ſcripturę Chriſti Domini humanitate, & Sacramentis eget peculiari diſcuſſione ſuo loco inferius adiungenda. Neque ſupra reiecimus qualitatem hanc vt impoſſibilem, cum potentiam obedientialem à rebus creatis indiſtinctam diximus, ſed ſolum contendimus creaturam per ſeipſam ſine ſupperadito vllo poſſe Deo inſeruire ad opera ſupernaturalia, & non ſolum per impreſſam ab illo virtutem etiamſi & hic modus ſit poſſibilis, loquendo de qualitate particulari; nam vniuerſalem omnino reiicimus, & impoſſibilem prædicamus.

Secundum eſt; quia hæc qualitas non poteſt habere actionem aliquam propriam, & cõmenſuratam ſuæ virtuti in ordine ad hos effectus; nullum autem inſtrumentum, quod ex natura ſua inſtitutũ eſt, & ordinatum ad aliquem effectum ſuperiorem, concurrit ad illum, niſi aliqua præuia accommodata ſibi actione propria non excedente propriam perfectionem, per quam attingat effectum principalis agentis: alioqui nulla eſſet ratio aſſignandi determinata inſtrumenta ad determinatas actiones, ex doctrina S. Th. 1. p. q. 45. a. 5. Sed in huiuſmodi qualitate non poteſt intelligi talis actio connaturalis, quæ natura ſua tendat, & quaſi viam præparet ad actionem principalis agentis, vt ſupra dixi in probatione aſſertionis. Nec valet dicere cum Capreolo hanc qualitatem efficere quamdam præuiam diſpoſitionem, per quam attingit effectum principalis agentis; quia non eſt facile intelligere, nec ipſe explicat, quæ diſpoſitio ſit iſta, quæ parat viam ad conſecrationem, vel reſtitutionem viſus, vel alias ſimiles actiones. Deinde vel illa diſpoſitio eſt aliqua naturalis qualitas, vel ſupernaturalis, non prima, quia non diſponeret ad effectum ſupernaturalem, neque ſecunda, nam fieret ab alia qualitate vt principio inſtrumentali, ergo aliqua actione propria, & præuia, & ſic erit proceſſus in infinitum, aut argumentum habebit ſuam vim. Præterea ſiue dicatur inſtrumentalis, ſiue principalis, cum ſit finitæ virtutis, pendet in operando à diſtantia loci, diſpoſitione, reſiſtentia medij, ſeu ſubiecti: quæ omnia repugnant modo operandi miracula. Ita Soar. diſp. illa 31. ſect. 5. paulò poſt initium. S. Thom.

Confirmatur, quia vel hæc qualitas natura ſua poteſt miracula facere, vel non poteſt, ſi hoc ſecundum, non eſt ergo virtus miraculorum; aut ipſa eget eleuatione, & dabitur proceſſus in infinitum; ſi poteſt, igitur qualitas finita habet naturalem vim ad efficienda opera ſupra totam naturæ legem, ex hoc ſolum quod non implicant contradictionem, quod eſt proprium Dei omnipotentiæ.

Ad argumentum reſpondeo primò per inſtantiam; nam idem argumentum fieri poteſt de lumine gloriæ, quæ eſt qualitas ſuperaddita intellectui, & cum eo productiua viſionis beatę; quod enim diceretur de illo, dicam de alia qualitate ſuperaddita: idque vrget ad hominem. Soarius enim ex eo quod potentiæ vitales eleuantur ad

Digitized by Google

Eleuatio intellectus per lumen gloriæ, argumento est non repugnare eleuationem reliquarũ creaturarum per qualitatem superadditã.

actus supra suas vires argumentum sumit ad probandum in reliquis creaturis esse potentiam obedientialem ad actus supernaturales; sicut ergo illæ possunt de absoluta potentia hos actus elicere sine lumine supplente Deo vicem eius, & cum lumine, quod de primo certum est, ita & reliquæ creaturæ poterunt per qualitatem supernaturalem eleuari; & quod dicitur de actione respondente lumini, idem dicam de qualitate superaddita creaturæ.

Respondeo secundò directè de ratione instrumenti, vt sic, non esse agere præuia actione propria accommodata suæ virtuti, cuius sit principale principium, vt est calor calefactionis in productione carnis; nam instrumenta artis habent vnam & eamdem actionem cum principali agente; & creaturæ de facto etiam secundum Soarium per eamdem actionem Dei instrumentaliter concurrunt, & effectum attingunt; neque obstat, quod illa qualitas esset ex sua natura productiua effectus, & ei deberetur concursus Dei ad illum; creaturæ autem non sunt ex sua natura productiuæ, nisi remotè; nam etiam lumen gloriæ ex sua natura est productiuum visionis, ad quam ordinatur, & tamen nihil agit actione propria, cuius sit veluti causa principalis, sed solum visionem producit eadem actione, qua & intellectus, quem eleuat; idem igitur diceretur de illa qualitate, quod nimirum nihil ageret per actionem propriam accommodatam suæ virtuti, & distinctam ab actione principalis agentis; sed vna, & eadem esset actio vtriusque; ad quod parui refert in re præsenti, quod dicatur causa principalis, vel instrumentalis: quia etiam principalis agit eadem actione cum causa superiore, cui subordinatur, vt patet in actionibus creaturarum, vt pendent à Deo principaliter agente; non tamen actione distincta, sed eadem cum ipsis, vt docet Soar. ipse in Metaphys. disp. 21. s. 3. atque ita non est necesse confugere cum Capreolo, & alijs quibusdam Thomistis ad dispositionem, vel ornatum, tanquam ad terminum qualitatis huius; quia vt probant rationes, videtur inuentum, vel effugium, & displicet alijs etiam Thomistis, & à Scotistis, ac nostris validè impugnatur ornatus iste.

Etiam causa principalis agit eadem actione cum causa superiore cui subordinatur.

P. Soar.

Ad confirmationem respondeo qualitatem istam posse in suo genere facere miracula determinata vt instrumentum Dei diuersum à potentia remota obedientiali. Ad probationem in contrarium, dico non esse absurdum, quod finita virtus instrumentalis inseruiat Deo ad effectus supra totam legem naturæ, neque hoc magis mirum est, quam quod idem possit creatura sine hac qualitate; quod enim sit magis, vel minus proportionata, remotior, aut propinquior effectui, non facit talem differentiam, vt vna possit inseruire, altera non possit: cum vtraque sit instrumentalis, & virtus increata sit ratio potissima eleuans creaturam per qualitatem, cum qua concurrit diuerso modo, quàm si eleuaret sine qualitate intrinseca exigente concursum, quem non exigit creatura per se; vt patet in exemplo intellectus affecti lumine gloriæ, &c.

Tertiò, respondeo ad veritatem assertionis non requiri, quod sit possibilis aliqua qualitas, quæ de se sit proportionata ad omnia miracula, & effectus supernaturales; satis est, quod etiam ipsa habeat certam sphæram, vltra quam non se extendat, vt est proxima potentia: licet vt creatura habeat potentiam remotam sicut & entia reliqua creata: potest enim esse proportionata aliquibus, & non omnibus, sicut habitus, infusi sunt determinati ad certa obiecta, puta fides ad reuelata, & obscura: lumen ad clarè visa, & sic de alijs: non igitur esset absurdum dicere, quod & huiusmodi qualitas sit multiplicis generis, & quod quælibet habeat certos limites effectuum: verbi gratia quæ est proportionata sanitatibus, & morbis curandis, non pertingit ad conuersionem vnius substantiæ in aliam: & quæ transferendis corporibus ab vno loco in alium, non est par faciendæ penetrationi eorumdem, nec mortuorum suscitationi, & tunc cessaret instantia de finita entitate, & virtute, quæ se non extendit supra totam legem naturæ ad omnia miracula, & non obstaret auctoritas S. Thomæ 2. 2. supra citata, quæ de virtute permanente æquata omnipotentiæ, & carente terminis.

Non repugnat qualitas determinata ad aliquos effectus supernaturales.

Tertium est: quia vel illa qualitas esset spiritualis, vel materialis. Neutrum dici potest. Non primũ: ponamus enim carnem benedictam Christi Domini, vel vocem eius operatam fuisse miracula, in ea non poterat esse qualitas spiritualis, cum non sit extensa, & alioqui non posset esse tota in toto, & tota in qualibet parte: quia hoc repugnat formæ pendenti à subiecto in fieri, & conseruari: & præterea quia qualitas spiritualis non habet naturalem habitudinem ad corpus, nec proportionem cum illo, ergo non potest informare illud: quia forma non informat subiectum sibi non proportionatum, ergo nec recipi in illo, cùm recipiatur, nisi in subiecto, quod informat: iccirco fides non potest recipi in voluntate, neque caritas in intellectu. Neque dici potest secundum, quod sit materialis, vt censet Paludanus; quomodo enim forma corporea sua naturali virtute producat formas spirituales, & supernaturales, & effectus alios miraculosos?

Confirmatur, quia non potest concipi, quomodo qualitas vlla, siue materialis, siue spiritualis sit natura sua potens expellere Dæmones, curare morbos, sine vlla resistentia, vno momento sine alteratione aliqua, & solum ad nutum voluntatis creatæ: hoc enim dato, redderet etiam impassibilem carnem hominis, si cui daretur, & Christi Domini de facto, si eam habuit. Præterquam quod non est intelligibile, quomodo illa qualitas diffunderetur, si quando per vocem, sputum, luti linitionem miracula patrabat. En argumentum Soar. sect. illa 5.

Adde quod in voce, & operationibus successiuis, per quas fiunt miracula, & effectus supernaturales, non facile assignatur, quando operetur, vt opponunt qui Sacramenta physicè producere gratiam inficiantur.

Ad argumentum respondeo, qualitatem illam fore spiritualem: ad primam probationem in contrarium nego non posse esse totam in toto, & totam in singulis partibus; si enim de facto hoc conuenit formis materialibus perfectorum animalium in sententia probabili S. Th. 1. p. q. 76. a. 8. c. 2. contra gent. c. 72. in disp. q. vnica de Anima art. 10. quanto magis formis spiritualibus conuenire potest? Item vbi sacramentale constitutiuum corporis Christi, sub speciebus

Huiusmodi qualitas esset spiritualis.

S. Thom.

in ſententia probabili eſt modus ſupernaturalis, & ſpiritualis, & tamen eſt in ſubiecto corporeo, ratione cuius dicitur habere diuiſibilitatem quandam cum indiuiſibilitate in ordine ad ſpatium, vt ipſe Soar. t. 3. in 3. p. diſp. 48. ſect. 1. paulo poſt initium: igitur poteſt qualitas ſpiritualis eſſe in re corporali tota in toto, & tota in qualibet parte. Et idem eſt de vnione hypoſtatica, quæ eſt modus in ſupremo gradu ſupernaturalitatis ex eod. Soar. t. 1. in 3. p. diſp. 9. ſect. 2. & receptus in corpore Chriſti. Suar.

Nec obſtat ſecunda ratio, quòd non habeat aptitudinem ad corpus: nam ſi per habitudinem intelligatur inclinatio, hæc non eſt neceſſaria, vt recipiatur in illo, & poteſt eſſe indifferens ad inhærendum corpori, vel ſpiritui, verbi gratia, aquæ, vel animæ rationali, aut Angelo; ſiaptitudo obedientialis, falſum eſt: nam per diuinam potentiam qualitates non debitæ corporibus, & aptæ recipi obedientialiter infunduntur corporibus; vt patet in dotibus glorioſis, & in potentia generatiua ſupernaturali collata Virgini ſanctiſſimæ, vt S. Bonau. ſupra, & ſecundum hanc potentiam obedientialem poſſunt qualitates recipi etiam in ſubiectis extraneis, verbi gratia habitus caritatis in intellectu, & fidei in voluntate, ſicut & poſſent in lapide, cum nulla ſit repugnantia: de actibus alia eſt ratio, & pendet à quæſtione, an eſſentialiter pendeant à potentiis vitalibus, de qua infra.

Ad confirmationem, ſi poteſt intelligi, quòd per potentiam obedientialem creatura concurrat effectiuè ad illos effectus, poterit etiam intelligi, quomodo iſta qualitas concurrat; quandoquidem vtraque concurrit inſtrumentaliter, licet diuerſo modo: quemadmodum ſi poteſt concipi, quòd intellectus ſine lumine cum diuino auxilio concurrat ad eliciendam viſionem per potentiam obedientialem, poterit etiam cum lumine habente proportionem cum viſione, & conciliante eamdem potentiæ naturali de ſe impotenti. Neque refert, quod occultus ſit modus operandi eius virtutis: nam etiam modus operandi miracula per concurſum inſtrumentalem creaturæ habentis potentiam obedientialem, occultus eſt; & tamen à te admittitur; immo in nobis modus, quo anima informat corpus, & exercet ſuas operationes, tam animales, quàm intellectuales non innoteſcit clare: & tamen naturalis eſt: quanto minus virtus huiuſmodi ſupernaturalis, & modus eius operationis notus erit ſenſui corporeæ cogitanti? poterit illa inſeruire Deo in imprimendo motu ſpiritibus, exempli gratia in illis detinendis, in diſſipandis, & conſumendis humoribus noxiis cauſantibus infirmitatem, in applicandis momento remediis, &c.

Ad alteram partem patebit infra, cum de Sacramentis.

Quartum eſt, quia ſi iſta qualitas eſt ordinis ſupernaturalis, vel eſt principium agendi ſolum actione tranſeunte ad modum naturalium formatum; & hic modus cum ſit valde imperfectus, indicat imperfectam naturam; & ideo non conuenit gratiæ miraculorum; vel erit principium actiuum immanentium, & vitalium: & ita erit habitus intellectus, aut voluntatis; & non poſſet efficere niſi actus harum potentiarum: ac proinde neque efficeret opus miraculoſum, niſi per modum imperij, aut efficacis voluntatis: hoc autem modo tranſmutare creaturas eſt proprium diuinæ voluntatis: cuius ſignum eſt, quia nulla voluntas creata poteſt ſolùm volendo producere aliquam formam naturalem, neque mutare res, niſi ad motum ſolum localem.

Confirmatur, tum quia miraculoſa actio ſæpe eſt mutatio ſubſtantialis, quomodo ergo qualitas erit proprium, & ſubſtantiale principium illius? tum quia interdum opus miraculoſum non conſiſtit in productione alicuius rei, vel formæ ſupernaturalis, ſed in modo agendi, vt patet in illuminatione cæci à natiuitate, qui modus agendi propriè oritur ex ſuprema poteſtate auctoris naturæ, vnde non poteſt intelligi forma creata, & finita, cui naturale ſit illo modo operari.

Confirmatur ſecundò, quia qualitas finita habet terminum, & modum in agendo; nam poteſt impediri à medio, vel ex reſiſtentia ſubiecti retardari, quæ non conueniunt in hanc virtutem miraculorum operatiuam.

Reſpondeo ad argumentum, huiuſmodi qualitatem eſſe operatiuam tranſeunter, ſicut operantur tranſeunter formæ naturales; ſed in hoc differre, quia non habet operationem propriam diſtinctam ab operatione principalis agentis, cum ſit inſtrumentum impotens operari ſeparatim ab ipſo, in quo magis eſt ſimilis inſtrumentis artis, vt patet in lumine gloriæ, quod ab intellectu ſeparatum nihil poteſt agere, ſicut neque calamus ſine manu: proinde modus iſte agendi non eſt inconueniens gratiæ miraculorum, ſi eam Deus communicaret per infuſionem qualitatum, quarum vnaquæque extenderetur ad certos effectus, & obiecta. Huiuſmodi qualitas eſſet operatiua tranſeunter.

Ad primam partem primæ confirmationis reſpondeo primò per inſtantiam ad hominem; nam per te ſonus verborum, ſiue prolatio cum intentione conſecrandi concurrit ad tranſubſtantiationem, vt inſtrumentum Dei, poterit ergo & iſta qualitas concurrere ad actionem ſubſtantialem. Item lumen gloriæ non eſt principium vitale, & tamen concurrit ad viſionem, quæ eſt actus vitalis; cur ergo nequeat etiam qualitas ſupernaturalis concurrere ad actionem ſubſtantialem vt inſtrumentum Dei; præſertim cum accidentia naturalia attingant ſubſtantiam in generatione, ſecundum ſententiam probabilem, vt inſtrumenta ſubſtantiæ. Vnde & ipſe Suar. diſp. illa 31. ſect. 6. in ſolutione quinti argumenti, §. *Atque hinc conſtat; Si autem*, inquit, res, *quæ aſſumitur vt inſtrumentum, ſit accidens, potentia hæc accidentalis in ea erit, etiamſi ad ſubſtantiam efficiendam eleuetur, propter eaſdem rationes, quas confirmat naturale exemplum, iuxta opinionem ſatis probabilem, & receptam, quod accidens, vt calor, verbi gratia, eſt inſtrumentum ad producendam ſubſtantiam: cum tamen in calore quicquid eſt virtutis, & actiuitatis, ſiue principalis, ſiue inſtrumentalis, non ſit niſi accidentale.* Suar.

Secundò reſpondeo directè in inſtrumentis attendi virtutem principalis agentis, quæ eſt principium tam ſubſtantialis, quàm accidentalis actionis, quod ad vtramque vti poteſt accidente pro inſtrumento; ſi enim etiam in tua ſententia quælibet creatura habet potentiam obe-

dientialem actiuam ad effectus miraculosos, cur non haberet etiam talis qualitas? Dices, quia creatura secundùm suam entitatem est in potentia remota, & non est principium proportionatum, neque connaturale horum effectuum: & ideo tota ratio illos producendi attenditur penes virtutem principalem Dei: secus in huiusmodi qualitate, quæ esset potentia proxima, & ordinata ad hos effectus, sicut ordinatur lumen ad visionem: in ea namque attenditur vis actiua intrinseca, & non solùm penes omnipotentiam Dei, ideo incredibile est, dari hanc tam miraculosam qualitatem.

Contrà, quia talis qualitas adhuc ex se nihil posset efficere, sed solum vt instrumentum Dei, sicut & potentia remota creaturæ cuiuscumque, hoc autem non magis videri debet incredibile, quàm quod indiuisibile Sacramenti per se producat physicè gratiam, quæ dat esse diuinum animæ; aut transmutet substantiam panis in substantiam corporis Christi, qui sunt effectus altissimè supernaturales, & longè minus proportionati indiuisibili vnico vocis, aut motus quàm sint qualitati supernaturali, si à Deo produceretur: Illud asseritur à Soario 9. non debet hoc negari.

Ex quo patet ad alteram partem confirmationis; nam modus ille agendi conuenit auctori naturæ, & gratiæ, vt agenti principali: sed potest conuenire qualitati vt instrumento eius: neque enim est maior difficultas de modo agendi, quàm de ipsa actione, & termino vt per illam producendo.

Ad secundam confirmationem; Neque medium, neque resistentia subiecti potest impedire actionem qualitatis huius, quia virtuti principalis agentis, cum quo habet communem, & indiuisam actionem, nihil potest obsistere.

Instabis, ergo si habet actionem communem cum principali agente, ipsa etiam qualitas concurrit ad complendam vnam virtutem; at hoc dici non potest, quia virtuti infinitæ Dei nullum accidere potest complementum, & cum seipso essentialiter sit infinitè potens, quælibet additio potentiæ eius superuacanea est, & repugnans; vnde neque potest ex ipso, & creatura constitui vnum principium proximè, & immediatè potens, quia eminentiori modo habet ex se, & in se quicquid ex creatura accedit, cum & hoc ab illo sit. Ex quo rursus sequitur, nullam qualitatem esse eius instrumentum, quia virtus instrumentalis connaturalis est illa, per quam causa principalis fit proximè, & immediatè potens producere effectum, vt patet in calore respectu ignis, semine respectu viuentis, specie impressa respectu obiecti: Deus autem non potest fieri potens per creaturam, quia essentialiter seipso est omnipotens.

Respondeo complementum aliud esse quod denotat defectum eius, quod complet, & necessitatem; aliud, quod denotat perfectionem eius, à quo assumitur, non ex necessitate, sed ex abundantia virtutis. Primi generis sunt instrumenta naturalia, & artificialia, sine quibus causæ creatæ principales agere non possunt. Secundi generis sunt creaturæ, quas Deus assumit ad aliquem effectum, quem seipso producere potest, cum sit omnipotens, sed voluntariè vtitur instrumento ad illum, quem pluribus modis nouit producere, cum sit omniscius. Huius secundi generis instrumenta non dicuntur complere virtutem causæ principalis, sed cum illa complere vnum principium actiuum diuersum, ad quod non est necesse fieri proximè actiuam causam principalem per instrumentalem, sed vice versa.

Instrumenta diuina nõ complere virtutẽ Dei, sed cõplentur ipsa dum assumuntur.

Quintum est, quia cum qualitate ista superaddita vel concurrit res, cui superadditur per potentiã obedientialem remotam; vel non concurrit, sed tantum sustinet illam in se receptam: si primum, ergo est completiua illius, & ipsi proportionata: & proinde non potest dici, quòd indifferenter se habeat ad hoc, vel illud subiectum, sicut lumen gloriæ, quod complet potentiam intellectiuam, & constituit vnum principium cum illa, habet proportionem cum ipsa, & non cum alia potentia, puta volitiua, motiua. Si secundum, ergo subiectum, cui imprimitur illa qualitas, non dicetur producere effectum supernaturalem, sed tantùm materialiter concurrere, quia sustentat: verbi gratia aqua non dicetur propriè producere gratiam, si illi infundatur ista qualitas sicut ipsa non dicitur producere calorem, si aliunde calore imbuta calefaciat: quia non concurrit ad calefactionem, nisi sustentando calorem: atque ita in sententia admittente de facto hanc qualitatem in Sacramentis, non dicerentur propriè verba, & actiones, ac materia eorum efficere, seu producere, sed solum qualitas illis addita; & in B. Virgine potentia generatiua naturalis non concurrisset in conceptione Verbi; sed solum supernaturalis, contra sanctam Bonauenturam supra, & reliquos Patres, ac Scholasticos, & rationem, quia verè, & propriè B. Virgo fuit mater Christi non minus, quàm reliquæ matres filiorum suorum, licet nobiliori modo supra omnes, quæ inter omnes fuit benedicta mater, simul & virgo.

Confirmatur, quia hæc virtus se sola non est completa, quia esset principalis, & non instrumentalis, & quia non potest esse nobilior, aut æquè nobilis ac effectus, quem posset attingere; neque incompleta, quia rursus deberet eleuari per aliam qualitatem, & sic in infinitum.

Respondeo, quòd creatura, cui superadderetur qualitas supernaturalis, simul cum illa cõcurreret per potentiam obedientialem: infunderetur enim, vt constitueretur ex vtraque vnũ principium adæquatum, & proinde concurrerent ambæ per actionem indiuisam; sicut quando sine illa assistentia diuina extrinseca per seipsam vnitur, & eleuat creaturam, vt fiat potens proximè operari, vtraque simul concurrit, vna principaliter, altera instrumentaliter. Nec obstat ratio in contrarium adducta, quia licet qualitas supernaturalis sit completiua potentiæ obedientialis remota, & quoad hoc illi proportionata, quia complet cum illa vnum principium, non tamen ordinatur, aut inclinatur ex sua natura ad illam, neque exigit illam, sed indifferenter se habet: quod sufficit ad constituendum vnum principium operatiuum supernaturaliter, licet diuerso modo ab eo, quem haberet cum sola omnipotentia, & diuersa actione; quoniam hæc variatur ad variationem agentium, à quibus essentialiter dependet.

Creatura & qualitas supernaturalis ipsi ad hoc concurrerẽt vna, & eadẽ actione ad effectum.

Digitized by Google

Ad confirmationem reſpondeo eſſe incompletam, ſicut & reliqua inſtrumenta naturalia, & artificialia dicuntur incompleta, quia indigent compleri vnumquodque à ſuo agente principali; poſſe tamen dici completam in ſuo genere; quia non agetalio intrinſeco ſuperaddito, ſed ſolum diuino concurſu ad effectum proportionatum, ad quem ordinatur, quod non habet natura ſecundum ſe; neque tamen eſt virtus principalis ſimpliciter, cum ſit cauſa effectuum longè ſe nobiliorum, ſed potius eſt inſtrumẽtum Dei, cum illa operantis ſpeciali concurſu ipſi debito, ſicut accidentia dicuntur inſtrumenta ſubſtantiæ proportionata effectibus ab ipſa intentis, & voluntas dicitur inſtrumentum animæ in multorum ſententia diſtinguentium potentias à ſubſtantia animæ.

Quæres, an tunc creatura dicatur inſtrumentum huius qualitatis ſuperadditæ, ſicut dicitur, quando agit ſine illa cum ſola omnipotentia; & ratio dubitandi eſt, quia Deus illam imprimeret ad eleuandam creaturam, quam ſe ſolo eleuabat: & proinde ſicut ipſi ſeruiebat pro inſtrumento, ita & qualitati, quam pro ſe ſubſtituit, ſeruire debet: cum non ſit cauſa principalis effectus ſupernaturalis, neque inſtrumentalis, vt erat cum ſola omnipotentia.

Reſpondeo, non dici inſtrumentum, quia qualitas non agit media creatura, ſed vtraque agit immediatè in effectum, vt integrum inſtrumentum omnipotentiæ diuinæ ſicut intellectus non dicitur inſtrumentum luminis, quia non agit per lumen, ſed per ſuam vim intrinſecam eleuatam à lumine immediatè concurrit ad viſionem ſimul cum lumine, & vtrumque eſt inſtrumentum Dei; de ratione autem inſtrumenti eſt, vt cauſa principalis agat per illud, ſeu mediante illo, cui virtutem communicat agendi dum illo vtitur.

Si rurſus quæras, quomodo diſtinguantur hęc duo inſtrumenta, nimirum creatura, & qualitas ſuperaddita. Reſpondeo diſtingui, quia creatura eſt inſtrumentum remotum, improportionatum, non connexum cum effectu ſupernaturali; qualitas autem eſt proximum, proportionatum, connexum, & ideo exigens concurſum Dei, quem creatura vt merum inſtrumentum obedientiale non exigit. Simile eſt in inſtrumentis artis, ac naturæ; illa enim non habent connexionem, neque requirunt concurſum cauſæ principalis ad effectus artificioſos, vt patet in ſerra, malleo, &c. hæc verò connexa ſunt, & cõnaturalia principia ſuorum effectuum, qualia ſunt ſemina comparatione viuentis, ſpecies impreſſæ reſpectu obiectorum, potentiæ animæ.

Sextum eſt, quia qualitas ſpiritualis, & ſupernaturalis eſſet principium, effectus materialis, verbi gratia ſanitatis miraculosè reſtitutæ, aut potentiæ viſiuæ cæco illuminato, vel motus, localis in monte tranſlato, &c. hoc autem videtur impoſſibile; quia actio proueniens ab agente ſpirituali eſt ſpiritualis, & multo magis ſi eſt ſupernaturale; nulla autem actio ſpiritualis habet pro termino rem materialem, quia actio, & terminus proportionantur inter ſe, ita vt conueniant in eſſe vel materiali, vel ſpirituali; alioqui ſi per actionem ſpiritualem producitur terminus materialis, vice verſa per materialem fieret etiam terminus ſpiritualis: impoſſibile eſt autem rem ſpiritualem pendere in eſſe efficienter à materiali, & vice verſa; vnde neque Angeli poſſunt producere qualitates materiales, aut immutare corpora niſi per motum, & ad modum artis, vt cum S. Bonau. in 2. d. 7. art. 2. q. 1. S. Th. 1. p. q. 65. a. 4. & cæteri Scolaſtici communiter, paucis exceptis.

Confirmatur, quia alioqui creatura quælibet tam corporea, quàm incorporea affici poſſet qualitate ſupernaturali, & cauſare res miraculoſas, & promiſcuè accidentia producere ſubſtantias, & ſubſtantias efficere accidentia cuiuſcumque generis; quia affici poſſent qualitatibus ſupernaturalibus, & eleuari ad hos effectus, quod videtur abſurdum, & inordinatum; immo & eſſet virtus principalis, quia produceret per vim intrinſecam, ac proximam effectum vel ignobiliorem, vel æquè nobilem.

Reſpondeo, rem ſpiritualem poſſe eſſe cauſam rei materialis, vt Soar. loc. cit. in ſolutione quinti argumenti, quia eſt ordinis ſuperioris, vt patet non ſolum in virtute diuina, à qua omnis creatura tam corporea, quàm incorporea effecta eſt, ſed etiam in anima rationali, quæ opera vegetatiuæ, & ſenſitiuæ exercet in corpore, quod informat, & non apparet, cur non poſſet aſſumi vt inſtrumentum Dei ad operandum tranſeunter aliquid materiale, ſi materialia aſſumuntur ad effectus ſpirituales in ſententia probabili, quod phyſicè concurrant: cuius ratio eſt, quia creaturæ vt inſtrumenta Dei plura poſſunt, quàm eorum natura, vel ordo rerum naturalium poſtulet. Res ſpiritualis poteſt eſſe cauſa rei materialis. Soar.

Ad id, quod dicitur de actione, quod debet proportionari termino, dico proportionem attendi non penes eſſe ſpirituale, vel materiale; ſed penes virtutem productiuam in agente, & producibilitatem in termino, ita vt ſi ex aliquo capite conſtet virtutem agentis extendi ad aliquem, ſtatim inferatur eſſe inter illa proportionem ad hoc neceſſariam; ſimile eſt in forma, & materia, inter quæ non requiritur proportio quoad eſſe materiale, vel ſpirituale, cum poſſit forma ſpiritualis informare corpus, vt patet in anima rationali; ſed ſatis eſt, vt vna ſit actuabilis, altera actuatiua, quod ex variis argumentis aliunde colligitur; poterit ergo actio eſſe materialis, ſi terminus, in quo recipitur ſit materialis, licet agens ſit ſpirituale & poterit eſſe ſpiritualis ab agente materiali inſtrumentali, ſi terminus ſit ſpiritualis, vt multi philoſophantur de phantaſmate, quod totum eſt materiale, & tamen concurrit vt inſtrumentum naturale ad producendam ſpeciem intelligibilem, de quo Soar. loc. cit.

Neque obſtat exemplum Angelorum non valentium producere formas materiales: hoc enim verum eſt de virtute naturali ipſorum principaliter & ipſi vt inſtrumenta concurrere poſſunt ad earum productionem, ſed hîc loquimur de inſtrumento.

Pro ſolutione eorum, quæ afferuntur in confirmatione peculiaris quæſtio inſtituenda eſt poſt ſolutionem argumentorum.

Argumenta contra quartam aſſertionem.

VIII. PRimum eſt, quia Patres tribuunt virtutem quandam diuinam Sacramentis, quæ non poteſt commodè explicari per aſſiſtentiam ex-

Digitized by Google

trinſecam Dei; ſupponunt ergo neceſſariam eſſe qualitatem ſupperadditam ipſorum formis, ac materiæ. Eos refert Soar. t. 3. in 3. p. diſp. 1. ſect. 1. licet eos explicet deinde iuxta ſuam ſententiam. Thomiſtæ verò antiqui iuxta ſuam de qualitate ſupperaddita, quam putant eſſe D. Th. & ſupponunt aliter non poſſe Sacramenta verè, & phyſicè cauſare vel gratiam, vel aliam qualitatem ſpiritualem; eadem autem eſt ratio de qualibet alia re aſſumpta ad operandum ſupernaturaliter; cur enim ea ſit neceſſaria ad Sacramenta, & non ad cætera, quæ eleuantur ad opera ſupra vires proprias naturales?

Accedit auctoritas eorumdem loquentium de humanitate Chriſti Domini, quam Verbi inſtrumentum dicunt, & ab eo derivari virtutem operatiuam miraculorum aſſerunt, apud eumdem Soar. t. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 3. & Vaſq. t. 1. in 3. p. diſp. 57. c. 3. & 4. Quod ſi ſufficit diuina aſſiſtentia, maximè in ſacra humanitate vnita Verbo.

Reſpondeo nullam auctoritatem obſtare, ſiue quia Patres, & ſcriptura explicantur de cauſalitate morali, vt cum multis auctoribus explicat Vaſq. loc. cit. 1. p. & 3. p. inter quos eſt Sanct. Bonau. in 4. cit. loquendo de facto; ſiue quia argumentum eſt à particulari negatiua ad vniuerſalem negatiuam, & iuxta regulas Dialecticas non concludit; eſto enim Sacramenta non agunt, niſi moraliter, aut non niſi per virtutem ſuperadditam, ſi phyſicè; ergo impoſſibilis eſt alius modus eleuationis per ſolam aſſiſtentiam cum decreto, negatur ſequela. Siue quia procedit ab eo, quod de facto eſt ad illud, quod eſt poſſibile negatiuè, & non concludit efficacius, quàm ſi diceretur, de facto Deus per Incarnationem Filij ſui redemit mundum, iuſtificat per Sacramenta, glorificat per merita, ergo impoſſibilis eſt redemptio, & iuſtificatio, & glorificatio alio modo, non tenet conſequentia, quia Deus non alligatur ijs modis. Idem eſt de humanitate Chriſti Domini; dato enim quod habuiſſet qualitatem aliquam ſuperadditam propter miracula, & res ſupernaturales: non tamen ſequitur, quod illius vicem ſupplere non potuiſſet diuina omnipotentia illi aſſiſtens; immo ex eo quod S. Th. loc. ſupra cit. negat impreſſam illi fuiſſe qualitatē, quæ eſſet principiū hæc patrandi, conſequentius in eius ſententia dicitur, ſatis fuiſſe aſſiſtentiam diuinæ omnipotentiæ; non quia humanitati fuerit communicata diuerſo modo à communicatione adiomatum ex 3. p. quæſt. 13. a. 2. ſed quia applicata per decretum, ſicut applicaretur alijs creaturis, quibus vti vellet Deus ad res ſupra naturæ vires operandas. Sed de Sacramentis, & humanitate Chriſti agemus inferius.

Secundum eſt, quia de ratione inſtrumenti eſt vt motum moueat, vel agat virtute principalis agentis, & ideo effectus non eſt in cauſa inſtrumentali, niſi ſecundum virtutem, quam habet ab ipſo, vt S. Thom. q. 4. de Mal. a. 1. 16. ergo aliquid neceſſarium eſt in creatura, vt fiat inſtrumentum Dei, præter entitatem eius, & aſſiſtentiam omnipotentiæ diuinæ; alioqui quomodo dicetur agere virtute ipſius, ſi nullam accipit ab ea virtutem?

Reſpondeo inſtrumentum conſiderari poſſe vel in actu primo, & ita eſt remotè aptum, & proximè fit aptum, ſeu potens per applicationem principalis agentis ſine vlla intrinſeca receptione; vel in actu ſecundo, & ita operatur actualiter, inquantum concurrit ſimul cum agente principali per eamdem actionem, qua & ipſum agens principale, quæ dicitur eſſe virtute eius: non quia inſtrumentum non agat, ſed quia non ageret niſi eleuatum; quæ eleuatio fit per dictam aſſiſtentiam in inſtrumentis diuinis, ſicut per vnionem cum principali agente in creatis, ſine vlla mutatione intrinſeca, vt patet in calore, qui vnitus animæ producit ſanguinem, vnitus igni producit ignem, ſine alia additione qualitatis; quare in forma ad argumentum concedo antecedens, in quo omnia, quæ dicuntur de inſtrumento, ſaluantur ſine vllo ſuperaddito, mouet enim motum, id eſt agit eleuatum, & virtute principalis agentis: quia per hanc eleuationem, ſeu vnionem, vel applicationem in diuinis fit potens in actu primo, & agit actualiter cum illo, & non eſt effectus in inſtrumento niſi vt eleuato. Tunc nego ſequelam, quia ad hæc omnia ſufficit aſſiſtentia diuina cum decreto: & hæc eſt virtus per quam dicitur agere, non autem qualitas vlla ſuperaddita, ſed tunc eſt.

Inſtrumentum mouet motum id eſt eleuatum per applicationem.

Tertium argumentum, quia ſi nihil adatur inſtrumento, verbi gratia aquæ in productione qualitatis ſupernaturalis, eodem modo ſe habet, ſiue concurrat, ſiue non concurrat ad illam; fac enim Deum intimè præſentem aquæ non vti illa pro inſtrumento ad producendum characterem in Petro; & mox vti pro inſtrumento ad producendum in Paulo; aqua in ſeipſa immutata non poteſt reſpicere diuerſimodè iſtos duos effectus: quia idem inquantum idem ſemper facit idem, & tamen ad vnum dicit relationem cauſæ, & terminat relationem effectus.

Si dicas, non eodem modo ſe habere ad vtrumque, quia ad vnum efficienter concurrit, & non ad alterum, quæro per quid, aut qua ratione determinata eſt ad concurrendum in productione vnius, & non alterius, idque ſiue ſucceſſiuè concurrat, ſiue ſimul ad vtrumque, vt contingeret, ſi Deus vteretur illa in vno loco, & non in alio: poſito quod replicaretur per diuinam potentiam, aut ex vno loco ageret in alium diſtantem in ſententia probabili, quod inſtrumentum diuinum poſſit agere indiſtans, quia vbique adeſt diuina virtus, & adſiſtit eidem aquæ: quomodo ergo determinatur aqua hic, & non ibi ſine vllo determinatiuo intrinſeco?

Reſpondeo, dupliciter intelligi poſſe, quod aqua eodem modo ſe habeat hîc, & alibi, primò intrinſecè, eo quod maneat inuariata omnino: ſecundò extrinſecè, quoad operationem, quam exercet, hæc ſecunda variatio neceſſaria eſt ad hoc vt diuerſo modo ſe habeat ad vnum effectum, quàm ad alterum: prima non item: neque enim oportet agens aliquid in ſe recipere, vt fiat de non agente agens, ſed producere aliquid extra ſe, ſi ſit de genere agentium tranſeunter: ideo aqua immutata in ſe reſpicit effectum, quem produxit, & ab illo reſpicitur, non autem alterum non à ſe non productum.

Ad quæſitum, quomodo determinetur ad vnum, & non ad alium, reſpondeo, determinari à diuina voluntate efficienter: formaliter autem

tem ab ipſa ſua operatione in actu ſecundo, quaſi formaliter in actu primo ab aſſiſtentia diuina, vt applicata per decretum; ſed tunc eſt

Quartum argumentum: quia hæc aſſiſtentia nihil eſt aliud, quàm diuina eſſentia, vt habet rationem omnipotentiæ diuinæ intimè præſentis, & immutabilis intrinſecè; decretum item ſecundum id quod dicit intrinſecè eſt eadem eſſentia inuariabilis, prout terminatur ad extrinſecum; Et non poteſt intelligi, niſi aliquis effectus in creatura ipſi reſpondeat; at ih propoſito diuina omnipotentia eodem modo ſe habet, aqua item non mutatur; quid ergo reſpondet diuino decreto ad extra, ratione cuius aqua, vel quæuis alia creatura de non potente fiat potens proximè operari vt inſtrumentum Dei, cum antea non eſſet potens; hîc enim tranſitus à contradictorio in contradictorium eſt realis, & non niſi per mutationem realem, quæ cum non ſit in Deo, oportet eſſe in creatura; conſequenter admittenda eſt qualitas aliqua ſuperaddita: quandoquidem non apparet aliunde, quomodo mutatio hæc fiat, & alioqui commodè explicetur, quomodo diuina inſtrumenta per diuinam virtutem operentur, etiamſi non habeant in ſe inchoatam potentiam, ſiue remotam ad intelligendum difficillimam, vt conqueruntur plerique aduerſariorum.

Reſpondeo primò per inſtantiam ad hominem concedentem per diuinam aſſiſtentiam ſine lumine gloriæ fieri intellectum potentem operari de non potente; hic tranſitus realis ſit per aliquam mutationem realem; non Dei, ergo intellectus, igitur per aliquid illi ſuperadditum, quod negas. Item per decretum diuinum hæc aqua ſit inſtrumentum morale in actu primo per te, ergo per aliquam ſui mutationem, quam non admittis. Sed & eodem argumento vrgentur, qui qualitatem requirunt in inſtrumento: eſto enim ponatur illa qualitas, poteſt Deus habere decretum non concurrendi cum illa, & tunc non erit in actu primo potens operari: poteſt item habere decretum concurrendi, & erit potens, quæro quid addat hoc extrinſecum, ratione cuius fiat tranſitus à contradictorio in contradictorium? ſi nihil, ergo non opus eſt mutatione reali ad hunc tranſitum; & idem dicam de inſtrumento, quod ſit ex non potente potens ſine mutatione intrinſeca, *reali ad hunc tranſitum: & idem dicam de inſtrumento*, ſi addit aliquid, dabitur proceſſus in infinitum, quia rurſus cum illo addito poteſt Deus nolle concurrere, & velle concurrere; & quæram, an per voluntatem concurrendi fiat proximè potens ſine tertio ſuperaddito, & redit argumentum.

Reſpondeo igitur directè fieri mutationem in obiecto, quæ ſufficit ad tranſitum: poſito enim decreto, verè creatura eſt cooperatura Deo, & effectus ab illa futurus; quod ſufficit ad hoc vt decretum dicatur habere terminum ad extra, ſed hoc paulò eſt abſtruſius, & ideo infra ſingulariter tractandum; interim ſatis ſit fieri mutationem obiectiuam.

Quintum argumentum, eſt quia licet abſolutè loquendo diuina adſiſtentia ſit ſufficiens per ſe ſine ſuperaddita qualitate reddere potentem creaturam ad operandum ſupernaturaliter, tamen admiſſa poſſibilitate qualitatis intrinſecè efficientis, connaturalius eſt principium creatum & magis proportionatum effectui, igitur de facto admitti debet, ſicut admittuntur habitus ſupernaturales per quos potentia redditur potens elicere actus magis connaturaliter, quàm per ſolum auxilium actuale.

Reſpondeo, nego ſequelam. Ad probationem dico operationes ſupernaturales eſſe duplicis generis: aliæ ſunt, quæ poſtulant eſſe à tali principio creato v. g. viſio, actus fidei ab intellectu: dilectio, contritio à voluntate; & vniuerſaliter actus vitales à principio vitali, & ita ſi deliberati ſint, cõnaturalius fiunt à principio proportionato in ſenſu antecedentis. Aliæ ſunt quæ non poſtulant vllum principium creatum determinatum; neque maiorem proportionem habent cum vna creatura, quàm cum alia, v. g. illuminatio cæci non magis eſt proportionata aquæ, quàm luto; nec poſtulat eſſe ab vna re potius quàm ab alia, ſolus enim Deus eſt principium proportionatum, non item creatura vtcunque affecta, & hæc connaturalius fiunt ſine qualitate per ſolum Dei imperium, & adſiſtentiam, ne multiplicentur entia ſine exigentia vlla cauſæ, aut effectus; non tamen vbi raro contingunt effectus ſupernaturales: ſed etiam vbi frequenter, vt in Sacramentis.

An creatura quælibet tam corporea, quàm incorporea affici poſſit qualitate non debita ad effectus ſuis viribus ſuperiores producendos.

CAPVT III.

I. Multipliciter comparari poſſunt qualitates, & res tã corporeæ quàm incorporeæ.

II. Non repugnat qualitas naturalis ſpiritualis nulli ſubiecto particulari debita.

III. Certum eſt dari qualitates ſpirituales ſupernaturales ſubſtantijs incorporeis inditas.

IV. Non repugnat qualitas ſupernaturalis in corpore quæ ſit principium operationis naturalis.

V. Neque materialis in ſubſtantia ſpirituali.

VI. Neque materialis indebita ſubſtantiæ materiali conſtituens adæquatum principium operandi.

VII. Soluuntur argumenta.

AD uerte multipliciter comparari, & coniungi poſſe qualitates, & res corporeas, ac incorporeas; primò comparatur qualitas ſpiritualis ad ſubſtantiam ſpiritualem, quarum vtraque ſit naturalis, vt ſunt intellectus, & voluntas cum Angelo, & anima rationali.

Secundò. Qualitas ſpiritualis ſupernaturalis ad ſubſtantiam naturalem ſpiritualem, vt gratia, & habitus infuſi ad Angelum, & animam.

Tertiò. Qualitas ſpiritualis tã naturalis, quàm ſupernaturalis, ad res materiales, & corporeas, v. g. vnio animæ Chriſti Domini Corpus, & vnio hypoſtatica ad perſonam diuinam.

Quartò. Qualitas materialis naturaliter debita corpori ad ſubſtantiam ſpiritualem, verbi gratia lux ſenſibilis ad Angelum, cui non debetur.

Quintò. Qualitas eadem materialis ad corpus, vt calor ad ignem; & de ijs quæritur, an ita vniri poſſint, vt ſint principium proportionatum alicuius effectus ſuperantis naturam vtriuſque extremi ſingillatim ſumpti, & non exigentis produci niſi ab vtroque vnito; licet nulla ſit exigentia ſecundum ordinem, legemque naturæ, vt vniantur. Quoad primum reſpondeo, & ſit

Aſſertio prima.

IX. NOn apparet implicantia, cur non poſſit Deus producere qualitatem aliquam naturalem ſpiritualem nulli ſubiecto in particulari debitam, quæ tamen magis ſit proportionata vni, quàm alteri ſubſtantiæ ſpirituali, & cum illa conſtituat integrum principium operationis habentis ſpecialem habitudinem ad ipſum. Concluſio eſt de ſubiecto non ſolum in indiuiduo, ſed etiam in ſpecie quoad debitum, quia ſcilicet nulli ſpeciei ſit connaturalis, aut ab ea requiſita. Probatur, quia de facto Deus producit qualitatem ſpiritualem ſupernaturalem, nulli naturæ debitam, ſed tamen proportionatam rationali, non irrationali: vt patet in gratia, luminæ gloriæ, &c. ergo poteſt etiam naturalem. Probatur ſequela: quia ſi non poteſt, maximè quia inter accidens naturale, & ſubiectum eſt mutua exigentia illius ad recipi, huius ad recipere, & perfici, quæ non eſt inter accidens ſupernaturale, & ſubiectum naturale, quod non exigit ex debito naturali perfici à forma ſupernaturali; ſed hoc non obſtat: nam vel conſideratur præcisè ratio accidentis, & ſic vtrique conuenit ineſſe alicui ſubiecto, cum accidentis eſſe ſit ineſſe; vel conſideratur differentia naturalis, & ſupernaturalis: & tunc quæro, ex qua particulari ratione habeat accidens ſupernaturale, vt non exigatur ab aliquo ſubiecto, neque vlli debeatur, & implicet hoc in naturali; vlli inquam in particulari ſpecie, vel indiuiduo, etiamſi in genere ipſum accidens poſtulet eſſe in ſubiecto aliquo, & tale in ſpecie exigat tale ſubiectum in determinato genere, vel ſpecie, vt gratia in homine, vel Angelo. Confirmatur, & explicatur: nam poteſt Deus producere ſpeciem intelligibilem, quæ ſit perfectior qualibet debita intellectui humano, & imperfectior qualibet debita Angelico: & proinde quæ neque poſtulet vtrumlibet, ſed ſolum intellectum in genere: ſicut gratia non magis poſtulat eſſe in Angelo, quàm in anima rationali, & ſi ponatur in alterutro, ſpecies illa ſit principium intellectionis diuerſæ ab alijs elicitis per ſpecies proportionatas. Et ſi vera eſt ſententia ponens in ſupremo Angelo ſaltem poſſibili vnicam ſpeciem, hæc, vel alia ſimilis poſita in inferiori Angelo eſſet principium intellectionis diuerſæ ab illa, quam elicit per ſpecies ſibi proprias: & idem eſt de virtute motiua, & alijs ſimilibus.

Secundò probatur: quia poteſt dari ſubſtantia materialis, quæ ſit indifferens ad omnes formas materiales, tam ſubſtantiales, quàm accidentales, ergo etiam dari poteſt accidens ſpirituale, quod ſit indifferens ad omnem ſubſtantiam ſpiritualem, & tamen magis proportionetur vni ſpeciei, quàm alteri: quia non æqualem habet ad omnes ſimilitudinem, ſicut inter accidentia materialia calor magis proportionatur igni, quàm terræ, vel aquæ.

Dices, ex hoc eſt accidens, quod eſt entis ens id eſt ſubſtantiæ, in qua exigit ineſſe, ac ſuſtentari, ergo ex eo quod eſt tale accidens, talem exigit ſubſtantiam.

Reſpondeo, concedo ſequelam, ſi ſermo ſit de exigentia in genere, quæ eſt ſubſtantia; nego ſi de exigentia in ſpecie, vel indiuiduo: quia non repugnat accidens ſpirituale, non exigens determinatam ſpeciem ſpiritualis ſubſtantiæ, aut etiam materialis, à qua poſſet etiam ſuſtentari: ſicut materia non magis exigit formas materiales, quàm ſpirituales, niſi determinata à diſpoſitionibus.

Non repugnat accidēs ſpirituale nō exigens determinatam ſpeciem ſubſtantiæ in qua ſuſtentetur.

Confirmatur, quia hoc etiam commendat diuinam omnipotentiam, quæ ad plura ſe extendit, quàm nos intelligere poſſimus; & tamen hæc aſſertio facile eſt intelligibilis: & ſermo eſt de principio effectiuo per vires proprias naturæ cum ordinario concurſu Dei: nam de operationibus miraculoſis ab eodem manantibus per potentiam obedientialem, eadem ratio illius eſt, ac creaturarum reliquarum, de quibus ſupra egimus.

Tertiò. Poſſet Deus creare alterum mundum conſtantem corporibus, & animalibus & accidentibus diuerſæ ſpeciei ab ijs, quæ condita ſunt de facto, ergo & accidentia ſpiritualia, ac materialia diuerſa ab ijs, quæ creauit; poteſt igitur vnum, vel plura de nouo producere in hoc mundo, quæ non exigunt vllum determinatum ſubiectum, licet liquibus magis ſint proportionata, & conſtituant vnum principium operationum alioqui ſuperantium vires eius naturales, verbi gratia qualitatem aliquam ſanatiuam magis proportionatam plantæ, quàm lapidi.

Aſſertio ſecunda.

X. MAnifeſtum eſt, dari qualitates ſpirituales ſupernaturales inditas ſubſtantijs ſpiritualibus, quæ eleuant earum potentias ad effectus ſuperantes naturæ vires. Patet ex principijs fidei de virtutibus infuſis; ſed cum iſtæ poſtulent eſſe in intellectu, ac voluntate, tanquam in ſubiectis proportionatis, dubium eſt, an ſint aliæ ſupernaturales poſſibiles nullum ſubiectum exigentes, cui inhæreant, ſed ſolum exigant ſuſtentari à Deo, ſicut de facto ſuſtentantur accidentia miraculosè in Euchariſtia: & quidē poſſibiles eſſe qualitates, quæ nulli enti creato ex ijs, quæ ſunt in tota rerum vniuerſitate debeantur, dubium non eſt conſideranti poſſibiles eſſe creaturas in infinitum perfectiores ijs, quæ creatæ ſunt, excepta humanitate Chriſti Domini vnita Verbo maternitate eius, & viſione beata; illis etenim omnibus ſi ſubſtantiæ ſint, debentur ſuæ proprietates, & accidentia; quæ ſi ſola ſine ſubiecto producerentur, nulli creatæ ſubſtantiæ deberentur, ſicut de qualitate ſpirituali naturali diximus. Verum an abſolutè nulli etiam poſſibili deberentur huiuſmodi qualitates, in controuerſia eſſe poſſet, quia non ſtatim apparet repugnantia; neque facile deducitur ex ijs, quæ facta ſunt, vel factibilia certò ſciuntur, aut ex abſurdis quæ ſequerentur.

Digitized by Google

Nihilominus reſpondeo non eſſe qualitatem vllam, vel accidens ſupernaturale, quod non exigat eſſe in aliqua ſubſtantia, ſed ſolum poſtulet effectiuè conſeruari à Deo. Probatur, quia eſſentia accidentis in genere eſt, vt ſit ens nimirum ſubſtantiæ, propter quam eſt, & cui inhærere poſtulat, cum propter ſuam debilitatē non poſſit exiſtere per ſeipſum, ergo nullum accidens eſt, cui non conueniat inhærere ſubiecto, ſaltem aptitudinaliter; & ſecundum exigentiam naturalem, ſicut quia de ratione; & eſſentia hominis eſt eſſe animal, nullus eſt homo, qui non ſit animal. Antecedens probatur tum ex communi ſententia Philoſophorū, ac Theologorum aſſerentium de ratione accidentis eſſe, quod inſit ſaltem aptitudinaliter ſubſtantiæ, tum quia accidens per hoc eſſentialiter differt à ſubſtantia, quòd hæc per ſe exiſtit, illud verò inexiſtit alteri, vt ſubiecto: igitur implicat accidens, quod per ſe naturaliter exiſtat, & non poſtulet eſſe in altero: quia iam non eſſet accidens, ſed ſubſtantia, idque verum eſt de omni accidente, quantumuis perfecto, & ſupernaturali.

Non eſt poſſibile accidens non exigens eſſe in ſubſtatia.

Confirmatur, quia implicat ſubſtantia, cui non conueniat per ſe exiſtere, aut quæ poſtulet inhærere alteri, ergo & accidens, cui conueniat per ſe naturaliter exiſtere, aut non poſtulet inhærere alteri.

Dices, cur non poteſt dari aliquod accidens, quod indifferenter poſtulet aut conſeruari à Deo, aut inexiſtere ſubſtantiæ? Reſpondeo, quia conſeruatio tenet ſe ex parte cauſæ efficientis extrinſecæ, præterquam attenditur modus intrinſecus exiſtendi rei, quæ conſeruatur hic autem ſi ſit exiſtentia per ſe, iam eſt ſubſtantia; ſi non ſit per ſe, iam eſt accidens: non enim datur medium: quia quicquid exiſtit, vel per ſe exiſtit, vel non exiſtit per ſe; ſi primum, eſt ſubſtantia; ſi ſecundum, iam eſt accidens exiſtens in alio, ſaltem ſecundum naturalem exigentiam, quæ tolli non poteſt, etiamſi addatur accidenti modus aliquis per ſe exiſtendi miraculosè.

Poſſibilis eſt qualitas ſupernaturalis diuerſa ab omnibus alijs quæ factæ ſunt, quæ ſit principium operationū ſupernaturalium.

Reſpondeo ſecundò, ſi fieret qual...is aliqua ſupernaturalis diuerſa ab omnibus alijs, quæ factæ à Deo ſunt, & inditæ Angelis, ac hominibus, poſſet eſſe principium cum ipſis aliquarum operationum ſupernaturalium, quæ ſecundum vſitatum prouidentiæ ſupernaturalis curſum, nulli eorum conueniunt tam immanēter, quàm tranſeunter. Probatur, quia alioqui vel exhauſta eſſet potentia Dei, quoad productionem plurium qualitatum ſpiritualium ſupernaturalium; vel ſi poteſt adhuc plures producere ſpecie diuerſas, nulla ipſarum poſſet cum Angelo, vel cum homine eſſe principium operandi; non primum, quia ſicut poteſt Deus creare plures ſubſtantias in infinitum perfectiores, & accidentia ipſis proportionata, & debita naturaliter, ita poteſt & ſupernaturales qualitates, alioqui valde reſtricta eſſet eius omnipotentia, ſi vltra paucas ſpecies habituum, & infuſorum donorum, quas de facto creaturæ rationali indidit, non extenderetur. Neque ſecundum, tum propter eamdem rationem, tum quia ſicut habitus fidei, ſpei, caritatis ſunt operatiui, ita poſſet Deus alios pariter operatiuos producere, quales plerique fuere in Chriſto Domino, & non in vllo alio Sanctorum; & præter illos alij poſſibiles in mente, & ideis diuinis, ſicut eſt poſſibilis gratia maior intenſiuè conſiderata materialiter; & idem eſt de qualitatibus, quæ ſunt principia actiua tranſeunter, vt de facto ponuntur à Thomiſtis ſupra relatis in Sacramentis, & humanitate Chriſti Domini; & de poſſibili oſtendimus, non eſſe negandas, cum non appareat implicantia, & proinde in ſpeciebus ipſarum non ſit determinatio, ſed multiplicabiles ſint in infinitum, non ſecus ac in naturalibus qualitates actiuæ naturales conuenientes formis, ac compoſitis, in infinitum poſſibilibus, ſecundum diuerſitatem ſpecierum.

Confirmatur, quia ex coniunctione diuerſorum agentium naturalium in infinitum variabili reſultāt virtutes actiuæ, & accidentia diuerſa, & noua, vt patet ex commixtione metallorum in chimicis, herbarum, ac florum in apothecis; inſitionum in hortis, & ſimilium, quæ occurſu cauſarum iunguntur caſu, vel arte; quanto ergo facilius fuerit auctori naturæ, & artis omnis nouas in quocumque genere qualitates differentes ab ijs, quæ factæ ſunt, & fiunt in dies efferre in lucem, & cum illis noua agentia conſtituere? Confirmatur auctoritate Sancti Auguſt. mox referenda.

Aſſertio tertia:

XI.

POſſibilis eſt aliqua qualitas ſupernaturalis in re corporea, quæ ſit principium operationis in ſua entitate naturalis. Probatur, qui corpora poſt reſurrectionem afficientur dotibus glorioſis, quæ ſunt qualitates ſupernaturales cum ipſis conſtituentes principia operationum naturalium in ſua entitate, licet ſecundum modum excedentium naturam; ſic S. Auguſt. de Ciu. Dei lib. 13. c. 18. *Si enim ars humana efficit, vt ex metallis, quæ in aquis poſita continuo ſubmerguntur quibuſdam modis vaſa fabricata etiam natare poſſint, quanto credibilius, & efficacius occultus aliquis modus operationis Dei, cuius omnipotentiſſima voluntate Plato dicit nec orta interire, nec colligata poſſe diſſolui, cum multo mirabilius incorporea corporeis, quàm quæcumque corpora quibuſcumque corporibus copulentur, poteſt molibus præſtare terrenis, vt nullo in ima pondere deprimantur, ipſiſque animis perfectiſſimè beatis, vt quamuis terrena tamen incorruptibilia iam corpora vbi volunt, ponant, & quo volunt, agant ſitu, motuque facillimo?* Quæ eſt dos agilitatis, vt ſupra ex S. Bonau. in 4. d. 49. & S. Th. d. 44. q. 2. 3. & ſupponimus dotes eſſe qualitates ſupernaturales prouenientes ex redundantia gloriæ animæ, vt S. Th. 3. p. q. 28. a. 2. ad vltimum; motus autem cauſatus ab agilitate res quanta eſt, naturalis eſt in ſua entitate, ſicut eſſet ſplendor cauſatus in aëre à dote claritatis. Pro quo fuit opinio, quod claritas corporis beati eſt qualitas intrinſecè ſupernaturalis, vt S. Th. in 3. d. 16. q. 2. a. 1. 4. Suar. t. 2. in 3. p. diſp. 32. ſect. 1. & diſp. 48. ſ. 2. Sal. 1. 2. tract. 2. diſp. 14. ſect. 6. n. 130. Scot. in 4. d. 49. q. 15. & alij plures: & tamen viſio, quam cauſat in oculo, eſt naturalis, vt ſentiunt Soar. & Sal. Diſſentit Ripald. t. 1. q. diſp. 44. ſect. 18. vbi vult eſſe ſupernaturalē n. 6. conſentit tamen n. 63. poſſe eſſe naturalem, ſi confundatur cum luce naturali. Ratio eſt, quia licet lux illa ſit excellentius ſenſibile, quàm lux ſolis, tamen ita benignè attemperabitur viſui,

S. Auguſt.

S. Bonau. S. Thom.

S. Thom. Suar. Sal.

Viſio cauſata in oculis à claritate corporis beati eſt naturalis.

Digitized by Google

vt ſine eleuatione poſſit in illam tendere, idque connaturalius fiet, quàm ſi dicatur eleuari potentia viſiua ad hanc lucem per qualitatem ſupernaturalem, ſicut eleuatur intellectus per lumen ob excellentiam infinitam obiecti; alioqui etiam ſenſationes reliquorum ſenſuum in prima odoratus, guſtus, tactus, qui & ipſi ſua fælicitate perfundentur, ſupernaturales eſſe deberent per eleuationem ipſorum, quod non videtur neceſſarium, neque conueniens naturæ ipſorum, cum poſſint hæ omnes eſſe naturales per attemperationem obiectorum; & ita Soar. loc. cit. cum alijs recentioribus, inter quos Lorc. 1. 2. diſp. 16. memb. 3. ſed de hoc infra: nunc ſatis ſit, probabile eſſe, quod qualitas ſupernaturalis in corpore poſſit eſſe principium operationis naturalis.

Suar.

Confirmatur, quia nulla apparet repugnantia, cur non potuerit animæ, & carni Chriſti cõmunicari qualitas ſupernaturalis, quæ eſſet principium operatiuum alicuius effectus extrinſeci tam materialis, quàm ſpiritualis, qualem de facto communicatam fuiſſe plerique Thomiſtarum aſſerunt cum Capr. Ferrar. & aljis, quorum ſententiam reijcit Soar. d. 31. ſect. 5. ſed rationes eius non euincunt de poſſibili, vt ſupra vidimus.

Confirmatur ſecundò, quia primus homo in ſui conditione accepit omnem perfectionem, quæ conuenit homini ſecundum corpus, & animam, vt S. Th. in 2. d. 23. q. 2. a. 2. & de Ver. q. 18. a. 4. c. 2. quibus addenda ſunt dona gratiæ cumulatè in ipſum collata, non ſolum gratum facientis, ſed & gratis datæ; de quibus omnibus Cyril. in Ioan. l. 1. in Ioan. c. 9. *Participatione luminis ſplendet ſuper naturam ſuam glorificantis Dei gratia, & varijs donorum ornamentis aſcendens; inter quæ multa fuere nulli Filiorum eius poſt peccatum conceſſa*, quibus tamen adhuc præſtantiora à Deo producibilia ſunt non ſolum animæ perfectiua, ſed etiam corporis, quæ ſint principia operationum naturalium tam immanentiũ, quàm tranſeuntium, & ita proportionata potẽtijs naturalibus, ſiue organicis, ſiue inorganicis vt illas eleuent ad ſimul operandum, vt de facto contigit in qualitate ſuperaddita potentiæ generatiuæ naturali viginis, qua eleuata eſt ad cõcurſum miraculoſum in conceptione Chriſti Domini, vt ſupra ex S. Bonau. Poſſet igitur Deus & alijs potentijs ſenſitiuæ, & vegetantis animæ affundere qualitates eleuantes illas ad operationes proportionatas, ſicut de facto eleuantur intellectus, & voluntas ad ſupernaturales.

S. Cyril. in Ioan.

Poteſt phantaſma concurrere ad productionẽ ſpeciei intelligibilis.

Adde quod ſi poteſt phantaſma in ſententia probabili concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis, quæ ſpiritualis eſt, cum illud ſit materiale; cur non poterit qualitas aliqua ſpiritualis, & ſupernaturalis eminentioris ordinis, & virtutis in corpore eſſe principium effectus naturalis? Item ſpecies impreſſa naturalis influit immediatè in cognitionem ſupernaturalem in ſententia probabili, de qua P. Ripalt. diſp. 40. n. 75. probans ex eo quod ſpecies concurrentes ad actus ſupernaturales fidei non ſunt ſupernaturales, ſed naturales acquiſitæ ſtudio fidelium, & inſtructione Eccleſiæ: igitur poterit vice verſa qualitas ſupernaturalis eſſe productiua effectus naturalis: quia eſt eadem proportio, vel improportio. Vice verſa vbi Sacramentale Corporis Chriſti ſub ſpeciebus eſt ſupernaturale, & dat illi modum eſſendi mirabilem, & alienum ab omni paſſione naturali, ergo & poteſt dari qualitas ſupernaturalis reddens aptum ad actiones naturales, minus enim hoc eſt mirabile, quàm eſſe totũ corpus in tota hoſtia, & ſub qualibet eius parte. Fauet probabilis ſententia requirentium auxilium gratiæ ad opera moraliter bona, quam defendit Vaſq. 1. 2. d. 190. à c. 2. citãs alios multos; illud enim ſupernaturale eſt, & cauſa actus, opus autem moraliter tantum bonum eſt naturale. Item eorum, qui aſſerunt exercitio actuum ſupernaturalium gigni habitus naturales: pro qua ſententia, quam ſequitur Hurtad. diſp. 16. de Anima §. 76. citat S. Thomam, & Vaſq. ſed hic 1. 2. diſp. 79. n. 45. tantum aſſerit poſſe defendi; Eiuſdem ſententiæ eſt P. Ripal. diſp. 53. Mol Azor. Coninch. & alij, quos refert. Item affirmantium cognitionem ſupernaturalẽ poſſe concurrere ad aſſenſum erroneũ, vt Soar. de fide diſp. 6. ſect. 5. n. 4. cum Gabr. in 3. diſt. 23. & alijs, quibus adhæret Ripald. diſp. 56. n. 2. In ijs, & ſimilibus concurrunt cauſæ ſupernaturales ad actus naturales, cum enim ſint eminentioris virtutis, poſſunt eſſe cauſa actuum inferiorum in quodam genere, & proportione.

P. Hurtad. de Anim.

P. Ripald.

Probabile eſt qualitatem inditam arbori vitæ fuiſſe ſupernaturalem.

Denique probabile eſt qualitatem additam arbori vitæ Gen. 2. fuiſſe ſupernaturalem, vt S. Auguſt. l. 8. Gen. ad lit. c. 5. & S. Bonau. in 2 d. 19. a. 2. q. 2. ad arg. relati à P. Iacobo Bonfrerio in c. illud 2. ſequente tamen contrariam cum P. Corn. à Lap. in c. idem Gen.

Aſſertio quarta.

XII. NEque impoſſibile reputandum eſt diuinæ omnipotentiæ ex qualitate materiali naturali, & ſubſtantia ſpirituali conſtituere vnum principium proportionatum alicui effectui naturali producendo. Poteſt hoc dupliciter concipi poſſibile; primò ita vt qualitas fiat à Deo independenter à ſubiecto ſuſtentante, ac proinde non affecto ab illa, ſed ſolum vnito, & indiſtante: verbi gratia ſi calor, & Angelus ſimul ponerentur, ſupplente Deo cauſalitatem ſubiecti. Secundò ita vt qualitas materialis fieret dependenter à ſubiecto recipiente illam, & ſuſtentante in fieri per potentiam obedientialem: verbi gratia ſi Deus vellet hoc modo producere vbi quantum, & extenſum in anima, aut vnionem ad corpus. Tertiò ita vt qualitas materialis naturaliter emanaret à ſubſtantia ſpirituali tanquam proprietas illi debita. Hic tertius modus de facto contingit in ſententia probabili diſtinguente potentias animæ rationalis ab ipſa ſubſtantia: vegetatiua namque & ſenſitiua, & omnes ſpecies contentæ ſub illis, puta retentiua expulſiua, loco motiua, phantaſia, ſenſus exteriot ſunt materiales, & cum ſubiecto ſpirituali conſtituunt principium operationum vitalium materialium; vel ſi neges eſſe materiales, non tamen negare debes, quin poſſit Deus creare ſubſtantiam ſpiritualem diuerſam ſpecie ab anima, in qua ſint accidentia materialia completiua eius in eſſe operatiuo: quia in hoc nullum apparet inconueniens: immo appareret potius in limitatione diuinæ potentiæ infinitæ, ſi nullam ſpeciem ſubſtantiæ, producere poſſit, quæ in ſe ſpiritualis exiſtens non poſſit

habere proprietates materiales ſibi conuenientes.

Non poteſt fieri vnum principium operatiuum ex ſubſtantia ſpirituali & qualitate materiali.

Primo modo impoſſibile eſt fieri vnum principium, quod reddatur proximè operatiuum per qualitatem materialem extraneam ſpirituali ſubſtantiæ, niſi forte vtraque aſſumeretur à Deo vt inſtrumentum partiale, quod eleuaret; qui caſus non eſt ad præſentem quæſtionem: & probatur, quia ſubſtantia ſpiritualis de ſe non eſt effectiua operationum non conuenientium naturæ ſuæ, neque per adiunctionem extrinſecam ſine vnione partium ad conſtituendum compoſitum, vllam virtutem accipit, aut mutationem, qua reddatur potens, igitur perinde ſe habet, ac ſi abeſſet illa qualitas, verbi gratia Angelus indiſtans ab igne, & calore non magis fit potens calefacere, quàm ſi abeſſet; idque ſiue ſit ſimplex indiſtantia, ſiue penetratio; & ſiue calor poſſit eſſe ſine quantitate, quod non videtur negare S. Th. quodl. 7. a. 10. c. 3. ſiue non poſſit; quia tantum quærimus, quid ſequeretur ex hypotheſi etiam impoſſibili per locum intrinſecum.

De ſecundo ergo modo poſſet dubitari, an ſubſtantia ſpiritualis poſſit affici à qualitate materiali, & cum illa eſſe principium operatiuum effectus aliàs improportionati; & ne dicas, non poſſe ſubjici accidens materiale in ſubſtantia ſpirituali indiuiſibili: finge illam coextendi corpori, ſicut anima rationalis informans omnia membra, & Angelus coexiſtens loco diuiſibili per vbi extenſum in ſententia Soarij: tunc ratio indiuiſibilitatis non obſtat, neque ſpiritualitatis obſtare debet; cur enim ſubſtantia, & accidentia ſpiritualia recipiantur in corpore, & non materialia in Spiritu, ſaltem per diuinam potentiam? Ideo reſpondeo affirmatiuè; & probo, quia in ſententia probabili, quam ſequitur Durand. Dur. in 3. diſt. 16. lux, qua Chriſtus Dominus in transfiguratione reſplenduit, fuit naturalis, & eiuſdem rationis cum luce ſolis; & licet probabilius ſit, fuiſſe ſupernaturalem, vt Suar. t. 2. in 3. p. diſp. 32. ſect. 2. ſecutus S. Thomam, Scot. Ric. & alios; Suar. tamen de poſſibili non eſt, cur negetur naturali luce perfundi potuiſſe: illa autem fuit etiam in anima, quia & in totam ſubſtantiam corporis ab illa manabat, vt plerique putant, & poſſibile fuiſſe non eſt negandum; igitur poteſt qualitas aliqua naturalis materialis affundi ſubſtantiæ ſpirituali, & conſtituere cum illa principium operatiuum, puta illuminandi, ſanandi, &c.

Secundò, in ſententia probabili, quòd potentiæ animæ non diſtinguantur ab anima, ſenſus communis interior, & phantaſia, quæ dicuntur potentiæ, realiter ſunt ipſa ſubſtantia animæ; ergo ſpecies materiales, & phantaſmata recipiuntur immediatè in ſubſtantia ſpirituali, id eſt in ipſa anima, & cum illa complent principium, & operationum materialium phantaſiæ ipſius, & productiuum ſpecierum intelligibilium, ad quas concurrunt phantaſmata; quidni igitur dicamus poſſe Deum qualitates materiales vniri ſubſtantiæ ſpirituali in vnum principium operatiuum?

Tertiò. Creatura materialis per potentiam obedientialem concurrit effectiuè ad effectus ſpirituales, & ſupernaturales, ſi Deus velit, ergo creatura ſpiritualis poteſt etiam concurrere, non tantùm in genere cauſæ ſubiectiuæ per potentiam obedientialem paſſiuam ad effectus aliquos materiales, ſed etiam efficienter; probatur ſequela, quia in vtriſque eſt plena ſubiectio ex parte creaturæ, & perfectiſſimum dominium ex parte Dei, & alioqui in effectibus non apparet implicantia: verbi gratia poſſet Deus facere qualitatem loco motiuam, quæ ſimul eſſet reſiſtitiua, & propulſiua in anima hominis, & per illam mouere montes, attollere pondera, & alias ſimiles operationes efficere, quæ non excedunt potentias corporeas, ſeu materiales motiuas: cum enim omnis reſiſtentia corporum, aut etiam ſpirituum ſit finita, poteſt adeo augeri virtus ſupra illas, vt tandem perueniat ad proportionem maioris inæqualitatis requiſitæ ad ſuperandum, & tunc ſequetur actio, cuius principium erit ſubſtantia ſpiritualis, reddita potens per qualitatem materialem ſimul concurrentem.

Quartò. Vox ſenſibilis Archangeli euocantis mortuos in reſurrectione erit inſtrumentum Chriſti illam perficientis, vt probabile docet ex Patribus Suar. t. 2. in 3. p. diſp. 50. ſect. 4. At quis dubitet poſſe Chriſtum Dominum per ſuam vocem idem efficere? poſſet autem illa naturalis, & materialis eſſe, & coniuncta humanitati componere adæquatum principium operis admirandi. P. Suar. Vox Archãgeli euocantis mortuos in Reſurrectione vniuerſali erit inſtrumentum Chriſti.

Dices, ergo etiam Angelus poſſet eſſe ſubiectum caloris, frigoris, &c. atquo adeo calefacere, frigefacere, &c. quæ ſunt actiones agentium corporeorum: immo & ſentire poſſet, ac vegetare, ſi recipi in eo poſſent potentiæ iſtæ.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia ſubſtantia Angeli non eſt principium partiale potens naturaliter concurrere ad ſimiles operationes, ſicut eſt earum, quæ pertinent ad potentiam loco motiuam, & ideo non diceretur calefacere, niſi materialiter, ſi Deus per ſuam potentiam produceret calorem, quem ipſe per potentiam obedientialem reciperet, ac ſuſtentaret; ſi enim in rebus corporeis aqua, exempli gratia, non dicitur calefacere, niſi materialiter, quatenus ſuſtentat calorem extrinſecus inductum, quia naturæ eius diſconueniens eſt huiuſmodi operatio: quanto minus id dicetur de ſubſtantia ſpirituali, quæ non niſi per potentiam obedientialem recipit accidentia materialia?

Confirmatur, quia poſt reſurrectionem ſenſus corporei beatorum guſtus, auditus, odoratus, potientur felicitate ſibi accommodata, & reſpondente merito per illorum operationes comparato, & proinde erunt qualitates ſenſibiles ſtatui illi conuenientes: has autem non oportet eſſe ſpirituales, vt ſunt ſpecies intellectui ſeruientes, quia ſenſus ipſi non erunt ſpiritus, ergo poſſunt eſſe materiales, & naturales, etiam dato quod poſſint eſſe ſupernaturales, quales eſſe putat Ripal. diſp. 44. n. 64. igitur ſimul cum anima, cui vnientur per ſenſus externos erunt principium ſenſationum longè nobiliorum, quàm ſint in hac vita. *Melodica cantica* (ait Laur. Iuſtin. lib. de perfect. & Monaſt. conuerſ. c. 23.) *cinnum ſupernorum non mediocriter inuicebunt auditum; flagrans quoque ſuauitas cæleſtium odoramentorum mira liquefactione reſpergit odoratum; indicibilis etiam dulcedo omnium delectabilium melliflua quadam, & iucunda* S. Laurent. Iuſtinian.

ſatietate oris ſaginabit palatum, &c. Idem habent alij Patres apud Soar. t. 2. in 3. p. diſp. 45. ſect. 6.

Aſſertio quinta.

EX qualitate materiali naturali indebita ſubſtantiæ, & ex ipſa ſubſtantia materiali conſtitui poteſt adæquatum principium operationum ſuperiorum viribus ſingularum diuerſimodè cum aliis vel ſubſtantiis, vel qualitatibus vnitarum. Explicatur, & probatur. Accidens, ſiue qualitas materialis naturalis comparari poteſt primò cum ſubiecto, cui debetur, vt calor cum igne, & hoc extra controuerſiam eſt conſtitui principium operationum debitarum naturis rerum. Secundò cum ſubſtantia, cui repugnat, vt calor cum aqua, & ex hoc non conſtituitur vnum principium niſi materiale, quia aqua ſolùm ſuſtentat, & non efficit calorem; vnde denominatiuè dicitur calefacere, non effectiuè. Tertiò cum ſubſtantia, cum qua indifferenter ſe habet, id eſt cui neque repugnat, & neque ab ea exigitur, etiamſi non ſit ſupra eius naturam, ſed potius conformetur illi, vt lux in cryſtallo, adamante, &c. Quartò cum ſubſtantia, ſupra cuius naturam eſt, vt quando diuerſa agentia ſpecie differentia, & proinde ſecundùm perfectionem etiam eſſentialem coaleſcunt in vnum, & communicatis mutuò proprietatibus, fiunt principium tertij effectus, qui à neutro ſeparatim produci poteſt, ſicut ſupra dicebamus de inſitionibus arborum diuerſarum ex quibus fructus medij pariuntur, & hæc dicuntur agere præter naturam, quia agentia non exigunt coniunctionem illam accidentalem, aut etiam ſupra naturam, quia effectus ſuperat vires ſingularum ſingillatim ſumptarum.

Dico igitur ex omnibus iſtis qualitatibus fieri poſſe coniunctiones, & ſibi inuicem, & ſubſtantiis corporeis indebitas, iiſque conſtitui principia operationum, & effectuum in infinitum diuerſorum; & quidem loquendo naturaliter, manifeſtum eſt hoc ex variis generationibus animantium imperfectorum, & herbarum, quæ ex vario qualitatum primarum occurſu emergunt, & emergerent, ſi hominum, vel Angelorum operâ actiua paſſiuis applicarentur, *quam*
5. Auguſt. *multi homines*, inquit Aug. l. 3. Trin. c. 9. *nouerunt ex quibus herbis, aut carnibus, aut quarumcumque rerum quibuſlibet ſuccis, aut humoribus vel ita poſitis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, quæ animalia naſci ſoleant*, &c. & mox: Quid ergo mirum, *ſi quemadmodum poteſt noſſe quilibet nequiſſimus homo, vnde illi, vel illi vermes, muſcæque naſcantur, ita mali Angeli pro ſubtilitate ſui ſenſus in occultioribus elementorum ſeminibus norunt vnde ranæ, ſerpenteſque naſcantur, & hac per certas, & notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibenda faciunt creari, non creant*, &c. norunt autem hæc infinitis modis commiſceri, & temperari poſſe, & infinita prope mixta ex diuerſa contemperatione elementorum, vel etiam mixtorum progigni poſſe, ex nullo eorum ſeparatim poſſe. *Sed iſta originaliter, ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta iam creata ſunt, quæ acceptis opportunitatibus prodeunt, vt loquitur ibid. Aug.* Deus autem in theſauris ſuæ ſapientiæ plura apud ſe retinet abſcondita ex poſſibilibus ſibi ſoli notis, & inter hæc qualitates extra numeros à ſe productas, & nulli corporum in particulari debitas, quibus ſi adiungerentur, facerent proportionatum principium operationum, & effectuum inuſitatorum, ſed naturalium. Probatur, quia qualitates, quæ de facto ſunt inditæ corporibus conſtituunt cum illis diuerſa principia iuxta diuerſam vnionem cum ipſis: calor enim verbi gratia cum igne, cui per ſe naturaliter ineſt, exſiccat; cum aqua, cui accidentaliter aduenit, elixat; cum anima, cuius inſtrumentum eſt, concoquit, ſanguificat, carnificat; idem cum tali temperie frigoris, humiditatis, aut ſiccitatis herbificat, prolificat, &c. & idem eſt de reliquis qualitatibus ab initio conditis, ergo hoc quoque contingeret in poſſibilibus, ſi fierent à Deo: quæ enim repugnantia in hoc excogitetur?

Confirmatur quia poſſet Deus dare facultatem homini & currendi ſupra velocitatem ceruorum, & volandi ſupra agilitatem volucrum; ſiue quia perficeretur virtus motiua, quam de facto habet, ſiue quia imprimeretur alia diuerſæ rationis, & perfectior, ſimilis dotibus glorioſis. Poſſet item herbæ, aut lapidi vel creato, vel creabili indere virtutem ſanatiuam omnium, aut plurium morborum: ſiue illa eſſet congenea, & debita naturæ illius, ſiue voluntarie tantùm adiuncta; & ex iis, quæ continentur in potentia naturæ iam conditæ, ac in elementis, ſicut in ſeminibus educere de corporibus quas vellet tam proportionatas, quàm improportionatas, conſeruando ipſarum vires, ac facultates diuerſo modo operantes in diuerſis; igitur ex qualibet materiali naturali qualitate cum qualibet ſubſtantia materiali fieri poteſt principium operationum diuerſarum.

Dices non fore vnum principium ex diuerſis, ſed vnam qualitatem actiuam, cum qua non concurrit actiuè ſubſtantia, ſi non ſit illi debita, ſed ſolum ſuſtentat, & materialiter dicitur agere, vt patet de calore in aqua.

Reſpondeo, ſi ſubſtantia eſt per ſe actiua, & non ſolùm per accidentia fieri poſſe vnum principium per ſe actiuum, & proportionatum effectui ab ipſa, & qualitate ſolùm ſuperaddita producibili, ſi hæc ſit illi congenea, licet indebita, vt in exemplo virtutis motiuæ, ſi augeretur in homine ſupra omnes animantes; quod idem contingeret in huiuſmodi congeneis qualitatibus, etiamſi non eſſet ſubſtantia immediatè actiua; in aliis verò quomodocumque ſe habeat ſubſtantia per extraneam qualitatem ſuperadditam natiuæ etiam actiuæ ſemper reſultaret principium effectus tertij, vt reſultat ex humiditate aquæ natiua, & calore extrinſecus adhibito; vel ſi nullam haberet ſubſtantia qualitatem actiuam ex earum genere, quæ cum cæteris elementariis poſſet concurrere, qualitas addita in ipſa ſuſtentata produceret ſibi ſimile, ac ſi eſſet ſola agens in alio ſubiecto: verbi gratia calor in anima rationali, vel Angelo calefaceret ſibi proximum lignum, ac ſi eſſet in igne in probabili ſententia, quod accidentia in huiuſmodi etiam ſubiectis retineant virtutem agendi, quam retinent etiam extra quodlibet ſubiectum ſuſtentata à Deo.

Horum omnium ratio eſt omnipotentia Dei, qui præter entia creata poteſt alia infinita creare, & ponere qualitates, quas, & in quibus ſubſtantijs voluerit, conſeruando illarum vires, & concurrendo cum illis, ita vt nulla ſit, quæ non recipiat, quicquid Deus recipi voluerit, ſic D. Th. q. vnica de virtut. art. 1. 13. *Secundum hoc,* S. Thom. inquit, *dicimus, quod in tota creatura eſt quædam obedientialis potentia, prout tota creatura obedit Deo, ad ſuſcipiendum in ſe quicquid Deus voluerit.*

Et confirmatur ex dictis ibidem. *Sicut enim,* ait, *ex aqua, vel terra poteſt aliquid fieri virtute corporis cæleſtis; quod non poteſt fieri virtute ignis; ita ex eis poteſt aliquid fieri virtute ſupernaturalis agentis, quod non poteſt fieri virtute naturalis agentis, &c.* Et ſermo quidem eſt de virtutibus infuſis, quæ non educuntur in actum, niſi virtute diuina; ſed potentia obedientiæ, ſecundum quam educuntur, extendit ſe ad omnes qualitates etiam naturales, quæ creabiles ſunt diuerſæ à creatis in corporibus; vel ſi de creatis loquamur, coniungibiles ſunt & inter ſe, & cum ſubſtantijs modis infinitis à Deo.

In ijs igitur, & ſimilibus coniunctionibus creaturarum, vel poſſibilium, vel conditarum elucet potentia obedientialis paſſiua: quia vniũtur inter ſe agentia, quæ naturaliter vniri non poſſunt; & recipiuntur accidentia, quæ naturaliter produci non poſſunt, neque exiguntur à ſubiectis, in quibus ponuntur, immo & quæ interdum ſunt ſupra, vel contra naturalem exigentiam illorum; & licet in omnibus non exerceatur potentia obedientialis actiua modo ſuperius explicato, quia facta coniunctione per Dei virtutem, conſtituitur vnum principium proximè potens operari cum Dei concurſu ordinario in genere prouidentiæ vel naturalis, vel ſupernaturalis iuxta naturam diuerſam vnitorum; nihilominus exerceri poteſt etiam actiua in ordine ad effectus naturales, ſi ſint ſupra vires qualitatis nouæ inditæ corpori præter eius exigentiam, vel ſupra virtutem antiquæ debitæ corporibus, quæ creata ſunt, & ea vtatur Deus ad ſimiles effectus, vel ſupra, vel iuxta vſitatum naturæ curſum ab alijs ſolum cauſis producibiles.

Valet ad confirmationem quod habet Sanct. Auguſt. lib. 21. Ciu. c. 8. de ſtella Veneris, quæ mutauit colorem, magnitudinem, figuram, curſum: *Quid ita,* inquit, *diſpoſitum eſt ab auctore naturæ cæli, & terræ, quemadmodum curſus ordinatiſſimus ſyderum? Quidnam ratis legibus, fixiſque firmitum? & tamen quando ille noluit, qui ſummo regit imperio, ac poteſtate quod condidit, ſtella præ ceteris magnitudine, ac ſplendore notiſſima, colorem, magnitudinem, figuram, & quod eſt mirabilius, ſui curſus ordinem, legemque mutauit,* &c. conſequenter etiam mutaſſe dicitur influxum, & operationem, quæ non potuit eadem remanſiſſe in tanta accidentium mutatione. S. Auguſt. Stella Veneris mutauit magnitudinem, figurã.

Reſpondetur argumentis contrarijs.

CAPVT IV.

Primum eſt

CONTRA primam aſſertionem. De ratione accidentis ſpiritualis naturalis eſt vel emanare de ſubſtantia, quam perficit, vel educi, & fieri dependenter ab illa, ergo nullum tale accidens eſt quod non depoſcat ſibi aliquam ſubſtantiam, cui inhæreat. XIV.

Confirmatur, quia accidens in genere dicit habitudinem eſſentialem ad ſubſtantiam in genere tanquam ad ſubiectum neceſſarium ad ſuſtentationem ſui, ergo tale accidens in ſpecie dicit ordinem ad talem ſubſtantiam in ſpecie.

Deinde ſi daretur accidens ſpirituale nulli ſubſtantiæ debitum, non eſſet ſubordinatum vlli cauſæ ſubſtantiali in agendo, quia operari ſequitur eſſe: & proinde ſi hoc non eſt ſubordinatum, ac dependens: neque etiam erit illud; ex duobus autem agentibus æquiuocis non ſubordinatis non poteſt conſtitui vnum principium actiuum, niſi vtrumque habeat à natura virtutem incompletam aptam compleri ab altera; quod non habet ſubſtantia reſpectu accidentis ſibi non debiti.

Denique ſi accidens ſpirituale conſtituit cum ſubſtantia ſpirituali, cui non debetur, vnum principium proportionatum alicuius effectus, vel ipſum ſolum concurrit effectiuè ad illum, vel ſimul cum ipſo concurrit etiam ſubſtantia: ſi primum ergo ſubſtantia dicitur tantum materialiter concurrere, quatenus ſuſtentat: ſicut aqua in productione caloris, hoc autem non eſt conſtituere vnum principium cum ſubſtantia, cui magis proportionetur; quia in quacumque ſubſtantia haberet virtutem illam operandi: ſi ſecundum, ergo ita ſe habet ſubſtantia cum illo accidente, ſicut ſe habet cum alijs, quæ ipſi naturaliter debentur; quod videtur inconueniens: quia aliter ſe habet ſubſtantia ad accidentia ſibi debita vt complementa ſui eſſe, & virtutis operatiuæ: aliter ad extranea ſibi non debita quomodocumque deinceps congenea.

Reſpondeo ad argumentum diſtinguo conſequens; nam exigentia accidentis ad inhærendum vel conſideratur indefinitè, & vagè, vel determinatè ad certam ſpeciem, aut individuum. Primo modo concedo conſequentiam; Secundo modo nego; ſicut materia exigit indeterminatè aliquam formam determinatè nullam: & color exigit corpus, cui inhæreat indeterminatè, ſed non hoc, vel illud, huius, aut illius ſpeciei, quia ſequitur ad exigentiam diſpoſitionum formæ: & dato quod Deus produceret calorem, vel calorem ſine ſubſtantia, non eſſet ratio, cur vni potius deberetur, quàm alteri. Idem eſt de qualitate ſpirituali præſertim ſpecie diſtincta ab omnibus, quę defacto conditæ ſunt, & conueniunt ſubſtantijs creatis.

Ad confirmationem, nego ſequelam, ſicut ſi diceres, color in genere poſtulat ſubiectum, cui

inhæreat in genere, ergo talis color in ſpecie, puta albedo, poſtulat tale ſubiectum in ſpecie, puta lignum: non valet, quia & anſer, & columba, & nix ſunt alba; ſicut neque valet, ergo tale accidens in indiuiduo poſtulat tale ſubiectum in indiuiduo: poteſt enim abſolutè fieri à Deo talis albedo ſine ſubiecto, quæ non magis poſcat inhærere vni, quàm alteri indiuiduo talis, vel alterius ſpeciei: & idem eſt de qualitate ſupernaturali, quam vellet producere Deus.

Inſtabis, cur omnis ſubſtantia ſpiritualis depoſcit ſibi tale accidens particulare, & vice verſa omne accidens ſpirituale non poſcit ſibi talem ſubſtantiam ſpiritualem?

Reſpondeo, quia ſubſtantia eſt principium emanatiuum ſuorum accidentium, & ideo exigit illa ſibi proportionata, accidens autem à Deo ſolo productum non habet connexionem cum vlla ſubſtantia particulari, & ideo nullam in particulari exigit.

Ad alteram confirmationem nego ex duabus cauſis minimè ſubordinatis, etiam æquinocis conflari non poſſe vnum principium proportionatum effectus vllius: vt patet ex multis, quæ accidentaliter vnitæ operantur diuerſo modo ac ſeparatæ.

Ad tertiam. Si ſubſtantia eſt immediatè operatiua, poteſt cum qualitate aliqua ſpirituali ſibi indebita concurrere effectiuè: ſi non, concurret aliqua potentia ipſius: ſi enim de facto concurrit lumen gloriæ, & intellectus ſupernaturaliter, cur non poſſet cum aliqua naturali qualitate ſibi pariter indebita concurrere? verbi gratia cum ſcientia perfectiſſima rerum omnium naturalium ſuperante etiam illam, quam habuere Adam, & Salomon? Neque tamen ſubſtantia eodem modo ſe haberet ad qualitatem illam indebitam, ſicut ad alia naturaliter requiſita, quia cum ijs habet connexionem neceſſariam, illaque appetit vt complementa ſui, non item cum alijs, licet augentibus perfectionem, ſi addantur.

Argumentum ſecundum.

XV. Soar.

EST contra ſecundam aſſertionem, quia de facto in Euchariſtia quantitas habet modum per ſe exiſtendi actuali inhærentiæ repugnantem, in ſententia probabili Soarij t. 3. in 3. p. diſp. 57. ſectione 2. igitur fieri poteſt accidens ſpirituale ſine ſubiecto, quod per ſe exiſtat modo ſibi proportionato, & naturali, immo hoc eſt neceſſarium, vt aſſignetur aliquis terminus diſtinctus voluntatis, ſeu decreti producendi illud in ſubiecto cum inhæſione: ſicut aſſignandus eſt diſtinctus voluntatis creatiuæ, & eductiuæ; ex hoc autem ſequitur, poſſe produci aliquod accidens ſupernaturale, quod non poſtulet eſſe in vllo ſubiecto: nam intantum poſtulat inhærere inquantum vel propter ſui debilitatem poſtulat ſuſtentari, & conſeruari; vel inquantum debetur ſubſtantiæ vt complementum ſui eſſe. Sed neutrum obſtat, non primum: nam dato quod habeat modum per ſe exiſtendi, æquè bene conſeruatur ac in ſubiecto, ergo in nullo poſtulat eſſe; ſicut de facto humanitas Chriſti non exigit propriam ſubſiſtentiam, quia nobilius ſubſiſtit per diuinam: præſertim quia modus ille eſſet ſupernaturalis, & perfectior, quàm inhæſio in ſubiecto; nobilius quippe eſt per ſe exiſtere, quàm inexiſtere, quod indigentiam alieni ſubſidij indicat, & multo magis per modum ſupernaturalem, qui perfectius quid eſt, quàm inhæſio, quæcumque illa ſit. Quod autem dicitur de accidente, quod eius eſſe eſt ineſſe, verum eſt, ſi non habeat nobiliorem modum eſſendi per ſe. Neque obſtat ſecundum, quia non apparet impoſſibilitas accidentis diſtincti ab omnibus, quæ condita ſunt, quod nullius ſubſtantiæ ſit complementum, neque ab vlla exigatur in particulari.

Confirmatur, quia ſuppoſito quod qualitas illa non ſit debita vlli ſubſtantiæ, eo quod nullum accidens ſupernaturale ſit debitum ſubſtantiæ naturali, & hæc non exigat niſi naturalia ſibi proportionata, perinde illi bonum eſſet ſuſtentari à ſubſtantia materiali, ac à ſpirituali, & non magis vnam, quàm alteram depoſceret: in vtraque enim eſſe poteſt, non ſecus ac forma ſubſtantialis ſpiritualis in corpore, & Angelus in loco extenſo, vt ſupra diximus; atqui videtur contra naturam entis ſpiritualis, & ſupernaturalis exigere indifferenter ſubiectum corporeum, aut incorporeum, à quo ſuſtentetur, ſi extra indigentiam ſuſtentationis, fit per modum ſupernaturalem exiſtendi per ſe, ſicut diximus de Chriſti humanitate.

Confirmatur ſecundò. In ſententia probabili, quòd lumen fiat per extramiſſionem à corpore luminoſo, non educitur de potentia medij, neque ſuſtentatur ab illo, ſed à continuo influxu luminoſi; cur igitur non ſit poſſibile accidens ſpirituale ſupernaturale, quod ſaltem poſtulet conſeruari à Deo, & non ſuſtentari à ſubiecto? Simile quid habet de radijs oculorum S. Aug. l. 1. de Gen. ad lit. c. 16. *Iactus enim radiorum ex oculis noſtris cuiuſdam lucis euidens eſt ſaltus, & contrahi poteſt, cum aërem, qui proximus eſt oculis noſtris intuemur, & emitti, cum ad eamdem rectitudinem, quæ ſunt longè poſita attendimus.* S. Auguſt.

Reſpondeo ad argumentum, conceſſo toto antecedente, nego ſequelam; ad probationem dico, quod dupliciter loqui poſſumus de accidente ſeparato; primò ſecundum, ea quæ ipſius naturæ per ſe conueniunt; deinde ſecundum illa, quæ extrinſecus aduenium. Primo modo per ſe exigit ſubiectum: quia propter illud factum eſt in bonũ eius, illud enim perficit: & in bonũ ſuũ, quia ab ipſo ſuſtentatur, & conſeruatur in eſſe. Secundo modo poteſt non exigere actualiter, & per accidens, quatenus habet miraculosè modum nobiliorem à Deo, cui tota natura cum ſit ſubdita eſſentialiter, nihil illi violentum eſt, aut innaturale, quod accipit ab auctore ſuo, vt ſupra Auguſt. cit. c. 8. l. 21. de Ciu. Cæterum ſi conſideretur ſecundum ordinem rerum de facto inſtitutum, & exigentiam illi conformem, ex eo quod accidens eſt, ineſſe poſtulat ſubſtantiæ alicui ſaltem indeterminatè. Accidens ſeparatum dupliciter conſideratur. S. Auguſt.

Ad primam confirmationem reſpondeo, exigentiam accidentis eſſe non ſolum inhærere ſubiecto, ſed etiam magis conformi naturæ ſuæ, etiamſi non ſit illi debitum, nec exigatur ab illo: habet enim ſe vt perfectiuum ſubiecti, & plurimum in ordine ad operandum; & ideo magis proportionantur ſubſtantia ſpiritualis, & accidens ſpirituale, quàm ſubſtantia corporea, vt patet in gratia, virtutibus infuſis, &c.

Ad ſecundam confirmationem admiſſa pro-

Digitized by Google

babilitate ſententiæ Perſpectiuorum probantium validis experientijs lumen cauſari per extramiſſionem, non ſequitur, quod non exigat eſſe in ſubiecto: nam primum eſt in corpore luminoſo ſubiectiuè, & illud idem continuatione perſeuerat in medio, in quo recipitur non per tranſmiſſionem, quaſi ab vno ſubiecto in alterum tranſmittatur; ſed per virtutem luminoſi potentis in tota ſua ſphæra momento ponere ſplendorem in ſe contentum virtualiter. Quod ſi velint extramitti accidens formaliter in ipſo exiſtens, nego ita fieri illuminationem: quia contra Philoſophiam eſt, quòd accidens migret de ſubiecto in ſubiectum. Deinde lumen ſubiectatur in medio, ſecundum communem Philoſophorum ſententiam, etiamſi conſeruetur effectiuè à luminoſo, ad differentiam aliorum accidentium, quæ non poſtulant conſeruari ab agente ſuo, vt calor, & cæteræ primæ qualitates, ſed quicquid ſit de quæſtione Philoſophica luminis in fieri, & conſeruari, nego dari poſſe accidens, quod poſtulet per ſe, & non in alio exiſtere, ac ſuſtentari: quia iam non eſſet accidens. Idem dic de radijs ex oculis prodeuntibus, ſi quid radiorum extramittitur ab illis; quod reddit probabile experientia in paucis, qui in tenebris clarè vident, & legunt, vt de Cæſare.

Extramiſſio luminis in ſententia Perſpectiuorum.

Argumentum Tertium.

XVI. EST contra tertiam aſſertionem, quia ſi poteſt effectus naturalis cauſari à qualitate ſupernaturali, deberet in ipſo reperiri ratio aliqua, ſecundum quam reſpiceret potius hanc cauſam, quàm aliam, à qua produci potuiſſet: verbi gratia ſi datur vbi intrinſecum in ſententia probabili deberet habere diuerſum reſpectum ad dotem agilitatis ſupernaturalem, à qua fieret, ac ad potentiam motiuam naturalem, ſi ab ea produceretur: ſed nulla talis ratio eſt in effectu naturali reſpectu ſupernaturalis; ergo. Minor probatur: quia nihil poteſt eſſe fundamentum in re naturali relationis ad ens ſupernaturale vt ſic, alioqui poſſet etiam eſſe in re ſupernaturali ad naturale vt ſic, verbi gratia in viſione beata ad intellectum, vt eſt potentia naturalis: cur enim ſit ratio fundandi relationem in effectu naturali ad cauſam ſupernaturalem, vt ſupernaturalis eſt, & non in effectu ſupernaturali ad cauſam naturalem vt naturalem, à qua producitur?

Confirmatur, quia modus operandi ſequitur modum eſſendi, ergo ſi cauſa habet eſſe ſupernaturale, etiam modus eius operationis erit ſupernaturalis, & proinde etiam terminus ſupernaturalis: quia ſicut cauſa naturalis per modum cauſandi ſibi proportionatum producit terminum naturalem, ita ſupernaturalis ſupernaturalem.

Confirmatur ſecundò, quia habitus infuſus ſupernaturalis non poteſt cum potentia naturali eſſe principium actus naturalis: verbi gratia habitus caritatis non poteſt cauſare dilectionem naturalem, ergo neque aliæ qualitates ſupernaturales poſſunt; eſt enim eadem ratio omnium petita à proportione inter cauſam, & effectum, qualis non eſt inter naturale, & ſupernaturale.

Reſpondeo ad argumentum, nego Minorem; ad probationem dico cauſam ſupernaturalem conſiderari poſſe vt cauſa eſt, vel vt ſupernaturalis eſt, vt in effectu eſſe rationem fundandi relationem ad illam, vt cauſa efficiens eſt, & non vt ſupernaturalis eſt, ſi effectus ſit naturalis: ſic enim omnis creatura naturalis fundat relationem ad Deum, vt ad cauſam efficientem, non vt eſt ſupernaturalis; quia hoc eſt per accidens creaturæ, per ſe autem quod ſit à cauſa potente producere, & conſeruare: ita effectus naturalis reſpicit qualitatem ſupernaturalem, quatenus ab illa pendet, quæ dependentia non eſt reſpectu ſupernaturalitatis vt ſic, ſed virtutis effectiuæ: eſt autem diſpar ratio de effectu ſupernaturali, quia hic non poteſt eſſe à cauſa naturali, ſicut effectus naturalis à ſupernaturali, qui perfectior eſt.

Ad primam confirmationem, illud Axioma habet varias explicationes, de quibus infra in diſputatione de viſione beatifica agendum eſt, in propoſito ſufficit, quòd qualitas illa ſpiritualis ageret modo conuenienti ſuo eſſe, id eſt dependenter à cauſa prima, & à ſubiecto, cuius ſuſtentatione indiget, & cum limitatione ad tales effectus: ſed hinc non arguitur, quod non poſſet eſſe ſupernaturalis, quia ipſa eminenter eſt naturalis.

Ad ſecundam confirmationem nego ſequelam; diſparitas eſt, quia habitus infuſi virtutum ſunt eſſentialiter propter actus ſupernaturales, & ad illos determinati ob immediatam connexionẽ cum gratia, cuius ſunt diſpoſitiones, aut proprietates, & cum gloria, ad quam ordinantur per ſe; ſed præter illos poſſibiles ſunt aliæ qualitates ſupernaturales non determinatæ ad actus ſolum ſupernaturales, neque ad animam, tanquam ad ſolum ſubiectum; & iſtæ poſſunt eſſe principia effectuum naturalium, vt patet ex dictis: proportio autem inter cauſam, & effectum non arteuditur penes eſſe, ſed penes virtutem productiuam, & producibile.

Proportio inter cauſã, & effectum arteuditur penes virtutem productiuam & producibile.

Quartum Argumentum.

XVII. EST contra reliquas concluſiones, quia ſi per coniunctiones varias qualitatum illarum cum diuerſis ſubſtantijs tam ſpiritualibus, quàm corporeis poſſunt conſtitui principia proxima, & adæquata effectuum inuſitatorum; poſſent etiam plures, vel omnes qualitates, quæ conditæ ſunt cum ſubſtantijs, quarum ſunt propriæ per potentiam obedientialem ex ſolo Dei decreto conſtituere principium operatiuum extendens ſe vltra ſphæram, quam de facto habet: quia hoc non magis repugnat, quàm quod conſtituant cum alieno ſubiecto. Pro reſponſione quærendum eſt, an & quomodo per Dei decretum applicans ſuam omnipotentiam creaturæ fiat de non potente potens operari; Et quia ſupponimus nullam phyſicam mutationem per hoc fieri in creatura, difficultas eſt quid reſpondeat à parte rei decreto, ſi quidem intrinſecè idem eſt ac diuina eſſentia, in qua non eſt mutatio.

Google

An per decretum eleuandi creaturam fiat aliqua mutatio in ipſa.

CAPVT V.

I. Senſus quæſtionis.
II. Duplex ſententia.
III. Aduertenda pro reſolutione.
IV. Datur mutatio obiectiua ex vi diuini decreti.
V. Probatur auctoritate, & ratione multiplici.
VI. Quid ſit mutatio obiectiua.
VII. Solutio argumentorum.

XVIII. NOn poteſt ſatisfieri quæſito particulari, niſi videatur in genere, an, & quid cauſet decretum Dei efficax, antequam mandetur executioni per actualem exiſtentiam rei decretæ; quod enim ſtatuetur de quæſtione vniuerſali, hoc etiam propoſitæ materiæ de eleuatione creaturæ ad eſſe cauſæ inſtrumentalis in actu primo facile accommodabitur: quicquid deinceps ſit decretum, & quicquid addat ſupra eſſentiam; quæ ſunt quæſtiones diuerſæ ab ea, quam in præſentia agitamus, quæ tota in eo eſt poſita, vt occurrat argumento improbanti prædictum modum eleuandi creaturam ſine additione vlla intrinſeca. Senſus ergo quæſtionis vniuerſalis eſt, an per decretum Dei, præciſa qualibet extrinſeca ipſius operatione, & productione creaturæ in eſſe actuali, fiat aliqua mutatio realis, non in exiſtentia, quæ ſupponitur non produci; ſed in aliqua ratione, quæ vocetur obiectiua, eo quod ſit obiectum terminans actum liberum diuinæ voluntatis, & ſit quid medium inter ens actu exiſtens, & poſſibile, quale eſt eſſe futurum, quod intelligitur habere res in ſecundo ſigno per decretum Dei, quod non intelligebatur habere in primo ſigno ante decretum, pro quo verum erat, mundum eſſe poſſibilem, ſed non proximè, & poſitiuè futurum, quia hoc accepit vi decreti; & in propoſito de potentia obedientiali, aqua exempli gratia, conſiderata ſecundum ſe, & abſolutè non eſt potens producere gratiam; poſito decreto fit potens per diuinam aſſiſtentiam; quæ eſt mutatio aliqua realis, id eſt non per ſolum opus intellectus; neque tamen actualis, quia ſupponimus nullam in ea fieri mutationem actualem; quærimus igitur, an ſit admittenda talis mutatio; an verò alia ratione ſaluetur veritas huiuſmodi propoſitionum, à quibus fit tranſitus à contradictoria in cõtradictoriam, qui nec intelligibilis quidem eſt ſine varietate, & mutatione aliqua, quæcumque illa ſit; nam ijſdem terminis intrinſecis, & extrinſecis penitus inuariatis, quomodo poteſt propoſitio illis conſtans tranſire à negatione ad affirmationem, aut vice verſa?

P. Didac Ruiz. Vaſq. Pro prima ſententia negatiua refertur à P. Didaco Ruiz de voluntate Dei diſp. 12. ſect. 1. P. Vaſq 1. p. diſp. 67. c. 4. ſed ibi n. 21. tantum habet quod decretum Dei de re facienda nihil addit ſupra eſſentiam, niſi reſpectum rationis ad rem futuram; & cum diſp. 80. n. 6. addat huiuſmodi reſpectum conſurgere ex obiectis futuris, ſupponit mutationem aliquam vt fundamentum eius, quo caret res non futura, & ſolum poſſibilis: & non ſatis eſt, quod intellectus noſter concipiat mutationem ſaltem futuram, vt intelligatur Deus velle creaturas, vt docet diſp. 79. n. 8. nam debet dari fundamentum huius conceptus, quod non eſt res poſſibilis, ſed futura per decretum. Ex alia parte meritò citatur pro hac ſententia Vaſq. nam. 1. p. p. diſp. 82. c. 6. ait Deum non poſſe ordinare vnam rem ad aliam, vt finem, niſi ex voluntate operantium, aut ex ſe habeat naturalem habitudinẽ ad illum, vel in illa fiat aliqua mutatio realis, per quam talem ordinationem recipiat. Et ibid. ad argumentum, quod poteſt aliquis voto obſtrictus ſola Dei volũtate liberari, reſpondet non poſſe, niſi facta reuelatione liberationis: quia alioqui nulla eſt mutatio in Deo, aut in homine, & proinde manet obligatus vt prius: quod repetit 1. 2. diſp. 206. c. 3. & ſequitur P. Valen. de Herice diſp. 17. c. 1. & alij recentiores ob fundamentum illud, quod decreto Dei reſpondere debeat ad extra mutatio aliqua realis actualis.

Secunda ſententia eſt poſſe eſſe decretum efficax Dei ſine vlla actuali productione rei ad extra, aut phyſica mutatione, & ſufficere obiectiuam. Eſt Soar. 1. p. l. 1. de eſſentia prædeſtinationis c. 1. & alibi non ſemel; Aluar. diſp. 7. de Auxil. n. 32. & lib. reſponſ. c. 4. Ruiz loc. cit. & aliorum apud ipſum, eſtque SS. Bonau. & Thom.

Aduertenda pro reſolutione.

XIX. SVppono primò doctrinam communem, & certam, decretum Dei, ſiue actum liberum realiter identificari eſſentiæ, & voluntati, à qua per noſtrum modum concipiendi manat, & manet per identitatem ſummam; *Sed ante omnia meminerimus*, ait S. Auguſt. l. 1. de Gen. ad lit. c. 18. *vnde iam multa diximus non temporalibus quaſi animi ſui, aut corporis motibus operari Deũ, ſicut operatur homo, vel Angelus; ſed æternis, atque incommutabilibus, & ſtabilibus rationibus coæterni ſibi Verbi ſui, & quodam, ita dixerim, flatu pariter coæterni Sancti Spiritus ſui*, &c. quibus denotatur & æterna operatio aliqua tendens in creaturas, & eadem indiſtincta ab eſſentia ſua: eamque eſſe ſcientiam ſignificatam per incommutabiles rationes Verbi ſui; & volitionem per flatum coæterni Spiritus; ſicut enim in ipſa rerũ omnium ideæ, ſeu rationes incommutabiles pariter indiſtinctæ; ad quas, & non ad aliud extrinſecum reſpicit diſponens de rebus. Sic Aug. lib. 6. Trin. c. vlt. *Verbum*, inquit, *perfectum, cui non deſinit aliquid, & ars quæda omnipotentis, atque ſapientis Dei plena omnium rationum viuentium, incommutabilium, & omnes vnum in ea, ſicut ipſa vnum de vno, cum quo vnum. Ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipſam*, &c. S. Auguſt.

Suppono ſecundò quod eſt certum de fide, decretum Dei æternum nullum rei dediſſe actuale eſſe ab æterno. *Si dixero ſemper fuiſſe creaturam*, ait Auguſt. l. 12. de Ciu. Dei c. 15. *Cuius Dominus eſſet, qui Dominus ſemper eſt, nec Dominus vnquam non fuit, ſed nunc illam, nunc aliam per alia, atque alia temporum ſpatia, ne aliquam* Nulla res æterna ex creatis. S. Auguſt.

creaturi coæternam esse dicamus, quod fides, ratioque sana condemnat, &c. Vnde & inter articulos fidei reponitur à S. Th. 1. p. quæst. 46. a. 1. quòd mundus non fuerit ab æterno: & probatur à S. Bon. in 2. d. 1. a. 1. quæst. 2. & non est ratio probabilis de vlla creatura in particulari, immo idem S. Bonau. in 1. 2. 9. dub. 15. putat esse intelligibile quòd creatura aliqua potuerit esse ab æterno; tractat quæstionem Soar. in Metaph. disp. 31. sect. 2. probans essentiam creaturæ ab æterno non habere ens reale in seipsa distinctũ ab esse Dei, & disp. 20. sect. 6. non habuisse existentiam vllam, etiamsi de cætero censeat non repugnare n. 11. proinde non quæro an mutatio obiectiua sit aliqua creatura reducta ad actum existendi ab æterno per decretum Dei; sed an ex eo quod vi decreti est reducenda in tempore, & extracta fuit à statu possibilitatis meræ ad esse futurum verè, & realiter, mutatum sit obiectum, ita vt res eadem possibilis non differens realiter à se futura, & existente pro tempore, prout stat sub decreto Dei volentis illam producere, sit diuersum obiectum diuinæ voluntatis, & intellectus à seipsa vt possibili; ad hanc enim mutationem, & transitum non est necesse intercedere actionem Dei ad extra, sed sufficit decretum intrinsecum, quicquid deinde illud sit; & illud est necessarium; alioqui res non esset futura, sed solùm possibilis; neque item necesse est fieri per illud rem nouam distinctam ab illa, quæ erit, sed rationem aliquam posse in ea concipi cum fundamento in re, qui est diuinæ voluntatis æternus actus terminatus liberè ad creaturas, quas producit in tempore, iuxta dictum sancti Augustini l. 12. de ciu. c. 17. *Nouit quiescens agere, & agens quiescere. Potest ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium, nec pœnitendo quia prius cessauerat, cœpit facere quod non fecerat; sed etsi prius cessauit, & posterius operatus est, quod nescio quemadmodum ab homine possit intelligi, hoc procul dubio, quod dicitur prius, & posterius, in rebus prius non existentibus, posterius existentibus fuit; in illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutauit, aut abstulit voluntatem, sed vna eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt prius non essent, egit quamdiu non fuerunt, & vt posterius essent, quando esse cœperunt.*

S. Thom. — S. Bonau. Soar. — S. Augustin.

Suppono tertiò in actibus diuinæ voluntatis, & intellectus dari fundamentum concipiendi ordinem prioris, & posterioris, secundum quædam signa rationis, vt explicat Soar. in 1. p. de Prædest. c. 4. l. 6. quamquam enim in ipso nihil est prius, & posterius, cum sit simplicissimus; quia tamen obiecta habent inter se aliquem ordinem, distinguimus actus diuinos secundùm nostrum modum concipendi, tanquam ipsis obiectis respondentes, & inter se ordinatos, sicut distinxit Apostolus Rom. 8. *Quos præscitus, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij, &c.* Sic quia res prius, & magis necessariò est possibilis, quàm futura; ideo distinguimus in Deo scientiam simplicis intelligentiæ à scientia visionis, & actum intellectus ab actu voluntatis, per quem res transit ab esse possibili ad esse futurum, & in ipso esse futuro est finis, sunt & media penes quæ attenditur etiam ordo in decretis diuinis, vt communiter Theologi cum S. Th. 1. p. q. 23. a. 4. & 1. 2. q. 110. a. 1. & 3. p. q. 1. a. 3. vbi Thomistæ vniformiter, & Soar. Vasq. Valent. quos sequitur Herice disp. 15. c. 5. & alij probantes ex August. l. 1. ad Simplic. q. 2. & de Prædest. Sanctor. passim distinguente voluntatem dandi gloriam ab electione ad gratiam, vt vnam faciente priorem altera: licet in modo explicandi & ordinem in genere, & duas istas voluntates non conueniant inter se auctores citati, sed solùm in conclusione vniuersali de ordine diuinorum actuum, contra Nomin. negantes hæc signa in Deo, vt videre est apud Ocham. in 1. d. 9. q. 3. Gabr. in 3. d. 2. q. 1. dub. 3. sed gratis, cum nulla ponatur compositio, vel dependentia realis in diuinis, aut distinctio, realis actuum, sed solùm rationis cum fundamento in infinita perfectione Dei, & ordine obiectorum ad opera. Et alioqui doctrina communis Theologorum inseruiat explicationi multarum difficultatum, & locorum scripturæ identidem tribuentis Deo multiplices actus intellectus, ac voluntatis, haud dubiè in ordine ad varia obiecta & nostrum intelligendi modum, qui alias infinitam illam vim operatiuam in se simplicissimam non apprehendimus.

S. Thom. — Soar. Vasq. Valent. Herice. — Ocham negat hæc signa & Gabr.

Et quamquam P. Pet. Hurt. de Incarn. disp. 13. §. 167. putat imponi Ochamo, Gabr. cæterisque Nominalibus, quòd negent hunc ordinem in diuinis actibus, eo quod secundùm ipsum solùm negent obiectiuas præcisiones in obiectis realiter identificatis; tamen locis citatis absolutè tollunt ordinem, vt explicantur à reliquis Theologis, & apparet manifestè ex quæstione, quam tractant de decreto Incarnationis: an scilicet priùs illa sit decreta, & volita Christi, & electorum gloria, quàm præuisum peccatum Adæ, & ordinata in eius remedium: & respondet Gabr. in 3. cit. & dist. 19. q. vn. a. 2. concl. 4. quod illæ prioritates in diuinis non sunt ponendæ, sicut nec pluralitas actuum ordinatorum secundùm imaginationem Doctoris subtilis; vnus enim est actus in diuinis re, & ratione indistinctus, qui est ipsa essentia diuina, quo ipsa vnica cognitione præuidit Christi Incarnationem omnium electorum futuram beatitudinem, casum, & reparationem per Christi passionem, &c. Non solùm igitur negant illi distinctionem actuum inter se, & ab essentia, sed & ordinem propter summam identitatem, in qua non est prius, & posterius, nisi secundùm originem, & consequentiam non conuertibilem, vt docent in primo cit. contra quos sunt communiter reliqui Scholastici admittentes hæc signa, quæ in præsentia supponimus.

Petr. Hurt.

Signa prioris, & posterioris in diuinis. Soar.

Assertio prima.

XX. EX vi decreti diuini admittenda est mutatio obiectiua sine vlla actuali mutatione Physica rei, supra quam cadit; hoc est dicere, quod Deus per actum suæ voluntatis liberè terminatum ad creaturas dat illis vel esse futurum, vel ordinat vnam ad aliam, vel aliter disponit de illis, etiamsi nihil operetur ad extra; & quòd virtute huius decreti res de possibili simpliciter transit ad esse futurum simpliciter, vel tali modo; vel accipit esse medij, aut finis per efficacem ordinationem Dei.

Probatur, quia rem esse futuram vt sic formaliter non est idem obiectum cognoscibile,

Digitized by Google

aut appetibile, ac eſſe poſſibilem; ſed ex vi decreti accipit eſſe futurum, ergo accipit diuerſum eſſe obiecti, &c. Quæ eſt mutatio obiectiua.

S. Auguſt. Maior eſt S. Auguſt. lib. 26. contra Fauſt. c. 6. *Porro ſi audiam quod aliquid futurum erat, ſed Deus fecit, ne fieret, fidiſſimè reſpondebo, illud potius futurum erat, quod Deus fecit, non illud, quod ſi futurum eſſet, hoc non feciſſet. Nam Deus quod facturus erat, vtique ſciebat: & ideo ſimul ſciebat illud futurum non fuiſſe, quod ne fieret factturus erat. Et proculdubio potius verum eſt, quod ſcit Deus, quàm quod optatur homo; vnde tam non poſſunt futura non fieri, quàm non fuiſſe facta præterita; quoniam non eſt in Dei voluntate, vt eo ſit aliquid falſum, quo verum eſt,* &c. Ex quo patet, quod futurum formaliter non eſt idem obiectum, aut idem verum, quod poſſibile formaliter: quicquid deinde ſit poſſibile: ſicut non eſt idem præteritum & futurum, & ideo illud eſt futurum, quod Deus nouit eſſe futurum; non autem quod nouit tantum eſſe poſſibile; nam etiam quod non eſt futurum, Deus nouit non eſſe futurum, ſed ſolùm eſſe poſſibile; & ſi vellet illud facere noſceret eſſe futurum, & non tantum poſſibile. Minor probatur

S. Auguſt. ex eodem S. Auguſtino l. 6. de Gen. ad lit. c. 17. vbi docet illud eſſe futurum, non quod ſecundùm cauſas inferiores futurum eſſet, ſed quod Deus ſua voluntate decreuit, & prænouit futurum; *Nam multa*, inquit, *ſecundum inferiores cauſas futura ſunt, ſicut ibi ſunt; ſed ſi ita ſunt, & in præſcientia Dei verè futura ſunt, ſi autem ibi aliter ſunt, ita potius futura ſunt, ſicut ibi ſunt, vbi qui præſcit, falli non poteſt,* &c. Et dato exemplo Ezechiæ, cui Deus quindecim annos addidit vitę, ſubdit, *Secundum aliquas igitur cauſas inferiores iam vitam finierat; ſecundum illas autem, quæ ſunt in voluntate, & præſcientia Dei, qui ex æternitate nouerat quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finiit vitam,* &c. Et lib. 12. Ciu. c. 16. tractans locum Apoſtoli ad Tit. 1. *Quam promiſit, vitam æternam, qui non mentitur Deus, ante tempora ſæcularia, vel vt ipſe legit, æterna; Quomodo autem promiſit*, inquit, *cum hominibus vtique promiſerit, qui nondum erant ante tempora æterna: niſi quia in ipſius æternitate, atque in ipſo eius verbo eidem coæterno, iam prædeſtinatione fixum erat, quod ſuo tempore futurum erat?*

Quò pertinent tam multa, quæ habet de propoſitis in lib. de Prædeſt. ſanctorum, & l. 1. ad Simplic. quæſt. 2. ad eo enim accipit eſſe futurum tota ſeries operationum, per quas ſaluantur electi, vocatio, iuſtificatio, perſeuerantia, glorificatio: & hoc dicitur eſſe ante mundi

S. Auguſt. conſtitutionem; Epheſ. 1. *Vnde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſcientia*, ait, Auguſt. dicta quæſt. 2. & loquitur de electione temporali ſubſequente iuſtificationem: quæ tamen dicitur æterna ſecundum præſcientiam, & voluntatem Dei, ſiue propoſitum, à quo decreta eſt; *Non erge*, inquit, *ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, id eſt, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius; ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum,* &c. Vidit ergo Deus omnes actus poſſibiles, & condionatè futuros electorum; poſſibiles item iuſtificationem, & gloriam, & per decretum ſuũ ab eſſe poſſibili deduxit ad eſſe futurum, videtque ſcientia viſionis ſequente decretum abſolutè futuras: atque ita dicitur ab Apoſtolo elegiſſe ante mundi conſtitutionem, id eſt ab æterno, in præſcientia vt interpretatur Auguſt. quæ ſiue dicatur approbatinois, & quaſi practica dans futuritionem; ſi- S. Auguſt.
ue viſionis, & ſpeculatiua, non ſine decreto eſt. Reſpondebis, nullam eſſe mutationem in tranſitu à poſſibili ad futurum, ſed ordinem ſolùm rationis conſiderantis vel diuinam potentiam, à quo denominatur aliquid poſſibile, quod nihil dicit præter denominationem hanc extrinſecam, vel ad ſummum non implicantiam terminorũ, ſi quid eſt diſtinctum; & deinde comparantis id quod erit cum diuina voluntate, cuius virtute immutabiliter ſe habente mutabitur res in tempore, cum reducetur ad actum exiſtendi; & quia Deus ab æterno vidit quod facturus eſt in tempore; ideo res dicitur futura, in quo nulla eſt mutatio obiecti, ſed ſola connexio contingens rei liberè producendæ cum ſua cauſa, quæ eſt voluntas diuina, nihil operata ab æterno, ſed operatura in tempore. Exemplum eſt in voluntate creata, à qua futurus eſt actus amoris Dei; hic enim vt poſſibilis diſtinguitur à ſeipſo vt futuro: & tamen non extrahitur à ſtatu poſſibilitas ad eſſe futurum per vllam actionem, ſed ſolùm per hoc quod aliquando erit virtute voluntatis, quæ cum ſit libera, poteſt ſeipſa immediatè elicere actus ſuos, & non elicere; ita mundum exempli gratia eſſe futurum ab æterno, nihil dicit aliud, quàm libera voluntatem Dei, & mundum eius virtute producendum; ita vt mundus ſecundum ſe conſideratus dicatur poſſibilis, quia non implicat; cum voluntate, quæ creabit, dicatur futurus; quæ futuritio nihil eſt aliud, quàm complexum ex voluntate, operatione, & termino per illam producto in tempore: ſicut eſſe futurum actus amoris erga Deum nihil eſt aliud, quàm complexum ex voluntate creata libere operatura, & ipſo actu quem elicit, ad quod non eſt opus alio actu dante futuritionem: quia cum ille rurſus eſſet futurus, daretur alius, per quem acciperet eſſe futurum: & ſic in infinitum. Videtur autem omnino ita Philoſophandum, tum quia hic ordo ſufficit ad ſaluandum tranſitum à contradictorio in contradictorium: quia non fit per actionem vllam, ſed per diuerſam obiectorum conſiderationem & per catacreſim ſolũ dicitur tranſitus; tum quia alioqui non eſt intelligibile quòd ab æterno facta ſit aliqua mutatio realis, & nihil ſit productum, & tamen productionem creaturæ æternam negamus; ſed contrà eſt.

Primò ſcriptura ſacra, cuius locutionibus ægrè congruit reſponſio iſta, vbi de actibus diuinæ voluntatis, & non ſolùm de voluntate ipſa, quaſi in actu primo, & de effectibus ab illis manantibus ſæpius mentionem faciunt, præſertim cap. 8. & 11. Epiſt. ad Rom. vbi de æterna prædeſtinatione, electione, propoſito, reprobatione, exemplo Iacob, & Eſau, fit mentio, & Epheſ. 1. vocat propoſitum voluntatis, ſecundum quod manet electio, ſi accipiatur pro ea, quæ fit poſt bona opera ad gloriam in tempore;

Propoſitum, electio vt ſit actus æterni.

tempore ; vbi & æterna, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* ; voluntas igitur, propositum voluntatis, electio sun tæterna, & ab ijs est vocatio, iustificatio, glorificatio in tempore; non est ergo sola voluntas, & operatio virtute eius in tempore; sed est exercitium eius æternum, à quo incipit tota series prædestinationis, ratione cuius voluntas diuerso modo se habet ad ea, quæ determinat facere, ab ijs, quæ negligit: & proinde assignanda aliqua ratio huius diuersitatis, quæ est diuina volitio, quicquid illa sit, patet, quia illa præcisa nulla est diuersitas, & ea posita est diuersitas in termino futuro, vel non futuro, eo quod Deus voluit, aut noluit fore. Deinde obstat argumentum, quod valet ad probandam assertionem.

Secundò. Nam quicquid sit actus liber, & decretum in Deo, certum est primò illud esse admittendum ab æterno propter auctoritatem scripturæ, Patrum, conciliorum trahentem ad se vniuersam Theologorum classem, quos inter S. Bonau. in 2. d. 1. a. 2. q. 1. p. 1. distinctionis ad argumentum in genere de mundi productione. *Quoniam igitur*, inquit, *non conueniebat naturæ ipsius creaturæ æternitas, nec decebat Deum alicui hanc nobilissimam conditionem donare, ideo diuina voluntas, quæ operatur secundum diuinam sapientiam produxit non ab æterno, sed in tempore: quia sicut produxit, sic disposuit, & sic voluit; ab æterno enim voluit producere tunc, quando produxit; sicut ego nunc volo cras audire Missam*, &c. Et d. 37. a. 1. q. 2. ad argumentum. *Sicut ab æterno potest procedere temporale, sic à diuino dicere, in quo nulla est successio potest precedere successiua duratio*, &c. Et in particulari in 1. d. 40. a. 3. quæst. 1. ait electionem vt dicit dilectionem cum discretione, æternam esse, & d. 45. a. 2. quæst. 1. & 2. ostendit, quomodo voluntas diuina sit causa rerum, quam scilicet supra dixit esse æternum: & a. 1. q. 2. non diligi à Deo creaturas, nisi futuras, igitur hæc delectio non est præcisè voluntas, & creaturę, quia diuerso modo se habet erga futuras, ac erga possibiles. Et hoc supponit in diuinis distinctionibus, vbide voluntate Dei, & de Prædest. tractat.

S. Bonau.

S. Thom.

Idem sæpius docet S. Thom. præsertim 1. p. à q. 19. & deinceps à numero 3. 1. *Dicendum*, inquit, *quod ex hoc quod Deus vult ab æterno quicquid vult, non sequitur, quod necesse est, eum illud velle, nisi ex suppositione*; & quæst. 22. a. 1. 2. *Prouidentia in Deo est æterna*, & hęc dicitur esse in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis, vt ibidem ad tertium cum enim sit ratio ordinandorum in finem supponit volitionem finis, ad quem media ordinantur. Et q. 23. de ver. art. 1. respondens ad nonum argumentum ex Sanct. August. 14. Ciu. dicente quod non aliter afficitur Deus ad res, quando non sunt, ac quando sunt, ait, *quod Deus quando non operatur res, vult res esse, sed tamen non vult, quod tunc sint; voluit autem ab æterno*. Idem habet primum cont. gent. cap. 79.

Soar.

Cum ipsis est Soar. loc. cit. & in Metaph. disp. 30. à sectione 6. & 1. p. de attributis posit. l. 3. c. 6. Neque videtur esse posse dubium de propositione hac in istis terminis, quia omnes admittunt, Deum ab ęterno voluisse quę facit in tempore: quod etiam Vasq. 1. p. disp. 87. &

Vasq.

99. agnitum Philosophis testatur.

Confirmatur ex communi doctrina Theologorum cum eodem S. Thoma de coexistentia rerum in æternitate; *Vnde omnia, quæ sunt in tempore*, ait S. Thom. 1. p. quæst. 14. a. 13. *sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentes, vt quidam dicunt, sed quia eius intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate*, &c. Quod ego cum S. Bonau. in 1. d. 35. dub. 6. tex. interpretor de præsentia obiectiua. Dicendum, inquit, quod non omnia dicuntur esse prędentia secundum veritatem existentiæ rerum, sed secundum cognitionem, quia actu cognoscit præsentia, præterita, & futura, &c. quod fusius tractat d. 41. a. 2. per tot. Et Soar. in opusc. l. 1. de absol. scient. futur. conting. c. 6. à numero quarto, vbi refert S. Bonau. in 1. d. 39. art. 2. quæst. 3.

Omnia futura sunt Deo præsentia ab æterno obiectiuè.

Confirmatur rursus ex S. August. l. 2. ad Simplic. q. 2. circa principium: *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora; si enim in scientia res ipsius habet, non sunt ei futuræ, sed præsentes*, &c. Ex quibus patet eum loqui de præsentia obiectiua, seu in esse cognito, vbi de prędentia creaturarum in æternitate differit. Hæc autem diuina scientia est visionis futurorum distincta formaliter à scientia simplicis intelligentię, quæ est possibilium, ex diuersitate obiectorum, in quæ tendunt; quam diuersitatem quid causat, nisi decretum? hoc enim posito ponitur scientia visionis, & eo præciso tollitur, remanetque sola scientia simplicis intelligentiæ independens à decreto.

S. August.

Confirmatur secundò. Quia hæc duo sunt diuersa obiectiua, mundum esse possibilem, & mundum futurum esse ab ęterno; vt enim Sanct. Bonau. in 1. d. 40. a. 2. q. 1. *Si aliquid futurum est, semper verum fuit, ipsum esse futurũ*; sed præciso decreto, numquam fuisset verum dicere, mundum esse futurum, sed solum possibilem, ergo decretum fuit causa huius mutationis, quę est futuritio distincta à possibilitate; ideo enim futurus erat, quia Deus erat facturus ex Sanct. August. supra, & ideo erat facturus, quia decreuerat facere: si enim non decreuisset ab æterno, non fecisset in tempore.

S. Bonau.

Tertiò. Certum est, decretum efficax distingui formaliter à simplici complacentia, quæ est inefficax: sed hæc distinctio non est in eo quod dicunt intrinsecè, & in recto isti actus, quia sunt idem quod essentia simplicissima, ergo attenditur penes extrinsecum, quod non est aliud ab ęterno, quàm esse futurum, ita vt sit verum dicere, est efficax decretum de mundo A. futuro, ergo mundus A. est futurus, & vice versa, & rursus verum est dicere, quod de mundo B. possibili est simplex complacentia tantum, ergo non est futurus: qui tamen esset futurus, si circa illum decretum efficax versatum esset igitur: esse futurum non solum est complexum ex mundo, qui erit in tempore, & voluntate Dei, cuius virtute producetur, sed complectitur eiusdem voluntatis vim æternam, & ab æterno operatam, non extrinsecus producendo creaturam, sed intrinsecus determinando producere in tempore, cuius determinationis terminus est

Decretum efficax, & simplex cõplacentia in Deo sunt idem.

Digitized by Google

mundus futurus; & proinde intelligi debet aliqua mutatio obiectiua facta vi decreti: quandoquidem per aliquam effectiuam causam debet fieri, quæ non est sola voluntas sine actu; hæc enim semper æquè est, siue futurus sit mundus, siue non futurus, sed cum actu, siue exercitio, ratione cuius mundus de possibili sit futurus: quicquid deinde sit hoc exercitium, dummodo non sit quid distinctum ab essentia, quæ eminenter continet quicquid perfectionis est in actibus creatis, & sine mutatione vult quæcumque vult.

Quartò. Probatur principaliter ex varijs dictis in Theologia certis poterat Deus condere hominem, & Angelum intentione præseruandi efficaciter à peccato, lapsum reparandi, vt de facto reparauit Adamum, & posteros; aut deserendi, vt deseruit Angelos desertores; potuit velle saluare per hæc, aut illa media; eadem Incarnatio item Christi fieri potuit varijs modis, temporibus, ob varios fines, per has, vel illas personas; hæc, & similia nouit Deus possibilia scientia simplicis intelligentiæ in vno signo, in altero scientia visionis, qua futura determinauit per suum decretum, & ordinauit in salutem hominum, qui finis ex sua natura est extrinsecus, & non debitus Incarnationi. Potuisset item eam velle de absoluta potentia in remedium lapsus Angelorum, &c. cur enim possit homo eandem actionem ad plures fines dirigere, & non possit Deus? tunc autem iuxta diuersitatem finium, & mediorum esset diuersitas obiectiua, antequam aduenirat physica, per executionem decreti. Certè decreuisse permissionem peccati, Incarnationem in eius remedium in carne passibili, Beatam Virginem in matrem, & similia dicit aliquid æternum diuerso modo se habens ad hæc, quatenus possibilia, & quatenus futura; quicquid illud sit, saluâ semper Dei immutabilitate, & simplicitate.

Confirmatur, quia aliter se habuit diuina voluntas ab æterno erga electos, & erga reprobos; aliter erga Christum caput omnium prædestinatorum, ac erga Antichristum coriphæum iniquorum; illis parauit regnum æternum, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratũ à constitutione mundi*, Mat. 5. Istis, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*, hæc omnia denotant actum voluntatis diuinæ æternum; & non solum duo extrema, seu complexum ex diuina voluntate, & effectum eius virtute futurum, seu qui erit in tempore: nam istæ causales sunt veræ. Ideo hic effectus erit, seu futurus est, quia Deus decreuit, vt esset; ille non erit, quia decreuit vt non esset; vel saltem quia non decreuit, vt esset, vt supra ex Augustino: ergo præter diuinam voluntatem, & effectum inuoluitur aliqua causalitas dans esse futurum: & hanc cognoscit Deus, qui nouit omnes rationes boni, & mali possibiles in infinitum, & non se habuisse indifferenter erga illas, neque approbando, neque reprobando, sed aliquas positiuè approbasse, determinando producere in tempore; alias reprobasse, vel positiuè volendo, vel negatiuè, non volendo, præsertim in sententia Vasq. ipsius 1. p. disp. 79. à numero 18. probantis quod Dei voluntas etiam circa non futura non potuit negatiuè se habere.

Deus non potuit negatiuè se habere circa non futura in sententia Vasq.

Si ergo ponendi sunt ab æterno actus liberi in Deo, si præfinitiones æternæ eorum, quæ fiunt in tempore, si delectio, electio, prædestinatio, actus efficaces, & inefficaces, scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, voluntas antecedens, & consequens signi, & beneplaciti, quæ identificantur essentiæ, suntque vna simplex entitas continens eminentissimo modo quicquid perfectionis habent isti actus in creaturis dispersi, oportet illis respondere terminos extrinsecos in quos tendunt: & quando ita tendunt, vt non intercedat pura terminatio, sed consurgat aliqua variatio, cum hæc non sit realis, & existentiæ, restat vt dicatur obiectiua, quæ non potest saluari per complexum diuinæ voluntatis, & operationis, siue effectus futuri, quia non potest varietas consurgere in obiecto, nisi per actum voluntatis æternum.

Neque verò exemplum voluntatis creatæ accommodatum est ad explicandas auctoritates scripturæ, ac patrum, & tam multa, quæ dicuntur à Theologis de efficacia diuinorum decretorum ab æterno; immo in eo est maximè dissonum, de quo est controuersia. Potest quidem voluntas hominis, & Angeli seipsa operari, & conuenire cum diuina in hoc quod præ sua innata libertate eligit, aut respuit, operatur aut omittit: sed ipsa non dat esse futurum suis actibus vel elicitis, vel imperatis, sed solum modo esse præsens; neque de illis verum est dicere, quod erunt: quia voluntas hoc decreuit; nam de hoc eodem decreto verum esset quod erat futurum, & non per aliud, ne detur processus in infinitum. At verò de qualibet creatura existente verum fuit ab æterno, ideo futuram fuisse, quia Deus decreuit vt esset; ita vt decretum sit causa antecedens futuritionis; & ratio petenda est ab indifferentia creaturæ possibilis ad existendum, & non existendum, quæ non potest determinari, nisi per decretum Dei, à cuius omnipotentia, & voluntate pendet, quod creaturæ fiant, vel non fiant, & vt dicantur futuræ, vel non ab æterno.

Dices, etiam à voluntate creata pendet, quod fiat, vel non fiat actus eius; qui si fiat, iam erat futurus: quia de omni re, quæ est, verum fuit dicere, fuisse futuram; & hoc esse futurum nihil erat aliud, quàm actus postmodum consequens à voluntate liberè operante; ita esse futuram vi decreti nihil est aliud, quàm res, quæ fit in tempore virtute diuinæ voluntatis.

Respondeo, quod actus voluntatis creatæ vel comparatur ad ipsam præcisa diuina; & sic neque esse potest, neque est futurus, quia essentialiter pendet ab illa: vel inclusa diuina, & sic futurus est, si decernatur; secus, si non decernatur, licet decretum fiat iuxta exigentiam voluntatis creatæ, & salua eius libertate: atque ita falsum est, quod actum esse futurum nihil aliud dicat, quàm ipsam voluntatem creatam, & operationem, quando erit; nam requiritur præterea Dei decretum de concurrendo cum voluntate, sine quo creatura nihil potest: ac proinde nec dare esse futurum actui ex seipsa sola.

Actus voluntatis creatæ non est futurus, præciso decreto de concursu.

Verum ad confirmationem, maioremque explicationẽ eorũ, quę continet assertio hęc prima,

Digitized by Google

addenda est secunda, quæ ferme est noua probatio, & digna, quæ singulariter expendatur, ob peculiares difficultates, & modos soluendi à contraria sententia excogitatos, sit ergo

Assertio secunda.

XXI. ADmittendam esse mutationem obiectiuam in sensu explicato ex eo confirmari validè potest, quod idem diuinus actus inuariatus intrinsecè potuisset tendere efficaciter in obiecta diuersa: etiamsi nulla facta esset realis diuersitas physica in creaturis, atque adeo voluisse aliquid quod nolluit, aut nouisse, quod voluit, absq; vllius rei productione extrinseca. Ita sentit Suar. lib. 2. de absoluta scientia fut. conting. cap. 7. numero 10. P. Suar. *Cur enim*, inquit, *non potest Deus nunc habere hanc voluntatem, si crearem talem Angelum, prædestinarem illum; aut si Adam non peccasset, Spiritus Sanctus fieret homo? cum neque ex parte obiecti sit repugnantia, neque etiam ex parte actus diuini? vt enim intelligatur determinatio libera ad aliquod obiectum, non semper necessaria est realis mutatio physica in illo obiecto. Et mox, Ratio verò est, quia quicquid homo potest velle per mutationem sui, si autem non repugnet, potest etiam Deus velle sine sui mutatione, propter summam eminentiam actus suæ voluntatis. Potest autem homo velle aliquid, etiamsi in illo nolit mutationem efficere, cur ergo non poterit idem Deus facere?* Sequitur P. Didacus Ruiz cit. disp. 12. referens alios.

Secundò. Deus in primo signo nouit omnia possibilia de se indifferentia ad esse futura, vel non esse; in secundo signo decernit positiuè hæc quidem producere, illa verò non: terminus istius nolitionis est non futuritio: quia hæc res possibilis sit determinatè non futura: sicut illa determinatè futura, talis determinatio ad non esse ex non determinatione, est aliqua mutatio: quia in primo signo verum est dicere, quod res non est determinata ad non esse futurum, in secundo signo est determinata; & non apparet, quæ alia sit mutatio, quàm obiectiua, ex indeterminato ad determinatum. Transitus à non determinato ad determinatum est aliqua mutatio, obiectiua.

Confirmatur, quia potuisset decernere non creare mundum, aut creaturam vllam, cum nulla indigeat, & liberè quamlibet producat; idque ob varios fines, puta ad exercendam libertatem: quod fieri potest, etiam omittendo operari; ad tollendam omnem occasionem peccati, quod præuidebat in talibus circumstantijs secuturũ & similes; tunc mutarentur fines, & eadem nihilominus esset negatio productionis, quæ volita propter vnum finem, non est idem obiectum ac volita propter aliud. Item si decernat Deus non dare gratiam efficacem, potest huius decreti finis esse, aut humiliatio, aut punitio, aut ostensio misericordiæ, aut cognitio debilitatis arbitrij, & necessitatis gratiæ, &c. tunc eadem est priuatio gratiæ in creatura, idem actus in Deo: & tamen non est idem obiectum diuinæ voluntatis negatio gratiæ ob finem vnum, vel duos, vel plures: igitur est mutatio obiectiua, nulla facta mutatione physica in re manente eadem, quicumque intendatur finis.

Et ratio vniuersalis est, quia voluntas Dei libera est: & ex parte creaturæ non repugnat ordinari vt medium, vel vt causam, etiamsi non habeat connexionem necessariam cum eo ad quod ordinatur; cur enim possit voluntas creata sic ordinare, & non increata?

Dices, mutato fine, mutari etiam causalitatem, siue actionem eius productiuam: verbi gratia si gloria decernatur vt merces, eius assecutio erit diuersa ab ea, qua decerneretur vt hæreditas, & qua sub vtroque titulo simul, vt P. Arrub. 1. p. disp. 58. passim à c. quarto, & quinto.

Sed contra est, quia quicquid sit de doctrina ista non probata pluribus recentioribus, ad præsentem quæstionem sufficit, quod per diuersam intentionem Dei fiat mutatio in obiecto: immo ex hoc validè confirmatur assertio, quia si non potest intendi diuersus finis, nisi per intentionem diuersæ actionis, quia comparetur, igitur diuersum est decretum dandi gloriam titulo hæreditatis, & titulo mercedis: & tamen ab æterno nulla est mutatio realis physica, igitur sola obiectiua sufficit ad distinctionem decreti, & intentionis; quod si eadem intentio ferri potest in eandem propter diuersos fines, multo magis apparet mutatio obiectiua sine diuersitate reali, etiam in tempore. Per diuersam intentionem Dei fit mutatio in obiecto.

Alij respondent, esse quidem diuersam causalitatem, quoties diuersus finis intenditur: verum non attendi illam penes finem intentum: sed penes principium agendi, ad quod causalitas habet essentialem ordinem, qui magis præcipuus est, quàm ille, quem habet ad terminum; etiamsi habeat ad vtrumque, eo quod actio vt sic, secundum proprijssimum suum conceptum, sit ordo agentis ad terminum, sicut visio est ordo inter potentiam visiuam, & obiectum visibile: & passio vice versa est ordo subiecti ad agens. Hinc inferunt actionem ita essentialiter respicere principium formale agendi, vt quoties ratio formalis agendi deuersa est, actio quoque sit diuersa, etiamsi ad eundem terminum tendat, non secus ac cognitiones eiusdem procedentes à diuersis facultatibus diuersæ sunt propter essentialem ordinem ad illas, non obstante identitate obiecti. Volitio ergo diuina in se simplex, & vna distinguitur ratione nostra inadæquatè concipiente in plures, prout diuerso modo tendit in creaturas: verbi gratia si ex motiuo misericordiæ velit infundere gratiam, distinguitur à seipsa, quatenus vult ex motiuo liberalitatis, vel remunerationis; & quia iuxta hanc diuersitatem motiuorum est formale principium diuersum, respicit etiam actionem diuersam; sicut ergo visio simplex, qua videtur vnus homo, distincta est ab alia, qua videntur duo, vel tres, cum sit ordo transcendentalis ad vnum, vel duos, &c. ita volitio tendens in gratiam ex liberalitate, distincta est à tendente propter misericordiam, vel remunerationem: & proinde actio transiens, cuius volitio causa est, erit diuersa, vtpote in principio formali diuerso; sicut diuersa est productio Filij à productione Spiritus Sancti ob diuersitatem formalem principij realiter indistincti, & summè simplicis. Ita P. de Heric. disp. 17. cap. 2. numero 18. & 21. putans hoc recursu ad principium formale diuersum occurri incommodis non leuis momenti contra Arrub. & extendens doctrinam hanc etiam ad negationes à Deo volitas: verbi gratia gratiæ efficacis, creationis mundi, &c. quia iuxta diuersos fines, propter quos intendũ- Heric.

tur, variantur cauſalitates ad ipſos neceſſariæ, & proinde negationes illis reſpondentes; ſicut enim ſi daretur gratia efficax ex liberalitate, actio, ſeu infuſio illius eſſet diuerſa ab actione, qua daretur ex motiuo remunerationis; ita decretum non dandi terminatur ad negationem actionis reſpondentis fini, propter quem daretur: & hæc haberet principium formale actiuum, non ſecus ac quando intenditur finis poſitiuus, & eius cauſalitas.

Et quidem de ſpecificatione actionis à principio formali, à termino, vel ab vtroque, diuerſæ ſunt ſententiæ, etiam apud Thomiſtas ob diuerſas auctoritates Sancti Thomæ, vt videre eſt apud Soar. in Metaph. diſp. 48. ſect. 3. quæ eſt quæſtio philoſophica. Quod attinet ad noſtram, difficile eſt intellectu, quomodo idem actus diuinæ volitionis de ſe indifferens, & non ordinatus, neque exigens vllam operationem extrinſecam, vel finem eius, ſed liberè illam decernat, & ordinet vnam creaturam vt cauſam, vel medi ũ alterius, & non connexam cum illa, quod poteſt infinitis modis fieri, dicatur principium formale tam multiplex, quàm multos poteſt fines intendere; & non apparet, quare vt principium vnionis non poſſit eam dirigere ad plures fines, ſicut poteſt homo, vel Angelus, &c. ſed quicquid ſit de hoc, etiamſi daremus hæc principia formalia in Deo iuxta diuerſitatem finium, quos intendit, adhuc admittenda eſt mutatio obiectiua ſine phyſica à parte rei; nam Deus ab æterno vidit poſſe dare ſe gloriam: exempli gratia, vt mercedem, & vt hæreditatem: vidit etiam per te vtrique titulo reſpondere cauſalitatem diuerſam, & in primo ſigno huius cognitionis ante decrẽtum, verum erat vtrumque modum eſſe poſſibilem, neutrum verò determinatum ad eſſe futurum: quoniam hoc ſupponit decretum, à quo eſt; in altero autem ſigno verum eſt dicere, gloriam eſſe futuram, & titulo vtroque dandam eſſe Petro per diſtinctam cauſalitatem ab illa, qua decreta eſſet ſolum vt merces, igitur hæc determinatio, & futuritio eſt obiectum diuerſum ex vi decreti.

Item poteſt Deus creare animam, vel Angelum, & ex lege conditionis illum conſeruare in æternum: poteſt item hoc promittere cum pacto aliquo, quia in hoc non apparet repugnantia: licet enim natura Angelica incorruptibilis poſtulet æternam durationem, tamen abſolutè poſſet Deus illam non exibere, niſi ex pacto aliquo: igitur eadem duratio debita naturæ ex lege conditionis potuit deberi lege promiſſionis: vel ſola, ſi Deus ſic voluiſſet: vel ſimul cum lege conditionis, ſi ex vtraque, tanquam motiuo adæquato Deus voluiſſet conſeruare, & poſitâ hâc diuerſitate principij formalis in Deo, reſpondet ei mutatio aliqua in termino, iuxta diuerſitatem finium, quos intendit: & hæc non eſt actualis exiſtentiæ, quæ nulla eſt ab æterno, ergo obiectiua. Si quæras, quid ſit hæc mutatio obiectiua, pro reſponſione eſt

Aſſertio tertia.

XXII. MVtatio obiectiua ſecundum formale ſignificatum in recto eſt tranſitus rei ab vno ſtatu in alium, ex vi diuini decreti connotati in obliquo: ſeu, quod in idem recidit, eſt res, quatenus ſubſtat ordinationi Dei diſponentis de ipſa, & transferentis de vno ſtatu in alium præcisè per decretum voluntatis ſuæ, vel abſolutum, & executioni mandandum: vel conditionatum, & actu non exequendum Explicatur, & probatur, nam Deus diſponit de creaturis multis modis, vt paulò ante dixi. Primus eſt determinando dare illis eſſe actuale, & ita dicitur transferre à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis: & res ipſa, quæ eſt obiectum talis volitionis tranſire ab eſſe poſſibili, & indifferenti ad eſſe futurum determinatè. Secundus eſt ordinando futuram, aut exiſtentem vt medium ad finem aliquem, cum quo ex ſua natura non habet connexionem, verbi gratia Incarnationem in remedium peccati. Tertius eſt decernendo non dare eſſe, neque alio modo diſponere, quo decreto poſito de poſſibili, & indifferenti ad eſſe, vel non eſſe res tranſit ad ſtatum impoſſibilitatis, ex ſuppoſitione decreti, & amittit indifferentiam, quia determinatur ad non eſſe. Quartus in propoſito de potentia obedientiali, decernendo eleuare creaturam ad operandum ſupernaturaliter, puta aquam ad producendam gratiam. In iſs, & ſimilibus interuenit mutatio aliqua, vt patet ex dictis: & non poteſt eſſe aliud, quàm res, vt ſubſtat diuino decreto de ipſa diſponẽti, quia in toto hoc complexo nihil aliud continetur realiter, quàm decretum, & terminus eius, & decreto neque ſingillatim conuenit ratio mutationis, neque coniunctim, ergo tantum creaturę non abſolutè conſideratę, quia ſic non mutatur, ergo vt ſubſtat decreto de ſe diſponente. Multis modis Deus de creaturis deliberat.

Dixi, vel conditionatum; quia quando decretum eſt conditionatum ex parte obiecti voliti fieret realis mutatio, ſi conditio adimpleretur: & hoc ſufficit, vt diuina voluntas aliter comparetur ad creaturas, & iſtæ ad illam poſt decretum, quàm ante: verbi gratia Deus in ſententia probabili Scoti voluit Incarnationem in carne impoſſibili, ſi Adam nõ peccaſſet; huic decreto conditionato reſpondet Incarnatio futura ſub conditione quod Adam non peccaret; & ipſa vt ſubſtat huic decreto tranſit ab eſſe poſſibili ad eſſe futurum ſub conditione, quæ eſt mutatio quædam ex vi decreti, & ſolum obiectiua differens ab alia, qua dicitur Incarnatio abſolutè futura in carne paſſibili: & vtraque ex vi decreti, verum eſt enim rem futuram propter decretum, non vice verſa, vt Soar. l. 1. de abſol. ſcient. fut. conting. c. 6. n. 43.

Vocatur autem mutatio obiectiua, tum quia creatura, quæ intelligitur mutari, fit obiectum diuinæ voluntatis, inquantum pro libito diſponit de illa; tum quia à parte rei nihil mutatur per actionem ad extra, ſed ſolum per decretum ad intra terminatum ad aliquod obiectum pro libito diuinæ voluntatis; vnde & obiectiuæ mutationis nomen ſortita eſt, ad diſtinctionem phyſicæ actualis, quæ potentiæ executiuæ formaliter reſpondet: decreto enim voluntatis vt voluntas eſt, reſpondet creatura, vt habet eſſe obiectiuum, ſeu vt obijcitur. Quare vocetur mutatio obiectiua.

Qua explicatione poſita, non videtur eſſe diſſenſio inter vtramque ſententiam, niſi de modo loquendi quoad propoſitionem vniuerſalem; nam Vaſques ipſe atrior aduerſarius ſecundæ, ſimili modo argumentandi vtitur, vt probet ab æterno diuinam voluntatem poſitiuè

ſe habuiſſe circa omnia, & 1. p. diſp. 79. n. 9. ait, non poſſe intelligi Deum velle rem futuram, quin intelligatur aliqua variatio in illa; at hæc non eſt actualis in æternitate, ergo obiectiua, & n. 18. circa non futura docet non potuiſſe negatiuè ſe habere, quia quodlibet non eſſe creaturæ referri poteſt ad diuinam voluntatem, tanquam obiectum appetibile, quod ipſa velle poſſit. Ponamus igitur Deum velle rem aliquam non eſſe, hoc non eſt negatiuè ſe habere, vt de ſe patet, ſi ergo negatiuè ſe haberet, aliqua intercederet mutatio, non in Deo, ergo in termino, id eſt in rebus non futuris; ſed neque in iſtis eſſe poteſt, quia non futura eodem modo ſemper ſunt non futura, ſiue poſitiuè ſe habeat Deus circa illa, ſiue negatiuè, eodem igitur modo referuntur ad diuinam voluntatem, aut tanquam volita non eſſe, aut tanquam non volita, & voluntas Dei ſemper dici debet, aut velle eas non fore, aut non velle; at circa non futura non neceſſariò ſe habet negatiuè: quia cum illud non eſſe ſit appetibile, poteſt poſitiuè eſſe volitum; igitur dicendum eſt non futura à Deo poſitiuè eſſe volita non fore, & non potuiſſe negatiuè ſolum ſe habere Deum circa illa, quia alioqui impoſſibile eſt inuenire variationem inter poſitiuè nolle, & negatiuè ſe habere, cum neque in rebus, neque in Deo illa ſit.

Quæ probatio qualiſcumque ſit, ſupponit, quod futurum eſt eſſe item à decreto poſitiuo, & habere eſſe poſitiuũ; & quod non eſt futurum eſſe item à decreto poſitiuo, & habere eſſe negatiuum; quæ ſunt obiecta diuerſa, & non res exiſtentes, ſed futuræ, & non futuræ, & præter illas, ac decretum non eſt aliud in mutatione iſta: igitur mutatio obiectiua eſt obiectum futurum, vel non futurum abſolutè, vel conditionatè vi decreti diuini; pro quo ſit

Aſſertio quarta.

XXIII. SI per diuinum decretum, potentia obedientialis creaturæ de remota fiat proxima, ſufficit mutatio obiectiua, ſine vlla phyſica per additionem intrinſecam. Suppono ſuperius dicta de applicatione diuinæ potentiæ, & adſiſtentia eius neceſſaria ad eleuationem in actu primo, & ſolum dico mutationem aliquam in hoc intercedere, & hanc eſſe obiectiuam; & probo, quia poſito decreto eleuandi aquam exempli gratia, ad producendam gratiam, verum eſt dicere, aqua eſt potens inſtrumentaliter producere gratiam; & poſito decreto concurrendi cum intellectu à voluntate, verum eſt dicere, quod ſunt potentes in actu primo operari ſupernaturaliter, cum non ſint potentes præciſo decreto, ergo adeſt aliqua mutatio, non phyſica per productionem rei vllius per te, neque ſolum intentionalis, aut rationis; quia verè à parte rei aqua eſt potens in actu primo, & intellectus pari modo, igitur ſolum obiectiua futura deinceps actualis accedente concurſu actuali Dei.

Quod ſi creatura ſit talis naturæ, vt poſſit Deo volente extendere ſuam innatam virtutem ad plures effectus ſibi proportionatos, iuxta dicta ſuperius per diuinum decretum ſit cauſa principalis proximè potens, quæ eſt pariter mutatio obiectiua.

Et ex decreto, ac mutatione ipſi reſpondente habetur fundamentum reſpectus rationis, ſecundum quem concipitur Deus diuerſimodè ſe habere ad obiecta mutata per eius voluntatem; & ex parte creaturæ diuerſus modus, quo reſpicit creatorem ſub ſtatu mutationis, verbi gratia futuritionis, ac ſub ſtatu puræ poſſibilitatis, vt eſt obiectum ſimplicis complacentiæ.

Reſpondetur argumentis contra mutationem obiectiuam.

CAPVT VI.

Primum eſt,

VIA efficax Dei voluntas præter actum intrinſecum à ſe indiſtinctum, fert ſecum aliquam realem mutationem in termino volito; nam in eo non eſt potentia ad volitionem, & nolitionem, cum ſit actus purus, immutabilis, ſed ſolum eſt actus ſecundus neceſſarius in ſe, & reſpectu eſſentiæ, liber quoad poteſtatem cauſandi, vel non cauſandi creaturas; ſi ergo exercet poteſtatem hanc, & dominium, cum hoc exercitium nullam dicat mutationem in Deo, dicat oportet in creatura, alioqui nulla prorſus eſſet mutatio, ſi non adſit terminus mutatus per diuinam volitionem: non datur autem ab æterno aliquis terminus mutatus, ergo neque vlla mutatio obiectiua. XXIV.

Confirmatur, quia cum hæc mutatio per te nihil ſit præter effectum futurum, & decretum indiſtinctum à Deo, non eſt opus concipere vllam rationem diſtinctam, ſed ſolum quod effectus erit vi decreti: ſicut neque concipitur in effectu futuro à voluntate creata, ſed ſufficit concipere, quod erit effectus vi voluntatis.

Confirmatur ſecundò, quia mutatio in ſuo intrinſeco, & formali conceptu inuoluit actionem, quæ in propoſito nulla eſt: nam in Deo nihil noui reperitur, ratione cuius ex non agente fiat agens: in creatura ab æterno nihil fit realiter, & quod ſit terminus cognitionis, vel volitionis diuinæ nihil dicit actuale, igitur mutatio eſt merum vocabulum abuſiuè vſurpatum.

Reſpondeo ad argumentum eſſe illud commune, quia omnes admittimus decreta efficacia æterna, ſed non ſolui per hoc ſolum, quod dicatur res futura in tempore vi diuinæ voluntatis: nam executio temporalis eſt effectus procedens à decreto æterno, ergo præter diuinam voluntatem immutatam in ſe, & effectum, qui erit, admittenda eſt cauſa futuritionis, quam refero in decretum, & exercitium voluntatis, quæ cum eminenter contineat totam perfectionẽ actuum creatorum, ſine imperfectionibus ipſorum, poteſt ſine vlla mutatione decernere rem futuram, & facere mutationem obiectiuam, extrahendo illam ab eſſe poſſibili, vel transferendo ab vno ſtatu in alium, abſque eo quod det eſſe actuale æternum: & per hoc diſtinguitur à voluntate inefficaci, formaliter loquendo, quia hæc non dat eſſe futurum, vel non futurum, cum ſit ſimplex complacentia, in forma igitur ad argumentum reſpondeo ab æterno dari terminum mutatum obiectiuè non exiſtentem, quia decretum dat eſſe futurum: vel eo ſuppoſito aliter

Decretum diuinum eſt cauſa futuritionis æternũ.

diſponit de re futura, iuxta dicta.

Ad primam confirmationem nego antecedens: quamquam enim realiter nulla eſt entitas in mutatione præter decretum, & rem futuram, aut non futuram; tamen hoc eſſe futurum eſt ex vi decreti, vt effectus illius non actu exiſtens, ſed futurus ex poſſibili; atque adeo conceptus mutationis obiectiuæ conſiſtit in hoc quod vi decreti res poſſibilis tranſeat ad eſſe futurum, vel ab vno ſtatu ad alium.

Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, actio in propoſito dupliciter conſiderari poteſt, vel ex parte Dei, vel ex parte creaturæ: in Deo nulla eſt de nouo, neque erit, ſed eſt actus efficax, cuius virtute erit in creatura, & accipit eſſe futurum; iccirco mutatio in noſtra ſententia non eſt merum vocabulum, quia dicit tranſitum ab eſſe poſſibili ad eſſe futurum: licet ab æterno nihil ſit actuale exiſtens diſtinctum ab actu Dei; eſt tamen futurum realiter ex vi eiuſdem, qui cum ſit virtutis infinitæ, immutatus in ſe manens, mutare poteſt obiectiuè ab æterno omne poſſibile, dando eſſe futurum, & in tempore dando actuale; vel ordinando futurum ad fines varios, vt ſuprà.

Argumentum ſecundum

EST, quia in primo ſigno, quo cognoſcitur à Deo res poſſibilis, cognoſcitur etiam decretum de extrahendo illam ad eſſe futurum: & proinde etiam res futura, ergo non accipit eſſe futurum à decreto, quia ante illud cognitum vt dans eſſe futurum, res eſt futura. Antecedens probatur, quia cognitio in primo ſigno eſt comprehenſiua, & infinita, cõplectens omne cognoſcibile: & proinde & futura decreta, & quod decreta ſint æterna, non obſtat quominus cum fundamento in re concipi poſſint ſecundum rationem poſteriora cognitione repræſentãte omnes rationes boni, & mali, immò & ipſa voluntate in actu primo libera ad eligendas ex illis quas voluerit: in hoc enim ſufficit ordo, & dependentia obiectorum ab illa, vt Soar. l. 2. de ſcient. condit. fut. conting. c. 8. n. 6. pluribus hoc idem confirmans. Conſequentia probatur, quia ſi ante decretum res habuit eſſe futurum, ergo non accepit à decreto, & proinde nulla facta eſt mutatio per illud.

Confirmatur, quia Deus eodem modo ſe habet ſecundum velle intrinſecum in primo & ſecundo ſigno: à cauſa autem eodem modo ſe habente nulla procedit mutatio: iuxta illud, idem inquantum idem ſemper facit idem, & actio antiqua non producit effectum nouum.

Reſpondeo ad argumentum, an Deus cognoſcat ſua decreta futura, lis eſt inter Soar. loc. cit. affirmantem cum Fonſ. & Vaſq. ac Molinam, & alios negantes, inter quos Valent. Heric. d. 7. c. 9. quicquid ſit in præſentia de illa, nego ſequelam argumenti, & ad probationem, ſi non cognoſcit Deus in primo ſigno ſua decreta, nihil valet: quia cognitio comprehenſiua non eſt niſi cognoſcibilium pro illo ſigno, qualia non ſunt futura ſupponentia exercitium libertatis: ſi autem cognoſcit, dicuntur futura in actu ſignato, non in actu exercito, pro primo ſigno, quod eſt dicere decretum dans eſſe futurum, id eſt actus ſimpliciſſimus, & æternus diuinæ voluntatis concipitur cum quodam ordine ad actum intellectus, cum quo realiter identificatur; & proinde vt prius cognitum, ſeu repræſentatum intellectui, quàm manans à voluntate, & vt ſic nullam facit mutationem, ſed inuoluit illam quaſi faciendam; deinde in altero ſigno concipitur vt illam faciens in actu exercito.

Ad confirmationem, tangit communem difficultatem de actibus liberis, an addant & quid eſſentiæ intrinſecũ ne, vel extrinſecũ: ſed quod attinet ad vim argumenti, negatur ſequela: quia diuina virtus immutata poteſt mutare quicquid vult, & quomodo vult: atque adeo ab æterno dare rei eſſe futurum, & in tempore eſſe præſens.

Argumentum tertium.

EST, quia hoc eſſe futurum, quod accepit res per decretum ab æterno non eſt nihil, ergo eſt aliquid; non rationis, ergo reale contra dicta dicta ſuperius quod ab æterno non fuit aliquid, præter Deum.

Confirmatur, quia poſito decreto, verum eſt ab æterno non eſſe futuram: veritas autem non eſt nihil, ſed quid reale: & hæc poſita fuit per decretum.

Reſpondeo eſſe aliquid reale non actu exiſtens, ſed futurum, quod conſurgit ex decreto æterno producendi, vel diſponendi de creatura in tempore.

Ad confirmationem reſpondeo, quod veritas alia eſt formalis, alia obiectiua; ab æterno nulla fuit formalis, præterquam diuini actus: obiectiua fuit, ſed hæc eſt res futura vi decreti, atque adeo contenta ſub ente, quod ſe extendit ad eſſe præſens, futurum, poſſibile, vt idem Vaſq. diſp. 65. n. 21. vnde propoſitio vera eſt de præſenti, quæ ſtat pro futuro. Veritas obiectiua eſt æterna.

Inſtabis, quia veritas obiectiua fuit ab æterno, ergo non poteſt dici, quod ſit res futura, quæ non eſt ab æterno, igitur erit aliquod ens diminutum, quale poſuit Scotus, cui refragantur, omnes non Scotiſtæ.

Reſpondeo nego ſequelam, nam res futura eſt ab æterno futura, quod ſufficit ad veritatem obiectiuam, ſed non eſt ab æterno exiſtens, quod non requiritur ad veritatem, quæ eſt de præterito, præſenti, & futuro. Nego deinde ſecundam ſequelam: nam de eſſe diminuto Scoti variæ ſunt explicationes, vtpote de re obſcura, contra quam inſurgunt plerique vſque ad indignationem, & notam grauiorem; ſed defenditur à ſuis, inter quos Faber Fauent. in 1. ſent. diſp. 51. c. 4. aſſerens hoc eſſe diminutum accipi à Scoto pro ideis diuinis, neque ſatis à Caiet. 1. p. q. 15. a. 1. perſpectas rationes Scoti, quæ etiam noſtrorum calculo eximitur ab omni nota, vt ſupra diximus. Ens diminutum Scoti.

Argumentum quartum

EST, quia ſequeretur per poſitiuum decretum Dei produci negationem ab æterno quod videtur abſurdum, quia negatio per ſe non eſt producibilis directè per poſitiuam actionem: ſequela probatur: quia ſicut per decretum res accipit eſſe futurum, ſi futura eſt: ita per idem accipit eſſe non futurum: ſiue neceſſario, in ſententia, quod non potuerit Deus negatiuè ſe habere circa creaturas: ſiue liberè, ſi potuit & negatiuè, & poſitiuè: illud autem eſſe

non futurum eſt mera negatio, quæ non erat in primo ſigno, quo concipitur indifferens ad eſſe futurum, & non eſſe, à qua indifferentia extrahitur vi decreti, & datur eſſe æternum negationi.

Reſpondeo in primis argumentum eſſe commune omni ſententiæ admittenti huiuſmodi decreta, vt admitti debent, & neganti, quòd poſſit negatio per ſe produci. Secundò reſpondeo, poſitiuam voluntatem producendi, aut non producendi, non eſſe productionem, ſed actum ad intra terminatum liberè ad rem futuram, quatenus eius efficacia futura eſt; vel non futuram, quatenus eſt decretum non dandi ipſi eſſe; tam autem futuritio, quàm determinata non futuritio non ſunt res productæ, ſed rationes, ac veritates reſpondentes efficaci decreto, ratione cuius ponuntur in numero rerum, id eſt extra nihil, iuxta dictum S. Auguſt. de Trin. l. 13. c. 2. *Illa quippe in rebus ſunt, quæ vel eſſe, vel fuiſſe, vel futura eſſe dicuntur.* Quare quod habet l. 11. Conf. c. 18. 20. futura non eſſe, ſicut nec præterita, intelligitur de actuali exiſtentia Phyſica, & reali, non de rationibus obiectiuis, & veritatibus extra nihil.

S. Auguſt.

Corollaria ex præcedente doctrina de mutatione obiectiua:

CAPVT VII.

I. Poteſt fieri mutatio moralis ſine Phyſica mutatione rei.
II. Probatur auctoritate, & rationibus.
III. Quid ſit mutatio moralis.
IV. Soluuntur argumenta.

EX dictis ſequitur dari in creaturis mutationes varias morales, quæ ſupra obiectiuas in genere, quarum ipſæ ſunt ſpecies, addunt aliquam ordinationem voluntatis ad finem, vel vſum reſpicientem mores, & æſtimationem hominum diuerſo modo iudicantium de eadem re ante, & poſt mutationem; id autem quomodo contingat explico duabus ſequentibus aſſertionibus.

Aſſertio prima.

XXVI. VIrtute diuini decreti fieri poteſt mutatio moralis in creatura abſque vlla Phyſica mutatione intrinſeca conſentiunt auctores ſecundæ ſententiæ ſupra relatæ pro mutatione obiectiua in genere, & illi omnes, qui putant, remitti poſſe peccatum, non ſolùm quoad reatum pœnæ ſed etiam quoad maculam, aut per ſolam condonationem ſine mutatione hominis, qua reddatur intrinſecè iuſtus, reſtituto ſolùm ſtatu purè naturæ, aut ipſo iuſtificato per extrinſecam ſolùm acceptationem, & beneuolentiam Dei erga ipſum intrinſecè immutatũ; inter quos eſt Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. . § de ſecundo articulo, & quæſt. 2. Ocham in 4. quæſt. 9. ad ſecundum dubium, Gabr. diſt. 14. quæſt. 1. Greg. in 1. diſt. 17. quæſt. 1. a. 2. Medina, & alij apud Vaſq. 1. 2. diſp. 206. c. 1. & Soar. l. 7. de Gratia c. 23.

Exiſtimantes tolli poſſe peccatum per extrinſecã condonationem.

Præſertim S. Bonau. in 4. diſt. 17. p. 1. a. 1. q. 1. *Quamuis*, inquit, *Deus delere poſſit ſine medio culpam; decreuit tamen delere per gratiam*, & in 2. diſt. 28. a. 1. quæſt. 1. ad vltimum *Ad illud*, inquit, *quod obijcitur, quod Deus poſſit reſtituere innocentiam, & ſta delere culpam abſque gratia, dicendum, quod hoc verum eſt: ſed largitas diuinæ miſericordiæ ſic decreuit auferre malum, per quod homo diſplicet, vt ſimul daretur bonum; per quod homo placeret Deo, nec vnquam expellit culpam, quin ſanctificet ipſam animam, vt in ea habitet per gratiam.* Simili modo locutus erat Alenſ. Mag. 4. p. quæſt. 17. m. 4. a. 6. §. 1. aſſerens Deum remittere poſſe peccatum ſine medio: id eſt, per ſeipſum immediatè condonando.

S. Bonau.

Alenſ.

Sequitur Soar. cit. c. 23. n. 6. in cuius principiis non ſolùm per condonationem de abſoluta potentia non imputaretur peccatum homini, ſed etiam fieret dilectus, & deſineret eſſe odibilis; quia eſſe ad optatum dilectum, gratum, amicum poſſunt eſſe effectus morales pendentes ab actu libero Dei, & ſeparabiles abſolutè à gratia, vt docuerat c. 3. n. 9. citatis pro ſe antiquis Theologis, licet vt ſignificant ſubiectum dignum tali amore, & illi proportionatum, non poſſint eſſe ſine intrinſeca gratia. Et ratio eſt, quia poteſt intelligi in Deo alius modus diligendi diuerſus ab ordinario, quo velit homini bona ſupernaturalia ſine gratia: hæc enim eſt aliqua dilectio, nec vlla in ea eſt repugnantia; quæ ſententia eſt probabiliſſima, vtpote grauium auctorum Theologorum auctoritati, & rationibus firmis nixa: & ideo ſeruire poteſt pro argumento primo ad probandam aſſertionem, ſupponendo, quòd nec aduerſarius ingenuus inficietur, probabilem eſſe ſententiam, quæ tam multis ac præſtantibus Doctoribus vera viſa eſt.

Soar.

Sed quicquid ſit de hac mutatione morali ex condonatione Dei proueniente, etiamſi eſſet impoſſibilis, vt contendit Vaſq. non tamen inde inferretur abſolutè, non dari mutationem realem; nam in eodem peccatore poſt actionem peccati, ſecundùm eius doctrinam diſp. illa 206. n. 8. manent tria, nempe macula, dignitas pœnæ, & obligatio ad illam: & quamuis duo prima neget tolli poſſe per condonationem ſolam extrinſecam: quia ex natura rei homo manet maculatus, & dignus æterna pœna, & non ex voluntate Dei; tamen tertium fatetur per ſolam Dei remiſſionem auferri poſſe, nulla facta intrinſeca mutatione: quia pendet merè à Dei voluntate, non ſecus ac valor monetæ à voluntate Principis, & voti à voluntate vouentis: & ideo ſola temporis variatione ceſſare poteſt: hoc autem dato concedat oportet fieri poſſe mutationem moralem ex vi decreti diuini; ſiquidem ex vi creatæ voluntatis fieri poteſt, niſi contentio ſit de vocibus, & negetur omne moralitatis ſignificatum, quod Ethica, quod Theologia, quod Iuriſprudentia amplectitur, & lumen naturæ agnoſcit in dignitatibus, ineribus, poteſtatibus, meritis, &c. & proinde etiam adeptionem, & tranſitum ad illa, quam mutationem moralem appellamus Verum eſt igitur dicere in omnium ſententia, Petrus ex obligato ad pœnam, vel ad votum, fit non obligatus per Dei conditionem, ergo hic inter-

Tranſitus ab obligatione ad non obligationem voti, pœnæ, & ſimilium eſt mutatio moralis.

Digitized by Google

cedit aliqua mutatio, non Phyſica, igitur moralis.

Probatur ſecundò variis exemplis Scripturæ, & rationibus.

PRimò namque Leuit. 25. habetur, *ſi paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius, & colonus erit, vſque ad annum ſubileum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem, & ad poſſeſſionem patrum ſuorum, &c.* Elapſo igitur tempore ſeruitutis, & adueniente anno Iubilei, 50. fiebat liber quicumque eo durante erat ſeruus: idque ſine vlla mutatione intrinſeca Phyſica, igitur per mutationem moralem; nam tranſitus à ſeruitute in libertatem, mutatio eſt; neque ſufficit dicere, quòd intercedebant aliquæ actiones Phyſicæ domini liberantis, & ſerui acceptantis liberationem; nam etiam iis præciſis per ſolam Dei voluntatem lege declaratam ceſſabat ſeruitus tempore præſtituto lib.

1. Reg. 9. 1. Reg. c. 9. eligitur Saul in Regem, & c. 16. deiicitur de regno *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael?* Hæc fuit mutatio moralis à non Rege in Regem, & à Rege in non Regem: & quicquid meriti, ac demeriti, aut alterius actionis extrinſecæ interceſſerit, potuit Deus independenter ab omnibus pro ſuo tantùm beneplacito eligere in illam pro tanto tempore, quo finito finiretur regnum; atque ita mutare illum moraliter,

Matth. 28. nulla facta intrinſeca mutatione Phyſica. Mat. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Illa eſt quid morale ſublime, & debitum vnioni hypoſtaticæ: ſi interpreteris datam Chriſto, vt homini cum S. Th. 3. p. quæſt. 13. a. 2. 1. ex D. Hieron. & cum aliis Patribus apud Maldon. ibi, & potuiſſet variari volente Deo, ſine vlla Phyſica mutatione Chriſti Domini humanitatis.

S. Thom. S. Hieron.

Confirmatur, quia potuiſſet Deus decreuiſſe ab æterno dare poteſtatem illam Matt. 28. ſolùm poſt reſurrectionem Chriſti Domini, quo decreto poſito manentibus reliquis omnibus Phyſicis, ac manſiſſent, ſi non decreuiſſet, eo momento cæpiſſet ea pollere, quo conſtituiſſet, Deus, & ex quo verum fuiſſet dicere, Chriſtus habet omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, cum antea non haberet, ergo hic tranſitus factus fuiſſet per mutationem moralem.

Et idem eſt de poteſtate, quam conferre vellet Deus de abſoluta potentia alicui homini vel Angelo abſoluendi à peccatis pro certo tempore; illo enim adueniente, ſtatim poſſet abſoluere, nulla alia mutatione facta; ſicut poteſt Epiſcopus concedere ſacerdoti ſubdito eamdem facultatem determinatam ad tempus, ante quod non poteſt abſoluere; vel poſt quod ceſſat poteſtas: quæ eſt mutatio moralis, quia totum hoc fieri poteſt præciſè per diuerſitatem temporis, cæteris immutatis.

Confirmatur ſecundò, quia valor operum, & paſſionum eius vel eſt infinitus ſecundum communiorem ſententiam S. Thomæ, Soar. Vaſq. &c. & non per aliquid Phyſicum infinitans intrinſecè, ſed per morale in hoc cõſiſtens, quod ſunt perſonæ infinitæ, & recta æſtimatione digna præmio infinito; vel eſt ſolùm per diuinam acceptationem, Deo videlicet acceptante pro infinito ex congruitate ſuppoſiti infinitè digni, vt putat Scot. in 3. d. 19. & abſolutè potuiſſet Deus conſtituere illi præmium maius & minus ſine vlla prorſus Phyſica mutatione in Chriſto, & eius operibus; & tunc mutaretur valor moraliter, ſicut mutatur valor monetæ pro voluntate Regis volentis augeri, vel minui pretium rerum, cuius menſura eſt nummus ex Ariſt. lib. 4. Ethic. cap. 1. & S. Thom. quæſt. 7. de Pot. a. 10.

Vnde & S. Auguſt. lib. 5. Trin. cap. 16. *Sicut nummus*, inquit, *cum dicitur pretium, relatiuè dicitur, nec tamen mutatus eſt, cum capit eſſe pretium, neque cum dicitur pignus, & ſi qua ſunt ſimilia, &c.* S. Auguſt.

Epiſtola ad Romanos c. 5. dicitur, *In quo omnes peccauerunt*, &c. *In omnes homines mors pertranſiit, &c.* Omnes iccirco naſcimur iræ filij cum peccato originali: ſed abſolutè poſſet hoc tolli etiam ſecundum Vaſq. 12. diſp. 106. c. 2. n. 10. ſine vlla mutatione peccatoris, reſtituto ei ſtatu puræ naturæ; nam per ipſum diſp. 112. c. 8. peccatum originale eſt priuatio iuſtitiæ originalis, vt formæ debitæ ineſſe, quod debitum non ſequitur poſteros ex natura rerum, ſed ex pacto, & voluntate Dei ita damnatis cum igitur ſtatuere poſſet, vt poſteri haberent iuſtitiam originalem, vel perennem, vel ad certum aliquod tempus tantum, quo lapſo non deberet illam habere; negatio illa iuſtitiæ, quæ ante præfixum tempus diceretur priuatio, ſi illa careret, poſt illud eſſet ſimplex negatio, & non haberet rationem culpæ, nec redderet hominẽ dignum pœna, igitur per ſolum temporis lapſum priuatio tranſiret ad ſtatum negationis, & homo ex reo pœnarum fieret non reus, nulla alia Phyſica facta mutatione ſolùm per moralem. Rom. 5. Priuatio per lapſum temporis tranſiens ad negationem.

Confirmatur, quia non ſolùm poſſet Deus eximere à peccato originali quem vellet, ſed etiam eo infectum liberare à debito damnationis, vel abſolutè, vel poſt certum tempus, & ſic fieret non reus ex reo, & idem eſt de actuali; pro quo.

Secundò probatur principaliter aſſertio, nam in peccato ſunt macula, reatus, vt S. Th. 3. p. quæſt. 22. a. 3. c. At hic remitti poteſt ſine gratia infuſa, & mutatione peccatoris ex cod. in 4. d. 16. quæſt. 1. a. 1. quæſt. 1. c. & S. Bonau. ſup. cit. cur enim poſſit homo condonare pœnam, & non Deus ſine mutatione rei? Neque hoc negat Vaſq. ſi pro reatu intelligatur obligatio ad pœnam, & paulo ante diximus. S. Thom. Poteſt remitti reatus pœnæ ſine infuſione gratiæ.

Tertiò probatur principaliter, quia duplex eſt virtus, quo natura vniuerſa tendit ad finem à conditore intentum per media proportionata vnicuique ſpeciei; alter eſt cauſarum naturalium, & neceſſario agentium, vt ſolis & cœleſtium, ac inferiorum corporum ſubditorum; Alter eſt creaturæ rationalis iudicio, ac libertate pollentis, & ſuas ſibi leges, ac inſtituta ponentis, aut à ſuperiore poſitas accipientis; effectus reſpondentes primis ſunt aliquid reale Phyſicum, & Phyſica operatione productum ad actum exiſtendi cum determinatione ad

vnum; qui verò procedunt à ſecundis, valde ſunt differentes; nam præter entitatem Phyſicam habent æſtimationem moralem, laudem, meritum, &c. quæ fundantur in bonitate actuum, & variis circumſtantiis ad ipſam requiſitis: & dicuntur entia moralia, ſicut iura, obligationes, poteſtates, vt ſupra; ſed non minus pendet à Deo eſſe morale rationalis creaturæ, quàm Phyſicum totius naturæ: quia omne ens, & verum eſt participatio quædam entis increati, & primi; igitur terminare poteſt actum diuinæ voluntatis, & illa volente poni, aut tolli.

Confirmatur, quia poteſtas clauium tradita ſancto Petro, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, Marci 16. remittendi, & retinendi peccata. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt* cap. 20. Ioan. prærogatiua quædam moralis eſt, quæ dari, & auferri, poteſt remanentibus omnibus rebus Phyſicis iiſdem, & proinde mutatio tantùm moralis eſſet.

Et idem eſt de debito contrahendi peccatum originale orto ex pacto inito cum Deo: eſt enim aliquid morale, quod nihil addit Phyſicum in Adamo: & de potentia abſoluta poterat induci ex mera voluntate Dei deſtinantis poſteros Adę ad hoc, etiam ſine pacto, poſitâ ſolum conditione præuaricationis eius.

Quartò probatur aſſertio, quia ex hoc principio ex curſu naturæ rationalis petito arguimus ad libertatem potentiſſimæ voluntatis diuinæ, quæ ſeipſa poteſt quicquid creata poteſt per actus ſuos; hæc autem poteſt ſoluere obligatione, aut illam imponere, vt patet in creditore, qui nulla facta mutatione in debitore poteſt reddere non debitorem, condonando, vel renunciando iuri ſuo, & in vouente, qui ſe ad certum tempus obſtringere poteſt, verbi gratia ad ieiunium feriæ ſextæ per annum, quo finito liber manet: Poteſt item liberari obligatione à ſuperiore habente facultatem; & multo magis à Deo immutatus manens quoad Phyſica, ſicut ſupra diximus de obligatione ad pœnam, & de macula quoad offenſam. vnde & Vaſq. ipſe 12. diſp. 106. n. 14. *Fatemur*, ait, *ingenuè, in iis, quæ ex libera voluntate Dei pendent, ſicut valor monetæ pendet ex voluntate Regis, ita fieri poſſe, vt res vſque ad tale tempus maneat in hoc ſtatu, & vltra illud non maneat. & hoc abſque vlla mutatione ipſius rei, aut decreti, & voluntatis diuinæ ſola variatione temporis, qualem eſſe exiſtimamus obligationem voti, &c.*

Vaſq.

Dices, ſemper interuenire aliquid Phyſicum, ad quod terminetur decretum Dei, quod non ſtat ſine aliqua mutatione extrinſeca creaturæ, verbi gratia in relaxatione voti interueniret reuelatio, vt Vaſq. ſupra 1. p. diſp. 82. n. 29. & Heric. diſp. 17. c. 1.

Sed contrà eſt in primis, quia reuelatio cuicumque alteri fiat, extrinſeca eſt obligatio per votum, & mutatio ab eſſe obligatum ad non eſſe obligatum, ſeu à non libero ad liberum, eſt intrinſeca, & non Phyſica, etiam per te, ergo moralis. Deinde non habet hoc locum, quando homo ſibimet obligationem impoſuit, aut impoſitam à Deo, aut alio homine ad certum tempus acceptauit: eo enim lapſo, etiamſi nihil ponatur à parte rei ad hoc pertinens ceſſat obligatio, atque à Deo qui olim vt voti, aut præcepti tenebatur ad ieiunium, vſque ad certum tempus, puta anni ſexageſimi tertij, eo expleto non tenetur; neque opus eſt ad hanc mutationem re alia, præter lapſum temporis, quo poſito liber manet ab obligatione, etiamſi illi non intimetur, aut alteri cuipiam hæc liberatio, quæ aduenire poteſt etiam non cogitanti, aut dormienti. Tertiò reuelatio relaxationis voti, aut condonationis offenſæ non eſt relaxatio, aut remiſſio, ſed quid potius illam conſequens, & ſupponens, & volitio Dei remittentis reatum, aut votum, non eſt volitio reuelandi formaliter: poteſt enim remittere, & non reuelare, & de facto ſeparantur; nam remittuntur peccata obeunti ritè Sacramenta, aut habenti perfectam contritionem, quin reueletur; nemo enim ſcit, an amore, vel odio dignus ſit: & vniuerſaliter ſi reuelatio requiritur ad complendam volitionem, eſſet prior, & poſterior ſeipſa; prior, quia omne conſtitutiuum eſt prius conſtituto; poſterior, quia reuelatio eſt effectus volitionis.

Reuelatio nō requiritur ad complendā volitionē remiſſionis culpæ.

Neque valet dicere, quod ſicut promulgatio legis eſt neceſſaria ad ipſius conſtitutionem ad hoc vt obliget; ita cognitio remiſſionis ad conſtitutionem efficacis actus diuinæ voluntatis remittentis, tanquam aliquid eſſentialiter requiſitum; nam ſequitur idem inconueniens: quia illud requiſitum ſi eſt conſtitutiuum, debet eſſe prius, ſi eſt cauſatum ab actu efficaci, debet eſſe poſterius. Deinde vel reuelatio, quæ ponitur neceſſaria ad complementum remiſſionis, efficit remiſſionem, vel non; ſed tantum ponitur, vt intelligatur actus liber Dei, qui non eſt ſine aliquo effectu extrinſeco; non primum, quia reuelatio rei à Deo faciendæ non eſt eius cauſa: multo minus iam peractæ: quis enim dixerit reuelationem Incarnationis Patribus factam fuiſſe cauſam ipſius? Si ſecundum, non igitur magis eſt neceſſaria reuelatio, quàm quælibet res alia extrinſeca, ad quam terminetur liber actus Dei, & qua producta intelligatur completum Dei efficax de remittenda obligatione voti, aut reatus; ſed quam, obſecro, habeat connexionem cum hac remiſſione productio formicæ, aut Leonis? aut cur non æquè opportunum erit huic fini nouum tempus, ſi quælibet noua rei exiſtentia ſit ſatis ad complendam efficacitatem voluntatis prædictæ, quod tamen ipſi negant. Tertio ſicut volita fuit efficaciter à Deo relaxatio voti, ita etiam volita fuit efficaciter reuelatio, ſi neceſſaria eſt ad finem intentum, at iſta fieri poteſt immediatè à Deo, igitur & illa, ita vt ſit completa ſine reuelatione, à qua non fiat, ſed manifeſtetur facta; quamuis enim interdum res fieri dicantur, quando innoteſcunt, vt S. Th. 3. p. q 12. a. 2. 1. de poteſtate, quæ dicitur data Chriſto Domino poſt reſurrectionem: quia tunc innotuit hominibus quæ antea data erat, & innotuerat Angelis; tamen non dantur, aut fiunt per manifeſtationem, ſed iam datæ, vel factæ declarantur, etiamſi aliquando requiratur declaratio vt complementum: ſicut apparet in lege, quæ nihilominus prius facta intelligitur, quàm publicetur, & publicatio nō requiritur ad conſtitutionem legis, ſed ad obligandum ſubditos. Ita in propoſito reuelatio non requiri-

S Thom.

tur ad constituendum actum liberum, & complendam efficacitatem, sed solum ad declarandam: alioqui nunquam fieret remissio peccati, nisi reuelaretur; & verum quidem est eam fieri ordinariè per Sacramenta, vel aliquem actum, qui possit dici terminus extrinsecus diuinæ voluntatis; sed absolutè non implicat fieri per ipsam solam, verbi gratia, saluari infantem sine baptismo, si Deus de potentia absoluta velit, aut nasci non inimicum Dei sine originali.

Sed hæc obiter dicta sunt ex tractatione de actibus liberis, nam dato etiam quod reuelatio esset necessaria, vel quid simile ad complendum decretum Dei: tamen adhuc sequitur, dari mutationem moralem sine vlla mutatione Physica intrinseca subiecti, quod mutari dicitur; aliud enim est quòd decretum requirat vt complementum effectum aliquem extrinsecum, ad quem terminetur, aliud quod hic effectus faciat mutationem, de qua loquimur; hanc enim quomodo operetur reuelatio facta Angelo exempli gratia in cœlo, si votum, aut reatus relaxatur in terra? aut quomodo dicatur mutari intrinsecè homo existens Romæ, & fieri de reo non reus, de inimico non inimicus per reuelationem factam alicui in Indijs? sed etiamsi per illam fieret, cum nihil operetur Physicè in subiecto distante, ad summum diceretur esse conditio requisita ad mutationem istam, quæ non potest esse Physica, ex suppositione quod omnia maneant eadem, siue ponatur reuelatio, siue non ponatur.

Denique vna ratio ex potissimis contrariæ sententiæ est, quia non datur vllum ens reale medium inter ens Physicum, & ens rationis: & proinde neque actus liber Dei tendens in ens morale, aut mutationem moralem; sed in primis non valet hæc sequela vniuersaliter: potuit enim Deus velle negationes, & de facto per te positiuè noluit quæcumque non sunt futura. Deinde dicant nobis, quid sint iura, dignitates, potestates iudicandi, imperandi, absoluendi obligationes ex voto, fidelitate, subiectione, &c. quæ præter actiones Physicas prætereuntes dicunt aliquid permanens, quod potest esse volitum. Tandem mutatio moralis non ponitur à nobis vt actio aliqua Physica, vel productiua, vel vt acquisitiua, aut deperditiua accidentis physicè aut substantiæ alicuius, sed solum vt transitus ab vno statu in alium distinctus formaliter à re physica, vt subsit diuersæ æstimationi secundum iudicium prudentum; pro quo sit

Assertio secunda.

XXVII. MVtatio moralis nihil est aliud realiter loquendo, quàm ipsa entitas rei physicæ in recto, quatenus connotat in obliquo voluntatem de ipsa disponentem, per quam subit diuersam æstimationem prudentum aliter de ipsa iudicantium post dispositionem, quàm ante illam. Exempli gratia mutatio S. Petri de piscatore in pastorem Ecclesiæ nihil est aliud, quàm idem S. Petrus vt imponitur ipsi à Christo Domino cura, & regimen Ecclesiæ per illa verba, *Pasce oues meas* Ioan. 21. dico realiter loquendo: quia formaliter concipitur mutatio ad modum cuiusdam transitus; licet non sit aliud, quàm res, quæ dicitur transire ad statum, seu æstimationem moralem dignitatis, potestatis, meriti, &c. sicut in physicis acquisitio formæ nihil est aliud, quàm ipsa forma in fieri secundum probabilem sententiam. Dico per voluntatem disponentem, siue ista sit propria subiecti, quod mutatur, vt cum quis se voto obstringit ad ieunium feriæ sextæ per annum: eo enim elapso virtute pristinæ voluntatis fit mutatio moralis cessante obligatione: siue sit aliena, vt eum Deus eligit in Regem, aut electum disponit: in ijs omnibus voluntas disponentis est causa diuersæ æstimationis, puta quod Sancto Petro debeatur honor, ac obedientia vt Pastori non debita ante electionem; & hic transitus à non pastore ad pastorem est mutatio moralis indistincta realiter à subiecto vt substat dispositioni, per quam transfertur de vno statu in alium, id est à priuata in publicam personam præditam dignitate, & potestate gubernandi subditos.

Ens morale, & mutatio moralis non sunt nihil.

Sic explicata conclusio probatur, quia ens morale, & mutatio moralis, cuius est terminus, neque sunt nihil, neque ens merum rationis, neque entia realia diuersa secundũ entitatẽ à rebus physicis, aut alijs actu existentibus, id est neque substãtia, neq; accidẽtia ipsis inexistẽtia absolutè cõsiderata, ergo sunt eædem reales entitates secundum aliquem respectum, qui non potest assignari congruentior, quàm ad rationem æstimantem, attentâ connexione rerum ex ordinatione voluntatis constituta modo explicato. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis; quoad secundam probatur, quia sicut nunquam nihil aduenit physicum de nouo ex eo quod augetur pretium eius, ita neque Petro ex eo quod augeatur dignitate Pastoris; aut Sauli eo quod fiat Rex, Superior, Dominus, &c. neque ex eo quod subeat, aut soluatur obligatione voti, iuramenti, pœnæ, reatus, &c. Quod enim dicunt aliqui entia moralia esse formas quasdam aut absolutas, aut relatiuas aduenientes rebus ex voluntate Dei, vel hominum, & mutationem moralem consistere in earum acquisitione, auget difficultatem explicandi, quidnam sint istæ formæ, quomodo differant à formis physicis, & multiplicant entia sine necessitate; quæ enim forma adueniat metallo, aut frumento ex eo quod voluntate Principis mutetur valor?

Confirmatur à paritate in rebus physicis; nam petenti quid sit numerus, rectè respondetur in probabili sententia, quod sint res ipsæ plures, vt numerabiles, id est vt substant rationi eas ordinanti vnam post aliam, quia frustra ponitur alia entitas distincta à rebus ipsis, & necessariò adscitur aliquis respectus, quia sine illo non consistit ratio numeri binarij, ternarij, &c. etiamsi respectus iste nihil dicat distinctum realiter ab extremis, quæ sunt ratio numerans, & res ab ea numeratæ, vt olim dixisse memini me in tractatu de Quantitate; quomodo etiam tempus dicitur numerus motus secundum prius, & posterius: non quia non sit, & fluat tempus, etiamsi non numeretur: sed quia cum nulla vnquam pars eius sit tota simul, vt pote in successione consistens; numerabiles tamen sunt vna post alteram à ratione dimetiente, & ordinante.

Confirmatur in particulari de mutatione; nam hæc dupliciter considerari potest: primò propriè vt accipitur à Philosophis pro vero, & rea-

li transitu, qui consistit in acquisitione, aut deperditione alicuius Physicæ entitatis intrinsecæ, vel extrinsecæ: aut factione eius, quod non erat, vel desitione eius, quod erat actu existens. Secundò impropriè, & largè, quando non idem est fundamentum affirmandi, vel negandi de aliquo subiecto quod antea erat: licet eodem modo se habeat, vt ante, id est nihil amiserit, aut acquisierit intrinsecè, sic columna immobilis, & immutata modo est dextra, modo sinistra, & affirmatio interior, quod Petrus sedeat, eadem manens vera est, durante sessione: falsa, surgente Petro. Ad hoc genus pertinet mutatio moralis: quia res vt subsistat dispositioni voluntatis modo est fundamentum affirmationis, modo negationis sine vllo superaddito, aut deperdito intrinsecè: & solùm per mutationem, aut accessionem alicuius extrinseci, vt patet in exemplis allatis supra de obligato ratione voti, aut culpæ, qui lapsu temporis desinit obligari iuxta placitum voluntatis potentis eximere à solutione: & in eo, qui reus pœnarum inferni, si moriatur intra tantum tempus, potest vel sola Dei voluntate, vel ad preces sancti viri solui reatu, & euadere pœnas hic nihil de nouo aduenit intrinsecum homini, qui fit liber, & tamen mutari dicitur mutatione largè sumpta, quatenus non est idem fundamentum enunciationis de illo, quod erat antea; & quoad æstimationem, ac iudicium rationis non censetur idem moraliter qui fuit ante, hoc est reus pœnæ, vel obligatus voto, idque vi voluntatis à qua pendet hæc mutatio, seu diuersitas fundamenti iudicij, & æstimationis; atque ita ferme soluta sunt argumenta, quorum potissima difficultas erat, quod non appareat, quid sit ens morale, & mutatio moralis, aut quomodo possit esse terminus decreti efficacis diuinæ voluntatis: sunt enim aliquid reale non realiter distinctum ab ente Physico, sed formaliter vt est fundamentum noui iudicij, & æstimationis propter dispositionem voluntatis, siue antiquam, siue nouam pro tali tempore, &c.

Soluuntur alia argumenta.

XXVIII. OBiicies præterea, quia duo extrema eodem modo Physicè se habentia non possunt esse fundamenta diuersæ æstimationis, aut denominationis, neque Deus illa facere talia nisi mutando creaturam, quia in eo nulla est mutatio, ergo oportet esse in creatura aliquid de nouo, ratione cuius mutetur æstimabilitas, & fundamentum denominationis.

Confirmatur, quia idem non potest esse obiectum diuinæ complacentiæ, & amoris ex odio habito, & odibili, nisi per aliquam mutationem.

Respondeo, nego antecedens: sufficit enim aliqua mutatio extrinseca ex vi decreti ad variandam æstimationem, & denominationem; verbi gratia ordinatio ad finem, vel bonum aliquod supernaturale futurum: & in naturalibus ordinatio ad talem dignitatem exempli gratia pro tali tempore, vel decretum depositionis ab illa, cessationis ab obligatione, & similium.

Potest sola Dei voluntate ordinari

Ad confirmationem, pariter nego assumptum; potest enim per decretum Dei ordinari non dilectus ad vitam æternam pro tali tempore, qui est actus dilectionis, licet non ita perfectæ, ac si iustificaretur per infusionē gratiæ, & mutaretur subiectum non solùm moraliter, sed Physicè; si enim potest creata voluntas esse causa mutationum moralium per actus distinctos, multo magis potest increata per actus indistinctos à se, cum propter suam infinitam perfectionem eminenter contineat omnem virtutem actuum creatorum.

non dilectus ad vitam æternam pro tali tempore.

Instabis, quia non satis est hæc eminentia virtutis, nisi per illam ponatur aliquid Physicum in creatura, ratione cuius fiant, vel destruantur denominationes, & æstimationes.

Respondeo, nego assumptum: sufficit enim ordinatio voluntatis habentis virtutem variandi pro tali tempore, vt patet ex dictis.

Obicies præterea contra hanc responsionem, quia eminentia diuina continens in se perfectiones omnium actuum liberorum à creaturis manantium, nihil est præter essentiam ipsam immutabilem, extrà illam ens, & mutatio moralis nihil est præter tempus, & subiectum, quod mutari dicitur; at hæc omnia essent eodem modo, siue dicatur fieri mutatio, siue non: vt patet in exemplo votum habentis, aut inimicitiam ob peccatum; siue enim dicatur liberari voto, & desinere esse inimicus, siue non, parui refert, quia tempus esset illud idem; subiectum pariter supponitur nihil acquirere, vel deperdere, Deus est immutabilis; quid igitur ponitur ad hoc vt fundamentum sit noui iudicij, & æstimationis.

Confirmatur, quia quando duæ res non sufficiunt ad variandum contradictoriam, debet poni saltem tertia ad transitum à contradictoria; sed diuina essentia, tempus, & subiectum possunt eadem remanere, & tamen non sequi solutio à voto, ergo aliquid aliud addendum.

Neque sufficit dicere, superaddi decretum, quia hoc est idem cum essentia, & parte rei non respondet illi aliquis nouus terminus, qui sit fundamentum diuersæ æstimationis.

Respondeo ad argumentum primò per instantiam: nam etiam per te solo lapsu temporis sine vlla mutatione physica subiecti cessat obligatio voti; peto igitur quod sit fundamentum huius diuersi iudicij, & æstimationis, Petrus ante erat obstrictus voto: quicquid enim ponas extrinsecè differt à solutione voti, & non est causa illius. Si dixeris solui virtute actus antecedentis liminantis obligationem ad tale tempus, idem respondeo directè virtute decreti diuini præcedentis solui pro tali tempore à reatum, inimicitiam, votum, & hoc nihil aliud esse, quam cessationem, & negationem consequentem tali tempore, pro quo intelligitur res in alio statu, secundum æstimationem moralem, etiamsi maneat in eodem physico. Neque refert, quod decretum sit idem cum essentia inuariabili, quia sufficit distinctio rationis, cuius fundamentum est exercitium voluntatis diuinæ, seu actus liber tendens in obiectum extrinsecum, quod est solutio à reatu, & pœna pro tali tempore, ob talem finem; ita vt si Deus ab æterno dixerit Volo, Petrum tali tempore esse liberum ob talem finem, intelligatur terminus volitionis ab æterno, & effectus in tempore; sicut si homo diceret, Volo votum vsque ad Pascha, obiectum voluntatis eius est votum cum tali duratione, & cessa-

tione, & discrimen solum est, quod homo operatur per volitionem distinctam, Deus seipso, seu per actum identificatum essentiæ continentieminenter perfectiones omnium volitionum creatarum.

Quærenti ergo quid ponitur in tempore, quo cessat votum, respondetur, nihil poni reale positiuum physicum, præter tempus, subiectum, & præcedentem actum voluntatis, sed consurgere negationem, quam dicimus cessationem voti: atque adeo secundum moralem æstimationem, rem non se habere, sicut antea: quod est moraliter esse mutatam iuxta dicta. Et quo patet

Ad confirmationem: nam ad variandam contradictoriam concurrit actus diuinus non absolutè sumptus vt identificatus essentiæ, sed vt terminatus ad obiectum extrinsecum, quæ est liberatio à voto tali tempore, ob talem finem, quæ quia sequitur virtute illius, iccirco mutatur moraliter subiectum: sicut mutatur ex eo quod per decretum eligitur in Regem pro tali tempore, aut electus deponitur.

Per solam Dei voluntatem creatura fit potens opinari supernaturaliter.

In proposito igitur de potentia obedientiali actiua, patet, quomodo fieri possit mutatio obiectiua contradistincta à morali absque vlla reali productione ab æterno, & sine mutatione Physica in tempore per solam voluntatem Dei: sicut enim potest velle, vt quis pro tali tempore sit liber à reatu pœnæ, aut voti, nihil addendo illi, aut detrahendo; ita potest velle, vt sit causa vel principalis effectus proportionati cum suo concursu naturali, vel instrumentalis effectus superantis naturam cum supernaturali, sine vlla intrinseca mutatione, sed tantùm per decretum adsistendi, & concurrendi, aut eleuandi in actu primo per assistentiam eamdem cum decreto in actu secundo, per concursum debitum principio sic constituto, & proportionatum effectui intento ex suppositione decreti. Quærenti igitur, quid respondeat decreto eleuandi aquam ad producendam gratiam, si vellet ea vti, tanquam instrumento, respondendum est, respondere totum hoc aggregatum, diuinam assistentiam, seu omnipotentiam, non solum vt intimè præsentem, sed vt applicatam per nostrum modum intelligendi à voluntate, tanquam causam principalem; aquam vt volitam adhiberi pro instrumento, actionem manantem ad illis, vt principio adæquato, & gratiam intentam vt effectum, in ordine ad gloriam, qui est finis vltimus; hæc ita ordinata sunt terminus decreti æterni, ratione cuius aqua immutata intrinsecè intelligitur eleuata in actu primo per assistentiam omnipotentiæ operaturæ per ipsam, & in actu secundo per concursum eiusdem, qui diuersus est, quando à solo Deo procedit, & quando ab eodem, & creatura vt instrumento.

An per potentiam obedientialem possit creatura fieri causa principalis effectuum, quorum est instrumentalis.

CAPVT VIII.

I. Sensus quæstionis.
II. Totidem modis dicitur causa instrumentalis, quot principalis.
III. Quatuor ex iis explicantur.
IV. Instrumentum est quod motum mouet, quomodo intelligendum.
V. Plures creaturæ possunt fieri causæ, principales effectuum, quorum de lege ordinaria sunt tantum instrumentales.
VI. Explicatur assertio, & probatur auctoritate scripturæ, ac Patrum, ac ratione.
VII. Non tamen hoc locum habet in omni causa creata.
VIII. Respondetur argumentis contrariis.

HOc est quærere, an sicut aqua exempli gratia, potest instrumentaliter concurrere ad effectus spirituales, ita volente Deo possit principaliter; ex vna enim parte videtur posse ob Dei plenum dominium in creaturas omnes, & totalem subiectionem ipsarum ad conditorem: præsertim cum eius voluntas dicatur à patribus infra citandis natura rerum. Ex alia parte videtur absurdum dicere, quod res corporea fiat causa principalis effectuum spiritualium, aut supernaturalium, immo & indifferenter omnium materialium; puta quod ignis, qui natura sua productiuus est caloris, retinens eamdem naturam fiat productiuus frigoris; quæ sunt qualitates contrariæ: & proinde à principiis contrariis; alioqui vnum & idem principium esset calefactiuum, & non calefactiuum, quod implicat; quamuis enim calor, & frigus sint qualitates positiuæ, & per Dei potentiam compossibiles, in eodem subiecto; tamen postulant naturaliter esse à principiis diuersis. Pro decisione autem quæstionis, opportet nosse discrimen inter principalem, & instrumentalem causam, de quibus Soar. in Metaph. disp. 17. fusè, & Soar. alij, recentiores in disputationibus de causis, vel in commentariis 2. Physic. Hic ego in quæstione Theologica illa tantùm delibo ex Philosophia, quæ necessaria sunt ad intelligendam diuersitatem potentiæ obedientialis à seipsa, si quando de instrumentali euadere posset in principalem, vel eorumdem, vel diuersorum effectuum in multiplici contingentia casuum inferius explicandorum.

Aduerto autem primò ex Scoto in 4. dist. 1. q. 1. Gabr. ibid. q. Notab. 4. & aliis, causam instrumentalem dici per oppositionem ad principalem, & totidem modis vsurpari vnam quot & alteram. Scot. Causa instrumentalis totidem modis dicitur, quot principalis.

Principalis igitur dicitur primò per excluſionem cauſæ ſuperioris: & hoc modo agere principaliter eſt agere independenter, & conuenit ſoli cauſæ primæ, quæ à nullo pendet, & omnia ab ipſa. Ex oppoſito omnes creaturæ dicuntur inſtrumenta, & ita vocantur à S. Th. 1. p. q. 105. a. 5. de Potentia q. 3. a. 7. l. 2. cont. gent. c. 21. & l. 3. c. 100. Sed hæc eſt latiſſima acceptio inſtrumenti, cum qua ſtat ratio cauſæ principalis, vt ſunt cœli, elementa, animalia, vt patet ex diſcurſu Ariſtotelis l. 2. Phyſ. diſtinguentis principalem ab inſtrumentali in creatis, & ipſe S. Th. q. 4. de Mal. a. 3. c. ait, quòd effectus eſt in cauſa principali ſecundùm ſimilitudinem formæ eius, vel eiuſdem ſpeciei, ſi ſit vniuoca, vel ſecundùm aliquam excellentiorem formam, ſi non ſit vniuoca; & l. 3. cont. gent. c. 112. quod ab altero tantum agitur rationem inſtrumenti habet, quod verò per ſe agit habet rationem principalis agentis. In hac ergo ſignificatione cum manifeſtum ſit nullam creaturam poſſe independenter à prima cauſa operari, ſimul etiam eſt certum nullam poſſe vocari principalem.

Creaturæ dicuntur inſtrumenta Dei. S. Thom.

Ariſt. 2. Phyſ.

Secundò principalis cauſa dicitur ſuppoſitum agens per aliquam ſui partem: & ex oppoſito partem ritè vocant inſtrumentum Philoſophi cum Ariſt. 3. de Anima tit. 38. & ſanctus Thoma 3. p. quæſt. 83. a. 5. primum vocante eum eodem manum inſtrumentum inſtrumentorum; & vniuerſaliter membra corporis lib. 1. de part. Ann. cap. 5. quæ ſunt inſtrumenta coniuncta, ſuppoſito nimirum operanti ex S. Th. 3. p. quæſt. 62. a. 5. Hinc aliqui diſtinxere principalem ab inſtrumentali cauſa, per hoc quod illi tribuitur effectus vt principio quod, huic vt principio quo; quærenti enim quis loquatur, aut ſcribat, non reſpondetur, lingua, aut manus, ſed Petrus, vel Paulus, quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Verum vt aduertit Soar. diſp. illa 17. Sect. 2. hoc non eſt perpetuum, nam poteſt eſſe cauſa principalis, & illi non tribui actio; verbi gratia anima eſt cauſa nendi; neque tamen nere dicitur, vt Ariſtoteles lib. primò de Anim. tit. 64. & vice verſa ſeruos appellat idem Ariſtoteles inſtrumenta Dominorum, libro primo Politic. cap. tertio & tamen ſeruis vt ſuppoſitis tribuitur actio verbi gratia regendi temonem iuſſu gubernatoris, quod eſt exemplum Philoſophi ibidem, & in Theologia ſacerdos eſt inſtrumentum Dei in conficiendis Sacramentis, ac gratia producenda, & ipſe propriè dicitur agere, & miniſtrare. Neque oportet inſtrumenta eſſe coniuncta, vt actio tribuatur ſuppoſito illis vtenti: ars enim, cuius ſunt propriè inſtrumenta, ſeparatis vtitur; Non igitur ſecunda hæc conditio eſt neceſſaria, vel ſufficiens ad hoc vt creatura de inſtrumentali fiat cauſa principalis effectuum ſuas vires excedentium: quia neque in vniuerſum penes illam attenditur diſcrimen cauſarum iſtarum.

Suppoſitum dicitur cauſa principalis reſpectu partis. S. Thom. Ariſt.

Non bene dicitur anima texere.

Tertiò. Cauſa principalis eſt quæ proximè, & immediatè attingit effectum per proprium influxum; inſtrumentalis, quæ ſolùm diſponit ad effectum ab illa intentum; ſic calor naturalis eſt inſtrumentum animæ in productione carnis, vt S. Thom. prima parte quæſt. 105. a. 1. Ex Ariſt. lib. 2. de Anima cap. 4. tit. 41. quia diſponit materiam ad formam carnis, ac ſanguinis vt coniunctus animæ, ſiue illam deinde attingat immediatè, ſiue non, iuxta diuerſas ſententias: non enim virtute propria attingeret, ſed animæ, cui ſubſeruit.

Cauſa principalis quæ per propriũ influxũ proximè attingit effectum. S. Thom.

Verùm neque hoc diſcrimen vniuerſale eſt, neque in propoſito ſufficiens ad mutationem cauſæ inſtrumentalis in principalem. Primum patet, quia in pleriſque inſtrumentis propriè dictis nulla apparet præuia diſpoſitio ad formam principalem: verbi gratia in ſigillo, cum figuram ceræ imprimit: in phantaſmate, cum ſpecies intelligibilis producitur: in humanitate Chriſti Domini, cum miracula efficit. Ex quo ſecundum etiam probatur: quia ſi cauſa inſtrumentalis immediatè poteſt concurrere ſine vlla præuia diſpoſitione, aliquid aliud requiritur ad hoc, vt ex inſtrumentali, & diſponente fiat principalis attingens effectum, & non producendo quicquam præuium.

Ratio eſt, quia licet nihil agat ſupra ſuam virtutem, & ideo inſtrumento tribuatur diſpoſitio ſola ad formam, quæ eſt ſupra vires eius; tamen hoc non habet locum, ſi ſimul agat cum agente principali, aut virtute ipſius: vnde D. Thom. 3. p. quæſt. 77. a. 3. 3. & quæſt. 79. a. 2. 3. *Nihil*, inquit, *prohibet cauſam inſtrumentalem producere poſitionem effectum, & vltra ſuam ſpeciem, &c.* Quod in inſtrumentis artis manifeſtum, in quibus perpetim effectus fiunt inſtrumentis nobiliores, puta figura pennicillo elegantior, character calamo pulchrior; & à Sacramentis, quæ probabile eſt Phyſicè concurrere, producitur gratia elemento quolibet excellentior, & quidem immediatè, in hac ſententia, de qua ſuo loco conſtabit in quæſtione propria de eorum cauſalitate: interim ſatis ſit, poſſe à Deo aſſumi pro inſtrumento rem paris nobilitatis, aut etiam inferioris effectu, quem ipſe cauſat principaliter, & iccirco penes exceſſum perfectionis effectus non eſſe metiendam differentiam cauſæ inſtrumentalis à principali: etiam dato quod cauſa principalis debeat eſſe æqualis, vel maioris perfectionis, quàm effectus; aliud enim eſt quod requiratur ad cauſam principalem; aliud quod ſit conuertibile cum illa, ſiquidem etiam inſtrumentalis poteſt eſſe æquè nobilis, aut nobilior, ſicut & ignobilior. Non ergo comparanda eſt cauſa cum effectu paris, vel diſparis conditionis, vt videatur, an ſit principalis vel inſtrumentalis; ſed cum alia cauſa, ideo

S. Thom.

Quartò. Cauſa principalis eſt, quæ non influit, niſi per virtutem propriam, & intrinſecam in effectum ſibi proportionatum, & à ſe intentum, per modum naturæ, aut deliberationis, & ad eundem vtitur conſortio alterius ſe iuuantis, vel naturaliter neceſſariæ, vel voluntariè aſſumptæ, & vtrouis modo ſibi ſubordinatæ, & ſubiectæ.

Cauſa principalis eſt quæ influit per propriã virtutẽ, &c.

Ex oppoſito inſtrumentalis eſt, quæ poteſt operari per virtutem alienam, & extrinſecam principalis, ſine qua nihil penitus poteſt, vt oſtendunt inſtrumenta artis, & Sacramenta; quid pennicillo cum imagine, niſi manu pictoris tractetur? aut aquæ cum gratia, niſi virtus ſuperior accedat elemento, vt fiat Sacramentum? Et licet hoc non ſit commune inſtrumentis naturæ, quæ habent intrinſecam vim

Digitized by Google

operandi aliquid, etiam ſeiuncta à cauſa principali; tamen proprium eſt cuiuſcumque cauſæ principalis operari per virtutem intrinſecam, & ita proportionatam effectui, vt nunquam illam excedat in perfectione eſſentiali excedens alioqui inſtrumentalem. Atque ita non eſt neceſſarium ad rationem inſtrumenti, quòd tota virtus deriuetur in ipſum, dum agit à cauſa principali: ſiquidem inſtrumenta naturę habent intrinſecè virtutem operãdi aliquid, dum principali ſubſeruiunt, vt patet in calore, ſemine, manu, & cæteris organis animæ, & in ciuilibus ſeruus inſtrumentum Domini eſt ſeparatum, & habet in ſe virtutem perficiendi opus eius; ſed quia adhibetur ad opus per ſe intentum à cauſa principali; & ei ſubordinatur, ac ſeruit vt medium illius aſſequendi: ideo per hoc præciſè inſtrumentum eſt ſiue naturæ, ſiue gratiæ, ſiue artificij ſubſeruiat, & ſiue animatum ſit, ſiue inanime, ſiue coniunctum, ſiue ſeparatum, omnibus enim hoc conuenit vt ſubſint agenti principali; & eius actioni inſeruiant ad finem vltimò ab ipſo intentum, vt S. Th. l. 3. cont. Gent. c. 100. qui vocat cauſam inſtrumentalem cauſam adiuuantem. l. 5. Met. Lect. 2. *Et differt*, inquit, *à principali, quod principale agens agit ad finem proprium, adiuuans autem ad finem alienum, nimirum ab alio principali intentum.*

De ratione inſtrumẽti eſt ſeruire cauſæ principali ad effectum ab ipſo intẽtum.

S Thom.

Cum igitur acceptio inſtrumenti varia ſit, nec vna apud auctores tam Theologos, quàm Philoſophos, hæc ab omnibus admittenda videtur, qua dicitur cauſa inſtrumentalis eſſe, quæ ſeruit alteri principali, vt mediũ ad finem ab ea intentũ, & improportionatum virtuti inſtrumenti, niſi ſubſit vſui actiuo principalis: quæ enim talis eſt, cauſa eſt, quia concurrit ad dandum eſſe effectui, & non eſt principalis: quia quando duæ cauſæ ſimul concurrunt ad vnum effectum, non debet dici principalis illa, quæ inſeruit alteri, & illi ſubiicitur, ſed inſtrumentalis, cum ſit medium, quo illa producit effectum à ſe intentum, & propter ipſum adhibeatur, quicumque deinde ſit effectus, & quomodocumque ab inſtrumento attingatur.

Confirmatur ex communi notione, quam firmant homines de inſtrumento, quod nimirum ſit quod inſeruit principali agenti ad effectum à ſe intentum, vt S. Th. 3. cont. Gent. c. 100. Propterea non excluditur à ratione inſtrumenti concurſus per virtutem propriam, ſicut neque conſtituit ſolus cauſam principalem quod aliquid conferat per propriam formam ad productionem effectus, vt cenſet Aluar. de auxil. diſp. 68. n. 6. ſed inſtrumentum etiam eſt, quod ex principio intrinſeco concurrit, ſi ad finem ab alio intentum concurrat; eique ad illum aſſequendum ſubſeruiat, idque non ſolùm in inſtrumentis naturæ, ſed etiam artis, quemadmodum ferrum dum ſecat, ſcindit, arat, plantat, ipſum quidẽ quatenus impellitur, aliquid præbet, alius tamen eſt qui mouet, & agitat ferrũ & in politicis ſeruus dicitur organum animatũ domini vt Ariſt. 8. Eth. c. 8. & refertur à S. Th. in. 2. diſt. 40. q. 1. a. 4. 4. & alibi.

Dices, iam eſſe axioma receptum, quod inſtrumentum illud eſt, quod motum mouet, & ſumptum eſt ex inſtrumentis artis, quæ non mouent niſi mota ab artifice: & ratio eſt, quia agit virtute cauſæ principalis, quam non participat, niſi per viam motus, vt S. Th. 2. cont. Gent. c. 21. negans eſſe inſtrumentum, quod ab altero non agitur omnino, ſed ipſum etiam per ſe agit l. 3. cont. Gent. c. 112. nõ quia non agat etiam ipſum, ſed quia actio inſtrumentalis non eſt per virtutem propriæ naturæ, ſed mouentis principalis quæſt. 3. de Potent. a. 4. c. & 1. p. q. 45. a. 5.

S. Thom.

Inſtrumentum eſt quod motum mouet, explicatur.

Reſpondeo axioma hoc egere explicatione; vel enim intelligitur de motu locali: & hic non eſt vniuerſaliter neceſſarius ad hoc vt inſtrumenta agant. Patet in inſtrumentis naturæ, quæ immota localiter operantur, ſemina germinant, phantaſmata fundunt ſpecies intelligibiles, calor ſanguificat, & ſic de cæteris. Immo & artis ipſius inſtrumenta immota vſui ſunt artifici, vt incus fabro, ſtylus Mathematico in horis deſignandis per horologium ſolare, tuba inflatilis in organis muſicis, &c. characteres impreſſori, &c. quamquam enim in iis intercedat motus localis artificum, non tamen quo moueãtur inſtrumenta, quandoquidem ſeruire hæc ſine motu debent.

Nõ eſt ſemper neceſſarius ad hoc motus localis.

Vel ſecundò per motum intelligitur impreſſio aliqua actualis in inſtrumento cauſata ab agente principali, quæ ſit prævia ad actionem ipſius principalis, vt plerique Thomiſtarum autumant: & ne ſic quidem neceſſaria eſt, aut probabilis in quolibet inſtrumento, vt manifeſtè indicant exempla allata, quam enim impreſſionem accipiant ſemina iam deciſa, & ſeiuncta à viuentibus forte iam extinctis ad hoc vt agant? aut quo additamẽto opus eſt, vt characteres, vel ſigillũ, cui admouetur cera, figuram exprimant.

Neque neceſſaria eſt impreſſio aliquain inſtrumento.

Vel tertiò directione, & imperio: & ita vel ſolum conuenit inſtrumentis politicis, vel œconomicis, quibus vtitur ſuperior ad actiones humanas; vel partibus animatis, quæ ſunt inſtrumenta coniuncta, & parent imperio animi, vel inſtrumentis artis, quæ dicuntur ſeparata, & diriguntur ad arbitrium artificis, & in iis non eſt prævia vlla motio diſtincta ab vſu ipſo, & actione inſtrumentali indiſtincta à principali.

Neque directio, & imperium.

Vel quartò per motum intelligitur ſubordinatio cauſæ principali, & ordinatio inſtrumenti ad finem ab illa intentum, quæ valde impropriè dicitur motio, quia in actu primo nihil eſt aliud, quàm res ipſa vt ſubiecta ſuperiori agenti, cui apta eſt, aut etiam naturaliter facta, vt inſeruiat: in actu verò ſecundo eſt applicatio actualis, quę non diſtinguitur, ſed idemtificatur actioni agentis principalis; & in hoc ſenſu de ratione vnius inſtrumenti eſt, vt motum moueat, id eſt vt ſubordinatum principali agenti ſimul cum ipſo, & propter finem ab ipſo intentum agat: ſeu quod idem eſt, directum, & eleuatum ab illo agat aliquid, quod ſine hac eleuatione non poteſt agere. Atque adeo ſubordinatio in actu primo, & ſecundo directio, & eleuatio inſtrumenti eſt inſeruientis cauſæ principali vtenti illo ad ſuum finem ſine, vel cum prævia operatione eius, iuxta conditionem ipſius diuerſam, quod eſt commune omnibus inſtrumentis artis, naturę, & gratię, & diſcriminat illa à cauſa principali, quæ, vt nomen indicat, non inſeruit pro medio alteri cauſæ ſuperiori ad finẽ alienũ, ſed per ſe tendit in proprium, quem intendit, ſiue

De ratione inſtrumenti eſt vt ſubordinetur cauſæ principali, & ipſi cooperetur ad finẽ intentum.

Digitized by Google

vnica ipſa ſit, ac totalis; ſiue habeat concauſam, cum qua partialiter concurrat non vt illi ſubſit, ac inſeruiat; ſed vt vtraque vel omnes, quotquot ſunt, propriam virtutem exerant ad effectum communem producendum, qui eſt finis earum ſimul agentium; non autem cum dependentia vnius ab alia, tanquam medij ab illa adhibiti, & adiuuantis ad finem alienum, quod eſt proprium inſtrumenti, vti dictum eſt. Atque ita à principatu quodam, & veluti dominio vocatur Principalis; vice verſa Inſtrumentalis à ſeruitute quadam inſtrumentorum propria, quę ad ſeruiendum principali inſtituta à natura, vel ab arte ſunt. His poſitis ſtatus quæſtionis eſt, an creatura, quæ creatori inſeruit ad effectus ſupernaturales vel quoad modum agendi, vel quoad ſubſtantiam effectus, poſſit alterutro, aut vtroque modo cauſare principaliter, id eſt per virtutem propriam non ſeruientem pro medio finis alieni, ſed propri, & ſibi proportionati, vt ſunt effectus naturales cæterarum cauſarum, quo caſu diceretur extendere ſphęram ſuæ actiuitatis, non quia ad aliquem effectum ſuis viribus ſuperiorem extenderet: ſed quia ſecundum legem à Deo datam continebat ſuam virtutem intra certos terminos, vltra quos potuiſſet progredi naturaliter, ſi Dei voluntas acceſſiſſet: omnino enim eſſet admittenda talis virtus, licet reſtricta, ſi ſemel Dei iuſſu effunderet ſeſe ad effectus inſolitos: quia ſicut ad hoc vt concurrat inſtrumentaliter, debet habere remotam potentiam indigentem eleuatione, vt operetur; ita ad hoc vt ageret principaliter per ſolum Dei imperium ante non permittentis, exerere totam virtutem, deberet habere propinquam potentiam nullo alio indigentem, vt exiret in actum, niſi voluntate diuina, à qua non permittebatur operari omne id quod poterat: vel certè deberet eſſe capax alicuius qualitatis ſuæ naturæ ita proportionatæ, vt ſunt aliæ, quas Deus in creatione inſeruit; quia nulla lege tenebatur omnes inſerere, quas potuiſſet, ſi perfectiorem condere voluiſſet: & quia multipliciter poteſt inſtitui quæſtio pro multiplici comparatione effectuum cum cauſis, diſtinctè per ſequentes concluſiones abſoluenda eſt.

Aſſertio prima.

xxx. PLures cauſæ creatæ habent potentiam obedientialem ad producendos aliquos effectus principaliter, quos producere non poſſunt ſecundum legem ordinariam à diuina prouidentia ipſis impoſitam, & poſſunt inſtrumentaliter ſecundùm extraordinariam.

Pro explicatione aduerte 1. quòd prętęr potetiã obedientialem vniuerſalẽ ſuperius explicatam, ſeu eleuabilitatem creaturæ ad omnes effectus non implicantes inſtrumentaliter produci, quęri poteſt, an ſit alia virtus creaturæ naturalis limitata ad effectus ſibi proportionatos, quos tamen de lege ordinaria cauſare non poteſt, quia naturæ auctor aliter ordinauit, verbi gratia in aqua marina, ſi globus eius terræ aliquibus partibus ſuperemineat vt ex SS. Patribus refert, & docet S. Thom. 1. p. q. 69. a. 1. 2. eſt vis ad deſcenſum, & ad cooperiendã terram, ſed quia Dominus dixit, *Huc vſque venies, & non procedes amplius, & confringes tumentes fluctus*; ideo non deſcendit, deſcenſura naturaliter, reuocante Deo prætceptum ſuum, & dicitur nihilominus habere potẽtiam obedientialẽ ad deſcendendũ, quia iuxta vſitatum naturæ curſum à Deo præſcriptum non poteſt tranſilire fines ſuos, qui eſt diſcurſus S. Ambr. l. 3. Hexam. c. 1. dantis exemplum maris rubri, quod Ægyptio pelago miſceretur per plana Ægypti, niſi vis ſtatuti cæleſtis inhiberet, vt paulò poſt relatis eius verbis oſtendã. ſic igitur multis modis potẽtia hæc obedientialis poteſt operari; ſic igitur & in aliis rebus eſſe poteſt natiua virtus extendens ſe ad plura, quàm extendat de facto, ſi Deus vellet quemadmodum in dicto exemplo S. Ambr. cuius tamen iudicium à Mathematicorum non paucis ſent. diſcrepat.

Iob. 38.

Aduerte ſecundò, quod huiuſmodi potentia obedientialis poteſt exire in actũ multis modis, primò per additionẽ alicuius qualitatis congeneæ, ſiue materialis, ſiue ſpiritualis, vt prędicenti capite diximus. Secundò per ablationem impedimenti, vt ſi in exemplo poſito aqua maris liberaretur à lege impoſita continendi ſe intra terminos præfixos: tunc enim cum generali cõcurſu moueretur extra illos, & fieret cauſa principalis effectuum multorum, quorum nunc poteſt eſſe ſolum inſtrumentalis. Tertiò per extenſionem virtutis naturalis, quę Deo volente plura poſſet operari, quàm poſſit ſecundum legem ordinariam, verbi gratia terra herbas nouas, & aqua reptilia noua per eandem fœcunditatem, qua initio iuſſæ ſunt producere Gen. 1. neque enim probabile eſt non potuiſſe plures ſpecies produci ab illis, ſi Deus iuſſiſſet, aut etiam nunc iuberet. Quartò per mutationem aliquam ſitus, locorum, &c. quæ ſit cauſa effectus ſine ipſa naturaliter impoſſibilis, vt patebit in probationibus. Quintò per ſupplemẽtum cauſæ efficientis, concurrendo videlicet ad effectum, quem cauſa naturalis ſola non poteſt producere; poteſt cũ altera cauſa: ſiquidem Deus concurſum extrinſecum omnis cauſæ efficientis poteſt ſupplere tam partialem, quàm totalem. Aſſertio comprehendit omnes iſtos modos, & probatur primo vniuerſali ratione patrum aſſerentium id eſſe naturale rebus quod Deus voluerit. S. Aug. l. 26. cont. Fauſt. c. 3. t. 6. *Deus autem creator, & conditor omnium nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale quod ille fecerit, à quo eſt omnis modus, numerus, ordo naturæ*: Scilicet voluntas eius natura rebus eſt, vt l. 21. de Ciu. c. 8. paulò ante cit. apertè habet. Eodem lib. cont. Fauſt. c. 26. ex illo Rom. 10. *Si tu ex natura ſis exciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonã olivam; id contra naturam dixit, quod eſt contra conſuetudinem naturæ, quam notitia humana comprehendit, vt oleaſter inſertus in olea, non oleaſtrã baccas, ſed olivam pinguedinẽ ferat*, quaſi præſcindendo à notitia conſuetudinis, in re non ſit hoc innaturale: quia inſito huiuſmodi naturaliter oliuas profert; & id multo conuenientius dicatur de iis, quæ Deus fecerit, ſiue contra naturam operetur attenta lege tantùm ordinaria ipſi impoſita, & non ſibi, qui ſupra naturam eſt; ſiue cõſiderata exigentia eius, vt talis eſt, & non ſub ratione totalis ſubiectionis ad conditorẽ ſuum, vt ſic enim naturale ipſi eſt facere, patique, vt iuſſerit; vnde ſubdit. S. Aug. c. illo 8. l. 21. Ciu.

S. Auguſt.

Dei voluntas eſt rebus natura.

Portentum ergò non eſt contra naturam, ſed contra quam eſt nota natura.

Idem eſt ſenſus aliorum Patrum quorum verba mox referam, ſi prius aduertas propoſitio-

Quomodo voluntas Dei dicatur à SS. Patribus natura rerum.

nem hanc ab ipſis vſurpatam, Voluntas conditoris naturâ eſt cuiuſque rei conditæ, non ita eſſe intelligendam, quaſi Deus pro ſua voluntate mutet rerum eſſentias: non enim facit impoſſibilia, verbi gratia, quod homo non ſit animal rationale, aut quod ignis non ſit ſua natura calefactiuus, cum eſſentiæ ſint immutabiles; ſed quod accidentaliter illas variare poteſt, tam extrinſecè quoad ordinem, & coniunctionem inter ſe, quàm intrinſecè quoad virtutem operandi, augendo, vel minuendo, aut aliter diſponendo aliquo ex modis paulo ante numeratis; & ſiue id præſtet contra, vel ſupra, vel præter naturam, cum eſſentialiter omnis creatura ſit illi ſubdita; naturale dicitur ipſi ſecundum hanc ſubiectionem, quicquid, & quomodocumque de ipſa diſponat. Quod ſi diſpoſitio fiat conformiter eius naturæ in ſe conſideratæ, licet non ſecundum curſum vſitatum, multo magis dicetur naturalis mutatio, & res mutata, erit principium naturale, & principale operationis, cuius ante mutationem fuiſſet tantum inſtrumentale

Sic explicata propoſitio vniuerſalis probatur inductione rerum multarum, quibus æquè naturalis fuiſſet ſitus, ordinatio, operatio, ſi Deus de illis aliter diſpoſuiſſet, quàm de facto diſpoſuerit; hinc enim conſtabit eodem volente euadere illas poſſe in cauſas principales effectuum, quorum de lege ordinaria eſſe non poſſunt. Primò S. Aug. l. 11. Ciu. c. 34. hoc habet, *Sed hi qui in nomine aquarum, quæ ſuper cœlos ſunt Angelos, intelligi volunt, ponderibus elementorum mouentur: & ideo non putant aquarum fluidam, grauemque naturam in ſuperioribus mundi locis potuiſſe conſtitui, qui ſecundum rationes ſuas, ipſi hominem facere poſſent, non ei pituitam quod græcè φλέγμα dicitur, & tanquam in elementis corporis noſtri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent, ibi enim ſedes eſt phlegmatis, ſecundum Dei opus vtiq; aptiſſimè; ſecundùm autem iſtorum coniecturam tam abſurde, vt ſi hoc neſciremus, & in hoc libro ſimiliter ſcriptum eſſet, quòd Deus humorem fluidum, & frigidum, ac per hoc grauem in ſuperiore omnibus cæteris humani corporis parte poſuerit, iſti trutinatores elementorum nequaquam crederent.* Sicut ergo naturale eſt aqueo humori in homine, qui paruus eſt mundus, ſupremam partem occupare: ita & aquis in magno mundo naturale eſſet ſuper cœlos locari, ſi Deus voluiſſet; & tunc alia fuiſſet earum operatio, & influxus. Sed cũ multa in vtroque mundo magno, paruoq; à ſuo fabricatore collocata, ac diſpoſita, quæ ordinem ſibi, legemq; præfixam ab illis ſeruant, non minus conſtanter, promptèq; ſeruatura diuerſam, ſi aliter ipſe ſtatuiſſet; tum vero argumento, ac experimento ſunt, quæ in humani corporis ſtructura, & conſeruatione peragunt munia humoris tam certis adſtricti locis, ac veluti loculamentis; quam inde per varias diſpertiti partes beneficia ſuæ virtutis impendũt. Duo ex iis ſunt in primis, quæ admirationem ſui cõtemplatoribus incutiunt, flaua nimirũ bilis, & atra, quarum altera igneæ naturæ eſt, aut veræ altera terræ: & nihilominus illa ex folliculo felleo ad inteſtina deſcendit irritatura acriori ſtimulo ad excretionem, & abſterſionem reliquiarum cibi: Altera ex ſiene ad fundum ventriculi conſcendit, & eius os ad ſtringendo corfugandoq; appetentiam excitat. *Mirabile eſt,* inquit Auicenna, *leuiſſimum bilis excrementum inferre ad inteſtina, ne ventriculum lederet, relegatum fuiſſe: graniſſimum vero, & melancholicũ ſurſum ad ventriculi os aſcendere ſperat a commoditatis gratia.* Admirationis cauſa eſt, quia leuiũ eſt proprium aſcendere, grauium deſcendere. *Graue autem omne deorſum tendit*, ait Ariſt. in Problem. ſect. 1. Probl. 18. & ſect. 2. Probl. 38. *Graui cuiq; vt ferri deorſum ſecundùm naturam eſt, ſic ferri ſurſum contra naturam eſt*: & lib. 3. Phyſ. t. 53. *Etſi graue quidem eſt, ad medium habet lationem naturæ; ſi vero leue ſurſum.* Videtur ergo contra naturam quòd bilis flaua calida leuior, ſpumoſa ſubtilis deſcendat, & quod atra, frigida, ſolidior, craſſa, fœtulenta conſcendat, & nihilominus in hac tam artificioſa conſtructione, nihil innaturale, nihil violentum eſt, ſed omnia ſuis apte collocata ſedibus, & functionibus deſignata quæ naturaliſſimè peragantur. Vt Galen. de vſu partium fuſe, & alij poſt ipſum tum veteres, tũ recẽtiores medici, & Anatomici præſertim Veſalius, & Andreas Laurentius, apud quẽ lib. ſexto a. c. 20. videri poſſunt quæ de iis humoribus breuiter attigimus fuſius tractata. Hæc enim gratia exempli dicuntur ad confirmanda dicta S. Aug. & Patrum reliquorũ aſſerentium Dei voluntatem eſſe naturam rebus conditis, quia licet nõ mutet ipſarum eſſentias, ita diſponere de illis poteſt quoad ordinem, ſitum, & reliquas circunſtantias, vt nihil ſit ipſis innaturale, quod ipſe conditor vniuerſarum ordinauerit, ſaluis earum naturis, & proinde per abſolutam potentiam fieri poſſunt cauſæ principales aliquorum effectuum, quos de lege ordinaria ipſis præfixa producere non poſſunt.

S. Auguſt.

Exemplum phlegmatis in humano corpore.

Auicenna.

Reſpondebis fortaſſe exempla allata non cõcludere intentum, quia phlegma antequam cõcreſcat attrahitur à capite, vel tranſmittitur calore hepatis, & alios humores prædictos vel detrudi per meatus, ac ductus à natura inſtitutos ad partes iiſdem aſſignatas; vel per attractionem earundem moueri qua ſurſum, quà deorſum iuxta totius exigentiam, quod conſeruatum in primis per bonum partium ipſa natura intendit; non autẽ ex innata vi, & inclinatione grauia aſcendere, vel leuia deſcendere ad eundem finẽ.

Contra in primis eſt, quia S. Aug. probat aquas quę ſuper cœlos ſunt, ibi non eſſe innaturaliter, quod ſint voluntate Dei, quæ rebus pro natura inſeruit, certum eſt autem illuc neq; trahi, neq; propelli ab vllo corporum. Deinde contra trutinatores elementorũ plus tribuentium naturis grauium, & leuium in recta conſtitutione vniuerſi, quàm voluntati creatoris. S. Aug. profert exemplum humoris aquei, cuius propria, & naturalis ſedes in humano corpore eſt pars ſublimis capitis, quomodocumq; deinceps in eo ponatur, vt inferat ſuper cœlos aquas habere propriam ſedem, quia ibi à Deo collocatæ ſunt, & non minus naturaliter ibi eſſe, quàm quæ infra aërem ſunt; diuiſionemque illarum ab iſtis loca diſcriminaſſe, non violentiam feciſſe, quia naturalis locus elementis eſt, quem Deus deſignat, quicquid trutinatores eorum de grauitate, ac leuitate diſſerant minus periti altioris Philoſophiæ, quæ Dei ſapientiæ, ac potentiæ non ponit leges, aut limites in ordinandis rebus, Siue quos ipſe ſibi præſcribit, ac eligit. 3. ſiue humores prędicti extrudãtur à propriis ſedibus, ſiue trahantur ab alienis, tota iſta cõtinuata functio natura-

Digitized by Google

lis est, quia Deus ita disposuit, ac concinnauit fabricam humani corporis, vt naturaliter vna pars exigat adimentũ alterius, non exactura si aliter disposuisset, vti poterat, si voluisset; igitur in primis naturalis hæc exigentia, & mutua subuentio à Dei voluntate est; deinde quod grauiores humores ascendant, & leuiores descendant propter hanc exigentiam siue tracti, siue pulsi, non est violentum, sed naturale, & hoc ex Dei voluntate, cui subdita est natura tota. 4. Si iussisset Deus moueri istos humores, vt de facto mouentur, idque nullo impellente, vel trahente, sola voluntas illis fuisset causa motus. Cur enim iubente Deo fit lux, & omnia quæ creata sunt, & eo iubente non mouerentur humores quecumque vellet? esset autem motus iste naturalis, sicut nunc est, habita ratione totius, in cuius commodum cedit; igitur voluntas diuina tribuere potest esse, & operationes naturales rebus, & efficere vt quædam euadant in causas principales effectuum aliquorum, quos de lege ordinaria producere non possunt.

Item apud Aug. l. 21. Ciu. c. 8. cit. *Terra Sodomorum non fuit vtique vt nunc est, sed habebat fimus cæteris facie, eademque, vel etiam vberiore fœcunditate pollebat; nam Dei paradiso in diuinis eloquiis comparata est. Hæc postea quam tacta de cœlo est, sicut illorum quoque attestatur historia, & nunc ab eis, qui veniunt ad loca illa, conspicitur, prodigiosa fuligine horrori est, & poma eius interiorem fauillam mendaci superficie maturitatis includunt. Ecce non erat talis, & talis est. Ecce à conditore naturarum natura eius in hanc fœdissimam diuersitatem mirabili mutatione conuersa est. Et quod post tam longum accidit tempus tam longo tempore perseuerat, &c.* Hæc mutatio cum multis modis à Deo fieri potuerit; ille tamen expeditissimus est, si qui olim dixit, germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, &c. Dixerit, germinet terra Sodomorum herbam fœtentem, & lignum igniferum: ita vt terra, quæ prius ad verbum Domini conuestiuit se viriditatis, & fructuum iucunditate longè suauissima, eadem vi verbi incommutabilis in squallorem, horroremque versa poma mortis, & frondes tristitiæ protulerit; & sicut terra per se sine cuiusquam auxilio, aut ministerio, vt loquitur Ambros. 3. lib. Examer. c. 6. germinauit herbam in principio, quod est principalem fuisse: ita per se volente Deo protulit, aluitque arbores malignè fructiferas, & potuisset mutatis obsequiis in primo sui ortu induere se fuligine, & fœtore, & postmodum iubente Deo amœnissima diuersitate in flores, & fructus commigrare. Habet ergo terra, habent & elementa cætera, quæque ex eis constant mixta ampliorem sphæram, ad quam suam virtutem extendant, quamque non attingunt, nisi explicare se se iubeantur à Deo, qui legem ipsis præscripsit in mensura, & numero.

S. Ambros.

Confirmatur idem sensus auctoritate S. Ambros. Hexamer. l. 1. c. 5. qui inductione facta per creaturas peragentes cursus suos naturales, subdit. *Nonne euidenter ostendit Deus omnia in maiestate sua consistere in numero, genere, atque mensura? Neque enim creatura legem tribuit, sed accepit, & seruat acceptam. Non ergo quod in medio sit terra, quasi æqua lance suspenditur; sed quia maiestas Dei maiestatis suæ eam lege constringit, vt supra instabile, atque inane stabilis perseueret; sicut Dauid quoque propheta testatur dicens, fundauit terram super firmamentum eius, non inclinabitur in seculum seculi. Non vtique hic quasi tantummodo artifex Deus, sed quasi omnipotens prædicatur, qui non centro quodam terram, sed præcepti sui suspenderit firmamento, nec eam inclinari patiatur, &c.* & cap. 6. *Non ergo fundamentis suis nixa subsistit, nec fulcris suis stabilis perseuerat, sed Dominus statuit, & firmamento voluntatis suæ continet, quia immanis eius sunt omnes fines terræ.* Ex quo licet inferre terram naturaliter quiescere in mundi centro, quia Deus ibi illam appendit, & sua voluntate firmat, ergo si Deus iussisset illam perpetuò agitari circa centrum, motus iste illi naturalis esset, ab eaque vt causa principali manaret, non secus ac motus rectus ad centrum, quando est extra locum suum: vt de facto demonstrare se putabant Mathematici plerique cum Copernico liberius blandientes suis ipsorum ingeniis, quàm pateretur facer textus, & passi sint censores vsquequaque verendi sanæ eius intelligentiæ inuigilantes: saltem illorum ratiocinia possibilitatem sistematis suadent, qua posita & Dei iussione terra esset principium efficiens suæ circulationis, cuius de facto non est, non aucta, vel imminuta grauitate, non figura, aut situ inuerso, & solùm accedente imperio conditoris. Quinimmo & huic tantum tribuit S. Ambros. vt æquè naturale putet terræ flores, & fructus edere tempore hyemis, ac veris, & æstatis, si Deus velit. Nam etsi quocumque tempore, inquit, Hexam. l. 1. cap. 4. & *Deo subere promptum fuit, & terræ obedire naturæ, vt inter hybernas glacies, & hyemales pruinas cœlestis imperij fotu germinans terra fœtum produceret; non erat tamen dispositionis æternæ rigidis stricta gelu in virides subito fructus laxari arua, atque horrentibus pruinis florulenta miscri.*

in sententia Ambrosij.

Damnata opinio tribuens motum terræ.

S. Ambros.

Deo volente æque naturale esset flores, ac fructus parere hyeme vere, æstateque.

Præterea ex S. Basilio eadem ante peccatum rosas sine spinis, segetes absque tribulis affatim emisit, sic enim in Hexam. Hom. 5. loquitur. *Verum rosa tunc spinis carebat, postea vero pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ, quo voluptatis oblectamento nos inde capiendæ propinque afficiamur dolore recordatione delicti: causa cuius factum est, vt spinas, vt tribulos tellus nobis offerret, &c.* Quod idem sentit Ambros. lib. 3. Exam. c. 9. Damasc. l. 2. fid. c. 10. & S. August. lib. 1. Gen. contra Manich. c. 13. qui quamuis retractasse videatur l. 3. Gen. ad lit. c. 118. asserens non tunc cœpisse oriri spinas, cum Dominus maledixit terræ, *tamen vt in agris, inquit, in quibus iam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest, cum possent alibi nasci, vel ad autum pecorumque pastus, vel ad ipsorum hominum æquos vsus.* Cum quibus est Procopius in c. 1. Gen. & non video causam cur ab ijs discedat Salian. in Annal. explicans opus tertiæ dici.

S. Basil.

S. Ambros.
S. August.
S. Damas.

Procop.

Idem habet S. Bonau. in 2. d. 14. p. 2. dub. 2. text. *Dicendum*, inquit, *quod spinam, & tribulum generari vbi seminatur frumentum, hoc est in pœnam peccati, & ex maledictione terræ, qua cum colitur, vt det fructum, vnde homo sustentetur, potius producit, vnde homo crucietur. Quod autem in locis multis generetur*

S. Bonau.

Terra cur fuerit vbi nunc est

ſpina, & tribulus, hoc non eſt pœna, ſed natura conſenit. S. Th. 1. p. quæſt. 69. a. 2. 2. ſine
S Thom. igitur diuerſo tempore à conditione ſua, ſiue diuerſo loco tantummodo fundere ſpinas tellus occœperit, præcepto Domini obtemperauit, & hunc quidem carentem ſpinis roſam vel in hac parte protulit, alias vero, vel alibi ſpinis ſcatentem: habuit ergo vim natiuam productiuam ſpinarum, ſed cohibitam, donec certo tempore, aut loco voce conditoris excita, illam exerceret in productione aculeorum, quibus videtur maxima diſſonantia cum roſarum mollitudine, ac amœnitate; poſſet ergo & terra, & roſa, & creaturæ plurimæ extendere ſe ſe ad effectus inſolitos, ſi Dei mandatum accederet, atque à Deo eamdem in cauſas principales per obedientiam creatori exhibitam. Simile eſt de
Iſaiæ 30. ſole Eſ. 30. & lux ſolis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, &c. quod S. Hieron. Haymo, & alii apud Corn. ibi interpretantur de luce ſolis poſt diem iudicij augenda in ſeptuplum: id enim cum multis modis fieri poſſit, etiam hic eſt & poſſibilis, & conueniens, ſi dicatur ſoli inditam virtutem productiuam tantùm lucis, quam de facto producet ad Dei imperium nolentis illud ante tempus produci. Idem fieret cum arbore, quam Deus vellet ſingulis menſibus producere fructus, vt illa Apocalyp. 22. myſtica afferens fructus duodecim per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia eius ad ſanitatem gentium. Quia & ipſarum qualitatum primarum facultates, quibus terra, & elementa cætera ad operandum datis peragunt curſus proferuntque fructus, natura æquè prompta eſt quocumque tempore ſeruire factori ſuo ſiue hyeme cum frigore riget, ſeu vere, ac æſtate cum calore miteſcit, & ſicut vetus Dei imperium lex fuit terræ ad germinandum herbam virentem, & arborem pomiferam ad hanc vſque diem; ita & præceptum nouum, ſi imperaret Deus, eſſet eidem vigor, & virtus
S. Baſil. patiendi nuſquam parta germina, & fructus. *Vox ſua* (ait Baſil. Hom. 5. cit.) *tunc facta, primumque illud præceptum, veluti lex naturæ quædam, ac inſtitutum impreſſum, inſculptumque telluri, facultatem ipſi generandi, fructuſque ferendi præſtat.* Quæ igitur præcepto Dei obediens inchoauit generationes, quas ſuccedentibus continuauit, ita poſſet & nouas inchoare, & perſequi per inſitam vim, & concurſum Dei illam promouentis vltra limites olim præfixos.

Neque vero de terra ſolum, ſed & de aqua affirmant ſancti Patres habere à Dei imperio ſortitam inclinationem ad motum deorſum, quaſi ſine illo natura ſua indifferens ſit ad ſtandum, vel quieſcendum. Sic S. Th. 1. p. quæſt. 69. a. 1. ad 4. Quod erat non eguiſſe aquas præcepto Dei, vt aquæ congregarentur in vnum locum, quia naturaliter fluunt, & currunt ad
Iuſſio Dei naturalem motum corporibus præbet, S. Th. mare, reſpondet, *dicendum, quod iuſſio Dei naturalem motum corporibus præbet; vnde dicitur, quod ſuis naturalibus moribus faciunt velle eius;* quæ eſt doctrina antiquiorum patrum.

S. Baſil. Lege Baſilium Examer. Hom. 4. reſpondentem quæſito, *Cur quod ſecundum naturam*, inquit, *competit aquæ ferri per decliuia loca, imaque petere, id ad opificis imperium ſcriptura deducit? quouſque enim in aquo, planoque ſolo ſita eſt aqua, ſi.ibilis eſt tantiſper, atque quieſcit, quippe cum haud habeat quorſum fluendo proficiſcatur: ſed cum prona loca fuerit, atque decliuia nacta, protinus cum antecedens proceſſerit, ea quæ poſt ipſam continua eſt, ſedem ipſius occupat; ea quæ ſequitur, illius itidem ſedem: & ita dilabitur quidem quæ antecedit, ſequitur autem quæ accedit; atque tanto dilatio ſit celerior, quanto & pondus maius eſt deſcendentis, & loca, ad quæ ſit confluxio, magis concaua ſunt. Quod ſi iſta eſt aquæ natura, ſupernacaneum eſt id imperium profecto, quo inbentur in vnum confluere, congregarique locum; ob ſua namque natura momentum, quo ad infra loca vergunt, ad præcipites regiones, concauaque loca ſua defluxiſſent omnino ſponte, nec antea ſteriſſent, quam ipſarum ſuperficies in æqualitatem redacta fuiſſent; nullus eſt enim locus ita planus, atque æqualis, vt ipſius ſuperficies aquæ, &c.* Hæc eſt ratio dubitandi à S. Baſilio propoſita, cui reſpondet dicens, *Poſt præceptum quidem Domini cognouiſti, quales ſint aquæ motiones, quomodo ſit illa fluida, inſtabilis, & eius natura, vt ad declinia, & concaua loca feratur; antea vero quomodo ſe ſe habuerit viribus, atque natura, quam ipſi motum hunc, curſumque Dei præceptum ingenuiſſet: nec tute ipſe ſane vidiſti, nec ab vllo alio, qui viderit, audiuiſti. Intellige namque Dei vocem effectricem eſſe naturæ, idque imperiũ, quod factu eſt tunc creaturæ, ijs, quæ fiunt, facultatẽ, viresq; tales ſucceſſiuè præſtitiſſe.*

Hic duo diſtinguit S. Baſilius, creationem ſcilicet aquæ ſine inclinatione ad loca decliuia, & exhibitionem facultatis ad talem motum, & curſum; quæ non ita ſunt accipienda, quaſi prius condiderit Deus elementum hoc purum, putum, ſine accidentibus vllis, & proprietatibus; & poſtmodum actione diuerſa à creatione indiderit facultatem, ad vires ad mouendum ſe deorſum. Sed quia cum de ſe natura aquæ eſſet indeterminata ad poſitiones locorum, & motus ad ipſa tendentes Deus imperio ſuo determinauit ad decliuia. *Congregentur aquæ in locum vnum. Iuſſit*, inquit ibidem, *Deus currere naturam aquarum, & nunquam defatigatur illo perpetuo compellente ipſam præcepto, &c.* Quaſi non ſatis ad hoc fuerit ipſa natura aquæ cum ſuis proprietatibus, niſi accederet præceptum Domini iubentis fluere, vel ſtare elementum non magis ex ſe ſe poſtulans fluxionem, quàm ſtationem, quę eſt eiuſdem patris doctrina mox ſubdentis. *Quoniam, & quod aquæ fluunt, diuinum imperium eſt cauſa; & quod mare intra fines ſuos eſt circumſcriptum, à prima illa legum poſitione eſt inſtitutum, &c.* Iccirco furens ventis ſæpenumero mare, *fluctuſque vaſtos voluens, atque ad immenſam altitudinem ſe tollens, vbi ſolum attingit littora, in ſpumam diſſoluto impetu redit.* Et S. Ambroſ. Hexam. l. 3. cap. 2. S. Ambroſ.
Nonne ipſi videmus mare frequenter vndoſum, ita vt in altum fluctus eius, tanquam mons aquæ præruptus inſurgat; vbi impetum ſuum ad littus alliſerit, in ſpumas reſoluis repagulis quibuſdam arenæ humilis repercuſſum, &c. Infirmiſſimo itaque omnium vilis ſabuli pulvere vis maris in tempeſtate cohibetur, & velut habenis quibuſdam cæleſtis imperii à præſcripto ſibi fine reuocatur, violentique aquoris motus in ſe ſe frangitur, atque in reductos ſuos ſinus ſcinditur, &c. Totum hoc refert in diuinum præceptum, Iob, 8. *Dixi autem ei, vſque huc venies, nec tr anſgredieris, ſed in*

Digitized by Google

teipso conterentur fluctus tui; quod in vulgata est, Vsque huc venies, & non procedes amplius, hic confringes tumentes fluctus tuos.

Congregatio aquarum per eleuationem ad superiores partes secundum Basil. & Ambros.

Existimant autem isti duo Patres, congregationem aquarum iussu Domini factam esse per eleuationem ad altiores partes; ita vt mare supereminеat terræ, & nihilominus neque redundet, neque descendat, quia Deus posuit vectem, & ostia, vt Iob cit. *Et vectibus legem posuit, ne transiret fines suos.* Prou. 8. Cum illis est S. Th. 1. p. q. 69. a. 1. ad secundum, præferens primum modum cæteris, quod scilicet aquæ in maiorem altitudinem sint eleuatæ in loco vbi sunt congregatæ. Et quanquam quæstio hæc Philosophorum propria in vtramque partem disputatur, vt videre est apud Conimbr. l. 2. Cæl. q. 4. art. 2. Clau ad c. 1. Sphæræ putantes ex terra, & aqua vnum conflari globum; tamen non caret sua probabilitate contraria sententia sanctorum Patrum referentium in efficacitatem Verbi Dei, quod mare contineat se se intra terminos ab eo præscriptos; immò scriptura sacra cit. commodissimè in hoc sensu explicatur emphaticè loquens de præcepto mari imposito, quasi de necessario ad continentiam istam, de quo etiam Hierem. 5. Posui arenam terminum mari præceptum æternum, quod non præteribit; neque tamen violenta est, non solum quia respectu auctoris naturę nihil est violentum, sed quia ante præceptum aqua erat indifferens ad locum, & motum à Deo assignandum, vt Basil. supra hom. 4. cit. vbi & mare superius terris docet ijs verbis, *An quid mare rubrum quæso prohibuisset, in Ægyptum, (quippe cum ipso sit humilior, atque inferior) defluxisse, se seque cum Ægyptio mari tam conunxisse, nisi creatoris ligatum præcepto tanquam compedibus esset? Etenim mari umbro humiliorem Ægyptium esse ij re nobis ipsa persuasere, quibus maria placuit inter se se, Ægyptiũ, inquam, ac Indicum, in quo est & ipsum mare rubrum, coniungere. Quamobrem a suis inceptis desistere tam Ægyptius ille Sesostris, qui primus id est aggressus, quam Darius ille Medus, qui post illum id prosequi conatus fuerat. Hæc a nobis sunt dicta, vt diuini præcepti potentiam, viresque percipiamus.* Ita S. Basil. quo cum magna fuit S. Ambrosij necessitudo, vt proinde mirum videri non debeat, in eius iuisse sensum, & quæ Græcè ille in Oriente exarauerat, de sex dierum operibus, hunc in Occidente vernante Latinitate, grauibusque sententijs ornata posteris consignasse. Sic igitur & ipse de duplici mari loquitur. *Cæterum nisi vis statuti cælestis inhiberet, quid obstaret, quin per plana Ægypti quæ maximè humilioribus iacens vallibus campestris asseritur, mare rubrum Ægyptio pelago misceretur? Denique docent hoc qui voluerunt hac ætate sibi maria connectere, atque in se transfundere; Sesostris sane Ægyptius, qui antiquior fuit, & Darius Medus, qui maioris conatus potentiæ in effectum voluit adducere quod ab indigena fuerat ante tentatum. Quæ res indicio est, quod superius est mare Indicum, in quo mare rubrum quam aqua Ægyptium quasi fretus altius,* dixerat idem Sanct. Basil. homil. 4. Hexam. addens, quod sane non tentassent, nisi mare rubrum altius esse terra Ægypti compertum habuissent. In qua narratione recentior quendam lapsum memoriæ notat eo quod Plinius libro sexto natural. Histor. cap. 2. nono referat nominatos Regis non mare Ægyptiacum; sed Nilum fluuium cum mari rubro committere voluisse: incæpto autem destitisse metu exundationis, cum excelsius tribus cubitis rubrum mare deprehendissent, quam terram Ægypti. Quod etiam commemorat Strabo lib. 17. aitque, opus à Dario 1. absolutum dein fuisse intermissum quod libratores suasissent mare rubrum Ægyptio esse sublimius & si intermedius Isthmus intercideretur, periculum fore ne tota Ægyptus obrueretur. Hic ego quidem non video cur auctor fidem Sanctorum Basilij, & Ambrosij posthabeat Historiæ Plinij; & doleo quod dicat ineptum esse, & puerilis inscitiæ ponere quod Dei imperio ac potentia teneatur mare, ne defluat, cum non desint auctoritates sacrę, & rationes probabiles; licet alioqui demonstrare se contrarium Mathematici arbitrentur: in quo non laboro, contentus exemplis grauissimorum Patrum ad ostendendam ipsorum in proposita quæstione sententiam. Quicquid deinde sit de facto quoad ipsa exempla, quam ob causam neq; inficior, congruam esse aliorum explicationem, quam sequitur Suar. 1. de operibus sex dierum lib. 2. cap. 6. aquam iubente Deo coaluisse in terræ concauitates à Deo factas, & vndique circumdatam montibus, veluti muris naturaliter ibi quiescere, & ab extrinseco impulsu non posse longius dimoueri, quàm patiatur suprema dispositio causarum mouentium, secundum quam contingit sæpius quidem agitari, sed non eo vehementiæ, vt fines quosdam ratos, ac fixos transgrediatur. Quæ prouidentia ritè nomine legis à Deo impositæ, ne transiret fines suos, significatur, & à scriptura sæpius commemoratur, non quia non potuerit Deus illo modo continere aquas solo verbo suo, sed quia hic modus non est consentaneus communi prouidentiæ Dei, qui vtitur causis secundis in ordinarijs effectibus vniuersi, quando commodè id fieri potest, vt in præsenti poterat, includendo aquas in certis terræ locis ita concauis, ac decliuibus, vt inde egredi, neque se se effundere possent ad operiendam terram, vel virtute sua naturali, vel extrinseca motione.

Hierem. 5.

Mare superius terra ex S. Basil.

Frustra tentarunt mare Ægyptium, licet humilius, coniungere mari rubro.

S. Ambros.

Merula de maribus.

Fateor, inquam, modum hunc congregandi aquas, & continendi & esse possibilem, & congruum naturis ipsarum, ac ordini vniuersi; sed Patrum auctoritas nixa scripturæ sacræ verbis tota est in amplificanda creatoris potentia, ac sapientia, quæ maximè in creatione mundi, & dispositione creaturarum elucet, singulariter autem in continendis marinis fluctibus intra certos terminos, è quibus egredi non permittuntur, quantumuis eluctari videantur, quia Deus ligauit illos verbo præcepti sui, ita vt mare neq; elatum defluat, neque concitatum effluat, non alio obstante repagulo, quàm Dei mandato, quod illi est pro natura, & per quod currit tota natura, cuius ordini consentaneum est, quod auctor eius ordinauerit, siue in cælo sursum, siue in terra deorsum. Cæterum, vt ait Ambros. l. 3. cit. c. 2. *non ex vsu hoc habet cæterorum elementorum, sed speciale, & proprium: non ex quodam ordine, sed magis ex voluntate, & operatione Dei summi.* Loquitur de motu aquæ, quæ ante vocem Domini diffusa per terras inhærebat. *An non viderunt subdi, quia natum ames fecit, & cura est creatura præceptum, & vsum fecit ex lege.*

S. Ambros.

Digitized by Google

Data ergo probabilitate de facto, quam ſuadet tam grauis auctoritas, & conuenientia de poſſibili, quam euincit ratio ex diuina ſapientia, & potentia ſtatio maris in loco præfixo ſibi à Deo, naturaliter ei conuenit, & deſcenſus eius in terram, ſi Deus permitteret, naturalis eſſet, & ab intrinſeca vi aquarum; ergo potentia obedientialis non ſolum eſt reſpectu effectuum ſupernaturalium, aut ſupra vires naturales creaturæ, ſed etiam reſpectu naturalium intra vires eius, ſi Deus vltra ſphæram in creatione circumſcriptam velit illas extendi, & agere vt cauſas principales, quod de lege ordinaria non poſſunt.

S. Bonau. Eſt id conforme doctrinæ Sancti Bonau. in 2. d. 8. p. 1. art. 2. quæſt. 1. vbi reddens rationem, cur natura non poſſit producere quædam animalia, niſi per propagationem, & cum adiutorio agentis ſimilis ſpecici quędã verò poſſit, *Si autem*, inquit, *quæratur ratio huius, prima eſt diuina inſtitutio, ſecundum quam eſt limitatio in viribus, & naturis rerum, & hoc ſecundum legem, quam indidit eis ab initio; vnde ſicut dicit, germinet terra herbam virentem, non dixit, quod germinaret hominem*, &c. Quam legem ait fuiſſe cum ratione, quia animalia perfecta ex ſua natura indigent agente virtutis perfectioris ob perfectiorem organizationem. Idem habet d. 7. p. 2. art. 2. quæſt. 2. cap.

Probatur ſecundò aſſertio, quia Deus non ſolum ſaluis naturis rerum poteſt mutare ordinem cauſandi in creaturis inſtitutum, vt Gabr. in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. ſed etiam poteſt ſeipſo ſupplere quod poſſet cauſa quælibet creata, ſaltem non vitalis in genere cauſæ efficientis, ergo etiam poteſt cauſa creata concurrere vt agens principaliter ad effectus, quos de lege ordinaria non poteſt. Conſequentia patet, quia cauſa creata vnita vni agenti producit effectum, quem ſe ſola non poteſt, non ſolum ſi ex ſua natura exigat concurſum illius, ſed etiam ſi non exigat, ſed per accidens vniatur, vt ſupra vidimus; igitur ſi Deus velit ſupplere concurſum illarum, iuxta voluntatem eius, ſequetur effectus, qui ſequeretur ex illis vnitis; idque non ſolum loquendo de cauſis creatis; ſed etiam poſſibilibus ſibi notis, quarum reſpectu magis eluceret potentia obedientialis creaturæ, quia produceret effectus vt cauſa principalis, qui ſunt extra vires naturæ creatæ de facto: verbi gratia, ſi vellet dilatare mundum, & duos ſoles creare, qui iunctis viribus agerent, vterque concurreret principaliter ad maius lumen, quàm producatur ab vno ſeparatim, & ad alios effectus conſequentes ad lumen, & calorem; vel ſi roborare vellet manum, vel cæſariem Sampſonis cuiuſpiam, poſſet, vt ille olim Iudic. 16. funium fortiſſimorum ligamina rumpere, quomodo ſi rumperet quis filum de ſtupa tortũ ſputamine, &c. Atqui virtutes ſimilium agẽtium ſupplere etiam poſſet Deus per ſeipſum, concurrendo cum illis non diſſimili concurſu, quàm illæ exhiberent, ergo tunc & ſol, & potentia motiua eſſent cauſæ partiales principales per potentiam obedientialem. Antecedens autem illud, & ſi ſupra propoſitum eſt vt axioma iam receptum apud Theologos, cõfirmatur in propoſita quęſtione ex iiſdem Patribus. Baſil. hom. 5. in Examer. init. *Atque quoniam ſunt, qui ſolem omnium eorum, quæ à terra pullulant, eſſe cauſam arbitrantur, è profundo telluris vim germinandi per caloris attractionem elicientem, ideo non iniuria ſolem omnis telluris anteceſſit diſpoſitio, vt & adorare ſolem, tanquam vinendi cauſam, homines ij deſinant, qui in errore verſantur, ſi perſuaſum fuerit ipſis, terram ante ſolis effectionem, omnem habuiſſe ſuam diſpoſitionẽ, & tam immoderatam illius admirationem tandem remittant animaduerſo fœno, ac herba, poſteriorem ſolis eſſe generationem*, &c. non negat S. Pater ſolem, & cæleſtia ſydera ad inferiorum generationem concurrere: ſolum vult, tam efficax eſſe Dei imperium, tamque validam virtutem eius, vt abundè quod à ſole terræ prouenit, adiumenti ſupplere poſſit, ita vt nulla alia extrinſeca cauſa virtus terræ natiua indigeat, ſi præceptum vrgeat Dei, quod verbis illis innotuit, *Germinet terra virentem herbam, id eſt ex ſeipſa terra nulla prorſus aliena egens ope abundè diffundat herbeſcentem viriditatem*, ait Baſil. Sanct. autem Ambroſ. lib. 3. Exaem. c. 6. *Germinet terra herbam fœni, id eſt ipſa per ſe germinet terra, nullum alterius quærat auxilium, non cuiuſquam indigeat miniſterio: ſolent enim plerique dicere, niſi clementior ſolis calor tepefecerit terras, & quodammodo radijs ſuis fouerit, non poteſt germinare terra; & propterea gentes diuinum honorem deputant ſoli, quod virtute caloris ſui, terrarum penetret ſinus, ſparſaque foueat ſemina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Audi ergo Deum velut hanc vocem emittentem: Conticeſcat ineptus ſermo hominum, qui futurus eſt, ceſſet vana opinio, antequã ſolis ſiat luminare, herba naſcatur, antiquior ſit eius prærogatiua, quàm ſolis. Ne error hominum conualeſcat, germinet prius terra, quam ſolis fœtus accipiat. Sciant omnes ſolem auctorem non eſſe naſcentium. Dei clementia terram relaxat, de indulgentia prorumpere facit fructus*, &c. Igitur Deus loco fuit ſolis, quia terra ita naturaliter depoſcit concurſum ſolis illam circumeuntis, & calefacientis, vt nihilo deterius illi ſit diuina aſſiſtentia confouenda, & imperio fœcundari.

S. Ambroſ.

S Chryſoſt. In eumdem ſenſum S. Chryſ. homil. 5. in primum cap. Gen. *Quin & futuram*, inquit, *hominum ingratitudinem taxans diuina ſcriptura vt diligenter omnia, ita etiam nobis ordinem factorum narrat, vt compeſcat nugacitates, & deliramenta eorum, qui vanitates ſuorum figmentorum commentantur, & dicere audent, quod ſolis cooperatione ad fructuum prouentum opus ſit. Sunt & alij, qui hæc aſtris aliquibus aſcribere nituntur; propterea docet nos Spiritus Sanctus, quod ante formationem horum elementorum ſermoni, & præcepto Dei obtemperans tellus, omnia ſemina ediderit, nullo alio ad cooperationem opus habens, ſatis enim ſufficiebat ei pro omnibus verbum illud Dei, quod dicebat, Germinet terra herbam fœni*, &c. Neque ipſe S. Chryſoſt. de medio tollit cæleſtium corporum influxus in inferiora ſibi ſubdita, & eorũ neceſſitatem ad generationum perennitatem, ſed cum illis iam procreatis partito opere eas conſeruet, ſe ſolo inchoaſſe docet, nondum productis aſtris, & ſua virtute quicquid ab illis impertiendum fuerat, ſuppleuiſſe, non autem id quod à terra debebatur, quia & hæc concurrebat partialiter pro ſuo modulo, vt etiam cenſet Caiet. & Burgens.

Dices cum Suar. loc. cit. de operibus ſex dierum lib. 2. c. 7. numero 7. terram quidem con-

Digitized by Google

curriſſe in genere cauſæ materialis, quia ex illa productæ ſunt herbæ, arbores, virgulta, & hoc minimum ſcripturâ, conuincitur; ſed in genere cauſæ efficientis ſolum Deum fuiſſe totale, proximum, & principale efficiens, vt Baſ. Ambroſ. Chryſoſt inſinuât, & cogit ratio, credibile namque non eſt terram eleuatam per modum inſtrumenti, quia hæc miracula non ſunt ad primam naturæ inſtitutionem accommodata, & ideo non ſunt figenda ſine reuelatione; ſine eleuatione verò terra non habuit hanc virtutem per ſe, neq; in ſeminibus, quæ tamen non erant; & licet habuiſſet, non potuiſſet tam breui tempore hos effectus producere, *Dixit enim Deus, & momento post hoc præceptum opificis*, ait Baſil. hom. 5. cit. *ſine vlla mora protinus omnes ſylua denſabantur, omnes arbores erumpebant, & quæ petere cælum altitudine ſolent abietes, larices, pini, piceæ, cedri, cupreſſi, & quæ non alta petunt, omnes etiam frutices frondoſæ, denſæque, & quæ coronaria vocantur, roſæ, lauri, myrthi vniuerſæ temporis vno momento cum antea non eſſent, extitere*, &c. & S. Ambroſ. lib. 3. cap. 11. *Dixit, & facta ſunt, & ſubito vt ſupra floribus, herbarumque viriditatibus, ita hic nemoribus terra veſtita eſt. Concurrerunt arbores, conſurrexere ſylua, vertices repente montium frondiuerunt. Hinc pinus, hinc cupreſſus in alta ſe extulerunt cacumina; cedri, & piceæ connexerunt. Abies quoque non contenta terrenis radicibus, atque aërio vertice, etiam caſus marinos tuto ſubitura remigio, nec ſolum ventis, ſed etiam fluctibus certatura proceſſit. Nec non & laurus aſſurgens odorem ſuum dedit, nunquam ſuo exuenda velamine. Vmbroſæ quoque ilices verticem protulerunt*, &c. *quæ indicant potentiam creatoris, longè ſuperiora ſunt viribus creaturæ.*

S. Ambroſ.

Cæterùm vt hic etiam modus ſit poſſibilis, non eſt is à patribus aſſertus, vt conſtat ex eorum verbis hactenus recitatis, & ex fine declarandi maximam Dei potentiam, quæ elucet in duobus præcipuè, nimirum in creatione, per quam cuncta de nihilo deducit ad eſſe, & in efficacitate verbi eius iubentis quæ produxerat operari iam tum ab initio inchoando generationes poſtmodum perennaturas; argumento illud eſt, quod cum effectus tã repentini, & præclari viderentur eſſe ſupra naturam terræ, & aquæ, mirabilem in hoc etiam Dei potentiam prædicant, quod eius voluntas ſit natura, & lex cauſarum, quibus nulla neque actio, neque receptio ſit innaturalis, quam naturæ præſcripſerit auctor. Sed ne aliam quidem interpretationem, niſi extortam admittunt verba Baſilij hom. 5. *Germinet*, inquit, *terra, Animaduertas velim, hac voce parua, præceptoque adeo breui terram ipſam perfrigeſcentem, ac infœcundam parturientem protinus, atque ad edendos fructus pergentem, ac properantem, & perinde atque amictu mœſto, lugubriſque deiecto, ſplendidiore veſte ſe ſe inducentem, ornamentiſque propriis exultantem, ac infinita ſtirpium genera procreantem*, &c. Et mox, *Germinet terra virentem herbam temporis præcepto, nimirum à pullulatione initio ſumpto, tellus, vt creatoris ſui legibus, imperijſque obtemperaret, per omnem accretionis formam diſcurrit*, &c. & in fine ita clarè explicat terræ efficientiam, vt dubium non relinquat candido lectori de mente ſua. Germinet terra. *Hoc perbreue præceptum natura tum ſilico non mediocris, artificioſaque ratio fuit, cognitione noſtra celerius innumeras ſtirpium conficiens, peragenſque proprietates. Hoc etiam nunc inſitum telluri præceptum ipſam quot annis ſuas, quas habet vires ad herbas, ſemina, frutices, arboreſque generandas elicere cogit, atque impellit*, &c. Sicut igitur ſequentibus ſæculis terra effectiuè concurrit ad plantarum, & arborum generationem, principio ſumpto à primo illo præcepto, quod ipſi natura fuit, ita & tunc vi eiuſdem præcepti efficiens fuit, vt ſignificant voces, *parturientem, properantem, procreantem*; & illæ, *diſcurrit per omnem accretionis formam, deduxit germina ad ſummum eorum ſtatum, conficiens, peragenſque elicere cogit*, &c. quæ non ſunt dicta populariter, ſed repetita frequenter, ad explicandam vim præcepti Dominici iubentis terram operari.

S. Baſil.

Terra & aqua, non eim, materialiter, ſed efficienter concurrêrũt ad operationes mirabiles initio creationis.

Clariſſimus eſt hic idem ſenſus apud Ambroſ. lib. 3. Hexaemer. cap. 8. *Germinet*, inquit, *terra herbam fœnſecundum genus*, &c. & continuato parturiens terra, *nouos ſe fudit in partus, & induit ſe amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis aſſumpſit, diuerſiſque compta germinibus proprios ſuſcepit ornatus. Miramur, quod tam cito germinauerit; quanto maiora miracula ſunt, ſi ſpecies ſingula, quemadmodum vel iacta in terram ſemina reſoluantur, ac niſi mortua fuerint, nullum fructum afferant: ſi verò fuerint quædam ſui morte reſoluta in vberiores fructus reſurgant. Suſcipit igitur granum triſtici putris gleba, & ſparſum cohibet occatio*, ac velut *materno terra gremio fouet*, & comprimit, &c. *quibus proſequitur totam ferem operationum diuerſarum à ſeminatione tritici vſque ad frugum maturitatem; in eaque non minus ineſſe miraculi, quam quod tam cito terra iubente Domino germinauerit.* Oportet igitur comparare vim terræ initio parturientis ſine mora; & poſtmodum pedetentim progredientis à germine pullulante ad herbeſcentem viriditatem; ab hac ad culmum, ad ſpicam, ad maturitatem frugum; & vtrumque modum recognoſcere à diuino præcepto iam tum pro natura impreſſo; & tunc apparet facile terram, quę ſeruat illud toto temporum decurſu, ſeruaſſe exactè, cum parere incipiebant, & virtutem, quam acceperat, exercuiſſe impigre, & properanter, quia ſic vrgebat præceptum conditoris; lentè ac remiſsè in poſterum, quia ſic diſpoſuit annos, & tempora plantandi, ſerendi, rigandi, colendi, colligendi, qui omnia fecit in ſapientia.

Quare ſic in forma arguo; ex dictis Patribus ſi terra non concurriſſet effectiuè ad illa opera, quæ commemorata ſunt, maximè quia hoc eſſe non poterat ſine miraculo, non afferendo pro illo tempore citra reuelationem, quæ nulla eſt. Sed hæc ratio non obſtat, tum quia prima inſtitutio rerum fuit miraculoſa, vt S. Thom. in 2. d. 18. q. 1. a. 2. 5. & apparet ex natione, quæ habetur Gen. 1. & 2. tum quia non minora ſunt miracula in progreſſionibus, quas natura ſeruat, perficiendo generationes ſuas, vt apparet præſertim in grano frumenti, quod cadens in terram occatur, putreſcit, germinat, herbeſcit, vt S. Auguſt. tract. 24. in Ioan. attendens opera Dei non minus mira, & ſtupenda in quolibet ſeminis grano; quàm quod momento iſta omnia fiant, ſi Deus velit, ergo, &c. Et ſicut nunc concurrit principaliter per ſuas qualitates, ita & in principio concurrit; & non ſolus Deus fuit cauſa totalis.

Prima inſtitutio rerum fuit miraculoſa. S. Thom.

S. Ambros. Immò hoc apertè docet idem Ambros. lib. 1. cap. 4. *Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi primus exortus, vt ex lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum germina, quò primum Deus dixerat, Germinet terra herbam fœni seminantem semen secundum genus suum, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum; & statim produxit terra herbam fœni, & lignum fructiferum, in quo nobis, & moderationis pe petua diuina prouidentia, & celeritas terræ germinantis ad æstimationem verna suffragatur ætatis*, &c. Hic duo sunt, quæ terram efficienter concurrisse probant: primum, quia inde cæpit germinationis forma, quam postmodum ventura sæcula retinuerunt, non tantum quoad vices, & tempora, sed etiam quoad ipsam productionem, vt patet ex illis verbis, & statim produxit terra herbam fœni, quod actionem significat. Alterum est, quod verno tempore, quo terra magis disposita est ad germinandum, ergo vt ostenderet scriptura veris tempore in constitutione mundi ait, *Mensis hic vobis initium mensium, primus est*, Ex. 12. *vobis in mensibus anni*, primum mensem vernum tempus appellans. *Decebat enim principium anni principium esse generationis, & ipsam generationem mollioribus auris fouere. Neque enim possent teneræ rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus iniuriam sustinere.* Sic Ambros. Quod si terra tantum passiuè se habuit, & materialiter in productione ista quodlibet aliud tempus poterat esse opportunum generationi, non item si & ipsa exercere vim suam, quam acceperat à factore, quia verno tempore auris amœnioribus fouetur, quæ aptiores ad generationes sunt. Ratio congruitatis huius, & patrum sententiæ esse potest, qua

Initio cæpit germinationis forma quæ deinceps secuta est.

Tertiò probatur assertio, quia quando duæ causæ simul agunt in ordine ad vnum effectum, quod vni deest ad modum agendi, vel termini perfectionem, suppleri potest ab alia habente maiorem virtutem; ergo quod deerat terræ ad productionem subitaneam arborum, plantarum, & herbarum tam multarum, suppleri poterat à virtute infinita Dei, ita tamen vt ipsa etiam concurreret. Antecedens probatur, quia in vniuersum virtus minor potest maiori vnita quod per se non potest: sic virtus motiua vt sex addita virtuti vt decem potest attollere pondus vt 16. & luminosum vt duo additum luminoso vt octo, extendit Sphæram addecem passus, exempli gratia, cum de se non possit, nisi ad duos. Quia igitur Deus continet virtutes omnium creaturarum modo eminentissimo, potuit supplere quicquid terræ deerat ad operandum modo prædicto, & tamen ipsa etiam concurrere principaliter, nam effectus fuit proportionatus, & modus operandi, sicut & actio, id est germinatio potuit esse à naturali virtute vnita supernaturali neque tam mirabilis secundum Ambros. & S. Aug. loc. cit. quam multiplex eius operatio, quæ assuetudine minus mirabilis videtur, & pene vilescit.

Causa perfectior supplere potest quod imperfectioni deest.

Ex quibus colligitur, posse terram à diuina voluntate determinari ad alios operandi modos, & effectus, quin dicantur illi esse innaturales, aut ad illos non concurrere principaliter sicut concurreret de facto, si lex alia à Deo illi præscripta fuisset: Si enim iuxta variam eius constitutionem, & oppositionem ad partes cœli diuersas parturit fructus meliores, deteriores, rarius, frequentius, prout illi de cœlo plus, minusve virtutis cõiungitur, quanto magis iuxta Dei imperium hæc, & plura posset, cui non minus naturale, & bonum est subesse, quàm cœlestibus lationibus? & à cuius concursu non minus muari, quàm à causis superioribus, cui subiecta est? S. Bonau.

Confirmat hoc totum doctrina S. Bonau. aliquoties repetita de potentia generatiua Virginis Beatissimæ, quæ momento concurrit ad conceptionem Filij Dei modo supra explicato, & non solum instrumentaliter, quia verè fuit mater Dei; sed principaliter, licet cum potentia supernaturali superadita; hoc enim probat posse potentiam creaturę extendere se ad attingendos effectus naturales principaliter, si Deus velit illam extendi, & concurrere concursu naturali, non secus ac ad supernaturales cum supernaturali.

Item similitudo dominij, quod habet anima in corpus à se informatum cum dominio Dei longè maiori in creaturas ex D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 98. supra cit. sicut enim membra corporis vt substant imperio animæ, multorum motuum sunt causæ, tam naturalium, quam artificiosorum, ad quos potentia motiua non est determinata ex sua natura, sed concurrit tamen ad omnes etiam contrarios, sursum, deorsum, dextrà, sinistrorsum, rectà, obliquè, prout dirigitur ab intellectu, & voluntate; ita creatura indeterminata est ad plures effectus, quos Deo volente concurrere, vel coniungere causas inter se in vnum principium, posset producere principaliter, & non producit, quia secundum dispositionem vniuersi, quæ de facto est, non exigit concursum illum, vel coiunctionem. Quemadmodum cælum vice versa iuxta ordinem vniuersi à Deo præscriptum exigit vnionem motoris extrinseci, quo continuò cieatur; sed secundum suam naturam particularem non exigit, vnde cessante fine generationum inferiorum quiesceret, & non violentè, vt S. Bonau. in 2. d. 14. p. 1. art. 3. quæst. 2. & alibi, sicut neque exigit mouere motu diurno ab oriente in occidentem, sed determinatio est à motore exequente voluntatem Dei. S. Thom. In fine mundi cælum quiesceret non violente. S. Bonau.

Confirmantur dicta ex doctrina, quam tradit P. Valen. t. 3. qui est in 3. p. disp. 1. quæst. 13. p. p. 2. vbi loquens de Christi potentia hæc habet. *Posset etiam probabiliter dici per absolutam Dei potentiam aliquam rem esse per se veram causam effectiuam principalem alicuius effectus secundum rationem communem principalis causæ, etiamsi effectus sit supra illius proportionem, atque naturam; quoniam de ratione communi effectiuæ causæ principalis præcisè, & formaliter solum esse videtur, vt ad illam, quoniam sic, vel sic existit per se, & non vt est alterius causæ organum, consequatur effectus. Id quod Deus potuisset statuere de causa etiam ex se improportionata effectui. Quod autem causa principalis effectiua contineat perfectionem effectus, quamuis sit ordinariè, & naturaliter coniunctas cum perfectione causæ principalis, tamen non videtur esse de ratione formali ipsius.* Igitur in sententia auctoris huius sane grauis decretum Dei sufficit ad hoc, vt aliqua causa ex non principali P. Valent.

Digitized by Google

fiat principalis, loquendo de abſoluta potentia, iuxta modum ſuperius explicatum, eſtque conformis doctrinę ſanctorum Patrum, & exemplis in explicatione ſacræ ſcripturæ ab ipſis adductis non obſtantibus, quæ in contrarium adducebantur contra nonnulla eorum, nam

Ad primum ex Sanctis Patribus reſpondeo, illos apertè nobis fauere, vt fusè oſtenſum eſt, & non fuit opus terram eleuari vt inſtrumentum germinationis, ſed ſatis erat quod virtuti à Deo acceptæ vniretur diuina infinita, ſupplens quicquid deerat cauſalitatis creaturæ, & concurrens cum terra ipſa concurſu naturali, iuxta exigentiam effectuum producendorum; negamus autem terram non habuiſſe vllam virtutem, quia fuit eiuſdem ſpeciei, quæ nunc eſt, & habuit ſuas proprietates; & licèt non poſſet quoad modum per ſeipſam tam ſubito tantas, tamque multas generationes efficere, potuit adiuncta virtuti infinitæ Dei, quia de ſe conſiderata terra, præciſa lege de facto inducta in vniuerſum, apta eſt concurrere aliis modis cum diuina potentia, & ad alios effectus.

Geneſ. 2. Inſtabis, quia cap. 2. Gen. dicitur, *Fecit Dominus cœlum, & terram, & omne virgultum agri.* Et rurſus, *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum; ergo cum dixit, germinet terra, intelligendum eſt in ſuo genere*, nempe cauſę materialis, ſicut nunc etiam dicitur producere terra, quamuis ipſa non faciat, ſed ſemen, quod eſt in ipſa, vel etiam ſol, & aliæ ſimiles cauſæ.

Confirmatur, quia illa pars terræ, ex qua vnaquæque planta generata eſt, non poterat effectiuè concurrere ad illius productionem, quia ex illo concurſu ſequebatur terræ deſtructio, quam ipſa efficere non poterat: neque potuit vna pars terræ ex alia parte eiuſdem plantam producere, cum eſſent ſimiles, non tantum in forma ſubſtantiali, ſed etiam in diſpoſitionibus.

Reſpondeo Deum dici produxiſſe omne lignum, & feciſſe omne virgultum, quia ille fuit qui dedit virtutem terræ, aquæ, & omni creaturæ, ipſe, qui iubendo reduxit ad actum: ille, qui ſua virtute infinita ſuppleuit quod deerat terræ, & aquæ, & cæteris elementis concurrentibus, ſed ita tamen, vt illa etiam ipſo volente concurrerent; ſicut de facto concurrunt per ſuas qualitates, & non tantum ſemina, vel externæ cauſæ, ſiue ſuperiores, ſiue inferiores; & idem dicendum de animantibus aquaticis quinta die, & terreſtribus ſexta die productis, quorum principium actiuum dicitur verbum Dei à S. Thom. S. Thom. 1. p. quæſt. 71. art. vn. 1. ob dictas rationes, non quia non concurrerint etiam elementa ipſa effectiuè, ſicut concurrunt de facto in continua eorum generatione per ſuas qualitates, & materialiter per ſuas ſubſtantias: ſic enim ſaluatur proprietas verborum ſcripturæ, Producant aquæ reptile; Producat terra animam viuentem in genere ſuo; vnde à S. Thom. 3. p. quæſt. 66. art. 3. aqua dicitur generatiua. Deinde videtur hunc ſecundum concurſum explicare textus ſacer: *Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant* aquæ in ſpecies ſuas: primum enim denotat principium primum independens, dans virtutem creaturæ, & legem per ſuum imperium, quin & concurſum peculiarem, per quem ſimul cum actione creata producebat. Secundum autem indicat concurſum etiam aquæ, & elementorum ad eoſdem effectus. *Non doluit natura*, ait S. Ambroſ. Ambroſ. lib. 5. cap. 2. *parturiens Delphinas, ſicut non doluit, cum exiguos mures, cochleaſque produceret*, quia ſcilicet Deus ſupplebat in omnibus tam magnis, quàm paruis animantibus quod deerat virtutis elementis iſtis.

Ad confirmationem, eadem difficultas militat in perpetuis generationibus, quæ in terra, & ex terra fiunt, quæ philoſophicè eſt, & controuerſa iuxta diuerſas ſententias de elementis in mixto, quę ab alijs dicũtur remanere formaliter ſecundum virtutes refractas ad exigentiam formæ principalis; ab alijs tantum virtualiter ſecundum qualitates proprias ipſorum conſpirantes in temperamentum, & harmoniam mixto debitam; Vt vt ſit, terra dicitur concurrere effectiuè ad generationes plantarum, arborum, frugum, quia per ſuas qualitates cauſat, ſicut ignis, & aqua per ſuas, quin concurrant ad deſtructionem ſui, ſi remanent in mixto, aut per accidens ſi pereunt eorum formæ, diſponente materiam agente principali, vt introducat ſuam, cui cooperantur partes elementi agentes vna in aliam, vt S. Baſil. hom. 4. cit. latè exponit.

Dices, ergo per eamdem virtutem obedientialem poſſet eſſe cauſa principalis quælibet creatura eorum effectuum, quorum eſt inſtrumentalis, ſupplente Deo quod illi deeſt virtutis.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia diuino decreto, & concurſu eorum tantum effectuum cauſa principalis eſſe poteſt creatura, quorum virtutem naturalem accepit à conditore, etiamſi de lege ordinaria non exercitam, aliter diſponente Deo; qui verò ſint iſti effectus ignotum eſt nobis etiam ignorantibus eos, qui ſunt poſſibiles ſecundum vſitatum naturæ curſum; & ſolum in genere dicimus eſſe, qui magis proportionati ſunt ſuis cauſis; ſed pro pleniore reſponſione ſit

Aſſertio ſecunda.

XXXI. NOn poteſt quælibet cauſa creata per virtutem obedientialem eſſe cauſa principalis omnium effectuum, quorum eſſe poteſt inſtrumentalis. Probatur, quia in primis cauſa naturalis non poteſt eſſe cauſa principalis effectuum ſupernaturalium; quia quæ ſunt ordinis inferioris non attingunt virtute propria quæ ſunt ſuperioris, & proportio requiſita inter cauſam & effectum non eſt inter res ordinum diuerſorum. Deinde omnis creatura eſt determinatæ virtutis, & habet ſphæram illi reſpondentem, vltra quam ſe non extendit, cum quælibet in ſua entitate ſit finita, & limitata, ergo non poteſt eſſe cauſa principalis niſi certorum effectuum: cum tamen poſſit eſſe inſtrumentalis omnium non implicantium. Tertiò cauſa principalis eſt vel nobilior, vel æquè nobilis, ac effectus, non item inſtrumentalis, quæ poteſt eſſe ignobilior: quia perfectio effectus attenditur penes principalem, quæ ſi ſit infinita, poteſt vti creatura, vt inſtrumento ad effectus, quos per ſe poſſet producere, non tamen facere, vt eorumdem ſit illa cauſa principalis per ſolum imperium, immutata prorſus virtute creaturæ.

Quæres, cur poſſunt per Dei voluntatem creaturæ aliquæ fieri cauſæ principales nouo-

Digitized by Google

rum effectuum, & non omnes?

Reſpondeo, non omnes ſunt natura ſua operatiuæ, vt materia, quæ eſt pura potentia: quantitas, quæ mera extenſio, & ſimiles, & ideo deberet mutari earum natura, vt agerent; nos autem loquimur ſaluis naturis rerum. Deinde quæ actiuæ ſunt, determinatæ actiuitatis ſunt, quæ licet extendi queat ad aliquos effectus proportionatos, non tamen ad omnes indifferenter; verbi gratia, ignis non poteſt eſſe cauſa principalis frigoris, quia eſſet ignis, & non ignis; poſſet tamen extendere ſphæram caloris, & lucis Deo volente aliquo ex modis ſupra numeratis; ſicut poteſt eſſe inſtrumentum eiuſdem ad effectus, & ſupra, & contra naturam ſuam, ſed tunc.

Rurſus quæres, poſſet ne ſuſtineri vt probabile de potentia abſoluta quod Gabriel in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. non reputat improbabile de facto, nimirum cauſas naturales, & per ſe dici, ad quarum præſentiam Deus in creatione ſtatuit tales effectus producere, puta calorem ad præſentiam ignis, qui eſſet cauſa per ſe naturalis frigoris, ſi decreuiſſet Deus producere frigus; ſic enim pateret, quomodo diuina voluntas ſit natura rerum, vt loquuntur Sancti Patres ſupra, & quanta ſit eius efficacitas.

S. Thom. Caiet. Suar. Sot.

Reſpondeo placitum hoc impugnari à S. Th. 1. p. quæſt. 105. art 5. & Caiet. ibi & in 2. d. 1. q. 1. art. 4. & 3. cont. gent. cap. 69. & à Suar. in Metaphyſ. diſp. 18. ſect. 1. libet referre confutationem, & notam illi inuſtam à Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art. 1. *Enimverò*, inquit, *quomodo iſti vniuerſum rerum naturalium ordinem euertant, ludibrioque exponant; profectò fruſtra, vt eſt omnium Philoſophorum confeſſio, Deus feciſſet & elementa, & cælos, & omnes ſecundas cauſas, ſi eas reliquiſſet otioſas, & non potius ad agendum aptas inſtituiſſet. Quocirca communiter*, 9. Metaph. com. 7. *huius opinionis patronos (nam fuit antiquorum delirium) non arbitrabatur cerebrum habere ad phyſicè opinandum idoneum*; & 2. ſent. diſt. 1. art. 4. D. Th. *ſtultitiam potius quàm opinionem eam vocat. Nam vt alia omiſſa faciamus argumenta, ex hac opinione ſit plane conſequens; non conſtare nobis, ſolem eſſe lucidum, aut ignem calidum. Etenim ſi nec ille illuminat, nec hic calefecit, quomodo eorum natura à nobis percipitur?* Mox conſequitur *hominem eſſe cauſam creationis animæ rationalis, quandoquidem ad eius præſentiam Deus illam producit. Ac denique pari lenitate deberent iſti concedere intellectum noſtrum, aut voluntatem nullum actum producere, ſed Deum ad eius præſentiam, ac ſubinde nec dum bonum volumus, nobis aſcriberetur ad meritum, nec dum mala per voluntatem proponimus, aut opere exequimur, imputaretur nobis ad culpam; immo ſequeretur, quod Deus ad præſentiam voluntatis noſtræ produceret odium ſui ipſius*, &c. Igitur potuiſſet quidem Deus ad præſentiam cauſarum ſecundarum agere ipſe ſolus abſolutè loquendo, ſed non de inſtrumentali reddere principalem, ſi nihil actiuitatis in effectum contuliſſent, quia nec nomine quidem cauſæ appellanda, quæ otioſa manet ad præſentiam alterius operantis, & effectum ſine vllius conſortio producentis.

Reſpondetur argumentis contrarijs.

CAPVT XI.

Primum eſt,

XXXII. CONTRA dicta in prima aſſertione; quia ſi Dei voluntas natura rebus eſt, & illud eſt naturale, quod Deus voluerit ineſſe naturis, ſequeretur eſſentias, & naturas rerum pendere à voluntate Dei, & hominem exempli gratia eſſe rationalem, quia Deus vult, non quia termini ex ſeipſis ſint eſſentialiter connexi, quod eſt abſurdum; ſic enim ſi Deus vellet, equus eſſet rationalis, & chimera poſſibilis, & in vniuerſum illud eſſet poſſibile quod Deus vellet, & non eſſet verum dicere, ideo Deus eſt omnipotens, quia poteſt facere quicquid non implicat contra S. Thom. 1. p. quæſt. 25. art. 3. & alios Theologos.

Confirmatur, quia ſi ratio allata ex Dei omnipotentia, & ſubiectione creaturę valet, ergo ab illo pendet tota naturæ mutatio; & ſicut de nihilo produxit mundum, ita poſſet totum mundum immutare, atque adeo facere, vt ignis ſit frigefactiuus, aqua calefactiua, ille deſcendat, hæc aſcendat, & ſic de cæteris tam animatis, quàm inanimis; præſertim ſi, vt S. Baſil. aſſerebat, antequam inberentur aquæ congregari in vnum locum, dici non poterat, naturam aquæ eſſe quod deſcenderet; ſic enim dicam, neque naturam ignis eſſe, vt aſcenderet, vel calefaceret, ſed hanc illi à diuino præcepto impreſſam, inſculptamque fuiſſe.

Confirmatur ſecundò, quia non eſt contra naturam maris, vt non egrediatur fines ſibi à Deo præfixos, neque talem habere poſitionem, vt cum terra conſtituat vnum globum, ſed potius illi eſt naturale, idque propter imperium Dei, vſque huc venies, &c. ergo & alijs rebus illud erit naturale quod Deus præcepit, atque adeo & igni frigefacere, vel deſcendere, & aquæ calefacere, & aſcendere.

Reſpondeo ad argumentum, nego ſequelam, quia voluntas Dei eſt quidem cauſa efficiens exiſtentiæ rerum, ſed non eſſentiæ: nam etiam præciſa voluntate eſſentię, & poſſibilitates rerum ſunt tales, vel tales: verbi gratia eſſentia hominis eſt vt ſit animal rationale, Angeli, vt ſit natura ſpiritualis intellectiua, & ſic de cæteris; Deus autem dicitur dare naturam rebus ſeu voluntas Dei eſſe natura rerum non formaliter, ſed effectiuè, quia producit ex potẽtia vel obiectiua, vel ſubiectiua in actum exiſtendi, & cum natura rerum ſit indifferens ad multas vel operationes, vel modos, determinatur ad aliquos à Dei voluntate, quæ propterea dicitur natura rerum.

Inſtabis, ergo creaturæ non pendent à Deo, quia Deus non poteſt mutare ipſarum eſſentias. Reſpondeo, nego ſequelam, quia etiam eſſentiæ pendent ab ipſo, vt à cauſa ideali, ſeu exemplari, & participatio quædam illius ſunt, quatenus in ſuo formali conceptu dicunt aliquid, quod eſt eius non à ſeipſo, ſed à primo ente; quod autem ſint immutabiles, & inuoluant neceſſariam connexionem terminorum, pertinet ad

ex-

Digitized by Google

excellentiam essentiæ diuinæ, quæ vt in se est necessaria, ita est fons essentiarum, & necessitatis earum; sed hoc potius supponendum ex Metaph. quàm probandum hîc: & explicatum est supra quæst. 1. c.

Mutatio mundi accidentalis est possibilis.

Ad primam confirmationem, Mutatio mundi potest esse duplex, accidentalis, & essentialis. Prima complectitur diuersitatem situs, & positionis eorum, quæ in mundo sunt; modum operandi differentem; varietatem effectuum, qui naturaliter tunc sequerentur; & hoc modo potest mutari mundus, qui pro arbitrio creatoris alia ratione disponi potuisset. Secunda dicit diuersam coniunctionem prædicatorum essentialium, puta rationalis, & hinnibilis, frigefactiui, & calefactiui, &c. & hoc modo est immutabilis, quia vnum destruit aliud, & habet necessariò adiunctam negationem alterius, vel immediatè, vel mediatè, & consequenter.

Aqua de se indifferens ad operiendã terram, vel ad locum determinatum.

Ad secundam, Aqua de se est indifferens ad stationem supra terram, operiendo illam, vel in loco determinato, & ideo determinatur à Deo, & accipere dicitur naturam ab eius imperio, quia ab indifferentia per illud extrahitur ad talem positionem, quæ sit conueniens, ordini vniuersi, & non disconueniens naturæ illius; quomodo etiam cælũ indifferens ad motum ex hac, vel illa parte determinatur ad hanc ab oriente in occidentem, & motus talis dicitur illi naturalis: quia natura eius est seruare legem impositam à creatore in motu æqualiter sibi bono, à quacumque parte incipiat.

Et idem est de alijs rebus indifferentibus secundum suam naturam ad operationes, passiones, & modos, plures, pauciores, perfectiores, hoc, vel alio tempore, &c.

Quæres, quænam sint istæ res indifferentes, & ad quorum opera, vel modos, ita vt posita determinatione ad vnum sint causæ principales.

Respondeo hoc pendere ex cognitione perfecta naturæ rerum, quæ in hac vita haberi non potest naturaliter; quid sit autem secundum naturam, quid contra naturam, homines, *qui sicut nos erant, nosse non possunt* ait August. l. 26. cont. Faust. c. 3. qui mox opus esse lumine supernaturali ad cognoscendum perfectè, quæ sint secundum naturam, & quæ contra, testatur his verbis. *Spiritalis autem, eademque rationalis creatura, in quo genere & anima humana est, quanto amplius illius incommutabilis legis, lucisque sit particeps, tanto magis videt quid fieri possit, quidue non possit*, &c. vt proinde etiam Angeli in hac notitia magis excellant pro maiori, vel minori luce, qua perfunduntur.

S. August.

Argumentum secundum

Est contra secundam assertionem, quia quilibet effectus saltem non habens essentialem dependentiam à tali causa, potest fieri à qualibet instrumentaliter, si Deus velit illa vti vt instrumento, ergo etiam quælibet causa poterit esse principalis effectus non pendentis essentialiter ab aliqua, quales in sententia probabili sunt solum vitales. Antecedens probatur, quia Deus potest suspendere concursum debitum causis naturalibus, & tunc perinde se haberent, ac si caterent potentijs proximè operatiuis: & tamen quia creaturæ sunt, habent potentiam obedientialem ad operandum diuina virtute, vt supra diximus, omnes effectus non repugnantes. Consequentia patet, quia ex dictis potest Deus omnem mutationem facere in creatura non essentialem; si ergo dependentia effectus ab aliqua causa non est essentialis, poterit ab eo fieri, & proinde vt omnis creatura sit causa principalis omnis effectus, exceptis ad summum vitalibus: hoc enim etiam pertinet ad omnipotentiam; falsitas consequentis patet, quia sic nulla esset exigẽtia causæ creatæ ad hos effectus, potius quàm ad alios, nulla limitatio, nisi quam Deus præscriberet: verbi gratia, ignis non exigeret concursum ad calorem potius, quàm ad frigus, aut humiditatem producendam; & sic de cæteris.

Confirmatur, quia ex duobus prædicatis essentialibus creaturæ, quæ sunt dependentia à Deo cum subiectione, ad cuius dominium, & inclinatio ad talem operationem cum exigentia concursus ad illam; secundum est posterius, & dependens à primo: ergo sicut ratione primi creatura potest creari, & annihilari, & mutari vna in aliam omnimodè, ita poterit vna fieri causa alterius, quod est minus, verbi gratia ignis fieri causa principalis frigoris, quandoquidem & in aquam mutari potest.

Respondeo ad argumentum, nego consequentiam. Ad probationem dico, quod mutatio illa esset essentialis, vnicuique enim speciei debetur virtus proportionata, & finita, verbi gratia, igni esse calefactiuum; soli esse illuminatiuum, seu productiuum luminis; quod si per Dei imperium terra exempli gratia, vel lapis rudis potest esse causa principalis caloris, vel luminis, iam natura sua erit calefactiua, & illuminatiua, & sic haberet naturam ignis, & solis, quod est non esse terram, & inuolueret positionem, & negationem eiusdem, vnde talis mutatio implicat; non item accidentalis, si eadem virtus extenderetur diuino imperio ad alia, ad quæ se non extendit secundum legem, ac determinationem de facto impositam vniuerso; sed quænam illa sint in particulari, & an plura, vel pauciora homini ignotum est, vt dixi.

Ad confirmationem negatur item consequentia, quia imperium Dei, & eius voluntas non est impossibilium, cum sit ordinatissima, & non sit eorum, quæ velle inordinationem dicit; impossibile autem est creaturam habere duas vltimas differentias constitutiuas specierum, & proinde etiam proprietates illarum, quales haberet, si posset esse causa principalis omnium effectuum naturalium. *Quare Deus* (inquit S. Bonau. in 2. d. 3. p. 1. art. 1. quæst. 1. ad pen.) *condidit res, secundum quod competit naturis ipsarum*; & d. 7. p. 2. 2. q. 2. hæc dispositio dicitur secundum exigentiam ordinis suæ sapientiæ.

S. Bonau.

Tertium argumentum contra superiores responsiones

Est, quia si creatura potest fieri causa principalis effectuum, quos de lege ordinaria non potest producere, eo quod Deus non determinauerit ad illos, ergo frustra est illa potẽtia in tota natura, quę nũquam ad actũ reducẽda est; immo esset perpetua violentia in eadem, quia vnaquę-

que potentia inclinatur ad actus ſibi proportionatos, & exigit naturaliter concurſum vniuerſalem primæ cauſæ ad illos, proinde contra naturalẽ inclinationẽ manebit perpetuò ſine illo.

Confirmatur, quia ſi poſſet fieri cauſa principalis, maximè hoc eſſet reſpectu effectuum, qui ſunt magis congenei ijs, quos de lege ordinaria producit; verbi gratia ſi poſſet extendi ſphæra aëris, maximè ad producendum calorem, vel humiditatem in gradu intenſiori, quàm de facto producat, & non ſiccitatem illi contrariam. Sed hoc poſito ſequeretur mutatio eſſentialis in principio productiuo: nam aër eſſet calefactiuus in ſummo, & ignifactiuus, & proinde non eſſet aër, quia hoc eſt proprium ignis; ergo eſt impoſſibilis hæc extenſio.

Confirmatur ſecundò, quia creatura eo nobiliorem habet potentiam, quo nobilioris eſt ſpeciei, ergo ad plures etiam nobiliores effectus extendi poſſet, vt cauſa principalis ipſorum, ſicut de facto corpora cælestia extenduntur influxu vniuerſali ad omnes effectus inferiorum, & ad omnes operationes membrorum; & hoc dato ſequeretur ſubſtantiam ſpiritualem, quæ perfectione ſuperat corporalem, poſſe Dei imperio fieri cauſam principalem plurium, ac nobiliorum effectuum, quàm ſit corporalis; atque adeo Angelus poſſet plures effectus in corporibus cauſare, quàm ſol, & ſydera contra Theologos id negantes, S. Bonau. in 2. d. 7. p. 2. art. 2. q. 2. S. Thom. 1. p. q. 65. 4. & q. 100. a. 2. & 3. cont. gen. c. 103.

Reſpondeo ad argumentum non eſſe fruſtra talem potentiam, neque violentè carere concurſu ordinario ad effectus, quos attingere poſſet; quia vt ſupra aduertimus ex S. Thom. 1. p. q. 25. art. 2. 2. fruſtra dicitur quod non attingit finem, ad quem eſt: at huiuſmodi potentia non eſt ad actus omnes ſibi proportionatos, ſed ſolum ad eos, ad quos determinatur à Deo, neque exigit concurſum ordinarium, niſi ad illos, cum de ſe ſit indifferens ad omnes; ſicut materia appetit quidem formam, ſed non hanc potius, quàm alteram, niſi vt determinatur ab agente per diſpoſitiones, & quantum eſt de ſe nunquam violentè manet ſub vlla, etiamſi numquam ab ea eſſet mutanda: ſic potentia actiua indeterminata ad plures effectus ſpecie, vel numero diſtinctos, quantũ eſt de ſe non poſtulat determinari ad hos, potius quàm ad illos, ſed determinatur à voluntate Dei: quâ determinatione poſitâ, licet plures cauſæ nunquam operentur effectus, quos poſſunt, non tamen dicitur potentia illarum eſſe fruſtra, aut violentè manere ſine operatione. Quam multæ ſunt virtutes herbarum, & lapidum ad ſanitates faciendas in corporibus viuentium, & tranſmutationes in non viuentibus, præſertim in metallis, quæ tamen nunquam ad vſum veniunt, quia non applicantur, ſi ſint ad manus defectu cognitionis ipſarum; vel ſi non ſint defectu facultatis illas acquirendi? & tamen fruſtra non ſunt, quæ pertinent ad perfectionem vniuerſi.

Fruſtra quid dicatur.

Ad primam confirmationem nego Minorem vniuerſaliter ſumptam, & ad exemplum particulare aëris dico, quod etiamſi diceretur calefactiuus in ſummo, adhuc non eſſet ignis, quia natura ignis eſt principium caloris, & ſiccitatis in ſummo: non enim ex eo quod entia conueniunt vniuocè in vno prædicato, ſequitur conuenientia in ſpecie, niſi conueniant etiam in vltima differentia, vt patet diſcurrenti per prædicata eiuſdem cathegoriæ ſenſibilis viuentis corporei, &c. quæ dicuntur vniuocè de animantibus ſpecie differentibus, ita in propoſito poſſunt conuenire duæ cauſæ in hoc, quod eſt eſſe productiuum duarum qualitatum ſimilium, quin ipſæ ſint ſimiles in ſpecie, atque adeo aër, & ignis in eſſe productiuo caloris æqualiter, etiamſi de lege ordinaria, aër non producat niſi inæqualiter in gradu remiſſo: quia ita poſtulat diſpoſitio vniuerſi à Deo conſtituta, & alioqui maior vel minor intenſio in qualitate non indicat differentiam eſſentialem inter cauſas, niſi aliunde conſtet de illa.

Ad ſecundam reſpondeo cum S. Bonau. in 2. d. 7. p. 2. art. 2. q. 2. negando ſequelam. Ad illud (inquit) quod obijcitur, quòd ſpiritualia influant in corporalia, & ſuperiora in inferiora, dicendum, quod influunt ſecundum proportionem vnius ad alterum, & ſecundum quod competit naturæ ſuſcipientis: aliter enim influit ſol, aliter Angelus; ſol poteſt influere corporalem, vel formalem proprietatem, communicando ſcilicet lucem, & calorem; Angelus non ſic poteſt influere in corporalia, ſed ſolum localiter mutando non ad formam, ſed ad ſitum, cum non habeat conuenientiam in forma, & natura, &c. Non ergo ſufficit nobilitas, & ſuperioritas, ſed requiritur etiam conuenientia in natura ad hoc vt vnum in aliud agere poſſit, producendo in illo qualitates, & formas, quod vt certum ſupponendum ex materia de Angelis. Neque ex eo quod poſſunt cauſare motum in corporibus licet arguere, quod alias etiam qualitates, quia potentia motiua conuenit naturæ ſpirituali, cum ſecundum ſe abſtrahat à corporeo & incorporeo; non item calefactiua exempli gratia, frigefactiua, &c. quæ ſunt materiales.

Inſtabis, cur ſicut potentia motiua de ſe abſtrahit à materiali, & ſpirituali, & ideo contrahitur ab vtroque; ita non poteſt calefactiua exempli gratia abſtrahere, & reperiri in Angelo contracta ad eſſe ſpirituale, quod eminenter contineat virtutem ignis, & calefaciat non ſecus ac ſol in ſententia diſtinguente illum ſpecie à corporibus inferioribus, ſiue quia ſimplex eſt corpus, ſiue quia conſtat materia diuerſa, & non eſt calidus formaliter vt ignis, ſed ſolum eminenter poteſt cauſare calorem?

Reſpondeo hoc pertinere ad materiam de Angelis, in qua Vaſq. 1. p. diſp. 118. c. 3. fatetur deſiderari probationem in Scholaſticis, quos citat etiam S. Bonau. qui tamen, vt ex verbis citatis patet, eam affert, quod non ſit conuenientia in natura, & forma; quod etiam in præſentia ſupponendum, quia ad inſtitutam diſputationem parui refert, quænam, & quanta ſit virtus Angeli in hæc inferiora: ſolum enim contendo plures cauſas naturales poſſe per obedientialem potentiam producere principaliter aliquos effectus, quos non poſſunt de lege ordinaria, eo quod earum virtus determinata ſit ad tales iuxta exigentiam vniuerſi, vt de facto à Deo diſpoſitus eſt, ſed tunc eſt

Argumentum quartum.

QVia creatura ex ſeipſa videtur indifferens non ſolũ ad operationes, & effectus intra

certam ſphæram ſibi proportionatos, ſed omnes, & à Deo pendere determinationem ad hos potius, quàm ad alios: patet quia de facto aqua exempli gratia, naturaliter tendit deorſum, & in mari vna pars ſupereminet alteri, & naturaliter conſiſtit, immo probabilis eſt ſententia aſſerens aquas eſſe ſupra cælos, ſeu octauam ſphæram ob Patrum auctoritatem ſic explicantium loca ſcripturæ. *Qui tegis aquis ſuperiora eius*, Pſal. 103. *Et aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt*, Pſal. 148. *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino*, Dan. 3. in cantico trium puerorum. Ita Patres ſuper Gen. Baſil. hom. 3. Ambroſ. l. 2. exaemer. cap. 3. Chryſoſt. hom. 4. Hieron. epiſt. 83. ad Oceanum, & alij, quos ſequitur Molina diſp. 10. tract. de oper. ſex dierum, Bellarm. in Pſal. 148. licet aliæ etiam ſententiæ ſint probabiles apud Soar. l. de oper. ſex dierum, lib. 2. cap. 4. explicantem de aquis elementaribus ſupra cœlum aëreum, quę ſunt aquæ nubium, & ſimilium impreſſionum; ſed ſtando in ſententia patrum probabili, aquæ ibi ſunt & naturaliter, quia ſic Deus voluit, & inferius etiam naturaliter: non ſecus ac in humano corpore phlegma, quod reſpondet aquæ, naturaliter eſt in capite, & in partibus alijs inferioribus, vt S. Auguſt. cont. Fauſt. ſup. cit. igitur & alijs creaturis illud erit naturale quod Deus voluerit, verbi gratia eidem aquæ calefacere, quia non minus inclinatur ad locum deorſum, quàm ad frigefaciendum: & eadem ratio eſt de cæteris.

Aquæ ſuper cœlos. S. Baſil. S. Ambroſ. S Chryſoſt. Hieronym. Bellarm.

Confirmatur, quia vt patet ex dictis magis obedit creatura Deo, quàm corpus animæ: ſi ergo omnis motus eſt naturalis, quo anima ordinariè exercet membra ſurſum, deorſum, &c. etiamſi alioqui talis motus eſſet innaturalis parti vt grauis eſt, & ima petit, quanto magis omnis operatio erit naturalis creaturæ, quam Deus imperauerit?

Confirmatur ſecundò quia magis eſt naturale creaturæ ſubeſſe Deo, quàm corpori ſuperiori, puta aquæ operari quod iubet Deus, quàm habere fluxum, & refluxum, vt ſubeſt influentiæ Lunæ.

Reſpondeo ad argumentum, quod iuxta illam ſententiam aqua eſt indifferens ad omnem poſitionem ex ſua natura, & ideo ibi naturaliter quieſcit vbi determinat Deus: neq; ad alium locum inclinatur, niſi ad ſibi conſtitutum: quod autem deſcendat deorſum, prouenit ex grauitate, quam contrahit admixtione aliorum corporum; ideo aquæ, quæ ſupra cœlos ſunt, non ſunt fluidæ, vt S. Thom. 1. p. quæſt. 68. art. 2. ſecundum, ex S. Baſilio. Proinde falſum eſt ita inclinari ad motum deorſum, ſicut ad frigefaciendum; vis enim frigefactiua eſt proprietas manans ab eius eſſentia, & ideo non eſt indifferens ad frigus, vel calorem producendum, ſicut ad locum ex ſua natura; inclinatio verò ad deſcenſum ſolum eſt poſita grauitate, ad quam eſt indifferens, & fluxibilitate, quæ non ſtat cum ſoliditate, quam item ex ſua natura non exigit, ideo reſoluta in vapores naturaliter aſcendit.

Aquæ ſuper cœlos non ſunt fluidæ. S. Thom.

Ad primam confirmationem iam diximus ſubiectionem in eo eſſe, quod pendeat in fieri, conſeruari, non in indifferentia ad eſſe ſpecificum, ſeu ad eſſentiam, quæ eſt determinata, & immutabilis, ex quo patet.

Ad ſecundã conceſſo antecedente nego conſequentiam; motus enim illę aquæ maris pendet ab influentia Lunæ, vt S. Thom. loc. cit. præſertim 1. p. q. 105. a. 1. & non per formam eius, ſed per impreſſionem Lunæ: non pendet autem in eſſe, & conſeruari vt creatura à Deo & ideo ſecundum poſſibilia fieri in ipſa, & per ipſam, vt ſubſtat diuinæ dicitur naturale ex Auguſt. ſupra cit. at mutari eſſentiam non eſt quid poſſibile, verbi gratia, hominem eſſe animal irrationale: & proinde neque eſſe principium effectiuum operationum eſſentię repugnantium, puta hominem eſſe animal himnibile, ſed tunc

Fluxus, & refluxus maris ab influentia Lunæ.

Quintum Argumentum

EST, quia quælibet operatio eſt conueniens, vel diſconueniens creaturæ, quatenus abſolutè conſideratur ſecundum ſuam ſpeciem ſine reſpectu ad Deum, quomodo conſiderari poſſe docet S. Thom. in 3. d. 11. quæſt. 1. 7. At verò in ordine ad Deum nulla eſt illi diſconueniens, quia maius bonum eſt creaturę facere quod ipſe vult, quàm quod natura eius ex ſe poſtularet: ſi enim naturaliter pars magis appetit bonum totius, quàm proprium, vt patet in bracchio exponente ſe periculo naturæ impetu, vt arceat mortem ab individuo toto, & in motibus corporum ad vitandum vacuum, propter bonum vniuerſi, quod eſt bonum etiam ipſorum; quanto magis erit illi naturale ſubijci Dei imperio, à quo dependet omne bonum ſuum, & creaturarum omnium?

Confirmatur, quia ſi ſemel propter talem ſubordinationem, & dependentiam à Deo admittantur tanquam naturales aliquæ operationes inter ſe contrarię conuenire creaturæ: ſicut exempli gratia motus bracchij ſurſum, & deorſum, vt ſubijcitur animæ, à qua regitur, & in voluntate amor, & odium, quia eſt principium liberum, cur non etiam in qualibet creatura vt ſubſtat creatori, admitteretur potentia ad operationes omnes, etiamſi contrarias? Aut cur vni potius id conueniat, quàm alteri, quandoquidem omnes æquè ſubſunt imperio diuino?

Deinde quare non poſſet dici ſubſtantiam creatam corpoream eſſe ſimplex ens, cuius materia, & forma non ſint duæ res diſtinctæ, ſed vna entitas realis cum diuerſis formalitatibus, quæ ex ſe non magis poſtulet hæc, vel illa accidentia, per quæ conſtituatur principium harum operationum, potius quàm aliarum; ſed tota determinatio ſit à creatore; ſic enim de facto contendunt, non alio modo dari compoſita in natura Philoſophi aliquot graues.

Reſpondeo primò per inſtantiam: quia ſic ſequeretur, quod creaturæ etiam bonum eſſet deſtrui à Deo ob dependentiam totalem ab ipſo, & naturaliter inclinaretur ad ſui deſtructionem, tanquam ad ſuum bonum, quod eſt abſurdum: nihil enim per ſe appetit deſtructionem ſui, ſed conſeruationem.

Nulla res appetit ſui deſtructionẽ.

Secundò directè reſpondeo, creaturam dupliciter comparari ad Deum, vt eſt cauſa efficiens, primò in ratione cauſæ principalis agentis ſecundum exigentiam ſuæ formæ, vt S. Thom. 3. p. quæſt. 63. art. 5. ſecundum: deinde in ratione cauſæ inſtrumentalis agentis ſecundum directionem, & intentionem cauſæ principalis, vt ex eodem S. Th. ſupra notauimus. hoc ſecundo

Creatura vt efficiens cõparatur ad Deum dupliciter. S. Thom.

Digitized by Google

modo illa operatio eſt conueniens, ad quam aſſumitur à Deo. Primo modo illa magis conuenit, quæ eſt à virtute creaturæ, & hæc conuenientia eſt eſſentialis, & immutabilis, licet cum quadam differentia ſuperius explicata; Ideo non poteſt eſſe magis conueniens homini hinnire, quàm ratiocinari, neque igni frigefacere, quia eſt repugnantia in terminis, quæ non tollitur per ſubiectionem, & dependentiam à Deo, illa autem non eſt in appetitu partis ad conſeruationem totius, quia ab ea pendet conſeruatio ſui; quare magis naturale quidem eſt creaturæ ſubeſſe creatori, quàm appetitus partis ad defendendum totum, ſed non quoad ea, quæ repugnant: quia in ijs nulla eſt ſubiectio, & ſic neque vlla conuenientia operationis.

Non eſt ſubiectio in ijs quæ repugnant.

Ad primam confirmationem reſpondeo, quod eſſe principium diuerſarum operationum dupliciter poteſt contingere, primò quia res de ſe indifferens ad illas determinatur ab aliquo extrinſeco ad vnam, verbi gratia, ſi cælum moueretur à propria forma, debuiſſet determinari ad motum ab Oriente in occidentem, quia de ſe indifferens eſt ad vtrumque; & appetitus bruti ab hoc, vel illo obiecto.

Dupliciter aliquid poteſt eſſe cauſa diuerſarũ operationũ.

Secundò, quia ob excellentiam ſui eſſe poteſt ſe determinare ad contraria, ita vt contra naturam eius ſit ab extrinſeco determinari neceſſariò ad vnum, qualis eſt voluntas libera Dei, & creaturæ rationalis; at in vtriſque exigentia naturalis eſt determinari vel ab alio, vel à ſe ad alterutrum: quia de natura ipſorum eſt indifferentia, ſed aliorum natura eſt determinata ad certas operationes intra certam ſphæram, & ideo extra illam naturaliter ferri non poteſt, etiam vt ſubſtat imperio Dei, niſi inſtrumentaliter, quia voluntas Dei non mutat eſſentias immutabiles, quomodo dixit S. Th. in 4. d. q. 8. 1. a. 3. 4. non poſſe creaturam cooperari virtute propria creatori, intellige in effectibus extra ſuam ſphæram, quales ſunt ſupernaturales, & naturales, improportionati. Ratio eſt limitatio virtutis, quæ habet certos fines, vltra quos non ſe extendit, & differentia ſpecifica, ſeu forma rei cuiuslibet, cui debentur tales proprietates, & operationes; neque huius vlterior quærenda ratio, cum hęc ſit vltima.

S. Thom.

Ad ſecundam. Obſtat commento illi tota Philoſophia Ariſtotelica, & Platonica, inter cuius principia hoc vnum eſt dari materiam, & formam, quę ſunt principia corporum naturalium inter ſe diſtincta; obſtat ratio euidẽs petita à differentijs eſſentialibus rerum naturalium, quæ prouenium à diſtinctis ſpecie formis ſubſtantialibus, quæ non ſolum in viuentibus, ſed in alijs omnibus colliguntur ex diuerſitate operationum, & effectuum ſenſui notiſſimorum; obſtant ſcholæ vniuerſæ Philoſophorum, ac Theologorum, paucis his exceptis, quibus vera viſa eſt, & neceſſaria diſtinctio materiæ, & formæ; ac exorbitans à vero, confuſio in vnam realem entitatem ſimplicem. Neque vllo modo inſeruit ad explicandum imperij diuini efficacitatem in creaturas, quin etiam data illa identitate adhuc quærendum reſtat de accidentibus, quæ ſunt determinata ad tales operationes, & non poſſunt eſſe cauſæ principales aliorum, etiam per diuinum imperium, quod non fertur in repugnantia.

Materia, & forma non ſunt vna entitos.

An prædicta potentia obedientialis creaturæ ad cauſandum principaliter extendat ſe ad effectus ſupernaturales.

CAPVT X.

I. Senſus quæſtionis.
II. Duplex ſententia.
III. Nulla ſubſtantia creata poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ.
IV. Probatur auctoritate, & ratione.
V. Non implicat qualitas ſupernaturalis immediatè productiua gratiæ.
VI. Soluuntur argumenta contraria.

QVÆSTIO poteſt habere duplicem ſenſum. Primus eſt, an ex ijs quæ factę ſunt, comprehenſis Angelis, & ſacratiſſima humanitate Chriſti Domini, poſſit aliqua per diuinum imperium fieri cauſa principalis: & ſermo eſt non de actibus vitalibus ſupernaturalibus, ſed de alijs, puta gratia, charitate, & cæteris donis illi annexis. 2. Eſt, an in genere ſit poſſibilis creatura, quę principaliter cauſet effectus ſupernaturales, cum nulla detur, quę non poſſit inſtrumentaliter. De primo ſenſu non eſt controuerſia inter Theologos vnanimi conſenſu agnoſcentes Deum ſolum cauſam gratiæ principalem. De ſecundo etiam vix fuiſſet, niſi recentiores aliqui conati eſſent auctoritatibus ſacris, & rationibus poſſibilitatem huius facultatis negantibus, ire obuiam, & probabiles reſponſiones adhibere. XXXIII.

Prima ſententia affirmat de potentia abſoluta non repugnare ſubſtantiam ſupernaturalem, aut etiam qualitatem actiuam gratiæ iuſtificantis probabilem videri aliquibus Theologis fatetur Suar. l. 8. de gratia cap. 3. & expreſsè illam tuetur P. Ripal. diſp. 25. numero 71. citatis pro ſe pleriſque numero 2. exiſtentibus poſſibilem eſſe ſubſtantiam ſupernaturalem, & viſionem intuitiuam Dei connaturalem intellectui creabili, & vllo qui apertè tribuat creaturæ de poſſibili vim productiuam gratiæ, vt ipſe probabiliter defendit.

Suar.

Secunda ergo ſententia communis eſt, ſolum Deum eſſe auctorem principalem gratię, creaturam verò tantum inſtrumentaliter ad eam producendam poſſe concurrere, ſupponit, non tantum gratiam eſſe poſſibilem; ſed de facto à Deo infundi ex principijs fidei; & ijs ſuppoſitis procedit ad probationem per varias rationes probabiles: nam demonſtratiua hactenus allata non eſt; & ideo vbi agitur de Dei potentia, maluit prima ſententia hoc tenere poſſibile cum paucis, quàm cum maiori parte ſecundæ adhærere, nihilominus ſit

Aſſertio prima.

NVlla poſſibilis eſt ſubſtantia creata, quæ ſit cauſa principalis gratiæ iuſtificantis. Eſt communis Theologorũ veterum, ac recentiorũ, XXXIV.

S. Bonau. S. Thom. præsertim S. Bonau. & S. Th. Ille in 2.d.26. a. 1. q.2.ad arg.&q.4.manifestè deum facit solũ gratiæ auctorem; & in 4. dist. 5. art. 3. q. 1. in resol. docet, potestatem mundandi à culpa esse propriam Dei, & nulli creaturæ communicabilem, & reddit rationem q. 2. ad arg. quia talis dilectio fit per gratię infusionem, & creationem, qui est actus potentiæ infinitæ non communicabilis creaturæ, vt dixerat in 1.d.43.& d.14.a.2 q 2.vbi impossibile ait gratiam dari ab alio, quàm à Deo S. Th.1 2.q. 112. a. 1. & de Ver.q.27.art. 3.multas congerit rationes, & licet non demonstratiuas, quæ hîc non sunt quærendæ, tamen efficaces magna ex parte. Sequitur Suar. illas perpendens

Suar. l.8.de Gratia c.3.& t.3. in 3.p. d. 9.à sect.1. & pro eadem sunt Scotistæ, licet ob diuersa principia; nam tenent gratiam creari, & nullam creaturam posse creare; vt videre est apud Philip. Fabrum in 2.sent. disp. 4.c.3.vbi cum Scoto in 4.d.1.q.1. negat vim etiam instrumentalem creandi creaturæ, & disp. 6. vbi cum eodem affirmat gratiam creari, & fusius in 4. disp. de causalitate sacramentorum cap. 3. in quibus dissentiunt à Soar. conuenientes tamen in assertione, quæ

Probatur primò ex scriptura, in qua effectus gratiæ soli Deo tribuuntur, quales sunt mundare à peccato. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Iob. 14. siue enim de peccati originalis labe loquatur, vt Patres apud Pinedam ibi, præsertim S. Augustin. in psal. 50. ad illa verba, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*: siue absolutè de peccatis ex eo consequentibus, purgationem eorum vni reseruat Deo, *Nonne tu, qui solus es?* & sensum de potentia absoluta indicant verba, Quis potest? id est nullus præter te vnum, ac solum. Is. 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* Quod si potest creatura habere vim effectiuam gratiæ, habet & mundandi & delendi iniquitates, quæ non stant cum gratia, saltem de potentia ordinaria. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, quo denotatur Spiritus sanctus solus auctor charitatis, vt Soar. ibid. ex Aug. ac proinde etiam gratiæ, quæ eidem annexa est, aut identificata in sententia Scot. S. Thom. probat ex Ps. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus, & loquitur de potentia absoluta, quia donum*, inquit, *gratia excedit omnem facultatem naturæ creatæ, cum nihil aliud sit, quam participatio diuinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam, & ideo impossibile est, quod aliqua creatura gratiam auferat.*

Iob. 14. Is. 43. Rom 5.

S. Augustin. Secundò probatur auctoritate patrum apud eosdem, Augustin. in primis lib. 1. de peccat. merit. c. 14. t. 7. *Quis quis ergo ausus fuerit dicere, Iustificor te, consequens est, vt dicat etiam crede in me.* Idem repetit epist. 50. ad Bonifacium, additque, *Iustificare impium non iustificans non est nisi solus Deus*, vt etiam psal. 109 init. & in psal. 118. *Quis facit in homine iustitiam, nisi qui iustificat impium?* Sunt ergo secundum Aug. necessariò connexa, iustificare, & credere in iustificantem; & quia in solum Deum creditur, solus Deus iustificat, id est iustitiam facit, quæ est gratia, per quam formaliter iustus est homo, & iustificatus.

S. Cyril. Alexandr. Sanctus Cyr. Alex. l.1. in Ioan. c. 8. *Nihil ergo præter illam vera lux est; nec quicquam aliud propria virtute, atque natura ornatum luminis edere potest?* & loquitur de gratia, quæ splendor est animæ, & ornatus.

Respondent ad has, & similes scripturæ auctoritates, ac patrum testimonia, primò intelligenda esse de facto, seu secundum legem ordinariam, non de possibili, seu secundum potentiam Dei absolutam. Secundò explicant de plena, & adæquata iustificatione, quæ præter infusionem gratiæ comprehendit dilectionem Dei gratuitam, & remissionem peccatorum, vt Trid. sess. 6. c. 7. de iustificat. remissio autem, & dilectio solius est Dei; Gratiæ productio potest esse à creatura. Tertiò de Augustino asserunt eum sæpe loqui de iustificatione secundum modum, quo Christus iustificat impium per satisfactionem, & meritum infinitum, qualis non tribuitur alteri substantiæ possibili, quæ physicè causaret gratiam.

Contra euasiones istas in genere, & auctoritates veterum Scholasticorum explicãtium loca scripturæ de absoluta potentia, & singularem facultatem iustificandi, hoc est gratiæ producendæ, & abluendi animam à peccatis soli Deo tribuentium. Deinde ne sim minutus in singulis reijciendis, contra omnes est ratio auctoritati nixa, qua

Tertiò probatur assertio. Suscitare mortuos vt causam principalem, est opus Dei solius, creaturæ incommunicabile, ergo & gratiam producere. Consequentia probatur, quia vt Augustin. tract. 72. in Ioan. difficilius est hominem iustificare, quàm cœlum, & terram creare; & proinde quàm mortuos suscitare, quod minus est, quàm cœlum, & terram creare. Nec valet dicere, quod iustificare inuoluit gratiæ productionem, & peccatorum remissionem; & ideo difficiliorem quidem esse iustificationem impij; sed non gratiæ productionem; non valet, inquam, quia iustificatio consideratur ab Augustino vt dicit gratiæ infusionem, cui resistere potest impius, cum creationi nihil resistat; & iccirco difficilior ex hac parte dicitur, non ex parte dilectionis Dei condonantis peccata, & infundentis gratiam deletiuam ipsorum, quod sine difficultate præstat; absolutè igitur ex parte obiecti difficilius est producere gratiam iustificando peccatorem, quàm creare cœlum, & terram: & consequenter quàm suscitare mortuos, præsertim quia Deo volenti iustificare æquè facile est gratiæ resistentiam tollere, & gratiam infundere, siue copulatim hæc duo accipias, siue disiunctim, immo propositio Augustini est vniuersalis de qualibet iustificatione, siue in ea sit resistentia, siue non, vt in ijs, qui petunt à Deo obnixè gratiam conuersionis, præsertim cum hîc meminerit iustificationis, ad quam sponte cooperatur iustificandus, igitur non ob resistentiam, sed simpliciter propter gratiæ infusionem, difficilius est iustificare impium, quàm creare mundum secundum Augustinum. Si dicas Augustinum loqui de iustificatione ex meritis passionis Christi, quæ plura comprehendit, & difficiliora, quàm mundi creatio, Contra est primò, quia aliam rationem reddit Augustin. *Prorsus*, ait, *maius hoc esse dixerim, quàm est cœlum, & terra: & quacumque cernuntur in cœlo, & in terra, & cœlum enim, & terra transibit: prædestinatorum autem, id est eorum, quos præscit, salus, & iustificatio permanebit.* Igitur magnitudinem iustificationis, & excellentiam supra creationem mundi ex ipso opere metitur, quod

Suscitare mortuos est Dei proprium. S. August.

Difficilior iustificatio impij, quàm mundi creatio, ex S. Aug.

Digitized by Google

eſt æternum, & excelſum ſupra cœlum, & terram. Secundò mouet dubium, an etiam maius opus ſit iuſtificatio, quàm ſint Angeli, Archangeli, Principatus, Poteſtates, Dominationes, &c. Et licet ſuſpendat iudicium: tamen in hoc non ſuſpendit, quod paris ſit vtrumque potentiæ. *Non hic*, inquit, *audeo præcipitare ſententiam: intelligat qui poteſt: iudicet qui poteſt, vtrum maius ſit iuſtos creare, quàm impios iuſtificare. Certè enim ſi æqua is eſt vtrumque potentia, hoc maioris eſt miſericordiæ.* Ergo ſi paris eſt potentiæ hoc duplex opus, ſimiliter & paris ad ſummum erit iuſtificare impios, & mortuos ſuſcitare, quia hoc non eſt maius, quàm mundum creare: proinde ſi eſſe cauſa principalis reſſuſcitationis non poteſt vlla ſubſtantia creata: neque poterit iuſtificationis, quocumque modo fiat: poſſet autem ſi gratiam produceret in volente illam, quia gratia eſt cauſa formalis iuſtificationis ex Trident. ſupra; atque adeo poni non poteſt in ſubiecto apto, quin ſimul ponatur iuſtificatio formaliter. Quod argumentum habet vim potiſſimum in ſententia negante poſſe ſimul eſſe gratiam, & peccatum, quam tuetur Vaſq. 1. 2. diſp. 204. à cap. 3. Ex eo enim quod ponitur gratia præcisè ſine alio fauore, aut condonatione extrinſeca, manet homo iuſtificatus in hac ſententia, & ſimpliciter maius illa opus dicitur, quàm mundi creatio, & mortuorum ſuſcitatio. Vaſq.

Sed & in contraria, quam ſequitur Soar. lib. 7. de Gratia cap. 20. niſi negetur auctoritas Auguſtini, verum eſt dicere paris eſſe potentiæ creare iuſtos, Angelos, & impios iuſtificare; ſicut ergo prima eſt incommunicabilis creaturæ, ita & hæc; & rurſus maius opus eſſe iuſtificationem impij, quàm creationem cœli, & terræ; quia hæc tranſibunt, illa manebit in æternum. Quod ſi vim facias in eo quod impius reſiſtere poteſt voluntati Dei, & gratiam, quam offert, reſpuere; hoc non valet, ſi creetur iuſtus, vt creati dicuntur Angeli, & Adam; & tamen illud eſſet opus paris potentiæ, ac ſi iuſtificaretur adultus à peccatis; ergo iuſtificatio vt dicit præcisè gratiæ infuſionem, non minoris eſt potentiæ, quàm mundi creatio, & mortuorum reſſuſcitatio; at virtus principalis ſuſcitandi mortuos non eſt communicabilis ſubſtantiæ creatæ, ergo neque iuſtificandi per gratiæ infuſionem; ſiue illa infundatur in creatione, ſiue in reparatione à peccato quia abſolutè loquendo productio gratiæ eſt opus proprium diuinitatis; & ſuſcitatio à morte peccati non minus excellentis poteſtatis, quàm à morte corporis.

Confirmatur, quia loquendo de reipſa, difficultas vel attenditur penes Deum, & eius potentiam, & ita nihil ei poteſt dici difficile, aut difficilius; cum æquè poſſit omne poſſibile virtus eius infinita; vel attenditur penes obiectum, & terminum potentiæ, ita vt difficilius dicatur, quod præciſa infinitate virtutis diuinæ; ſi à creata eſſet factibile, requireret maiorem perfectionem cauſæ, quàm aliud minus difficile; & hoc modo gratiæ productio eſt difficillimum inter Dei opera, quia eſt ordinis ſuperioris, & diuini, ad quem attingere non eſt cauſæ niſi diuinæ, idque conſiderando ipſam entitatem gratiæ ſecundum ſe, præſcindendo ab effectu iuſtificandi formaliter. Igitur ſi ſuſcitare mortuos, illuminare cæcos, &c. eſt ſolius diuinæ potentiæ, vt cauſæ principalis, idem erit iudicium de productione gratiæ. Deo æquè facilia ſint omnia factibilia.

Iam verò propandum eſt antecedens argumenti, quod ſuſcitare mortuos vt cauſam principalem, ſit Dei proprium, & creaturæ non communicabile, probatur autem ex eo quod Chriſtus Dominus ad probãdam ſuam diuinitatem Ioan. 11. Lazarum ſuſcitauit, *Vt credant*, inquit, *quia tu me miſiſti*; vnde & Sancti Patres in eo miraculo diuinam virtutem agnoſcunt, & ex eodem probant Chriſti diuinitatem; quia morti imperare diuinæ naturæ eſt. Sic S. Auguſt. ſerm. 104. de tempore, qui eſt primus Fer. 6. poſt quartam Dominicam in Quadrageſima, ſic loquitur; *Multis quidem ſignis, ac virtutibus Dominus, ac Saluator noſter Chriſtus Ieſus diuinitatis ſuæ potentiam declarauit, ſed maximè in Lazari morte*: & mox. *Cognouerunt enim in Lazari reſurrectione manifeſtam Filij Dei potentiam, quia morti poteſtate propria imperare non eſt conditionis humanæ, ſed diuinæ naturæ*, &c. Et in hoc diſcriminat ſuſcitationes Chriſti ab ijs, quę factæ ſunt ab Apoſtolis, quod ille virtute propria ſuſcitaret; iſti poteſtate aliena. Chriſtus D. ad probandam ſuam diuinitatem Lazarum ſuſcitauit. S. Auguſt.

Sanctus Chryſoſt. hom. 40. in Matt. cap. 14. *Oportebat de Chriſto credi, quoniam a Patre eſt, & quod ei æqualis eſt; & ideo vt vtrumque oſtendat nunc quidem cum poteſtate; nunc autem orans miracula facit; & in minoribus quidem reſpicit in cœlum, puta in multiplicatione panum; in maioribus autem, quæ ſunt ſolius Dei cum poteſtate agit: puta cum peccata dimiſit, mortuos ſuſcitauit*, &c. Igitur ſi valida eſt ſequela, Chriſtus Lazarum ſuſcitauit, ergo eſt Deus; valida eſt & hęc altera ſuſcitare mortuos vt cauſam principalem, proprium Dei eſt, & incommutabile: alioqui non probaretur ex hoc miraculo diuinitas operantis illud. Et quia etiam diuinæ poteſtatis eſt iuſtificare impios, ex iuſtificatione per gratiæ infuſionem innoteſcit diuinitas, & incommunicabilitas virtutis huius. S Chryſoſt.

Sanctus Bonau. in 2. diſt. 7. a. 2. q. ad argumenta, loquens in genere de miraculis: *Sunt enim*, inquit, *ſupra facultatem naturæ, & ideo atteſtamur omnipotentiæ facientis*, &c. at hæc non eſt communicabilis, vt idem docet in 1. diſt. 42. dub. 6. text. & in 3. diſt. 14. a. 3. q. vlt. proinde nulla creatura facere poteſt miracula virtute propria, & principali. S. Bonau.

Sanctus Thom. 3. p. q. 43. a. 4. ex tribus capitibus ait fuiſſe Chriſti miracula ſufficientia ad oſtendendam eius diuinitatem; primò quia ſpecies operum tranſcendebat omnem poteſtatem creatæ virtutis: & ideo non poterant fieri, niſi virtute diuina. Secundò propter modum ea faciendi in propria ſcilicet poteſtate æquali Patri, iuxta illud Ioan. 5. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic Filius hominis quos vult viuificat.* In quo diſcrimen eſt ab alijs Sanctis, qui orando, & impetrando miracula faciebãt. Tertiò ex ipſa doctrina, qua ſe Deum dicebat, quæ niſi vera eſſet, non confirmaretur miraculis diuina virtute factis. Quartò art. etiam 2. cap. aliam rationem attulerat, quia vt 1. p. dixerat q. 110. art. 4. ſolus Deus poteſt mutare naturæ ordinem, quod pertinet ad rationem miraculi, idque confirmat auctoritate Sancti Leonis Papæ epiſt. 10. ad Flauianum, cap. 4. S. Thom. Ex multis capitibus ſufficiunt miracula oſtendere diuinitatem Chriſti.

Confirmatur ex eodem q. 6. de potentia art. 2.

Digitized by Google

3. quia effectus huiuſmodi dicuntur ſupernaturales, vel quia ſunt ſupra naturam, vel contra naturam, vel præter naturam. Supra naturam, quia natura nullo modo poteſt in illos, vt gloria corporis, Incarnatio, reſuſcitatio; contra naturam, quia in natura remanet contraria diſpoſitio, vt in igne Babylonico continente ſuam vim combuſtiuam; & in Iordane contra grauitatem aquarum, & curſum naturalem conuertente ſe retrorſum, & ſimilibus. Præter naturam, vt quando producitur effectus naturalis, ſed modo non naturali, vt in repentina ſanitatis reſtitutione. In quibus modis vbi vis naturæ exceditur, oportet à ſuperiori virtute, hoc eſt diuina, exceſſum prouenire, vt à cauſa toti naturæ dominante, & eam pro libito inuertente, ſiue eleuare velit, ſiue deprimere; hoc enim proprium illius eſt, qui naturæ gradus ſtatuit, ac limitat, vt idem S. Thom. quæſt. illa 27. Ver. a. 3. Ex quibus probatum manet antecedens, quod ſuſcitare mortuos, & alia huiuſmodi miracula efficere, diuinæ virtutis eſt incommunicabilis creaturis; & proinde quod etiam gratiam producere, quæ eſt opus omnium excellentiſſimum, perſiſtendo in auctoritate ſanctorum Patrum, & rationibus ipſorum, quæ ægrè ad legem ordinariam diuinæ prouidentiæ limitantur, facilem, & apertum ſenſum de abſoluta potentia admittunt, ac poſtulant.

Effectus ſupernaturales ſunt, vel quia ſupra naturã, vel contra naturam, vel præter naturam ſunt, vt ſupra dixi.

Rationes ad idem probandum.

XXXV. VAriæ afferuntur à S. Thoma, & aliis: præcipuas examinat Soarius lib. 8. de Gratia cap. 3. cit. Qualis eſt primò, quòd gratia non educitur de potentia naturali animæ, ſed creatur, vt habet in 1. diſt. 14. quæſt. 3. cum ergo nulla detur potentia paſſiua naturalis, nec datur actiua, ſed vtraque eſt obedientialis, & ſolum in ordine ad diuinam virtutem.

Reſpondet aduerſarius gratiam non fieri per creationem, ſed per eductionem; deinde concedit vim creatiuam poſſe communicari. Præterea dari poſſe ſubſtantiam ſupernaturalem habentem vim productiuam gratiæ, cui reſpondet paſſiua ſubiecti, in quo produceretur. Quæ omnia repugnant antiquis ſcholaſticis, præſertim S. Thomæ, & S. Bonauenturæ.

Secunda ratio eſt ex 1. 2. quæſt. 112. a. 1. quia cauſa principalis debet eſſe vel æquè perfecta cum effectu, ſi ſit vniuoca, vel perfectior, & eminenter continens effectum; ſi ſit æquiuoca, quam Soar. ſic explicat, vt aſſumat nullam ſubſtantiam creari poſſe, quæ ſit ordinis ſupernaturalis; nulla autem naturalis continere poteſt ſua virtute effectum ſupernaturalem, aut habere gratiam ex vi ſuorum principiorum ſupernaturalium, cum gratia nulli creaturæ ſit connaturalis, & multo minus producibilis à creatura in ſubiectum extrinſecum.

Verum & aſſumptum negat ſecunda ſententia, & fusè probat, non implicare ſubſtantiam ſupernaturalem, cui ſit connaturalis gratia, & virtus gratiæ productiua, ſoluitque obiectiones in contrarium ſed etiamſi poſſibilis eſſet ſubſtantia ſupernaturalis, adhuc neganda ei eſſet virtus productiua gratiæ, ſicut & effectiua miraculorum, ſi non ob aliam rationem, certò ob hanc, quòd alioqui non eſſet efficax argumentum diuinitatis Chriſti illorum operatio contra ſcripturam ſacram, & Patres, vt paulò ſuperius deduxi.

Si daretur ſubſtantia productiua gratiæ, & miraculorũ non eſſet efficax argumentũ diuinitatis Chriſti, eorũ operatio.

Tertia ratio eſt, quia gratia eſt participatio diuinæ naturæ, ergo à ſolo Deo eſt producibilis: Probatur ſequela, quia cauſa principalis eſt, cui primò, & per ſe effectus aſſimilatur; ſed gratia facit ſimilem ſolum naturæ diuinæ, quia eius tantum participatio eſt, ergo ſolùm à diuina natura manare poteſt, vt à cauſa principali, vt S. Th. loc. cit. ex 1. 2.

Confirmatur, quia nulla natura inferior poteſt conferre virtute ſua participationem ſuperioris naturæ, vt S. Thom. 3. p. quæſt. 62. a. 1. Cum igitur omnis creatura ſit inferior Deo, non poteſt communicare propriam participationem diuinæ naturæ, quæ eſt gratia.

S. Thom.

Reſpondent ſubſtantiam ſupernaturalem fore participationem diuinæ naturæ, & proinde gratiam ab illa productam eſſe participationem & naturæ diuinæ, & ſubſtantiæ illam participantis, & vtrique reddi ſimilem per gratiam ab vtrauis productam.

Ad confirmationem, poteſt natura inferior conferre alteri participationem ſuperioris, ſecundum eam perfectionem, quæ ab inferiori participatur, & inferiorem non excellit: verbi gratia homo præſtare homini participationem naturę angelicę quoad gradum intelligentem; & leo Leoni participationem humanę quoad gradum ſentientem. Similiter poſſet ſubſtantia, & qualitas ſupernaturalis conferre participationem naturę diuinæ quoad perfectionem remouendi omnem malitiam moralem, & radicandi omnem honeſtatem; quod eſt quid commune ſubſtantię ſupernaturali, & naturæ diuinæ. Verum hic etiam effectus, & potentia ad illum eſt virtutis diuinæ, ſicut & miraculorum poteſtas; & ideo ſi ab hac probatur validè diuinitas habentis, & ea vtentis; ab illa etiam validè probari poteſt: quamuis igitur participatio diuinę naturæ, quoad remotionem omnis malitiæ eſſet quid commune ſubſtantiæ ſupernaturali, & naturę diuinæ; non tamen virtus principalis illam efficiendi, quæ ſolius eſt Dei.

Virtus principalis remouendi omnẽ maliciam ſolius eſt Dei.

Quartò probari poſſet, quia eiuſdem cauſæ eſt producere formam, & effectum formalem eius proprium; quia hic non diſtinguitur à forma ipſa in ſubiecto; ſed effectus formalis gratiæ eſt conſtituere filium adoptiuum hominem, & Angelum, in quo ponitur; ergo ab illa ſolum cauſa poteſt produci, à qua & eſſe adoptiuum, id eſt à Deo. Probatur Minor, quia etiam dato quòd poſſet gratia ſtare cum peccato per abſolutam potentiam; tamen eius effectus per ſe loquendo eſt reddere gratum Deo, non ſecus ac caloris reddere calidum, & eius finis, ac eſſentia eſt exhibendo ſeipſam conſtituere filium adoptiuum Dei, ergo à ſolo Deo fieri poteſt. Probatur ſequela: quia inter hunc effectum, & voluntatem Dei eſt neceſſaria connexio ſpecialis beneuolentiæ, & amicitiæ, in quam nullius creaturæ virtus poteſt ſe extendere; adoptare quippe in filium, & eligere in amicum in poteſtate ſolum adoptantis eſt, igitur & producere formam adoptionis, quæ eſt gratia ſanctificans.

Conſtituere filium adoptiuum eſt effectus formalis gratiæ, & à Deo ſolum vt cauſa principali efficiẽte.

Dices ex ſuppoſitione quod Deus crearet ſubſtantiam cum virtute producendi gratiam, vel

obligaret se lege conditionis ad recipiendum pro filio adoptiuo, & amico illum, in quo gratia produceretur; vel etiam posset nolle se obligare absolutè loquendo, quia hic est effectus secundarius gratiæ, & ab illa separabilis, si ponatur in subiecto non apto; vel si non accedat voluntas Dei recipiendi in filium, aut amicum; sicut potest nolle deleri peccatum per illam in sententia probabili, quod possint stare simul: quamquam enim gratia de se expulsiua peccati est, & conciliatrix amicitiæ Dei, tamen de absoluta potentia potest stare cum peccato, & inimicitia Dei; sicut quantitas de sua natura est radix impenetrabilitatis; tamen per diuinam potentiam potest se penetrare cum alia quantitate; quia impenetrabilitas actualis est effectus secundarius separabilis à primo, qui est reddere extensum.

Non satisfacit, quia siue reddere filium adoptiuum sit effectus primarius, siue secundarius, ipsa entitas gratiæ est adeo excellens, & ordinis supremi, vt solùm à Deo produci possit, vt patet ex dictis.

Ad similia argumenta similes euasiones habent patroni secundæ sententiæ, quibus vt plenè occurreretur, digrediendum esset ad quæstiones extraneas huic loco, de creatione, videlicet an esse possit à creatura: an gratia creetur: an sit possibilis substantia supernaturalis: an peccatum, & gratia simul stare possint in eodem subiecto: & similia, de quibus suprà ex parte egimus, partim in sequentibus agenus. Interim nulla ex allatis responsionibus suadere apta est, quod patres non sint pro communi sententia SS. Bonauenturæ, & Thomæ; aut quod inferioris sit potentiæ gratiam sanctificantem producere, quàm miracula patrare, quæ solius esse diuinæ virtutis vt causæ principalis sæpius profitentur, & validè ex ipsis probasse Christum Dominum suam diuinitatem apertè testantur. Quintò, Causa principalis gratiæ siue producat creando propriè, siue non creando, iuxta varias sententias infra referendas, ponit illam in subiecto aliquo, puta Angelo, anima rationali, &c. ergo in eo recipitur, per potentiam passiuam obedientialem; at hæc respondet solùm habenti supremum dominium supra creaturas omnes, & respectu eius dicitur obedientiæ, vel obedientialis, ergo nulla alia creata potentia actiua illi respondet, sed tantùm infinita, & increata, cui plenè subiicitur.

Potẽtia obedientialis etiam passiua respondet habenti supremum dominium.

Dices, potentiæ passiuæ respondere posse actiuam creatam, si sit supernaturalis, vt patet in lumine gloriæ, quod est principium actiuum visionis beatæ; & idem est de aliis habitibus supernaturalibus operatiuis respectu suorum actuum.

Contrà, quia potentia subiectiua visionis, quæ est passiua obedientiæ, non respondet lumini secundùm se sumpto, sed vt est instrumentum Dei accommodatum potentiæ vitali, & complens cum illa vnum principium visionis, ergo semper verum est dicere, quòd potentiæ obedientiali passiuæ respondet per se, & primariò Potentia actiua habens dominium totius creaturæ. Ratio est, quia præstantior immutatio est, quæ fit per gratiam, & gloriam, omni alia, quæ fieri potest per operationem miraculorum, sed in hac potentia passiua creaturæ respicit vt causam principalem omnipotentiam creatoris, ergo & in illa.

Dixi autem in assertione, nulla substantia; nam vtrum possibilis sit aliqua qualitas particularis, quæ vt instrumentum diuinum eleuet creaturam ad productionem gratiæ, patet ex dictis supra de similibus qualitatibus; sed pro maiori adhuc explicatione in proposita materia sit

Assertio secunda.

XXXV. DE absoluta potentia non implicat poni qualitatem aliquam supernaturalem in substantia naturali, per quam fiat proximè potens producere gratiam vt instrumentum diuinæ virtutis. Probatio supponit quæ diximus superius de multiplici modo, quo Deus eleuare creaturam potest ad supernaturaliter operandum; inter quos vnus est per additionem alicuius qualitatis supernaturalis, per quam simul cum substantia constituatur adæquatum instrumentum diuinæ operationis, non quia illo indigeat, cum possit per se solum quicquid potest cum creatura; sed per quod ostendat suæ diuitias potentiæ in varietate instrumentorum diuinorum; sicut ostendit in multitudine causarum naturalium: supposito autem quod omnis substantia habeat potentiam remotam, & inchoatam operandi supernaturaliter, non solùm fieri potest proximè apta per applicationem extrinsecam diuinæ potentiæ, sed etiam per additionem qualitatis intrinsecæ, qua compleatur inchoatio illa creaturę; & ita completę sit connaturalis concursus supernaturalis, quem Deus exhiberet, quando vellet; neque enim exigeret illum perpetuò, vt exigunt causę principales tam naturales, quàm supernaturales, quælibet suo modo; sed tunc solum quando Deus supra vsitatum cursum dictarum causarum operari vellet; quia talia instrumenta ad hunc finem solum inseruiunt, ad differentiam eorum, quibus Deus vtitur in cursu vsitato suæ prouidentiæ.

Probatur ergo assertio primò, quia de facto Deus infundit lumen gloriæ, quo intellectus beatorum eleuantur ad visionem, quæ est gratia consummata; ergo absolutè potest infundere qualitatem aliquam disponentem substantiam ad producendam gratiam. Sequela patet à paritate, quia intellectus secundum vires suas naturales non magis est aptus ad efficiendam visionem beatam; quàm substantia gratiam. Nec refert, quòd visio postulet fieri à potentia vitali, & in ea recipi; quia hoc non est argumentum maioris potentiæ actiuæ in intellectu; sed solum maioris propositionis inter ipsum, & actus vitales ab se elicitos. Sicut igitur intellectus eleuari potest diuinitus per extrinsecam adsistentiam in sententia probabili, & per intrinsecam qualitatem ad operationes vitales excedentes suas vires, ita iisdem modis eleuari posset alia substantia ad effectus supernaturales, si Deus vellet.

Secundò cessarent hîc incommoda, quæ afferuntur contra secundam sententiam, præsertim ex auctoritate sacra; nam qualitas illa concurreret solum instrumentaliter, siue fluenter poneretur; siue permanenter, sicut de facto

Digitized by Google

concurrit lumen ad viſionem beatam ; atque adeo ſemper eſſet verum dicere, quòd cauſa principalis gratiæ eſſet Deus; & quod ex productione eius validè probaretur diuinitas operantis, ſicut in artificialibus ex tali charactere conſtaret excellentia ſcriptoris, ſiue calamus argenteus, ſiue aureus fuerit, quo exaruit, & ſiue hoc, ſiue illo modo fuerit aptatus, cum hoc diſcrimine inter cætera, quòd artifex accommodato eget inſtrumento ad opus artis; Deus aptat quamcumque voluerit creaturam, alioqui ineptam; & quocumque voluerit modo, vt ſuperius diximus.

Confirmatur, quia materia, qua conficiuntur artis inſtrumenta, verbi gratia ferrum, quo conficitur ſerra, remotè eſt apta ad ſcindendum, proximè ſit potens ſcindere per dentes acuminatos rectà diſpoſitos ; & iis poſitis, adhuc eſt intra limites cauſæ inſtrumentalis nihil quidem ex ſeipſa potentis ad opera artificioſa, niſi vt mouetur, & dirigitur à fabro, ſed tamen determinatæ ad talem operationem, nempe ad ſciſſionem, ad quam aptata eſt. Ita ſubſtantia exempli gratia habet potentiam remotam ad producendam gratiam inſtrumentaliter, ſi eleuetur à Deo; poſita autem qualitate ſupernaturali ſit proximè potens ad illam producendam; ſed manet intra terminos inſtrumenti magis apti, quàm ſine qualitate illa, licet, ſimpliciter inepti ſine concurſu Dei illa vtentis, qui ſi accedat, erit diuerſa operatio, quæ manat à ſubſtantia affecta qualitate ſupernaturali, ab ea quæ fieret ſine qualitate.

Tertiò potiſſima ratio eſt, quia non videtur hoc negandum diuinæ omnipotentiæ, cum non afferatur vlla ſufficiens implicantia, vt patebit ex ſolutione argumentorum.

Solutiones argumentorum contra duas præcedentes aſſertiones.

CAPVT XXI.

Argumentum primum.

XXXVI. Stcontra primam aſſertionem, quia opinio aſſerens poſſibilem ſubſtantiam ſupernaturalem productiuam gratiæ, probabilis eſt ob rationes poſitiuas à ſuis patronis allatas, & ſolutiones earum, quæ afferuntur in contrarium, quas fusè perſequuntur citati auctores, ergo valet argumentum commune, non eſſe eximendam è terminis diuinæ potentiæ, quia non affertur implicantia.

Confirmatur primò, quia ſi poſſibilis eſt qualitas ſpiritualis immediatè effectiua gratiæ, cur non etiam poſſibilis ſit ſubſtantia?

Deinde datur de facto lumen gloriæ, quod eſt cauſa viſionis, id eſt gratiæ conſummatæ; dantur habitus infuſi, qui ſunt cauſa principalis actuum ſupernaturalium, ergo & dari poteſt ſubſtantia, quæ ſit cauſa gratiæ, cum non ſit maior ratio de illis, quàm de hac.

Confirmatur tertiò, quia huiuſmodi qualitates ſupernaturales, gratia videlicet, & dona eius ſunt finitæ perfectionis, ergo non poſtulant cauſam infinitæ virtutis. Patet ſequela, quia ſicut effectus infinitus poſtulat cauſam infinitam, ita finitus non requirit niſi finitam.

Quartò; homo dicitur ſanctificare animam ſuam Eccl. 2. *Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas*; & 1. Ioan. 3. *Omnis qui habet hanc ſpem in Deo, ſanctificat ſe*, ergo producit gratiã. Probatur ſequela, quia in naturalibus agens vltimam diſpoſitionem ad formam dicitur cauſa formæ, ergo etiam in ſupernaturalibus.

Reſpondeo ad argumentum, implicantias varias afferri ab auctoribus primæ ſententiæ, iuxta varia fundamenta, quibus nituntur, vel quòd gratia ſolùm per creationem produci poſſit; vel quòd eius productio ſupponat dominium ſupra totam naturam, ſicut & operatio miraculorum; vel quod informare gratia ſit deificare, id eſt participem diuinæ naturæ facere, quod ſolius Dei proprium eſt, ſicut ignire eſt ſolius ignis. Vel quod eſt conſtituere creaturam in ordine diuino, quod nemo poteſt niſi Deus, quæ & ſimiles implicantiæ longiorem poſtulant diſcuſſionem; itaque implicantiam colligi à poſteriori ex auctoritate ſcripturæ, ac Patrum, vt à SS. Bonau. & Thoma intelliguntur, & à Soario explicantur, vt diximus in probatione aſſertionis.

Ad primam confirmationem reſpondeo, diſparitatem eſſe, quia ſubſtantia ſupernaturalis effectiua gratiæ eſſet cauſa principalis abſolutè gratiæ, ſicut cauſæ naturales ſunt principales effectuum, ad quos producendos inſtitutæ ſunt; qualitas autem eſſet ſolùm inſtrumentalis, quia ſubiectum quidem diſponeret, ſed nunquam redderet ſufficienter productiuum gratiæ, niſi regeretur à Deo, non ſolùm vt cauſa vniuerſali, ſed vt ſpeciali, & ſpecialiter vtente inſtrumento tali, à ſe aptato; & quidem diuerſo modo, quàm cum eo vtitur ſine qualitate. Haberet tamen ſimilitudinem cum cauſa principali, quia & maiorem proportionem cum gratia, quàm aliæ creaturæ non factæ principaliter propter gratiam.

Ex quo patet ad ſecundam confirmationem; quicquid enim controuertant aliqui de principio actuum vitalium ſupernaturalium, reſpondeo, ſolum Deum eſſe cauſam principalem ipſorum, potentias verò ſiue informatas habitibus, ſiue extrinſecò adiutas ſpeciali auxilio dici ſolùm principales ſecundùm quid, & ſimpliciter inſtrumentales, vt explico in propria quæſt.

Actuum ſupernaturalium ſolus Deus eſt cauſa principalis ſimpliciter.

Ad tertiam reſpondeo eſſe aliquos effectus finitos, qui poſtulant cauſam infinitam, vt Angelus, anima rationalis, & ſimiles per creationem ſolùm producibiles; talis eſt gratia ob ſui excellentiam, & habitus illi annexi.

Aliqui effectus finiti poſtulant cauſam infinitam.

Ad quartam homo dicitur ſanctificare ſeipſum, quia cum diu. aux. ſe diſponit ad gratiam, non quia producat gratiam, vnde & poteſt dici eam gratiæ moralis, tum quia remouet moralem obicem peccati, tum quia mouet Deum ad infuſionem gratiæ quaſi impetrando illam, vt Soar. lib. 8. de Grat. c. 4. ex Trid. ſeſſ. 14. c. 4. 1.

Secundum argumentum.

COntinet aliquas peculiares difficultates, præter communes ſupra relatas aduerſus

qualitatem ſuperadditam in genere. Prima quia talis qualitas non eſſet per modum habitus; nam habitus ſpiritualis non eſt operatiuus niſi vitali modo, néque operatur, niſi cum potentia vitali, quo modo non ponitur operari dicta qualitas. Neque eſſet per modum actus ſecundi, tum ob alias rationes, tum quia actus ſupernaturales non efficiunt habitus infuſos, & multo minus gratiam.

Secunda eſt, quia gratia eſt quaſi prima eſſentia, & radix donorum ſupernaturalium, & ideo non habet priorem qualitatem, à qua vel effici propria actione, vel emanare poſſit per reſultantiam.

Tertia vel illa qualitas eſſet actiua immanenter ſolùm producendo gratiam in ſubiecto, in quo eſt; & hoc non per te ponentem illam vt actiuam tranſeunter, & non operantem vitali modo, quod proprium eſt potentiarũ vitalium: vel eſſet actiua in extrinſecum, & ſic poſſet Angelus habens illam qualitatem producere gratiam in alio Angelo habente ſtatum puræ naturæ, quod eſt abſurdum: & vniuerſaliter ſubſtantia cum illa qualitate ageret ad modum qualitatum materialium per iuxta-poſitionem, quia non poſſet in diſtans. Denique nulla ſimilium qualitatum, quas nouimus, eſt hoc modo actiua.

Quarta eſt, quia ſi poſſibilis eſt aliqua ſpiritualis qualitas prior gratia, cur de facto non datur iuſtificatis? ſic enim exigit ordo gratiæ, qui vt ſit perfectus, non debet carere prima, & radicali qualitate ad ſe pertinente.

Quinta. Magis adhuc vrget in Chriſti humanitate, in qua fuerunt omnia dona gratiæ, & tamen non fuit vlla talis qualitas ad operandum ſupernaturaliter, vt ſupra ex S. Thoma.

Sexta, quia poſſet Angelus, vel homo illa prædituſ liberè ipſa vti, non ſecus ac aliis habitibus, quibus vtitur ad libitum, atque adeo producere gratiam, quando vellet, quia ad exigentiam habitus Deus concurreret.

Ad primam reſpondeo, non fore qualitatem hanc per modum actus ſecundi, ſed primi: nego vniuerſaliter omnem qualitatem ſpiritualem eſſe operatiuam vitali modo, & cum potentia vitali: quia non eſt neceſſarium hoc, niſi in qualitatibus determinatis ad perficiendas potentias vitales, præter quas aliæ ſunt poſſibiles, vt ſupra diximus.

Ad ſecundam, Gratia iuſtificans eſt prior nobilitate aliis qualitatibus ſupernaturalibus, non generationis ordine, ſecundùm quem poteſt eſſe poſterior; ſic habitibus fidei poteſt infundi prius habitu charitatis, & gratiæ, vt Soar. de fide lib. 7. cap. 3. & lib. 8. de Grat. cap. 23. citans alios in primis Caiet. ita explicantem S. Thomam 2. 2. quæſt. 6. a. 2. 3. quod vt probabile ſolum dico, non neſcius à S. Bonau. in 3. d. 23. dub. 6. connecti fidem, ac ſpem cum charitate in fieri.

Habitus fidei poteſt infundi prius habitu charitatis & gratiæ. P. Soar. S. Bonau.

Ad tertiam. Eſſet operatiua vtroque modo iuxta voluntatem vtentis illa; neque oportet omnem operationem immanentem, id eſt receptam in ſubiecto, à quo ſit, eſſe vitalem, vt patet in emanationibus accidentium, quæ reſultant in agentibus reducentibus ſe ad proprium ſtatum. Neque abſurdum eſt, quod Angelus produceret gratiam in alio Angelo vt inſtrumentum diuinum affectum illa qualitate; neque alia ſubſtantia ageret ad modum qualitatum materialium per coniunctionem ad paſſum; quia ſequeretur regimen cauſæ principalis vbique præſentis, & illam adhibentis ad operandum in diſtans ab ipſa, quando vellet, quod de facto nulla ex qualitatibus ſpiritualibus, quas nouimus, ſit operatiua tali modo, non obſtat, quia nos loquimur de poſſibili.

Non omnis operatio immanens eſt vitalis.

Ad quartam. Non omnes qualitates ſpirituales ordinis ſupernaturalis ſunt in iuſtificatis, ſed quæ habent neceſſariam coniunctionem cum gratia, vt ſunt virtutes infuſæ Theologales, & morales: præter quas ſunt alia chariſmata non communia iuſtis omnibus, vt ſcientia infuſa, donum contemplationis, &c.

Ad quintam. In Chriſto Domino neque neceſſaria, neque conueniens fuit huiuſmodi qualitas; habuit enim vnionem hypoſtaticam, & cum ipſa paratum diuinum concurſum, vel motionem neceſſariam ad opera ſupernaturalia, quotieſcumque vellet, vt Soar. tit. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 2. §. ſed contra.

Non fuit talis qualitas conueniens Chriſti humanitati, quia ſatis erat vnio.

Ad ſextam. Illa qualitas eſſet propter operationes ſupra vſitatum curſum diuinæ prouidentiæ, & ideo non deberetur concurſus ad libitum eam habentis, ſed iuxta voluntatem ipſa vtentis, contra quam eueniat in aliis habitibus infuſis propter ordinarias operationes ſupernaturales, ad quas illis vtimur, quando volumus.

Obiiciuntur & alia argumenta, quibus ſatisfieri poteſt per dicta in præcedentibus: præſertim ab auctoritate S. Thomæ, qui quando negat ſimilem virtutem permanentem, loquitur vel de lege ordinaria, vel de cauſa principali, non de qualitate vltimò completiua, & inſtrumentali de abſoluta potentia.

Digitized by Google

QVÆSTIO V.

DE REQVISITIS AD POTENTIAM OBEDIENTIALEM IN ACTV SECVNDO

QVemadmodum in operationibus non ſufficiunt requiſita ad conſtituendam cauſam completè, & intrinſecè potentem in actu primo, niſi præterea adſint conditiones omnes neceſſariæ ad hoc vt exeat in actum ſecundum; Ita & in ſupernaturalibus quærendum eſt, an ſatis illa ſint, quæ diximus requiri ad conſtitutionem Potentiæ obedientialis in actu primo; an præter hæc ſint aliqua alia neceſſaria non ad hoc vt poſſit creatura operari ſupernaturaliter; ſed vt actu operetur; quæ duo eſſe diſtincta, & peculiares habere difficultates nemo mediocris Philoſophus ignorat. Igitur videndum eſt.

Primò, quid requiratur ad hoc vt Potentia obedientialis actiua exeat in actum ſecundum.
Secundò, an conſtituatur formaliter agens per aliquid intrinſecum.
Tertiò, an ſit neceſſaria præuia aliqua motio ad hoc vt eleuetur creatura ad actualem operationem ſupernaturalem.
Quartò, an requiratur præuius aliquis concurſus ad effectum principalem.
Quintò, Corollaria ex dictis de Potentia obedientiali in præmiſſis diſputationibus. Vnum quodque ex iis capitibus habet annexum alterum continens ſolutiones argumentorum.

Quid requiratur ad hoc vt potentia obedientialis actiua exeat in actum ſecundum operandi.

CAPVT PRIMVM.

I. Multipliciter poteſt intelligi neceſſitas ſuperadditi in actu ſecundo.
II. Sententiæ circa primum modum applicationis agentis ad paſſum.
III. Non eſt neceſſaria indiſtantia inſtrumenti diuini in ſubiecto in quo operari.
IV. Probatur auctoritate, & ratione.
V. Soluuntur argumenta.

POSITIS omnibus requiſitis in actu primo, & creatura reddita proximè potente operari, dubitari adhuc poteſt, an ſit neceſſaria aliqua applicatio, aut præuia ipſius operatio effectui principaliter intento: quod dubium ex multis capitibus poteſt oriri; primò an ſit neceſſaria applicatio, quæ tollat diſtantiam eius à paſſo, quoties in illa ſupernaturaliter operatur.

Secundò, an aliqua motio creatoris ipſi impreſſa, diſtincta ab actione principali. Tertiò, an aliqua excitatio in ipſa manens prior natura operatione tranſeunte. Quartò, an actio tranſiens quaſi præambula ad actionem productiuam effectus vltimati.

Circa primum, certum eſt requiri applicationem agentis ad paſſum, ſi circa iſtud exercenda eſt actio; & in naturalibus, ſiue agant principaliter, ſiue inſtrumentaliter, neceſſaria eſt coniunctio, & indiſtantia: iuxta communiorem ſententiam negantem actionem in diſtans; vt Soar. in Metaph. diſp. 18. ſect. 8. ex Ariſtotele 7. Phyſ. c. 2. & 1. de Gen. c. 6. S. Thom. 1. p. q. 8. a. 1. & 3. cont. Gent. c. 68. & docet paſſim P. Soar. S. Thom.

Digitized by Google

S. Bonau. S. Bonau. in 1. dist. 37. p. 1. sed an in diuinis instrumentis hæc conditio sit necessaria, controuersum est.

Prima sententia affirmatiua requirit etiam in iis contactum Physicum, refertur à Soar. tom. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 7. & à Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 57. cap. 5. consequenter humanitas Christi Domini non Physicè, sed solùm moraliter concurrit in hac sententia ad miracula, quæ in loco distanti operabatur: quia concursus Physicus postulat præsentiam agentis ad passum in loco vbi operatur: & multo magis si sit instrumentum.

Secunda sententia, quam sequitur Soar. loc. cit. immo & Vasq. cap. 1llo 5. & 1. p. disp. 176. à cap. 3. ex suppositione quod quælibet res assumi posset vt instrumentum Physicum, consequenter tenet deseruire posse non minus circa absens, quàm circa præsens subiectum; quia actio principalis agentis non pendet ex loci propinquitate, & ideo posset eleuare creaturam ad agendum in distans, & t. 2. in 3. p. disp. 13. n. 26. ex eadem suppositione concedit Christi humanitatem potuisse operari miracula in distans. Tenet absolutè P. Gaspar Hurtad. de Incarnat. disp. 57. sect. 4. n. 25. adnumerans cæteris modis reuocandi animam Lazari ab inferis, hanc actionis in distans P. Iasol. t. 1. in 1. p. q. 8. a. 1. dub. 4. n. 33. & ante illos fuit apertè Caietani 3. p. q. 13. a. 2. §. ad euidentiam, qui licet citetur ab aliquibus in contrarium, nihilominus verba eius indicant sensum eius; *Omnipotentia*, inquit, *non est alligata certis instrumentis, locis, aut propinquitatibus; ideo non refert quauis re vtatur Deus instrumentaliter ad quodcumque miraculum: nam sicut potest sine instrumento opus illud perficere, ita potest non solum efficere per instrumentum, sed per quodcumque, & vbicumque existat, & quantumcumque distet, &c.* Loquitur autem de instrumento Physico, de quo illuxisse sibi testatur quod erat obscurum 22. q. 278. quale non est, quod instrumentum morale operetur in distans.

Gaspar Hurtad. Iasol. Caietan.

Assertio vnica.

II. NOn est necessaria applicatio instrumenti diuini ad subiectum, in quod operatur supernaturaliter per eleuationem, ita vt non possit agere in distans.

S. Thom. Probatur primò ex S. Thoma 3. p. quæst. 56. a. 1. ad 3. vbi docet, quòd humanitas Christi resurgentis est instrumentum diuinitatis, & causa efficiens resurrectionis mortuorum virtute diuina, quæ attingit omnia loca, & tempora: & huiusmodi contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiæ: & loquitur de concursu Physico: quia citat quæstionem 13. a. 2. vbi de eodem concursu humanitatis, vt instrumentum verbi est, disseruerat; & patet ex ratione de contactu virtuali, qui non requiritur vbi concursus moralis est.

Deus operans miracula vtitur aliquando interiori actu hominis, Deinde 2. 2. quæst. 178. a. 1. 1. ait, quòd quando Deus operatur miracula, vtitur instrumento, vel interiori motu hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriori actu: atqui interior hominis motus non est loco propinquus subiecto, in quo fit operatio eius.

Secundò legimus Dominum Iesum Christum multa patrasse miracula in absentia, Mat. 8. cib Ioan. 4. *Vade, filius tuus viuit*: Io. 11. *Lazare veni foras, &c.* Neque enim probabilitatis vllam speciem habet, quòd aliquid vox eius operata sit per totam distantiam; aut quod vsque ad finum Abraham penetrarit; neque item oportet ad moralem causalitatem recurrere in iis exemplis; quia si potuit præsens Physicè concurrere humanitas, potuit & absens, quia contactus, & propinquitas nullam virtutem addebat humanitati; neque erat conditio necessaria, quam Deus non posset supplere, si voluisset, nam

Confirmatur, quia plures Philosophi, ac Theologi probant produci naturaliter à multis agentibus effectus in distans, quin producantur in medio, ergo multo magis poterit supernaturaliter hoc fieri virtute diuina per instrumentum nihil agens in medio. Antecedens probatur ab illis, quia sol in terræ visceribus gignit mineralia, & passim producit multos effectus in subiectis elementis, non producendo eos per medium, vt de se patet; imaginatiua residens in capite alterat membra corporis; multos item numerant effectus, quorum non inueniunt causas propinquas, vt sunt qui per sympathiam, & antipathiam emergunt, & alij, qui dicuntur esse in abditis naturæ. Consequentia argumento potissimo patet, nam

Tertiò propinquitas agentis, & continuatio actionis per medium sunt conditiones requisitę in agentibus naturalibus; sed nulla apparet implicantia, cur non possint suppleri per diuinam potentiam, cum non sint quid essentiale: ita vt ignis exempli gratia cum diuerso concursu calefaciat rem distantem, nihil producendo in medio; multo ergo magis id possibile est, vbi Deus de absoluta potentia operatur per creaturam.

Conditio præsentiæ agẽtis ad passum potest diuinitus suppleri.

Confirmatur, quia quicquid sit de facto, non potest assignari implicantia, cur Deus non possit producere aliquam causam tantæ virtutis, quæ agat in distans nihil operando in medio, vt bene P. Arriaga disp. 7. Physica sect. 6. n. 71 ergo multo magis potest per suam omnipotentiam eleuare creaturam ad agendum instrumentaliter in distans. P. Arriag.

Quartò magis videtur repugnare, quod idem corpus sit in pluribus locis, aut quòd plura corpora penetratiuè sint in eodem loco, quàm quod idem agens operetur in distans, sed illud non repugnat, ergo neque hoc. Maior probatur tum ex communi sensu sapientum, qui ex variis modis agentium naturalium, vel actionem in distans colligunt de facto dari; vel dari posse arguunt nullo negotio in natura, non item replicationem corporis, quam pleriq; putant impossibilẽ cum Thomistis; aut penetrationem cum alio corpore, quam Philosophia non agnosceret, nisi fide adiuta. Deinde ex natura rei, quia contra hanc est penetratio corporum, cum operatio in distans solùm sit supra vires eius. Minor est de fide quoad penetrationem, propter mysterium Eucharistiæ, & similia in scriptura; quoad replicationem est communior inter Theologos, & fauet magis doctrinæ aduersus impugnatores venerabilis Eucharistiæ, etiamsi præsentia hæc sit Sacramentalis. Quod si hoc verum est de agentibus naturalibus, quibus Deus dat virtutem, secundum quam dicuntur

cuntur agere principaliter, multo verius erit, vbi ipse agens totale est, & assumit in consortium suæ operationis creaturam vt instrumentum.

Ratio à priori est, quia potentia eius infinita cum sit, non limitatur loco, aut tempore, sed est supra omnem locum, & tempus, & sicut per seipsum potest quodcumque opus sine instrumento efficere: ita per quodlibet instrumentum, vbicumque existat, & quantumuis distet, vt Caietan. supra.

Confirmatur, quia instrumentum non habet actionem distinctam ab actione agentis principalis, ergo si istud agere potest vbi non est instrumentum, poterit & instrumentum ab eo eleuatum. Antecedens supponit, non requiri præuiam actionem instrumenti propriam; quod infra probabo, & actionem vnam, & eamdem esse à causa principali, & instrumento; quod vel dat vt probabile aduersarius, vel sumo in præsentia vt probabilius. Consequentia probatur, quia talis actio non pendet essentialiter ab hoc, vel illo loco particulari, neque à loco in generali, ergo neque à propinquitate, vel indistantia locali; poterit igitur illius necessitatem supplere Deus, vtendo instrumento distante localiter ab effecto, quem producit.

Responsio ad argumenta.

CAPVT II.

III. Obiicies, quia rationes, quibus probatur necessitas propinquitatis agẽtis ad passum, ostendunt etiam in instrumentis diuinis non dari actionem in distans, posito quod Physicè agant. Talis est auctoritas Philosophi 7. Phys. à t. 9. inducentis per omnes motus, quod mouens, & motum debent esse simul; & 1. de Gener. t. 43. quæ non possunt se inuicem tangere, neque facere, & pati posse, quod repetit t. 78.

Sed communis responsio est loqui Philosophum de agentibus naturalibus per formas, & qualitates actiuas, non de agente per voluntatem, & supernaturaliter ipsi non satis noto.

Act. 17. Instabis, quia Act. 17. ex operatione probat Apost. *Dei indistantiam, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum; in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*; hinc enim infertur, quod si præsès est rebus omnibus, quia in omnibus operatur vt causa principalis, etiam instrumentum debere esse præsens passo, vt cooperetur, cur enim necessaria sit connexio præsentiæ causæ principalis cum subiecto, in quod agit, & non instrumentalis? Præsertim cum hæc sit virtutis inferioris.

Respondent Soar. in Metaph. disp. 30. sect. 7. Vasq. 1. p. disp. 28. c. 4. & alij, non loqui Paulum de præsentia locali, sed obiectiua, seu intentionali: quia intendit solum probare, quòd ex effectibus illum cognoscere possumus, præsertim quos in nobis operatur; quæ responsio placet plerisque aliis Theologis, Lorin. in c. illud 17. Hurtad. disp. 9. Physica §. 87. Displicet aliis, aut diminuta iudicatur, vt P. Iasol. 1. p. q. 8. a. 1. dub. 4. n. 29. eò quod Apostolus probet etiam indistantiam, & immensitatem, & non solùm vnitatem contra pluralitatem Deorum assertam ab Athenienſibus, contra quos disserebat, ideo

§ Bonau explicat locum Act. 17.

Respondeo secundò ex S. Bonau. in 1. d. 36. a. 2. q. 1. 1. in ipso dici ab Apostolo nos viuere, moueri, & esse, quia per ipsum conseruatur in nobis vita, operatio, & essentia: ex hoc autem d. 37. p. p. dist. a. 1. q. 1. colligit necessitatem præsentiæ diuinæ in creatura, vtiturque exemplo sigilli, sine quo nec ad momentum conseruatur formæ eius in aqua, ita enim nec sine virtute Dei perpetuò influentis conseruatur creatura; vt etiam S. Aug. l. 12. Ciu. c. 25. Et quia virtus Dei identificatur eius substantiæ, si illa debet esse præsens, & attingere id in quo operatur, consequens est & substantiam esse præsentem omni creaturæ. Est hæc doctrina Patrum apud recentiores citatos.

Verum ex ea no probatur necessitas præsentiæ instrumentorum, quæ virtute eius operantur, sed ad summum causæ principalis propria virtute agentis, cuius præsentia non potest abesse ab effectu, quem attingit: immo de sola præsentia Dei concludit, quod sit necessaria, quia ex immensitate, & infinita sua perfectione habet, vt non operetur nisi vbi est; at eius instrumenta non habent hanc perfectionem, aut repugnantiam ad operandum, vbi non sunt, ideo potest illis Deus vti vbicumque voluerit per suam omnipotentiam, vt Soar. sect. illa 7.

Si Deus esset omnipotens & non immensus, adhuc posset agere in distans.

Est autem talis necessitas diuinæ presentiæ ratione materiæ, ex eo quod virtus, seu omnipotentia identificatur immensitati, & vtraque substantiæ ipsius; alioqui si formaliter consideretur omnipotentia, vt attributum distinctum ab immensitate, & fieret hypothesis impossibilis, quòd esset omnipotens, & non immensus, adhuc posset agere in distans à sua substantia, quia virtus infinita non limitatur distantia vlla, & sufficit præsentia immediata ipsius ad attingendum effectum.

Obiicies secundò, quia videtur magis necessaria præsentia instrumenti, quam causæ principalis ad subiectum, in quo agit, vt patet in instrumentis artis, & naturæ: nam calamus exempli gratia, pennicillus, & cætera huiusmodi nisi sint immediata passo, non agunt, & tamen manus quæ illa mouet, est distans. Semina item sunt instrumenta generantium, & non requirunt eorum præsentiam ad generationes suas; & idem est de qualitatibus motiuis grauium, & leuium, ergo & instrumenta diuina debent esse vbi operantur.

Confirmatur, quia si sufficit præsentia Dei principaliter agentis; pari modo sufficeret etiamsi in causis principalibus creatis, quæ respectu illius instrumenta sunt, vt supra ex S. Thom. & per illas operatur: proinde illi cooperari possent vbiubi vellet, & in quauis distantia, quandoquidem ipse à nullo distat, & concurrit cum omnibus.

Confirmatur secundò, quia in nostra sententia creatura coagit Deo per suam entitatem, & non per potentiam distinctam; sicut agunt potentiæ animæ; verbi gratia, motiua, quæ potest esse distans ab effectu, quem producit instrumentum immediatè vt patet in baculo mouente lapidem, à quo distat manus; ergo non potest agere in distans, quia eius concursus proximè ab ipsa pendet.

Digitized by Google

Reſpondeo ad argumentum, negando ſequelam; diſparitas eſt, quia inſtrumenta artis non agunt, niſi per motum acceptum ab artifice, & prævium effectui principaliter intento; & cum ille non agat in diſtans, prius debet mouere inſtrumentum, per quod deferatur eius virtus, & impulſus in ſubiectum immediatum illi, & eo mediante vnito ſibi: non ſic in diuinis inſtrumentis, quæ operantur ſine præuia impreſſione in ſe recepta, & non debent vnire paſſum virtuti Dei agentis, cum ſit vbique, inſtrumenta verò naturæ accipiunt in ſe virtutem operatiuam à generante, à quo ſeparantur; & quia per illam agunt, debent eſſe indiſtantia paſſo, cum generans, à quo acceperunt, non amplius operetur, vt patet in ſeminibus. Deus autem ipſe eſt qui operatur, & eleuat inſtrumenta ſua ad cooperandum, & cum ipſe ſit indiſtans, non eget propinquitate inſtrumentorum ad paſſum, in quod vult illa agere.

Differentia inter artis inſtrumenta, & diuina.

Ad primam confirmationem, rationes potiſſimum ab experientijs variis deductæ ſuadent ſic eſſe inſtitutum naturæ ordinem, vt nihil agat in diſtans; non autem quod non potuerit aliter à Deo inſtitui: aut quòd miraculosè non poſſit contra inſtitutionem, & vſitatum curſum cauſarum agere: & proinde facere vt creatura inſtrumentaliter agat in diſtans; quòd ſi de facto cauſæ naturales aliquæ etiam principales agunt in diſtans in ſententia Scoti, quam defendit Faber in 1. diſp. 52. cap. 4. cum reliquis Scotiſtis: quanto magis de poſſibili concedere deberent reliqui Theologi de cauſa inſtrumentali, quæ Deo inſeruit ad libitum voluntatis ſuæ. Certè ſicut ſol agendo per medium cauſat metalla in terræ viſceribus per ſeipſum, vt cum Soar. loc. cit. alij plures, potuiſſet Deus per ſuum imperium ſtatuere, vt non agendo per medium ageret immediatè in terra, & aqua de lege ordinaria; atque adeò poteſt de abſoluta potentia eleuare creaturas ad agendum in diſtans, vt inſtrumenta ſibi cooperantia; ex quo patet.

Faber.

Ad ſecundum; negatur enim ſequela quia poteſt concurſus creaturæ pendere ab ipſa vt inſtrumento diſtante, ſi Deus, qui vbique eſt, velit ea vti vbi non eſt, vt patet ex dictis.

Obiicies tertiò, quia hic etiam valet argumentum, quo plerique vtuntur ad probandum neceſſitatem indiſtantiæ agentis à paſſo ex communi ratione actionis, quæ ſupponit agens in tali loco exiſtens, & conſequenter actio in tali loco ſupponit agens in tali loco, nam ſicut actio in tali tempore ſupponit agens in tali tempore: ita actio in hoc loco ſupponit agens in hoc loco; non quia intimè debeat eſſe vnitum toti paſſo; hoc enim non eſt neceſſarium, & naturaliter eſt impoſſibile, cum requirat penetrationem: ſed quia nihil debet eſſe medium inter agens, & paſſum ſecundùm ſuperficies extimas, ſi ſint corporeæ, quod non recipiat actionem, aut in quo non continuetur; hoc autem etiam in inſtrumentis valet, quæ Phyſicè agunt.

Reſpondeo, nego ſequelam; ratio diſparitatis eſt, quia quod agit, continet vel virtualiter, vel formaliter effectum, quem producit; at quomodo contineat quod non eſt in ſe, effectum pendentem à ſe? itaque exiſtentia eſt quid eſſentialiter prærequiſitum ad actionem, per quam fit res, & dependet realiter: quæ dependentia dicit duo extrema actu exiſtentia, nimirum terminum, & agens, ſi ſit actualis; At verò indiſtantia non eſt quid eſſentiale, & ideo ſupplerì poteſt, & quod non eſt hîc poteſt operari hîc: & eſt diſcrimen inter locum, & tempus, quia illud includitur in exiſtentia, non enim poteſt eſſe res, & non durare; neque operari hoc tempore, quin exiſtat hoc tempore; quia carentia exiſtentiæ in hoc tempore eſt negatio exiſtentiæ ſimpliciter; at negatio præſentiæ ad hunc locum non etiam negatio exiſtentiæ vel ſimpliciter, vel ad aliquem alium locum: ideo exiſtens in vno loco poteſt operari in alio, in quo non exiſtit: ſed non ſic in tempore, quia non exiſtens hoc tempore ſimpliciter non exiſtit; quod autem non exiſtit, nec operari poteſt: operari enim ſupponit eſſe, non minus eſſentialiter, quàm ternarius binarium; & vniuerſaliter effectus ſuam cauſam, à qua eſt in ſuo genere, quia quod actu dat eſſe alteri, habet potentiam dandi, at quod non eſt, non habet vllam potentiam.

Exiſtentia agẽtis eſſentiale requiſitũ ad actionem.

Ideo S. Thom. 3. p. quæſtione 62. ab art. 5. negat paſſionem Chriſti, antequam fieret, potuiſſe efficienter operari per Sacramenta vetera: quia cauſa efficiens non poteſt eſſe poſterior ſuo effectu. Et Soar. diſp. illa 31. ſ. 8. confirmat contra aliquos aſſerentes Chriſti humanitatem fuiſſe inſtrumentum Phyſicum, per quod Deus gratiam produxerit in hominibus, qui ipſum præceſſerunt; quod idem confutat Vaſq. t. 2. in 3. p. diſp. 33. cap. 3. & eadem ratio eſt de re, quæ deſiit eſſe; perinde enim ſe habet quoad hoc, ac ſi nunquam fuiſſet. Quare quod dicitur de Paſſione, & Reſurrectione Chriſti, eas nimirum eſſe cauſas gratiæ, & noſtræ iuſtificationis, vel intelligitur de cauſa meritoria, vt S. Bonau. in 3. diſtinct. 19. art. 1. quæſt. 1. vel ſi de efficiente Phyſica non accipiuntur pro actionibus præteritis, ſed pro ſubiecto earum, id eſt Chriſti humanitate, quæ dicitur inſtrumentum verbi ad liberandas, & iuſtificandas animas à S. Th. 3. p. q. 56. a. 1. 3. & Soar. loc. cit.

Paſſio Chriſti antequã fieret non poterat efficienter concurrere.

S. Thom.

S. Bonau.

Alia argumenta, quòd actio ſit vnio inter agens, & paſſum; quod agens, & paſſum comparentur vt actus, & potentia: cum agens reddat formaliter paſſum tale, quod erat in potentia tale; ſicut forma dat eſſe tale materiæ, quod habebat in potentia: & ſimilia, de quibus Soar. in Met. diſp. 18. ſect. 8. ſi vim aliquam haberent in agentibus naturalibus, non habent inſtrumentis diuinis, quæ ſunt agentia per accidens, & ſecundaria, præterquam quod modi illi loquendi ſunt metaphorici, & ſuaſorij, potius, quàm ſuadentes; neque enim propriè actio dici debet vnio, qua copulantur extrema; aut paſſum habet ſe reſpectu agentis, vt materia reſpectu formæ: ſed eſt ſimilitudo quædam cum magna diſſimilitudine nihil euincens.

Digitized by Google

An potentia obedientialis Actiua conſtituatur formaliter agens per aliquid intrinſecum.

CAPVT III.

IV. HÆc eſt tertia pars dubitationis vniuerſaliter propoſitæ ſuperius de neceſſariis ad hoc vt potentia iſta exeat in actum ſecundum.

Prima ſententia eſt eorum, qui vniuerſaliter in omni agente requirunt modum aliquem intrinſecum diſtinctum ab actione tranſeunte, vt refert Soar. diſp. 18. Metaph. ſect. 10. num. 4. Soar. Trigoſ. Inter quos eſt Trigoſ. 1. p. diſp. 20. art. 4. notab. 2. & concl. 4. dub. 1. quia agens eſt ens actu agens, cum antea non eſſet agens, ergo per aliquid, quod antea non habebat; & præterea quando agit, ſeipſum excitat, & conſtituit in actu ſecundo; quam excitationem vocat modum realem diſtinctum à relatione, & actione Cajet. tranſeunte; non tamen vt ponit Caietanus 1. p. quæſt. 25. a. 1. qui præter relationem, & motum collocat actionem propriè dictam in agente; nam ipſe in paſſo eſſe probat ex Ariſtotele, & Faber. rationibus; ſed nihilominus neceſſarium putat alium modum. Faber etiam Fauent. in 2. ſent. Scoti diſp. 4. num. 37. ponit in cauſa ſecunda excitationem ad agendum, quæ non eſt quid abſolutum in ea productum à prima, ſed eſt relatio ſubordinationis ſecundæ ad primam. Alij in voluntate ſingulariter requirunt applicationem quandam virtualiter ſolùm diſtinctam à voluntate, ratione cuius dicitur ſe determinare ad vnam partem: vt Pater Ægyd. Coninch. Coninchus, & P. Theophilus locis infra citandis, cum de concurſu Dei agam; nunc ſatis ſit in vniuerſum non eſſe illos pro ſententia hac agnoſcente modum diſtinctum in agente, qualecumque illud ſit, quo reddatur formaliter agens in actu ſecundo.

Secunda ergo ſententia communis eſt; ſuperfluum eſſe hunc modum, quam ſequitur Suar. Suar. loc. cit. & alij agentes de cauſis in 2. Phyſ. quibus ergo quoque ſubſcribo. Primò, quia nullibi apud Ariſt. fit eius mentio, ſed ſolùm motus, Ariſtot. nonnieminit talis excitationis, aut applicationis. actionis, paſſionis; à quibus tamen excitationem hanc cauſæ agentis tu diſtinguis vt modum omnibus priorem afficientem, & dantem rationem agentis formaliter.

Secundò, quia excitatio huiuſmodi vel eſt actio: & hoc non, quia non aſſignatur quis ſit eius terminus, niſi forte dicatur terminus eſſe actio tranſiens; & neque hoc dici poteſt, quia daretur actio actionis in infinitum: vel eſt forma aliqua, & præterquam quod à te non adſtruitur pro forma propriè, ſi talis eſſet, produci deberet & ipſa per actionem, quod eſt commune omni formæ; & rurſus quæretur, in quo prædicamento ſit; ſiquidem nō eſt in actionis, à qua diſtinguitur, & in nullo alio eſſe poteſt, præterquam qualitatis afficientis ſubiectum; & redit quæſtio quomodo producatur, & à quo, vel quomodo conſtituat formaliter agens ſubiectum, in quo eſt, cùm id habeat ab actione, & ea præciſa, nō ſit agens in actu ſecūdo.

Dices cum Fabro ſupra, eſſe relationem ſubordinationis. Contrà, quia vel hæc conſurgit de nouo; & ad quod, obſecro, fundamentum? ſiquidem hoc deberet eſſe aliqua actio, quæ hic non apparet; vel erat antequam cauſa ageret per eſſentialem dependentiam eius à cauſa prima, & hæc eſt relatio tranſcendentalis pertinēs ad actum primum, & eſſe creaturæ: non ad ſecundum, de quo eſt ſermo; & propterea male vocatur excitatio: quia vox iſta ſignificat aliquid noui; quo res à quiete tranſit ad operationem.

Tertiò etiamſi daretur huiuſmodi excitatio in cauſis principalibus tam vitalibus, quàm vita carentibus, quæ inclinatur ad operationes ſuæ naturæ proportionatas; tamen in inſtrumentis ſiue artificioſis, ſiue ſupernaturalibus, non videtur intelligibile, quòd detur, aut quid illa ſit; quis enim dixerit calamum excitare ſe ad ſcribendum; vel ferram ad ſcindendum, quando à principali agente reducuntur ad vſum? Multo minus id verificari poteſt de materia, & forma Sacramentorum, quando vſurpantur à miniſtro, & eleuantur ad producendam gratiam. In inſtrumētis non apparet huiuſmodi excitatio.

Denique in omnibus cauſis tam principalibus, quàm inſtrumentalibus cauſalitas in actu ſecundo, & quicquid neceſſarium eſt ad effectum, ſaluatur ſine iſto modo excitationis, ergo eſt ſuperuacaneus. Antecedens patet ex ſolutione argumenti initio propoſiti.

Reſpondeo enim negando ſequelam; ad probationem, in agente conſideratur & virtus agendi, & actio ab illa manans; ideo non eſt denominatio mere extrinſeca, ſed partim intrinſeca à virtute intrinſeca actiua: partim extrinſeca ab actione tranſeunte, de qua eſt ſermo. Negatur ergo, quod reducere ſe ad actum ſit quid diſtinctum aliis duobus, & quod in agēre ſit excitatio, vt modus diuerſus ab actione.

Ad confirmationem pariter dico, inſtrumenta aſſumpta à Deo ad effectus ſupernaturales, eſſe inepta ſecundùm ſe ad illos producendos, ſed in actu primo fieri apta cooperari per diuinam adiſtentiam modo ſuperius explicato; in actu ſecundo reddi formaliter agentia per diuinam actionem, quam Deus per illa exequitur; & non per aliquid in ipſis receptum: ſicut & cauſæ ipſæ principales ſunt agentes per actionem, quam cauſant receptam in paſſo.

Ad exemplum de calamo, & inſtrumentis artis reſpondeo, eſſe ſimile quoad hoc, quod non poteſt formare characteres, niſi directus à manu; ſicut neque creatura attingere effectus ſupernaturales, niſi directa à Deo: diſſimile autem quoad modum, quia inſtrumenta artis applicantur per motum localem ab artifice: inſtrumenta Dei applicantur actualiter per ipſum concurſum, quem Deus cauſat per ipſa, ſiue vtendo ipſis, & efficiendo, vt actio, & effectus ſit ab ipſis, quod poteſt facere per ſolam ſuam voluntatem, ſine vlla impreſſione intrinſeca, per eandem ſuam actionem. Inſtrumenta Dei applicātur per ipſum concurſum Dei.

Reſtat quartus modus ex ſupra numeratis, quibus intelligi poteſt potentia obedientialis actiua conſtitui in actu ſecundo per aliquā propriam operationem præuiam actioni principali; ſi enim non accipit vllam impreſſionem à cauſa

Digitized by Google

prima, neque per modum tranſeuntis, neque per modum permanentis, & in ſe non habet vllam intrinſecam excitationem à ſeipſa, videtur ſaltem neceſſaria aliqua eius actio diſtincta ab actione principalis agentis, à qua dicatur inſtrumentaliter operari; pro cuius reſolutione, quæro

---

An ſit neceſſaria prævia aliqua motio per quam eleuetur creatura ad actualem operationem ſupernaturalem vt inſtramentum Dei.

CAPVT IV.

I. Senſus quæſtionis non eſt de præmotione Phyſica in vniuerſum, ſed de inſtrumentali, quæ ſunt quæſtiones diuerſæ.

II. Refertur duplex ſententia.

III. Potentia obedientialis actiua non eget præmotione in actu ſecundo.

IV. Probatur auctoritate, præſertim S. Thomæ, & Caietani.

V. SVperius diximus, non requiri fluentem vllam qualitatem conſtituentem in actu primo completam potentiam operandi inſtrumentaliter; hîc quærimus, an requiratur motio aliqua per modum actionis quaſi excitantis, & efficienter eleuantis creaturam, quæ prævia dicatur effectui principali producto per actionem agentis principalis, ſed concomitans ipſam actionem eamdem, aut inchoans, quæ vt eſt ab inſtrumento poſtulet conſortium motionis iſtius: ſiue deinde dicatur prior natura, ſiue ſimul, dummodo ſit ſimul duratione ob eſſentialem connexionem; & ratio potiſſima dubitandi eſt, quia de eſſentia inſtrumenti videtur eſſe, vt moueat motum, & non mouetur, niſi per aliquid in ſe receptum; moueri enim dicitur quod motum, vel aliquid aliud in ſe recipit à mouente: & præterea vt operetur diſpoſitiuè ad effectum principalem; & quæſtio eſt de inſtrumentis, an egeant hac præmotione, non de cauſis creatis in vniuerſum; quæ eſt diuerſa.

Prima ſententia affirmatiua eſt Thomiſtarum quorumdam, qui prævium concurſum cauſæ primæ in ſecundas poſtulant ita ſe tenentem ex parte actus primi, & complentis, ac determinantis potentiam, vt etiam ferat ſecum actum ſecundum, ſeu operationem creaturæ; iſti enim præterea in inſtrumento prævium actionem requirunt ad effectum principalem, quæ ſit veluti diſpoſitiua inſtrumenti, eiuſque cauſalitas prior actione agentis principalis attingentis effectum vltimò intentum.

Ferrar. Eſt Ferrar. 2. cont. Gent. c. illo 21. §. ad euidentiam; *Similiter*, inquit, *actio eſt virtus propria inſtrumenti, & actio virtus, per quam agit inſtrumentum, cum prima ſit virtus permanens; ſecunda autem ſit virtus habens eſſe diminutum per modum intentionis, vt dicitur in quarta Sent. &c.* quod repetit lib. tertio cap. ſeptimo, & cap. 102. §. Conſiderandum vlterius. Aluar. de auxil. paſſim, præſertim lib. tertio, diſp. 18. concl. 1. probat vltima, vbi cauſas ſecundas præmoueri à Deo vult, quia ſunt eius inſtrumenta, & diſp. 23. concl. 5. prob. 5. applicari voluntatem a Deo, vt applicatur inſtrumentum ab artifice: quæ applicatio eſt efficax, & facit cauſas ſecundas operari.

Secunda ſententia negat huiuſmodi præmotionum neceſſitatem, non ſolùm vniuerſaliter, ſed etiam in inſtrumentis diuinis. Noſtrorum Theologorum prolixè in comment. primæ, & tertiæ partis Sancti Thomæ ſupra cit. vbi de potentia obedientiali in genere, & vbi de humanitate Chriſti Domini, & de Sacramentis. Soarij diſp. 31a 31. P. Pidaci, Ruiz t. de voluntate Dei diſp. 46. per totum.

Aſſertio prima.

VI. POtentia obedientialis creaturæ non eget vlla actione prævia creatoris, vt fiat actualiter inſtrumentum effectus ſupernaturaliter producendi.

§. Bonau. Non dubito, quin ſit ad mentem Sancti Bonauenturæ propter rationes eius in quarto diſtinct. 1. artic. 1. quæſt. 4. contra Thomiſtas requirentes in Sacramentis virtutem ſuperadditam, quæ æquè valeat contra prævium iſtam actionem, ſeu applicationem aliorum inſtrumentorum per impreſſionem factam in ipſis. Et in 2. diſtinct. 34. artic. 1. quæſt. 2. in fin corp. excludit à voluntate, quando operatur, quamlibet extrinſecam diſpoſitionem: quia cum ſit libera, & domina ſui actus, poteſt ſeipſa conuertere ad illud, ad quod vult, & ſicut vult. Et diſtinct. 37. artic. 1. quæſt. 1. In operibus indifferentibus, vel etiam malis non eſt niſi ſola cooperatio diuinæ virtutis, quæ exiſtens in creatura potentialiter, eſſentialiter, & præſentialiter, ſicut conſeruat eam in eſſendo, ſic adiuuat in operando; propter quod conceditur ibi eſſe cooperatio, non præuentio, vel ſubſecutio; quæ doctrina vniuerſalis eſt de agente omni naturali principali, & habet locum etiam in inſtrumentali ſupernaturali, tum ad hominem, quia prima ſententia requirit hanc præmotionem in qualibet creatura ob dependentiam in operando à creatore, & indigentiam applicationis, ac determinationis ad agendum, vnde & cauſas omnes ſecundas vocat inſtrumenta primæ; illam autem ſuperuacaneam putat Sanctus Bonauentura in vniuerſum: tum abſolutè, quia ſicut Deus intimè præſens adiuuat in operando, & non præuenit operationem præmouendo per actionem ab operatione creaturæ diſtinctam: ita poteſt vti inſtrumento abſque eo quod eius operationem præueniat impreſſione aliqua, ſeu præmotione, puta vti poteſt ablutione aquæ ad purgandam animam, abſque eo quod vllam actionem in ipſam imprimat, vt patebit ex ſequentibus.

Probatur deinde ex Sancto Thoma, qui ſæpius vtitur ſimilitudine inſtrumentorum artis ad declarandum, quomodo cauſæ ſecundæ moueantur à Deo ad operandum, quæ ſunt ipſius inſtrumenta. De Potent. q. 3. a. 7. 1. *Id*, inquit, *quod à Deo ſic in re mota, vt actualiter*

agat eſt vt intentis ſola, habens eſſe quoddam incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumentis artificis, &c. At huiuſmodi virtus non eſt actio diſtincta realiter ab ipſa motione artificis, qui eſt vſus inſtrumenti, vt patet in ſecuri, in qua negat ibi S. Thom. vim artis eſſe formam permanentem; ſciſſio enim ipſius eſt motus cauſatus per ipſam in ligno, ad quem ſequitur ſeparatio partium, & forma ſcamni, vel arcæ prout dirigitur ab agente principali, & non ſunt plures actiones, quarum vna ſit præuia alteri, ſed vna, & eadem, quæ in medio ſeparat partes aëris, & in ligno partes ligni, ad quas artificiosè diuiſas conſequitur forma intenta ab arce, cuius intentio dicitur in ea eſſe, non quia aliquid operetur in motu ab ipſo diſtinctum; ſed quia dirigit illum ad finem intentum, quæ eſt forma artificioſa, ſiue motus artificioſus.

Dices, motus ſecuris eſt applicatio eius ad ſciſſionem ab ipſa diſtinctam vt ab actione præuia, & in hoc conſiſtit ſimilitudo omnium inſtrumentorum, quæ egent applicatione vt operentur.

S. Thom. Contra primò, quia ex S. Thom. de ver. quæſt. 24. a. 1. 5. inſtrumentum dupliciter dicitur: vno modo propriè, quando ſcilicet ita mouetur ab altero, quod non confertur ei à mouente aliquod principium talis motus, ſicut ſerra mouetur à carpentario: & tale inſtrumentum eſt expers libertatis, &c. igitur in inſtrumento nulla eſt impreſſio diſtincta à motu, qui ſit eius principium. Deinde quia ſciſſio eſt motus continuatus per manum illa vtentis, & vocem tantum diuerſam habet à ſubiecto, cuius partes ſenſibiliter diuiduntur, & retardant motum, quod non facit medium, per quod tranſit propter tenuitatem, etiamſi & ipſum diuidatur, & non per applicationem diſtinctam à motu cauſato per virtutem motiuam manus, alioqui eſſent duæ continuatę actiones per illud totum, altera applicatiua identificata motui locali; altera diuiſiua medij ad ipſam conſequens, quæ fruſtra ponitur: ſatis enim eſt quod motus, ſeu impulſus ſecuris recipiatur in aëre, & in ligno ad hoc vt ſequatur diuiſio partium, immo ipſe eſt actualis diuiſio.

Eodem modo intelligitur quod habet in 4. diſtinct. 1. quæſt. 1. a. 4. q. 2. 4. *Per modum intentionis in inſtrumentis motus ab artifice eſt virtus artis*, at eſſe per intentionem non dicit mutationem in re diſtinctam ab operatione, quæ dirigitur ad finem intentum, verbi gratia in calamo ſcribentis non eſt alia mutatio, quam motus localis tali modo directus, ſeu motus vt dirigitur ab arte ad formandos characteres, & in cytharæ fidibus non eſt aliqua impreſſio, præter motum digitorum artificioſum, ad quid enim inſeruiat alia motio præuia.

In inſtrumentis artis non eſt alia impreſſio quam ipſa motio.

Quò ſpectat dictum eiuſdem in 2. d. 13. quæſt. vn. a. 3. fin. corp. *Per illud quod habet eſſe intentionis tantum, non ſequitur tranſmutatio, niſi ſecundum operationem animæ: hoc enim verum eſt, non ſolùm in ſecundis intentionibus generis, ſpeciei, &c.* ſed & in actibus animæ tendentibus in finem per media, quæ de ſe non mutant extrinſeca, ſed ſolùm ſunt cauſæ operationum, per quas finis acquiritur, in quibus eſſe dicuntur propter directionem, & ſubordinationem, non propter aliquam impreſſionem ab ipſis diſtinctam. Itaque intentio in operatione eſt denominatio extrinſeca à Deo intendente, & dirigente, ſeu agente principaliter, ſicut intentio in motu artificioſo eſt denominatio ab artifice illum dirigente, & non impreſſio illi indita, quæ diſtinguatur ab ipſo.

Confirmatur, quia in 4. d. 1. quæſt. 1. a. 4. q. 2. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod ens incompletum, quod eſt in anima, diuiditur contra ens diſtinctum in decem prædicamenta, vt patet ex* 6. Metaph. t. 1. cap. 8. Hoc autem eſt illud, de quo immediatè dixerat, & quia Sacramenta non faciunt effectum ſpiritualem, niſi inquantum ſunt inſtrumenta; ideo virtus ſpiritualis eſt in eis, non quaſi ens fixum, ſed ſicut ens incompletum; ſi ergo hæc virtus, ſiue ens incompletum eſt in anima vt contra diſtinguitur ab ente diſtincto in decem prædicamenta, quomodo poteſt eſſe impreſſio realis recepta in Sacramento? erit ergo actio Sacramentalis vt ſubſtat diuinæ intentioni, quomodo dicetur illam recipere, quia ordinatur à Deo ad effectum ſpiritualem per ipſum producendum. Sic idem S. Thom. 3. p. quæſt. 62. a. 4. ad 1. *Vis*, inquit, *ſpiritualis conſiſtit in hoc, quod Sacramenta ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.* Vocat autem paſſim S. Thom. virtutem hanc incompletam ens, non quia ſit pars complens aliquod ens reale, ſed quia eſt denominatio quædam ab intentione: quo modo in 4. d. 1. quæſt. 1. a. 4. q. 2. & q. 4. motionem inſtrumentorum gratiæ vocat intentionem ens in anima diminutum, incompletum, &c. vnde & dicitur virtus intentionalis ex intentione principalis agentis, & ſpiritualis, quia eſt ad ſpiritualem effectum, vt Caiet. S. Thom.

Dices S. Thomam loquí de virtute, quæ eſt qualitas tenens ſe ex parte actus primi, non de præmotione tenente ſe ex parte actus ſecundi, & prærequiſita ad omnem actionem creaturæ.

Contra primò ad hominem, quia pro eodem accipit vim ſpiritualem, de qua ibi S. Thom. ac virtutem tranſeuntem, per quam mouentur Sacramenta vt inſtrumenta, quod expreſsè habetur in contextu; igitur ſermo in eo eſt de vi ſpirituali tenente ſe ex parte actus ſecundi. Deinde ſupra oſtendimus nullam dari talem qualitatem ſpiritualem eleuantem in actu primo creaturam ad eſſe diuini inſtrumenti. Tertiò repugnat hoc aliis locis, vbi S. Thom. vocat hanc virtutem intentionalem ens incompletum, & in anima, per tale autem non completur potentia in actu primo. Et cit. quæſtione 62. a. 4. 3. *Sacramentum*, ait, *conſequitur ſpiritualem virtutem ex benedictione Chriſti, & applicatione Miniſtri ad vſum Sacramenti*: Hæc autem virtus non eſt Phyſica impreſſio à benedictione, & applicatione, ſed ipſa mutatio principalis agentis per inſtrumentum: quomodo enim produceretur illa virtus à benedictione Chriſti in cœlo, & applicatione miniſtri in terra. Quod etiam patet ex auctoritate Auguſtini ibidem relata à ſancto Doctore; *Peruenit plane, aqua, & penetrat conſcientia vniuerſa latibula; quamuis enim ſit ſubtilis, & tenuis; benedictione tamen Chriſti facta ſubtilior occultam vitæ cauſas ad ſecreta mentis ſubtili ratione pertranſit.* Hoc non fit per impreſſionem præ- S. Auguſt.

q. 3. art. 4. c. ex Ariſt. 2. de Anima c. 4. t. 41. vt ſupra diximus.

Confirmatur, quia hactenus non conſtat, an hæc præmotio ſit qualitas, negantibus pleriſque Thomiſtarum ſupra, cum faciat actu operari quod eſt actionis; & alioqui ſi eſt actio, cum non ſit immanens, debet habere terminum proprium: & hic non eſt principaliter intentus: quia ad ipſum ſufficit actio principalis, &c.

Dices, non fruſtra requiri præmotionem in inſtrumentis diuinis: quia licet non eſſet neceſſaria in cauſis naturalibus, quæ habent ſufficientem virtutem in ſuo genere, & poſſunt inchoare actionem ſuam, & continuare cum Dei concurſu generali; tamen inſtrumentales operum ſupernaturalium carent virtute proportionata; vnde nec inchoare ex ſe actionem poſſunt, nec continuare, ſed eleuari debent, tam in actu primo per diuinam aſſiſtentiam, quàm in actu ſecundo per diuinam præmotionem: alioqui non mouerent mota.

Contra, quia vt Caiet. §. illo Ad euidentiam, non eſt opus ad hoc alia actione, ſed tunc mouetur inſtrumentum à principali agente, quando fit ipſi cooperantis; quod fit per hoc quod principale agens vtitur illo ad opus ſuum; quod idem alijs verbis dicit 1. p. q. 14. a. 13. §. Nec ſuſtinendus, vbi reijcit & præuiam motionem, & cooperantem motionem in re, quæ dicitur mota ab alio; & mox ſubdit, quod res reducitur de potentia obedientiali ad actum, & de non *inſtrumento fit inſtrumentum, eo ſolo quod Deus vtitur illa inſtrumentaliter ad opus miraculoſum*, &c. in quo ſaluatur & leuatio, & dependentia inſtrumenti à Deo in actu primo, & ſecundo, ſine alio addito.

Deus, & natura nihil fruſtra faciunt.

Cum igitur Deus, & natura nihil fruſtra faciant, vt eſt commune axioma ex Ariſtoteles 1. Cœli cap. 4. t 32. & 2. Cœli t. 50. & 3. de Anima t. 45. & premotio hæc inſtrumenti diſtincta ab eius vſu non ſit neceſſaria, neque vt conditio, neque principium actiuum, vel formale, neque alio modo, quem non ſuppleat ipſe vſus paſſiuus, ſeu actio Dei vtentis creatura, non eſt gratis inuehenda talis entitas, quicquid ſit de quæſtione vniuerſali in naturalibus cauſis.

Ex dictis patet reſponſio ad rationem dubitandi initio propoſitam; negatur enim, quod inſtrumentum dicatur mouere motum per receptionem alicuius impreſſionis intrinſecæ; quia vt ſupra diximus, ſufficit vt cooperetur principali agenti per actionem tranſeuntem, ſi operetur extrinſecus: idque virtute eius, quæ eadem cooperatio eſt applicatio eius ad paſſum, & determinatio ad tale opus ſupernaturale, ad quod concurrit per virtutem Dei eleuantis in actu ſecundo, per hoc quod vtitur illo, id eſt efficit opus per actionem, cuius vult eſſe cauſa principalis per inſtrumentalem. Cætera argumenta directè impugnant præmotionem vniuerſalem cauſarum ſecundarum, de qua nobis in præſenti cura non eſt. Et ſi quod eſt in particulari contra potentiam obedientialem actiuam, illud eſt principium.

Quia creatura operans ſupernaturaliter fit de non agente agens, ergo per aliquam mutationem intrinſecam. Probatur ſequela, quia hæc non eſt determinatio purè extrinſeca, non enim ſolum denominatur agens agere extrinſecè ab aliqua forma quomodocumque producta, ſed à potentia agentis reducente ſe ad actum, quod eſt aliquid diſtinctum à forma extrinſeca, & ipſa potentia; excitare enim ſe ad agendum, ſeu reducere ſe ad actum tenet ſe ex parte potentiæ, & ſupponitur ipſi actioni tranſeunti, ergo debet eſſe quid intrinſecum agenti, non à propria virtute quia hanc non habent inſtrumenta, ergo ab extrinſeco agente ipſis aliquid imprimente, quod dicitur præmotio, ſeu applicatio inſtrumenti facta à cauſa principali.

Idque magis vrget in inſtrumentis, præſertim diuinis, quia ſunt prorſus inepta, & improportionata effectui ſupernaturali; vt igitur dicantur illum cauſare, & reduci à potentia remota ad actum ſecundum, debent aliquid in ſe recipere à cauſa principali, quod ſit præuium, & quo reddantur formaliter agentia, alioqui non apparet quomodo actio Dei dicatur etiam ipſorum: ſicut ſi calamus aut pennicillus non mouerentur à manu, non conſtaret, qua ratione characteres, & pictura penderent ab illa minimè mota. Pro reſponſione quæro

---

Vtrum requiratur in inſtrumentis diuinis præuius concurſus ad effectum principalem.

CAPVT IV.

I. Senſus quæſtionis,
II. Sententia S. Thomæ, & multiplex eius explicatio.
III. Aliqua inſtrumenta habent præuiam actionem, ſed non omnia.
IV. Multo minus neceſſaria eſt præuia actio in inſtrumentis moralibus.
V. Neque in hoc ſenſu requiritur præuia actio à S. Thoma.
VI. Neque diſtinctio excogitata à Caietano videtur contraria textui S. Thomæ ab antiquioribus aliter explicato.
VII. Corollarium de vna, & eadem cauſalitate inſtrumenti diuini ac Dei.
VIII. Reſponſio ad argumenta contraria.
IX. Modus multiplex dilationis imperij diuini per creaturas.

DIFFERT hæc quæſtio à præcedenti, quia illa tractat de motione, quæ ſe tenet ſe ex parte Dei agentis in creatura; hæc numero de actione creaturæ in effectum, & eius ſenſus eſt, an in productione operis ſupernaturalis ſint neceſſariæ duæ actiones, quarum altera ſit propria inſtrumenti, & connaturalis, ac veluti diſpoſitiua ad effectum principalem, habens ſuum proprium, & connaturalem; altera ſit ſupra vires eius naturæ, & virtute principalis agentis Dei, per quam in- VII.

Digitized by Google

ſtrumentaliter attingat effectum vltimatum vna, & eadem cum ipſo actione.

S. Thom. Qua in re celebris eſt ſententia Thomiſtarum plurium affirmantium ob auctoritatem D. Th. qui p. 1. q. 45. a. 5. ex eo probat, non poſſe dari cauſam inſtrumentalem creationis, cum ob alias rationes, tum potiſſimum quia nullum agens creatum poteſt diſpoſitiuè operari aliquid ad effectum creationis, & quia eſſe, quod eſt terminus creationis, omnibus præſupponitur, & proinde nullus effectus preuius eſſe illi poteſt diſpoſitio, & quia creatio ex nullo ſubiecto eſt; diſpoſitio autem recipitur in ſubiecto vt quid præuium: quæ rationes ſupponunt vniuerſaliter requiri actionem præuiam in inſtrumento, alioqui non concluderent; & hoc habet diſertè l. 2 cont. gent. cap. 21. arg. 6. *Omne agens inſtrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam, &c.* Latius explicat in 2. ſent. d. 1. q. 3. & de potent. q. 3. a. 4. & alibi; & ita interpretantur Capr. & Ferrar.

Alter modus explicandi actionem præuiam, & mentem S. Thomæ eſt P. Vaſq. 1. p. diſp. 176. cap. 2. & 3. qui iuxta ſuam ſententiam de concurſu morali diuinorum inſtrumẽtorum, quem ſolum poſſibilem eſſe contendit, & S. Thomæ affingit, de inſtrumento moraliter concurrente ad creationem, loqui Sanctum Doctorem contendit, meritóque requiri in eo præuiam aliquam operationem circa rem creandam, vel circa aliquid illius fatetur', quia inſtrumentum morale non eſt quod ſimpliciter impetrat aliquid à Deo, ſed quod impetrat faciendo circa rem, in qua effectus à Deo deriuatur, vt cum quis tangit ægrotum, & tactu ſuo impetrat à Deo ſanitatem; idcirco enim dicitur inſtrumentum morale, quia aſſimilatur inſtrumento naturali ſeparato, vel inſtrumento artis, quod ex ſe habet præuiam aliquam operationem circa ſubiectum; & ſic non ſufficit ad rationem inſtrumenti moralis impetratio, ſed requiritur operatio aliqua circa ſubiectum, in quo impetratur fieri aliquid in Deo; & quia circa rem creandam non poteſt procedere vlla talis operatio, ideo non poteſt vlla cauſa creata eſſe inſtrumentum creationis; immo neque annihilationis, quia hæc in eo conſiſtit, vt Deus deneget influxum, quo rem conſeruabat, vt D. Thom. 1. p. quæſt. 15. art. 2. ad hoc autem non poteſt concurrere vt inſtrumentum præuia operatio, licet poſſit impetratio; quare non dicimus Deum vti inſtrumento morali ad negandam conſeruationem rei, ſicut dicimus vti ad efficiendum, etiamſi poſſit eſſe cauſa impetratoria annihilationis. Præuia igitur operatio in inſtrumento morali diuino, vt ſunt Sacramenta, humanitas Chriſti Domini, &c. ſecundum hunc modum eſt operatio aliqua circa ſubiectum, in quo aliquid ſupernaturaliter faciendum eſt. De qua interpretatione, quàm ſit conſentanea menti D. Thom. paulò poteſt apertiam.

Vaſq. docet inſtrumentũ morale eſſe quod impetrat à Deo faciendo aliquid circa rem in quã deriuatur effectus ſupra

Tertius modus explicandi eſt Caietani 1. p. q. 45. art. 5. §. ad euidentiam, qui ſæpe, & tam apertè videns fieri mentionem à S. Thoma duplicis actionis ab inſtrumento manantis: & ex alia non videns diſtinctionis neceſſitatem inter illas, vt communiter à Thomiſtis explicabatur ob rationes, & exempla Scoti probantis, non ſemper requiri in inſtrumento actionem præuiam, & diſpoſitionem ad effectum à principali agente intentum, excogitauit diſtinctionem nouam actionis, quam explicat verbis iſtis; *Sciẽ*, inquit, *quod vniuerſaliter loquendo, dupliciter intelligi poteſt, cauſam inſtrumentalem exigere actionem ſcilicet propriam, & principalis agentis; vno modo ſic vt ſint duæ actiones habentes diuerſas res pro terminis: ſicut calor animæ & calefacit, & generat carnem, & hoc ſuadiciomeo non eſt neceſſarium; alio modo ſic vt vna operatio, prout eſt ex propria inſtrumenti virtute faciat aliquid præuium ordine naturæ ei quod facit, prout eſt ex virtute principalis agentis, ſicut ſimulis compoſitio trianguli ex virtute motiua ſua ponit tres virgas, ex ratione autem facit formam trianguli, nulla alia actione adiuncta; & ſimile eſt in ſculpturis, & hoc eſt indubitatum, & intentum: quia omnis cauſa inſtrumentalis propriam aliquam virtutem actiuam habet, alioqui, vt in littera dicitur, fruſtra ad agendum aſſumeretur; omni autem virtuti actiuæ reſpondet per eam factibile, alioqui eſſet actiua nihil; Et cum conſtet, quod primum in intentione eſt vltimũ in generatione, & quod concurrentibus cauſa principali, & inſtrumentali ſimul, primum in intentione eſt effectus, ſecundum id, quod habet ex cauſa principali, conſequens eſt, quod id, quod habet effectus ex cauſa inſtrumentali, eſt præuium ei, quod habet ex cauſa principali, ſine illa ſint multæ res, ſine vna, &c.* Vna ergo, & eadem actio ſufficit in hac ſententia; ſed quia S. Thom. duplicem videtur requirere, vt ab alijs Thomiſtis explicatur, & fatetur Soar. de grat. t. 3. lib. 6. cap. 7. & argumenta Scoti vrgent contra multiplicationem actionum, propterea excogitauit Caiet. duplicem formalitatem, ſecundum quam vna, & eadem actio diceretur prior, & poſterior; & ideo meritò citatur pro ſententia negante duplicem actionem realiter diſtinctam, licet ægrè ſatisfiat per illam textibus Sancti Doctoris, vt paulò poſt apparebit.

Caietani noua explicatio de duplici actione inſtrumenti.

Quartus modus excogitari poſſet tertiò affinis ex doctrina Soarij in Metaph. diſp. 20. ſect. 3. numero 3. ſi diceretur, quod inſtrumentum naturale ſecundum aliquid ſibi proprium, quod in effectu proportionatè reſpondeat, operatur ad effectum principalis agentis; diſpoſitiuè autem operari dicitur non ſemper cum omni rigore, & proprietate, id eſt inducendo diſpoſitionem præuiam re ipſa diſtinctam ab effectu principalis agentis, ſed vel hoc modo, vel quia inſtrumentum, ſecundum id, quod eſt ſibi proprium determinat actionem principalis agentis: quæ determinatio reduci poteſt ad genus cauſæ materialis, ſeu diſpoſitiuæ: quo modo phantaſma determinat actionem intellectus agentis ad talem ſpeciem producendam; ſic ille ad probandum, quod neque hoc modo poſſit creatura naturali virtute concurrere vt inſtrumentum ad creationem; ſed in propoſito non ſufficit vnica actio in inſtrumentis diuinis ad alia opera miraculoſa, vt cenſet Caietan. poſſet dici eadem comparata ad inſtrumentum, eſſe præuia, quia determinat actionem principalis agentis, & dicitur diſponere, quia hæc determinatio eſt in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ. At hinc non probatur duplex actio, ſed duplex formalitas eiuſdem actionis, ſecundum diuerſos reſpectus, qui non ſufficiunt ad ſaluandas rationes S. Thomæ. Propterea, ſiue requirat ipſe duas

Digitized by Google

actiones distinctas, vt Thomistæ plures, siue vna sit contentus cum duplici formalitate, vt Caiet. de quo infra; considerando rem ipsam primò secundum se, sit

Assertio prima.

VIII. ETsi aliqua instrumenta habeant præuiam actionem ad effectum principalis agentis, vt dispositionem necessariam; hoc tamen neque commune est omnibus instrumentis agentium naturalium, neque requisitum ad diuina. Est Soar. disp. illa 31. sect. 9. & t. 3. in 3. p. disp. 9. sect. 1. & aliorum apud ipsum, præsertim Scoti in 4. d. 1. q. 1. §. Ideo dici potest: quem in hoc sensu explicant Scotistæ, vt videre est apud Fabrum in 1. disp. 4. cap. 2. Et licet Scotus admittat præuiam actionem in aliquibus instrumentis; tamen dissentit à Thomistis, quod vniuersaliter docet non esse necessariam, & vbi interuenit, putat esse necessariam ad effectum principalem; isti verò illam requirunt, etiamsi nihil conducat ad effectum ex natura sua, vt aduertit Vasq. 1. p. disp. 176. numero 8. & quoad præcipuum quæsitum vtrum requiratur actio propria instrumenti distincta ab actione agentis principalis, est ipsius Caietani loc. cit. & 3. p. q. 13. a. 2. & quæst. 62. art. 5. & Hugn. in 3. p. q. 62. a. 1. difficult. 7. quatenus asserit posse rem immotam esse instrumentum Dei ad effectus supernaturales, argumentis directè impugnantibus motionem præuiam.

P. Soar. Scot. Faber.

Neque in instrumentis artis, neq; in naturalibus est semper necessaria præuia actio.

Probatur primò inductione per varia instrumenta: sigillum exempli gratia, imprimit figuram in cera, vel in metallo per motum, vel impulsum manus, & est vna actio ab ea manans per instrumentum in subiectam materiam: & vniuersaliter instrumenta artis, siue operentur diuidendo corpora, vt serra: siue tundendo, vt malleus; siue deferēdo, vt pennicillus; siue colliendo, vt lyra, & plectrum, non habent aliam actionem, quàm motum, neque alium effectum, quàm terminum motus, siue naturalis, siue artificiosi, Cuius ratio optima redditur à Soar. quia hæc operantur, inquantum substant motioni virtutis humanæ, quæ in corporibus solum motum potest causare, aut impulsum, qui sit causa eius; non igitur hîc sunt duæ actiones, quarum vna sit præuia alteri; sed nec in naturalibus omnibus hoc apparet; phantasma enim exempli gratia, si est instrumentum intellectus agentis ad species intelligibiles, nullam actionem præmittit intellectui necessariam ad earum formationem; & idem est de similibus instrumentis, & de ipsa specie intelligibili, si vt instrumentum obiecti concurrit ad intellectum, aut vt instrumentum potentiæ ipsius per illam, vel media illa operantis, & præbentis influxum vitalem, vt id ex Soar. cit. disp. 31. sect. 9.

Et quidem ad instrumenta artis respondet Capr. in 2. d. 1. quæst. 3. art. 3. ad argumentum Scoti, esse duas actiones, verbi gratia, in sigillo est actio manus illud inducentis, & applicantis, & diuisio, ac compressio partium ceræ, quæ est sigilli; sed in primis S. Thom. 3. p. q. 19. a. 1. c. *Operatio*, inquit, *quæ est rei solum, secundum quod mouetur ab alio, non est alia præter operationem mouentis ipsum, sicut facere scamnum non est seorsum operatio securis ab operatione artificis*, &c. Deinde contra est, quia mouere, comprimere, & diuidere partes potius est à manu per sigillum; & figuratio inde resultans nihil est aliud, quàm elatio, & depressio partium ex non motu locali, seu ipse motus localis receptus in illis; sicut enim scissio securis est vna actio à principali agente, & securi: ita compressio sigilli, à quo & scissura prouenire posset.

S. Thom.

Dices cum eodem, tunc securim, & sigillum concurrere vt causas principales, quia ex propria virtute possent illum effectum causare.

Sed fac scissiones esse artificiosas, & superantes propriam vim acuminis; & grauitatis, tunc erunt causæ instrumentales, & vna sola erit actio, sicut & in sono, siue cum harmonia, prodeat, siue sine harmonia, attrectatis ab imperito fidibus.

Deinde etiamsi essent causæ principales respectu virtutis, quam habent ad scindendum; tamen illa non potest exire in actum, nisi eleuata per aliam superiorem, à quo mota agunt, & sine qua agere non possunt; vnde & communiter instrumenta dicuntur artis; & quod non intendimus, non habent duas actiones, sed vnam tantum, siue hæc sit propria, siue principalis agentis, siue vtriusque coniunctim, quod dicitur congruentius; & quod hæc sit præuia ad effectum artis principaliter intentum, parui refert; quia hoc est commune omni actioni, & non probat necessitatem distinctæ actionis præuiæ. Quanquam non est laborandum de exemplo singulari instrumentorum artis, cum dispar sit ratio diuinorum, in quibus gratis requiritur actio præuia, & propria, vt dispositio ad effectum principalem, cum illa non indigeat Deus vtens creatura, non necessitate, sed voluntariè, nam

Licet detur actio præuia in instrumētis artis; non tamen est necessaria in diuinis.

Secundò probatur conclusio, quia vel per actionem præuiam producitur dispositio naturalis ad effectum principalem, vel supernaturalis; si primum, quomodo ex dispositione naturali potest resultare effectus supernaturalis, nisi rursus & ipsa eleuetur; si secundum, igitur non potest fieri ab instrumento per propriam virtutem, & præuiam actionem ab ipsa manantem.

Dices, fieri quidem propria virtute instrumenti, sed eleuata per supernaturalem fluentem illi impressam.

Contra obstant dicta superius de hac fluente virtute, & data eius possibilitate, effectus supernaturalis, quem attingit instrumentaliter creatura, non exigit eius actionem præuiam, vt patet in resurrectione mortuorum, & sanitate ægrotorum distantium restituta à Christo Domino absente, &c. Deinde vna ex potissimis rationibus eam asserendi est, quia Sacramenta non attingunt gratiam, etiam instrumentaliter, eo quod per te creetur, & creationis non detur causa instrumentalis, & ideo adstruitur ornatus aliquis, tanquam terminus actionis præuiæ, aut character, aut quid simile; sed in primis etiamsi S. Th. in 4. d. 1. quæst. 1. art. 4. asserat hunc ornatum; tamen Caietano iudice, & Soto, quibus adhæret Vasques tom. 2. in 3. p. disp. 132. cap. 2. numero 14. & alij recentiores, retractasse censeri potest 3. p. q. 62. art. 1. vbi ex professo in c. & ad arg. repetit Sacramenta instrumentaliter causare gratiam, nulla facta mentione ornatus, aut alterius termini respondentis actioni præuiæ. Et licet variè explicetur S. D. à Ferrar.

S. Thomas in Summa non meminit ornatus producti ab actione præuia Sacramenti.

Digitized by Google

producere aliquid ſupernaturale: & falſum erit, quod de ratione inſtrumenti ſit habere præuiam actionem: præterquam quod actio non producit actionem; ſi ſecundum, igitur prolatio formæ attingit immediatè effectum principalem Sacramenti ſine actione propria præuia.

Aſſertio ſecunda.

VII. MVlto minus neceſſaria eſt actio præuia in diuinis inſtrumentis in ſenſu excogitato à ſecundæ ſententiæ auctoribus; neque ille eſt ad mentem Sancti Thomæ. Probatur prima pars primò, quia gratis aſſumit cauſam impetratoriam, & moralem non eſſe inſtrumentum, niſi aliquid operetur phyſicè circa ſubiectum: qui enim precibus impetrat ſalutem corporis, vel animi à Deo, concurrit moraliter, vt S. Thom. quæſt. 6. de potentia art. 4. paulò ante citato ex S. Greg. in Dialogis: & tamen nihil operatur phyſicè circa ſubiectum, quod præcedat aſſecutionem ſalutis. Neque valeret dicere, quod ſit cauſa principalis moralis, ſi nihil operetur phyſicè circa ſubiectum, quod præcedat aſſecutionem ſalutis, inſtrumentalis, ſi operetur: nam diſcrimen hoc non attenditur penes operationem phyſicam, ſed penes dependentiam, vel independentiam à cauſa ſuperiore, cuius virtute, & merito impetrat: vt patet ex eo quod Chriſtus Dominus, quia eſt cauſa principalis meritoria noſtræ iuſtificationis, ſemper eſt principalis, ſiue operetur phyſicè præuium aliquid circa ſubiectum, ſiue non operetur; & vice verſa homo, vel Angelus nunquam erit principalis, etiamſi precibus tantum impetret, & nihil phyſicè circa ſubiectum agat, ſed ſolum inſtrumentalis moralis: quia Deus vtitur precibus vt inſtrumento morali: ſiue (quod idem eſt) intuitu orantis ſanat.

Cauſa impetratoria, & moralis poteſt eſſe inſtrumẽtum, etiamſi nihil operetur phyſicè circa ſubiectum in quo producitur effectus ſupernaturalis

Secundò, plura dantur inſtrumenta moralia, quàm per impetrationem, & impetratio non ſemper habet rationem inſtrumenti: proinde creatura poteſt inſeruire Deo vt inſtrumentum morale, præciſa impetratione, in qua tamen ſola videtur reponere Vaſq. cauſalitatem moralem diuinorum inſtrumentorum, ſi præcedat actio phyſica. Primum patet, quia pretium, ſcripturæ, pacta, merita poſſunt eſſe cauſa moralis contractuum, liberationis, exultationis, &c. & non per modum impetrandi, qui continet preces; ſed vel iuſtitiæ, vel fidelitatis, vel gratitudinis, & ſimilium, à quibus proueniunt effectus, ſine vlla præuia actione erga ſubiectum. Secundum etiam probatur, quia ſi Rex, aut Imperator aliquid impetret, non dicitur cauſa inſtrumentalis, quia hæc ſubordinatur principali, qualis nulla eſſet reſpectu Imperatoris in caſu aliquo; & Chriſtus Dominus impetrauit quod efficaciter poſtulauit à Patre. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, Pſal. 1. & tamen non ſunt cauſa inſtrumentalis moralis, ſed principalis. Eſſe igitur cauſam moralem dicitur tam de inſtrumentali, quàm de principali; & cum vtraque poſſit cauſare effectum in ſuo genere, nihil operando phyſicè circa ſubiectum, non eſt neceſſe alligare illam ad præuiam actionem.

Tertiò, operatio phyſica circa ſubiectum nullam habet connexionem ex natura rei cum effectu ſupernaturali à Deo producendo; cur igitur dicatur prærequiri ad inſtrumentum morale?

Dices, quia ſine illa non eſſet inſtrumentum, de cuius ratione eſt præuiè operari; & ideo cum eligitur à Deo, ſimul etiam determinatur præuia aliqua eius operatio phyſica.

Contra, quia per te cauſalitas moralis diuinorum inſtrumentorum non conſiſtit in operatione phyſica, ſed interpretatione, præcedente aliqua phyſica actione circa ſubiectum, ſed præciſa diuina ordinatione de actione exteriori, nulla eſt cõnexio inter illam, & impetrationem, ac effectum ſpiritualem, ergo abſolutè poteſt eſſe cauſalitas inſtrumenti moralis ſine illa. Patet ſequela, quia etiam per te potuiſſent inſtitui Sacramenta in aliqua re ſpirituali: & tunc non fuiſſet opus actione phyſica præuia productioni gratiæ per illa; & de facto baptiſmus in voto dicitur cauſa iuſtificationis: quia illius intuitu confertur à Deo; & tamen nulla interuenit actio exterior ex ijs, quæ adhibentur in baptiſmo, quando actu datur. Præterea quo fundamento ad inſtrumentum morale requiris actionem præuiam impetrationi, niſi ne videaris à S. Thoma recedere, qui ne violentè quidem explicari poteſt de morali, cum apertè loquatur de phyſico?

Dices, quia alioqui rationes eius non concludunt, & quia quod impetrat à Deo aliquid, eatenus dicitur inſtrumentum, quatenus aſſimilatur inſtrumento naturali ſeparato, aut inſtrumento artis, quod ex ſe habet aliquam operationem præuiam circa ſubiectum; ideo non quęcumque cauſa impetrans aliquid à Deo dicitur inſtrumentum morale; ſed quæ impetrat aliquid agendo prius circa ſubiectum.

Contra, quia multo minus concludunt do inſtrumento morali: ſi enim dicitur inſtrumentum quatenus aſſimilatur inſtrumentis artis, & naturæ: & hæc vniuerſaliter non requirunt actionem præuiam, vt probatum, eſt multo minus requiret morale.

Deinde cum ex natura rei non requiratur huiuſmodi actio ad effectum ſupernaturalem, cum quo non habet proportionem, ex ordinatione ſolum diuina requiretur; ſed vnde habes, Deum ordinaſſe, quod creatura non ſit inſtrumentum morale, niſi phyſicè operetur aliquid circa ſubiectum? Certè ſi Deus vti illa velit ſine præuia actione ad impetrandum, tanquam medio impetrationis concurret aliquo modo, non phyſicè per te, ergo moraliter, neque vt cauſa principalis, vt notum eſt, ergo vt inſtrumentalis: quo enim alio modo concurrat?

Adde quod ſimilitudo ab inſtrumentis naturæ, & artis potius euincit contrarium: quia in illis omnibus non requiritur actio præuia, niſi præuiam accipias pro ea, quæ præcedit effectum, & ſemper eſt neceſſaria, de qua non eſt quæſtio.

Iam verò probanda eſt ſecunda pars aſſertionis, ſcilicet,

Quòd in hoc ſenſu non adſtruatur præuia actio à S. Thoma.

VIII. PRimò quia abſolutè requirit S. Doctor duplicem actionem in omni inſtrumento, & non reſtringit ad morale per impetrationem: immo ſi loqueretur de illo ſolum, non eſſet cur requireret præuiam actionem circa ſubiectum,

Digitized by Google

aut inter illam, & effectum supernaturalem connexionem poneret ex natura rei non necessariam, & ex ordinatione Dei liberam: cur enim sine illa non posset Deus instrumentum morale constituere, ita vt ad effectum principalem concurreret, nihil agendo physicè circa subiectum; aut vbinam S. Thomas ad causandum per impetrationem, requirit hanc actionem exteriorem in subiectum? quia potius contrarium docet in q. illa 6. de potent. art. 4 c. vbi distinguit modum faciendi miracula in Angelis, & hominibus per impetrationem, id est tanquam per instrumentum morale à modo faciendi per cooperationem, seu cooperando aliquid, quasi ad primum concurrant tantum preces, & reliqua operatio sit à solo Deo; ad secundum verò requiratur etiam concursus instrumentalis physicus creaturæ.

Deus potest vti actu interiori hominis ad facienda miracula.

Secundò. Non solum oratione, imperio, contactu corporeo, sed etiam actu hominis interiori potest vti Deus ad facienda miracula: 2. 2. quæst. 178. art. 1. c. supra cit. ergo non requirit præuiam actionem in subiectum, quomodo enim illam exerceat actus animæ interior? qui non restringitur à S. Thom. ad actum orationis, sed vniuersaliter asseritur, quicumque ille sit, vt vel hinc pateat non loqui de morali instrumento, sed physico.

Ignis inferni per alligationem torquet Dæmones vt instrumentum, diuinæ iustitiæ.

S. Thom.

Tertiò. Ignis inferni per diuinam potentiam elevatur ad alligandos spiritus, secundum S. Thom. non solum per apprehensionem, quod sint in loco disconuenienti naturæ suæ: sed per alligationem, vt loquitur 1. p. q. 64. art. 4. ad vlt. & fusius 4. cont. Gent. cap. 90. & in 4. d. 44. quæst. 3. art. 1. q. 3. cap. fin. vbi alligationem fieri per potentiam obedientialem docet ab igne vt instrumento diuinæ iustitiæ, & sic esse noxium spiritui; quomodocumque autem fiat ista alligatio ab igne, dicant nobis, quæ præuia actio requiratur ad actionem hanc principalem?

Denique hæc opinio nititur fundamento, quod non detur potentia obedientialis vniuersalis in via S. Thomæ, & quod nulla creatura possit esse instrumentum physicum operationum supernaturalium, quæ sunt manifestè contra doctrinam S. Thomæ, vt patet ex supradictis, & communi sensu omnium Thomistarum, vno, vel altero excepto, cui fas fuit extra limites Thomisticos laxare habenas ingenij, calamique.

Assertio tertia.

IX. NEque vna, & eadem actio instrumenti potest dici præuia sibi ipsi, secundum ordinem intentionis, & executionis, in via Sancti Doctoris, neque ista distinctio simpliciter est necessaria ad saluandam causalitatem instrumentalem diuinorum instrumentorum. Prima pars probatur, nam Sanct. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 5. cit. contra Magistrum affirmantem posse Deum communicare vim creandi creaturæ vt instrumento, *Hoc*, inquit, *esse non potest, quia causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis*, &c. Quod si vna, & eadem actio est agentis principalis, & instrumenti, ita vt istius nulla sit propria; hæc ratio non valet contra Magistrum: responderet enim, quod actio creatiua vt in executione, & vt ab instrumento dicitur prior, & disponit ad effectum principalis agentis, qui ordine executionis est posterior, & ordine intentionis prior; Et quod pro illo priori intelligitur in effectu, quem exequitur; hæc enim signa secundum ordinem prioris, & posterioris ob diuersos respectus non obstant simultati durationis; ita vt quod est simul in eodem instanti cum alio, non possit secundum diuersas considerationes dici prius, & posterius illo, vt notum est vel mediocriter peritis; proinde in instanti creationis simul esset actio, & terminus, in quo reciperetur, tanquam in subiecto, quod in genere causæ efficientis esset posterius: atque adeo prior diceretur actio seipsa secundum diuersas considerationes, & posterior; & ex hoc capite non esset ratio, cur dici etiam non posset præuia, vt est ab instrumento exequente, sibi ipsi, vt est à principali agente, si distinctio excogitata à Caietano valet: quod est contra S. Thomam negantem posse dari causam instrumentalem creationis: quia hæc non participat actionem causæ superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis; quod si saluatur per vnam actionem, quæ dicatur disponere, & esse præuia, inquantum est ab instrumento, poterit & in creatione dici præuia; & quantum est ex vi rationis huius, non repugnabit dari causam instrumentalem creationis; quamuis enim instrumentum agere aliquid debeat ex propria virtute, tamen per re effectus est tantum vnus, & actio etiam vna illius, ac principalis agentis; & ille est primus in intentione, secundum id quod habet à principali: & proinde in executione, secundum id, quod habet ab instrumentali causa, eo quod primùm in intentione sit vltimum in executione, consequens est, quod eadem actio, quæ vt est à principali, dicitur prima intentione, dicatur etiam prima vt est in executione ab instrumento, atque adeo præuia sibi, & non præuia, iuxta diuersos respectus: sicut iuxta eosdem posset in alijs instrumentis vna actio eorum, & causæ principalis, habere denominationes prioris, & posterioris; & hoc in via D. Thomæ, an autem hæc ratio concludat, dicetur infrà, cum de creatione.

Quod est simul in instanti, potest secundum diuersas considerationes dici prius, & posterius.

Confirmatur, quia 2. cont. gent. cap. 21. in 6. ratione, cum dixisset, quod omne agens instrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam, & connaturalem sibi, explicans, quinam sit ordo generationis, & intentionis: *Effectus*, inquit, *respondens actioni propriæ instrumenti est prior via generationis, quam effectus respondens principali agenti*, &c. proinde ponit terminos diuersos, quorum vnus est prior altero, non prioritate rationis fingentis varios respectus: sed physicæ, ac realis actionis præcedentis, & subsequentis, quarum vnaquæque habet suum terminum realiter distinctum ab actione alterius, & eorum vnus est dispositio ad alterum, quod non nisi impropriè, & coactè saluari potest per metaphysicam distinctionem.

Præterea 3. p. quæst. 62. a. 1. præmissa eadem doctrina, quod instrumenta habeant duas actiones, propriam scilicet, quæ est præuia, & agentis principalis, per quam attingunt effectum

ab

ab eo intentum, oſtendit, quomodo Sacramenta ſint inſtrumenta, & cauſa gratiæ, quia agunt aliquid circa corpus, quod eſt prævium productioni gratiæ, &c. Quæ, & aliæ ſimiles auctoritates non admittunt diſtinctionem rationis cadentem ſuper vnam, eamdemque actionem phyſicam, & terminum vnum verbi gratia ablutionem in baptiſmo, formam abſolutionis ore prolatam in Pœnitentia; ſed præter illas, quæ actiones materiales ſunt, neceſſaria eſt actio ſupernaturalis, per quam attingatur gratia. Idque magis patet ex ſententia antiquiorum Thomiſtarum, quos ſequitur Ferrar. ſupra ob auctoritatem S. Thomæ in 4. cit. de ornatu, quem produci immediatè à Sacramentis docuit, tanquam gratiæ prævium à ſolo Deo producibilis: ille enim fit actione diſtincta à gratiæ productione; & etiamſi abſolutè ornatus hic reijciatur ab alijs etiam Thomiſtis, non tamen actio prævia termino principaliter intento, quam omnes plerique requirunt; licet in modo explicandi diſcrepent. Luculentè id habet Ferrar. in 2. gent. cap. 21. §. ad euidentiam, *Verum autem*, inquit, *iſtæ actiones ſint realiter diſtinctæ, puto dicendum, quod ſic, ſecundum doctrinam* S. Thomæ; *Nam illæ actiones realiter diſtinguntur, quarum ſunt diſtincta principia, & diſtincti termini; actiones enim ex terminis, & principijs formalibus diſtinguntur; actio autem propria inſtrumenti, & actio, quæ conuenit ſibi, vt eſt inſtrumentum principalis agentis, eſt huiuſmodi; nam vt adductum eſt ex 4. ſent. & 1. p. inſtrumentum proprie ſumptum vt ſic ſemper pertingit ad aliquid, vltra id, quod ſibi competit, ſecundum virtutem propriæ naturæ: & ſic oportet ibi eſſe effectum, vltra virtutem propriam inſtrumenti ad effectum principalis agentis diſponentem. Similiter alia eſt virtus propria inſtrumenti, & alia virtus, per quam agit vt inſtrumentum: cum prima ſit virtus permanens; ſecunda autem ſit virtus habens eſſe diminutum per modum intentionis*, vt dicitur in 4. ſent. &c. Ita Ferrar. à quo diſcedimus ad Caiet. quoad poſitionem virtutis intentionalis, vt rei ſuperadditæ inſtrumento, & actionis inſtrumenti realiter diſtinctæ ab actione principalis agentis, ſicut & à Caietano, quoad diſtinctionem metaphyſicam, de actione conſiderata ſecundum ordinem intentionis, & executionis, ne videatur à D. Thoma diſcedere, cui familiaris eſt mentio actionis prævia in ſenſu aliorum Thomiſtarum à Ferrar. allato. Nos conſequenter reiecta neceſſitate virtutis fluentis ad eleuationem inſtrumenti in actu primo, vel ſecundo, cum ad illum ſufficiens ſit decretum cum aſſiſtentia diuina, ad hunc verò vſus ipſe paſſiuus inſtrumenti, ſiue actio Dei executioni mandata per inſtrumentum; nullam aliam actionem prævia ab hac diſtinctam requirimus, ſed vnam duntaxat, quæ ab vtroque agente eſt, ſufficere exiſtimamus cum Suar. loc. cit. & alijs pluribus Theologis, præſertim Scotiſtis, quoniam ijs affinior eſt opinio S. Bonauenturæ locis ſupra citatis, quibus improbat virtutem ſuperadditam Sacramentis, vt aſſeritur à Thomiſtis; & eius rationes ſunt vniuerſales contra omnia inſtrumenta, quæ non putat eleuari per virtutem fluentem, neque habere actionem vllam phyſicam, cum ſolum moralem concurſum illis tribuat; hinc enim ſequitur, non eſſe neceſſariam prævia actionem propriam inſtrumenti ſic eleuati, etiamſi alioqui inſtrumenta naturalia, & artificialia illam haberent; quod neque eſſe vniuerſale, aut de ratione inſtrumenti vt ſic, manifeſtum eſt ex dictis.

S. Thom. Ferrar.

Vna & eadē eſt actio agentis principalis, & inſtrumenti Suar.

Neque Sanct. Bonauentura in 2. diſt. 1. p. 1. art. 2. quæſt. 2. vbi Deo ſoli vim creandi tribuit, affert rationes, quæ negent, aſſumi poſſe cum illa inſtrumentum: nec vſpiam refutat Magiſtrum aſſerentem hoc poſſibile in 4. diſt. 5. ſicut nec eum refutarat Sanct. Thom. in 1. d. 2 quæſt. 1. art. 3. & 5. & d. 4. quæſt. 1. numero 3. quæſt. 2. 4. vt notat Caietanus quæſt. 45. 1. p. cit. Neque vllibi meminit, aut requirit actionem prævia in diuinis inſtrumentis, vbi de illis agit in 4. cum de Sacram. in 3. cum de humanitate Chriſti; in 1. cum de omnipotentia; quod eſt argumento, non eſſe conſonam principijs, & doctrinæ eius.

Pro corollario dictorum de requiſitis ad eleuationem actualem creaturæ in inſtrumentum operis ſupernaturalis ſit

Aſſertio quarta.

X.

CAuſalitas creaturæ operantis inſtrumentaliter effectum ſupernaturalem, non eſt diſtincta realiter à cauſalitate creatoris ea vtentis, ſed ſolum formaliter; & conſiſtit in hoc, quod per ſuum concurſum actualem dat eſſe efficienter effectui ſupernaturali: ſeu quod idem eſt, quod effectus pendeat ab ipſa vt inſtrumento in fieri concurrente quidem per virtutem intrinſecam, ſed omninò imparem, niſi per extrinſecam Dei principaliter operantis eleuetur.

Ad probationem ſumimus hæc certa. Primò, quod fit cauſa conſtituitur in eſſe per virtutem intrinſecam, ita & in operari per operationem formaliter conſtituenda eſt, iuxta doctrinam communem, & S. Bonauenturæ in 1. d. 45.

Deinde, quod inſtrumentum actiuè concurrit cum cauſa principali ex recepta diuiſione Philoſophorum, & Theologorum diſtinguentium cauſam efficientem in principalem, & inſtrumentalem, ex diſp. de cauſis, ex lib. 2. Phyſic. quam habet expreſsè S. Bonau. in 4. diſt. 43. art. 1. quæſt. vlt. in reſol. & S. Thom. in 4. d. 1. quæſt. 1. art. 4. §. Ad cuius euidentiam, & tribuens inſtrumento duplicem actionem: vnam, quam habet ex propria natura: alteram, quam habet, vt motum à principali agente.

Cauſa efficiens alia principalis, alia inſtrumentalis.

S. Bonau. S. Thom.

Tertiò. Quod cuilibet cauſæ actu cauſanti reſpondet ſua cauſalitas, quæcumque deinde illa ſit: quia cauſans per cauſalitatem cauſat. Sic ergo probatur prima pars concluſionis; cauſalitas actualis cuiuslibet cauſæ eſt illa, per quam effectus accipit eſſe vel in fieri, vel in conſeruari: & per quam cauſa intelligitur in actu dare; ſed hæc in creatura operante per virtutem obedientialem eſt eadem actio Dei, vt agentis principalis, & eiuſdem creaturæ, vt inſtrumentalis, ergo eſt eadem vtriuſque cauſalitas. Maior eſt nota per ſe; Minor probatur ratione D. Thomæ 3. p. q. 19. a. 1. c. *Vbicumque*, inquit, *mouens, & motum habent diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas, ibi oportet, quod ſit alia operatio mouentis, & alia operatio propria moti: licet motum participet operationem mouentis, &* me-

S. Thom.

mentem vtatur operatione mei, vt sic vtrumque agat cum communione alterius, &c. At instrumenta diuina ex se non habent formam operatiuam rerum supernaturalium, nisi valde remotam, & obedientialem inquantum eleuari possunt virtute diuina, ergo neque habent operationem distinctam à diuina: quia ergo causalitas efficientis causæ est actio, & hæc vna, & eadem creaturæ operantis instrumentaliter, & Dei operantis principaliter, eadem etiam est vtriusque causalitas ad eumdem effectum terminata.

Præterea quòd sit eadem actio, patet ex eo potissimum, quod si non est necessaria præuia actio habens distinctum terminum à principaliter intento, non apparet quomodo instrumentum per suam actionem partialem attingat effectum supernaturalem: quandoquidem iste excedit virtutem creaturæ; attingit ergo tantum vt eleuatum eadem actione.

Dices, cur ab instrumento eleuato non potest manare actio, quæ simul cum actione Dei coalescat in vnam actionem totalem, sicut ex ipso, & causa principali constituitur vna causa totalis adæquata effectus supernaturalis?

Non emanat ab instrumento actio coalescens cum actione causæ principalis.

Respondeo, quia sufficit vna actio principalis agentis, quę simul instrumentaliter est à creatura: sicut in naturalibus sufficit vna actio causæ primæ, & secundæ ad effectum naturalem, & in artificiosis idem motus manus, & calami ad formandos characteres, & sigilli ad imprimendam figuram in cera; quo sensu ait S. Thom. 3. p. quæst. 66. art. 5. 1. *quod actio tribuitur instrumento sicut immediatè agenti: sed principali agenti, sicut in cuius virtute agit instrumentum*, &c. Quod de vna, & eadem actione solum potest intelligi, vt ex verbis patet. Et Scot. in 4. cit. solum duplicem actionem requirit, quando terminus intentus à principali non potest produci nisi præuia actione instrumenti vt dispositione; alioqui per suam formam intrinsecam potest attingere terminum principalem, licet virtute principalis agentis, & eadem actione. De possibili autem non est repugnantia, cur à Deo non possit ita attemperari actio, vt admittat consortium alterius à creatura manantis ad eumdem effectum, sed cum illa pendeat in esse, & operari à Deo, hæc altera actio ab eodem penderet, & frustra multiplicarentur dependentiæ; & in rebus supernaturalibus plura fierent miracula, vbi æquè bene, & commodius sufficiunt pauciora.

S. Thom.

Scot.

Secunda pars Assertionis, quod nimirum causalitas instrumenti vt sic distinguatur formaliter à causalitate Dei vt principalis agentis, probatur, quia ad hanc distinctionem sufficit diuersa habitudo ad principia diuersimodè causantia, eadem autem actio, seu causalitas aliter respicit Deum, à quo est principaliter; aliter creaturam, à qua est instrumentaliter; sicut & effectus per illum productus diuersimodè refertur ad vtrumque, idque ratione productionis: nam de se potest produci à Deo solo sine instrumento: quo casu haberet diuersum respectum ad ipsum, ac quando simul producitur à creatura, ob diuersum fundamentum proximum, quæ est actio; non secus ac idem homo, qui generatur à suo parente, diuersum habet respectum ad Deum, vt causam primam cum secundis concurrentem, ab eo, quem haberet, si à solo Deo fieret: quia ibi esset actio generatiua, hîc creatiua, quæ fundat diuersas relationes in termino eodem.

Effectus à solo Deo productus habet diuersum respectũ ac quando producitur simul cum instrumẽto.

Consequenter eadem actio, vt subsistat ijs respectibus, diuersas sortitur denominationes, principalis, instrumentariæ, vsus passiui, vt est à Deo vt ente creatura: & actiui, vt tendit ad effectum, cui producendo cooperatur Deo, & similes.

Respõsio ad argumenta contrà præcedentes assertiones.

CAPVT VI.

Primum est

XI. NITIO capitis propositum illi fundamento nixum, quod de ratione causæ instrumentalis sit inseruire principali, disponendo subiectum, in quod effectus vltimus inducendus est, & proinde præuium aliquid in ipso operari, vt patet inductione per instrumenta naturæ, & artis: semen enim exẽpli gratia est instrumentũ viuentis, & disponit materiã ad introductionem animæ: calor est instrumentum ignis, & disponit lignum, inducendo calorem, ad quem consequitur forma ignis: serra inseruit carpentario, scindendo, & diuidendo partes ligni, ad quam actionem sequitur forma arcæ; & sic de cæteris. Et ratio esse potest, quia cum instrumenti concursus sit longè inferior perfectioni effectus principalis, non potest illum attingere immediatè, sed tantum ad illum disponere, quod fit per actionem præuiã, & distinctam ab actione principalis agentis.

Confirmatur, tum quia si nihil ageret actione propria, & disponente subiectum, frustra adhiberetur instrumentum operis supernaturalis: sufficit enim actio diuina; tum quia vniuersaliter in alijs non oporteret esse determinata instrumenta certarum operationum: ad quid enim determinatio ista, si nihil agunt instrumenta per actionem propriam? Propterea dixit S. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 5. causam instrumentalem non participare actionem causæ superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis.

S. Thom.

Respondeo ad argumentum, negando assumptum: multa enim sunt instrumenta & naturalia, & artificialia, quæ nullam actionem præuiam habent actioni principalis agentis, sed vnam, & eamdem, quæ præuia dicitur effectui, quia per illam fit, sed non quia disponat aliquid distinctum ab illo producendo, quod autem aliqua disponant, prouenit ab exigentia particularis talis effectus, non ex ratione instrumenti, vt sic, & in genere. Neque obstat ratio ab improportione cum effectu principali, quia illa tollitur per consortium causæ superioris, cuius virtute agere dicitur, quia ab ipsa eleuatur, & iuuatur ex hoc quod per eam, vt per medium exequitur operationem suam: quod est illi communicare virtutem suam: & per hanc communicationem attingit instrumentum immediatè effectum principaliter intentum vt causa proportionata in suo genere; Sic S. Th. 3. p. q. 77. a. 2. 3.

Non omnia instrumenta disponunt subiectum ad effectum principaliter intentum, sed immediatè aliquid illum attingunt.

Digitized by Google

& quæſt. 79. art. 2. 3. Nihil prohibere docet. quin cauſa inſtrumentalis producat potiorem effectum, & vltra ſuam ſpeciem, vt Soar. in Metaph. diſp. 17. ſect. 2. numero 12. quam actionem etiam Thomiſtæ dicunt eſſe inſtrumenti, vt inſtrumentum eſt, præter quam acceſſunt aliam propriam diſtinctam, quam ſuperfluam cenſuit Caietan. & alij ſupra.

Soar.

Caiet.

Ad confirmationem, negatur antecedens, non enim fruſtra fit quod finem habet conuenientem, & rationem, cur fiat tali modo, vel per plura, cum fieri poſſet per pauciora; alioqui fruſtra diceretur facta Incarnatio propter ſalutem hominum, quæ ſine illa fieri poterat à Deo; fruſtra etiam eſſent Sacramenta, cum ſine illis abſolutè poſſit Deus gratiam infundere; habet ergo Deus ſuos fines optimos, quando facit per inſtrumenta, quæ per ſeipſum ſolum poſſet facere.

Ad primam rationem in contrarium, concedendum eſt. non habere locum in diuinis inſtrumentis, quia hæc de ſe ſunt indifferentia, & indeterminata ad omnia opera ſupernaturalia, niſi determinentur à diuina voluntate ad peculiares operationes per eleuationem, & concurſum neque fruſtra eſt hæc determinatio, etiamſi non ſit neceſſaria, quia fit à Deo habente ſuos fines, & ſic vti volente creatura: in quo ſufficeret voluntas oſtendi dominium, & ſuam ſapientiam, etiamſi non intenderet aliud.

Sententiam S. Thomæ diſputationi Thomiſtarum reliquimus ſupra, ſecuti S. Bonauenturam, & Soarium aliter ſentientes, & candidè fatemur, non poſſe reſtringi ad inſtrumenta ex ſua natura inſtituta ad aliquam actionem præuiam actioni principalis agentis, quia propoſitio eius eſt vniuerſalis, & adducta ad eum finem, vt probet etiam de diuinis inſtrumentis non inſtitutis ex ſua natura, ſed ex diuina voluntate; in quibus tamen vix etiam diuinando reperitur duplex actio realiter diſtincta, aut neceſſaria, aut conſequens, vt pluribus ſupra oſtenſum eſt. Sed quid ad

Sententia S. Bonau. & aliorum negãtium neceſſitatem actionis præuiæ in inſtrumentis eligitur.

Secundum Argumentum.

QVia alioqui poſſet dari inſtrumentum creationis: ſi enim non habet vllam actionem propriam diſtinctam ab actione agentis principalis, ſicut iſta non eſt ex ſubiecto: ita nec illud requiret, vt eſt ab inſtrumento; & proinde poterit creare quod eſt contra S. Thomam 1. p. cit. quæſt. 45. art. 5. & omnes Thomiſtas, & alios plures Theologos.

Confirmatur, quia quicquid ſit de poſſibili, certè de potentia ordinaria non datur inſtrumentum creationis; at gratia creatur, cum fiat à Deo ex nihilo, vt Bonau. in 2. diſt. 26. art. 1. quæſt. 4. & alij plures apud Vaſq. 1. p. diſp. 174. cap. 1. ergo eius non datur inſtrumentum; & tamen Sacramenta ſunt eius cauſa inſtrumentalis, ergo quia diſponunt ſubiectum ad illam, & non immediatè attingunt, quod fieri non poteſt, niſi per actionem præuiam.

Reſpondeo ad argumentum, tranſeat antecedens: non enim apparet repugnantia, vt infra in quæſtione de hac re pluribus oſtendam cum Soario, & alijs; nunc ſatis eſt negare, quod requiratur ad rationem inſtrumenti actio præuia diſtincta ab actione principalis agentis, conſequenter reſpondeo

Ad confirmationem: nam gratia vtrũ creari dicenda ſit, vel non, eſt controuerſia inter Theologos infra diſcutienda; interim ſi propriè creatur, in noſtra ſententia, poteſt per inſtrumentum creari; ſi non creatur, multo magis ad eius productionem concurrere poteſt creatura inſtrumentaliter.

Argumentum tertium.

ESt, quia ſi non eſt neceſſaria præuia actio diſtincta à principali, ſequeretur, quod inſtrumenta diuina immota agerent. Patet ſequela; nam æquè poteſt Deus vti creaturæ entitate, ac operatione eius ad opus miraculoſum, verbi gratia aqua immota, non ſecus ac abluente corpus ad purgandam animam; quam conſequentiam admittit etiam Vaſq. cit. diſp. 176. numero 4. poſito quod non ſit neceſſaria præuia actio inſtrumenti; falſitas conſequentis probatur ex communi axiomate, quod inſtrumentum mouet motum, vt ſupra, in quocumque deinde conſiſtat hæc motio.

Confirmatur, quia ex dictis nulla qualitas neceſſaria eſt, vel impreſſio in creatura ad hoc vt fiat actuale inſtrumentum Dei, ergo requiritur aliqua actio præuia. Probatur ſequela: poſitis duabus aquis exempli gratia, immotis, non eſt ratio, cur vna dicatur potius concurrere ad abluendam animam, quàm altera: ſi autem per vnam abluatur corpus ſtatim intelligitur, quod illa eſt, quæ abluit animam, igitur fit inſtrumentum per actionem præuiam.

Neque valet dicere, quod ab vna illarum, quam Deus determinauerit, fit ablutio animæ: ſi enim vtraque manet immutata, non eſt in vlla earum diuerſa habitudo ad effectum, ergo neque effectus ad ipſas; hæc enim mutuo ſe reſpiciunt, igitur debet dari aliquid ratione cuius vna fiat inſtrumentum, & altera non fiat.

Reſpondeo ad argumentum, diſtinguo conſequens, creatura ageret immota, id eſt ſine receptione alicuius impreſſionis, per quam intelligeretur moueri, ſeu applicari, concedo; & multo magis ſi immota dicat negationem motus localis; hic enim neceſſarius non eſt. Creatura ageret immota, id eſt inuariata omnino quod omnia tam extrinſeca, quàm intrinſeca, nego, nam agit eleuata, & facta potens in actu primo per diuinam aſſiſtentiam ex vi decreti applicatam in actu ſecundo per concurſum actualem Dei operantis effectum ſupernaturalem, & ea vtentis vt medio ad eumdem modo ſuperius explicato; & ſic concedenda eſt ſequela, quod æquè Deus poſſit vti re non habente vllam propriam actionem, ſed ſolum eleuata per actionem ſuam æquè bene ac operatione qualibet, verbi gratia, ablutione actu interiori: hæc enim omnia æquè ſunt improportionata effectibus ſupernaturalibus, & æquè ſubiecta omnipotentiæ diuinæ, vt eleuentur ad illos.

Deus æquè poteſt vti re immota, ac operatione eius, pro inſtrumento.

Patet etiam quomodo ſit intelligendum axioma illud, quod inſtrumentum mouet motum: ſenſus enim eſt, quod ex ſe vt inſtrumentum eſt, non attingit effectum principalem, ſed vt eleuatum à principali agente, cuius virtute dicitur agere, quia ſine illa non ageret, præter alias

Digitized by Google

explicationes superius huic eximati adhibitas.

Ad confirmationem nego sequelam. Ad probationem patet ex dictis: vna enim ex duabus aquis aliter se habet ad effectum, quàm altera; quia facta est instrumentum in actu primo per assistentiam diuinam, & decretum in actu secundo per concursum actualem, &c.

Quartum Argumentum

S*St*, quia supra diximus, instrumenta diuina posse agere in distans, & hîc asserimus, non requiri vllam actionem præuiam ipsorum in subiectum, circa quod operantur: ex hoc autem sequitur, quod posset aqua agere in animam separatam, producendo gratiam, & ignis inferni torquere spiritus in aëre hoc diuagantes, & similia, quæ videntur impossibilia, quia daretur actio in infinita distantia à creatura corporali in spiritualem. Neque valet dicere, hoc heri posse virtute diuina, quia creatura etiam, quæ operatur instrumentaliter, habet virtutem inchoatam à se indistinctam, secundum nostra principia: & per eam licet eleuatam attingit effectum principaliter intentum; non apparet autem quomodo illa in infinitum spatium extendit possit.

Confirmatur, quia posset etiam in vacuo infinitè extenso operari physicè: verbi gratia aqua in terra existens & abluere corpus supra cælos in quacumque intercapedine, & purgare animam; sicut autem non potest primum, quia illud requiritur contactus, ita neque secundum, ad quod requiritur actio physica per te.

Respondeo ad argumentum, illa non esse impossibilia, quia creatura licet operetur physicè, concurrit tamen vt instrumentum, & quamuis habeat virtutem inchoatam à se indistinctam, illa tamen ex se nihil potest facere supernaturaliter; potest omnia, quæ virtus diuina potest, cui subordinatur, & per quam eleuatur, & proinde in infinita distantia, quia nihil à diuina virtute distat, & non est maior ratio, cur illi inseruire possit in vna distantia, & non in qualibet.

Creatura potest inseruire Deo in qualibet distantia.

Ad confirmationem, concedo sequelam; ad exemplum de ablutione respondeo distinguendo; ablutio enim duo dicit: primum est contactus successiuus aquæ per corpus decurrentis, aut alio modo tangentis: & hic non potest esse, nisi præsentis aquæ, quia contactus corporum intrinsecè inuoluit indistantiam; alterum est effectus aliquis consequens ablutionem, puta sordium remotio, humiditas, &c. & hic potest causari ab aqua distante per diuinam potentiam in corpore: sicut & alij effectus spirituales, & supernaturales in anima; & in primis quidem non excedentibus vires naturæ posset esse causa principalis; in secundis tantum instrumentalis, vtpote superantibus, & non attingentibus effectus, nisi eleuentur.

Ablutione duo significantur.

Quintum Argumentum

E*St*, quia nisi ponatur actio præuia, non possunt explicari dicta Sanctorum Patrum asserentium deferri diuinum imperium, & præsentari quodammodo naturæ, vt illi obtemperet cooperando ad opera supernaturalia. De illo agit S. August. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 14. Sanct. Greg. lib. 2. Dialog. cap. 30. vbi docet Sanctos non solum orando, & impetrando, sed etiam potestatiuè miracula facere, id est solo imperio, &c. quod explicans S. Th. de potent. quæst. 6. art. 4. *Contingit*, inquit, *quod Deus solo imperio miracula operatur; videmus autem, quod imperium diuinum ad inferiores rationales spiritus, scilicet humanos, mediantibus superioribus, scilicet Angelis peruenit vt in legis veteris latione apparet: & per hunc modum per spiritus Angelicos, vel humanos imperium diuinum ad corporales creaturas peruenire potest, vt per eas quodammodo præsentetur diuinum præceptum: & sic agunt quodammodo spiritus humani, vel angelici, vt instrumentum diuinæ virtutis ad miraculi perfectionem, non quasi aliqua virtute habitualiter in eis manente, vel gratuita, vel naturali*, &c.

S. Thom.

Confirmatur ex S. Augustino, cuius est doctrina à S. Thoma tradita: nam cap. illo 14. addit, *Ac sic cum ea visa per Angelorum obedientiam desuper ministrantium, peruenit iussio Dei non solum ad homines, nec solum ad aues, & pecora: verum etiam ad ea, quæ sub aquis latent, sicut ad cetum, qui glutiuit Ionam. Nec solum ad ista maiora, verum etiam ad vermiculum; nam & huic legimus diuinitus iussum, vt radicem cucurbitæ roderet, sub cuius vmbraculo Prophetæ requieuerat*, &c. Et supra & hanc Angelorum administrationem agnoscit Sanctus August. in ijs, quæ creaturæ operantur supernaturaliter, vt patet ex cap. 15. *Voluntas vero Angelica obedienter Deo iubenti, eiusque executa iussionem, naturalibus motibus de rebus subiectis, tanquam materiam ministrare, vt secundum illas principales in verbo Dei non creatas; vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi, vel medendi potest*, &c.

S. August.

Diuina iussio ad omnia peruenit, etiam ad vermiculos.

Ex quibus constat in sententia D. August. fusius ibi explicata, quod Angeli ministrant materiam quando Deus operatur per creaturas vt instrumenta: & proinde non operari immotas, sed localiter applicatas. Secundò per operationes angelicas intimari, seu deferri diuinum imperium creaturis sentientibus. Tertiò ex hoc modo loquendi manauit iste alter in via D. Thomæ, quod creatura deferat, præsentet, intimet diuinum imperium. Sic Caiet. 3. p. q. 13. art. 2. §. Dicendum ergo ad quæstionem, ait, *In proposito cum Deus vtitur creatura aliqua instrumentaliter ad opus miraculosum, opus proprium illius creaturæ se habet vt præuium operi miraculoso: quia se habet vt præsentans, seu deferens diuinum imperium ad creaturam, in quo fit opus miraculosum, vt auctor dicit in loco allegato de potentia*, &c.

S. Thom. Caiet.

Explicat diuerso modo Ferrar. 3. cont. gent. cap. 102. §. Considerandum vlterius, quia ponit actionem instrumenti præuiam, per quam defertur imperium ad actionem principalis agentis, vt supra; sed conueniunt inter se quoad hoc, quod requirunt hanc imperij delationem, seu intimationem; neque apparet, quomodo fieri illa possit præcisa actione præuia creaturæ, quam sequitur actio executiua eius.

Ferrar.

Respondeo quod attinet ad vim argumenti contra assertionem negantem necessitatem præ-

Digitized by Google

uiæ actionis in diuinis inſtrumentis, non poſſe eſſe quæſtionem, niſi de nomine; ſemel enim poſito fundamento, quod non ſit neceſſaria, vt patet ex dictis, nihil reliquum eſt, in quo conſiſtat hæc delatio, niſi actio vna, & eadem agentis principalis, & inſtrumenti, quæ vtrum ſit dicenda delatio, ſeu præſentatio diuini imperij, vt eſt ab inſtrumento, vt vult Caiet. loc. cit. quid aliud quæritur, niſi nomen? In quo mihi voluptas eſt, ſequi modum loquendi S. Thomæ, vtpote conformem ſanctis Patribus, quod creaturæ deferant diuinum imperium creatoris, etiam quando per eas miracula fiunt; & negare ſequelam, quod ad hoc requiratur actio prævia diſtincta, ſufficit enim executio ipſa diuinæ voluntatis per creaturam, qui eſt vſus paſſiuus eius, per quem fit actuale inſtrumentum, & exequitur imperium Dei volentis per illam operari; ex hoc enim intimatur diuinum imperium efficaciter, quod creatura illud exequitur: ita vt idem realiter ſit delatio, ſeu intimatio, & vſus, quo potentia obedientialis creaturæ reducitur ad actum. Et hoc concludit Caiet. quæſt. 62. cit. eſſe poteſtatiuè operari miracula, quando aliquis actus ſe habet vt exequens diuinum imperium, cui omnia obediunt. Atque hæc ad ſolutionem argumenti, contra quam non obſtant quæ opponit P. Suar. diſp. illa 31. ſect. 4. improbant enim delationem imperij, vt dicit actionem diſtinctam ab actione, qua inſtrumentum attingit effectum principalem ſimul cum cauſa principali, cui cooperatur eleuatum, aut vt dicit conditionem promiſſionis Dei ad poſitionem talis rei, vel actionis creaturæ miraculum facientis, quia ſic negatur inſtrumentis vera efficientia; aut denique vt dicit ipſam executionem, iuxta diuinum imperium, & nihil vlterius additur, ad explicandum, quomodo eleuetur ad exequendum quod non poteſt per ſuas vires; nos enim ſuppoſita eleuatione, modo ſuperius explicato, ſolum contendimus executionem poſſe delationem efficacem nominari: quia nuſquam melius efficaciter intimatur, quàm cum actu executioni mandatur.

Creaturæ deferunt imperium creatoris.

Caiet.

Suar.

Executio dici poteſt efficax delatio imperij.

Multis modis defertur diuinum imperium per creaturas.

XII. AD pleniorem intelligentiam earum, quæ habent Sancti Patres, & in primis Sanct. Auguſt. & ex eo S. Thom. de delatione imperij diuini per creaturas, recolendum quod ſuperius ex eodem S. Auguſt. aduertimus, Deum adminiſtrare per Angelos corporalem creaturam, & hanc ita diſpoſuiſſe, vt infima per media, & hæc per ſuprema dirigat ad finem ſuæ gubernationis. *Ordine quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus*, ait Auguſt. 3. Trin. cap. 4. *primò ſpiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffunditur, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, ſiue incorporeis, ſiue corporeis rebus, ſiue per eius gratiam ſiue malis per propriam voluntatem: ſed quemadmodum corpora craſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ rationalem, & Spiritus vitæ rationalis deſertor, atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem, pium, & iuſtum, & ille per ipſum Deum, ac ſic vniuerſa creatura per creatorem ſuum, ex quo & per quem, & in quo etiam condita, atque inſtituta eſt: ac per hoc voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum, atque motionum*, &c. ex quibus infert, nihil fieri viſibiliter, niſi iubente, aut permittente Deo Eamdem doctrinam pluribus ſcholaſticè tradit S. Thom. 3. cont. gent. vbi cap. 78. probat, quod mediantibus creaturis intellectualibus aliæ creaturæ reguntur à Deo per ſuperiora ad probandam propoſitionem vniuerſalem præmiſſam cap. 77. quod executio diuinæ Prouidentiæ fit mediantibus cauſis ſecundis.

S Auguſt.

S. Thom.

Deinde aduertendum, quod modus exequendæ diuinæ Prouidentiæ, & voluntatis per Angelos eſt multiplex; primus eſt per motum localem, non ſolum cæleſtium corporum, per quem eorum virtus communicatur conuenienter exigentiæ inferiorum ad continuandas generationes, ſed etiam per applicationem actiuorum ad paſſiua, quæ plerumque fit eorum miniſterio. Sic S. Auguſt. lib. 3. Trin. cap. 8. *Non ſolum malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus, & corporis ſeminа rerum iſtarum nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones*, &c. quo pertinent tranſlationes corporum ab ipſis factæ: vt Habacuc, de quo Daniel. 14. *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylonem ſuper lacum in impetu Spiritus ſanctì*, &c. Et de Philippo Act. 8. *Spiritus Domini rapuit Philippum*, &c. *Philippus autem inuentus eſt in Azoto.*

S. Auguſt.

Daniel. 14.

Act. 8.

Angeli mouere poſſunt ſenſum, & appetitum animalium. S. Auguſt.

Secundus modus exequendi diuinum imperium per Angelos eſt in animantes ſpiritu vitæ præditas, quarum ſenſum, appetitumque mouere poſſunt, vt oportet ad finem ab ipſo intentum. Si *enim* (inquit Auguſt. lib. 9. Gen. ad lit. c. 14.) *homini donauit Deus, ſic eum inſtituens, vt etiam carnem peccati portans, poſſit non ſolum pecora, ſed etiam iumenta ſuis vſibus ſubdita; nec tantum domeſticas aues, ſed etiam liberæ voluntatis quaslibet etiam ſanas feras & capere, & manſuetas facere, & eis mirabiliter imperare potentia rationis, non corporis, cum earum appetitus, & dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agreſtes eas exuit conſuetudine, & tanquam humanis moribus induit; quanto magis Angeli hoc poſſunt, qui inſſione Dei in ipſa eius, quam ſempiternè intuentur incommutabili veritate perfecta, mouentes ſe tempus, & corpora ſibi ſubdita per tempus, & locum agilitate mirabili, & inſſa, quibus mouentur, & appetitum carnalis indigentiæ valent efficere omni animæ vna, vt quo eam venire opus eſt, neſciens abducatur?* &c. Sic placati leones, ne Danielem offenderent in lacu, & feræ immanes Sanctis Dei martyribus blanditæ ſunt in theatris, & venenatæ ſerpentes impunè tractatæ ab amicis Dei.

Per eamdem ſcientiam immutant affectiones hominum non agendo in voluntatem, quod eſt ſolius Dei, ſed per commotionem ſpirituum animalium, qua excitatur imaginatio, vt Sanct. Bonauentura in 2. d. 8. p. 1. articulo 1. quæſt. 3. & Sanct. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 3. ex qua deinde variæ conſurgunt cogitationes,

Angeli commutare poſſunt affectiones hominum. S. Bonau. S. Thom.

Digitized by Google

& affectiones, vt Vasq. 1. p. disp. 218. cap. 4. & hoc forte modo inter alios vsi sunt, cum Ægyptios contra Hæbræos concitarunt: nam quod habetur Ps. 104. quod Deus conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius, bene creditur Deus fecisse per illos Angelos malos, *vt etiam vitiosa mentes filiorum infidelitatis per eos Angelos, quibus eadem amica sunt vitia, excitarentur in odium populi Dei*, &c. ait Sanct. Augustin. in Psal. 77.

Psal. 104.

S. Augustin.

Angeli varie apparent, & loquuntur.

Tertius modus est per varias apparitiones, & locutiones, quibus Angeli varias induti formas visibiles vel suo, vel Dei nomine, semper autem iubente Deo, significant quę ille significari vult; de quibus Sanct. Augustin. de Trin. lib. 3. cap. 10. *Proinde illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit per Angelos tamen esse facta non ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plus sapere, quam oportet sapere: sed sapiamus ad temperantiam, sicut Deus nobis partitus est mensuram fidei, sed credimus propter quod & loquimur*, &c. Et licet communiter dicatur à Theologis, quod formant ex aëre corpora, quæ assumunt; & à Sancto Bonauentura in 2. d. 8. 1. p. art. 2. quæst. 2. quod admisceant aliquid crassioris substantiæ, quæ per condensationem, & compressionem facile formabilis est: Tamen S. Augustin. cap. illo 10. ait, *Illas etiam nubes, & ignes quomodo fecerint, vel assumpserint Angeli, ad significandum quod annunciabant, etiamsi Dominus, vel Spiritus sanctus illis corporalibus formis ostendebatur, quis nouit hominem?* Vnde & Vasq. 1. p. disp. 184. numero 19. sibi occultum fatetur, quomodo hæc corporea figurentur, quia plerumque videntur habere temperamentum viuentis, ac sentientis, & modus illius efficiendi effugit intelligentiam nostram.

S. Augustin.

S. Bonau.

S. Augustin.

In ijs quæ operatur Deus, vult Angelos adiutores.

Quartus modus est in ministerio eorum, quæ Deus per seipsum facere dicitur in scriptura, & in ijs nihilominus vult Angelos adiutores; sic Sanctus Augustin. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 16. *Nullo modo tamen dubitamus, & hominum, & arborũ non nisi Deum esse creatorem, fideliterq; credimus factam fœminam ex viro, nullo interueniente concubitu: etiamsi forte costa hominis ministrata sit per Angelos in opere Creatoris*, &c. & in communi resurrectione eorumdem vsurum opera docent Theologi cum S. Thoma in 4. d. 44. quæst. 1. art. 3 ad tertiam quæstionem.

S. Augustin.

S. Thom.

In quibus omnibus modis Angeli exequi possunt diuinum imperium vt causæ principales, quatenus effectus non excedunt virtutes naturales ipsorum, nec vltra motum, aut applicationem actiuorum ad passiua se extendunt; sed præterea esse possunt instrumentales, si effectus sint supernaturales: & tunc dicuntur deferre, seu intimare diuinum imperium, vel propriè, si cum creatura rationali agant; vel impropriè, & metaphysicè, si cum irrationali, & Deus vti velit illorum actione vt instrumento effectuum illorum: tunc enim executio ipsa magis propriè intimatio dicitur, quàm si per creaturam irrationalem exerceretur, quia intimare est opus rationis vtentis; sed ad eam non est necesse, vt præcedat vlla actio præuia distincta ab illa, quæ attingit immediatè effectum.

Defertur imperium per ipsam executionẽ creaturæ.

Quintus ergo modus est per operationem creaturæ instrumentaliter concurrẽtis ad opus, quod superat vires suas: sed quia per diuinum imperium agit, intimare illud dicitur, ac deferre, vt virtute illius fiat quod Deus vult; nec delatio tamen est aliud, quàm ipsa diuini imperij executio.

Corollarium ex dictis de potentia obedientiali actiua in præcedentibus disputationibus.

CAPVT VII.

I. Possunt Sacramenta causare physicè supernaturales effectus per potentiam obedientialem.

II. Non obstant oppositiones aduersariorum contra hanc causalitatem.

III. Neque illa potissima, quæ petitur ex tempore quo causant, & ostenditur posse causare successiuè.

IV. Soluuntur obiectiones aduersus modum explicandi, quando causent.

V. Possent etiam in instanti terminatiuo, si daretur, in motu.

VI. Respondetur argumento particulari contra hunc modum à Soario explicatum.

VII. Non sunt contrariæ Patrum auctoritates.

XIII.

QVONIAM potentia hæc & ipsa est vel ordinaria in ijs, quæ iuxta consuetum cursum diuinæ Prouidentiæ fiunt supernaturaliter à potentijs vitalibus per auxilium Dei eleuatis; vel extraordinaria, vt in miraculis accidit, quæ rarò, & præter vsitatam naturæ, vel gratiæ legem operatur Deus per se, vel per sanctos suos, vti superius diximus; dubium esse potest, an de facto sacramenta nouæ legis primo modo concurrant per physicam causalitatem ad producendos effectus supernaturales, an tantum per moralem, & an posita morali causalitate secundum ordinariam dari possit physica per extraordinariam: & quamquam ex disputatis supra consequens sit pars affirmatiua, quia potentiam obedientialem actiuam vniuersalem probauimus respectu omnium creaturarum, quæ inseruire possunt diuinæ potentiæ vt instrumenta omnium effectuum non implicantium contradictionem; tamen quia circa Sacramentorum concursum peculiares sunt difficultates, & prolixæ disputationes inter Theologos recentiores acriter agitatæ, præter ea, quæ in vniuersum de potentia ista dicta sunt, operæpretium fuerit disquirere, quomodo illa in particulari Sacramentis aptentur, & quam habeant vim argumenta à recentioribus ex hoc capite petita ad infringendam potentiam obedientialem actiuam, & quia ad institutum præsens non multi refert, quod Sacramenta operentur de facto moraliter, plurimi verò quod possint physicè per diuinam po-

Digitized by Google

tentiam, ideo reiecta diſputatione prioris partis ad locum proprium de cauſalitate Sacramentorum nouæ legis, & primæ inſiſtendo infero ex dictis.

P. Soar. Poſſibile eſt Sacramenta eleuari per potentiam obedientialem ad cauſandam Phyſicè gratiam, & characterem in anima. Eſt Soarij, & eorum, qui de facto ita cauſare exiſtimant, quos ſupra retulimus, & infra recenſebimus, nunc ſufficienter manet probata ex eo quod non poteſt aſſignari implicantia; & ex alia parte ſunt probabiles rationes, & auctoritates grauium Theologorum id aſſerentium, igitur non eſt hoc negandum diuinæ potentiæ. Antecedens patet quoad ſecundam partem, quia implicantia eſſet vel ex eo quod daretur inſtrumentum creationis gratiæ, & hoc non obſtat, tum quia gratia propriè non creatur, tum quia non repugnat dari inſtrumentum creationis, vt ſupra oſtenſum eſt. Vel ſecundò quia implicaret rem viliſſimam eſſe cauſam rei excellentiſſimæ puta aquam, vel minimam ſyllabam, vel inſtans prolationis, aut actionis producere gratiam ſanctificantem, quæ reddit hominem diuinæ naturæ conſortem: & neque hoc repugnare probauimus, quia creatura eſt tantum inſtrumentum agens virtute diuina illud eleuante. In quo per accidens eſt, quod ſit nobilioris, aut vilioris ſpeciei maioris, vel minoris durationis vel entitatis; immo magis commendatur diuina potentia, quod per viles creaturas operetur mirabilia, vt dixi ſupra, & dicam infra in quæſtione propter quid ſit potentia obedientialis. Vel tertiò quia Sacramenta virtute ſuæ ſignificationis agunt, ſignificatio autem eſt ens morale, & nequit agere Phyſicè, aut dare vim alteri agendi Phyſicè. Et neque hoc valet, quia illud idem, quod ſignificat, eſt res Phyſica, & eleuabilis ad operandum Phyſicè, id quod ſignificatur. Vel quartò quia non poteſt fieri eleuatio huiuſmodi per qualitatem vllam ſuperadditam non ſpiritualem, eo quod iſta non ſit proportionata rei materiali; neque materialem, eo quod hæc non ſit proportionata effectui ſpirituali, neque per ſolam ſubordinationem ad primam cauſam, aut per aſſiſtentiam extrinſecam eius, quia hæc non mutat entitatem rei, alioqui de ſe impotentis, ergo, &c. & neque hoc obſtare oſtendi ſupra quæſt. 4. cap. 1. ex eo quod poſſit per aſſiſtentiam diuinæ potentiæ applicatæ à voluntate, & per qualitatem ſuperadditam reddi creatura potens proximè, & formaliter, ſicut & poſſunt aliæ res, vt ibi probaui. Vel quintò quia non poteſt aſſignari tempus, in quo operentur Phyſicè; nam Sacramenta fiunt ſucceſſiuè cum motu, atque ita non poſſunt tunc gratiam producere, quæ fit tota ſimul in inſtanti, & proinde non producitur, dum fit Sacramentum; ſed neque poſtquam factum eſt, quia nihil operatur, quando non eſt, licet ante fuerit, ſicut neque poteſt operari quod non eſt actu, ſed futurum eſt.

Et confirmatur, quia Sacramentum non operatur, niſi habeat completam ſignificationem, hanc autem non habet toto tempore quo durat, ſed cum primò finitur vſus eius, & iam præteriit ipſum Sacramentum, excepta Euchariſtia.

Ad hoc argumentum varia adhibetur reſponſio, iuxta diuerſa principia Philoſophica de inceptione, & deſitione rerum, & de partibus temporis, in quo aliqui ponunt ſolùm indiuiſibilia, ſeu inſtantia finita immediata; Alij præterea adſciſcunt partes continuatas inſtantibus iiſque non vno modo explicatis, vt videre eſt apud recentiores, præſertim Soar. in Metaph. diſp. 40. Conimbr. in 4. Phyſic. à cap. 14. Hurtad diſp. 15. Phyſ. cap. 4. & alios poſt ipſum refutantes. Sed vbi agitur de abſoluta Dei potentia, ſiue tempus, ac motus conſtet inſtantibus continuatiuis, & terminatiuis, ſiue non conſtet, vt putant multi cum Nominalibus negantibus omnia indiuiſibilia poſitiua in quantitate permanente, ac fluente ab ipſa diſtincta non deſunt Dei infinitæ potentiæ, ac ſapientiæ modi vtendi Sacramentis ad producendam gratiam, prout voluerit; inter hos vnus eſt, ſi deſignato vno nunc, ſiue diuiſibili, ſiue indiuiſibili, in quo non ſit perfectum Sacramentum, immediatè poſt quando perficitur, producat gratiam, vt in Pœnitentia cum Sacerdos pronunciat vltimam ſyllabam, Tuis, abſoluitur diuiſibiliter pronunciatio, & ſignificatio; & verum eſt, quòd immediatè ante non proficiebatur; in illo igitur exiguo ſpatio temporis producitur gratia, ita vt deſignata qualibet parte prius, & prius fuerit producta, ſicut ſi Deus crearet duos Angelos ſucceſſiuè, & immediatè, verum eſt dicere, quod ſecundus non eſt in nunc, quando creatur primus, ſed in tempore ſequente, cuius non eſt aſſignare vnam partem, qua non ſit aſſignabilis alia prior, loquendo de duratione extrinſeca temporis, cui coëxiſtit creatio Angeli, quæ intrinſecè fit tota ſimul, ſed prius & prius in infinitum, ſicut in quantitate permanente poſt ſuperficiem nulla pars aſſignatur, qua non ſit aſſignabilis prior & prior quia diuiſibilis eſt in infinitum, & non habet primam.

Hic modus reſpondendi licet impugnetur à dictis auctoribus, nunquam tamen oſtenditur impoſſibilis, & alioqui in ſe videtur aptus ad ſoluendam difficultatem; aſſumit enim quod conceditur à ſuis impugnatoribus, & communiter à Peripateticis, in qualibet quantitate dari partes vel potentia, vel actu, & proinde etiam in pronunciationibus formæ, & actionibus Sacramentalibus, quæ ſucceſſiuè fiunt, & abſtinet à controuerſiis Philoſophicis de indiuiſibilibus, cuiuſcumque demum conditionis illa ſint, & quomodocumque pertineant ad quantitatem, ſoluitque argumentum ductum à tempore productionis gratiæ, quam dico produci, quando verum eſt dicere, nunc perficitur Sacramentum, cum antea non perficeretur, accipiendo nunc pro parte diuiſibili actionis Sacramentalis, ſiue verſus finem, vt cum abſoluitur forma: ſiue initio, vt cum prolata forma immediatè fit ablutio in baptiſmo; & hunc modum non aſſero de facto dari, ſed eſſe poſſibilem; quod ſufficit ad intentum probandi potentiam Actiuam obedientialem vniuerſalem extendi etiam ad Sacramenta in particulari: ad quam extenſionem non eſt neceſſarium, vt de facto operentur Phyſicè, ſed quod operari poſſint volente Deo, qui multipliciter illa poteſt eleuare, & ſignanter modo prædicto, vt patebit ex ſolutione obiectionum ipſum impugnantium; & interim quod gratia poſſit incipere de potentia abſoluta tota ſimul in tempore, con-

cedunt non solum qui negant indiuisibilia, & instantia, sed etiam qui illa admittunt, vt Soar. lib. 12. de gratia cap. 21. num. 12. immo & Vasq. 1. p. distinct. 229. cap. 10.

Occurritur obiectionibus contra hunc modum.

PRima est, quia pars illa vltimæ syllabæ non est Sacramentum, sed quid minimum Sacramenti, ergo non dicitur totum Sacramentum absolutè operari. Vel si operatur totum, partes quæ præterierunt, operantur solum moraliter, quia non sunt: atque ita necessarius est concursus moralis.

Quomodo partes Sacramenti præteritæ dicantur causare.

Respondeo, vltimam partem solitariè sumptam non esse Sacramentum, sed cum reliquis, quia cum illis perficit significationem; & ideo dicuntur etiam illæ Physicæ causare, quatenus constituunt vnum totum, cuius pars præcipua, & explicatiua Sacramenti causat; sicut homo dicitur videre, licet pars eius sit quæ videt, nempe oculus: neque refert, quod partes præterierint; quia sicut per illas non existentes integratur Sacramentum: ita operari dicitur per easdem non existentes in se, sed in aliquo sui, quod quatenus pars Sacramenti ex illis conflati causat; neque enim plus requiritur ad causandum, quàm ad existendum, cum igitur dicatur existere Sacramentum per partes etiam præteritas, ita & dici potest causare per illas, quia causat per partem sui. Quòd si dicitur existere tempus, quia partes prætereuntes continuantur, etiam Sacramentum dicetur existere, quia pars vna facit significationem cum præteritis ex institutione diuina.

Deinde quod attinet ad assertionem de possibilitate producendi gratiam, ea non tollitur, etiamsi dicerentur partes præteritæ concurrere moraliter, quia sufficit, quod aliqua concurrat Physicè, qualis est illa, qua completur significatio successiuè.

Secunda est. Quia quod est causa Physica gratiæ, debet, esse aliquid determinatum, & cognoscibile à Deo ad hoc vt possit cum illa causa concurrere ad illud producendum: vnde etiamsi causarent moraliter Sacramenta, repugnaret gratiam existere à parte rei, eo quod Deus non videat determinatè, quando transit de non esse ad esse.

Respondeo primò ad hominem; nam aliqui eorum, qui hoc opponunt, ponunt determinatum tempus post aliquod instans cõtinuatiuum, in quo conferatur gratia, quæ propterea dicitur incipere extrinsecè per vltimum non esse, quia in illo instanti verum est dicere, nunc vltimo gratia non est, immediatè post hoc erit, quia immediatè post perficitur Sacramentum. Præter illa igitur, quæ afferuntur à Soario, & Vasq. ad hoc refellendum valet argumentum, quo nostrum modum impugnat, quia immediatè post instans in sententia ponente instantia continuatiua, sequitur tempus successiuum, in quo non est assignabilis pars determinata, qua non sit alia prior, ergo non videt Deus determinatam partem, in qua producitur gratia, & solùm discrimen erit inter nos, quod ego assero partem illam indeterminatam assumi posse à Deo, vt instrumentum Physicum: tu negas, quæ est alia quæstio, & ego abstineo à quæstione Philosophica de indiuisibilibus continuatiuis, quia independenter ab illa soluere me puto argumentum, & ab alia de incæptione, & desitione non minus controuersa, vt videre est apud Paulum Aresium in commentario appositio ad calcem commentariorum in libros de Generat. vbi defendit omnia incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse, & apud PP. Hurtad. disp. 15. Phys. sect. 8. Arriag. disp. 16. fin.

Respondeo ergo secundò, partem illam, qua perficitur Sacramentum, & confertur gratia, esse determinatam, quia determinatè sequitur ad instans si datur, vel ad aliam partem præcedentem, si non datur instans positiuum continuatiuum; deinde quia habet suum esse non vagum, neque incertum, sed signatum, ac distinctum ab omni alia re, quæ non est ipsa: cum quo tamen stat quædam indeterminatio, quia nulla pars determinata assignabilis in ea est, qua non possit assignari prior: sed hæc est indeterminatio entis determinati, ac certi: ideo argumentum assumens esse hanc partem ens indeterminatum, eget probatione; cognoscitur autem à Deo vt cognoscibilis est, nimirum vt totum, siue pars, in qua nulla est absolutè prior omnibus aliis, in quas est diuisibilis, vt supra dicebamus de quantitate post superficiem, & de creatione secundi Angeli immediatè sequente creationem primi.

Tertia obiectio est, quia designata qualibet parte illius temporis, quo perficitur Sacramentum verbi gratia Pœnitentiæ, in ea erat producta gratia, & iustificatus peccator, ergo in sequenti non absoluitur, aut iustificatur, quia iam erat absolutus, & iustus ante illam.

Respondeo in primis per instantiam ad hominem, nam Vasq. qui ita opponit, concedit negationem instantis incipere per vltimum non esse, id est in tempore immediatè post ipsum instans, vnde & qualibet assignata parte prolationis vltimæ syllabæ, qua perficitur Sacramentum pœnitentiæ, desit peccatum, igitur in alia non desinit amplius. Deinde admittit de possibili rem permanentem post instans posse totam simul produci in tempore; & de illa est eadem difficultas.

Secundò respondeo directè de nulla parte singulariter designata dici posse, quod in illa ita producitur gratia, vt antea non fuerit producta, quia prius, & prius in infinitum fuit producta, sed dicitur produci, seu incipere immediatè post vel instans, si datur, vel tempus, si non datur, quia post illud non est assignabilis pars vlla determinata, in qua non fuerit producta; sicut quando desinit forma, nulla est pars immediatè sequens desitionem, in qua non fuerit desitio. Exempla sunt in quantitate, cuius nulla pars determinata est prior qualibet alia in tota collectione, & qualitatis vniformiter difformis, cuius nulla pars determinata est vniformis in aliqua parte determinata quantitatis, sed in toto collectiuè.

Quarta obiectio hinc oritur, quia si gratia produceretur successiuè, variaretur actio ad varietatem agentis, atque adeo vna esset conseruatio, & non productio contra suppositionem, quod immediatè post gratia producatur. Immò si nulla in singulari pars est assignabilis,

Digitized by Google

quà prius gratia non incæperit esse, in qualibet assignabili erit conseruatio eius, & non productio.

Respondeo, actionem immediatè sequentem tempus, vel instans, in quo non erat gratia, esse vnam continuitate, quæ respectu termini immediatè producti vocatur productio respectu modi producendi, qui est successiuus: dicitur etiam productio, quatenus nulla est pars singularis in ea assignabilis, qua non sit alia prior producens gratiam; neque hoc est inconueniens.

Quinta est, quia in qualibet parte assignabili post instans, aut tempus, ad quod immediatè sequitur actio Sacramenti productiua gratiæ, iam productus est effectus eius, ergo cessat actio Sacramentalis, ergo in nulla parte determinata est Sacramentum, quia in qualibet est conseruatio gratiæ, quæ non pendet à Sacramento prætereunte, sed à Deo permanente, & non est productio gratiæ, quia prius supponitur producta, & proinde neque est Sacramentum, quod cessat producto suo effectu.

Respondeo, distinguo consequens: nam actio Sacramentalis dupliciter consideratur, primò materialiter, & est tota actio, vel prolatio Physica longior, aut breuior pro voluntate ministri; secundò formaliter vt dicit eamdem actionem cum sufficienti significatione, qua completur Sacramentum, illa durare potest ad longam moram; hæc cessat absoluta significatione, quæ dum absoluitur diuisibiliter in qualibet parte indeterminata temporis, quo conficitur Sacramentum, est conseruatio gratiæ ab eodem Sacramento; productio autem est in tempore illo collectiuè sumpto, quod immediatè sequitur ad tempus, vel instans, in quo vltimò non erat gratia, quæ postea dicitur incipere, sed distributiuè in nulla est determinata parte, qua non sit assignabilis alia prior, in quo incœperit. Per quod patet ad obiectionem, quæ est

Sexta, quia posset protrahi vltimæ syllabæ pronunciatio ad longam, puta ad quadrantem horæ de industria proferentis; & tamen non est probabile, quod toto illo tempore producatur gratia, & perficiatur Sacramentum, quia si interim spiraret infans baptizandus, vel pœnitens absoluendus, conferetur mori in gratia per Sacramentum collata.

Actio Sacramentalis dupliciter consideratur.

Respondeo enim totam illam moram esse quid materiale Sacramento; formale verò esse diuisibile illud, quod sequitur ad instans, vel tempus, in quo fuit vltimum non esse gratiæ, & significationis Sacramenti, & post quod immediatè sequitur significatio, & incæptio gratiæ, vt explicatum est.

Septima est casus propositus à recentioribus, qui inseruire potest pro argumento contra modum explicatum incæptionis gratiæ, quæ si incipere potest diuisibiliter per vltimum sui non esse, poterit etiam diuisibiliter desinere. Obligetur ergo iustus aliquis ad eliciendum actum amoris ante mortem, hic si omittat, certum est, quòd transgreditur præceptum, & peccat non in instanti mortis, quia tunc primò non est neque in tempore præcedente mortem, quia quacumque parte assignata, adhuc non peccat cum habeat præceptum obligans solùm ante mortem, & partes temporis præcedentis sint assignabiles in infinitum.

Respondet Soar. tom. 3. de Sacram. disp. 8. sect. 2. non posse eo modo imponi præcepta, aut obligationem extrinsecè terminari, quia debet esse accommodata actibus humanis, per quos impletur. Quod si admittatur posse imponi, transgressio committetur in aliquo instanti, quod Deus nouit, inter quod, & vltimum extrinsecum intercedit tam breue tempus, vt moraliter impleri non possit præceptum, quia homo eget tempore ad deliberandum, & operandum; ita vt in minori moraliter non possit. Et quia in Angelo non habet locum hæc responsio, qui tamen posset differe actum dilectionis vltra tempus præscriptum, neque in homine de potentia absoluta, vt fatetur ibi Soar. ideo potissima eius ratio est, quia duo tantùm sunt modi incæptionis, secundum Philosophos per primum sui esse, & per vltimum non esse, duo item desitionis, per primum non esse, & vltimum sui esse, quorum neuter contingeret in dicto casu amissionis gratiæ, si præceptum eo modo obligaret.

Respondeo, quicquid sit de istis modis incipiendi, & desinendi, de quibus Philosophi inter se disceptant qua illos improbando, qua variè explicando, vt videre est apud auctores citatos, non posse ex casu particulari proposito vniuersaliter inferri, quod nunquam gratia potest in tempore produci, aut desinere, sed solum non posse eo modo imponi præceptum, quia esset obligatio, & non esset; nam ex suppositione præcepti esset, & vt probat argumentum, non esset, quia nulla pars, vel instans est assignabile, in quo verum sit dicere, nunc facit contra præceptum, siquidem in infinitum versus tempus præfixum desumi possunt partes, in quarum nulla determinatè peccat, si non elicit actum amoris, quia satis est, vt eliciat in altera, & altera in infinitum.

Octaua. Ante partem indeterminatam, qua completur significatio Sacramenti, & est formalis Sacramento, assignari potest instans, in quo sit verum dicere, nunc non est completa significatio, immediatè post erit; & quia significatio completur tempore finito, erit rursus assignabile aliud instans, vel intrinsecum actioni, qua completur, in quo sit verum dicere, nunc primò non est significatio, & toto tempore immediatè erat in compleri, seu complebatur; ergo tempus illud est determinatum, scilicet inter duo instantia determinata comprehensum, non igitur ageret Sacramentum in parte indeterminata minori, & minori in infinitum.

Respondeo, quod in sententia probabili negante instantia positiua argumentum nihil concludit, nusquam enim assignabile est instans vel continuatiuum, vel terminatiuum distinctum à quantitate, sed solùm partes proportionales indeterminatæ antecedentes, & consequentes tempus item indeterminatum, in quo completur significatio, & producitur gratia modo explicato; atque ita tota quæstio erit Philosophica, an dentur indiuisibilia in quantitate, & esset reducenda ad Theologicam, quod data illa opinione negatiua Sacramenta non possint esse instrumenta Physica effectuum supernaturalium, id autem ægrè euincetur.

Neque obstabit doctrina de modo incæptionis, & desitionis rerum admissa à Soario, &

Digitized by Google

vsurpata pro argumento contra hunc modum productionis gratiæ, quia vt diximus, à multis vel reprobatur, vel illi termini aliter declarantur. Sed etiam admissis instantibus indiuisibilibus, non apparet, cur per diuinam potentiam non possint in tempore determinato operari Sacramenta; si enim assignentur duo instantia certa, verum erit dicere, volente Deo in hoc instanti A, non est gratia, & in tempore sequente ante instans B, producitur gratia, & sit illud tempus vna decima horæ, in singulis enim partibus assignabilibus illius decimæ producitur, & producta est gratia inadæquatè, omnibus verò categorematicè sumptis coëxistit adæquatè tota productio, quemadmodum, Angelus occupans spatium palmare exempli gratia, singulis eius partibus coëxistit totus, sed inadæquatè, quia est totus in toto spatio, & totus in qualibet parte illius, in sententia admittentium posse illum coëxistere maiori, & minori spatio; & in omnium bene sentientium de anima rationali, cum sit forma spiritualis, adæquatè tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte inadæquatè, quia non ita est in vna, quin etiam tota sit in omnibus; sic posset Deus producere gratiam, vt tota productio coëxisteret adæquatè toti tempori determinato, & inadæquatè singulis: & ad argumentum, quod qualibet designata parte temporis prius, & prius fuit producta, & proinde in alia sequente iam conseruetur, & non producatur, respondendum est, quod prius, & prius producta fuit tota inadæquatè, ita enim proportionaliter se habet actio productiua ad coëxistendum tempori extrinseco, sicut anima ad coëxistendum corpori; neque ratio quantitatis fluentis obstat coëxistentiæ adæquatæ, & inadæquatæ, cum neque obstet permanentis.

Confirmatur, quia in communi sententia aliqua actio, quæ tota simul est in seipsa carens successione intrinseca, coëxistere potest tempori extrinseco indeterminato, vt supra dicebamus de duplici creatione Angelorum, quorum alter creetur in instanti B, & alter immediatè post; de hac enim secunda verum est dicere, quòd tota simul respondeat tempori diuisibili, in quo assignata qualibet parte, prius, & prius in infinitum fuit creatio, sed tamen tota simul in tempore: & discrimen tantum est, quod hic est indeterminatio, in casu autem posito est determinatio temporis, quod non potest esse implicantiæ intentæ causa: nam si ob allatam instantiam repugnaret, ea etiam locum haberet in tempore indeterminato, quia illud habet partes, & illis coëxistit actio productiua gratiæ, atque adeo cum sit tota simul, verum est omnibus indeterminatè sumptis coëxistit adæquatè, singulis autem in illa collectione indeterminata coëxistit inadæquatè, & consequenter non valet, quod in assignabilibus posterius, & posterius conseruetur, & non producatur.

Ex hoc igitur capite non apparet implicantia, cur Deus in productione per Sacramenta, si velit illis vti vt Physicis instrumentis, non possit assumere actionem materialem, & ita attemperare ipsi actionem suam principalem, vt verum sit dicere, quod per quamlibet illius partem producta est gratia inadæquatè tamen quemadmodum & quod in qualibet parte temporis respondente parti actionis illius Sacramentalis, & quod per totam actionem producta est gratia adæquatè, quemadmodum & in toto tempore illi coëxistente.

Dices, Sacramenta non producunt gratiam nisi completa significatione, quod complementum est in instanti. Sed hoc non obstat, primò quia sermo est de possibili, & non apparet repugnantia, cur non potuerint institui vt causatiua gratiæ ante completam significationem. Deinde etiam completa significatione remanet aliquid diuisibile, vel soni, vel prolationis vltimæ syllabæ formæ, & illud saltem causaret post significationem completam de absoluta potentia. Tertiò dato quod in instanti compleatur significatio, dici poterit indiuisibile Sacramentum illi respondens assumi posse vt instrumentum ad producendam gratiam, quia non implicat institutio Sacramenti hoc modo suppositа vniuersalitate potentiæ obedientialis Actiuæ, quam probauimus, & probabilitate instantium terminatiuorum in motu, vt explicatur à Soar. disp. 8. de Sacram. & licet eam ardenter impugnet Vasq. disp. 132. à cap. 4. de Sacram. & alij recentiores, tamen eius argumenta eò tendunt, vt ostendant non dari indiuisibilia terminatiua intrinseca in motu, quæ est quæstio plane Philosophica, ad quam non digredior, sed solum admissa probabilitate sententiæ contrariæ Theologicè teneo, posse illud instans intrinsecum terminatiuum concurrere instrumentaliter ad gratiam producendam, quia non attenditur in hoc concursu virtus, vel qualitas instrumenti, sed causæ principalis, qui est Deus omnipotens.

De absoluta potentia potest indiuisibile terminatiuum, si detur, assumi vt instrumétum ad gratiam producendam.

Dices, sine hoc indiuisibili, ex hypothesi, quòd daretur Sacramentum, esset validum, ergo neque in eo, neque per illud gratia produceretur. Consequentia patet, quia gratia producitur per Sacramentum, vt non per aliquid, quod non est ad Sacramenti validitatem necessarium, & producitur, quando fit Sacramentum, non quando factum est, si producitur Physicè. Antecedens probatur, quia ante vltimum instans ablutionis exempli gratia, vel prolationis verborum absoluta est ablutio, & prolatio, nam per illud instans indiuisibile nihil acquiritur spatij in corpore abluto: indiuisibile enim non facit maius, & proinde aqua tetigit corpus quantum satis est, vt dicatur ablutum, quia coëxistit tanto spatio supra corpus ante instans, & non magis abluitur in illo instanti, quàm antea; & licet deesset terminatio, non tamen deesset ablutio; vnde si moreretur infans, vetè esset baptizatus ante instans.

Confirmatur, quia ante instans absoluta est significatio formæ, nam voces prolatæ generant speciem sui ante aduentum indiuisibilis.

Respondeo, nego antecedens. Ad probationem, nego Sacramentum ante vltimum instans esse completum, quia etiamsi in illo nihil acquiratur spatij in corpore abluto, tamen completur ablutio, & significatio, ad quam non est necessaria extensio, sed terminatio eius: & sicut punctum in linea non requiritur, vt fiat maior, sed vt terminetur, vel continuetur in sententia admittente puncta, ita instans in ablutione, & prolatione necessarium est, vt com-

In instanti completur ablutio, & significatio.

Digitized by Google

pleatur quasi intensiuè, seu formaliter, non extensiuè, & materialiter; vnde si deesset terminatio, deesset etiam ablutio formaliter vt Sacramentum est, & si ante instans moreretur baptizandus, sine Sacramento moreretur.

Ad confirmationem nego antecedens, & probationem eius, nam ante indiuisibile instans incompletè tantum voces prolatæ generant speciem totius Sacramenti. Simile est in pyramide, cuius cuspis infra punctum est incompletè acuta, quia complementum est in indiuisibili, & quidem essentialiter vt pyramis perfecta est: Iccirco in hac sententia indiuisibile non est tantum conditio, sed aliquid essentiale Sacramento, vt Sacramentum est, non minus quàm completa significatio, ad quam pertinet.

Atque hæc satis ad ostendendum non repugnare, quòd Sacramenta eleuentur ad Physicè operandum, sumpta parte diuisibili materiæ, vel actionis Sacramentalis pro instrumento productionis effectus spiritualis suppositâ institutione ipsorum, quod operentur absoluta significatione, quam compleri posse diuisibiliter persuadent exempla adducta similium operationum naturalium, quibus indiuisibiles formæ totæ simul fiunt in tempore successiuo; quicquid deinde sit de instantaneis, & de indiuisibilibus terminatiuis, & continuatiuis andentur, & an de facto assumantur à Deo ad operationes supernaturales in Sacramentis, quia ab hoc particulari non pendet determinatio quæstionis vniuersalis, an aliquo modo possint eleuari Sacramenta ad operandum supernaturaliter, vti nos asserimus, & probamus ex eo quod diuinæ sapientiæ, ac potentiæ suppetunt plures modi hoc faciendi, inter quos vnus est quem explicauimus: &

Confirmamus ex eo quod si aliter instituta fuissent, quàm de facto fuere à Christo Domino, & non essent alligata significationi, potuisset Deus quamcumque voluisset partem, aut indiuisibile, si datur positiuum, & reale, assumere pro instrumento ad effectus supernaturales producendos in nostra sententia de potentia obedientiali actiua vniuersali: ergo idem potest suppositâ institutione requirente completam significationem respectu cuiuscumque partis assignabilis in eo tempore quo completur significatio in sententia probabili, quod compleatur diuisibiliter, quia non dantur indiuisibilia positiua distincta in motu, & actionibus successiuis, quæ est grauium auctorum apud recentiores citatis. Potest enim Deus ex collectione partium illarum designare vnam quam voluerit, & ea vti pro instrumento effectus supernaturalis, sicut potest alia qualibet creatura ex dictis superius.

Præter rationes afferunt aduersarij Potentiæ obedientialis Actiuæ auctoritates Patrum, qui de facto negant Sacramentis causationem Physicam, quia censent illam esse impossibilem, alioqui concessuri tanquam pertinentem ad dignitatem ipsorum, in qua extollenda supra Sacramenta vetera Patres sunt effusi: sed eam non obstare assertioni vniuersali de Potentia obedientiali Actiua, vel ex eo constabit, quod neque obstet sententiæ tribuenti de facto Sacramentis concursum Physicum, quod mox ostendo explicatione paucorum locorum ex plurimis quæ adduci possent.

Non obstare Patrum auctoritates.

IStæ sunt S. August. ep. 23. ad Bonifacium, *Aqua*, inquit, *exhibet extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus Sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ.* XV. S. August.

S. Hieron. in cap. 4. Is. *Homo tantùm aquam tribuit, Deus autem Spiritum Sanctum.* Hieronym.

S. Cypr. Serm. de baptismo, *Remissio peccatorum, sine per baptismum, sine per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti est, & ipsi soli huius efficientiæ priuilegium manet.* S. Cyprian.

S. Ambros. lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio; aqua opus est, operatio Spiritus sancti est.* S. Ambros.

Hæc, & similia, quæ congerunt recentiores ex scriptura, & Patribus, & nos adduximus supra in hac disp. q. 1. c. 2. vsitatissimo modo, & proprio vsurpari possunt de causatione morali, non nisi violentè de Physica. Sicut Iob. 1. dicitur eleemosyna liberare à morte, & purgare peccata, & tamen nemo dixerit, quod Physicè hæc præstet. Item merita Christi dicuntur nos mundare, iustificare scilicet meritoriè ex Trid. Sess. 6. cap. 7. præsertim quia & iustificarunt antiquos cum nondum essent, ac proinde non Physicè.

Deinde commodè intelliguntur dicta Conciliorum, potissimum Florent. & Trid. quòd Sacramenta noua contineant gratiam, quam conferunt, quia causa etiam moralis virtute continet effectum, quem causat.

Et omnia, quæ habent Patres, & scriptura fauent huic causalitati, vt in decursu patebit.

Respondeo in primis afferri alias Patrum, & scripturæ auctoritates, quibus indicatur Physica causalitas, quas infra recitabo.

Deinde respondeo, quod sicut supra Soarius interpretatur Patres, vt solum negent, quòd Sacramenta, vel ministri sint de facto causa principalis, ita & multo magis conuenit interpretatio eadem, vbi agitur de possibili: nam de facto dicam ab eis totam efficaciam Physicam refundi in Deum, quia putant Sacramenta esse solùm causa moralis; de possibili autem non negant diuinæ potentiæ deesse modos eleuandi Sacramenta ad operandum Physicè effectus supernaturales; neque hæc est interpretatio dura, sed apta mollire difficultates mysteriorum Sacramentalium suboriri solitas circa ministros plerumque haud probos, & materiam minime pretiosam, quomodo scilicet instrumenta sint gratiæ tam sublimis formæ, quibus statim occurritur, si dicatur Deus esse, qui illam producit, & sanctificat, vt cesset admiratio, & vltetior inquisitio de modo quo res materiales, & viles supernaturalia operentur: si enim dicatur Deus causa principalis; non est quod mireris assumere eum sibi instrumenta, quæ velit ad coorerandum; miranti enim, quod aqua tangendo corpus abluat animam, respondetur abluere vt instrumentum diuinæ virtutis.

Tertiò. Non debet videri violenta, aut dura interpretatio Soarij: siquidem scriptura, & Patres simili modo loquuntur, vbi Deus simul agit cum causis secundis naturalibus, quas extra controuersiam est apud aduersarios concutrere vt

Digitized by Google

causas principales per virtutem propriam ab ipso acceptam. Produco auctoritates in tractatu de concursu Dei immediato cum creaturis; paucæ ex pluribus sunt 2. Machab. 7. & *singulorum membra non ego ipsa compegi.* Nihil hic duri, si Deo primas tribuat, secundas reseruet sibi quæ conceptum fouit, aluit, maturauit, non quidem ex arte, vel scientia, sed tamen eo influxu, qui matrum proprius est, & sufficiens in suo genere, vtpote directus ab eo, de quo Iob. 11. dicitur, *Ossibus, & nervis compegisti me.* & Psalm. 118. *Manus tuæ fecerunt, & plasmauerunt me.*

Iob. 11.

Psalm. 118.

S. Augustinus insistens scripturæ locutionibus non semel Deum solum describit operatorem omnium, quę natura molitur, ac perficit: de Gen. ad lit. l. 5. cap. 11. numeratis variis generationibus, ac mutationibus viuentium, & non viuentium creaturarum: *Quis enim,* subdit, *operatur ista nisi Deus?* & ep. 130. Bona etiam corporis, & vires non ab alio agnoscit, quàm à Deo creatore, & perfectore.

S. August.

Quod si vbi excludi videntur causæ principales maxime illas includi necesse est, ne falsitas orationi insit principatum duntaxat soli Deo in operationibus creaturarum concedenti, cur non pariter includantur instrumentales Physicæ, quarum concursus inferior est, quàm principalium?

Quartò. sicut allatæ auctoritates argumenti non excludunt per te causas morales instrumentales, ita neque excludi censendæ sunt Physicæ, si quidem ambæ concurrunt in suo genere.

Quintò. Modus iste loquendi est vsitatus, quo solùm fit mentio causæ principalis, & tamen comprehenditur etiam instrumentalis. Sic interroganti, quis scripserit, respondetur Petrus, Paulus, &c. non calamus, aut pennicillus, & tamen neque ille sine calamo scripsit, neque hic absque pennicillo depinxit.

Igitur explicatio Soarij opportunè cadit in loca Patrum, neque extorta, vel dura reputanda est, sicut neque alterius sententiæ, quæ moralem causalitatem excipit, cum Patres Deum solum gratiæ auctorem, & sanctificatorem prædicant.

Instabis, quia in sententia Soarij intellectus, & voluntas concurrunt per potentiam obedientialem ad actus supernaturales, vt ipsorum instrumenta, habitus verò infusos esse causas principales, tamen nemo dixerit, quod istæ potentiæ nihil agant, sed sola gratia; nam in Trid. sess. 6. cap. 5. & can. 4. damnatur propositio hæretica, quod liberum arbitrium in iustificatione nihil agat, sed se habeat tanquam inanime, vt supra retulimus. Ergo quando Patres referunt in solum Deum productionem gratiæ, & non in Sacramenta, loquuntur de actione Physica, quam si ab ipsis manare putarent, non dicerent à solo Deo perfici gratiam, sicut neque dici potest ab ipso solo effici volitio.

Respondeo primò per instantiam, quia etiam de naturalibus effectis eodem modo loquuntur, & tamen certum est non excludi ab ipsis causas creatas, & earum concursum. Deinde in supernaturalibus plerumque solum Deum operatorem testantur, ad quæ tamen partem suam habere liberum arbitrium de fide est. Tertiò est ratio particularis de potentiis vitalibus, ne vsurpentur locutiones similes, quia actus vitales ita fiunt ab ipsis, vt postulent in eis recipi, ita vt non dicatur intelligere nisi potentia eliciens, ac recipiens intellectionem: quæ est doctrina Soarij, & communis, ideo non dicitur Deus intelligere, aut velle per actus hominis intelligentis, ac volentis, sed solùm producere illos vt causa prima cum secunda. At verò absolutè dicitur solus gratiam producere, quia in eam nihil potest creatura nisi eleuata virtute diuina.

Ad instantias initiò positas respondent auctores huius sententiæ, admittendo in quibusdam effectis causalitatem moralem, vbi Physica nequit intercedere, negant in omnibus vt infra.

Ad alteram de continentia gratiæ æquè facile ea explicatur per causalitatem Physicam, quæ magis propriè est causalitas, quàm per moralem, illa enim continere dicitur effectum, quia potest illum producere per realem, & immediatum influxum, qualis non est in causa morali, quæ propriè non dicitur influere in effectum, sed solùm mouere causam principalem ad influendum, & dandum esse.

Et hæc dicta volui ad confirmandam assertionem de potentiæ actiuæ obedientialis vniuersalitate, quę vt se etiam extendat ad Sacramenta, sufficit, quod eleuari possint. Cæterum an de facto eleuentur, non opportunè hoc loco disputarem, quia partem negatiuam sequor cum S. Bonau. in 4. distinct. 1. art. 1. quæst. 4. quæ nihil conducit ad explicationem, vel confirmationem potentiæ obedientialis actiuæ, & ideo sine digressione hîc attexi non potest.

Secundum corollarium.

CAPVT IX.

XVI. RAtio potentiæ obedientialis actiuæ conuenit non solùm causis Physicis, sed etiam moralibus effectuum supernaturalium.

Et quidem huiusmodi causas morales admittunt non solùm qui pro talibus reputant de facto Sacramenta, sed & qui Physicum illis concursum arrogant, quos supra recensuimus. Illi tamen quoniam nec nomen potentiæ obedientialis actiuæ æquanimiter ferunt, à causis etiam moralibus ablegant: isti verò consequenter ad sua principia, & vocem, & significatum vocis secundum quandam analogiam causis huiusmodi conuenire fateantur oportet, cum suo modo causent, & vim causandi non habeant, nisi eleuentur, quod est causare per potentiam obedientialem; pro explicatione autem suppono.

Primò tritam diuisionem causæ efficientis in Physicam, & moralem, ex Arist. 2. Physic. à tex. 31. numerante consultorem inter causas efficientes. Physica est, quæ per verum, & realem influxum attingit effectum, quæcumque illa sit corporalis, spiritualis: naturalis, supernaturalis: principalis, vel instrumentalis. Moralis aliquando dicitur latè solùm, quia liberè efficit, & distinguitur à Physica solùm necessariò agente, cum alioqui & ipsa liberè agendo agat

Causæ diuisio in Physicam & moralem efficientem.

&

& Physicè, atque ita denominatio moralis est à potestate agendi, vel non agendi tam in actu primo, quàm in actu secundo. Aliquando strictè vt distinguitur à Physica, & est illa, quæ per se verè non efficit: moraliter tamen ita se habet ad effectum, vt illi imputetur, quales sunt qui non impedit, cum tenetur impedire, qui inducit per consilium, vel per preces, vel per modum meriti, aut etiam per motum localem, vt cum quis applicat ignem domui, aut incitat canem in viatorem, est causa Physica motus, sed moralis combustionis, & morsus, quæ ipsi imputantur: de qua diuisione Soar. in Metaph. disp. 18. sect. 2. & alij recent. in 2. Phys.

Modus causandi moraliter conuenit causis intellectiuis. Suar.

Deinde suppono modum causandi moraliter non habere locum nisi in causa operante per intellectum, & voluntatem, vel in instrumento eius; siue suppleat vicem eius, siue aliter dicat habitudinem ad prædictas potentias, vt docet Suar. in 1. 2. disp. 1. de actu morali in communi sect. 3. n. 2. Sic seruus, qui offert pretium iussu domini ad redimendum captiuum, supplet vicem domini, & non dicitur ipse redemptor, sed Dominus: pecunia verò, siue fingrapha cõcurrit moraliter vt instrumentum redemptionis & in Sacramentis minister est causa moralis instrumentalis repræsentans personam, & actiones Christi principaliter sanctificantis, & Sacramẽta ipsa concurrunt vt instrumenta inanima complentia vnam causam totalem cum Ministro in sententia tribuente illis causalitatem solùm moralem, vt Vasq. disp. 135. c. 4. de Sacram. & quia in omni sententia certum est, nõ solùm ad naturales effectus Physicos concurrere posse causas morales, sed etiam ad supernaturales, quicquid sit de facto in Sacram. ideo quærimus, an ad illos concurrat per potentiã obedientialẽ, an per naturalem: cum enim omnis causa actu operans sit in actu primo potens operari, difficile est intellectu, qualis sit potentia ista in creatura, siquidem neq; est ipsa entitas Physica eius, nec aliquid reale intrinsecum superadditum per quod effectus, & actio tota sit à causa Physica, & ad illam pertineat quicquid superadditur siue principali causæ, siue instrumentali. Vasq.

Nihilominus iuxta dicta de mutatione morali, dicendum est creaturam de non potente causare moraliter fieri potentem ex hoc quod Deus per suum decretum statuit ipsam eleuare ad dignitatem, & virtutem causandi, quę dignitas nõ est aliquid intrinsecum superadditum creaturæ, sed est ipsa Physica entitas creaturæ, quatenus subsstat diuino decreto vtendi illa vt instrumento morali ad effectus supernaturales, quos ipse Physicè producit: id autem cum multis modis possit contingere, vnus sufficit in præsentia ad probandum quod in omnibus eluceat potentia obedientialis, quia eadem est de omnibus ratio. Iste est, si conferatur creaturæ, vt sit causa meritoria; vel impetratoria gratiæ, aut alterius effectus supernaturalis, siue illa sit principalis in hoc ordine, vt est humanitas Christi Domini, qui sua sanctissima passione nobis iustificationem meruit ex Trid. sess. 6. c. 7. siue instrumentalis, vt sunt Sacram. ex eodem ibid. quibus moralem tantùm concursũ tribuit S. Bon. Scot. Vasq. & alij variè illum explicantes, sed conuenientes in hoc quod Deus ad hanc dignitatẽ euexit Sacramenta noua supra vetera, vt contineant, & causent gratiam, quam significant, idque ex eius ordinatione, qualiscumque deinde sit causatio moralis, siue se habeat vt causa, vel cõditio sine qua non; quo modo quidam Nominales Gabr. & Maior. de facto putant concurrere Sacramenta, quibus moralẽ tantùm causalitatem tribuũt, vt aduertit Vasq. disp. 132. c. 12. & disp. 148. c. 3. siue per modum dispositionis necessariò secum ferentis gratiam, sicut gratia est dispositio ad gloriam, vt Scotus, siue per modum impetrationis illi non dissimili, qua sancti per tactum, & orationem miracula impetrant, quia scilicet minister Sacramenti, & Sacramentum ipsum integrant vnam causam impetratoriam, vt Vasq. siue quod magis etiam explicat causalitatem moralẽ per modum repræsentationis, ac æstimationis, quia nimirum administratio Sacramẽti per ministrum exhibita censetur esse actio Christi institutoris Sacramentorum, & ideo sit veluti valida deprecatio, cuius intuitu, & non solùm respectu promissionis infundit Deus gratiam, aut operatur alios effectus supernaturales: omnibus enim iis modis, & aliis possibilibus ad causandum moraliter, creatura eleuatur per potentiam obedientialem ad esse causæ in actu secundo. Nominal. Vasq. Scot.

Et probatur, quia ex se non habet hanc dignitatem, aut virtutem, neque illam exigit vt debitam naturę suę ergo ex solo diuino beneplacito. Antecedens est certum; sequela patet, quia non potest aliunde illam habere, quàm à diuina voluntate, & quod ab illa possit, extra controuersiam est, sicut enim potest Deus per suam voluntatem mutare rem ab vno statu morali ad alium, puta hominem ex priuato ad regium euehere, ex reo pœnarum liberum facere, ita potest ordinare creaturam in signum, & causam rei supernaturalis. Tunc autẽ vtitur sua potentia absoluta, cui respõdet in creatura potentia obedientialis.

Confirmatur, quia vt S. Th. 3. p. q. 66. a. 3. refert ex S. Aug. & Beda Christus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis, quæ virtus deriuata est ad omnem aquam, non propter continuitatem loci, sed propter similitudinem speciei, iuxta dictum eiusdem August. serm. in fer. 1. Domin. infra oct. Epiph. *Quæ de Saluatoris baptismate benedictio fluxit tanquam fluuius spiritalis, omnium gurgitum tractus, vniuersorum fontium venas implenit.* Hęc autem virtus, benedictio, sanctificatio, non est quid Physicum omnibus aquis impertitum, sed aliquid morale, quod S. Ambr. l. 2. in Luc. c. vlt. vocat ius baptismatis, metaphora ducta ex humanis, in quibus multipliciter vis acquiritur ad rem aliquam, vel actionem, tum verò ex promissione, pacto, & auctoritate illud conferre valentis. Quia igitur promisit Ecclesiæ conferre gratiam per Sacramenta, tanquam per instrumenta separata instituta ad hunc finem à Christo, à cuius humanitate vt instrumento coniuncto diuinitati deriuatur in illa virtus ex S. Th. 3. p. q. 62. a. 5. ideo materia, & forma Sacramentorum ab ipso delecta dicuntur acquisiuisse ius, ac virtutem sanctificandi, quæ est quid morale ex institutione proueniens indistinctum ab entitate Physica secundum intrinseca, & extrinseca inuoluens voluntatem Dei, & institutionem Christi Domini. S. Thom. S. Thom. S. August. Beda. Ambros.

Dixi tamen rationem potentiæ obedientialis conuenire huic morali virtuti analogicè, analo-

gia videlicet proportionis secundũ prius, & posterius, quia prius conuenit causalitati Physicæ, vt magis propriæ, sicut etiam ratio causæ efficientis prius dicitur de Physica, quàm de morali, vnde & diuerso modo participatur à causis Physicè concurrentibus, & à moraliter tantùm: nam illæ per verum, ac realem influxum effectum attingunt: istæ verò nequaquam, sed solùm habent, vt mouere possint causam principalem ad operandum, ex eo præcisè quòd ipsis collata est talis dignitas, seu potestas, vt earum intuitu operetur, cum alioqui ex seipsis non sint idonea ad hoc, neque vllam exigentiam habeant, vt præ cæteris eligantur. Iccirco potentia obedientialis eorum non solum est neutra, sed nulla positiuè, & solam non repugnantiam dicit ad hanc electionem, quæ tota pendet ab extrinseca voluntate Dei statuentis operari intuitu illius, & non adhibere ipsam in consortium suæ operationis Physicè, vt adhibere posset, si vellet ea vti vt instrumento Physico, in nostra sententia. Et quia mouere causam principalem ad operandum est modus causandi omnino diuersus ab eo quo creatura concurrit Physicè vt instrumentum principalis: ideo ratio potentiæ obedientialis est analoga pertinens ad analogiam proportionis, quia non est fundamentum concipiendi illam vt omnino eamdem in inferioribus, sicut est in animali verbi gratia, ob principium sentiendi commune speciebus, & ex alia parte non conueniunt ij duo modi in solo nomine, nam causæ moralis verè causat in suo genere, sicut & Physica in suo, & ideo non sunt æquiuoca hæc duo, quod sufficit in præsentia, ne disputationem Logicam aggrediamur.

QVÆSTIO VI.

PROPTER QVID SIT POTENTIA OBEDIENTIALIS.

RElqua erat quæstio ex initio propositis propter quid sit Potentia obedientialis actiua, quæ opportunè cadit in hunc locum, tanquam in internodium ipsius, & Potentiæ obedientialis passiuæ: sunt enim communia quæ ad hoc caput pertinent, vtriusque siue intrinsecè spectetur effectus supernaturalis, siue finis extrinsecus ad quem dirigitur à diuina voluntate.

Potest autem quæstio breuiter expediri vnico capite sequenti, & solutione argumentorum ipsi adiuncta pro altero capite.

Propter quid sit Potentia obedientialis.

CAPVT I.

I. *Potentia obedientialis incompletè sumpta finis est idẽ, ac entitatis Physicæ creaturæ cõpletè sũptæ; ille est, quẽ statuit Deus.*

II. *Operationes supernaturales ad quatuor capita reduci possunt.*

III. *Finis creaturæ omnis est gloria Dei potentia obedientialis in miraculis est excitatio ad cultum Dei.*

IV. *Finis eiusdẽ in Incarnatione est manifestatio attributorũ Dei, & salus humana.*

V. *Ad hoc mysterium reducuntur cætera miracula.*

VI. *Finis in miraculis sanctorum est fides in Christum, & salus credentium.*

VII. *Finis immediatus in vsu Sacram. & dispositione ad gratiam est sanctificatio animæ; mediatus manifestatio gloriæ diuinæ, & Christi Domini exaltatio.*

VIII. *Idque siue Physicè concurrant, siue tantùm moraliter per modũ impetrationis.*

SI considereturpotentia obedientialis actiua, & passiua secundum significatum in recto pro entitate creaturæ, finis eius est idem qui & creaturæ ipsius, à qua non distinguitur, quia vt sic remotè tantùm potentia est, nec meretur nomen potentiæ, nisi cum addito remotę, nec ordinatur ad actum, aut finem vllũ supernaturalem sibi debitum, vt naturalis potentia est; neque exigit concursum Dei ad illum. Si verò consideretur formaliter, & adæquatè, vt includit diuinam virtutem eleuantem, finis eius ille est, propter quem eleuatur, quemq; sibi præfinit Deus, creatura vtens in operationibus supernaturalibus, siue illæ ordinariæ sint, & frequentes, vt in iustificatione peccatoris, & vsu Sacramentorum contingit; siue extraordinariæ; & rarę, vt in ijs, quę propriè dicuntur miracula, id est quæ non solùm sunt ardua, & supra virtutem naturæ, sed etiam insolita, vt S. Th. 1. p. q. 105. a. 7. 1. & 1. 2. q. 113. a. 10. c. Vt autem intelligatur quis earũ sit finis ex supradictis, huiusmodi operationes ad quatuor capita reduci possunt; primum continet mirabilia, quæ per creaturas irrationales, & in ipsis facta narrantur in vtroq; testamento. Secundò quæ pertinent ad mysterium Incarnationis. Tertiò, quæ per sanctos suos operatur Deus. Quartò, quæ contingunt in iustificatione, & gratiæ infusione per Sacramenta, & dispositionem ex actibus propriis Dei auxilio elicitis. In quibus omnibus finis propter

S. Thom.

Ad 4. capit possunt reduci operationes supernaturales

quē Deus vtitur creatura vt inſtrumento effectuum ſupernaturalium, ille eſt, quē nobis indicant ſcriptura, & Patres, cū pendeat à voluntate libera vtentis citra vllam exigentiam creaturæ.

Quoad primum igitur aſſero vſum huiuſmodi creaturæ ordinari ad eum finem, ad quem & creaturæ omnes in vniuerſum, de quo Sanctus
S. Thom. Thom. quæſt. 23. Ver. artic. 1. 3. *Propter hoc*, inquit, *Deus creaturas vult eſſe, vt in eis ſua bonitas manifeſtetur, & vt ſua bonitas, quæ per eſſentiam multiplicari non poteſt, ſaltem ſimilitudinis participatione in plures effundatur.* Idque repetit artic. 4. ex Sancto Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 32. Quod explicans
S. Bonau. Sanct. Bonauentura in 2. diſtinct. 1. artic. 1. q. 1. *Dicendum*, ait, *quod finis conditionis rei, ſine rerum conditarum principalior eſt Dei gloria, ſiue bonitas, quam creaturæ vtilitas: ſicut enim patet* Prou. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, ſed non propter ſuam vtilitatem, vel indigentiam, quia ait* Pſalm. *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges: ergo propter ſui gloriam, non inquam, propter gloriam augendam, ſed propter gloriam manifeſtandam, & propter gloriam ſuam communicandam: in cuius manifeſtatione, & participatione attenditur ſumma vtilitas creaturæ, videlicet eius glorificatio, & beatificatio, &c.*

Deinde magis in particulari ordinat Deus vſum potentiæ obedientialis in miraculis elucentis ad ſuum cultum commendandum, excitando per hæc torpentes animos ad cognitionē ſuæ potentiæ, ac ſapientię, quam prædicat mundus totus, & partes eius. Sed quia miracula viſibilium naturarum aſſiduitate viluerunt, ideo
S. Auguſt. Deus, qui fecit viſibilia cœlum, & terram, non dedignatur, ait S. Auguſt. lib. 10. Ciu. cap. 12. *facere viſibilia miracula in cœlo, vel in terra, quibus ad ſe inuiſibilem colendum excitet animam adhuc viſibilibus deditam, &c.* Numerauerat autem ex vetere ſcriptura non pauca cap. 8. concludens facta eſſe ad commendandum vnius veri Dei cultum: & tract. 8. in Euang. Ioan. t. 9. *Sed quia homines*, ait, *in aliud intenti perdiderunt conſiderationem operum Dei, in qua darent laudem quotidie creatori, tanquam ſeruauit ſibi Deus, inuſitata quædam quæ faceret, vt tanquam dormientes homines ad ſe colendum mirabilibus excitaret.*

Quoad ſecundum ſcripturā & Sancti Patres ipſius myſterij Incarnationis, cuius tota ratio
S. Auguſt. facti eſt potentia facientis, ex Auguſt. ep. 3. duos aſſerunt eſſe fines, qui ſunt manifeſtatio diuinæ potentiæ ſapientiæ, ac bonitatis, & vtilitas hominis Primum reſonat canticum B. Virginis inuiſentis Eliſabetham: *Fecit potentiam in brachio ſuo; Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.* Potentiam exaltat in
Theophil. opere conceptionis, vt Theophil. ibi, idque conformiter ad verba præcedentia, *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*, quia vt Auguſt. in expoſitione huius Cantic. t. 9. *Magnum fuit, vt virgo ſine ſemine virili filium conciperet: magnum fuit, vt Dei Patris verbum carne ſua indutum vtero geſtaret.* Et mox *Et ideo dixit magna, quia myſterium Incarnationis Verbi ſuper omnia conſtat eſſe ineffabile, &c.* & propterea ad illud complendum fecit Deus potentiam miſericordiæ adiunctam, & pro inſtrumento aſſumpſit ad cooperandum, & non ſolùm recipiendum ipſam Virginem Beatam.

Hunc finem eundem declarat S. Bonau. in
S. Bonau. comp. Theol. Ver. de Chriſti humanitate, lib. 4. c. 6. *Congruebat iſte modus reparatori, quem decebat ſuam potentiam, ſapientiam, & bonitatem oſtendere: quid autem potentius, quam coniungere extrema ſummè diſtantia, hoc eſt creatorem, & creaturam? magna potentia fuit in coniunctione diſparium elementorum, maior in coniunctione illorum ad ſpiritum creatum, maxima in coniunctione illorum omnium ad ſpiritum increatum, vbi & maxima diſparitas eſt. Quid verò ſapientius, quàm quod ad perfectionem totius vniuerſi fieret coniunctio primi, & vltimi, hoc eſt Verbi Dei, quod eſt omnium principium, & humanæ creaturæ, quæ in operibus ſex dierum fuit vltima omnium creaturarum; quid autem benenolentius, &c.*

Hæc eadem pæne verba refert Suar. t. 1. in 3.
Suar. p. diſp. 3. ſect. 3. ex D. Th. opuſc. 60. de humanitate Chriſti, ſed errorem repſiſſe putarim in textum ab amanuenſe, vel prælo, quia non inueni apud S. Th. eo loco, ſed bene apud S. Bonau. vt recitaui, & eſt doctrina S. Aug. pluribus locis, præſertim epiſt. 3. cit. & aliorum Sanctorum Patrum, quos ibidem citat Soar.

Alter finis principaliter intentus in hoc myſterio eſt reparatio, & ſalus humani generis:
S. Auguſt. Sic S. Aug. lib. 1. de peccat. merit. & remiſ. c. 26. *Commodius eſſe arbitror acernatim cogere quæ occurrere potuerint, vel quæ ſufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe, ac forma ſerui accepta factum obedientem vſque ad mortem crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordiſſima gratia omnibus tamquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum regnum cœlorum viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret,* Quod idem diſertè aſſerunt alij Sancti Patres relati à recent. præſertim à Vaſq. in q. 1. 3. p. S.
Vaſq. Thomæ c. 4. & 5. eo quod paſſim ſcriptura hanc cauſam aſſignet Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et ſimilia multa. Siue deinde hæc fuerit cauſa totalis Incarnationis, ſiue non, de quo Theologorum variæ ſunt ſententiæ in 3. ſent. & 3. part. & quia inſtrumentorum idem eſt finis. ac cauſa principalis, ideo & Potentiæ obedientialis in hoc myſterio exercitæ reparatio, & ſalus humani generis propoſita eſt ab exercente ipſam Deo. In quo rurſus conſiderandum, quòd quemadmodum Deus dicitur A, & O, quia eſt principium, & finis rerum omnium: ita Incarnatio, ſeu myſterium Incarnationis eſt principium, & finis omnium miraculorum, quia ex meritis Chriſti facta ſunt miracula omnia, & ad ipſum omnia ordinantur, tam quæ olim ante aduentum eius, quàm quæ poſt illum ſunt peracta: cuius rationem reddit S. Thom. de
Ioan. 3. Potent. quæſt. 6. artic. 2. 9. *Incarnatio*, inquit, *verbi eſt miraculum miraculorum, vt ſanctis dictis, quia eſt maius omnibus miraculis, & ad iſtud miraculum omnia alia ordinantur, & propter hoc non ſolùm eſt inducens ad alia credenda, ſed etiam alia miracula inducunt ad hoc quod ipſum credatur; nihil enim prohibet vnum miraculum inducere ad fidem alterius, ſicut reſuſcitatio*

S. Auguſt. *Lazari inducet ad futuram reſurrectionem credendum.* Et S. Auguſt. lib. 22. Ciu. cap. 5. *ex vno incredibili quod credidit mundus, alia quæ dicunt incredibilia infideles credẽda eſſe demonſtrat.*

Quinimo & ipſe Chriſtus Dominus ad hunc finem miracula dirigebat, vt ſe hominem Deum probaret. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis, & credatis, quia Pater* Ioan. 10. *in me eſt, & ego in Patre.* Ioan. 10. & cap. 14. S. Thom. *Alioqui propter opera ipſa credite.* Vnde S. Th. 3. p. quæſt. 43. art. 1. c. *Vtrumque*, ait, *circa Chriſtum erat hominibus manifeſtandum, ſcilicet quòd Deus eſſet in eo per gratiam non adoptionis, ſed vnionis, & quod eius ſupernaturalis doctrina eſſet à Deo, & ideo conuenientiſſimum fuit, vt miracula faceret, &c.* Et quia vt Deus poterat ſine medio humanitatis facere, ad probandum, quod illa vteretur vt inſtrumento, affert quæ eſt ſequenti a. 3. 2. auctoritates Patrum, Cyrilli in primis, qui ad illa verba Luc. 4. ſingulis manus imponens curabat omnes, ait, *Quamuis Deus potuiſſet verbo omnes pellere morbos, tangit tamen omnes, oſtendens propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia, &c.* Quæ efficacitas obedientialis eſt, & ſpeciali modo conueniens Chriſti Domini humanitati propter vnionem ad Verbum. Cum autem finis diuidatur in finem cuius gratia, id eſt, cuius adipiſcendi gratia mouetur agens, vt eſt ſanitas: & finem cui, in cuius commodum aliquid fit, vt Suar. Suar. in Metaph. diſp. 23. ſect. 1. & alij ex Ariſtotele 2. de anima c. 4. In propoſito finis cuius, potentiæ obedientialis eſt ipſa operatio miraculi, verbi gratia reſtitutio ſanitatis, viſus, vitæ, &c. Finis cui eſt perſona, cui reſtituitur, ſed minus principaliter: nam primariò, & principaliter eſt Chriſtus Dominus, in cuius gloriam cedunt miracula, & omnia opera ſupernaturalia ad iuſtificationem pertinentia, vnde in Trid. Trident. ſeſſ. 6. c. 5. dicitur cauſa finalis noſtræ iuſtificationis eſſe Deus, & Chriſtus: ſuppoſito enim decreto Incarnationis, *Chriſtum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*, Eph. 1. Et ab ipſo procedunt dona in Eccleſiam militantem, ac triumphantem, gratia videlicet omnis ſanctificans, & gratis data, virtutes, habitus infuſi, & gloria, & omnia tandem in ipſius honorem, & exaltationem, immo omnia abſolutè ad ipſius gloriam conditæ ſunt, iuxta illud Colloſſ. 1. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt*, Græcè in ipſo εἰς αὐτὸν, id eſt in ipſum, id eſt ad ipſius gloriã, vt interpretes ibi, præſertim Corn. à Lap.

Quoad tertium. Potentiam obedientialem exercuere ſancti Dei in operatione miraculorum, quia non ſolum moraliter per orationem, & impetrationem, ſed aliquando etiam Phyſicè ad illa concurrerunt, vt ſupra diximus, & finis eorum fuit idem qui & prædicationis, nimirum fides in Chriſtum, & ſalus credentium, iuxta illud Marc. vlt. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et S. Paul. Hæbr. 2. *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt conteſtante Deo ſignis, & portentis.* Vnde S. Auguſt. S. Auguſt. in quæſt. ex nouo Teſtamento cap. 63. tom. 4. ait, *Signa, & virtutes iccirco ab Apoſtolis facta ſunt, vt infidelitas cogeretur ad fidem, vt videntes facta, quæ hominibus impoſſibilia ſunt, Deo ex hoc eſſe prædicationem agnoſcerent, & rationem eſſe in fide virtute probarem.*

Nec miracula iſta in noſtra tempora durare permiſſa ſunt (ait idem Auguſt. lib. 1. retract. cap. 13.) *Ne anima ſemper viſibilia quæreret, vt eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit*, & mox. *Sed non ſic accipiendum eſt quod dixi, vt nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur; nam ego ipſe, quando ipſum ipſum librum ſcripſi ad Mediolanenſium corpora Martyrum, in eadem Ciuitate caecum illuminatum fuiſſe tam noueram; & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoſcere, nec ea, quæ cognoſcimus, enumerare poſſimus.*

Quod & nos vſurpare poſſumus de miraculis, quæ Deus nouiſſimis hiſce temporibus operari dignatus eſt per ſanctiſſimos ſeruos ſuos Epiſcopos, Martyres, Confeſſores, vel ad fidem ſuam diſſeminandam in incultis Indorum, & aliorum infidelium campis, vel ad eam inflammandam in languentibus fidelium cordibus; & hæc propter merita, & ad gloriam dilecti filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Deus benedictus in ſæcula.

Quoad quartum. Si Sacramenta nouæ legis concurrerent vt inſtrumenta Phyſica ad effectus ſupernaturales, per potentiam obedientialem concurrerent, & propter eumdem finem, quem Chriſtus Dominus intendit in ipſorum inſtitutione, & vſu, qui eſt iuſtificatio hominis illa ſumentis; ſin ſecus concurrunt ſolùm moraliter, vt Doctor Seraph. Scot. Vaſq. & alij exiſtimant, quia etiam in ipſis locum habet potentia obedientialis actiua, vt ſupra oſtendimus, & gratia, ac character per ipſa producta recipiuntur in anima, ſecundum potentiam obedientialem paſſiuam vtriuſque finis: immediatus eſt eadem ſanctificatio animæ: mediatus verò manifeſtatio diuinæ gloriæ, & exaltationis Chriſti Domini, ad quam ordinatur iuxta doctrinam Tridentini ſeſſ. 6. cap. 7. vniuerſaliter hoc aſſerentis de omni iuſtificatione ad quam diſponitur homo. *Huius*, inquit, *iuſtificationis cauſæ ſunt finalis quidem gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna, efficiens verò miſericors Deus, qui gratuito abluit, & ſanctificat, &c.* Præter alios fines particulares, ad quos ſingula Sacramenta ſunt inſtituta. Sed in particulari apparet vterque iſte finis, poſito quod concurrant vt inſtrumenta moralia, ex modo concurrendi ipſorum, qui cum variè explicetur in materia Sacramentorum à negantibus eorum concurſum Phyſicum, vt videre eſt apud Vaſq. diſp. 132. & Soar. diſp. 9. de Sacram. breuiter tamen quantum patitur inſtituta quæſtio præter alios modos poſſibiles de facto in eo conſiſtere dici poteſt, quod ſint ſigna applicatiua paſſionis, ac meritorum Chriſti, id eſt quorum intuitu, quia ſunt rememoratiua paſſionis Chriſti, ſtatuit Deus conferre gratiam, ita vt non ſolùm quia promittit illam ritè obeuntibus, ſed quia ipſa euexit ad hanc dignitatem, vt ſint rememoratiua eorum, quæ paſſus eſt dilectiſſimus eius filius, dedit etiam hanc vim, vt fungi poſſint vice validiſſimæ deprecationis ad impetrandam gratiam, quæ negari non poteſt. Chriſto paſſo, & offerenti per ſuos miniſtros

Digitized by Google

sua merita, quin & exercenti per eosdem actiones sacramentales: quo sensu dixit S. Augustin. tract. 6. in Ioan. *Petrus baptizet, hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat.* Et S. Ambros. lib. de myst. init. cap. 9. *Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum*, & loquitur de Eucharistia, quæ conficitur à Sacerdotibus, qui loquuntur, dum proferunt verba consecrationis, in persona Christi; quam conditionem, ac dignitatem non habebant Sacramenta vetera, & ideo non erant causæ, sed signa solummodo gratiæ, quæ fidei illa vsurpantis dabatur, licet essent significatiuæ Sacramentorum nouæ legis, & passionis futuræ, vt S. Thom. 3. p. quæst. 62. a. 6. Est autem hæc repræsentatio actionum Christi vniuersalis in omnibus ministeriis Sacerdotum propriis, quibus propriè conuenit esse Christi ministros, & proinde multo magis in administratione Sacramentorum, quæ ipse instituit, & signa esse voluit rememoratiua suæ passionis, & causas gratiæ. Sic S. Ignat. ep. ad Smyrn. *Ego autem video,* S. Ignat. *honora Deum vt auctorem omnium, ac Dominum; Episcopum verò vt Pontificem imaginem gerentem, quatenus imperat, Dei, quatenus Sacerdotalia exercet, Christi, qui nimirum est Sacerdos in æternum, quia viuens ipse in æternum sacrificium quotidie offert per manus ministrorum sibi inuicem in Ecclesia succedentium*, vt Bellarm. in Psalm. 109. & alij apud Longinum ibid. Bellarm.

Gloria igitur Christi non solùm in Sacramento Eucharistiæ, sed & in omnibus aliis Sacramentis est, quod vilia elementa per merita passionis eius eleuentur ad causandam gratiam, quatenus intuitu eorum vt repræsentantium actiones illius in persona ministroque Deus vt causa efficiens principalis, Christus vt meritoria causat gratiam, & confert gloriam electis, de quo plura in quæstione particulari, ac propria de causalitate Sacramentorum.

DISPVTATIO II.

DE POTENTIA OBEDIENTIALI PASSIVA.

QVæ dicta sunt de Potentia obedientiali Actiua maxime inseruiunt Passiuæ, quæ illi respondet: sed quia præterea multæ in ipsam cadunt difficultates minime cum actiua communes; ideo peculiares de illa quæstiones instituendæ sunt, attinentes quidem ad vulgata illa capita An sit; Quid sit: Qualis sit; sed egentes nihilominus suis subdiuisionibus hoc ordine digerendis.

I. Quæstio An sit admittenda Potentia Passiua obedientialis.
II. Quid sit Potentia Passiua obedientialis.
III. Qualis sit Potentia Passiua obedientialis.
IV. An in particulari Potentia Passiua creaturæ rationalis sit supernaturalis respectu donorum supernaturalium.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit admittenda Potentia obedientialis Passiua.

CAPVT I.

Assertio est affirmatiua.

1. QVam nullus est Theologorum, qui sub terminis vniuersalibus negare possit; quoniam certum de fide est, creaturam subiacere liberæ dispositioni Dei circa supernaturalia, quæ in illa operatur tam de lege ordinaria in Sacramentorum administratione, & iustificatione peccatorum, quàm de extraordinaria, vt in mortuorum suscitatione, ægrotum sanatione, & similibus miraculorum generibus, quæ in hanc vsque diem Dominus operatur ad fidei commendationem, & suæ potentiæ ostensionem.

Probatio petenda ex iisdem capitibus, quibus supra monstrauimus dari Actiuam; illa sunt Scriptura, Patres, Scholasticorum testimonia, & Rationes. Cum enim Potentię omni

Digitized by Google

Actiuæ reſpondeat Paſſiua proportionata, quæcumque inſeruiunt probationi primæ, & inſeruire ſecundæ oportet; vt propterea ſuperuacanei ſtudij ſit auctoritates ibi allatas repetere, quas de potentia paſſiua nemo non interpretatur; plures de Actiua, quibus adhæſimus.

S. Auguſt. Quibus addi poteſt celebre dictum de Prædeſt. Sacramentorum lib. 1. cap. 8. *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere caritatem natura eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem gratia eſt fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem; ipſa verò fides diſcernit ab infideli fidelem, &c:* Hîc apertè eſt ſermo de Paſſiua: ſiue per fidem intelligas habitum, qui recipitur, & afficit potentiam: ſiue actum intellectus, quoniam & ad hunc opus eſt eleuatione, & ſubiectione eius ad Deum eleuantem, in quo eſt potentia quædam paſſiua. Hoc idem indicat ratio huius capacitatis allata ab eodem S. Auguſtino lib. 18. Trin. S. Auguſt. cap. 7. *Eo ipſo*, inquit, *imago eius eſt, quo capax eius eſt, eiuſque particeps eſſe poteſt: quod tam magnum bonum, niſi per hoc quod imago eius eſt, intelligi non poteſt, &c.* Eſſe autem animam capacem Dei, & donorum gratiæ dicit aptitudinem ad illa recipienda, quæ potentia paſſiua eſt; & ad operandum adiutorio illorum, quæ eſt Actiua ſimul, & Paſſiua, quatenus recipit actus ſupernaturales, quos immanenter elicit.

Ioan. 1. Quo ſenſu dicitur Ioan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, per gratiam videlicet, cuius receptione redditur homo diuinę conſors naturę, 1. Pet. 2. & hæres fit gloriæ æternæ, in qua & lumen, & viſio, & fruitio recipiuntur in anima per potentiam obedientialem. Recole ſuperius dicta ex lib. 2. & 3. de Trin. ex lib. 6. & 9. Gen. ad lit. præſertim cap. 17.

Secundò probatur aſſertio auctoritate Scholaſticorum.

SAncti Bonauenturæ in primis loc. cit. ſupra pro potentia obedientiali actiua, & præt. in 1. diſt. 42. a. vn. quæſt. 4. in reſol. cum diſtinxiſſet potentiam in actiuam, quæ eſt principium tranſmutandi aliud, & paſſiuam, quæ eſt principium tranſmutandi ab alio; hanc rurſus ſubdiuidit in propinquam actus, qualis eſt in ligno ad combuſtionem; & in remotam ab actu, quæ poteſt ad illum reduci, ſecundùm cauſas ſuperiores: & eſt potentia ſecundùm quid, dicturque Potentia obedientiæ, de qua dicit Auguſt. quod in coſta erat non vnde fieret mulier, ſed vnde fieri poſſet.

Iuxta quod in 2. diſt. 18. art. 1. quæſt. 2. Euam formatam aiti ex coſta Adæ, quæ habuit potentiam obedientiæ ad hoc, ſicut & quando multiplicati ſunt panes: & in reſponſione ad ſecundum docet ex naturali origine competere creaturæ, vt ex ea producat Deus omne quod vult: quia opus reſpectu ſui artificis habet in ſe potentiam perfectæ obedientiæ, cum per omnia ſubiaceat eius voluntati.

In 3. diſtinct. 10. a. 1. quæſt. 1. ad vlt. corpus Chriſti idoneitatem habet, vt ſit in pluribus locis: hæc idoneitas eſt potentia obedientialis paſſiua, ſicut & mutabilitas panis in corpus Chriſti.

Et huc pertinent quæ habet de Sacramento Euchariſtiæ eadem diſt. & de reſurrectione mortuorum diſtinct. 43.

S. Thomas.

LOcis item ſupra citatis pro potentia obedientiali Actiua: & præterea 1. p. q. 115. a. 2. 4. cum dixiſſet, non fieri miracula, præter rationes ideales, ſubdit; *Similiter etiam neque præter virtutes paſſiuas creaturæ inditas, vt ex ea fieri poſſit quicquid Deus mandauerit, &c.*

Et 3. p. q. 11. *In anima humana ſicut in qualibet creatura conſideratur duplex potentia paſſiua: vna quidem per comparationem ad agens naturale, alia verò per comparationem ad agens primum, quod poteſt quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: & hæc conſueuit vocari potentia obedientiæ in creatura, &c.* vbi non ſolùm agit de potentia obedientiali communi agenti, & patienti, ſed etiam in particulari de potentia paſſiua, & de actiua, vt indicat exemplum potentiæ animæ Chriſti, quæ fuit reducta in actum ſecundùm ſcientiam diuinitus inditam: quia nimirum per eam cognouit, ſcilicet per potentiam actiuam, & recipit habitum, & actum per paſſiuam, quicquid aliqui recentiores de potentia obedientiali in communi interpretentur.

In 1. diſt. 42. quæſt. 2. a. 2. 4. *Deus materiæ primæ indidit rationes obedientiales, per quas omnes res aptæ ſunt obedire Deo, vt fiat ex eis quicquid Deo placuerit*; & diſt. 18. q. 1. a. 2. cap. rationem obedientialem definit eſſe potentiam, quæ rebus indita eſt ad ſuſcipiendum illud in ſe quod voluntas Dei diſponit. Nec in re manifeſta opus eſt plura loca congerere, quibus S. Doctor ſæpe meminit huius.

Quibus inhæret Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 31. Soar. ſect. 6. & tom. 3. vbi de Sacramentis paſſim, & argumento ſumpto ab ipſa, quam concedunt omnes, probat dari actiuam, quam multi negant, vt ſupra vidimus.

Conueniunt reliqui Scholaſtici, quos citat, etiam qui actiuæ ſunt infenſi, quia paſſiua non fert ſecum incommoda, quæ actiuæ obiiciunt, & ſcripturæ, ac Patrum auctoritas apertè pro illa ſunt. Et de Scoto manifeſtum eſt ex iis quæ Scot. habet in 3. d. 1. q. 5. vbi illam admittit in natura humana ad recipiendam vnionem hypoſtaticam. Et Scotiſtæ eam concedentes ſolùm diſputant, an ad naturalem, vel neutram ſit reducenda, de quo infra agendum eſt.

Tertiò certum eſt ex Trid. ſeſſ. 6. c. 7. de Iuſtificatione, quòd charitas Dei diffunditur in Trident. cordibus eorum, qui iuſtificantur, & ipſis inhæret; ſubiectum igitur caritatis, ſicut & fidei, ac ſpei eſt aptum illas recipere, quæ aptitudo dicitur potentia paſſiua, cui reſpondet agens ſupernaturale diuerſæ rationis ab illa, cui reſpondet naturale, formaliter loquendo; & vocatur obedientialis, quia & actiua illi reſpondens obedientialis eſt.

Item certum eſt igne inferni torqueri ſpiritus; *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius* Mat. 25. quomodocumque enim fiat hæc paſſio, à corporali creatura in ſpirituali, per potentiam obedientialem fit, & recipitur; vnde dupliciter

Digitized by Google

pati dicitur primò communiter per receptionem cruciatus: quomodo omnis receptio, paſſio quædam eſt: deinde propriè quia receptio huiuſmodi tormentum eſt, ac pœna ab igne proueniens, & vtroque modo potentia obedientialis eſt.

Confirmat hoc idem cætera opera ſupernaturalia, quæ in vtroque teſtamento vetere, ac nouo non pauca recenſentur; in illis quippe omnibus exercet Deus omnipotentiam ſuam diuerſo modo ab illo, quem ſeruat exhibendo ſuum ordinarium concurſum creaturis debitum; quia ſupernaturalis operatio ſimpliciter non eſt creaturæ debita; & ideo licet non ſit in illa exigentia concurſus diuini ſupernaturalis, eſt tamen aptitudo ad illum ſuſcipiendum quomodocumque de ipſa Deus diſponere velit, mutando, addendo, detrahendo, &c. & ratio

Quartò eſt eadem, quam ſupra ex ſcriptura, & SS. Patribus attulimus, plenum videlicet dominium Dei, & ipſi reſpondens omnimoda ſubiectio creaturæ ratione cuius & facere, & pati poteſt quicquid ille voluerit, qui omnia poſſibilia ſolus poteſt, &c. Atque adeo non ſolum potentiæ vitales participant hanc aptitudinem immutationis à Deo per receptionem habituum, & actuum ſupernaturalium; ſed & omnes creaturæ idoneæ ſunt, vt per potentiam obedientialem ab ipſo patiantur, & immutentur ſupernaturaliter.

Reſpondetur argumentis.

CAPVT II.

11. OBijcies primò, quia potentia obedientialis eſt incompleta, & vt talis compleri debet extrinſecè per eleuationem, vt ſupra diximus de actiua; ideo enim ſic appellatur, quia cum de ſe nihil poſſit in effectum ſupernaturalem, propter ſubiectionem ad creatorem, poteſt ab ipſo compleri, & reduci ad actum; hinc autem ſequitur potentiam paſſiuam receptiuam donorum ſupernaturalium non eſſe obedientialem, quia ſine vlteriori complemento de ſe apta eſt creatura recipere, & pati quod Deus vult. Patet ſequela, quia ſermo ſit de mutatione in genere, poteſt Deus creaturam & annihilare, & conuertere in aliam, abſque eo quod illam compleat; ſufficit enim ad annihilationem ſubtractio concurſus, & ad conuerſionem imperium ipſius. ſi verò de receptione qualitatum ſupernaturalium, ad aliquam tandem deuiendum eſt, quæ ſeipſa immediatè recipiatur: & proinde reſpectu illius potentia paſſiua nullo indiget, vt ſit ſubiectum illius.

Confirmatur, per decretum Dei redditur potentia obedientialis actiua proximè potens, quia per illud intelligitur applicari omnipotentia creaturæ, & ipſi adſiſtere: & cum contineat infinitam virtutem agendi, poteſt ſupplere omnem actiuitatem à creatura prouenientem; at verò non eſt hoc poſſibile in genere cauſæ materialis, quia illam Deus ſupplere per ſeipſum non poteſt; ſicut neque cauſalitatem formæ; licet poſſit effectiuè conſeruare ſine ſubiecto ſupernaturaliter quæ poſtulant naturaliter eſſe in illo, vt patet in accidentibus ſacramentalibus.

Confirmatur ſecundò in particulari de potentia paſſiua animæ humanæ; ex eo enim ſuſceptiua eſt, & capax donorum ſupernaturalium, quod eſt imago Dei, vt ſupra ex Auguſtino, ergo non per virtutem obedientialem, ſed ex ſua natura eſt ſuſceptiua.

Reſpondeo ad argumentum, nego ſequelam; ad probationem dico, illam eſſe potentiam remotam, quæ vt fiat proxima, requiritur decretum Dei de concurrendo ad effectum ſupernaturalem, vel media creatura, tanquam inſtrumento, vel per ſuam omnipotentiam ſine medio. Conſideratur enim dupliciter creatura, vel abſolutè vt entitas quædam eſt: vel reſpectiuè vt potentia eſt cum ordine ad actum; primo modo non meretur nomen potentiæ, niſi cum adddito remotæ, vt de actiua dicebamus. Secundo modo dicitur potentia formaliter, ſed includit in ſuo conceptu actiuã, cui reſpondet, atque adeo completur in ratione potentiæ proximæ per extrinſecum connotatum potentiæ ſupernaturalis, ſine qua eſt impoſſibilis actus, vel mutatio ſupernaturalis, quemadmodum cœna in ratione cœnæ completur per tempus veſpertinum: quia eadem numero comeſtio alio tempore cœna non eſt: & hoc ſiue recipiat aliquid ſupernaturale creatura, ſiue aliter mutetur. Itaque potentia paſſiua vtrouis modo ſine tali connotato non eſt formaliter potentia, ſed ſolum materialiter, ſeu radicaliter.

Potentia obedientialis paſſiua formaliter connotat actiuam.

Ad primam confirmationem, diuerſo modo completur potentia actiua, & paſſiua, ſed vtraque tamen per decretum applicatiuum omnipotentiæ, & concurrendi ſupernaturaliter: hoc enim poſito eſt ſufficiens conſtitutiuum extrinſecum potentiæ paſſiuæ formaliter, & eo ablato non eſt potentia niſi materialiter; neque hîc ſupplet Deus cauſalitatem materialem, ſed potius formalem extrinſecam, quatenus ponit aliquid, ſine quo eadem res non haberet formaliter rationem potentiæ, ſicut nec comeſtio rationem cœnæ ſine tempore veſpertino: quia potentia paſſiua formaliter reſpondet actiuæ ſupernaturali: & hæc non eſt ſine decreto completa.

Ad ſecundam ex eo quod anima rationalis eſt imago Dei, ſequitur, quod illi magis ſit proportionata receptio gratiæ, & donorum eius, quàm ſi poneretur in alia creatura; non autem quod ſit potentia paſſiua formaliter, & proximè abſque connotato omnipotentiæ diuinæ applicatæ per decretum concurrendi ad actus ſupernaturales; ſed de capacitate iſta pluribus inferius agendum eſt.

Argumentum ſecundum

ESt, quia præciſo decreto, poſſibilis eſt paſſio ſupernaturalis, ergo & ſubiectum, ſeu potentia paſſiua illi reſpondens, quæ non eſt naturalis: quia huic reſpondet ſolum paſſio naturalis; non igitur conſtituitur in eſſe potentiæ paſſiuæ vt ſic per virtutem actiuam ſupernaturalem, ſed potius illi ſupponitur; valet enim, ideo potentia ſupernaturalis poteſt cauſare paſſionem ſupernaturalem, quia hæc eſt poſſibilis, & non vice verſa; igitur potentia hæc non conſti-

tuitur in eſſe potentiæ formaliter per aliquid extrinſecum.

Confirmatur, quia in vniuerſum ideo Deus dicitur poſſe condere creaturas, quia iſtæ ſunt poſſibiles, & non vice verſa ex S. Thoma 1. p. q. 25. a. 3. probante ideo Deum dici omnipotentem, quia nihil eſt poſſibile, quod non cadat ſub eius potentiam.

Confirmatur ſecundò, quia gratia in particulari, & eius dona exigunt eſſe in creatura rationali, ergo ſupponunt in illa potentiam receptiuam diſtinctam à qualibet alia per hoc præcisè quod talis natura eſt, & non per potentiam actiuam extrinſecam.

Confirmatur tertiò, quia alioqui haberet potentia paſſiua neceſſariam connexionem includentem ordinem tranſcendentalem ad potentiam actiuam ſupernaturalem. Patet conſequentia, quia omne perfectibile vt ſic habet connexionem, & ordinem ad ſuum perfectiuum. Falſitas conſequentis patet, quia poſita connexione, & ordine ſequitur exigentia potentiæ paſſiuæ, vt perficiatur ab actiua per paſſionem ſupernaturalem: quod eſt contra rationem potentiæ obedientialis, vt patet ex dictis.

Reſpondeo ad argumentum primò per inſtantiam potentiæ actiuæ obedientialis; eſt enim verum dicere, effectus ſupernaturalis eſt poſſibilis in ſe, & ideo datur potentia obedientialis actiua illius, quia eſt poſſibilis, & non vice verſa; & tamen iſta completur per decretum applicans omnipotentiã, & illo præciſo non eſt potentia obedientialis completa in ratione potentiæ actiuæ. Secundò reſpondeo directè, potentiam paſſiuam conſiderari poſſe & metaphyſicè, & phyſicè. Primo modo dicit rationes terminorum abſtractorum, & inter ſe connexorum, deſumptas ex potentijs, & obiectis phyſicis: ſicut animalitas, & rationalitas deſumuntur ex varijs partibus, & potẽtijs, quibus conſtat homo, & hoc modo potentia paſſiua obedientialis conſtituitur per paſſionem poſſibilem; & iſti ſunt termini connexi ex ſeipſis, & non per decretum. Secundo modo dicit entitatem creaturæ in recto, & connotat potentiam actiuam in obliquo, à qua conſtituitur in eſſe potentiæ formaliter, vt ſupra.

Potentia paſſiua poteſt conſiderari phyſicè, & metaphyſicè.

Ad primam confirmationem. Illa eſt potentia metaphyſica, ſiue etiam logica, quatenus argumentum tenet ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam; phyſicè autem ideo potentia paſſiua eſt completa, & habet rationem potentiæ formaliter, quia Deus decreuit illam ſupernaturaliter immutare.

Ad ſecundam, gratia, & dona eius ſupponunt capacitatem creaturæ rationalis magis ſibi proportionatam, quàm cæterarum creaturarum, ſed non completam in ratione potentiæ paſſiuæ, niſi per potentiam ſupernaturalem phyſicè loquendo.

Ad tertiam, nego ſequelam, ſi ſermo ſit de potentia paſſiua obedientiali in genere. Ad probationem, nego aſſumptum, quod omne perfectibile dicat neceſſariam connexionem, & ordinem ad perfectiuum; alioqui anima rationalis eſſet neceſſariò connexa cum gratia, & eius potentiæ cum viſione beata, quod eſt falſum. Illa igitur maxima intelligitur de perfectibili, & perfectiuo in eodem genere, & ordine, vt ſunt materia, & forma; potentia vitalis, & actus naturaliter ab illa producibilis.

Non omne perfectibile dicit neceſſariam connexionem cum perfectiuo.

Argumentum tertium.

EST, quia ad ſui deſtructionem nulla creatura dicitur habere poſitiuam potentiam paſſiuam, ſed ſolum non repugnantiam, ergo ex hoc præcisè quod creatura eſt ſub dominio creatoris, vt poſſit diſponere de illa, immutando, annihilando, &c. non dicitur potentia paſſiua obedientialis; & proinde quæ talis eſt, ex ſua natura eſt, & non per connotatum potentiæ ſupernaturalis.

Confirmatur, quia potentia ſupernaturalis actiua eſt quid extrinſecum creaturæ; eſſe autem potentiam paſſiuam eſt denominatio intrinſeca, ſicut & capacitas, ſeu aptitudo ad recipiendum, ergo non conſtituitur potentia paſſiua in eſſe potentiæ per extrinſecum, ſed ex ſeipſa talis eſt.

Reſpondeo ad argumentum, concedendo, quod creatura non dicitur habere potentiam paſſiuam ad ſui annihilationem, propriè loquendo, ſed tantum non reſiſtentiam; ratio eſt, quia potentia vt ſic alicuius actus eſt potentia, vel quem elicit, vel quem recipit; cum autem in annihilatione ſit ſolum ſubſtractio diuini concurſus conſeruantis, nullus interuenit actus creaturæ vel elicitus, vel receptus, & ideo quoad hoc non eſt potentia propriè, niſi extrinſeca creatoris potentis annihilare. Sed nego conſequentiam, quod vbi creatura remotè capax eſt receptionis formæ, aut actus ſupernaturalis, non dicatur compleri, ſeu fieri proximè, & formaliter potens per potentiam ſupernaturalem actiuam, modo explicato.

Creatura nõ dicitur habere potentiã ad ſui annihilationem, ſed non reſiſtentiam propriè loquendo.

Ad confirmationem reſpondeo, quod eſſe potentiam paſſiuam eſt denominatio partim intrinſeca ab entitate creaturæ receptiuæ remota, partim extrinſeca à potentia actiua ſupernaturali, ſine qua non conſiſtit conceptus potentiæ obedientialis paſſiuæ completæ, hoc eſt dicere, quod potentia paſsiua obedientialis complectitur in recto entitatem creaturæ; in obliquo potentiam actiuam ſupernaturalem, quam connotat, & cui ſubſtat, vt paulò ante dixi.

Dices, potentia paſsiua naturalis non conſtituitur per actiuam extrinſecam, ergo neque obedientialis.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia naturalis primariò, & per ſe reſpicit actum, ſiue formam, cuius eſt potentia, & exigit illum; obedientialis ſolum ſecundariò, & per accidens quod Deus velit in ea operari ſupernaturaliter aliquid ſibi indebitum: & ideo non concipitur vt potentia formaliter, niſi poſita tali voluntate: etiamſi materialiter ex hoc præcisè quòd creatura eſt, habeat vt ſubſit pleno dominio creatoris, quoad omnem vſum etiam paſsiuum non implicantem.

Inſtabis contra reſponſiones iſtas, quia S. Th. 1. p. q. 75. articulo 6. 2. habet hæc verba. *Dicitur autem aliquod corruptibile per hoc, quod ineſt ei potentia ad non eſſe*, &c. Et vice verſa negat dici aliquid creabile per potentiam paſsiuam, ſed ſolum per potentiam actiuam creantis, quod vtrumque repugnat dictis.

Reſpondeo quod S. Thomas ibidem docet, quando aliquid dicitur vertibile in nihil, non importari in creatura potentiam ad non eſſe, ſed in creatore potentiam ad hoc, quod eſſe non

Digitized by Google

Vaſq. influat: ne igitur in eadem reſponſione appareat contradictio, dic cum Vaſq. 1. p. diſp. 182. cap. 2. fin. S. Thomam negare potentiam hanc paſſiuam in creaturis ſpiritualibus, de quibus ibi ſermo eſt reſpectu agentis creati quod illas deſtruere non poteſt; non autem reſpectu agentis increati, à quo pendent in eſſe, & conſeruari, & ideo ſi ſubtrahat concurſum annihilantur, & conſequenter ſunt ex ſua natura annihilabiles à Deo, quia ſicut à nullo alio ſunt producibiles, ita neque conſeruabiles in eſſe producto, & hoc eſt ipſis intrinſecum, & eſſentiale ex hoc quod creaturæ ſunt. Et idem eſt poſſibilitate creationis; nam ſicut nullum eſt agens creatum à quo produci poſſint, ita neque in ipſis eſt potentia paſſiua vt creentur ab illo, ſed reſpectu Dei habent potentiam paſſiuam vt creentur, quia & ipſæ in ſe ſunt intrinſecè poſſibiles, & habent non repugnantiam ad exiſtendum, ſicut & reliqua poſſibilia, circa quæ verſari poteſt diuina omnipotentia, quia non implicant, & ab eſſendi potentia poſſe eſſe accipiat, vt loquitur Richard. de S. Vict. lib. 1. de Trin. cap. 12. quia nihil in tota rerum vniuerſitate eſſe poteſt, niſi poſſibilitatem eſſendi vel de ſeipſo habuerit, vel aliunde acceperit; quod enim eſſe non poteſt, omnino non eſt, &c. ſupponens quod eſſe poteſt, ſeu poſſibile aliquid eſſe, etiamſi non exiſtat, & hoc intrinſecum ipſi eſſe, & non ſolum denominationem à potentia actiua omnipotentis Dei, vt ſupra diximus, cum de potentia obedientiali actiua.

Richard. Vict.

QVÆSTIO II.

Quid ſit potentia obedientialis paſſiua.

CAPVT I.

I. Non eſt quid negatiuum formaliter.
II. Superaddit entitati reali creaturæ reſpectum rationis.
III. Explicari etiam poteſt per extrinſecam denominationem ab omnipotentia creatoris.
IV. Soluuntur argumenta contraria.

Aſſertio prima.

I. POTENTIA obedientialis paſſiua in genere non eſt quid negatiuum formaliter, ſeu non reſiſtentia, vt dicit negationem ſimpliciter non reſiſtentis, ſed quid poſitiuum indiſtinctum realiter ab entitate, quæ dicitur potens. Dico in genere, quia potentiam annihilationis in creatura ſupra conceſſi eſſe non reſiſtentiam. Concluſio eſt auctorum ferme omnium, qui ſupponunt contra Aureolum omnem creaturam ex eo quod creatura eſt, habere potentiam iſtam, & nuſquam negationis meminere, vt ſupra, cum de actiua. Signanter verò P. Suar. diſp. 31. ſ. 6. §. At verò dicunt alij ſic habet, *Potentia paſſiua ex entitatis formaliter, & in ſe non eſt ſola non repugnantia; quod veriſimilius dici poſſet de potentia, quam vocant obiecti uam, quam intelliguntur habere res, quæ creari poſſunt, antequam fiant: quia licet actu nihil ſint, eſſe tamen, ac fieri eis non repugnat; in qua non repugnantia non intelligitur potentia aliqua paſſiua ex parte ipſarum rerum, quia illa non repugnantia ſolum eſt quædam negatio; potentia autem paſſiua intrinſecè includit poſitiuam entitatem cum poſitiua, & reali capacitate alicuius actus*, &c.

Suar.

Probatur primò, quia negatio non eſt cauſa effectus vllius poſitiui, ſed potentia paſſiua eſt cauſa in genere cauſæ ſubiectiuæ effectus poſitiui ſupernaturalis: in ea enim recipitur qualitas, & actus ſupernaturalis, & ſuſtentantur in ipſa, ergo non eſt mera negatio.

Secundò, Actus poſitiuus, & forma ſupernaturalis habent aliquam potentiam, & ſubiectum receptiuum ſibi proportionatum: hoc non poteſt eſſe pura negatio, quia negatiuum, & poſitiuum non proportionantur in ratione perfectibilis & perfectiui, actualis, & actiui; igitur potentia paſſiua illis reſpondens non eſt mera negatio, ſed capacitas, ſeu aptitudo poſitiua, ſicut poſitiuus eſt actus: quomodo enim negatio vel recipiat, vel ſuſtentet, vel perficiatur à forma poſitiua?

Tertiò, Omnis negatio habet aliquod poſitiuum, in quo fundatur vel præſens, vel futurum, vel poſſibile, vel præteritum ad quod conſequitur; ergo negatio reſiſtentiæ, quæ eſt in creatura, reſpectu creatoris habet eſſe poſitiuum creaturæ, ad quam ſequitur, ſed creatura per hoc præcisè quod creatura eſt, & non per negationem formaliter conſequentem, plenissimè ſubijcitur dominio creatoris, ergo & per hoc habet, vt de illa facere creator poſſit quodcumque velit, quæ eſt potentia obedientialis paſſiua, ſi illi reſpondeat aliquis actus, vt ſupra.

Quartò, Etiamſi per impoſſibile non daretur talis negatio reſiſtentiæ, ſed creatura poſitiuè reſiſteret creatori, adhuc tamen haberet potentiam obedientialem paſſiuam, ergo in illa negatione non conſiſtit formalis ratio potentiæ iſtius. Sequela patet per locum à definitione ad definitum; quotieſcumque enim manet definitum eſſentialiter, ablatione qualibet facta vel poſsibili, vel per impoſsibile, id quod aufertur, non eſt de definitiua ratione eius, neque in eo conſiſtit formalitas definiti: ergo ſi ablata per impoſsibile negatione reſiſtentiæ, adhuc remaneret conceptus potentiæ huius, manifeſtè ſequitur in ea non conſiſtere rationem formalem, ſiue eſſentiam illius. Antecedens probatur, quia voluntas creata poteſt reſiſtere voluntati increatæ. *Quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Iob 7. *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me*, Pſal. 16. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis* Act. 7. & nihilominus etiam in eo, in quo reſiſtit, habet potentiam obedientialem, quia per gratiam flectitur, & mouetur, formatur, & mutatur ab illa quo vult Deus, Auguſt. cont. duas epiſtolas Pelagianorum lib. 1. cap. 20. *Qui cor Regis Aſſueri, antequam mulieris ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtu'it ab indignatione ad lenitatem*, &c. Et vniuerſaliter dare dicitur gratiam, quæ à nullo duro corde reſpuitur: *Ideo quippe datur, vt cordis duritia primitus auferatur, de Præd. Sanctorum* c. 8. Neque valet dicere, quod negatio reſiſtentiæ accipitur vniuerſaliter pro impo-

S. Auguſt.

Digitized by Google

tentia resistendi, quam habet omnis creatura erga Deum: *Voluntati eius quis restitit?* Rom. 9. *Et non est qui possit tuæ resistere voluntati*, Esther 13. nam sic non diceretur creatura obedire superiori, sed vinci à potentiore, si reluctata Deo, tandem cedere cogeretur, & pati inuita; deinde quia recipere in se formaliter aliquid supernaturale, non est superari actu resistentiam recipientis à Deo illud conferente, etiam quando voluntas eius inspirationi resistit, ergo neque potentia ad recipiendum est superabilitas, seu impotentia ad resistendum. Antecedens probatur, si sermo sit de gratia excitante, hæc fit à Deo in nobis sine nobis, independenter scilicet ab arbitrio, & contra hanc ne concedatur, nulla potest esse resistentia, *agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum*, ait Augustinus de prædest. Sanct. lib. 1. c. vltimo.

S. Augustinus

Si verò de consensu arbitrij ad illam consequente, vel hic promptus est sine resistentia, vel si præcedit resistentia aliqua, tandem euincit gratia, & recipitur in anima per potentiam obedientialem, cui per accidens est, quod restiterit, vel obsecuta statim fit voluntas, ergo negatio, vel positio resistentiæ, in quouis sensu accipiatur, non pertinet ad rationem formalem potentiæ passiuæ obedientialis. Consequentia patet, quia siue sit impotentia ad resistendum, siue non sit, remanet potentia passiua ad formatum supernaturalium receptionem, quæ est obedientialis. Præterquam quod in alijs creaturis non intellectiuis est potentia passiua, & nulla est huiusmodi resistentia.

Confirmatur assertio, quia sicut materia dicitur apta ad recipiendas formas naturales per seipsam, & non per negationem resistentiæ, ita creatura quælibet per se apta est recipere formas supernaturales, & non per negationem. Patet sequela: nam non minus subijcitur creatura potentiæ creatoris, quàm materia virtuti agentis naturalis disponentis illam ad formam substantialem per accidentia necessaria ab ipsa educta, neque magis est resistitiua creatura Deo, quàm materia agenti. Antecedens est D. Thom. prima par. quæst. 14. art. 2. 3. *Materia prima*, inquit, *est sua potentia passiua, sicut Deus est sua potentia actiua*; & quæst. 77. art. 1. 2. *Actus*, ait, *ad quem est in potentia materia prima est forma substantialis: & ideo potentia materiæ non est aliud*; Et probatur ratione, quia si esset potentia distincta ab entitate materiæ, respectu eius materia esset potentiæ per suam essentiam, & non per distinctam entitatem, nedetur progressus in infinitum; & eadem est ratio de alijs accidentibus, quæ subiectantur in ipsa. Denique per negationem non tam probatur quid sit res, quàm quid non sit, igitur per aliquid positiuum explicanda est essentia potentiæ obedientialis. Sic Sanct. Augustinus lib. 5. Trin. cap. 6. habet, quod cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quidnon sit dicitur: quia sicut cum dicitur genitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore sit: ita cum dicitur ingenitus, non ad seipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur igitur si potentia est aliquid, explicandum est quid illud sit, quod minime explicatur, cum solum dicitur quid non sit, qualis est non resistentia, & hinc

S. Thom.

S. Augustin.

Probatur secunda pars assertionis.

Videlicet potentiam obedientialem passiuam esse aliquid positiuum; nam si non est mera negatio, reliquum est, vt sit aliquid positiuum: hoc autem physicè non est aliud, quàm entitas creaturæ, & virtus Dei potentis illam immutare supernaturaliter, vt autem logicè dicimus, est ipsa creatura in recto, vt possibilis mutari à Dei omnipotentia in obliquo significata. Idem diximus de actiua apta eleuari ad operandum supernaturaliter.

Probatur primò in particulari de potentia intellectiua, & volitiua, quæ vel immediatè per seipsas recipiunt actus supernaturales, quos eliciunt adiutæ gratia, & habitus infusos permanentes, vel media alia qualitate: vtrumuis dicatur, positiuum quid dicitur; si primum, habetur intentum de indistinctione potentiæ obedientialis passiuæ ab entitate recipientis; si secundum, illa qualitas media recipitur immediatè in dictis potentijs, atque adeo respectu illius sunt potentia obedientialis passiua, ne fiat progressus in infinitum; & idem dici potest de cæteris qualitatibus, & formis supernaturalibus, quod immediatè recipiantur.

Confirmatur ex S. Augustin. supra asserente animam esse capacem gratiæ ex eo quod est imago Dei, ergo nihil aliud præterea requiritur; quod repetit lib. 4. contra Iulian. Pelag. *Neque enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum lapidibus, aut lignis, pecoribusve præstatur, sed quia imago Dei est meretur hanc gratiam.*

S. Augustin.

Secundò, Si distinguitur potentia obedientialis ab entitate rei receptiuæ, seu aptæ ad effectus supernaturales, vel est eiusdem ordinis cum re, cuius est potentia, vel diuersi; si eiusdem, cur eleuat rem vltra terminos naturæ debitos; cum & ipsa sint intra eosdem coarctata: si secundum, ergo respectu eius, quæ immediatè recipitur, vt det posse, res est in potentia obedientiali per seipsam, cur non igitur & respectu aliorum eiusdem ordinis supernaturalis? Deinde creatura egeret aliquo superaddito ad hoc vt plenè subijceretur Deo, & ex se, & essentialiter non esset subiecta, quod est inconueniens, cum essentialiter ab eo pendeat in fieri, & conseruari vt à supremo, & omnipotente Domino, vt S. Bonau. in 2. d. 17. art. 1. per totum: & proinde obediat ipsi ad nutum quoad omnia tam supernaturalia, quàm naturalia, vt S. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. 3. *Duplex*, inquit, *capacitas attendi potest in humana natura; vna quidem secundum ordinem potentiæ naturæ ipsius à Deo semper impletur, qui dat vnicuique rei secundum suam capacitatem naturalem; alia verò secundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum; & ad hoc pertinet ista capacitas.* Quod idem habet de potent. quæst. 6. a. 1. 18. cit. supra, Et S. Augustin. de Gen. ad lit. lib. 9. cap. 17. cit.

S. Bonau.

S. Thom.

Quod autem addi debeat vt possibilis mutari supernaturaliter, patet, quia per hoc habet creatura, vt distinguatur in esse potentiæ passiuæ ab actiua, quæ non patitur, sed agit supernaturaliter: & à potentia passiua naturali, quæ mutatur, & recipit naturaliter tam à causis secundis, quàm à Deo vt auctore naturæ. Et præterea

Digitized by Google

termini isti sunt vniuersales; & conueniunt omni mutationi supernaturali, tam respectu modi patiẽdi quàm respectu formæ: & tam mutationi perfectiuæ, quàm destructiuæ: sed quia creatura vt stat sub isto conceptu inuoluit respectum aliquem, quem non habet, vt stat sub alijs conceptibus; ideo explicandum est quid sit hoc formale, quod addit supra entitatem rei, quæ dicitur possibilis mutari, & per quod differt ratione ratiocinata à seipsa absolutè considerata.

Assertio secunda.

II. POtentia passiua obedientialis supra entitatem rei patientis, & diuinam virtutem, à qua pati potest, addit ad potentiam actiuam supernaturalem, siue ad Dei omnipotentiam, & ad effectum ab ipsa producibilem supra naturæ exigentiam; atque adeo ipsa entitas creaturæ vt apta immutari per diuinam virtutem supernaturaliter operantẽ, siue vt mutabilis diuinitus dicitur potentia obedientialis passiua, quæ mutabilitas concipitur quidem ad modum passionis consequentis naturam; sed realiter est eadem natura vt substat huic conceptui, & respectui ad potentiam actiuam supernaturalem, licet metaphysicè possit vocari passio. Explicatio respectus huius, quatenus rationis est & comitatur rem intellectam, simile habet fundamentum, & explicationem cum respectu potentiæ obedientialis actiuæ supra adductam disp. 2. quæst. 1. cap. 1. & probatur primò, quia hunc plane indicant verba S. Bonau. in 1. d. 44. art. 1. quæst. 1. cit. superiori capite S. Th. & August. semper explicantium potentiam hanc per ordinem ad creatorem, & effectum supra naturam; & meritò, nam potentia vt sic alicuius est potentia, non solum secundum communem rationẽ accidentis, quod est alicuius subiecti, sed secundum rationem propriam potentiæ, cui in genere respondet actus; quod si sit potentia passiua, inuoluit ordinem ad agens, à quo transmutatur, cum sit principium transmutandi ab alio, vt Sanct. Bonau. ead. dist. & art. quæst 4. & S. Thom. in 2. d. 12. quæst. 1. cap. vsus axiomate illo, quod cuilibet potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua: & proinde etiam dicit ordinem ad actum, propter quem est actiua, qui si sit naturalis, & naturali modo producibilis, potentia est naturalis, si supernaturalis quoad entitatem, vel modum producendi, potentia est obedientialis.

Potentia passiua est principium transmutationis ab alio, in quantum aliud.

Secundò probatur, quia potentiæ huic conuenit definitio vniuersalis potentiæ passiuæ sumpta à Philosopho 5. Metaph. t. 17. quod sit principium transmutationis ab alio inquantum aliud: in qua inuoluitur respectus rei mutabilis vt sic ad principium transmutans; at hic in potentia passiua obedientiali non est respectus realis: quia nulla creatura de se, & ex sua natura ordinatur ad supernaturalia tanquam sibi debita, aut naturaliter connexa, neque exigit Dei concursum ad illa, igitur est respectus solum rationis.

Confirmatur, quia hinc sequitur, quod non sit transcendentalis distinctus ab eo, quem dicit creatura ad creatorem ob essentialem dependentiam ab ipso vt causa prima, & fine vltimo, quia si hæc potentia non exigit actum supernaturalem vt sibi debitum, neque etiam respicit causam illius, aut postulat ab ea reduci ad actum per passionem existentem; quis enim dixerit naturam rationalem respicere vnionem hypostaticam, aut eam sibi deberi, eo quod sit in potentia passiua, consequenter neque respicit Deum vt potentem illam facere. Quod non sit respectus iste prædicamentalis probatur, quia in creatura nullum est fundamentum, ex quo consurgat, nisi actio creatiua, & conseruatiua, quæ sunt ordinis naturalis, & non habent connexionem cum supernaturali; & sermo est de potentia in genere: nam de creatura rationali erit quæstio particularis infrà.

Tertiò, Quia vt bene Suar. t. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 6. in solutione secundi argumenti, §. quartò id probatur, potentia obedientialis tam passiua, quàm actiua non est res aliqua per se primò ordinata ad agendum, aut patiendum supernaturaliter, sed solum concomitanter habet ex eo quod est creatura, vt possit inseruire creatori ad omne quod non repugnat, ergo non habet essentialem ordinem, vel connexionem sub hac ratione cum effectu, vel causa supernaturali: neque proinde specificationem ab ipsa: verbi gratia quantitas, quæ per se ordinatur ad extendendam substantiam non habet ordinem vllum ad penetrationem miraculosam cum alia quantitate, licet per suam entitatem se penetret ex Dei imperio, & concomitanter habeat hanc potentiam ex eo quod est creatura Deo subdita. P. Suar.

Ex alia parte potentia, vt potentia est alicuius actus potentia, & à nobis non concipitur sine aliquo ordine, qui rationis est, cum non sit realis.

Assertio tertia.

III. COnceptus potentiæ obedientialis passiuæ, siue creaturæ, vt substat diuinæ omnipotẽtiæ in ordine ad effectus supernaturales illa vti potenti explicari etiam commodè potest per extrinsecam denominationem ab eadem omnipotentia desumptam; non dico esse denominationem extrinsecam, sed explicari posse per denominationem extrinsecam. Pro explicatione aduerte ex S. Bonau. in p. dist. 15. dub. 4. 3. Text. vbi differens de voce, Res, vt cadit in diuina, *Dicendum*, inquit, *quod res potest considerari tripliciter, aut secundum proprietates, quas habet in propria natura: aut secundum modum, per quem fit apud animam: aut secundum proprietatem communem, quæ ineſt ei ab actibus animæ, qui sunt subijcere, & prædicare, componere, & dimidere; secundum hanc ergo triplicem acceptionem contingit rem tripliciter nominari, vno modo per nomen, quod indicat existentiam à parte sua naturæ, sicut dicitur album, & nigrum; alio modo secundum quod anima accipit per modum entis, hoc modo nominat res; vnde omne illud res dicitur quod anima cogitat vt existens in natura. Alio modo contingit nominare per intentiones secundas, sicut dicitur genus, & species: subiectum, prædicatum.* Potentia igitur obedientialis passiua primo modo est creatura, & Deus potens illam immutare, vel vti. Secundo modo est eadem non absolutè concepta, sed vt substat diuinæ omnipotentiæ, seu vt plenè subiecta dominio eius. Tertiò vt denominatur formaliter potentia passiua obedientialis. Primo modo est fundamentum remotum relationis rationis; secundo modo est funda- S. Bonau.

Digitized by Google

métum proximum; tertio modo eſt complexum, inuoluens præterea formaliter reſpectum additum à ratione. Sicut animal conſiderari poteſt primò vt eſt ſubſtantia ſenſibilis; ſecundò vt cognitum, ſeu vt exiſtens in anima; tertiò vt affectum ſecundis intentionibus generis, prædicati, &c. Et iuxta diuerſas iſtas conſiderationes ſatisfit interroganti quid eſt animal, ſubſtantia ſenſibilis, genus, &c.

Probatur igitur aſſertio, quia ſi Deus cum ſit omnipotens, de creatura poteſt vt vult diſponere; huic potentiæ actiuæ ſupernaturali reſpondere debet potentia paſſiua: ſed creatura quia non ordinatur ad patiendum ſupernaturaliter ex ſua natura: ideo nomen iſtud extrinſecus illi aduenit, quod intrinſecam naturam ex ſua impoſitione ſignificat rei ordinatæ ad aliud, vt patet in materia, & alijs potentijs naturalibus receptiuis actuum, à quibus perficiuntur: ſed in propoſito non habet integrum ſignificatum, niſi accedente extrinſeco connotato diuinæ virtutis, à qua completur in ratione potentiæ, non vt à forma intrinſeca, ſed vt ab extrinſeco agente, quod ingreditur eſſentialem conceptum potentiæ paſſiuæ obedientialis completè ſumptæ: & habet ſimilitudinem quandam cum differentia, quæ dat eſſe ſpeciei, quatenus complet rationem potentiæ huius, & cum forma extrinſecus denominante, quatenus hoc præſtat vt connotatum extrinſecum. Eſt autem hîc etiam aduertendum, quod ſicut reſpectus rationis potentiæ huius eſt opus intellectus cum fundamento in re; ita & denominatio extrinſeca, cum ſit nominis appellatio, indiget opere rationis; nam res abſoluta ſi nomine relatiuo ſignificetur, ab intellectu relatiuè eam concipiente denominatur, quia nomina imponuntur, vt id quod rebus concipimus, exprimamus; ideo viſum eſt Vaſq. 1. p. diſt. 115. numero 2. contradictionem inuoluere in adiecto, concedere denominationem extrinſecam realem ante intellectus operationem: nam ſi eſt denominatio, eſt alicuius intellectionis expreſſio: licet à parte rei ſit aliqua res, tanquam fundamentum, à quo intellectus ſumit denominationem tam mentalem, quàm verbalem, quæ in propoſito eſt diuina omnipotentia comparatiuè ad creaturam, de qua poteſt diſponere, quæ eadem eſt terminus: non enim neceſſarium eſt, vt denominatio ſemper ſit ab aliqua forma intrinſeca, ſed ſufficit aliquid extrinſecum aliquo modo connexum cum re denominata, ex doctrina Sancti Bonau. in 2. diſt. 27. art. 1. quæſt. 2. ad penult. & S. Thom. de potent. quæſt. 7. art. 10. 8. *Illud*, inquit, *à quo aliquid denominatur, non oportet, quod ſit ſemper forma ſecundum res naturam, ſed ſufficit, quod ſignificetur per modum formæ, grammaticè loquendo: denominatur enim homo ab actione, ab indumento, & ab alijs huiuſmodi, quæ realiter non ſunt formæ*, &c. neque ſunt quid inhærens. Sic Verbum denominatur vnitum humanitati non per vnionem, quæ ſit in ſeipſo, ſed in humanitate: vt idem S. Thom. 3. p. quæſt. 2. a. 1. docens vnionem eſſe aliquid creatum in humanitate, quia eſt relatio realis ad Verbum; non item in Verbo, quia in eo eſt ſola relatio rationis iuxta dicta 1. p. quæſt. 13. vbi excluduntur à Deo relationes reales ad creaturas. Quod idem docet ibi Soar.

nō eſt denominatio extrinſeca ſine opere intellectus per Vaſq.

Ad hanc denominationem non requiritur forma intrinſeca, ſed ſufficit aliquid extrinſecū. S. Bonau.

S. Thom.

Confirmatur, nam denominatio intrinſeca potentiæ paſſiuæ propriè dictæ conuenit rei de ſua natura ordinatæ, & inclinatæ ad actum ſibi proportionatum, & proinde eiuſdem cum ipſo ordinis, & habet ſibi reſpondentem potentiam actiuam in eodem ordine, iuxta dictum S. Th. in 4. d. 49. quæſt. 2. art. 6. Potentia, & proprius actus ſemper ſunt in eodem genere; ſed res, quæ dicitur potentia paſſiua obedientialis, non eſt ordinata ad effectum ſupernaturalem, neque eſt aliquid poſtulans reduci ad actum per agens ſupernaturale, ergo non conuenit illi intrinſecè denominatio iſta, ſi adæquatè ſumatur; igitur ab extrinſeco. Maior probatur ex vi vocabuli impoſiti alijs potentijs, vt patet ex dictis. Minor etiam conceditur ab omnibus; ſequitur ergo aliunde tribui illi denominationem hanc, quæ tota non conuenit ex aliquo intrinſeco, illud autem congruè aſſignatur omnipotentia diuina, ſtante tamen fundamento denominationis intrinſecæ, ſumpto ab ipſa entitate creaturæ, quæ dicitur potentia remota, & fit proxima à voluntate Dei omnipotentiam applicante ad agendum, & inducendam paſſionem ſupernaturalem in creatura.

Reſponſio ad argumenta, contra definitionem potentiæ paſſiuæ obedientialis.

CAPVT II.

IV.

EA ferme communia ſunt, vel affinia ijs, quæ contra obedientialem actiuam ſupra ſoluta fuere; ſi quæ tamen in particulari vim habere videantur contra paſſiuam, facilem ex iactis fundamentis ſolutionem habet; qualia ſunt

Primum argumentum

EST contra primam aſſertionem. Creaturæ antequam producantur per creationem, dicuntur eſſe in pleno dominio creatoris, quia poteſt illas de nihilo producere, vel non producere, & per decretum non producendi reddere improducibiles ex ſuppoſitione, in quo reſpondet potentiæ actiuæ Dei, ac denominatiuæ paſſiua obedientialis creaturæ, & non ratione entitatis poſitiuæ, quæ nulla eſt ante creationem, ergo vel ratione ſolius non reſiſtentiæ, vel denominationis extrinſecæ ab omnipotentia creatoris, vt ſicut cera mollis dicitur metaphyſicè obediens, quia non reſiſtit manui figuram imprimenti; ſic creatura dicatur obediens, quia non reſiſtit Deo de ipſa diſponenti, ſiue ad eſſe vocet ex non eſſe: *Ipſe dixit, & facta ſunt*: ſiue facta immutet, aut vtatur ad quod vult, *Omnia quippe in ditione eius poſita ſunt*: & non requiritur alia potentia quàm creatoris infinita. Idque potiſſimum valet de potentia paſſiua, nam ad actiuam requiritur, vt operetur vis agendi; in paſſiua ſufficit non reſiſtentia potentia inducere paſſionem, quam habet omnis creatura comparata creatori volenti illam creare, vel creatam immutare.

Confirmatur, quia ſi creatura poſſibilis haberet potentiam paſſiuam poſitiuam ad eſſe actu, illa eſſet potentia ſui ipſius, quia eſſe actu

eſt

est illud idem quod erat possibile, & futurum.

Respondeo primò per instantiam, quia non resistentia rei non existentis, vt dicit meram negationem, est nihil, & ideo non dicitur esse sub dominio Dei, ergo non potest dici potentia obedientialis. Respondeo directè, neque quod non est, dicitur propriè esse sub dominio, sed solum ampliatiuè, quatenus potest Deus dare illi esse, & acquirere actuale dominium super illud; ac proinde neque dicitur habere potentiam passiuam propriè, sed posse habere, quicquid deinde fit, possibilitas hæc siue sola denominatio à potētia creatoris, siue non repugnantia terminorū inter se connexorum, iuxta diuersas sententias: vt supra in simili argumento de potentia actiua. Verum non infertur hinc absolutè, quod potentia passiua obedientialis sit formaliter non resistentia: quia hic est casus particularis de re possibili, à quo non valet consequentia vniuersalis de rebus actu existentibus. Ex quo patet ad confirmationem: res enim possibilis non habet potentiam passiuam propriè, sed potest habere si ponatur actu, quia cum hæc potentia vt se tenet ex parte creaturæ, non distinguatur ab entitate rei, sicut hanc non habet actualem, sed potest habere; ita neque habet potentiam passiuam, sed potest habere: quod idem realiter significat ac posse ad actualem existentiam reduci.

Quod non est, non dicitur propriè habere potentiam passiuam.

Secundum Argumentum.

CONtra secundam assertionem, quia creatura vt subsistat, aut vt connotat diuinam omnipotentiam potentē illam immutare, vel significat aliquid præter seipsam, & omnipotentiam: vel nihil: si primum, in primis cedo quid illud sit: deinde quicquid assignetur est contra te dicentem, quod potentia hęc passiua nihil est physicè præter entitatem creaturæ, & diuinam virtutem infinitam. Neque secundum, quia eadem esset potentia passiua, & actiua; siquidem vtraque in recto dicit entitatem creaturæ, & in obliquo connotat diuinam omnipotentiam; deinde si per impossibile non esset possibilis passio vlla supernaturalis, adhuc esset creatura, & Deus, & tamen non esset potentia passiua obedientialis, ergo præter illa duo significat aliquid tertium. Nec satisfacis addendo respectum rationis, quia hic supponit fundamentum à parte rei, & non cōplet rationem potentiæ passiuæ, quę realis est.

Confirmatur, quia Deus ipse, & Angeli cognoscunt, quid sit potentia ista sine vllo respectu rationis, quia prouenit ex modo imperfecto cognoscendi, qui non cadit in Deum.

Respondeo ad argumentum, quod potentia passiua vel cōsideratur physicè, & nihil est aliud, quàm entitas creaturæ, & Dei virtus potens illā immutare supernaturaliter, & applicata per voluntatem; vel logicè vt subsistat nostrę intellectioni, & addit respectum rationis ex modo intelligēdi tam in creatura, quæ vt sic mutabilis distinguitur à seipsa, vt ens absolutū est, & vt mutabilis naturaliter; quàm in Deo, qui vt potēs mutare supernaturaliter creaturā, respicit illā diuerso modo, ac vt potest aliter disponere, & ordinare ipsā; & tamē hic nō est respectus nisi rationis.

Ad alteram partem, nego sequelam; ad probationem respondeo, quod in vtraque potentia formaliter, & completè sumpta termini sunt diuersi formaliter; nam actiua dicit entitatem creaturæ, vt eleuabilem ad operandum supernaturaliter, & Deum, vt eleuantem; passiua autem dicit eandem entitatem vt possibilem superhaturaliter, & Deum vt causantem passionem, seu mutationem: hoc autem sufficit ad distinctionem actiuæ à passiua in eadē entitate materiali.

Ad tertiam partem, data illa hypothesi, sequerētur contradictoria, & quod non esset potentia passiua ex suppositione passionis supernaturalis impossibilis, & quod esset potētia passiua: quia ex eo quod est creatura, potest pati quod vult Deus.

Ad confirmationem, Deus cognoscit sine ente rationis, siue quia non potest ab illo fieri; siue quia etiamsi posset, non eget illo ad cognoscendum perfectè, sed cognoscendo creaturam comparatam suæ potentiæ, & subditam mutationi supernaturali per illā, quod totum reale est, cognoscit potentiam passiuam; & idem proportionaliter est de Angelo. Nos autem ex modo nostro cognoscendi imperfecto concipimus hæc duo cum ordine prædicto, quem per reflexionem scimus non inesse rebus, sed aduenire ab intellectu ex suo modo intelligendi; vt supra explicaui ex S. Thoma, & S. Bonau. & totum obiectum ita cognoscibile, vel cognitum à nobis cognoscitur à Deo, sed sine imperfectionibus nostris, atque adeo sine ente rationis.

Tertium Argumentum.

EST contra dicta in vtraque assertione, quod physicè, & materialiter potentia passiua cōpletè sumpta nihil includat præter entitatem creaturæ, & virtutem diuinam, quia vel diuina virtus ingreditur in recto conceptum potentiæ passiuæ, sicut anima, & corpus conceptum hominis, vel solum in obliquo; non primū, quia Deus non venit in compositionem cum creatura, nisi in Christo Domino; iuxta illud symboli Athanasij: sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus. Neque secundum, nam vel ingreditur vt connotatum, vel vt terminus relationis; vtrumque supponit aliquam connexionem inter extrema, quæ non est in creatura, vt habet rationem potentiæ passiuæ, & inter Deum, vt habet rationem actiuæ operantis supernaturaliter, quia hæc operatio est indebita creaturæ, & non nisi per accidens, ac secundariò ordinatur ad illam ex diuina dispositione; qua præcisa remotè solum, & radicaliter dicitur potentia, & secundum quid: simpliciter autem est impotentia ex supradictis, consequēter nullum dicit realem ordinem, vel connexionem, nisi essentialem vt creatura est ad creatorem; quatenus autē posito decreto accipit denominationem potentiæ proximæ, & formalis, neque prædicamentali, neque transcendentali respectu incipit referri; & non apparet, quomodo consurgat noua connotatio, & connexio, terminis prorsus inuariatis: siquidem Deus non est mutabilis, & in creatura nihil de nouo fit, ratione cuius dicatur potentia.

Respondeo, quod potentia obedientialis passiua considerata formaliter, vt logicè definibilis est, dicit in recto creaturam, in obliquo virtutē diuinam, vt potentem mutare supernaturaliter: & non se habet vt totum ex partibus physicis cōpositum, nisi similitudinariè, quia sicut illud non est quid distinctū à partibus vnitis, ita potentia hæc non est quid physicū distinctum à creatura, & virtute diuina vt potente immutare, & applicata; neque hoc est fieri vnum ex Deo, & creatura: sed hanc esse subditam ad patiendum supernaturaliter creatori volēti de illa disponere,

Digitized by Google

Ad alteram partem dico, diuinam virtutem ingredi vt connotatum, ſine quo creatura non eſt potentia paſſiua obedientialis formaliter, & proximè, & connexionem eſſe duplicem, alteram remotam identificatam cum potentia remotè ſumpta, quæ eſt ipſa entitas creaturæ eſſentialiter pendens à Deo, vt prima cauſa potente facere de illa quod vult; alteram proximã prouenientem ex diuino decreto volente creatura diſponere, ſeu mutare ſupernaturaliter; hoc autem poſito, incipit connexio inter creaturam & creatorem vt cauſam ſupernaturalem, & effectum, quem decreuit producere; ad quam ſufficit mutatio obiectiua creaturæ, & ſupra explicatum eſt de potentia actiua.

Dices, ante decretum eſt talis connexio, qualis requiritur ad potentiam paſſiuam, quia creatura poteſt immutari, etiamſi non eſſet immutanda ſupernaturaliter, ergo eſſet proximè potentia obedientialis paſſiua ſine decreto ob connexionem, & dependentiam eſſentialem.

Reſpondeo, ante decretum non eſſe connexionem creaturæ cum effectu, vel mutatione ſupernaturali, neque vllum ordinem ad hæc: quia ex eo tantum quod creatura, concomitanter habet quod poſſit ordinari ad ſupernaturalia, vt paulò ante dixi: quæ ordinatio eſt ipſi accidentalis, & non debita; conſequenter non eſt potentia ad ſupernaturalia, niſi remota, quæ ſufficit ad hoc vt poſſit fieri proxima, & formalis: non tamen talis eſt, quia potentia vt ſic alicuius actus potentia eſt, & cum ipſo connexa eſt ex eo quod potentia ipſius eſt, quod creatura non habet ex ſua natura, ſed ſolum poteſt connecti ex diuinæ voluntatis ordinatione.

Inſtabis, quia præcisa ordinatione actuali creatura habet ex ſua natura poſſe ordinari ad ſupernaturalia, ergo habet connexionem cum illis; probatur ſequela, quia non poſſe ordinari excludit connexionem, ergo poſſe ordinari includit connexionem.

Reſpondeo, nego ſequelam; ad probationem diſtinguo conſequens, includit connexionem proximam, & formalem, nego: remotam, & radicalem, concedo. Sic Incarnatio ex ſua natura nõ includit connexionem, vel ordinem formalẽ ad ſalutem hominum; ſed ex diuina voluntate includit: quia propter illam decreta, & ordinata eſt; & idem eſt de materia, & forma Sacramentorum. Potentia igitur obedientialis vt ſic ſolum habet connexionem proximam cum ſupernaturali effectu ex diuina voluntate: & ideo ipſa requiritur vt connotatum ad rationem conſtitutiuam potentiæ formaliter ſumptæ, vt ponatur connexio, quæ eſt neceſſaria inter effectum ſupernaturalem, & potentiam eius. Connotatum, inquam, quia diuina virtus non conſtituit vt pars intrinſeca potentiam obedientialem, cum ſit agens, quod non eſt pars intrinſeca inſtrumẽti, aut potentiæ à ſe diſtinctæ, & ſupernaturale primũ, quod non cõponit extrinſecè potentiam paſſiuam, neq; concurrit vt genus, aut differẽtia, vt de ſe patet: neq; vt terminus relationis prædicamentalis, vel tranſcendentalis, vt dictum eſt ſuperius, ergo ſolum vt connotatum eſſentialiter requiſitum ad potentiam iſtam, vt potentia eſt obedientialis formaliter diſtincta à ſe vt ens eſt, aut vt potentia naturalis; & ſimile eſt in alijs connotatis rerum naturalium, verbi gratia in conſeruatione, quæ realiter eſt continuata actio productiua; ſed vt conſeruatio eſt, diſtinguitur à p. productione per connotatum prioris inceptionis: & cæna realiter eſt comeſtio, ſed vt facta tempore veſpertino: quo præciſo cæna non eſt formaliter, licet eſſe poſſit comeſtio eadem realiter; Ita creatura vt connotans diuinam virtutem volentem diſponere de ſe ſupernaturaliter, eſt potentia paſſiua formaliter; ſine hoc connotato non eſt potentia formaliter, ſed ſolum radicaliter, quatenus dicit realiter eamdem entitatem creaturæ, non tamen vt potentia eſt, cum non ſit ordinata ad actum ſupernaturalem.

Potentia obedientialis vt ſic ſolũ habet connexionem proximam cum effectu ſupernaturali.

Ergo inquies præciſo connotato remanet eadem intrinſeca forma denominans potentiam; & proinde & eadẽ denominatio potentiæ, quia ad hanc ſufficit, vt maneat totum id, quod dicit in recto, quod nihil eſt aliud, quàm forma, vel entitas intrinſeca, iccirco enim confutatur à multis recẽtioribus opinio, quæ cum Soar. diſp. 47. Metaph. paſſim relationem identificat cum fundamento, & requirit terminum, non vt partem formalem, ſed vt connotatum in obliquo, quia ſi entitas relationis eſt eadem cum entitate fundamenti, realiter manet relatio, manẽte fundamento; atque ita realis entitas relationis erit, non exiſtente termino, quod eſt abſurdum, quia eſſet relatio ad nihil exiſtẽs. Sed ex dictis ſupra.

Reſpondeo denominationem potentiæ obedientialis partim eſſe intrinſecam, partim extrinſecam, & ceſſante alterutra ratione denominationis; non manere ſimpliciter, & abſolutè denominationẽ potentiæ obediẽtialis; ſed cum addito remotè, & inadæquatè, quia ſimpliciter creatura ex ſe non habet potentiam ad ſupernaturalia. Atque ita inſtantia contra relationem vt aſſeritur à recentioribus, non valet contra potẽtiam obedientialem, quia præciſo connotato, non ſolum amittit denominationem, ſed rationem potentiæ, quæ ab illo completur, & ſine quo abſolutè potentia non eſt; quod ſi iſti aſſerant neque abſolutè remanere relationem ſecũdum formale relationis ablato termino, quem connotat, exemplum potius firmat aſſertionem noſtram ita poſcentem connotatum ad rationem, & denominationem potentiæ obedientialis, vt abſque illo neutra conſiſtat; quamuis in reliquis differant connotatiua à relatiuis propriè, vt ex Dialecticis ſuppono.

Quartum Argumentum

NVlla potentia conſtituitur in eſſe potentiæ per ſuum actũ, quia hic eſt poſterior, & ab illa cauſatus, ergo neque potentia paſſiua obedientialis conſtituitur in ſuo eſſe per actum ſupernaturalem: & proinde neque per connotatum cauſæ ſupernaturalis, quæ neceſſaria eſt ſolum propter actum; hic autem ex vna parte ſupponit potẽtiam vt cauſam ſui, & non illam conſtituit; ex alia parte ſupponitur potentiæ obedientiali, quia virtus ſupernaturalis ipſius conſtitutiua requiritur propter actum; atque ita ingreditur conceptũ illius, qui prior eſt conceptu potentiæ obediẽtialis, ſi hæc conſtituitur in eſſe potentiæ à virtute diuina ſub ratione prædicta.

Confirmatur, quia creatura, quando recipit ſupernaturalia, ſolum concurrit in genere cauſæ materialis, ſuſtentando illa; hanc autem potentiam non habet ab actu, ſed ex ſeipſa; ideo enim recipit actum, quia poteſt illam recipere, & non vice verſa, ideo poteſt recipere quia recipit.

Confirmatur ſecundò, quia in naturalibus po-

tentia receptiua formarum ſupponitur in ſuo genere cauſæ materialis completa illarum receptioni; & in ſupernaturalibus anima rationalis non completur in eſſe potentiæ ſupernaturalis receptiuæ à donis, quæ recipit; & idem eſt de reliquis creaturis; in nullis enim actus receptibilis, aut potentia illius productiua concurrit ad conſtituendam potentiam paſſiuam, ſed illam ſupponunt conſtitutam in ſuo eſſe, ergo & hoc aſſerendum de hac potentia.

Confirmatur tertiò, quia creatura ex eo præcisè quod creatura eſt, eſſentialiter ſubijcitur Deo, & ab eo pendet totaliter, vt S. Bonau. in 1. diſt. 26. art. 1. quæſt. 1. ad vltimum, ergo ex ſeipſa præcisè eſt potentia paſſiua obedientialis; & id potiſſimum locum habet in anima rationali; quæ capax ex ſua natura, & eſſentia donorum ſupernaturalium.

Reſpondeo ad argumentum, primò quidem dici poſſe, potentias conſtitui metaphyſicè in ſuo eſſe ab actibus: quia ſunt propter illos, & ſpecificantur ab ipſis, etiamſi phyſicè, & intrinſecè non conſtituant illas. Sed quicquid ſit de potentijs naturalibus, quod facit ad propoſitum de obedientiali paſſiua, dico illam conſtitui in ſuo eſſe completo per connotatum virtutis diuinæ potentis immutare ſupernaturaliter, & non ab ipſa immutatione actuali, quod ſupponit phyſicè in actu primo creaturam iam conſtitutam in eſſe potentiæ. Ad probationem in contrarium, virtus diuina ſupernaturaliter volens immutare creaturam, inuoluit in ſuo conceptu immutationem vt quid poſterius potentia paſſiua, quæ à ſe redditur mutabilis ſupernaturaliter.

Ad confirmationem iam dixi, quod creatura habet ex ſeipſa potentiam ſuſtentandi ſupernaturalia remotè, non proximè; fit autem potens proximè non ab actu, ſed à virtute diuina volẽte de ipſa diſponere modo ſuperius explicato, loquendo de potentia, & conſtitutione phyſica.

Ad ſecundam in naturalibus concedo potentias paſſiuas eſſe completas, & non reddi tales à cauſa efficiente inducente formas, neque à formis ipſis. Ratio eſt, quia potentiæ naturales paſſiuæ cum per ſe primariò reſpiciant formas, propter quas ſunt, habent ex ſeipſis eſſe ſuſceptiuas proximè, & completè ipſarum, ſiquidem hæc eſt illarum eſſentia; ſecus euenit in potentia paſſiua obedientiali, quæ per ſe non reſpicit actum ſupernaturalem, neque ad illum ordinatur ex natura ſua, cum ſit ſupra eius exigentiam, & vires; ideo vt ſit completè potentia, & proximè, indiget aliquo ſuperaddito, quod non eſt aliud niſi diuina virtus, non quæ cauſet in illa aliquid intrinſecum, quo reddatur formaliter potens in actu primo recipere paſſionem ſupernaturalem, ſed quæ velit illam efficere in creatura: per hanc enim voluntatem creatura non ordinata ad patiendum ſupernaturaliter ex ſua natura ordinatur accidentaliter, & determinatur ad eſſe potentiæ paſſiuæ obedientialis, quæ in recto dicit entitatem naturalem vt mutabilem à virtute ſupernaturali.

Si rurſus vrgeas, quod per hanc ordinationem creatura nihil accipit intrinſecè, quo reddatur potens recipere, & proinde ex ſe habere, quod ſit potentia, & ab ordinatione ſolum habere extrinſecam denominationem.

Reſpondeo, nihil accipere intrinſecè, & extrinſecè denominari ordinatam; ſed nego, quod præterea non conſtituatur in ratione potentiæ paſſiuæ completæ per connotatum extrinſecum: ad hanc enim ſufficit entitas creaturæ in recto, & virtus creatoris in obliquo, iuxta dicta ſuperius, quia nomine potentiæ paſſiuæ obedientialis intelligimus complexum ex recto, obliquo modo explicato.

Ad tertiam confirmationem, diſtinguo conſequens; ex ſeipſa eſt potentia paſſiua remotè, & inadæquatè, concedo conſequentiam; proximè, & adæquatè, nego, quia ad completam rationem eius requiritur connotatum, vt dixi.

Quintum Argumentum

FSt contra tertiam aſſertionẽ, quia creatura, verbi gratia aqua, non magis apta eſt ad vnã mutationẽ ſupernaturalem, quàm ad aliam, neq; vllam connexionem habet cum effectibus ſupernaturalibus, ergo ex parte ipſius nullum eſt fundamentum, cur denominetur potentia etiam remota; ſed tota ratio denominationis eſt extrinſeca ab omnipotentia Dei. Antecedens patet, quia aqua non magis poteſt mutari miraculosè in vinum, quàm in oleum: neque magis apta eſt ad recipiẽdam vnam qualitatem naturalem, vel ſupernaturalem ſibi indebitam, quàm aliam: immò ſi qualitas ſit deſtructiua eius, vt eſt ſiccitas, & calor ſummus, habet naturalem repugnantiam ad illam: quia vnaquæque res inclinatur ad ſui conſeruationem, igitur non conuenit illi ratio vlla intrinſeca vt fundamentum denominationis potentiæ, ſed ſolum extrinſeca denominatio ab omnipotentia Dei habentis dominium, & facultatem faciendi quæ vult de illa.

Confirmatur ex differentia creaturæ rationalis à cæteris ratione carentibus: illa enim dicitur capax gratiæ, quia imago Dei eſt: non item pecora, & ligna, quæ non ſunt imago, igitur ſi illi conuenit denominatio potentiæ, & non niſi remotæ ſumpta ab hoc intrinſeco fundamento, cæteris eo deſtitutis non conuenit, ſed ſolũ denominatio extrinſeca à potẽtia Dei. Patet ſequela, quia alioqui quoad capacitatem, & potentiã paſſiuã non differret anima rationalis, & Angelus à lapide, & pecude, quia in omnibus produci poſſunt à Deo qualitates ſupernaturales, & dona gratiæ. Confirmatur ſecundò, quia alioqui eodẽ modo eſſet in anima, & Angelo potentia paſſiua ad dona gratiæ recipienda, ac ad tormenta pœnæ perferenda: ſiquidem & hæc infligi non repugnat per aliquid doloriferum ipſis impreſſum à Deo. Conſequens autẽ eſt abſurdũ, quia dona gratiæ ſunt perfectiua, & exigunt eſſe in creatura rationali, tanquam in proportionato ſubiecto, non item qualitas afflictiua, &c.

Reſpondeo ad argumentum, concedo antecedens, & probationem eius; nego conſequentiã, quia illa indifferentia creaturæ ad omnem mutationem, quam Deus vult, & non repugnantia ad vllam earum dicit quid poſitiuum in recto, id eſt entitatem ipſam creatam, quæ vt ſubſtet virtuti Dei actiuæ ſupernaturaliter volentis immutare, dicitur potẽtia paſſiua illi reſpõdens. Quod ſi qualitas, vel actio ſit deſtructiua, non habet quidẽ inclinationem ad illã; ſed tamẽ habet potentiã paſſiuam, quia poteſt illam pati ob ſummã ſubiectionẽ ad Deum ipſi eſſentialẽ; & ideo prẽter diuinam virtutẽ complentẽ rationem, & denominationem potentiæ paſſiuæ obedientialis, eſt entitas ipſa, quæ inchoat eandem; & ita du-

Digitized by Google

plex fundamentum adæquatæ denominationis.

Ad primam confirmationem, nego ſequelam, quia eſt maior proportio inter creaturam rationalem, & gratiam, quàm inter creaturas irrationales; & ideo poſita in illa habet ſuos effectus, quos apta eſt cauſare, puta reddere gratum, & amicum Deo, ac Filium eius adoptiuum, dare ius ad hæreditatem gloriæ, &c. quorum ſunt incapaces creaturæ reliquæ; ſed illa capacitas ſecundum ſe non eſt potentia niſi remota, quæ ſimpliciter potentia non eſt reſpectu formarum ſupernaturalium, nec illi reſpondet vlla potentia actiua naturalis; neque eſt in ipſa exigentia concurſus ſupernaturalis: iccirco quoad eſſe potentiæ paſſiuæ in ordine ad ſupernaturalia, non eſt diſparitas inter rationales, & irrationales creaturas, ſed eſt quoad proportionem, & conuenientiam prædictam. Ex quo patet

Ad ſecundam, nam creatura rationalis eſt æquè in potentia obedientiali ad qualitates ſupernaturales perfectiuas indebitas, ac affectiuas debitas non naturæ, ſed culpæ; illæ tamen magis ſunt proportionatæ, & poſtulant eſſe in ſubiecto rationali: non item iſtæ: ſicut magis congruit vnioni hypoſtaticæ ſubſtantia rationalis, quàm irrationalis, vt S. Bonau. in 3. diſt. 3. a. 3. q. 1. vtraque tamen habet potentiam obedientialem ad vnionem.

QVÆTIO III.

QVALIS SIT POTENTIA OBEDIENTIALIS PASSIVA.

SAtius vſurpatur hîc nomen qualitatis pro omni prædicato tam phyſico, quàm metaphyſico, quod intelligitur conuenire potentiæ huic paſſiuæ in vniuerſum conſideratæ, quatenus obedientialis eſt: omnia enim huiuſmodi prædicata conducibilia ſunt ad perfectiorem cognitionem definitionis ſupra traditæ, & inuoluunt in ſe theoremata non contemnenda, quæ ſelegimus, vt magis propria quæſtionis præſentis ex alijs multis quæ paſſim apud Theologos agitantur iuxta exigentiam materiæ in diuerſis diſtinctionibus librorum, ſententiarum, vel Summæ Sanct. Thomæ tractare ſolitæ. Illa autem præcipua ſunt.

I. *An potentia obedientialis paſſiua ſit vniuerſalis.*
II. *An extendat ſuam cauſalitatem ad accidentia non ſupernaturalia.*
III. *An ſe extendat ad omnem mutationem accidentalem per priuationem, ſeu prouenientem ex priuatione alicuius debiti creaturæ.*
IV. *An ſe extendat ad conuerſionem rerum in alias.*
V. *An potentia hæc dici poſſit neutra.*
VI. *Quomodo conſtituatur proxime receptiua formarum ſupernaturalium.*

Quibus reſpondent totidem capita continentia ſolutiones argumentorum.

An potentia paſsiua obedientialis ſit vniuerſalis.

CAPVT I.

I. *Multis modis creatura dicitur paſſiua ſupernaturaliter.*
II. *Primus eſt per perceptionem gratiæ, & donorum eius, de quo hic agitur.*
III. *Duæ præcipuæ ſententiæ circa illum.*
IV. *Potentia paſſiua extendit ſe ad receptionem, & ſuſtentationem gratiæ.*
V. *Quæ proinde non dicitur propriè creari, nec educi de potentia ſubiecti.*
VI. *Et licet crearetur, adhuc reſpectu eius daretur potentia paſſiua obedientialis.*
VII. *Idem dicendum de qualitatibus omnibus ſupernaturalibus.*
VIII. *Reſpondetur contrarijs argumentis.*

DE actiua obedientiali diximus ſupra, vocari vniuerſalem in ordine ad operationes, & effectus omnes non implicantes per creaturas quaſlibet, quia ad illos inſeruire poteſt vt inſtrumentum diuinæ potentiæ: Conſequenter paſſiua dicetur vniuerſalis reſpectu paſſionũ, & mutationum omnium, quas ſupernaturaliter recipere poteſt vel à ſolo Deo, vel ſimul cum ipſo ab alia creatura cooperante. Id autem cum pluribus modis contingere poſſit, ad ſequentes tamen tanquam ad capita principalia reduci omnes commodè queunt; quorum primus eſt per receptionem alicuius qualitatis indebitæ perfectiuæ, vt gratiæ; Secundus per priuationem alicuius debiti, vt calefactionis in igne, qualis forte fuit in Babylonia. Tertius per conuerſionem vnius rei in aliam, vt aquæ in vinum, ſicut in nuptijs Canæ: Vxoris Loth in ſtatuam ſalis, &c. Quartus per annihilationem. Incipiendo igitur à primo, difficultas eſt de gratia, & donis, an ita recipiantur in ſubiecto, puta in anima rationali, vt etiam conſtineantur in potentia eius obedientiali paſſiua, & ex illa dicantur educi: non quia ab hoc exemplo ſingulari pendeat determinatio quæſtionis vniuerſalis de potentia paſſiua receptiua; ſed quia ipſum

Multipliciter poteſt immutari creatura ſupernaturaliter.

principale est, & ab eius probatione coniectura de reliquis facile fieri potest. Neque ad hoc magni refert, quod creari dicatur gratia, vel non creari, dummodo concedatur recipi, & inhærere animæ, quod est potentiæ obedientialis; sed quia hæc magis elucet, si dicatur propriè non creari, eo quod fiat concurrente subiecto in genere causæ materialis sustentantis per potentiam eamdem; propterea & hæc tangenda fides est, ne intacta sit ratio extensioni potentiæ passiuæ obedientialis fauens.

Prima sententia negat potentiam passiuam obedientialem extendere suam causalitatem ad esse subiectum eductiuum gratiæ in fieri; eo quod propriè creetur à Deo. Ita plures antiquorum, ac recentum Theologorum apud auctores mox citandos, quos inter Faber Iauent. in 4. disp. 2. c. 3. & in 2. disp. 6. contrariam clamitat toti antiquitati refragari, & fundamento rationum, ac auctoritatum destituit; sed gratis, vt constabit ex dicendis. Faber.

Secunda sententia concedit potentiam obedientialem passiuam etiam ad hoc extendi, & gratiam educi propriè de potentia obedientiali subiecti, & non creari. Suarij tom. 3. p. disp. 9. sect. 1. & l. 8. de Grat. disp. 2. n. 8. & in Metaph. disp. 16. sect. 2. Vasq. 1. p. disp. 174. à c. 1. Val. 1. 2. disp. 8. q. 4. p. 2. Arriag. disp. 1. Phys. n. 38. & alij plures apud Ripal. disp. 7. à sect. 1. Quibus assentior quoad hoc, quod gratia non creetur, & fiat dependenter à subiecto sustentante; sed abnuo cum Conimbric. l. 1. Phys. c. 9. 12. q. 12. ab a. 5. concedere, quod propriè educatur; sic enim sentire ostendam SS. Bonau. & Thom. pro explicatione sit

P. Suar. Vasq. Valent. Arriag P. Ripald. Conimbric.

II.

Assertio prima.

POtentia obedientialis passiua extendit se ad causalitatem subiectiuam gratiæ, & donorum recipiendo, & sustentando illa in fieri, & conseruari. Probatur, quia gratia propriè non creatur, ergo recipitur, & sustentatur in anima per potentiam obedientialem. Sequela patet, quia accidens, quod recipitur in subiecto, & fit in illo, sustentatur ab ipso, vt dicam; Antecedens, de quo est controuersia, probatur

Ex S. Bonauentura.

CReatio propriè est ex nihilo productio, id est ex nullo subiecto sustentante, sic ille in 1. dist. 13. a. 1. q. 1. ad 3. *Dicendum, quod creatio de principali impositione dicit exitum ex nihilo.* Idem habet in 2. d. 1. p. prima, a. 3. q. 2. cap. vbi addit, quod mutatio est vel ad esse, & est creatio: vel ad non esse, & est corruptio, & annihilatio; vel in esse, quæ habet vtrumque extremum, & subiectum, quod est prius natura, quàm terminus, qualis est generatio; & ad hanc tertiam mutationem pertinent omnes illæ actiones, quæ supponunt subiectum, in quo fiunt; & proinde etiam iustificatio, seu infusio gratiæ, *& hæc quidem, seu quidam, fuistis, seu adhuc estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri*, 1. Cor. 6. quod est mutari accidentaliter per acquisitionem nouæ formæ, iuxta dictum S. Aug. l. 15. Trin. c. 8. *Quæ natura in rebus creatis excellentissima cum à suo creatore ab impietate iustificatur à deformi forma formosam transfertur in formam*, &c. Cum igitur hęc mutatio per S. Bonau. contradistinguatur à creatione, non bene dicitur, quod productio gratiæ in subiecto, per quam mutatur accidentaliter, & solum in esse fit creatio, iuxta S. Bonauenturæ principia. Auguſt.

In 2. dist. 26. a. 1. q. 2. ad 2. quod erat tale, Deus per seipsum creat, ergo & per seipsum recreat, seu iustificat sine dono creato, seu gratia, *Dicendum*, inquit, *quod verum est, quod est à solo Deo recreatio per gratiam, sicut à principio effectiuo; nihilominus tamen quia recreatio est rei iam existentis per aliquam dispositionem nouæ reformari, idem est recreatio, & reformatio; & propterea non tantum respicit principium effectiuum, sed & principium informatiuum; non sic de creatione, quæ simpliciter est de non ente, in qua simpliciter est productio rei, non secundum qualitatem alteratio*, &c. quid clarius ijs propositionibus? productio gratiæ respicit principium informatiuum, ergo non est creatio, sed secundum qualitatem alteratio; gratia autem non solum pendet ab eo, à quo est, sed etiam ab anima, in qua est, nec persistit in ea, nisi quandiu habet faciem suam, siue mentem ad Deum conuersam, &c. dependentia verò ista non solum est in conseruari, sed & in fieri, quia fit in anima, quam habet pro subiecto, quando causatur, vt ibid. S. Bonau. in c. quæstionis, & paulò post ostendam ratione. S. Bonau.

In eodem 2. d. 1. p. 1. a. 3. q. 1. vbi ex instituto disputat de creatione, *Quædam*, inquit, *est productio, in qua productum se habet aliter nunc, & prius, quia secundum aliquid sui fuit prius sub una dispositione, & nunc est sub alia; & talis est productio, quæ est ex materiali principio, vt naturalis generatio; quædam verò est productio, in qua productum aliquo modo se habet nunc, & nullo modo prius, & talis est productio, quæ est ex nihilo*, &c. & vniuersaliter creationem ab omni alia productione creata distinguit per hoc quod est ex nihilo, id est nullo præsupposito subiecto, quæ est vera, & communis explicatio, vt fusè Suar. disp. 20. Metaph. & l. 8. de Grat. c. 2. n. 10. Cum igitur gratia respiciat subiectum informatiuum, ratione cuius dicitur mutatio in esse, non debet in sententia S. Bonau. dici creatio propriè loquendo. Suar.

S. Thomas.

IN eodem sensu docet 1. 2. q. 110. a. 2. 3. nullum accidens propriè fieri, vel corrumpi, nisi secundum quod subiectum incipit, vel desinit esse actu per illud; *Et secundum hoc*, inquit, *etiam gratia dicitur creari ex eo quod homines secundum ipsam creantur, id est in nouo esse constituuntur ex nihilo, id est non ex meritis*, &c. non ergo creatur gratia, quia in subiecto producitur, in quo inest; creatio autem subsistentium est, vt idem 1. p. q. 45. a. 4. S. Thom.

Dices, S. Thom. iudicauit omnia accidentia habere se ad modum formarum naturalium, quæ non habent proprium esse, sed solum inesse: quia est impossibile eas naturaliter separari à subiecto, & ideo dixit creationem esse solum subsistentium propriè, non tamen dixit illas formas accidentales non creari absolutè, & generari, vel educi de potentia obiecti, sed tantum non creari, sed produci à solo Deo, quasi diceret eas produci à Deo ex nihilo, &c. Ita recentiores quidam.

Sed contra est, quia S. Th. vbicúque de creatione differt, aut supponit, aut expresè eã ab alijs

Digitized by Google

Creatio ex nihilo quomodo intelligatur. P. Valent.

mutationibus diſcriminat, quod eſt ex nihilo, vbi particula, ex, importat vel ordinẽ, vt cum dicitur ex mane fit meridies: quamuis enim inter nihil, & terminum realem non ſit ordo realis, vt Valent. notat 1. p. diſp. 7. de creat. q. 2. p. 1. tamen eſt ſecundum modum intelligendi cum fundamento in re, quia ex non eſſe, & negatione fit tranſitus ad eſſe. Vel importat negationẽ cauſæ materialis, ſeu ſubiecti, quod nullum

S. Thom.

præcedit in creatione propriè dicta. Et 1. p. q. 45. art. 1. 3. & 2. 2. *Creatio*, inquit, *non eſt mutatio, niſi ſecundum modum intelligendi tantum, nam de ratione mutationis eſt, quod aliquid idem ſe habeat aliter nunc, & prius; nam quando eſt idem ens actualiter ſe habens nunc, & prius, ſicut in motibus ſecundum quantitatem, & qualitatem.* Et mox, *ſed in creatione, per quam producitur tota ſubſtantia rerum, non poteſt accipi aliquid idem aliter ſe habens nunc, & prius*, &c. vnde & art. 2. dicitur productio totius entis vt ens eſt, ſequitur igitur non eſſe creationem vbi eſt aliquid aliter ſe habens nunc, & prius, vt contingit in productione gratiæ. Similia habet q. 65. art. 3.

Quare ſi produci à ſolo Deo ex nihilo eſt creari per S. Thom. & ex, dicit negationem cauſæ materialis, ſeu ſubiectiuæ, quomodo ex eo probari poteſt, quod formæ, quæ fiunt præſuppoſito ſubiecto, creentur?

S. Thom.

Præterea 1. 2. q. 113. art. 9. c. *Opus aliquod poteſt dici magnum dupliciter, vno modo ex parte modi agendi: & ſic maximum opus eſt opus creationis, in quo ex nihilo fit aliquid. Alio modo poteſt dici opus magnum propter magnitudinem eius, quod fit, & ſecundum hoc maius opus eſt iuſtificatio impij, qua terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis, quàm creatio cæli, & terræ*, &c. Vbi Caietanus ait, *Quod pro tanto tenendum dixerim, vt gratiam non creari apud auctoris doctrinam confirmem*, &c. & meritò, nam ſi S. Th. diſtinguit iuſtificationem à creatione, quomodo productio, vel infuſio gratiæ, in qua conſiſtit iuſtificatio, ſit creatio?

Caiet. ait gratiam non creari in ſententia S. Th.

Confirmatur ex eodem Caietano 3. p. q. 62. a. 1. quod gratia, cum deſinit eſſe, non annihilatur, *Nam ſi creatur*, inquit, *quia creatio eſt ex nihilo, cum deſineret conſeruari, oporteret, quod eius deſitio eſſet annihilatio; Deum autem credimus, nihil vnquam annihilare.*

Durandus etiam in 2. d. 18. q. 2. numero 14. *Quod non eſt natum*, inquit, *per ſe ſubſiſtere, minimè proprie dicitur creari, ſicut eſt de gratia in anima.* Sed præcipua auctoritas eſt

Concilij Tridentini.

NAm ſeſſ. 6. cap. 7. habet ferme omnia, quæ ex SS. Bonau. & Thoma attulimus; primò enim meminit mutationis accidentalis in ſubiecto aliter ſe nunc habente, ac prius, cum dicitur, quod iuſtificatio eſt renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum; vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus. In creatione autem non ſupponitur ſubiectum, quia eſt ex nihilo, & totus terminus, ad quem ponitur in eſſe. Secundò dicitur gratia infundi, & inhærere, cum ſit cauſa formalis iuſtificationis. Caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque in ipſis inhæret. Et can. 11. *Si quis dixerit homines iuſtificari vel ſola peccatorum remiſſione, exclusa gratia, & caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque in illis inhæreat*, &c. Creatio autem non inhærentium, ſed ſubſiſtentium eſt. Tertiò Concilium vocat Sacramenta cauſam inſtrumentalem noſtræ iuſtificationis, nimirum gratiæ, qua formaliter iuſtificamur, ergo ad hominem gratia non creatur, ſi per te non datur inſtrumentum creationis ex 1. p. q. 45. a. 5. Ex ijs formatur ratio ad probandum aſſertionem.

Anima eſt cauſa ſubiectiua gratiæ.

Tertiò, Anima habet rationem ſubiecti, in quo recipitur, inhæret, & quod perficit gratia, ergo eſt cauſa materialis, non quidem eductiua, ſed ſubiectiua gratiæ. Conſequentia patet, quia accidentia, quæ inhærent ſubiecto vera, & propria inhæſione ſuſtentantur ab illo, & dependent in genere cauſæ ſubiectiuæ, vt ſuppono ex communi doctrina Philoſophorum in tract. de cauſis ex 2. Phyſ. & explicat Suar. diſp. 14. Metaph. ſect. 2. Gratia autem inhæret ex Tridentino. Antecedens probatur, nam licet controuerſum ſit inter Philoſophos, in quo conſiſtat propriè ratio ſubiecti in vniuerſum, vt videre eſt apud eoſdem præſertim recentiores P. Pet. Hurtad. diſp. 2. Phyſ. à §. 14. & de Incarn. diſp. 22. à ſect. 1. P. Arriag. diſp. 2 Phyſ. & diſp. 8. & 9. Nihilominus inter omnes conuenit, accidentia, quæ verè, & propriè inhærent, habere dependentiam à ſubiecto, vt à cauſa materiali: dico quæ inhærent, quod certum eſt de gratia, omiſſa quæſtione, an detur præterea ſubiectum adhæſionis in aliquibus, quorum ſunt vnita inſeparabiliter ex parte ſaltem vnius, vt cenſet Soar. diſp. 20. Metap. ſect. 5. & ſequitur Arriag. contra Vaſq. vocantem hanc diſtinctionem terminorum abuſionem: quicquid enim ſit in præſentia de hoc, certè anima non eſt ſubiectum adhæſionis tantum, ſed inhæſionis, quia gratia eſt accidens.

P. Suar.

Diſtinctio ſubiecti inhæſionis, & adhæſionis.

Confirmatur, & explicatur magis ex doctrina S. Bonau. in 2. d. 26. art. 1. q. 3. cap. *Vtrum aliquid accidens*, ait, *quod comparatur ad aliquid, ſicut ad ſubiectum, & ad cauſam: aliquod, quod ſolum comparatur ad aliquid, ſicut ad ſubiectum, & non cauſam: lumen in aëre, vel ſpecies in ſpeculo comparatur ſolum ſicut ad ſubiectum, non ſicut ad cauſam: quia etſi ibi recipiatur, aliunde tamen habet ortum.* Et huic aſſimilat gratiam, quæ à Deo ſolum efficitur, ſed in anima recipitur, à qua ſupra dixerat pendere, quia non ſolum eſt cauſa moralis conſeruationis eius, ſed & phyſica concurrendo vt ſubiectum, quod ipſam recipit, & à qua perficitur, quod declarat exemplo luminis in aëre quæſtione ſecunda præcedente: Sicut, inquit, ab iſto ſole materiali influitur lumen corporale in aëre, per quod aër formaliter illuminatur: ſic à ſole ſpirituali, qui Deus eſt, influit lumen ſpirituale in animam, à quo anima formaliter illuminatur, & reformatur, & gratificatur, & viuificatur, &c. igitur ineſt animæ vt in ſubiecto, quod informat, vt apertè in fine quæſtionis, vbi concludit quod per ſe ineſt animæ in genere ſubiecti, licet non per ſe in genere cauſæ, quia ſcilicet non oritur ex principio ſubiecti, ſed ex mera liberalitate Dei confertur, vbi excluditur cauſalitas effectiua, & naturalis ad exigentiam animæ, quia nullum datur principium naturale, vel

S. Bonau.

Digitized by Google

potens producere gratiam, vel exigens in ſe produci, neque potentia eductiua, in qua contineatur, & de qua educatur gratia, non autem excluditur cauſalitas ſubiectiua per receptionem, & ſuſtentationem, quæ eſt reſpectu accidentis etiam ſupernaturalis inhærentis. Et quia ibi vtitur verbo inhærendi, non poteſt intelligi de ſubiecto ſolùm informationis, quale eſt corpus reſpectu animæ rationalis, ſed ſuſtentationis, quale eſt, in quo inhæret accidens, & concurrit ad eius conſeruationem.

Quare in eodem 2. d. 13. fin. de lumine, cui comparat gratiam, docet, quòd quamuis ſit in aëre, cauſatur à corpore luminoſo, & ab illo principaliter dependet, &c. indicans minus principaliter pendere etiam ab aëre, in quo eſt, tanquam in ſubiecto deferente; & meritò, quia cum ſit accidens, de cuius ratione eſt inheſſe, pendet à ſubiecto, à quo ineſt in genere cauſæ materialis, & eodem modo intelligendus in 1. diſt. 37. p. 1. a. 1. q. 1. 1. vbi ait, quòd radius vnitur aëri ſecundùm præſentiam, quam vnionem diſtinguit ab illa, quæ eſt ſecundùm præſentiam, & dependentiam: hoc autem verum eſt, quia radius magis principaliter pendet à ſole, non quia minus principaliter non pendeat à ſubiecto, cum ſit accidens. Secutus eſt doctrinam Magiſtri ſui Alenſ. qui 8. Metaph. t. 13. *Quædam*, inquit, *ſunt accidentia, quæ non educuntur de potentia materiæ, & iſtorum nonnulla ſunt intentionalia, vt lumen, & alia non habent materiam, ex qua fiant, ex quo non educuntur per fieri, & per motum, ſed tamen habent materiam, in qua & hanc vocat ſubiectum, &c.* Sic & gratia principaliter quidem à Deo pendet, ſed quia producitur ab ipſo in anima, non multiplicat miracula, conſeruando actionē, qua gratiam conſeruaret extra illam, ſed conuenienti naturæ ipſius, id eſt dependenter à ſubiecto, vt accidentia reliqua.

Alenſ.

Quartò hinc ſequitur productionem gratiæ non eſſe creationem, nam quod pendet in fieri à ſubiecto non dicitur creari. Gratia eſt huiuſmodi, ergo. Maior eſt nota ex definitione creationis à te admiſſa, quòd ſit productio ex nihilo, id eſt ex nullo ſubiecto præſuppoſito. Minor probatur. Gratia in conſeruari pendet à ſubiecto, quia illi inhæret, vt patet ex dictis, ergo etiam in fieri. Patet ſequela, tum quia non minus eget ſubiecto in fieri, quàm in conſeruari: cum ſit accidens, quod pendet à ſubiecto etiam in fieri, quia eius natura eſt inhærere: tum quia alioqui fruſtra multiplicarentur actiones, vna ſcilicet, qua produceretur gratia, altera, qua vniretur animæ: cum ſufficiat vna, per quam ſimul producatur, & vniatur: ſicut ſufficit in reliquis accidentibus, ex eo quod cum poſtulent ineſſe ſubiecto in conſeruatione, poſtulant etiam in prima productione.

Gratia pendet a ſubiecto in fieri, & conſeruari.

Neque valet dicere, quòd gratia eſt excellentiſſima forma euehens creaturam ad eſſe diuinum, & quod proinde exigit peculiarem actionem, per quam producatur independenter omnino à creatura; nam ſi hæc excellentia non extrahit illam à natura accidentis, neque facit, vt non pendeat ab anima in conſeruari, non eſt ratio, cur ei debeatur actio diſtincta, quæ ſit vnitiua, ſicut debetur animæ rationali, quæ eſt ſubſtantia ſpiritualis independens à ſubiecto.

Confirmatur hæc ratio, quia ſi dantur duæ actiones in productione gratiæ, altera quæ terminatur ad exiſtentiam gratiæ, altera quæ ad vnionem eius in eadem anima, eſſent etiam duæ actiones conſeruatiuæ, altera gratiæ, altera vnionis: vtraque enim eget conſeruatione; igitur ſi ſepararetur gratia ab anima, duraret in ſuo eſſe per eamdem conſeruationem, ſicut durat anima rationalis ſeparata à corpore: idque ſecundùm exigentiam ſuæ naturæ, cui deberetur ſeparatim conſeruatio, ſi non pendet in illa à ſubiecto; atqui nulli accidenti quamtumuis excellenti debetur conſeruatio in eſſe extra ſubiectum: quia ſic deberetur modus per ſe exiſtendi, qui eſt proprius ſubſtantiæ, ergo neque gratiæ.

Quòd ſi dicas non deberi conſeruationem, niſi in ſumpto, ergo concedis pendere ab illo in exiſtere; igitur non poſtulat produci, niſi dependenter ab illo, & vnita illi; at hoc non poſtulat duas actiones, quarum altera ſit creatio, quia & per te creatio non exigit ſubiectum cum ſit ex nihilo; poterit ergo eſſe eadem actio productiua, & vnitiua gratiæ, quæ variaretur, ſi Deus vellet illam conſeruare ſine ſubiecto, quia tunc conſeruatio eſſet independens à ſubiecto, atque adeo diuerſa à prima, quæ dependebat, ſecus quàm contingat in anima rationali, quæ ſicut fit independenter à corpore, ita & independenter ab illo conſeruatur eadem actione, qua conſeruabatur in ipſo. Præterquam quod ſi Deus poteſt eadem actione producere gratiam, & vnire animæ, non eſt, cur duæ aſſerantur, niſi ad effugiendam difficultatem, qua præmitur ſententia aſſerens creari gratiam propriè, & per ſe. Quod autem ſit poſſibile Deo eadem actione producere, & vnire gratiam animæ, non eſt, cur negetur, cum nulla appareat implicantia.

Confirmatur, quia tam productio, quàm vnio gratiæ eſt ſupernaturalis, igitur ſi hæc pendet ab anima vt à ſubiecto, etiam illa pendere poteſt; ſi enim ſermo ſit de anima ſecundùm potentiam naturalem, tam eſt improportionata vnioni ſupernaturali, quàm gratiæ, cum vtraque ſit in diuerſo ordine; ſi ſecundùm potentiam obedientialem, ſicut ſit ſubiectum proportionatum vnius, ita & productionis fieri poteſt; alioqui neque in conſeruari penderet ab ea, vt à ſubiecto. Cum verò ſecundum Trid. loc. cit. inhæreat, & informet, ſuſtineri non poteſt, quin pendeat; hoc namque commune eſt omni accidenti, vt pendeat à ſubiecto, in quo inhæret, & inhærentia ipſa eſt quædam dependentia, & quidem continuata, id eſt eadem quæ fuit in fieri: conſeruatio enim eſt continuata productio, ſaltem quando pendet ab vno adæquato agente: qualis eſſet gratiæ extra Sacramentum productæ, tunc enim diuerſa eſt actio conſeruatiua à ſolo Deo ab illa, per quam primò producta fuit inſtrumentaliter etiam à Sacramento.

Quintò. Arguit Soar. loc. cit. actus ſupernaturalis fidei caritatis, immo & viſionis beatæ pendeant effectiuè etiam à potētiis vitalibus, non ſolum quoad vnionem, ſed etiam quoad entitatem, & non fiunt per duas actiones, ſed per vnam, & eamdem, qua vniuntur, ergo qualitates ſupernaturales non poſtulant diſtin-

ctam actionem, qua fiant, ab ea, qua vniuntur. Antecedens manifeſtum eſt in actibus liberis: nam ſi fiunt à Deo diſtincta actione, vel neceſſariò eos voluntas recipit, & vnit ſibi: & ita non ſunt liberi, quia non procedunt à potentia libera, vel non neceſſariò, atque ita poteſt factos à Deo voluntas reſpuere, aut negatiuè ſe habere ad illos in ſe productos extrinsecè; atque ita habere in ſe actum amoris, & non amare, quia amare eſt vitaliter influere in actum amoris & hic influxus non eſt, ſi Deus ſolus creet actus ſupernaturales, & potentia tantum concurrat ad illum ſibi vniendum.

Actus vitalis poſtulat ab eo fieri in quo recipitur.

Adde quod natura actus vitalis poſtulat in eo fieri & ſubiectari, à quo elicitur: propterea enim dicitur immanens; Deus autem producit illum, vt exigit produci, id eſt inhærenter ſuo ſubiecto, nec multiplicat miracula ſine neceſſitate, neque actiones, & terminos contra exigentiam rerum: proinde ſimul cum potentia concurrit ad illius productionem, & non creat ſe ſolo actum dando illi exiſtentiam, & deinde concurrendo cum potentia ad illius vnionem: ad quid enim multiplicatio iſta? ſufficit enim vna, & eadem actio Dei, & intellectus, ac voluntatis, tam quando operantur naturaliter ex propria virtute, quàm quando ſupernaturaliter per diuinam eleuata, ſiue informentur iam habitibus infuſis: ſiue per auxilium actuale ante illorum infuſionem eleuentur. Iccirco ſatius eſt dicere potentias ſimul efficere, & ſimul vnire ſibi ſuos actus, concurrente Deo, vt cauſa vniuerſali per auxilium commune creaturis omnibus, ſi ſint naturales; aut per ſpeciale, & ſupernaturale, ſi ſint ſupernaturales, attemperato de cætero concurſu naturis, & modo operandi ipſarum: propterea enim & infundit habitus, vt ex ipſis, ac potentijs fiat vnum principium magis connaturale operationum: & in beatis lumen gloriæ, vt connaturalius fiat viſio.

Confirmatur, quia ſi actus ſupernaturalis fit à ſolo Deo, & à potentia vnitur, procul dubio per actionem propriam potentiæ; verbi gratia, ſi actus caritatis productus à Deo vnitur à voluntate, in qua recipitur, per volitionem aliquam vnitur; actus enim voluntatis ſunt volitio, & nolitio, proſecutio, & fuga: & hic rurſus eſſet ſupernaturalis: quia per naturalem non poteſt attingi terminus ſupernaturalis, qualis eſt vel inhæſio caritatis in anima, vel concretum ex vtraque; tunc de hoc actu rurſus quæro, an fiat à Deo ſolo, an ſimul à voluntate; ſi primum, dabitur proceſſus in infinitum, quia & ipſe deberet vniri à potentia per alium actum ſibi proprium, ſi ſecundum, cur non poteſt idem dici de primo actu caritatis, quod immanenter à voluntate eleuata producatur?

Sextò, Quia principalis ratio, cur aſſerantur duæ actiones, creatiua, & vnitiua in productione gratiæ, eſt, ne dicatur educi de potentia animæ, ſed propter hoc non eſt neceſſaria multiplicatio actionum, vt latè probat Soar. tom. 3. in 3. p. diſp. 9. à ſectione 1. Valq. tom. 1. in 3. p. diſp. 132. cap. 1. & in noſtra ſententia, qui non admittimus hanc eductionem probatione non eget, ſi ſemel probemus gratiam non educi, pro quo ſit

Aſſertio ſecunda.

QVamuis productio gratiæ non ſit propriè creatio, vt patet ex dictis, non tamen eſt eductio de potentia ſubiecti. Eſt contra aliquos auctores ſecundæ ſententiæ, quibus placet vocare eductionem propriè. Sed aſſertio eſt S. Th. & S. Bonau. & eorum, qui formas intentionales negant educi de potentia materiæ, vt Alenſ. Ægid. Argent. Soncin. quos refert, ac refellit Soar. diſp. 16. Metaph. ſect. 2. numero 4. & aliorum, quos ſequuntur Conimbric. loc. cit. III.

Sanct. Thom. in 1. diſt. 17. art. 2, quæſt. corp. S. Thom.

Dona, inquit, *gratuita non educuntur quaſi de potentia naturæ: quia nihil eſt in potentia naturali, quod per agens naturale educi non poſſit; & ideo origo gratiæ eſt per nouam infuſionem.* Idem habet 1. p. q. 90. a. 2. 2. de anima rationali; *Dicendum, quod actum extrahi de potentia materiæ nihil aliud eſt, quam aliquid fieri actu quod prius erat in potentia; ſed quia anima rationalis non habet ſuum eſſe dependens à materia corporali, ſed habet eſſe ſubſiſtens, & excedit capacitatem materiæ corporalis, propterea non educitur de potentia materiæ.*

Vbi Caietanus notat ſecretum Peripateticum, formam educi de potentia materiæ, formam eſſe in potentia materiæ eſt eſſe in ea vt cauſa non actiua, ſed materiali, quod eſt habere eſſe dependens, & confuſum in ea, quod fit diſtinctum vi tranſmutationis materiæ, per quam forma reſultat: atque ita educi formam de potentia materiæ eſt ipſam ex vi tranſmutationis reſultare in ea, & quia ex vi tranſmutationis non reſultat anima rationalis, ſed à Deo infunditur corpori, ideo non educitur de potentia materiæ. Quæ ratio probat, quod gratia non educatur, quia à ſolo Deo fieri poteſt, & ex nulla tranſmutatione reſultare, quia neque habet eſſe confuſum in ea. Idem docet Caiet. Secretum Peripateticum.

S. Bonauentura.

NAm in 2. d. 26. art. 1. cit. aſſertione præcedenti, q. p. ad vltimum loquens de gratia docet, quod non ineſt per ſe in genere cauſæ, ideo non ineſt omnia animæ, nec ex principijs animæ habet originem, ſi tamen vult ineſſe animæ, vt in ſubiecto, quia illam informat, & q. 4. ad arg. docet gratiam, quia ex nihilo producitur, aduenientе culpa in nihilum redigi, ſicut & ſimilitudines in anima, & lumen in aëre in nihilum rediguntur: non item accidentia, quæ cauſantur ex principijs ſubiecti, quia hæc manet deſinentibus accidentibus, & ideo non omnino annihilantur, igitur non educitur gratia de potentia animæ: quia cum hæc maneat deſinente gratia, diceretur non annihilari, ſicut non annihilantur accidentia, quorum principia ex parte ſubiecti manent, præſertim quia potentia obedientialis paſſiua ſemper manet, ne forte interpreteris has auctoritates de potentia naturali, ſecundum quam non continetur gratia in creatura. Similia paſſim repetit S. Bonau. diſt. illa 26. & declarat exemplis paulò ante adductis.

Secundò probatur ratione. Anima rationalis non dicitur educi de potentia materiæ, non ſolum quia in ea non ſuſtentatur, ſed ob id maximè, quod extrinſecus aduenit ex Ariſt. lib. 2. de

Digitized by Google

generat. cap. 3. nam contra diſtinguitur educi de potentia materiæ, & extrinſecus aduenire, ſed potentia & dona extrinſecus aduenium, ergo non educuntur.

Quod educitur de potentia ſubiecti, continetur in eo. S. Auguſt.

Tertiò, Quod educitur de potentia ſubiecti debet in eo contineri aliquo modo, ita vt quaſi foris deducatur quod intus latebat, ſic loquitur S. Auguſt. lib. 3. Trin. cap. 9. cit. de effectis, quæ reſultant à cauſis adhibitis ſecundum naturam ab Angelis, vel hominibus, vt ea quæ ſecreto naturæ ſinu abdita continentur, erumpant, & foris creentur, quodammodo explicando menſuras, & numeros, & pondera ſua, quæ in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in numero, & menſura, & pōdere diſpoſuit, &c. Et S. Th. loc. cit. requirit hanc continentiam cum Philoſph. aſſerentibus formas educi de potentia materiæ, & in ea contineri, quicquid deinde ſit hæc continentia. Sed in nullius creaturæ potentia continetur gratia, aut effectus ſupernaturalis ex eodem S. Auguſt. ibidem comparante mundum prægnantibus, ob rationes ſeminales inditas rebus ad effectus naturales, quas non indidit ad ſupernaturales, ſed apud ſe ſeruauit, igitur non continentur in potentia creaturæ neque actiua, neque paſſiua.

S. Thom.

Gratia non continetur in potentia creaturæ.

Nec valet dicere, quod gratia educitur de potentia obedientiali: quæro enim, quid ſit educi iſtud? ſi dicas eſſe fieri à ſubiecto actionem, & gratiam, quæ producitur, hoc non ſufficit ad propriam eductionem, vt accipitur in Phyſicis; quia quod non continetur in ſubiecto ſuſtentante, non educitur; in ſententia Philoſophorum; gratia non continetur in creatura vlla, vt in cauſa etiam ſubiectiua, & eductiua, cum à ſola Dei virtute pendeat, & ſit ſuperioris ordinis à tota natura, nec reſulter ex vi tranſmutationis ſubiecti, ſed fiat virtute diuina, & extrinſecus aduenias animæ; atque ita educi de potentia obedientiali eſt in propriè educi, cum ſolam dicat receptionem, & ſuſtentationem, quæ indicat quidem indigentiam gratiæ, vt ſuſtentetur; non autem continentiam, vt educatur de potentia ſubiecti.

Nec poteſt dici quod gratia educitur de potentia obedientiali.

Quod ſi licuit Aur. in 1. diſt. 42. notaſſe, impropriè dici, quod forma educitur de potentia materiæ, & melius dici, ſicut exprimit comment. 12. Metaph. . . . quod materia trahitur ad formam de finibus materiæ, ſed ipſam materiam ad actum; multo magis licebit dicere, quod gratia non educatur de potentia ſubiecti, ſed illud reducatur ad eſſe gratum per virtutem agentis ſupernaturalis.

Confirmatur, quia effectus ſupernaturales in tantum continentur in virtute potentiæ obedientialis actiuæ, inquantum virtute principalis agentis ſupernaturalis poteſt creatura eleuari ad illos producendos; ſed ad eſſe ſubiectum eductiuum formæ ſupernaturalis non poteſt eleuari per virtutem extrinſecam, quia hæc per ſuam adſiſtentiam non concurrit in genere cauſæ materialis, & ſupponit poſſibilitatem earum in potentia intrinſeca, qualis non eſt per potentiam obedientialem, alioqui actus ſupernaturales continerentur in potentia actiua potentiarum vitalium, quia habent potentiam obedientialem ad illos: atqui nihil dicitur contineri in potentia alicuius actiua quod per illam non poteſt produci, ergo neque in potentia paſſiua eductiua quod non continetur in illa, & prodire ab illa poſſit, ſed ſolum recipi, & ſuſtentari, ſi extrinſecus illi aduenias ab agente, præſertim non indigente ſubiecto ad agendum.

Confirmatur ſecundo, quia ſi accidens recipiat, & ſuſtentet aliud accidens, præſertim ſupernaturale, quod eſſe poſſibile paulò poſt oſtēdam, concurrit in genere cauſæ materialis ſubiectiuæ, & non eductiuæ, quia accidens non educitur de potentia accidentis; igitur poteſt gratia recipi, & ſuſtentari in ſubiecto, quin dicatur de eius potentia educi.

Tertiò, Sequeretur alioqui formam ſubſtantialem fungi poſſe munere materiæ, quia poteſt recipere, & ſuſtentare accidentia omnia, atque adeo hæc dicerentur educi de potentia eius, non ſecus ac de potentia materiæ; atqui contra omnem Philoſophiam eſt, quod de omni forma ſubſtantiali poſſint educi accidentia quælibet etiam ſpiritualia, & ſupernaturalia, ex forma materiali, aut corporea ex forma ſpirituali; igitur recipi, & ſuſtentari in fieri non eſt idem quod educi.

Aſſertio tertia.

IV. POtentia obedientialis paſſiua eodem modo ſe habet reſpectu aliarum qualitatum ſupernaturalium, quo ſe habere diximus reſpectu gratiæ, quoad receptionem, & ſuſtentationem illorum. Probatur primò, quia ſiue loquamur de qualitatibus, quæ de facto infunduntur cum gratia; ſiue de alijs poſſibilibus, ex vna parte omnes ſunt ordinis ſupernaturalis, & indebitæ creaturis: ac proinde non continentur in earum potentia, nec educuntur de illa; & ex alia etiamſi educerentur, ſemper egerent ſuſtentatione in fieri, & conſeruari, cum ſint accidentia, quæ poſtulant ineſſe ſubiecto, igitur per potentiam obedientialem reciperentur, ac ſuſtentarentur: quia per naturalem, quæ non datur reſpectu ſupernaturalium.

Confirmatur, quia ſi Deus produceret aliquam huiuſmodi qualitatem extra ſubiectum, eamque conſeruaret, ſicut de facto conſeruat accidentia Euchariſtica; tum poſt aliquod tempus vniret illam ſubſtantiæ alicui; hæc vnio fieret per receptionem, & ſuſtentationem à ſubſtantia prouenientem, & ſiue ſit modus ex natura rei diſtinctus ab extremis, ſiue non, mutatio iſta omnino eſſet ſupernaturalis, & per potentiam obedientialem qualitas vel ſeipſa, vel media vnione inhæreret ſubſtantiæ.

Secundò in particulari vnio hypoſtatica humanitatis Chriſti Domini ad Verbum in ſententia Soarij, Vaſq. & aliorum inſignium Theologorum, eſt modus ex natura rei diſtinctus ab extremis, & pendet ab illis, & non continetur in potentia humanitatis, ſed in ea recipitur, eamque informat per potentiam obedientialem. Eſt autem eadem ratio aliorum ſupernaturalium donorum; igitur potentia obedientialis paſſiua eodem modo ſe habet ad illa.

Responsio ad argumenta contraria.

CAPVT II.

V. PRimum est contra primam. Quia in scriptura sunt locutiones significantes creari gratiam. *Cor mundum crea in me Deus*, &c. Psal. 50. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est*, Ephes. 4. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura*, Galat. 5. Quò pertinent auctoritates Patrum probantium gratiam à solo Deo fieri, vt S. Thom. 1. 2. quæst. 112. a. 1. quæ vix cohærent cum dependentia gratiæ ab aliqua causa creata etiam materiali, igitur non datur potentia obedientialis passiua in hoc sensu ad illam, sed solum in eo quod recipitur, & informat.

Ratio esse potest, quia vt S. Thom. ibid. *Nihil agit vltra suam speciem, quia semper causa potior est suo effectu; sed donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ*, cum nihil aliud sit, quàm participatio diuinæ naturæ excedentis omnem aliam naturam, ergo solus Deus causat gratiam, id est deificat. Ex quo concludunt recentiores, gratiam non educi de innata potentia creaturæ, cum sit participatio diuinæ naturæ nulli creaturæ innatæ.

Confirmatur ex SS. Bonau. & Thoma multis locis asserentibus gratiam non educi de potentia materiæ, sed à solo Deo produci; ille in 2. d. S. Bonau. 26. passim, sed a. 1. quæst. 4. disertè habet, *Cum gratia non producatur ex aliquo materialiter, sed fit simpliciter donum gratuitum, & omnino descendens à Patre luminum*, &c. Hic verò loc. cit. & S. Thom. in 1. d. 14. quæst. 3. art. vn. cap. *Et quia gratia*, inquit, *gratum faciens eleuat hominem supra totum esse naturæ*, inquantum elicit actum, & ordinat in finem, in quem natura per sua principia attingere non potest, non est perfectio educta de potentia materiæ, & ideo à solo Deo confertur.

Confirmatur secundò, quia si non creatur gratia, maximè quia vel Deus non vult, & hoc neque ex Patribus, neque abundè constat ex vlla auctoritate, aut ratione, immo potius contrarium, cum vnanimis consensus Scholasticorum fontem habeat scripturam, & Patres. Vel quia non potest, & hoc non quia potest quicquid non repugnat; non repugnat autem gratiam creari, quia licet sit accidens, & inesse debeat, est tamen absolutum, cui non repugnat per se existere, & produci, sicut neque accidentibus Eucharisticis.

Confirmatur tertiò, quia res diuersi ordinis non habet proportionem requisitam inter causam, & effectum, nisi causæ præstantia virtualiter, & eminenter contineat effectum; sed hæc continentia non est inter gratiam, & rem naturalem: cum illa sit ordinis supremi, & diuini, & solum à Deo producibilis, ergo neque erit in genere causæ materialis. Neque valet instantia, quod suppleri possit improportio virtute diuina, & attingi gratia instrumentaliter à creatura; nam hic concursus instrumentalis supponit principalem Dei eleuantis creaturam ad operandum; at in anima concurrente in genere causæ materialis nihil ponitur ipsam eleuãs antereceptionem, & sustentationem gratiæ, ergo semper manet improportionata, & impotens causare materialiter, sicut creatura quælibet diceretur impotens causare efficienter gratiam, nisi intelligeretur constitui in actu primo per diuinam assistentiam, aut donum aliquod, vt dicitur constitui potens intellectus videre Deum per lumen gloriæ.

Quartò, Si esset hæc virtus causandi materialiter, esset instrumentalis, quia respectu gratiæ nulla est principalis: at omnis instrumentalis est actiua: instrumentum namque est, quod mouet motum, & quod agit virtute principalis, vt Philosophi communiter.

Respondeo ad auctoritates, creationis nomen accipi multipliciter, sicut & verbum ipsũ creandi; primò latissimè, vt significat quamcumque rei effectionem, & productionem. Sic August. lib. 1. contra Aduersarium legis cap. 23. *Si verba*, inquit, *facere, & creare ex consuetudine consideremus locutionis humanæ, & fieri & creari non solum filij, quos de semetipso quis generat, verum etiam magistratus dicuntur, atque vrbes, quia & creare dicitur, condere, & ordinare*, ait idem S. August. lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 7. t. 1. Secundò minus latè vt significat actionem, & effectum à solo Deo productum, etiamsi ex materia, vel in materia producat. Gen. 1. *Creauit Deus hominem, masculum & feminam creauit eos*, &c. Et tamen Adam de limo terræ, Euam de costa formauit Adami. Sic habitus supernaturales, quos animæ cum gratia infundit, creare dicitur, & homo per illos regeneratus denominatur creatus. Eph. 2. *Ipsius enim factura sumus creati in operib⁹ bonis.* Tertiò strictè creatio est productio rei ex nihilo, & propriè rei subsistentis, vt Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram.* In primo, & secundo sensu loquuntur scriptura, & Patres; in tertio non nisi per accommodationem, quatenus ex non meritis fit gratia, sicut creatio ex nihilo. Deinde, sicut creatio effectiuè à solo Deo est, & nullam habet causam naturalem, ita & gratiæ productio; & propterea dicitur infundi, quia tantum habet causam supernaturalem, & non recipitur, neque sustentatur, nisi per potentiam obedientialem.

Creationis nomen accipitur multipliciter S. Augu⁹

Gen. 1.

Ephes. 2.

Ad rationem S. Thom. loquitur ibi de causa effectiua gratiæ, & concludit solum esse Deum, sicut & S. Bonau. supra, sed hinc non valet inferre, igitur non habet etiam materiale: quia Deus, qui posset gratiã extra subiectũ producere & cõseruare, producit eam in subiecto, & conseruat, concurrente illo in genere causæ materialis, & susceptiuæ, cum dicat Concilium gratiam inhærere animæ, & clamet Philosophia, accidentia, quæ inhærent pendere à subiecto in genere causæ materialis, ad quam sufficit inhæsio accidentalis, & non requiritur eductio, vt supra.

Ad primam confirmationem, SS. Bonau. & Thom. negant gratiam educi de potentia subiecti, sed non sustentari in subiecto. Ratio primi est, quia educi de potentia alicuius est fieri actu id quod erat in potentia, & dependenter ab illa per agens naturale, ex doctrina S. Th. 1. p. quæst. 90. art. 2. 2. & in 1. dist. 17. quæst. 2. a. 2. c. formæ autem supernaturales non sunt in potentia subiecti hoc modo, vt manifestum

Digitized by Google

est. Ratio secundi est, quia sunt accidentia, & proinde egent sustentatione subiecti, quod sufficit ad potentiam obedientialem passiuam, vt diximus; concedo igitur à solo Deo produci gratiam, & non educi propriè; nego, quòd non fiant dependenter à subiecto in genere causæ materialis, quia in eo recipiuntur, & sustentantur.

Ad secundam confirmationem, non repugnat, gratiam fieri, & conseruari independenter à subiecto, sed cum sit accidens, & postulet inhærentiam, ex Conc. Trid. conuenientius fit, & simul vnitur subiecto, ne multiplicentur actiones, & miracula: si enim per se fieret actione distincta ab illa, quæ vnitur, essent duæ actiones supernaturales productiua, & vnitiua, immo adderetur tertia conseruatiua, quia existentia in subiecto habet secum nouam dependentiam diuersam à prima productione independenter à subiecto: actio enim pendens à subiecto non est eadem cum actione independente; & iccirco sicut si inciperet gratia conseruari extra subiectum, mutaretur actio, & esset diuersa ab illa, qua conseruabatur in subiecto; ita si produceretur primò per se, & deinde vniretur subiecto, deberet aduenire alia actio, ad quid tot actiones?

Ad tertiam confirmationem. Proportio consistit in hoc quod anima potest recipere gratiam, & dona supernaturalia, vt substat diuinæ potentiæ, iuxta illud Aug. l. 1. de Prædest. sanctorum cap. 5. *Posse habere fidem naturæ est hominum, habere autem gratiæ est fidelium*, neque capacitas ista eget aliquo superaddito, vt compleatur; vel enim illud esset naturale, & hoc non eleuaret supra naturam: vel supernaturale, & iam supponeretur capax illius ex sua entitate; in quo est dispar ratio potentiæ actiuæ obedientialis: quia ad agendum plus requiritur, quàm ad patiendum, & ideo eleuari debet creatura ad agendum supernaturaliter, & constitui potens in actu primo completo, vt superius explicatum est.

S. August.

Ad quartam. Quidam recentiores cum P. Ripal. disp. 7. sect. 1. non verentur appellare instrumentalem, quia subordinatur, & obedit causæ superiori, recipiendo supra suam exigentiam, & sustentando gratiam. Aliis videtur catachresis hæc, standō in terminis Philosophorum, & Theologorum superius citatorum diuidentium in principalem, & instrumentalem solùm causam efficientem, ideo non vocant instrumentalem, aut principalem, sed obedientialem passiuam. Quæstio est de nomine, in qua nihil prohibet appellare instrumentalem, quia licet diuisio causæ efficientis in principalem & instrumentalem non admittat subdiuisionem instrumentalis in actiuam, & passiuam tamen instrumentum latius patet efficiente; vnde & supra numerauimus instrumenta artis, quæ nihil agendo, sed solùm patiendo inseruiunt artifici.

Argumentum secundum.

EST, quia non apparet, in quo consistat hæc causalitas materialis animæ, aut alterius subiecti in gratiam: nam de potentia absoluta potest produci à Deo, & conseruari à se solo etiam in anima, & extra illam in quolibet alio subiecto; ponamus ergo gratiam talem in anima productam independenter ab anima in primo instanti incipere dependere ab illa immediatè post quid illi aduenit, ratione cuius ex non dependente fiat dependens ab ipsa: non enim noua actio, quia per illam pendet à Deo in genere causæ efficientis, & non ab anima, à qua pendet solùm in genere causæ materialis sustentantis: non item noua vnio, aut inhæsio, quia gratia per hanc nihil accipit ab anima, cum fiat & hæc à Deo, & cum subiiciatur etiam ipsa in anima; Rursus quæretur, in quo consistat hæc causalitas subiecti respectu vnionis: qualis ergo est hic influxus animæ in gratiam, tanquam causæ à qua pendet, aut quis eius terminus?

Confirmatur, quia in hac sententia, quod simul fiat gratia, & vniatur animæ, causalitas subiecti non est actio productiua, & vnitiua: nam illa cessante durat hæc causalitas, vt patet, quando producitur à Sacramentis, & postmodum à Deo solo conseruatur per nouam actionem; neque causalitas subiecti consistit in noua actione conseruatiua, quia hæc distinguitur à concursu materiali: potest enim gratia conseruari à Deo extra subiectum: atque ita manere conseruatio sine concursu animæ vt subiecti: & proinde ij duo concursus sunt distincti, & quæritur, in quo consistat causalitas animæ vt subiecti gratiæ.

Respondeo, argumentum esse commune omni accidenti recepto, & sustentato in subiecto, & solum discrimen esse, quòd gratia, & dona supernaturalia habent causam supernaturalem, reliqua accidentia naturalem. Quæstio igitur est planè Physica, & complectitur causalitatem materiæ, vel rei cuiuslibet fungentis munere causæ materialis in recipiendo, & sustentando, de qua fusè recentiores citati, & alij in 2. Phys. Soar. in Metaph. disp. 13. sect. 9. & in particulari de causa materiali accidentium etiam supernaturalium disp. 14. sect. 1.

Breuiter respondeo, causalitatem materialem animæ respectu gratiæ in hoc consistere, quod gratia fiat, & conseruetur vnita illi, vt subiecto recipienti, seu inhæsionis. Patet, quia posita inhæsione, & receptione, intelligitur causalitas ista, & ablata, quodcumque aliud ponatur, non stat conceptus causalitatis, ergo in ea consistit. Est autem in proposito inhæsio eadem, ac receptio, & vnio nomine diuersa rei non diuersæ, nisi in significando: inhæsio enim accidentis est receptio subiecti, vnio vtriusque. Nego igitur in forma ad argumentum, non consistere causalitatem subiecti in receptione, seu inhæsione, quia licet effectiuè causetur à Deo, subiectiuè est in anima, in qua sustentatur; & quando quæris, quid sit ille influxus animæ, aut quis terminus eius, respondeo, esse gratiæ sustentationem indistinctam ab inhæsione, non quia ipsa vnio sola sustentetur, sed quia etiam ipsa entitas gratiæ vnitæ cum sit accidens, pendet à subiecto sustentante media vnione; terminus autem vltimus est ipsum vnitum.

Dices; posset esse vnita gratia animæ, & ab illa non sustentari, sed à solo Deo: sicut de facto anima rationalis est vnita corpori, & non sustentatur ab illo, nec pendet in suo esse à materia, ergo causalitas animæ non consistit in

Digitized by Google

vnione, quia hac remanente deſinit ſuſtentatio, ſicut in formis materialibus ſubſtantialibus poteſt dari vnio cum materia, quæ de abſoluta potentia creetur, & non pendeat à partibus vnitis materialiter, vt cenſent quidam recentiores.

Reſpondeo, nego aſſumptum: ſicut enim manente vnione in partibus, non poſſunt illæ non eſſe vnitæ, quia non poteſt eſſe forma vnitas ſine ſuo effectu formali: ita non poteſt remanere gratia vnita animæ per inhærentiam, quin maneat cauſalitas ſubiectiua, ſiue receptio, & ſuſtentatio: cum idem ſint realiter inhærentia, receptio, ſuſtentatio, atque vnio in probabili ſententia non amante multiplicationem tot modorum: neque enim prius requiritur vnio, quàm cauſalitas animæ: ſed ipſamet vnio, ac receptio gratiæ ſunt cauſalitas animæ non habens aliam cauſalitatem, quia ſeipſa pendet à ſubiecto vt cauſa materiali, eo modo, quo pendere poteſt, ſicut actio ſeipſa pendet ab agente.

Inhærentia, receptio accidentis in ſubiecto, & vnio idem unt.

Ad confirmationem argumenti principalis reſpondeo, quod quando gratia producitur à Sacramentis, poſt inſtans productionis incipit noua actio à ſolo Deo conſeruante, & hæc eadem eſt vnitio conſeruatiua ſine nouo modo vnionis diſtinctæ, & quia illa mediante conſeruatur gratia in anima, ideo dicitur cauſalitas animæ vt ſubiecti ſuſtentantis gratiam, illa enim eſt cauſalitas, qua mediante cauſa habet ſuum effectum, ſed hinc ſequitur

Argumentum tertium.

QVia in productione gratiæ ſunt omnes conditiones requiſitæ ad hoc vt dicatur educi de potentia ſubiecti, & illa potiſſima ad hoc ſufficiens, quia educi nihil eſt aliud, quàm fieri ex ſubiecto, id eſt cum dependentia ab ipſo in fieri, & eſſe.

Neque valet dicere, quod id intelligitur de ſubiecto ſecundum potentiam naturalem, & non ſecundum obedientialem; nam in primis quod ita ſit, ex ſubiecto ſit: & proinde non eſt creatio, quæ eſt productio ex nullo ſubiecto præſuppoſito, igitur eſt eductio.

Deinde eſt ratio in contrarium, qua confirmatur argumentum; quia ſicut datur qualitas naturalis, & ſupernaturalis ex præſuppoſito ſubiecto, dabitur etiam eductio naturalis, & ſupernaturalis tàm ex parte principij actiui: quàm paſſiui: atque adeo ex potentia paſſiua obedientiali, conuenientes in generali modo eductionis.

Reſpondeo in primis, hanc eſſe quæſtionem de nomine, in qua neque abſolutè gratia creari dicitur in rigore, & proprietate ſermonis, vt patet ex dictis; neque in eadem propriè educi de potentia animæ ob rationes allatas; ſed ſolùm ſumpto latè vocabulo eductionis pro productione formæ in ſubiecto cum dependentia in ſuſtentari ab eodem.

Secundò reſpondeo, non ſufficere ad eductionem propriè ſumptam gratiam fieri in ſubiecto, cum dependentia in ſuſtentari, ſeu cum inhæſione, ſed præterea requiri, vt contineatur in eius potentia naturali, cui reſpondeat actiua naturalis: ad hoc enim ſignificandum

Quid requiratur ad eductionem de ſubiecto propriè acceptam.

vſurpata eſt à Philoſophis vox eductionis, quaſi productionis eius, quod continebatur in ſubiecto, vt ſupra; & quia gratia, ac reliquæ formæ ſupernaturales non continentur in potentia vllius creaturæ, ideo non dicuntur educi, ſed produci.

Ad confirmationem negatur ſequela; diſparitas eſt, quia ad illas actiones ſupernaturales ſufficit principium actiuum ſupernaturale; ad eductionem propriè dictam requiruntur aliæ conditiones ſupra numeratæ, præſertim continentia, quæ eſt veluti ſemen formæ, quæ educitur: ſeu eſſe confuſum, & indiſtinctum eius; alioqui ſi nullo modo continetur, quomodo dicetur educi? quod enim educitur ex aliquo ſubiecto, in eo præſupponitur vel ſecundum eſſe actuale, ſaltem imperfectum: vel ſecundum eſſe virtuale, ſeu potentiale; gratia autem, & dona eius non ſunt in potentia creaturæ, vt in cauſa, ex qua, aut à qua fiant, quia tranſcendunt ordinem naturæ; & quòd ſint in potentia obedientiali, arguit ſolùm quòd per diuinam virtutem poſſint produci, & in creatura recipi: non autem, quòd intrinſecè fiat ſubiectum eductiuum.

An potentia paſsiua obedientialis extendat ſuam cauſalitatem ad alia accidentia non ſupernaturalia.

CAPVT III.

I. Senſus quæſtionis.
II. Subſtantia ſpiritualis habet potentiam obedientialem reſpectu accidentium materialium.
III. Et materialis reſpectu ſpiritualium.
IV. Soluuntur argumenta.

SEnſus quæſtionis patebit ex multiplici comparatione ſubſtantiæ cum accidentibus, & accidétium inter ſe; primò enim comparari poteſt ſubſtãtia ſpiritualis cum accidentibus materialibus. Secundò ſubſtantia corporea, & materialia cũ accidẽtibus ſpiritualibus. Tertiò accidentia cum accidentibus, ſpiritualia cum materialibus, & vice verſa: & vtraque inter ſeipſa in eodem, & diuerſo genere, vt infra dicam. Et de iis omnibus quæri poteſt, an habeant potentiam paſſiuam obedientialem, quoad primum modum initio præcedentis capitis poſitum, qui conſiſtit in receptione alicuius indebiti naturæ ſubiecti. VI.

Aſſertio prima.

SVbſtantia ſpiritualis habet potentiam obedientialem paſſiuam reſpectu accidentium materialium; hoc eſt dicere, quod Deus poteſt in illa producere huiuſmodi accidentia, ita vt recipiantur, & intrinſecè ipſam afficiant. Eſt S. Thom. quodlib. 7. a. 10. 3. vbi reſpondet poſſe qualitatem materialem, puta albedinem, miraculosè poni in Angelo, eo modo quo poteſt eſſe ſine quantitate. Quod aſſumit Capr. in 2. diſtinct. 3. quæſt. 2. a. 3. S. Th.

Ratio

Digitized by Google

Ratio est, quia in hoc non solum non apparet implicatia, sed etiam euidens probabilitas; Primò quia magis repugnare videtur accidenti per se existere sine vllo subiecto, quàm existere in subiecto non proportionato; sed illud de facto contingit in Eucharistia, ergo & hoc est possibile. Maior probatur, quia accidentis esse, hoc est natura sua postulat inesse, & non per se esse; proinde minus illi disconueniens est inesse in aliquo subiecto, quàm in nullo; sicut natura aëris est esse supra aquam, & infra ignem: minus tamen disconueniens est illi esse infra illam, & supra istum, quàm nullibi esse; & naturæ humanæ conueniens est, & debitum per se subsistere, & disconueniens carere subsistentia, melius tamen est ipsi subsistentia Verbi, quàm propria.

Secundò, quia ita se habet accidens materiale ad substantiam spiritualem, sicut accidens spirituale ad substantiam materialem, cum vtrumque sit subiectum disparatum ipsorum; sed hoc posti potest in substantia materiali, ergo & illud in spirituali. Probatur minor, tum quia vnio hypostatica ponitur de facto in corpore Christi Domini, & poni posset in creatura irrationali, si assumeretur ad subsistendum in persona diuina; tum quia gratia, & aliæ qualitates spirituales poni possent in substantia inanimi.

Tertiò de facto datur forma spiritualis informans corpus vt est anima rationalis, quæ recipitur, & non sustentatur; dantur habitus spirituales, qui afficiunt animam, & sustentantur in ea, & vnio in sententia probabili, quod anima habeat illam in se, & per eam vniatur materiæ; cur ergo de possibili repugnet dari substantiam spiritualem, quæ recipiat accidentia materialia, & illa sustentet, vt Angelum; vel animam rationalem affici posse luce exempli gr tia, calore, &c.

Confirmatur, quia plus distat natura humana finita à subsistentia Verbi infinita, quàm distet accidens materiale à substantia spirituali: cum vtrumque sit creatura finita, & perfectibilis; sed de facto illa subsistit, & sustentatur à Verbo; ergo & accidens materiale potest inexistere, & sustentari à substantia spirituali.

Assertio secunda.

VII. NOn solum substantia spiritualis, sed & quælibet corporalis habet potentiam obedientialem passiuam respectu qualitatum spiritualium, siue naturales illæ sint siue supernaturales. Suppono corpora affici posse huiusmodi qualitatibus, vt concedunt Thomistæ requirentes de facto illas in Sacramentis, & alijs corporibus, per quæ Deus miracula operatur; & in vniuersali non abnuunt de possibili. P. Ripal. disp. 41. cir. & Fasol. in 1. p. q. 12. a. 3. numero 6. & alij. Quo posito probatur assertio, quia in qualibet substantia potest produci omnis qualitas spiritualis, ita vt recipiatur, & sustentetur ab illa, sed non nisi per potentiam obedientialem, ergo, &c. Maior probatur, tum quia in hoc non apparet repugnantia, vt paulò ante dixi; tum quia de facto anima recipit, ac sustentat multa huiusmodi accidentia, & corpora glorioſa dotes agilitatis, impassibilitatis. &c. quæ supernaturales sunt; & corpus Christi subiectum est vbi Sacramentalis in sententia probabili, &c. ergo eadem est possibilitas in alijs tam substantijs, quàm accidentibus: cum omnia æquè subdita sint potentiæ creatoris, & in seipsis æquè improportionata in ratione entis, & proportionata in ratione receptiui, & sustentatiui. Et licet dona supernaturalia habeant maiorem conuenientiam cum creatura rationali, cui de facto Deus illa communicat, tamen non habent maiorem illorum exigentiam, vel potentiam ex sua natura, quàm cæteræ creaturæ: & ideo quoad hoc est eadem omnium ratio.

Corpora affici possunt qualitatibus superioribus.

Secundò vnio hypostatica recipitur in corpore, & anima Christi Domini, vt Soar. tom. 3. in 3. p. disp. 8 sect. 3. Vasq. t. 1. disp. 18. cap. 3. Hurtad. disp. 21. n 18. ergo & qualitates aliæ supernaturales recipi possunt, & sustentari in corpore. Probatur sequela, tum quia, si potest vnio recipi, quia est modus substantialis, multo magis poterunt accidentia quæ non sunt quid substantiale, & postulant inesse subiecto; tum quia vnio est altioris ordinis inter omnes res supernaturales; vt idem Soar. disp. 29 sect. 3. tom. 1. in 3. p. & tamen sustentatur, & pendet ab humanitate, igitur & reliqua supernaturalia pendere, & sustentari possunt à subiecto, in quo producuntur. P. Suar.

Confirmatur, quia natura irrationalis, & insensibilis assumi potest ad subsistentiam diuinam, vt Soar. tom. cit. disp. 14. sect. 2. SS. Bonau. & Thom. supra citati, ergo & recipere in se vnionem, ac cætera dona, illaque sustentare.

Adderem auctoritatem S. Augustini lib. 21. Ciu. cap. 4. qui ad probandum, quod corpora damnatorum æternum sint arsura, ait, *Habebit enim tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras, & varias tot rebus indidit, quas videmus, vt eas, quia multæ sunt, non miremur*, &c. Nisi quod quod Sanctus Doctor non explicat, naturalisne sit, an supernaturalis, spiritualis, an materialis illa qualitas, forte supponens esse posse indifferenter talem, vel talem, quod maximè facit ad probandam assertionem meam.

Assertio tertia.

VIII. OMne accidens absolutum habet potentiam obedientialem passiuam ad sustentanda quælibet accidentia. Explicatur, probatur; primò enim comparari possunt accidentia absoluta naturalia cum naturalibus eiusdem ordinis: materialia cum materialibus, spiritualia cum spiritualibus. Secundò materialia cum spiritualibus, & vice versa. Tertiò naturalia vtriusque generis cum supernaturalibus, & hæc cum illis. Quartò essentialiter connexa cum suis subiectis, & inseparabilia, si quæ dantur cum cæteris habentibus solum essentialem aptitudinem, & separabilibus per diuinam potentiam, vt separantur in Eucharistia: & vice versa: & de ijs omnibus assero, posse per diuinam potentiam dari mutuam sustentationem, non solum quia in genere causæ efficientis vnum concurrere possit ad conseruandum aliud

Comparatio multiplex accidentium inter se.

tam in ſubiecto, quàm extra: ſed quia in genere cauſæ materialis, & ſubiectiuæ vnum ſuſtentari poſſit in alio, ita vt ſuſtentans dicatur ſubiectum quod, & non quo, vt eſt quantitas, qua media accidentia materialia recipiuntur, & ſuſtentantur in corpore. Probatur primò, quia hoc admiſſo, nihil ſequitur, quod deſtruat rationem accidentis, vel ſuſtentantis, vel ſuſtentati, ergo non implicat. Sequela patet Antecedens probatur: dupliciter enim hoc poteſt contingere vel per aliquid ſuperadditum accidenti recipienti: qualis eſſet exempli gratia, modus poſitiuus per ſe exiſtendi, aut per influxum maiorem Dei conſeruantis accidens ſine concurſu materiali ſubiecti, qui modi ſunt poſſibiles; & primus de facto aſſeritur à Soar. de quantitate ſeparata in venerabili Sacramento t. 3. in 3. p. diſp. 57. ſect. 2. cum Caiet. 3. p. quæſt. 77. art. 7. Ferrar. 4. con. gen. cap. 66. aliter tamen explicantibus. Secundus verò cenſetur probabilior pleriſque recentiorum, inter quos P. Albertin. in Prædicamento Quantitatis diſp. p. quæſt. 3. citans pro ſe Palud. Sotum, & Scotum in 4. d. 12. quæſt. 1. 2. quibus addit Soar. Marſ. & Richard. Et quia poſſent etiam cætera accidentia per diuinam potentiam conſeruari ſeparata non ſolum à ſubſtantia, ſed etiam à quantitate, vt idem docet ſect. 3. fin. cum Capr. Ferrar. Soto, & alijs, & ante ipſos S. Thom. quodlib. 7. art. 10. cit. *Propter hoc*, inquit, *poteſt fieri, quod in Sacramento altaris quantitas ſit ſine ſubſtantia, quia quantitas per eſſentiam à ſubſtantia differt*, ſed ſimiliter qualitas differt per eſſentiam à quantitate, ergo eadem ratione fieri poſſet, vt qualitas eſſet ſine quantitate; Ideo hic etiam duplex modus per ſe exiſtendi, id eſt independenter à ſubiecto tribui illis poteſt, & vterque vocatur diſciplinæ gratia, Inſeitas, id eſt modus exiſtendi in ſe, & diſtinguitur à Perſeitate, id eſt modo exiſtendi per ſe, qui conuenit ſubſtantiæ, & ſuppoſito. Vtrouis autem modo exiſtat accidens, ſi Deus velit, poteſt efficere, vt cõcurrat in genere cauſæ ſuſtentantis aliud accidens: nam de facto quantitas in hoc genere concurrit ad ſuſtentanda accidentia in Euchariſtia; & naturaliter dicitur eſſe ſubiectum immediatum reliquorum accidentium communium in materia receptorum, vt ibid. Soar. & diſp. 14. Metaph. ſect. 4. etiamſi contradicant aliqui antiqui Gregor. 2. d. 12. q. 2, art. 2. & alij, quibus adhærent P. Hurtad. diſp. 6. Phyſ. § 55. Arriag. diſp. 5. n. 32. negantes communia accidentia ſubiectari inquantitate, quia non apparet ratio phyſica, cur quantitas ſit ſubiectum, & non alia accidentia: vnde & in Euchariſtia non ducunt abſurdum, quod omnia conſeruentur miraculosè, & non in quantitate ſuſtententur naturaliter. Sed S. Thom. docet quantitatem eſſe ibi ſubiectum aliorum accidentium, 3. p. quæſt. 77. 2. cap. & art. 3. quod hæc accidentia habent modum eſſendi, agendi, & patiendi ſubſtantiæ, ideo poſſunt agere, & pati quicquid poterat ſubſtantia præexiſtens; ideo in opinione probabiliori eius, & Soarij, quod aliqua accidentia ſint ſubiectum immediatum aliorum, non valet argumentum Gregorij, quod non ſit maior ratio, cur vnum accidens alteri accidat, quàm è conuerſo; nam vbi agitur de potentia obedientiali, illud accidit alteri, quod ſuſtentatur ab illo habente modum exiſtendi per te ſupernaturalem; & quod de facto conceditur, quod ſint ſubiectum immediatum in ſententia communi inſeruit pro coniectura valida arguendi ad poſſibilia ſupernaturaliter: non enim repugnantia eſt ex parte generis, vt ſunt accidẽtia: quia ſic nullum poſſet immediatè ſubijci alteri: neque ex parte ſpeciei: quia ſi quodlibet accidens ſaltem abſolutum poteſt ſeparatim exiſtere à ſubſtantia, vel per maiorem influxũ, vel per modum poſitiuum exiſtendi per ſe, cur non poterit Deus affingere illi aliud accidens, & vnire per modum aliquem inhæſionis, ita vt concurrat in genere cauſæ materialis, ſuſtentando illud? ſicut enim accidens illud eſſet ſubiectũ modi miraculosè ſuperadditi per ſe exiſtẽdi: ita & eſſet ſubiectum inhæſionis alterius accidentis. Secundò ſi attendatur diſtantia, & improportio terminorum, ea longè maior eſt inter Deum infinitum, independẽtem, purum; & primum actum, abſolutum ab omni potentialitate, & compoſitione, ſupernaturaliſſimũ inter omnia ſupernaturalia, & creaturam finitam eſſentialiter dependentem, admixtam potentialitati, & compoſitioni, &c. Item longè admirabilius eſt, ex ijs fieri vnum in vnitate perſonæ, ita vt verũ ſit dicere, Deus eſt homo, & vice verſa, quàm vnum accidens fieri ſubiectum, & ſuſtentare alterum per aliquem modum ſingularem exiſtendi per ſe: quandoquidem non eſt contra, vel ſupra naturam accidentis vt ſic ſubijci alteri accidenti, vt eſt contra naturam ſubſtantiæ carere ſubſtantia propria, & ſubſiſtere aliena. Si igitur illud eſt de facto, hoc cur negetur de poſſibili.

Soar. Caiet. Ferrar.

Albertin.

S. Thom.

Modus exiſtendi in ſe, iſtas diſtinctus à Perſeitate.

Soar. Gregor. Hurtad. Arriag.

Confirmatur, quia in ſententia admittente durationem diſtinctam à re exiſtente, & vbicationem à re locata, quodlibet accidens ſeparatum eſſet ſubiectum naturale durationis, locationis, relationis ſuarum, ergo ſupernaturaliter poſſet eſſe aliorum accidentium, quæ Deus in eo poneret; magis enim affinia ſunt eſſe ſubiectũ naturaliter ſuorum accidẽtium, & ſupernaturaliter alienorum, quàm eſſe penetrabile, eſſe totum in toto diuiſibiliter, & eſſe totum in qualibet parte, & quolibet indiuiſibili. Si igitur per diuinam potentiã duo corpora ſunt ſimul penetratiuè, & vnum corpus reſpondet totum cuilibet parti alterius, vt in Euchariſtia Sancta cur non poterit quodlibet accidens eſſe ſubiectum alterius ſupernaturaliter, niſi aliqua ratio particularis obſtet in caſu aliquo, in quo appareat contradictio?

Confirmatur ſecundò, quia dari poteſt accidens, quod ſit cauſa effectiua immediata ſubſtantiæ, non ſolum inſtrumentalis, quod de facto concedunt multi cum Suar. in Metaph. diſp. 17. ſect. 1. ſed etiam principalis partialis, quia in hoc nullã eſt repugnantia, vt recentiores aliqui, & P. Arriaga inter ipſos diſp. 11. Phyſ. ſ. 2. ergo etiam quodlibet accidens per diuinam potentiam poteſt eſſe ſubiectum alterius. Patet ſequela, quia plus eſt, quod accidens producat ſubſtãtiam, quam quod ſit ſubiectum alterius accidẽtis, & non minor requiritur proportio inter cauſam efficientẽ, & effectũ, quàm inter ſubiectũ, & id quod ſubijcitur;

Poteſt accidens immediate cauſare ſubſtantiam in ſententia probabili. Suar.

Digitized by Google

ſi ergo non repugnat fieri accidens, quod ſit proportionatum productiuum ſubſtantiæ, neque repugnat, quod omne accidens fiat ſubiectum accidentis per potentiam obediẽtialem.

Secundo principaliter probatur aſſertio, diſcurrendo per varia capita, ex quibus oriri poteſt repugnantia; vel enim eſt, quia eſſe ſubiectum accidentium proprium eſt ſubſtantiæ, ſicut & illa ſuſtentare, & formæ accidentalis proprium eſt informare ſubſtantiam, propter quam facta eſt, & non alteram formam accidentalem; at neutrum obſtat, ergo. Probatur minor quoad primam partem: nam eſſe ſubiectum eſt ſubijci alicui, quod in ipſo recipitur ad quod aliqui requirunt, vt afficiat, & denominet illud, quod recipit vt albedo denominat album, & calor calidum: at hoc non eſt neceſſarium in omnibus: poteſt enim aliqua qualitas recipi, & non denominare, quia ſubiectum non eſt capax denominationis: verbi gratia, ſi gratia poneretur in lapide, qui denominari non poteſt gratus. Secundò alij requirunt, quod ſubiectum cauſet materialiter id, quod recipit, ſi ſit inhæſionis: ſed hoc non obſtat, quia ſubiectum cauſat ex hoc quod ſuſtentat id quod recipit, ad quod ſufficit vnio: & hanc dari poſſe inter accidentia non repugnat, nam de facto datur in aliquibus. Tertiò alij dicunt, ſubiectum debere perfici à forma: at non poteſt accidens perfectius ab imperfectiore perfici. Sed neque hoc obſtat, quia non eſt vniuerſale; error recipitur in intellectu, & non perficit, malitia in voluntate, & potius inficit, calor in aqua, & ſic de cæteris. Quartò alijs videtur neceſſarium ad rationem ſubiecti, vt antecedenter ſe habeat ad id, quod ſuperuenit, & recipitur: ſed ad hoc ſufficit anteceſſio ſecundum ordinem naturæ, & loquendo de abſoluta potentia, & non repugnat etiam duratione vnum accidens prius eſſe altero, quod Deus illi vnire velit: Ex quo ergo capite repugnat accidens eſſe ſubiectum accidentis?

Probatur eadem Minor quoad alteram partem: quia ſi quantitas de facto eſt ſubiectum accidentium communium, & quod libet accidens eſt ſubiectum ſuæ durationis, & relationis in ſententia probabili, igitur poteſt vna forma accidentalis informare aliam, & dare illi denominationem, ergo per diuinam potentiam poterit quodlibet accidens abſolutum ſaltem hoc habere, quod habent aliqua naturaliter: nam non deſunt illi modi faciendi hæc, quæ comparatione mirabilium cæterorum videri poſſunt parua. Inter hos vnus eſſet in ſententia probabili Marſilij, Maioris, Almaini, Gabr. apud Soar. 1. t. in 3. p. diſp. 14. ſ. 4. Vaſq. diſp. 30. cap. 5. quod non repugnat aſſumi accidens à perſona diuina immediatè, tunc enim ſubſiſteret ſubſiſtentia increata, & poſſet ſuſtentare alia accidentia, quæcumque ſibi vnirentur à Deo, non ſolum efficaciter, ſed ſubiectiuè: nec ſolum in conſeruari, ſed etiam in fieri. Dixi autem in aſſertione, accidens abſolutum: quia relationes ſi dantur diſtinctæ à terminis, ſunt inſeparabiles, & incapaces modi per ſe ſubſiſtentis, cum earum eſſentia ſit actu referre ſubiectum in quo ſunt.

Accidens poteſt aſſumi à ſubſiſtentia diuina in ſententia proba-

Soluuntur argumenta contraria.

CAPVT IV.

Primum eſt

QVIA ſequeretur materiam non minus habere potentiam ad recipienda accidentia ſpiritualia, quàm materialia: aut naturalia non magis, quàm ſupernaturalia, quia de ſe eſt indifferens ad recipienda, & ſuſtentandaomnia, & ſolum ab agente prouenit determinatio, quæ non mutat intrinſecam eius aptitudinem; conſequens autem eſt abſurdum, quia maiorem connexionem habet cum materialibus, & illa exigit ex ſua natura, non item ſpiritualia, vel ſupernaturalia. IX.

Confirmatur primò, quia ſubſtantia ſpiritualis, & Angelica non eſt capax accidentium materialium, caloris, quantitatis, &c. ſic non poſſe quantitatem ſubijci in anima rationali, etiam dum corpus informat, docet Soar. diſp. 14. Metap. ſ. 3. numero 16. quia eſt incapax formalis eius effectus, cum ſit indiuiſibilis, & inextenſa; & vniuerſaliter S. Thom. 1. a. q. 50. art. 5. cap. *Subſtantia ſpiritualis non eſt ſubiectum accidentium niſi pertinentium ad intellectum, & voluntatem.*

Confirmatur ſecũdò, quia vice verſa ſubſtantia materialis nullam habet proportionẽ cum accidentibus ſupernaturalibus. quomodo ergo eſſe poteſt hæc cauſa materialis ipſorum: ſiquidem effectus, & cauſa habent eſſe proportionata, etiam vbi cauſatio eſt ſupernaturalis, vt diximus de potentia actiua obediẽtiali?

Reſpondeo ad argumentum, nego ſequelam: ad probationem diſtinguo maiorem: nam indifferentia accipitur dupliciter: primò vt dicit puram non reſiſtentiam, aut carentiam determinationis, & hoc modo materia habet indifferentiam ad quamlibet formam poſſibilem introduci in ſe ab agente quolibet. Secundum vt inuoluit cum carentia determinationis ordinem aliquem ad formas ſibi connaturales, quarum aliquam exigit ex natura ſua: & hoc modo non habet indifferentiam ad formas ſupernaturales, quia nullam earum exigit, & aptitudo ad illas recipiendas eſt obediẽtialis, non naturalis, vt ſupra explicatum eſt; & reſpectu quidem formarum, ad quas primariò, & per ſe ordinatur, eſt ſubiectum eductiuum: reſpectu aliarum eſt receptiuum, & ſuſtentatiuum.

Indifferentia accipitur dupliciter.

Ad primam confirmationem, ſubſtantia ſpiritualis non eſt capax accidentis materialis ſecundum potentiam naturalem, eſt ſecundum obediẽtialem: ſicut ſubſtantia materialis non eſt capax accidentis ſupernaturalis ſecundum capacitatem naturalem, eſt ſecundum obediẽtialem. Ergo inquies habebit effectum formalem, qui non differt à forma ipſa vnita: atque adeo Angelus eſſet calidus, frigidus, immo & extẽſus, quod implicat, quia eſſentialiter eſt indiuiſibilis. Reſpondeo;

Dupliciter habere potest effectus formalis.

habere effectum formalem dupliciter accipi potest; primò vt idem sit quod habere denominationem à forma prouenientem: & hanc non haberet substantia spiritualis sub accidente materiali, quia ad hanc concurrit etiam subiectum habés proportionem perfectibilis à forma vt perfectiuo sibi respondente, & quæ exigat esse in illo, etiamsi sit supernaturalis: vt patet in gratia, quæ posita in lapide non redderet amicum Dei, neque gratum, qòia hæc denominatio conuenit tantum creaturæ rationali. Secundò habere effectum formalem significat esse vnitum cum forma; & hoc non repugnat substantiæ spirituali respectu accidentis materialis: quia non potest ostendi implicantia, quæ bene considerãti naturas rerum maior videretur in vnione hypostatica, etiãsi nulla sit in rei veritate. Igitur Angelus haberet quantitatem, eamque in genere causæ subiectiuè sustentaret, & non esset quantus? Concedo, quia est substantia indiuisibilis, sicut lapis habens gratiam non esset gratus, & visionem, non esset videns quia est irrationalis, & insensilis. Simile est in vbi Angelico, quod Soarius sæpius docuit esse diuisibile in ordine ad extrinsecum, & fusè declarat congruentiam suæ positionis exemplo vnionis animæ rationalis ad corpus, de qua lib. 4. de Angelis cap. 17. numero 3. habet: *Vnio ergo animæ rationalis ad corpus totum, & partes eius talis est, vt pars eius possit amitti, & reliquum conseruari, ergo habet partes. Antecedens patet quando manus à corpore abscinditur, nam anima desinit informare materiam manus, & in reliquo corpore vnionem conseruat*, &c. Et numero 10. idem dicit de vbi angelico, quod partim conseruari potest, partim amitti, & tamen subiectatur in substantia indiuisibili Angeli: parum autem refert ad rem præsentem, quod vnio animæ ordinetur ad corpus, & vbi Angelicum ad locum extrinsecum: quia difficultas est in hoc præcisè, an substantia indiuisibilis possit affici re aliqua diuisibili: eo quod hæc videatur inuoluere extensionem sui subiecti. Quod si semel negetur, hoc esse necessarium, dicam posse esse subiectum sustentans quantitatem, quin recipiat effectum formalem in primo sensu explicato: quia si per aliquem modum sit tota in toto, & tota in qualibet parte, poterit per diuinam potentiam sustentare in toto illo corpore, in quo est, quantitatem, quin per eam intelligatur extendi. Quemadmodum vice versa potest quantitas per modum superadditum respondere quilibet indiuisibili extrinseco, quin ipsa sit indiuisibilis, vt in venerabili Sacramento altaris, vbi Christi Domini corpus respondet cuilibet indiuisibili specierum, sub quibus continetur.

Res diuisibilis potest recipi in subiecto indiuisibili.

Ad secundam confirmationem. Proportio consistit in esse receptiuo materiæ, & receptibili accidentis secundum potentiam obedientialem, ita vt hoc inf rmet. & illa sustentet in fieri, & conseruari. Exemplum est in vnione hypostatica, quæ non solum afficit animam; sed etiam corpus Christi Domini.

Argumentum secundum

EST, quia ex Aristotele 4. Metaph. à t. 13. accidens non accidit accidenti, nisi quia ambo eidem accidunt: alioqui cur vnum potius accideret, quàm alterum illi?

Et ne dicas, verum hoc esse de potentia ordinaria, non de absoluta, & obedientiali, obstant incommoda sequentia; primò quia quantitas exempli gratia non potest absolutè sustentari in vllo alio accidente, nam subiectum præsupponitur formæ, quam recipit, in illo ergo priori supponeretur accidens receptiuum esse extensum, quia alioqui non reciperet nisi indiuisibile quantitatis, & non partes eius; Quod si admittas extensionem in omnibus accidentibus materialibus distinctam à quantitatiua, quid respondeas de accidentibus spiritualibus, & supernaturalibus inexistẽtibus? Secundò, quia si vice versa dicantur huiusmodi accidentia indiuisibilia sustẽtari à quantitate, vnum indiuisibile quantitatiuum sustentabit qualitatem supernaturalem, puta gratiam, habitus infusos, &c. hoc videtur impossibile; tum quia gratia excellentissimum ens, & supereminens toti creaturæ naturali penderet à minimo, & vilissimo ente: tum quia separari possent indiuisibilia à quantitate contra admittentes illa; si enim vnitur illis gratia, & hæc potest conseruari extra subiectum, cur non posset etiam in subiecto extra extensionem? vel si hoc negas, saltem negare non debes, quin si è conuerso gratia esset subiectum indiuisibilis alicuius, posset illud sustentare extra quantitatem; atque ita remanere quantitas posset sine indiuisibilibus. Multo magis vim habet instantia in opinione constituente indiuisibilia in negatione. Tertiò si tam ampla est potentia passiua obedientialis accidentium, ergo poterit etiam se extendere ad sustentandas formas substantiales materiales, immò & ipsam materiam: Sequela probatur, quia posset Deus dare modum accidenti tam perfectum, vt fulcimentum esset imperfectæ existentiæ, materiæ, & formæ, quæ mutuò se iuuant in existendo, & non apparet repugnantia, cur eleuari nequeat accidens ad hoc idem munus præstandum: est enim finita virtus, quæ additione alterius æquari, & superari potest. Falsitas consequentis probatur, tum quia quod recipitur, & sustentatur in aliquo, actus est illius, & informat illud: implicat autem materiam esse actum, cum sit pura potentia respectu actuationis, & essentialiter informabilis, ac proinde nullo modo informatiua: tum quia sicut causa efficiens non potest esse passiua respectu eiusdem vel effectus, vel virtutis: ita neque formalis potest fieri materialis, vel vice versa.

Respondeo ad argumentum, si propositio illa Philosophi intelligatur de accidente secundum potentiam, & exigentiam naturalem, accidens non accidit alteri accidenti vt subiecto quod, vt Soar. in Metaph. disp. 15. in fin. Ratio est, quia ordinatur ad substãtiam, à qua omnia tandem sustentantur accidentia, & propter quam sunt, & simpliciter denominant; atque

Accidens non accidit accidenti.

adeo non dicitur vnum accidere alteri ſimpliciter, quia hoc alterum ſolùm eſt medium, quo vnitur ſubſtantiæ, verbi gratia quantitas, qua mediante recipitur albedo in pariete; potentia, qua mediante recipitur actus in anima. Si verò abſolutè conſideretur accidens abſtrahendo à potentia naturali, & obedientiali, falſum eſt, non accidere accidenti, non ſolùm vt ſubiecto quo, ſed quod; quia poteſt diuina potentia vniri alteri, & ſuſtentari, & illud denominare, ſi capax ſit denominationis, iuxta dicta ſuperius. Nec obſtant ratio vel incommoda; nam quicquid ſit de controuerſia Philoſophica, & maiori ratione, cur vnum accidens ſuſtentet alterum, quam vice verſa; in propoſito tota ratio facti, & determinatio ad ſuſtentandum eſſet potentia facientis, & voluntas vbi implicantia non eſt.

Poteſt accidere per potentiam obedientialem.

Ad primum incommodum, concedo ſubiectum præſupponi accidenti in genere cauſæ materialis; nego non poſſe hoc conuenire accidenti indiuiſibili reſpectu diuiſibilis: Ad probationem in contrarium reſpondeo, non deeſſe modos plures diuinæ ſapientiæ ad hoc faciendum, qualis eſſet exempli gratia, ſi accidenti indiuiſibili daret modum coëxiſtendi diuiſibiliter in ordine ad aliquid extrinſecum, vt de facto datur Angelo in ordine ad locum, & animæ rationali in ordine ad corpus, & per hunc eumdem, aut per alium ſuperadditum exiſteret per ſe ita perfectè, vt ſuſtentare poſſet aliud quodcumque accidens, quod Deus produceret vniendo illi, ſiue illud eſſet diuiſibile, & extenſum, ſiue indiuiſibile; ſed ſunt præterea alij modi in theſauris diuinæ potentiæ; de quibus fieri aliqualis coniectura poteſt, ſi ex iis, quæ facta ſunt in Sacramento altaris arguere quis velit ad ſimilia poſſibilia.

Ad ſecundum, ſi dantur indiuiſibilia actu diſtincta in quantitate, non magis mirum videri deberet, quod eleuari poſſent ad ſuſtentandum alia accidentia, quàm ad producendum gratiam, ad quam etiam indiuiſibilia concurrere docet Suar. 3. t. in 3. p. diſp. 8. ſect. 2. de Sacram. vtrumque enim fit per obedientialem virtutem, & eleuationem, & ideo gratia quantumuis excellens pendere poteſt ab ente viliſſimo, ſi huic det Deus modum eſſendi per ſe ita perfectum, vt ſuſtentare poſſit accidens ſibi vnitum carentem modo per ſe exiſtendi.

Suar.

Ad alteram partem reſponſio item pendet à quæſtione Philoſophica de punctis in quantitate: an videlicet ſint actu, vel potentia: terminatiua, an continuatiua: ſeparabilia, vel non, & ſimilia ad rem præſentem non pertinentia; de qua Soar. diſp. 40. Metaph. à ſect. 1. ſi enim ſunt entitates poſitiuæ diſtinctæ, eleuari poſſunt: ſin ſecus addant ſolùm negationes ſupra quantitatem, non poſſunt agere, vel pati ſupernaturaliter, vt probant rationes ſupra allatæ quod potentia obedientialis ſit quid poſitiuum.

Ad vltimam, concedo conſequentiam; ad probationem in contrarium reſpondeo, quod recipi non diceretur materia in accidente, ſed vniri, & ſuſtentari: quia per vnionem participaret modum perfectum exiſtendi per ſe accidenti conditum à Deo: hoc eſt exiſteret ſine forma ſubſtantiali ſupplente eius cauſalitatem accidente, quod de cætero non diceretur ſubiectum informationis, aut inhæſionis, quia materia informare non poteſt, neque inhærere propriè loquendo: ſed ſubiectum adhæſionis, quia ipſi adhæreret materia per intimam vnionem, & ab ipſo ſuſtentaretur: ſicut de facto materia non inhæret, neque recipitur in forma, ſed ſuſtentari dicitur in hoc ſenſu, quod eget vnione cum ipſa ad hoc vt ſubſiſtat vel abſolutè in ſententia negante, quod ſubſiſteret ſeparata diuinitus ab omni forma, vel ſecundum quid, id eſt incompletè, & diminutè; in contraria affirmante, quod ſubſiſteret. Accidentia verò quia poſtulant inhærere in ſubiecto, & illud informare, poſſunt in aliis accidentibus recipi ita vt inhæreant, & ſuſtententur ab ipſis per ſe exiſtentibus, communicato ſibi modo à Deo perfectatis.

Vtrum potentia obedientialis paſſiua extendat ſe ad omnem mutationem accidentalem rei creatæ per priuationem alicuius debiti naturæ ſuæ.

CAPVT IV.

I. Senſus quæſtionis.
II. Supponenda quædam vt certa, alia vt probabiliora.
III. Potiſſima difficultas de extenſione potentiæ paſſiuæ ad creaturæ incorruptibilitatem.
IV. Duplex ſententia.
V. Dantur creaturæ incorruptibiles; id eſt exigentes conſeruationem ſui.
VI. Nulla datur, quæ neceſſariò conſeruetur.
VII. Probatur auctoritate, & ratione.
VIII. Soluuntur argumenta contraria.

QVæro, an quælibet res creata, quacumque demum ratione fuerit producta vel per creationem, vel per generationem naturalem, conſeruari poſſit in eſſe ſine iis, quæ debentur ſuæ naturæ. Et quidem debita iſta conſiderari poſſunt primò ſecundum abſolutam, & intrinſecam exigentiam eorum, quæ afficiunt intrinſecè, vel poſtulant intrinſecam coniunctionem, qualis eſt accidentis cum ſubſtantia, materiæ cum forma, naturæ cum ſubſiſtentia. Deinde relatiuè ſecundum ea, quæ debentur reſpectu alicuius extrinſeci, verbi gratia concurſus, ſeu influxus cauſarum ſuperiorum, quibus ſubordinantur inferiores: locus, ad quem grauia, & leuia inclinantur, &c. In qua quæſtione præmittenda ſunt quędam vel probabiliora in ſententia communiori, vel certa in communi Philoſophorũ, ac Theologorum, tum examinanda ſententia, an ab vniuerſali extenſione potentiæ paſſiuæ ad carentiam diuini concurſus conſeruationi rerum neceſſarij ita eximenda ſint entia aliqua, vt ipſis ſubtrahi minime poſſit.

Primò igitur ſupponendum

QVod omnis ſubſtantia creata, quæ non ſit pura potentia, per diuinam potentiam conſeruari poteſt ſine iis, quorum coniunctionem poſtulat naturaliter. Dico, quæ non ſit pura potentia, vt interim abſtineam à quæſtione Philoſophica de ſeparatione materiæ à forma, quam impoſſibilem cenſet S. Thom. & S. Bonau. in 2. diſt. 12. a. 1. q. 1. contra Scotum, Nominales, & recétiores Philoſophos, cũ quibus eſt Soar. diſp. 15. Metaph. ſect. 9. exiſtimans per diuinam potentiam materiam poſſe exiſtere ſeparatam ab omni forma. De aliis igitur ſubſtantiis habentibus actum formalem probatur aſſertio, quia de iis ſaltem valet, quòd quælibet earum habet nobiliorem eſſendi modum, quàm habeant accidentia quælibet, ergo ſi poſſunt hæc conſeruari ſeparata à ſubſtantia, cui poſtulant ineſſe, poterit etiam ſubſtantia, quæ vnitur alteri naturaliter, ſed non inhæret. Antecedens patet, quia modus eſſendi debet proportionari naturæ, cui debetur, & à qua dimanat: proinde eo perfectior eſt, quo & natura perfectior. Cum igitur ſubſtantia præcellat accidenti, & modus eius præcellet, qui dat per ſe ſubſiſtere. Conſequentia patet, quia ſuppoſita dicta actualitate, cum ſubſtantiæ actus ſit perfectior, vtpote per ſe ſubſiſtendi, & non inhærendi, ſi poteſt accidens exiſtere ſupernaturaliter ſine ſubſtantia, poterit & hæc exiſtere ſine aliis, quæ naturaliter poſtulat ad complementum ſui; conſequenter poſſunt primò formæ etiam materiales per diuinam potentiam & fieri, & conſeruari ſine materia: quia non ſunt deterioris conditionis, quàm accidentales, quæ de facto conſeruantur in Euchariſtia, quicquid Henric. diſſentiat quod l. 6. quæſt. 1. & alij apud Soar. loc. cit. idque locum habet etiam in forma explente totam capacitatem materiæ, ſi quæ daretur talis; quàm cum S. Thom. 2. 2. q. 24. a. 11. cap. & 2. cont. Gen. c. 29. dicit inſeparabilem, intelligitur de potentia ordinaria, & naturaliter, ad differentiam formarum generabilium, & corruptibilium, quæ continuò ſeparantur, ſuccedente vna alteri.

Poteſt forma materialis conſeruari diminuta ſine materia.

Secundò poteſt natura exiſtere ſine propria ſubſiſtentia, non ſolùm ſubſiſtendo per alienam, ſed etiam carendo propria, & aliena, &c. vt Soar. tom. 1. in 3. p. diſp. 36. ſect. 1. & alij.

Tertiò, idem aſſerendum de accidentibus abſolutis, quæ naturaliter eſſe non poſſunt ſine aliis, qualia ſunt quæ vel immediatè ſubiectantur in quantitate, vel ſaltem poſtulant illam vt medium, ac diſpoſitionem, vt afficiunt ſubſtantiam; hæc enim omnia conſeruari poſſunt ſeparatim vnum ab alio; vt colligit S. Thom. quodl. 7. a. 10. cit. ex eo quod quantitas ſeparatur à ſubſtantia; quia ſicut de facto ſupplet Deus quod erat neceſſarium ad conſeruationem quantitatis, & cæterorum accidentium Euchariſtiæ: ita ſupplere poteſt id quod requiritur ad exiſtentiam ſingulorum ſine coniunctione cum aliis.

Secundò ſupponendum quod

LOquendo de iis, quæ debentur ex parte cauſæ efficientis, Potentia paſſiua obedientialis creaturæ extendit ſe ad omnem mutationem reſpectu eorum, quæ ab illa accipit, quoad carentiam ipſorum, præterquam diuini concurſus ad eſſe, & operari: hoc eſt dicere, quòd creatura quælibet poteſt exiſtere ſine iis, quæ habet à cauſa efficiente, excepto diuino concurſu, ſine quo nec eſſe, nec operari poteſt, verbi gratia lumen conſeruari poteſt à Deo ſolo ſine influxu ſolis, à quo productum eſt, & multo magis alia accidentia, quæ non egent continua conſeruatione cauſæ efficientis, vt calor, frigus, & ſimilia. Probatur quoad primam partem, quia in genere cauſæ efficientis quicquid poteſt cauſa ſecunda vel ſola, vel cum alia concauſa poteſt Deus ſeipſo efficere, etiamſi de actibus vitalibus ſit controuerſia ex conſenſu omnium Theologorum, præſertim S. Thom. 1. p. quæſt. 105. a. 2. c. 1. ergo omni concurſu naturaliter debito à cauſis ſecundis priuari poſſunt omnes effectus, & ſubſtitui loco illius concurſus primæ cauſæ tam in fieri, quàm in conſeruari, ſaltem in non vitalibus. Ratio eſt omnipotentia eius, & continentia omnium perfectionum modo eminentiſſimo, quæ per creaturas ſparſæ ſunt. Altera pars eſt S. Auguſtini non ſemel citati ſupra, & præterea lib. 4. de Gen. ad lit. c. 12. *Quæ virtus*, inquit, *ab eis, quæ creata ſunt, regendis, ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies, omniſque natura concideret.* Et idem declarat l. 8. cap. 11. exemplo luminis, quod pendet à ſole. Sequitur, & probat S. Thom. 1. p. q. 8. a. 1. vtens eadem ſimilitudine luminis; & q. 104. a. 1. c. & ad 2. *Deus* inquit, *non poteſt communicare alicui creaturæ, vt conſeruetur in eſſe, ſua actione ceſſante: ſicut non poteſt ei communicare, quod non ſit cauſa ipſius.* Idem habet in 3. cont. Gent. c. 65. & S. Bonau. in 1. diſt. 43. a. 1. q. 1. & in 2. diſt. 37. a. 1. q. 2. Et cum iis Soar. diſp. 21. Metaph. ſect. 1. communiens auctoritate multiplici ſcripturæ, ac patrum: & vt dogma fidei ſupponenda eſt in præſentia.

Deus poteſt ſe ſolo quod poteſt cum cauſa 2. S. Th. 1. p. q. 105. a. 2. c.

Conſeruatio Dei eſt neceſſaria creaturis. S. Auguſt. S. Thom.

Quare conſequenter cum iiſdem aſſerendum, nec abſolutè eſſe communicabile creaturæ vlli, vt conſeruetur omnino ab alia non concurrente, & conſeruante Deo, qui eſt cauſa & fieri, & eſſe, de quo ſupra, cum de potentia Actiua. Et multo minus vt conſeruet ſeipſam, etiam inadæquatè, quicquid aliqui in contrarium aſſerentes etiam de facto res aliquas conſeruare ſeipſas, quos refellunt Leſſ. l. 10. de diu. perfect. Arriaga diſp. 9. Phyſ. à n. 76.

S. Bonau. P. Soar.

Tertia item pars quoad operari, quod ſcilicet non poſſit priuari creatura concurſu ſibi debito à prima cauſa, ita vt operetur ſola illa non operante, eſt certa apud eoſdem S. Bonau. in 2. diſt. 37. a. 1. quæſt. 1. vbi vult ſine ambiguitate teneri; & in 1. diſt. 45. a. 2. q. 2. S. Thom. 1. p. q. 105. a. 5. & 1. 2. q. 109. & 3. cont. Gent. c. 70. Soar. in Metaph. diſp. 22. S. 1. & contra Durand. in 2. diſt. 1. q. 5. & diſt. 37. q. 1. tenentem Deum non concurrere immediatè ad actiones ſecundarum cauſarum; ſtant reliqui Theologi, paucis exceptis, contra quos prolixiorem tractatum inſtituimus iis quæſtionibus annectendum; interim ſupponatur vt certum repugnare, cauſas ſecundas agere ſine concurſu primæ, nec poſſe ſubſtitui creaturam, quæ Dei vices in hoc ſuppleat. Et licet P. Arriaga diſp.

Leſſ. Arriag.

Non poteſt creatura operari ſine concurſu p. fæ.

10. Phyſ. n. 32. non videat implicantiam: tamen aſſignari poteſt ex perfecto, & ſummo Dei dominio, & omnimoda dependentia creaturæ ab ipſo, propter quam ipſe mauult ſtare cum communi, à qua recedendum non eſt, ne declinetur à pietate vſquequaque amica veritati.

Dixi in genere cauſæ efficientis: nam in cæteris, quæ ſunt veluti formæ, poteſt eſſe connexio inſeparabilis eorum, quæ naturaliter, & neceſſariò ſunt vnita; vt in ſententia S. Thomæ eſt materia, quæ non poteſt exiſtere ſine forma. Item ſi duratio eſt modus ex natura rei diſtinctus à re durante, ſeparari nequit ab ipſa, quia ex eo quod durat, habet durationem; ex eo quod ſeparata conſeruaretur duratione, non haberet illam, quæ ſunt implicantia. Idem eſt de vbi, ſi eſt modus diſtinctus, per quem res quælibet conſtituatur in tali determinata parte ſpatij; de figura, & ſimilibus, quæ hactenus vexant Philoſophorum ingenia, aliis pernegantibus omnem diſtinctionem à rebus modificatis ex natura rei, aliis impensè conantibus, vt demonſtrent eſſe illos & neceſſarios, & inſeparabiles, ita vt non poſſint per ſe conſeruari: non quia ſint debilioris entitatis quàm vt ſuppleri poſſit à Deo quod requiritur ad exiſtendum per ſe, vt aliqui interpretantur: ſed quia vel ſunt ſimpliciter vna res à ſeipſa inſeparabilis: vel quia illorum eſſe conſiſtit in actuali modificatione, quam exercere ſeparatum à re modificata eſt impoſſibile. Nos hîc loquimur ex ſuppoſitione, quod dentur diſtincti, de quo lis eſto Philoſophis, & ex ſuppoſitione inferimus carere illos potentia obedientiali paſſiua ad ſeparationem, & conſeruationem extra ſubiecta ipſorum: tum ob allatam rationem, tum ob alia incommoda, quæ ſequerentur, quæ perſequi non eſt loci huius.

Sequitur ex hac aſſertione omnia agentia inferiora, quæ ſuperioribus lationibus oportet naturaliter eſſe ſubdita, vt eorum virtutem participent diuina virtute poſſe ſine illorum influxu conſeruari ſupplente Deo influentiam omnem cauſæ creatæ neceſſariam ad conſeruationem in eſſe, & operari: non tamen potentiam hanc paſſiuam creaturæ protendere ſe ad cauſalitatem materiæ, & formæ, quaſi hæc etiam à Deo ſuppleri poſſit; nam prima, quæ eſt cauſæ, efficientis includit perfectionem in ſuo conceptu, non altera, quæ eſt partium de ſua natura ordinatarum ad totum ſingulis earum perfectius: & proinde inuoluentium in ſuo conceptu imperfectionem, vt Soar. in Metaph. diſp.

Tertiò ſuppponendum quod

QVamuis creatura non poſſit deſtitui concurſu creaturæ primæ ex ſuppoſitione quod operatur, & conſeruetur in eſſe; ſimpliciter tamen, & abſolutè eſt in potentia ad negationem eius, & nulla eſt, quæ non poſſit amittere eſſe, ſubtrahente Deo ſuum influxum conſeruatiuum; & quæ non fiat impotens operari, nolente cum illa concurrere ad operandum. Prima pars eſt S. Thomæ locis citatis præcedenti ſuppoſitione, & patet ex dictis, patebitque amplius ex ſequentibus. Secunda connexa eſt primæ, quia non minus pendet creatura in operari à Deo, quàm in eſſe, vt docent citati Patres, & Scholaſtici ferme omnes ſingillatim referendi in dicto tractatu de concurſu immediato Dei cùm cauſis ſecundis; interim ſatis eſt, quòd vtraque hæc dependentia eſt quidem eſſentialis ex parte creaturæ, ſed ex parte Dei omnino libera, & ideo ſubtrahere poteſt ſuum concurſum tam conſeruatiuum, quàm cooperatiuum.

Confirmatur ex multis mirabilibus ſcripturæ ſacræ, quæ facile explicantur, ſi dicantur facta per ſubſtractionem diuini concurſus; ſic dicuntur ſancti extinxiſſe impetum ignis, quia Deus ad eorum preces ſuſpendit operationem ſuam, qua ceſſante euanida manſit feruidi elementi virtus; obturaſſe ora Leonum, monſtraque placaſſe, quia deſtituiſſe Deum beſtiarum immanium phantaſiam, & innatam ferociam iraſcibilis, cicuraſſe fuit, & vim nocendi ademiſſe. *Sic flamma Babylonica illeſos, intactoſque demulſit pueros; ſic Daniel inter Leones fame exaſperatos nulla beſtialis ſeuitia formidine fractus eſt*; vt Ambroſ. l. 2. Offic. c. 4. Subtractio diuini concurſus. S. Ambroſ.

Confirmatur ex celebri propoſitione libri de Cauſis vſurpata à S. Thom. 3. p. q. 75. a. 5. 1. & alibi non ſemel; Cauſa prima plus influit, & prius in effectum, quàm ſecunda: quia ſcilicet magis intimè, & independenter, & tanquam prima virtus omnium virtutum, vt ex eod. lib. prop. 16. refert S. Bonau. in 1. diſt. 43. a. 1. q. 1. c. Sicut ergo nullum agens ſine virtute agendi agit: ita nullum ſine concurſu primi agere poteſt. Et quia concurſus iſte liber eſt, ideo priuari illo creatura poteſt, & otioſa manere; non poteſt rurſus ex otio emergere, niſi illo erigente, per quem ex nihilo emerſit ad eſſe. Lib. de cauſis S. Thom. Cauſa prima plus influit, quàm 2.. S. Bonau.

Iis ſuppoſitis dubitari poteſt.

An potentia obedientialis paſſiua ſe extendat ad neceſſitatem incorruptibilitatis.

QVandoquidem non eſt potentia paſſiua obedientialis ad carentiam diuini concurſus ad eſſe, & operari cauſarum ſecundarum, dubium oritur, an in quibuſdam in tota latitudine entis creati, ita ſit neceſſarius propter dependentiam eſſentialem à Deo, vt etiam ſit immutabilis; & ex ſuppoſitione, quod ſemel producta ſint, annihilari non poſſint, aut deſinere eſſe etiam per abſolutam potentiam Dei: non ſolum quia quæ Deus decreuit conſeruare ex ſuppoſitione decreti extrinſeci, non poſſint non durare in ſuo eſſe; ſed etiam quia intrinſecè non ſint obnoxia deſitioni, poſitâ ſemel liberâ exiſtentia ipſorum.

Prima ſententia putat poſſibilem eſſe creaturam, quam ſemel productam implicet deſtrui. Eſt Patris Arriagæ diſp. 10. Phyſ. n. 17. *Poteſt*, inquit, *eſſe aliqua res per ſuammet eſſentiam durans per aliquod tempus, quæ ſemel producta non poſſet à Deo annihilari.* Idem ſentiunt aliqui recentiores ex eo quòd Chriſtus Dominus neque deſtrui, neque peccare poterat.

Secunda eſt communis Theologorum, omnia ita pendere à Deo, vt eo volente poſſint deſtrui. Nec illi refragatur Greg. in 1. diſt. 16. q. 1. a. 1. §. ad 4. dico, aſſerens hanc eſſe falſam, Deus poteſt auferre beatitudinem à beato: explicat enim ſe, quod non poſſit ex ſuppoſitio-

ne, quod ſit beatitudo completa, & ſemper futura, cum tamen abſolutè poſſit, ſicut perpetuum, ſvt perpetuum non poteſt deſtrui, ſed bene res, quæ dicitur perpetua.

Aſſertio prima.

DAntur de facto creaturæ, quæ ſemel productæ petunt naturaliter non deſtrui, ſed æternum conſeruari. Probatur, quia Angeli, & anima rationalis dicuntur immortales in hoc ſenſu à Patribus, quos citat Soar. tom. de Angelis lib. 1. cap 9. & Vaſq. 1. p. diſp. 181. licet in explicatione diſſentiant, quia hic immortales animam, & Angelos dici vult reſpectu creaturarum cæterarum, quarum nulla poteſt illos deſtruere, non reſpectu Dei, qui poteſt & gratuitò illos conſeruat: vnde & à Patribus vocantur immortales gratia, non natura, quibus conformis eſt S. Bonau. in 1. d. 8. 1. p. a. 2. quæſt. 2. vbi ait Deum ſolum eſſe inuertibilem, & incorruptibilem per naturam; cætera verò, quæ dicuntur talia, ſunt per gratiam. At verò Suar. rectè probat denominationem hanc competere Angelo, & animæ, reſpectu cuiuſcumque cauſæ, quia licet reſpectu primæ poſſint annihilari: hoc tamen eſt contra exigentiam naturalem, & appetitum tam innatum, quàm elicitum ipſorum: poſtulant enim ex ſua natura conſeruationem, cum ſint ſubſtantiæ ſimplices ſpirituales carentes contrarijs deſtructiuis; & quamuis in eſſe conſeruentur à Deo liberè, qui poſſet non conſeruare, & hoc ſit beneficium gratuitum ex liberalitate eius: tamen in ſe ipſis nihil habent, ratione cuius attendendo naturam in ſe debeatur ſubtractio concurſus conſeruatiui, & ob id dicuntur natura immortales, & incorruptibiles: non enim conſtant materia, quæ ſucceſſiuè poſſit habere plures formas, neque ſunt extenſi, vt per diuiſionem extingui poſſint: neque eſt illis potentia receptiua qualitatum deſtructiuarum: neque alius modus excogitabilis eſt, quo probetur naturæ illorum conuenire, vt eſſe deſinant; ideo neceſſitas eſſendi illis tribuitur à S. Thom. 1. p. quæſt. 50. art. 5. vbi Angelos vocat entia neceſſaria; & 2. cont. gent. c. 30. vniuerſaliter docet res materiæ expertes eſſe entia neceſſaria: quod repetit quæſt. 5. de potentia art. 3. Neque in hoc diſſentit à Patribus, & S. Bonau. vocantibus Angelos per gratiam immortales, quia tam creatio, quàm conſeruatio eorum ex Dei liberalitate eſt; etiamſi natura dono Dei collata careat potentia paſſiua corruptibilitatis, & exigat conſeruari, cum nulla creatura ſit, quæ poſtulet concurſum ad agendum contra Angelicam, & ipſa in ſe nihil habeat, quod deficere poſſit durante concurſu conſeruatiuo, qui nulli rei denegatur, quandiu exigentia contrarij agentis non eſt ad oppoſitum, introducendo formam cum alia incompoſſibilem: ſicut ergo beneficium Dei eſt conſeruatio rerum illam naturaliter exigentium: ſed ita tamen vt citra vllius iniuriam denegari poſſet à creatore earum domino; ita & Angelorum perpetuitas, quæ tamen poſſet deficere, ſi Deus vellet, qui eis debitor non eſt, niſi volens: & ideo donum ipſius meritò cenſetur à Patribus valde attentis ad prædicãdam bonitatem Dei, quæ in creaturis, præſertim intellectualibus elucet, & potẽtiam, à qua illæ etiam in ſuo eſſe quamuis præcellenti corporeis omnino pendent. At iuxta vtramque ſententiam, quæ videtur ſolum de voce contendere, certum eſt Angelos dici immortales participatiuè, & dependenter ab eo, qui ſolus habet immortalitatem, & communicat Angelis, dando illis naturam ab omni corruptione immunem: & proinde æternam conſeruationem poſcentem: quia Deus concurrit ad conſeruationem, & operationem rerum iuxta exigentiam ipſarum, tam reſpectu effectuum, quorum ſunt cauſæ, quàm ſecundum durationem, quam poſtulant, vel longiorem, vt in cęleſtibus corporibus; vel breuiorem, vt in inferioribus, quæ certis temporis periodis definitur.

S. Bonau. — P. Suar. — Quomodo dicantur Angeli natura incorruptibiles. — S. Thom.

Confirmatur primò ex S. Auguſt. ſerm. 147. de temp. t. 10. p. 202. lib. 1. *Nonne in libro Platonis, quod heſterno die declarauì, legitur, dixiſſe Deum non factus Dijs à ſe factis, quoniam orti eſtis: immortales quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis, non tamen diſſolui nemini; neque vlla vos mortis fata periment, nec erunt valentiora, quam conſilium meum, quod maius eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa, quibus eſtis colligati? Totum ad voluntatem ſuam redegit Deus, qui poteſt etiam quod impoſſibile eſt. Nam quid eſt aliud, non poteſtis eſſe immortales, ſed vt non moriamini, ego facio, niſi & quod fieri non poteſt, ego facio?* S. Auguſt. — Deus poteſt etiam impoſſibile ſecundum Auguſt.

Confirmatur ſecundò, quia viſio beata, atque adeo beati ipſi, caputque beatorum Chriſtus Dominus, poſcunt æternam conſeruationem, non tamen neceſſariò, & eſſentialiter ſibi debitam, ita vt Deus teneatur illam exhibere, non neceſſitate tantum immutabilitatis, quia hoc decreuit, ſed etiam exigentiæ rerum, quas ſemel factas tam implicet non eſſe actu, quàm eſſe poſſibiles, antequam fiant; pro cuius maiori explicatione ſit

Aſſertio ſecunda.

XII.

NOn eſt poſſibilis vlla creatura, quam, poſtquam ſemel facta fuit, implicet à Deo deſtrui, & eſſentialiter exiſtat. Eſt communis Theologorum apud Soar. lib. 1. de Angel. c. 9. putantem de fide quoad illos. Vaſq. 1. p. diſp. 181. n. 7. Tanner. 1. p. d. 5. q. 1. n. 15. damnantes erroris contrariam, quibus P. Ioan. Martin Ripal. diſp. 59 numero 7. adſtipulatur.

Probatur primò auctoritate Patrum, S. Auguſtini, cuius ſupra diſput. p. varia loca retulimus, ad probandum, quod omnia ita ab illo pendent, vt ſubtrahente manum ſuam adminiſtratoriam, in nihilum tendant, vnde ſunt cruta. Quò pertinent quæ affert ad probandum, ſolum Deum eſſe immutabilem tam accidentaliter, quàm ſubſtantialiter; lib. 12. Ciu. cap. 1. *Dicimus immutabile bonum non eſſe, niſi vnum verum Deum beatum. Ea verò quæ fecit bona quidem eſſe, quod ab illo: verumtamen mutabilia, quod non de illo, ſed nihilo facta ſunt*; & cap. 25. *Et ſi potentiam eam, vt ita dicam, fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt.* S. Auguſt.

S. Ambroſ. lib. 3. de fide ad Gratian. cap. 2. *Ergo corruptela, & mortis, etiamſi non moriatur, aut pereat, capax tamen omnis eſt creatura*; & pau- S. Ambr

lò ante. *Non ſunt fragilia comparanda diuinis vna ſola ſubſtantia diuinitatis, quæ mors neſcit.*

S. Iren. S. Iren. lib. 3. aduerſ. hæreſ. cap. 6. *Quæcumque initium ſumpſerunt, & diſſolutionem poſſunt*

1. Timoth. 6. *percipere*; Et idem aſſerunt reliqui Patres ſic intelligentes illud Timoth. 1. cap. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*; & Scolaſtici cum D. Th. 1. p. quæſt. 9. art. 2. vbi oſtendit, quod eſſe immutabile ſit Dei proprium, & loquitur de omni mutatione tam accidentali, quàm ſubſtantiali: vtraque enim propria ipſius eſt.

S. Bonau. S. Auguſt. Secundò faciunt ad hoc rationes Scolaſticorum; ſed in primis S. Bonau. in 1. d. 8. 1. p. art. 2. quæſt. 12. *Deus*, ait, *ſolus eſt ſummè ſimplex, ergo ſolus immutabilis.* Argumentum eſt S. Auguſtini lib. 11. ciu. cap. 10. *Eſt bonum ſolum ſimplex, & ob hoc ſolum incommutabile, quod eſt Deus. Ab hoc bono creata ſunt omnia bona, ſed non ſimplicia, & ob hoc mutabilia.* Antecedens tamen conſtat, quia ſolus Deus expers eſt omnis compoſitionis, vt probat S. Thom. 1. p. quæſt. 1. S. Bonau. in 1. d. 8. cit. p. 2. art. 1. quæſt. 1. neque enim in eo eſt actus, & potentia, genus, & differentia, ſubiectum, & accidens, aut quid ſimile, vt in creatura. Conſequentia patet: quia alioqui ſi poſſet mutari, conſtaret actu, & potentia, & non eſſet ſummè ſimplex, ſed omnis creatura admixtam habet cum actu potentialitatem, igitur non eſt ſummè ſimplex, & proinde nec immutabilis, ſi verus eſt diſcurſus, quo probatur immutabilitas ex ſumma ſimplicitate.

S. Hieron. Tertiò. Ratio cur Deus dicatur ſolus immortalis eſt, quia habet ex ſeipſo eſſe. Sanct. Hieron. dial. 2. cont. Pelag. *Solus Deus habet immortalitatem, quia per naturam habet.*

S. Thom. Quartò. quia quæ ad intra ſunt in Deo, in ſummo gradu neceſſitatis ſunt: creatura verò nulla eſt ens neceſſarium à ſe, vt S. Thom. de ver. q. 23. a. 1. 2. quia omnes pendent à voluntate Dei, qui ad extra operatur liberè, non ſolum quando primò producit, ſed etiam quando producta conſeruat: vnde ſi vellet, poſſet etiam totam creaturam annihilare, ſubtrahendo concurſum conſeruatiuum; ipſe verò independens eſt, & ens primum, à quo pendent cætera. Sic S. Thom. 1. p. quæſt. 9. cit. art. 2. cap. *Sic ex voluntate Dei dependet, quod res in eſſe produxit: ita ex voluntate eius dependet, quod res in eſſe conſeruet: non enim aliter eas in eſſe conſeruat, quam ſemper eis eſſe dando*; & mox, *Sicut igitur in potentia creatoris fuit, vt res eſſent, antequam eſſent in ſeipſis: ita in potentia creatoris eſt, poſtquam ſunt in ſeipſis, vt non ſint* Sic igitur potentiam, quæ eſt in altero, ſcilicet in Deo, ſunt mutabiles, inquantum ab ipſo ex nihilo potuerunt produci in eſſe, & de eſſe poſſunt reduci in non eſſe.

S. Bonau. Concil. Conſtantinop. 6. Idem docet S. Bonau. in 2. d. 8. cit. cum reliquis Patribus, & Concilio Conſtantinopolitano 6. Act. 12. vocante Angelos, & animam rationalem incorruptibiles per gratiam, & non per naturam: non quia non ſint incorruptibiles modo explicato; ſed quia Patres, & Concilia diſtinguunt creaturas à Deo per hoc quod neque intrinſecè, neque extrinſecè datur vlla potentia ad non eſſe Dei; cætera omnia etiam quæ dicuntur incorruptibilia natura ſua, annihilari poſſunt à Deo liberè creãte, & conſeruante, de quo Theologi in materia de Deo, & de Angelis.

Denique nulla ratio cogit ab iſtis Patrum locutionibus excipere creaturam vllam, eamque ſubducere à communi regula vniuerſalis extenſionis potentiæ obedientialis paſſiuæ in omnimoda ſubiectione creaturarũ ad Deum, eiuſque potentiam fundatæ, vt patebit ex ſolutione argumentorum.

Reſponſio ad argumenta contraria.

CAPVT VI.

Primum argumentum

XIII. HOc eſt potiſſimum, quo mouentur auctores prædicti ad adſtruendam incorruptibilitatem creaturæ alicuius; nam in communi ſententia viſio beata eſt reflexa ſupra ſeipſam, & ſupra durationem ſuam æternam, & ſupra certos actus fidei, igitur eſt iudicium ſuæ æternę durationis: & hoc eſt eſſentiale, quia omni cognitioni eſt eſſentialis repræſentatio ſui obiecti, quam ſemel habet, quia non repræſentat obiectum per aliquid à ſe diſtinctũ, ſed per ſuammet eſſentiam, eum ipſa ſit determinatio vltima in genere repræſentandi, igitur eſſentiale eſt illi hoc iudicium, durabo in æternum: & ita eſſentiale, vt ſine illo nec diuinitus abſolutè ſit producibilis; ſed viſio non poteſt eſſe erronea, ſicut nec fides, ergo nec poteſt deſtrui etiam per abſolutam potentiam.

Confirmatur à ſimili: ſi enim Deus velit vbiationem producere extẽſam per totam ſcholam, non poteſt in media tantum collocare, ergo ſi velit durationem extenſam producere, non poteſt illam in inſtanti ſequenti annihilare, quia illa eſt eſſentia talis durationis, vt perſeueret vel ad annum, ſi velit producere vnius anni: non enim poterit eſſe tantum medij anni, ſicut nec cognito duorum obiectorum poteſt eſſe tantum vnius; ergo neque poterit eſſe duratio temporanea, quam Deus voluit producere æternam.

Multæ ſunt reſponſiones variè reiectæ à recentioribus mox citandis.

Prima eſt aſſerentium viſionem beatam non eſſe reflexam ſupra ſeipſam, id eſt non eſſe viſionem ſui ipſius, ſed eſſe actum rectum ſine reflexione cum Ocham in 4. quæſt. 13. art. 5. dub. 2. Gabr. in 3. d. 14. quæſt. vn. art. 1. not. 1. ſupplemento eius in 4. d. 49. quæſt. 3. art. 3. tenentes poſſe aliquem eſſe perfectè beatum eſſentialiter, etiamſi hoc neſciat actu elicito, ſed ſolum poſſit ſtatim ſcire, & etiamſi non cogitet de ſeueritate.

Refutat ſal. t. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 3. ſect. 4. Soar. lib. 2. de Attrib. negat cap. 18. n. 9. defendens viſionem eſſe reflexam, ſed non tractans argumentum de incorruptibilitate: cui P. Hurtad. diſp. 19. de fide, ſpe, & caritate reſpondet hanc eſſe neceſſitatem conſequentem ex ſuppoſitione diuini decreti non ex ratione eſſentiali viſionis. Quam reſponſionem fuſè impugnat P. Ripal. diſp. 59. ſect. 1. &

preſſus argumento concidit viſione beatæ Poſſe falſum ſubeſſe de potentia abſoluta, & non eſſe eſſentialiter infallibilem.

Sed quid de actu fidei, per quem creditur vita æterna, aut alia veritas contingens, cui non poteſt ſubeſſe falſum? præter alia incommoda, quæ fert ſecum reſponſio hæc.

Recentior quidam diſp. 19. de Incarn. cap. 1. negat ſequelam argumenti; quia cum viſio illa habeat plures partes ſucceſſiuas, de nulla earum verum erit, quod ſit incorruptibilis, quia omnes corrumpuntur, & fluunt. Et licet verum ſit, quod hæc pars viſionis nunc exiſtens repræſentet ſeipſam vt præſentem, & cæteras omnes vt futuras, & quod ex ſuppoſitione huius non poſſunt cæteræ non exiſtere poſtea: tamen hæc neceſſitas eſt ex ſuppoſitione exiſtétiæ vnius, ad quã non poſſunt non ſequi aliæ: quod non eſt inconueniens: ſicut neque quod ex ſuppoſitione reuelationis diuinæ ſequatur neceſſariò obiectum reuelatum, quod ſecundum ſe eſt deſtruibile. Sed vnde habent partes futuræ viſionis repræſentatæ per præſentem, vt ſint futuræ per æternitatem, niſi à decreto Dei volentis beatitudinem eſſe æternam? igitur prius eſt fore æternas partes futuras quàm repræſententur æternæ à parte præſente; non ergo ex ſuppoſitione partis exiſtentis cæteræ neceſſariò ſunt futuræ, ſed prius ex decreto Dei habent hanc neceſſitatem. Deinde partes futuræ non habent neceſſariam connexionem cum parte exiſtente ex natura rei, ita vt illa poſita & ipſæ ponì debeant, quia poſſet Deus illas non ponere, ergo pars viſionis exiſtens repræſentat cæteras futuras ex libero decreto, & non ex neceſſaria connexione cum illis. Tota ergo ratio æternæ durationis eſt decretum.

Mallem tentare ſolutionem argumenti independenter ab ijs, quæ ſunt controuerſa inter Theologos, ſiue enim viſio beata de facto ſit reflexa, ſiue recta, ſiue videantur creaturæ, & proinde etiam ipſa viſio in verbo vt medio cognito, ſiue non, ſiue non poſſit: ſiue actui ſupernaturali ſubeſſe falſum, ſiue non poſſit: ſiue actus intellectus, & voluntatis ſicut ſucceſſiui, ſiue indiuiſibiles in ſeipſis, & permanentes ſẽper eſt neganda conſequentia intenta ab aduerſario, quod in ſit deſtruibilis ex antecedẽte ab illo aſsũpto, quod viſio eſt eſſentialis repræſentatio ſui obiecti, & iudicium ſuæ æternæ durationis, cui non poteſt ſubeſſe falſum; in primis enim videtur fallacia accidentis, de qua Philoſophus 1. Elench. cap. 5. quia ex connexione neceſſaria terminorum propoſitionis infert neceſſitatem obiecti à parte rei, quod eſt viſioſum genus argumentandi, ſicut ſi diceretur ſcientia viſionis Dei eſt eſſentialis repræſentatio rei futuræ, verbi gratia Incarnationis, & iudicium, cui non poteſt ſubeſſe falſum; ergo Incarnatio non poteſt non eſſe, falſa eſt ſequela. Item ſi arguas, prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro ex S. Thom. 1. p. quæſt. 23. a. 5. & in hoc conſiſtit eius eſſentia, quæ eſt connexio eſſentialis terminorum, ergo gratia, & gloria ponuntur neceſſariò, non valet, quia in hac inuoluitur diuina voluntas, vt idem S. Thom. ibid. art. 6. 3. & ideo eſt neceſſitas in effectu tantum ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito.

Deinde quoad rem ipſam ex vi materiæ non ſequitur, quod viſio ſit incorruptibilis, quia termini antecedentis inuoluunt eſſentialiter dependentiam à Deo, non ſolum quia creatura quælibet hoc habet: ſed etiam quia duratio eius in particulari, quæ eſt influxus, aut non ſine influxu Dei, qui liber eſt; & ideo cum dicitur duratio æterna, non poteſt præſcindi ab influxu libero, & proinde neque à deſtruibilitate: ideo enim liber dicitur, quia poteſt ceſſare. & ſicut non poteſt de vlla creatura dici, quod neceſſariò producatur: ita nec quod neceſſariò conſeruetur à Deo; & ſicut poſito decreto productionis non poteſt non produci ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito, cum quo ſtat libertas ſimpliciter ad producendum, ita & ad conſeruandum.

Inſtabis, eſſentiæ rerum non pendent à decreto, & voluntate Dei, igitur neque eſſentia viſionis, ergo etiam præciſo decreto eſt iudicium ſuæ æternæ durationis, ſicut alij actus ſunt eſſentialiter tendentiæ in ſua obiecta.

Eſſentia viſionis conſideratur dupliciter.

Reſpondeo, quod eſſentia viſionis conſideratur dupliciter; primò metaphyſicè vt dicit connexionem terminorum, puta quod ſit clara repræſentatio diuinæ eſſentiæ abſtrahendo ab exiſtentia actuali. Secundò phyſicè vt eſt actus intellectus clarè videntis à parte rei. Primo modo non magis pendet à decreto, quàm aliæ eſſentiæ, verbi gratia, quod homo ſit animal rationale. Secundo modo pendet in fieri, & conſeruari, ſicut creaturæ omnes.

Dices, viſio eſt iudicium ſuæ æternæ durationis, tum quia eſt reflexa ſupra ſeipſam: tum quia in ea conſiſtit beatitudo, & ſumma quies, quæ non eſt ſine hoc iudicio. Neque valet dicere, quod viſio non eſt reflexa, & quod non videt ſeipſam in verbo; nam quicquid ſit de hac quæſtione controuerſa, certum eſt dari iudicium de æterna duratione beatitudinis, & quod beati illud habent, ſiue per ipſam viſionem, ſiue per reuelationem peculiarem: & tunc redit argumentum, quod ſit indeſtruibilis, quia non poteſt tale iudicium eſſe falſum in ſententia communi.

Reſpondeo, iudicium de duratione æterna beatitudinis inuoluere decretum Dei liberè eam conſeruare volentis, quia duratio rei eſt à Deo conſeruante liberè, & cognitio vnius eſt cognitio alterius, & vera neceſſariò, ſed neceſſitate ſuppoſitionis, vt dixi. Siue autem viſio ſit permanens, ſiue ſucceſſiua, ſatis eſt ad iudicium durationis æternæ ſui ipſius; quia poteſt ſe repræſentare vt præſentem, & vt futuram, vel ſecundum partes futuras, vel ſecundum indiuiſibilem entitatem ſuam coexiſtentem alicui extrinſeco ſucceſſiuo.

Et in hoc ſenſu actus fidei, quo creditur viſionem Chriſti fore æternam, eſſentialiter verus, quia ſemper inuolutur decretum inducens neceſſitatem conſequentem, & ex ſuppoſitione, non ſimpliciter.

Ad confirmationem aliud eſt producere, & conſeruare vbicationem: aliud facere, quod tanta vbicatio non ſit tanta. Primum pendet à Deo liberè; ſecundum implicat: ita etiam implicat durationem æternam non eſſe æternam;

ſed nòn implicat facere non æternam.

Secundum Argumentum.

EST, quia dantur creaturæ ſua natura cõruptibiles, vt ſunt ſublunares; aliæ ſua natura incorruptibiles, id eſt carentes omni contrario deſtructiuo tam intrinſeco, quàm extrinſeco, non tamen exemptæ à dominio Dei potentis deſtruere, igitur & ſunt aliæ poſſibiles, quæ ſemel productæ non poſſint deſtrui. Patet ſequela, tum quia in hoc non apparet repugnantia; tum quia videtur pertinere ad commendationem diuinæ poteſtiæ, vt ſe etiam extendat ad tale genus entium incorruptibilium.

Confirmatur, quia poſſibilitas deſtructionis omnis creaturæ non ſtat cum fidelitate potentia diuini decreti; ſi enim poteſt deſtruere quæ promiſit in æternum ſe conſeruaturum, verbi gratia gloriam, & beatitudinem, ergo non ſtaret promiſſis, eſt autem Deus Fidelis 1. Cor. 1. immutabilis, omnipotens.

Reſpondeo ad argumentum, nego ſequelam, quia nullum genus entium poteſt non pendere à Deo liberè conſeruante, & proinde potente non conſeruare: alioqui tolleretur totalis dependentia creaturæ, & plenum dominium creatoris.

Ad confirmationem nego antecedens; ad probationem, illa eſt neceſſitas immutabilitatis, & ex ſuppoſitione, quæ eſt extrinſeca creaturis, & non reddit illas intrinſecè, & ex ſua natura indeſtruibiles. Patet hoc, quia nulla eſt, quam non poſſet decernere temporaneam, ita vt poſt certam durationem deſineret eam conſeruare, & viſionem ipſam beatam, & beatos omnes Angelos, ac homines de abſoluta potentia priuare beatitudine poſſet, imo & annihilare.

An potentia obedientialis paſſiua ſit vniuerſalis reſpectu conuerſionis vnius rei in aliam.

CAPVT VII.

I. Variæ ſententiæ, & dicendi modi.
II. Supponenda pro intelligentia naturæ conuerſionis.
III. Potentia obedientialis paſſiua reſpectu conuerſionis eſt vniuerſalis.
IV. Corollaria variarum conuerſionum.
V. Reſponſio ad argumenta.

XIV. VÆRVNT ſcholaſtici in 4. diſt. 9. 10. & 11. & 3. p. quæſt. 75 art. 5. an quælibet res poſſit conuerti in quãlibet, de quo Soar. tom. 3. in 3. p. diſp. 51. ſect. 10. Vaſq. diſp. 184. in 3. p. t. 2. vbi de Euchariſt. P. Luiſ. Tur. in opuſc. diſp. 2. de tranſubſtantiatione dub. 2. & alij plures inter ſe diſſentientes, nam

Prima ſententia, loquendo in vniuerſum, eſt negatiua, quia putat impoſſibilem conuerſionem totius ſubſtantiæ in aliam Durand. in 4. d. 11. quæſt. 2. n. 6. Dicendum, inquit, quod quodlibet non poteſt conuerti in quodlibet, ſed tantum ea quæ communicant in materia: vnde & quæſt. 3. numero 5. aſſerit in Euchariſtia manere materiam panis, & vini, & animari anima, & forma corporis Chriſti; niſi enim maneat communis ſubſtantia, non intelligit quomodo, & in quo ſit tranſubſtantiatio, cum nihil ibi videat præter annihilationem. Sed iam póſt Tridentin. ſententia hæc ſuſtineri non poteſt: nam ſeſſ. 13. cap. 4. definit fieri conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti; & can. 2. damnat negantes hanc doctrinam catholicam: proinde damnatur ſententia Durandi, vt notant ſcholaſtici recentiores, ſignanter Vaſq. d. 180. n. 19. Soar. diſp. 49. ſect. 3. aduerſus huic ſententiæ.

Secunda eſt Paludani in 4. d. 11. quæſt. 3. art. 3. requirentis ad conuerſionem vnius in alterum communicationem in materi, alioqui de illo non poteſt fieri aliud, & hanc ait eſſe communem ſententiam, ſed grauis nam in conuerſione totius ſubſtantiæ in aliam non manet materia, ſi præfuit, neque eſt ſubiectum, ſed tantum terminus à quo conuerſionis, ideo non apparet neceſſitas communicationis huius, & in particulari, conuerſio panis eſt in corpus, & animam Chriſti no communicantem in materia. Paludan.

Tertia exiſtimat non poſſe ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam, niſi habeat accidentia ſibi inhærentia intrinſecè, & ſu ecta ſaltem ſenſui, ſub quibus permanentibus demonſtratio fieri poſſit per pro[illegible] aquod. Vaſq. diſp. 184. cit. n. 10. Vaſq.

Quarta eſt vniuerſalior admittens conuerſionem cuiuslibet in quodlibet, niſi vbi aliqua particularis ratio obſtet. Soar. ſc. cit. cui Fauet S. Thom. Caiet. Scot. & recentiores aliqui. Pro ſolutione hæc aduertenda, primò quod cõuerſio eſt tranſitus vnius rei in aliam, quia ſicut per tranſitum relinquitur terminus à quo, & acquiritur terminus ad quem; ita in conuerſione deſinit terminus à quo, & fit terminus ad quem, & vterque eſt poſitiuus; per quod differt à mutatione, quæ eſt etiam inter terminum poſitiuum, & negatiuum: vt appareat in illuminatione, & eius deſitione; aër enim exempli gratia, fit lucidulex tenebroſo, & vice verſa: & proinde etiam differt à ſpeciebus eius, verbi gratia, à corruptione, annihilatione alteratione, in quibus non eſt neceſſe ſemper deſinere terminum, & acquiri poſitiuum; at in conuerſione ſi non deſineret terminus à quo, non diceretur conuerti. Differt conuerſio à mutatione.

Secundò requiritur formalis connexio inter deſitionem termini à quo, & ſucceſſionem termini ad quem, ita vt vi deſitionis fiat ſucceſſio; ſi enim ſint duæ actiones non connexæ, neutra eſſet conuerſio, ſed poſſet vna dici creatio, altera annihilatio, verbi gratia, creatio ſalis, & annihilatio vxoris Loth: connexio, inquam, formalis in ſenſu dicto, & non ſolum concomitans ratione temporis, aut alterius circumſtantiæ materialis; alioqui quod producitur eo tempore quo aliud deſinit, diceretur conuerti, quod eſt ridiculum; optimè autem ſtat connexio formalis, ſi per eamdem realem actionem quod conuertitur, dicatur deſinere

id.

esse quod erat, & incipere esse quod non erat: vt Bellar. de Euch. l. 9. cap. 18. Sic in naturalibus quando loco frigoris introducitur calor, est vera conuersio frigidi in calidum, quia vna ex ijs qualitatibus non potest expelli, quin introducatur altera & vice versa; consequenter desinit terminus a quo totalis, & non solum partialis, & succedit terminus ad quem item totalis, id est concretum ex forma noua, & subiecto communi vtrique. Proinde quod conuertitur, desinit esse quod erat antea, alioqui non transiret ad esse aliud retinens idem esse; eciro transformationes magicæ non sunt conuersiones, sed præstigiæ, & illusiones arte Dænonum factæ, verbi gratia, sociorum Vlyssis in vestias multigenas, & Diomedis in lupos c- vitos, vt S. August. de Ciu. lib. 18 cap. 18. Dicitur autem desinere, etiamsi vna tantum pars desinat, vt patet in conuersionibus tam naturalibus prædictis, quàm supernaturalibus, vbi gratia, vxoris Loth, cuius corpus versum est in statuam salis, manente anima.

Bellarm.

Transformationes magicæ non sunt conuersiones.

S. August.

Tertiò. Conuersio triplex est, materialis, in qua mutatur subiectum, manente eadem forma, vt in nutritione hominis, acquiritur enim noua pars materiæ decedente alia, & manet eadem anima rationalis vtramque informans. Formalis, per quam diuersæ formæ succedunt in eodem subiecto. Totalis, quando totum ens mutatur in aliud totale, vt in Eucharistia, in qua tota substantia panis muratur in totam substantiam corporis Christi: quæ distinctio locum habet eam in conuersione accidentalis: quia in eodem subiecto succedunt sibi diuersa accidentia & sub eodem accidente potest Deus mutare subiecta, & totum subiectum mutari in aud, manentibus aliquibus accidentibus in eroque; quæ tria membra continentur sub duplici distinctione, quam habet S. Thom. 3. p. quæst. 75. art. 4. diuidentis conuersionem in totalem, & formalem.

Conuersio triplex est.

Quartò requirant communiter Theologi cum Philosophi, aliquid positiuum commune vtrique terminoe desinenti, succedenti, qui in ordine ad illud commune habeant repugnantiam; hæc verò non est, nisi respectu illius tertij, cum quo non possunt esse simul termini, posita tali actione, per quam desinat vnus, & succedat alter, iccirco si successio sit solum vnius ad alterum, vel in eodem loco, respectu cuius repugnat esse simul duo corpora, vel concomitanter & non formaliter ex dicta connexione: vel sine aliquo communi vtrique termino, non erit conuersio, quia neque est res vlla, quæ conuersa denominari possit: idque colligimus ex conuersionibus tam naturalibus, in quibus vna forma succedit alteri vi agenti naturalis, introducta, quàm in supernaturalibus, in quibus vel tota substantia conuertitur in totam, vel saltem miraculosè expellitur vna pars, & alia inuehitur: in ijs enim omnibus semper remanet aliquid commune vtrique termino, vel subiectum, vel accidens, ex quo arguimus hoc esse de ratione formali conuersionis in genere, cuiuscumque in specie. Consequenter non debet destrui in termino à quo desinente esse, totum quod habet: sed aliquid remanear oportet concurrens ad rationem, & denominationem conuersionis, verbi gratia in Eucharistia, desinente substantia panis, remanent accidentia, sub quibus vi consecrationis succedit corpus Christi Domini; siue deinde hæc successio vocetur productio, vt contendit Soar. tom. 3. in 3. p. disp. 50. sect. 4. cum pluribus recentioribus tribuentibus D. Thomæ, siue solum adductio, vel introductio loco substantiæ panis, vt Vasq. in 3. p. disp. 185. de Euchar. secutus Scotum in 4. d. 11. quæst. 3. quoad hoc quod est esse actionem adductiuam: ratione cuius putat satis ad veritatem verborum, quod vna substantia succedat alteri desinenti sub ijsdem speciebus.

.a conuer-.one requiritur aliquid positiuum commune vtrique termino.

Ratio autem, cur necessarium sit aliquid commune, sub quo repugnet esse simul terminum desinentem, & succedentem, est, quia ex suppositione, quod sit connexio formalis inter desitionem vnius, & positionem alterius, vti dictum est, & proin ie repugnantia inter terminos, hæc non semper est inter ipsos absolutè consideratos; potest enim quælibet substantia esse, dum est altera: siue comparentur spirituales cum corporeis, siue eædem inter se: neque etiam respectu loci, quia possunt esse simul penetratiuè, vel definitiuè, quin conuerti dicantur, igitur appositio attendi debet penes aliquod tertium; hoc autem non potest melius assignari, quàm aliquod accidens, sub quo ponatur id quod conuersionem terminat, seu in quod aliud conuerti debet, & sub quo præfuerit id quod denominatur conuerti: siue deinde repugnantia sit solum ex voluntate Dei, siue ex natura rei Cum enim hæc sit actio miraculosa, de qua philosophantur iuxta ea, quæ habemus de fide in venerabili præsertim sacramento altaris, non possumus congruentius de ea loqui in vniuersum, quàm si ab ijs, quæ Deus miraculosè operatur in illo, erigamus mentem ad contemplationem cæterorum, quæ omnipotentia eius efficere de sua creatura potest. In Mysterio autem sacrosancto ideo substantiam panis conuerti dicimus in substantiam corporis Domini, quia ex vi verborum consecrationis desinit esse sub accidentibus panis substantia panis, & incipit esse corpus Christi. Deinde quia nisi ponamus accidentia communia modo dicto, non est intelligibile, quomodo fiat conuersio vnius in aliud, vel enim fieret, quia vbi erat vnum ponitur aliud: & hoc non, quia siue de nouo producatur hoc aliud, siue præextiterit, & solum mutetur loco, non est hæc conuersio, sed translatio, localisue muratio. Vel quia desinit terminus à quo totalis, & fit alius ex vi vnius, & eiusdem actionis: puta si separata anima rationali, cadaueri inderentur accidentia salis, aut etiam forma salis; & tunc non tam alteratio, quàm conuersio, vel generatio miraculosa diceretur, introductâ vnâ formâ in locum alterius; vel quia ex vi vnius actionis, desineret vnum & succederet aliud sub ijsdem accidentibus, sub quibus non possunt esse simul, & hæc esset conuersio, ad quam necessariam adstruimus accidentium communitatem.

Dices, esse satis, quod sit transitus vnius rei in aliam, qui consistit in hoc, quod per eamdem actionem desinit esse vna res, & eius loco succedit alia,

Sed

Sed quæſo te, quid eſt ille tranſitus, vel actio deſtructiua vnius, & productiua alterius? res enim poſitiua deſinit eſſe vel præcisè ex hoc quod Deus ſubtrahit ſuum concurſum; & hoc ordinariè non fit, niſi quia res non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, & ideo ad poſitionem vnius deſinit Deus conſeruare aliam, ita exigente natura rerum, attentis diſpoſitionibus neceſſarijs ad conſeruationem, & capacitate ſubiecti, quæ ſe non extendit ad plures formas ſimul recipiendas; Vel abſolutè, quia res immediatè pendet à ſolo Deo, qui poteſt pro mera ſua voluntate deſinere conſeruare, vel data aliqua conuenientia ex parte creaturæ; vt quando propter peccatum aufert ſuam gratiam, & dona ſupernaturalia; neutro autem modo contingit hic tranſitus, vt de ſe manifeſtum eſt; primus enim eſt generatio, quia corrupta vna forma ſubſtantiali producitur altera; aut alteratio, quia expellitur, & deſinit accidentalis ad introductionem alterius; vt quando ex frigido fit calidum Secundus autem non habet terminum poſitiuum, ſed negatiuum, qualis non poteſt eſſe conuerſionis, quia quod conuertitur vel in terminum præexiſtentem tranſit, vt in conſecratione panis, & vel in productum de nouo, vt ſi conuerteretur aqua in vinum. Non ergo apparet, quomodo actio deſtructiua vnius, & productiua alterius ſit conuerſio, ſi non manent accidentia communia. Quod vlterius declaratur; nam in dato exemplo conuerſionis aquæ in vinum imaginari poſſumus, quod modus ſolum ſit miraculoſus, quia Deus momento facit quod cauſæ naturales ſtatutis temporum ſpatijs multiplici operatione conficiunt. Quid ergo capacibus mentibus obſtat, ait Auguſt lib. 1. de mirab. ſacræ ſcripturæ lib. 1. c. 18. vel quiſquis auctor illius eſt, *ſi iſtud, quod per tempus longius facit in momento per iuſſum potentiſſimi gubernatoris naturaliter efficiat? Aqua in ſanguinem verſa non contra naturam facit, ſed quod alijs rebus per tempus efficeret, iubente Domino in ſemetipſo protinus operatur*, &c. hæc conuerſio quoad ſubſtantiam generatio eſt, manente eadem materia ſub diuerſa forma. Vel ſecundò effundendo aquam, aut deſtruendo illam cum omnibus accidentibus, & ſubſtituendo vinum in eodem vaſe. *Si enim*, ait Auguſt. tract. 9. expoſit. *in Euangel.* Ioan. c. 2. t. 9. *iuſſiſſet inde aquam effundi, & ſic ipſe mitteret vinum ex occultis creaturæ ſinibus, vnde fecit & panem, quando ſaturauit tot millia*, &c. Et hæc aut creatio eſt, ſi fiat ex nihilo vinum: aut generatio cum adductione, ſi ex materia aliunde importata. Vel tertiò conuertendo formam aquæ in formam vini ſub accidentibus communibus vtrique, & tunc erunt accidentia communia, quod intendimus. Vel quartò deſtruendo materiam, & formam aquæ, & ponendo vinum vel præexiſtens, vel de nouo productum ſub iſdem accidentibus: ita vt ex vi poſitionis vini deſineret aqua: & tunc eſt vera, & propria conuerſio; quod ſi non remanerent accidentia communia, non diceretur conuerſio, ſed annihilatio vnius ſubſtantiæ, & creatio alterius ſibi ſuccedentis ex voluntate diuina vt Soar. cit. diſp. 50. 10. quia niſi ſibi ſuccedant ſub aliquo tertio, non habent inter ſe connexionem vllam, neque ex deſitione vnius ponitur altera; non enim ex eo quod deſinit eſſe aqua in rerum natura, neceſſariò debet poni vinum: aut ex eo quod fit vinum, debet aqua deſtrui, vel aliud elementum. ſed ſolum ex eo quod repugnent ſub iiſdem accidentibus, ſecundum rationem continentiæ ſubſtantialis.

Multis modis contingere poteſt conuerſio aquæ in vinum,

S. Auguſt.

Alius autem modus hactenus non ſe prodit, quo ſaluetur ratio veræ conuerſionis; nam quod Scotus dixit fieri poſſe conuerſionem panis in terra in corpus Chriſti exiſtentis in cælo, & non poſiti ſub ſpeciebus, ſubtilius eſt, quàm vt apprehendi à ſe poſſit, Soarius fatetur: cum neque vlla mutatio ſit in termino ad quem, neque vlla habitudo, vel ſucceſſio inter deſitionem panis, & Chriſtum in cælo, ac proinde potius annihilationis, quàm conuerſionis nomen deſitioni panis conueniat. Dices ſatis eſſe, vt id, quod erat panis ſit corpus Chriſti, ne dicatur annihilatus, ſed conuerſus in corpus Chriſti, quia poſt conuerſionem panis entitas conuerſa quædam entitas eſt: & licet panis conuerſus non ſit panis; tamen ita ſaluatur, ſecundum communia prædicata, vt iterum ſuſcipiat eorumdem prædicationem, quod non contingit in annihilatione, vt Caiet. loc. cit. Sed præter ea, quæ communiter obijciuntur huic explicationi, in particulari quærimus, quomodo terminus ad quem incipiat eſſe terminus huius actionis, & recipiat denominationem eius in quod conuerſum eſt aliud; hoc enim aliquam mutationem in illo, quam nos explicamus per nouam præſentiam, & vnionem ſub communibus accidentibus, tu non explicas per communia prædicata metaphyſica ſine vlla mutatione phyſica in termino ad quem.

Mutatio panis in corpus Chriſti exiſtentis in cælo, & non ſub ſpeciebus, aſſerta à Scoto difficilis videtur Soario.

Ex applicatione iſtarum conditionum requiſitarum ad conuerſionem reſponderi poteſt principali quæſito de potentia obedientiali paſſiua, quocumque illa ſe extendat in creaturis, pro quo ſit.

Vnica propoſitio.

XV.

POtentia obedientialis paſſiua quoad conuerſionem vnius rei in aliam vniuerſalis eſt, extenditurque ad omnia, quæ ſub accidentibus communibus manere quidem ſucceſſiuè poſſunt, ſed ſimul non poſſunt ob repugnantiam aliquam. Explicatio patet ex dictis. Probatio prima eſt ratio Sancti Thomæ 3. p. q. 75. a. 4. 3. diſcuſſa exactius à Caietano ibidem, *Virtute*, inquit, *agentis finiti non poteſt forma in formam mutari, nec materia in materiam, ſed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, poteſt talis conuerſio fieri: quia vtrique forma, & vtrique materia eſt communis natura entis, & id quod eſt entitatis in vna, poteſt auctor entis conuertere in id, quod eſt entitatis in altera, ſublato eo, quod ab illa diſtinguebatur.* Eſt etiam Suar. qui l. cit. concludentis quamliber creaturã poſſe in aliam conuerti non quidem omni genere conuerſionis, ſed vno, aut altero vnicuique rei accõmodato pro earum diuerſitate. Citat pro ſe plures, inter quos Bellarm. volens rem hanc fidelibus indubitatã. Sequuntur recentiores, inter quos P. Ioan. Præpoſitus in

S. Thom. Caiet.

P. Suar.

p. quæst. 75. art. 8. d. 6. sine exceptione substantiam in substantiam tam corpoream, quàm incorpoream mutuò conuerti posse, & accidens in accidens, ac substantiam, & hanc in illud absolutè asserit, & alij cum Soar. Quæ verò excipit Soar. ab hac vniuersali propositione, pertinent potius ad modum dicendi, quàm ad rem ipsam in sensu quæstionis, vt communiter accipitur à scholasticis, à quibus ipse non dissentit, verbi gratia, excipit mutationem formalem, & materialem, quæ inter res simplices esse non potest: nam formalis est, quæ fit inter duas res ratione formarum sibi succedentium in eodem subiecto, vel materia communi vtrique formæ; materialis, qua vnum compositum mutatur in aliud, manente eadem forma, quia conuersio est ex parte materiæ; cum igitur conuersio huiusmodi postulet compositionem ex materia, & forma, non potest esse inter res simplices; quæ & similia visa sunt alicui recentiori prolata ex falso intellectu opinionis communis scholasticorum loquentium de mutationibus totalibus, non de partialibus, cum dicunt quodlibet posse conuerti in quodlibet.

Sed esto, locuti sint scholastici de mutationibus totalibus, numquid de partialibus etiam quæri non potuit, quid esset sentiendum? aut de partialibus disputans non intellexerit sensum communem scholasticorum, qui eorum, præsertim D. Thomæ rationes examinat, illustratque commentarijs? Adde quod si de partialibus non loquuntur Scholastici, & das Soario, in illis non habere locum propositionem illam vniuersalem, excipis ergo cum Soario mutationes partiales, & tamen profiteris te non errare à sensu cæterorum. Sed hoc obiter.

Ratio potissima assertionis est omnipotentia, & supremum dominium creatoris, qui cum sit auctor totius entis, potest non quamlibet in aliam conuertere. Hanc autem potentiam declarauit in creatione, producendo mundum ex nihilo, quod est quid maius, quàm ens in ens vertere. In Incarnatione assumendo humanitatem ad vnionem hypostaticam: in transubstantatione, conuertendo panem, ac vinum in corpus, & sanguinem suum: & in alijs miraculosis conuersionibus, quas passim scriptura sacra commemorat. Hinc sequitur.

Corollaria ex posita Assertione.

CAPVT VIII.

XVI. PRimò posse commutari vnam substantiam corpoream totalem in aliam corpoream etiam cælestem. S. August. August. lib. 26. contra Faust. c. 4. *Proinde si mihi dicatur, posse fieri, vt caro, verbi gratia, huius, vel illius hominis in corpus cæleste mutetur, concedo fieri posse; sed vtrum futurum sit, nescio.* Et de facto in Eucharistia mutatur tota substantia panis in totam substantiam corporis, non pars in partem: id est materia in materiam, & forma in formam, vt censent aliqui; sed totum in totum, vt S. Thom. quodl. 5. quæst. 6. art. 11. 1. Nec contradicit 3. p. cit. quæst. 75. art. 4. vbi tantum habet ad 3. quod potest forma in formam conuerti, & materia in materiam; sed non negat hîc totam substantiam mutari in totam: immo aperrè id habet sed primum, etiamsi non sit impossibile partes mutari in partes, vt sic dicatur etiam totum in totum.

Confirmatur, quia sicut vna pars integralis panis non mutatur in partem integralem corporis, verbi gratia, in caput, manum, &c. sed in totum; ita & materia, ac forma in totum mutari dicendæ sunt.

Secundò. Inanimem substantiam in animatam, vt panis in animam. Ratio est illa vniuersalis quam affert S. Ambros. l. 4 de Sacram. c. 4. *Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas.* Quo pertinent auctoritates innumeræ SS. Patrum relatæ à Bellarm. loc. cit. per plura capita: consequenter. Conuerti potest substantia inanimis in animatum, S. Ambros.

Tertiò. Substantiam corpoream conuerti posse in spiritualem: nam sicut de facto sub accidentibus panis ponitur substantia corporis Christi per actionem concursiuam; ita posset poni substantia angelica per similem modum vnionis: ratio enim cur ponatur præsens corpus, non est, quia materiale, & quantum est: sed quia creatura subdita est creatori ad omnem vsum non implicantem; talis autem etiam Angelica natura est: & proinde potens & ipsa ex vi verborum, Deo sic volente poni per formam sibi conuenientem, vt Soar. ibid. contra Vasq. cit. disp. n. 16. Et substantia corporea in spiritualem.

Quartò. Vice versa posse substantiam spiritualem conuerti in corpoream, quia sub accidentibus spiritualibus poni potest substantia materialis vel per modum subiecti, vel per intimam præsentiam, & aliquem modum vnionis. Soar. ibid. Et idem est de substantia spirituali respectu spiritualis. In primo consentit Vasq. loc. cit. sed ob diuersum principium, vt infra, & Caiet. in 3. p. a. 4. q. 75. cit. ad 1. concedit Angelum conuerti posse in lapidem, & è contra. Et spiritualis in corpoream.

Quintò. Potest vnum accidens conuerti in aliud, verbi gratia, vna quantitas in aliam sub eadem albedine, quia duæ sub illa repugnantiam habent, non solum quia inter se formaliter pugnant, quatenus vna excludit alteram ob impetrationem, sed etiam quia sub eodem accidente, aut cum eodem naturaliter esse nequeunt; vnde si per diuinam potentiam ab eo sustentaretur, opus esset duplici miraculo, altero ad sustentandum, altero ad simul existendum sub eodem. Consequenter potest dari actio per eamdem diuinam potẽtiam, qua ponatur vna quantitas desinente alia; atque ita esse connexio desitionis, & positionis sub eadem qualitate; cur enim non repugnet in substantia, & repugnet in accidentibus, vt Soar. Est autem & in ijs eadem regula, quæ & in conuersione substantiarum, vt nimirum quæ habent repugnantiam sub eodem accidente, & vniri successiuè illi possunt, per aliquem modum conuerti possint, nisi peculiaris aliqua ratio obstet in singularibus, Et vnum accidens in aliud.

tunc enim eſſe vnius eſſet cauſa deſitionis alterius, & daretur connexio inter illa. Certè Caiet. accidentium contrariorum mutuam conuerſionem admittit in a. 4. quæſt. 75. cit. §. Ad ſecundum dicitur, licet ex diuerſo principio.

Et ſubſtantia in accidens.

Sextò. Poſſe etiam ſubſtantiam conuerti in accidens affirmant aliqui recentiores, ſignanter P. Ludouic. Mærat. t. 3. tract. de Euchar. diſp. 17. quia poteſt Deus dare quantitati corporis Chriſti exempli gratia, modum vnionis cum accidentibus panis, aut alterius ſubſtãtiæ, ſimilẽ illi, quem dedit corpori; quo dato ſicut corpus repugnat ſubſtantiæ panis, & eſt cauſa deſitionis eius, ita quantitas illa repugnaret, & eſſet cauſa deſitionis ſubſtantiæ: ſicut de facto ſubſtantia corporis Chriſti eſt cauſa deſitionis ſubſtantiæ panis, in cuius locum ipſa ſuccedit; ex duplici enim capite repugnantia ſimultatis duorum corporum prouenire poteſt primò ex limitatione materiæ, quæ non eſt capax duarum formarum ſubſtantialium non ordinatarum inter ſe, neque ſimul, & ſemel poteſt concurrere ad conſtituenda plura indiuidua diuerſarum ſpecierum; neque naturaliter admittit præſentiam intimam alterius corporis. Secundò ex ratione quantitatis, quæ ex eo quod eſt impenetrabilis formaliter, excludit aliud corpus à loco, in quo eſt; Vtraque repugnantia ſuperari poteſt per diuinam potentiam, quantum attinet ad ſimultatem duorum corporum: nam per penetrationem poſſunt eſſe in eodem loco, & ſub iiſdem accidentibus, quin ſit infirmatio vel formæ ſubſtantialis, vel accidentalis alieni ſubiecti; nihilominus ex natura rei neque materia admittit duas formas ſubſtantiales intimè preſentes, licet non vnitas; neque quantitas corpus extraneum; neque accidentia cætera conſortium extraneorum ſuis ſubſtantijs, in quarum bonum illis à natura data ſunt. Hinc ſequitur, quod quantitas poteſt habere modum vnionis cum accidentibus alicuius ſubſtantiæ, & proinde repugnantiam cum altera ſubſtantia talem, vt ex poſitione eius deſineret ſubſtantia, & remaneant accidentia eius vnita quantitati, ſicut manent accidentia panis vnita corpori Chriſti, quæ eſt ſpecies conuerſionis partim ſubſtantialis reſpectu termini à quo: partim accidentialis reſpectu termini ad quem. Id autem fieri poſſet, tam ſi quantitas conſeruaretur ſeparata à ſubſtantia, in qua præfuerat, quàm ſi vnita eidem rurſus vniretur accidentibus alterius ſubſtantiæ per ſimilem modum, quo de facto vnitur corpus Chriſti ſpeciebus ſacramentalibus, atque adeo quantitati ipſi; & idem eſſet de reliquis accidentibus, quæ haberent repugnantiam cum ſubſtantia, ita vt ex poſitione illorum hæc deberet deſinere.

An pars mutati poſſit in totum.

Septimò. An pars mutati poſſit in totum, & vice verſa per tranſubſtantiationem, diſtinctione opus eſt; vel enim comparatur ad totum, vt concurrit ad illud conſtituendum incluſiuè; & hoc modo non poteſt, quia quod conuertitur in aliquid deſinit eſſe: quod autem conſtituit aliquid, permanet; atque adeo ſimul deſineret, ac permaneret, quæ ſunt implicantia. Vel computatur ad idem excluſiuè vt quid extra illud, & perinde ſe habet ac reliquæ ſubſtantiæ, quæ conuerti poſſunt, quia ſuccedere ſibi poſſunt ſub ijſdem accidentibus, ſub quibus ſimul habent repugnantiam in ratione continentiæ ſubſtantialis. Et ſermo eſt de partibus integralibus ſingillatim ſumptis: collectiuè enim ſunt ipſum totum, quod in ſeipſum conuerti non poteſt, quia ſimul deſineret, & exiſteret.

Octauò. Deum conuerti non poſſe in creaturam, neque vice verſa. Prima pars eſt euidens, quia mutari non poteſt, nec deſinere eſſe, vt S. Thom. 3. p. quæſt. 2. art. 1. Suar. loc. cit. Secunda variè à diuerſis probatur; ſed ratio S. Thomæ huic etiam applicari poteſt: conuerſio enim reſpicit aliquod agens, quod habeat dominium, & actionem ſupra totum ens, & ſupra vtrumque terminum à quo, & ad quem: Deus autem non habet dominium, neque actionem in ſe. Præterea id, in quod dicitur aliquid conuerti, debet recipere aliquid in ſe, ratione cuius dici poſſit terminus conuerſionis, & mutari, debet ſuccedere ſubſtantiæ deſinenti habenti repugnantiam cum alio, in quod conuerti dicitur ratione continentiæ; debet ſuccedere in officio, quod exercebat ſubſtantia deſinens in accidentia communia, quæ remanent; verbi gratia, corpus Chriſti, quod eſt terminus conuerſionis Sacramentalis, ſuccedit in officio ſubſtantiæ panis quoad vnionem cum accidentibus, & ſimilia, quæ repugnant Deo. In quo eſt diſparitas cum Incarnatione, per quam Deus fit homo ſine ſui mutatione, terminando vnionem, & non accipiendo aliquid in ſe; & non dicitur terminus formalis, qui fiat in Incarnatione, licet ad illam etiam tendat actio, quatenus per illam vnitur Verbo natura humana. At verò in conuerſione, quæ eſt actio, terminus ad quem includit intrinſecam dependentiam ab agente, quia per illum verè fit aliquid, ratione cuius terminus accipit denominationem cõuerſi ſeu in quod aliquid conuerſum eſt: quæ non eſt denominatio extrinſeca, vt Soar. contra Caiet. 3. p. q. 2. art. 1. & Maior. in 4. d. 11. q. 1 exiſtimantes Deum poſſe eſſe terminum conuerſionis ſine ſui mutatione; & quanquam Vaſq. diſp. 184. n. 30. conatur oſtendere Caietanum, & Maiorem hoc non aſſerere: placet tamen iudicium P. Io. Præp. in 3. p. quæſt. 75. art 8. ſub. 6. ſentientis cum Soario, qui non imponit, ſed refellit ſenſum horum auctorum à ſe perſpectum, textu iudice, ſi adeatur.

Non datur conuerſio Dei in creaturam, aut vice verſa. S. Thom. Suar.

Reſpondetur argumentis contra prædicta.

CAPVT IX.

PRimum argumentum, quia D. Auguſt. negat corpus poſſe conuerti in animam: nam lib. 7. Gen. ad lit. cap. 12. *Corpus aut aliquid ſiue terrenum, ſiue cæleſte conuerti in animam, fierique naturam incorpoream, neque quemquam ſenſiſſe ſcio, nec fides hoc habet,*

XVII. S. Auguſt.

S. Thom. Idem docet S. Thom. lib. 4. c. Gen. cap. 31. negans corpus elementare conuerti poſſe in cæleſte, vel in ſubſtantiam incorpoream. Nec valet dicere quod loquantur de potentia creata, aut de potentia ordinaria, & mutationibus naturalibus, vel quæ de facto ſecundum fidem fiunt cum Caietano; nam ibi longo diſcurſu probat, animam non fieri ex vlla materia, ſed creari à Deo: quia Gen. 2. dicitur, *Et flauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem*, vt ipſe legit. In creatione autem Deus eſt vſus ſua omnipotentia, & proinde potuiſſet ex corpore formare animam per conuerſionem in illam, ſi hæc eſt poſſibilis. Deinde S. Aug. proponit dubium, an potuerit ſua omnipotentia ſingulari Deus flatum facere ex aëre, quæ anima hominis eſſet, & reſpondet negatiuè: quia quicquid ſit ex mundi elementis corporeum eſt; anima autem incorporea eſt, & proinde non poſſe corpus in eam mutari, vbi apertè agitur de omnipotentia, & non de potentia ordinaria.

Ideo reſpondet aliter Vaſq. diſputatio cit. 184. numero 18. nimirum Sanct. Auguſtinum, & alios Patres loqui de conuerſione formali, aut quaſi formali, in qua manet vnum idemque ſubiectum commune, non de conuerſione ſubſtantiæ totius in ſubſtantiam in qua nihil manet panis. Sed quæſtio illi erat, an aliquid corporeum in animam mutari potuerit Dei virtute illam ſpirantis in corpus hominis, ad quod non erat neceſſe manere ſubiectum aliquod commune, quia totum conuerti potuiſſet; & cum formalis conuerſio per te ſit, quæ eſt inter duas formas ſibi ſuccedentes in eodem ſubiecto communi vtrique; manifeſtum eſt Auguſtinum altius diſputationem inſtituiſſe, dum inueſtigat omnes modos, quibus venire poſſit in mentem hominis, an anima rationalis facta ſit ex aliquo corporeo, & non limitaſſe ad conuerſionem formalem, qua reiecta adhuc non erat ſatisfactum dubitationi de origine animæ, quæ tandem refertur in creationem, quia nullus approbatus eſt à S. Auguſt. modus ex multis à ſe propoſitis, quo dici poſſet facta ex vlla re corporea etiam cæleſti.

Reſponſio videtur planior, & textui germana, ſi dicamus S. Auguſtinum ſollicitum fuiſſe de origine materiali animæ, an ſcilicet quemadmodum Deus indidit rationes ſeminales rebus à ſe conditis, ex quibus propagatio generationum perennat in vniuerſo, ita & animæ rationalis illæ eſſent veluti ſemina, ex quibus illæ proderent in lucem, ſicut cæteræ irrationales; & reſpondet negatiuè, non quia per Dei potentiam ſubſtãtia corporalis transmutari nequeat in ſpiritualem; ſed quia natura ſpiritualis fieri non poſſit ex materiali, tanquam habente rationem ſeminalem eius; cuius rei non dat rationem, ſed ſolum refutat varios modos, quibus hoc poſſibile videri poſſet, quales ſunt, An fuerit aliqua materia ſpiritualis, vnde anima fieret: an anima rationalis ſit hæc materies, vnde ſit rationalis, & humana; an corpus aliquod terreum, & humidum, vnde anima flatu Dei facta eſt; an elementum aliquod; & concludit cap. 19. *Vnde ergo ſit ipſa, id eſt, de qua velut materie Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere; ſicut enim Deus omnem creaturam, ſic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit*, &c. & iccirco nulla eius ratio ſeminalis, vnde emergeret in natura corporea, ac ne in Angelica quidem indita eſt, ſed ſolum Deum habet creatorem ex nihilo, qui apud ſe rationes reſeruauit eorum, quæ ſolus facit, eaſque creaturis indere placitum illi nequaquam fuit, aut ordini ſapientiſſimè à ſe inſtituto non conueniens, vel etiam naturis ſingularibus repugnans. *Multo minus igitur in aliqua corporali creatura* (ait cap. 23.) *cauſalis animæ ratio præcondita eſt, cum faceret Deus hominem ad imaginem ſuam antequam eum ſuo tempore de limo formatum flatu animaret, ſi abſurdè creditur animam cauſaliter in natura Angelica condidiſſe*, &c. Et mox cap. ſequenti, *Credatur ergo ſi nulla ſcripturarum auctoritas, ſeu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum ſexto die, vt corporis quidem humani ratio cauſalis in elementis mundi; anima verò iam ipſa crearetur.*

Igitur non negat ibi S. Auguſt. ſubſtantiam corpoream poſſe miraculosè conuerti in ſpiritum, ſed ſolum non poſſe fieri mutationem iſtam ex corpore, tanquam ex cauſa materiali continente rationes ſeminales ſubſtantiæ ſpiritualis, quæ propter dignitatem, & excellentiam ſolum Deum habere poteſt auctorem, & nullam cauſam creatam etiam ſpiritualem, à qua, vel ex qua fiat, cum quo tamen bene cohæret potentia obedientialis paſſiua ad tranſmutationem miraculoſam, cuius ratio ſolum in Deo latet, ſicut & aliorum miraculorum, vt ſupra diximus.

S Auguſt. tantum probat non poſſe fieri mutationẽ in ſpiritum ex corpore, tanquam ex cauſa materiali continente rationes ſeminales.

Dices Sanctus Auguſtinus loquitur per te de potentia abſoluta, at reſpectu huius non apparet implicantia, cur non poſſit dari cauſa materialis, vnde fiat ſubſtantia ſpiritualis, ſicut datur de facto cauſa materialis, ſubiectiua accidentis ſupernaturalis nobilioris, quàm ſit ſubſtantia naturalis, & ſpiritualis, cum reddat animam participem diuinæ naturæ, quod nulla ſubſtantia ſpiritualis quantumuis excellens præſtare poteſt.

Reſpondeo de potentia abſoluta dari non poſſe cauſam materialem ſubſtantiæ ſpiritualis, quia cauſalitas illa dicit dependentiam, & ſuſtentationem rei, quæ fit in cauſa huiuſmodi; eſt autem contra rationem ſubſtantiæ ſpiritualis pendere in fieri, vel conſeruari à materiali vlla cauſa, ſeu in genere cauſæ materialis; quia quod eſſentialiter per ſe exiſtit, non poteſt exiſtere in alio vt ſuſtentante, aut educi de illo; exiſteret enim per ſe, ſeu ſubſiſteret, & non ſubſiſteret, quia ſuſtentaretur ab alio.

Subſtantia ſpiritualis non poteſt pendere à materiali cauſam fieri, vel conſeruari.

Inſtabis, cur non poſſit ſubſiſtere per ſuam ſubſiſtentiam formaliter, & ſuſtentari materialiter ab alio ſubiecto? aut cur ſicut dari poſſunt in probabili ſententia duæ cauſæ totales in genere efficientis, & finalis, non poſſent dari duo modi ſubſiſtendi, alter à ſubiecto ſuſtentante, alter à modo afficiente?

Reſpondeo ad primam partem quia illi duo modi opponuntur contradictoriè: nam ſubſiſtere per ſe formaliter, ſiue ſubſiſtentia

Digitized by Google

Subſiſtere per ſe infert negationem ſubſiſtentiæ per aliud.

ſit totalis, ſiue partialis, infert negationem ſubſiſtentiæ, & ſuſtentationis ab alio: ſicut rationale infert ſecum negationem irrationalis, & inhæſio in ſubiecto negationem ſubſiſtentiæ per ſe; ideo non poteſt ſubſiſtentia, quæ per ſe ſubſiſtit independenter ab alio vt ſubiecto, ſimul exiſtere dependenter à ſubiecto. Ex quo patet ad alteram partem: nam data poſſibilitate dependentiæ effectus à duabus cauſis totalibus, neutra dicit negationem conſortij alieni: ſed ſolum ſufficientem virtutem vnius cauſæ, quæ fert ſecum negationem exigentiæ alterius non poſſibilitatis concurſus.

Vrgebis, anima rationalis habet ſuam ſubſiſtentiam propriam, ratione cuius per ſe exiſtit, & differt ab accidentibus, & formis materialibus, quæ indigent ſuſtentatione materiæ; cur ergo non poſſit & ipſa per diuinam potentiam ſuſtentari à materia ſi daretur peculiaris modus vnionis ad illam, & priuaretur propria ſubſiſtentia, ſicut de facto tota humanitas caret ſubſiſtentia, & ſubſiſtit aliena increati Verbi? In eo autem caſu anima penderet in fieri, & ſuſtentari à materia, quod eſt habere cauſam materialem, ſeu educi de materia.

Reſpondeo, dato, & non conceſſo, quod materia haberet ſubſiſtentiam ſufficientem ad hoc vt ſeparata à forma exiſteret, ſiue miraculosè, ſiue non, dato primo miraculo ſeparationis; dato etiam, quod anima carens propria ſubſiſtentia ſubſiſtere poſſet aliena etiam materiæ per peculiarem vnionem ad illam, quæ valde ſunt cõtrouerſa apud Philoſophos, & Theologos; reſpondeo, inquam, non ſequi, quod haberet cauſam materialem, ex qua educeretur; tunc enim materia concurreret terminando per ſuam ſubſiſtentiam animæ ſubſtantiam carentem proprio termino; quod eſt genus cauſalitatis formalis complens eſſe, & ſupponens illud: non autem dans materialiter rei incapaci cauſalitatis huiuſmodi; anima enim rationalis cum ſit ſubſtantia ſpiritualis per ſe exiſtens natura ſua, poteſt quidem priuari vltimo modo, quod eſt ſubſiſtentia, ſed non dependere materialiter, ſeu ſuſtentari à materia, vel educi de illa, quia eſſet quid materiale. In dato ergo caſu vel poſſibili, vel impoſſibili, anima crearetur à Deo, & non educeretur de materia, & vniretur illi ad ſubſiſtendum per ſubſiſtentiam alienam, vt terminum, & non vt cauſam materialem.

Ad auctoritatem S. Thomæ lib. 4. cont. gen. c. 31. non poteſt item reſponderi, quod loquatur de potentia ordinaria, quia diſputat ibi contra Apollinaris inſaniam ſomniantis aliquid Verbi in carnem Chriſti fuiſſe conuerſum, vtiturque argumento communi, quod eorum quæ non communicant in materia, & in vno genere impoſſibile eſt fieri conuerſionem ad inuicem: non enim ex linea, inquit, fit albedo; neque corpus elementare poteſt conuerti in aliquod corporum cæleſtium, vel in aliquam incorpoream ſubſtantiam, aut è conuerſo; quæ exempla vt ſint ad rem, oportet intelligi de potentia abſoluta: cum ſermo ſit de Incarnatione, in qua tota ratio facti eſt potentia facientis, quæque miraculum eſt omnium maximum miraculorum, vt S. Thom in 3. d. 3. quæſt. 2. art. 2. cap. & de potentia quæſt. 6. art. 2. 9

Neque rurſus de conuerſione formali intelligendus eſt, cum exempla, & ratio ſint abſolutè de conuerſione, non qua vna forma ſuccedit alteri, ſed qua vna res mutatur in aliam non habita ratione ſubiecti remanentis ſub vtraque forma. Neque item vt S. Auguſt. ſupra loquitur de rationibus ſeminalibus, quas Deus rebus indidit, ſed ſimpliciter docet, impoſſibile etiam ſecundum æternas quæ nullæ ſunt impoſſibilium: vnde nec conueniret expoſitio, quam ſupra dat Caietanus auctoritati ſancti Auguſtini de potentia ordinaria, aut mutationibus naturalibus. Malo ſtare dictis in ſumma, quàm detorquere textum hunc S. Thomæ in ſenſus extraneos. Sic Caiet. in a. 4. quæſt 75. cit. ad argumentum Durandi probantis non poſſe conuerti, niſi communicantia in materia ex eo quod res conuerſa manet in eo, quod conuerſum eſt: negat aſſumptum & concedit conuerſionem Angeli in lapidem, & è contra ob rationem S. Thomæ: contra quam tamen plura objiciuntur à Scoto, & Durando, quæ ſoluit ibid. Caietanus.

Ex quibus patet quomodo ſit intelligendus S. Auguſt. lib. de Immort. Anim. cap. 16. vbi ait, Animam rationalem non poſſe conuerti in irrationalem, loquitur enim de potentia ordinaria, vt patet ex diſcurſu textus probantis nec animam in corpus conuerti.

Secundum Argumentum

EST, quia ſi materia conuerti poteſt in materiam, & forma in formam, & totum in totum, non poteſt hoc fieri ſine annihilatione; nam quod prius fuit aliquid, & poſtea eſt nihil, factum eſt nihil, quod eſt annihilari. Nec valèt dicere quod remanent accidentia communia, ſub quibus vnum ſuccedit alteri: nam accidentia non faciunt, vt remaneat aliquid ſubſtantiæ, quæ deſiit, aut vt ſit aliquid actu, quod iam eſt nihil, verbi gratia, vt panis ſit aliquid, ſi deſijt, & loco eius ſucceſſit corpus Chriſti.

Confirmatur, quia ſi vnum accidens conuertatur in aliud, verbi gratia, albedo in nigredinem, nullum manet accidens commune; non enim quantitas, quia & hæc conuerti poteſt in albedinem, vel nigredinem per te.

Deinde ſi Angelus conuertatur in lapidem, vel in materiam, nulla accidentia remanent vtrique communia. Præterquam quod Angelus produci non poteſt, niſi per creationem, ergo neque deſinere niſi per annihilationem; quia ſicut illud eſt nihilo Angeli, ita & hoc eſt in nihilum.

Ad hæc, & ſimilia reſpondet Caiet. negando ſequelas: quia in conuerſione quod erat panis iam eſt corpus Chriſti, exempli gratia, & quod erat Angelus, iam eſt lapis; in annihilatione autem id quod deſijt, non eſt ipſum, in quod conuerſum eſt, ſed nihil: & ideo conuerſio ab annihilatione differt.

Quæ reſponſio videtur alijs difficilior: quia vel eſſe id, in quod conuerſus eſt Angelus ponit aliquid in termino ad quem, & hoc quid aliud eſt, præter vnionem ad aliquid

commune vtrique; vel nihil ponit: & tunc quæro, quomodo terminus ad quem incipit habere hanc denominationem, ac dependentiam ab actione conuerſiua penitus immutatus? aut quomodo ſi nihil remanet rei, quæ dicitur conuerſa, non eſt annihilata? nam terminus, in quem dicitur conuerſa, perinde ſe habet ac prius, & denominatio iſta, eſſe videlicet id, in quod eſt conuerſa, præter deſitionem rei conuerſæ dicit aliquid aliud in termino ad quem, & aliquam connexionem cum deſitione termini à quo; nam ſi deſinat eſſe res ſine connexione hac, non dicitur conuerti, vt patet ex dictis; hoc autem eſt per quod differt annihilatio à conuerſione, ſed non explicatur ſufficienter, ſi dicatur ſolum, quod erat panis eſt corpus Chriſti, quod erat lapis eſt Angelus.

Reſpondeo igitur, negando ſequelas; quia annihilatio eſt ſimplex deſitio eſſe rei per diuini concurſus ſubtractionem, & non per actionem poſitiuam; conuerſio eſt mutatio rei vnius in aliam, quæ complectitur actionem poſitiuam, cuius virtute ponitur terminus ad quem ſub accidentibus rei conuerſæ, & deſinit eſſe terminus à quo propter repugnantiam ad ſimul exiſtendum ſub iſdem accidentibus modo ſuperius explicato.

Ad argumentum ergo in forma, nego ſequelam; ad probationem, etiamſi nihil maneat panis ſubſtantiæ exempli gratia, neque accidentia ſint aliquid ſubſtantiale, tamen non dicitur annihilari: quia mutatio illa differt ab annihilatione per hoc quod non eſt ſimplex deſitio, ſed connexionem habet cum poſitione termini ad quem ſub accidentibus communibus, &c.

Ad confirmationem primam ſupra diximus etiam in accidentibus remanere debere aliquid commune, vt fiat conuerſio; multi autem ſunt modi in theſauris diuinæ potentiæ, quibus multiplex fieri poteſt coniunctio accidentium, ita vt maneat aliquod commune vtrique termino, & hoc poſſit etiam eſſe ſubſtantia, in qua diuina virtute vnum alteri ſuccederet per actionem ſimilem tranſubſtantiationi.

Ad ſecundam patet ex dictis: poſſet enim ſubſtantia Angeli vniri accidentibus corporeis vi actionis conuerſiuæ: ſicut vnitur corpus glorioſum Chriſti Domini accidentibus panis; quo caſu dicerentur accidentia eſſe communia vtrique termino: vni naturaliter, alteri miraculoſè.

Ad alteram partem concedo Angelum eſſe producibilem in actum exiſtentiæ ſolum per creationem; nego deſinere non poſſe, niſi per annihilationem, quia poteſt etiam per conuerſionem: ſicut & materia eſt ingenerabilis, & ſolum creabilis: & tamen deſinere poteſt, & deſinit per conuerſionem in Euchariſtia: materia enim panis conuertitur ſimul cum forma in corpus Chriſti.

Tertium Argumentum.

EST ex P. Vaſq. loc. cit. cap. 2. & 3. quia inter eſſe ſubſtantiæ, quæ conuertitur, & illam, in quam conuertitur, talis habet eſſe oppoſitio, vt eſſe iſtius ſit cauſa deſitionis panis: ſicut forma geniti eſt cauſa expulſionis formæ corrupti: ſed hæc oppoſitio eſſe non poteſt ex natura rei, puta vna ſubſtantia non opponitur alteri; neque ex ſola voluntate Dei, quia hæc niſi mutet res ipſas, non eſt cauſa, vt quæ inter ſe non opponuntur fiant oppoſita, ergo ex ſola veritate verborum, neque enim alia excogitari poteſt. At oppoſitio ex veritate verborum non eſt, niſi vtamur pronominibus demonſtratiuis ſubſtantiæ, in quam fit conuerſio, ita vt cum veritate verborum demonſtratiuorum non ſtet ſubſtantia, quæ conuertitur, ſed neceſſariò deſinat, vt pluribus docet diſp. 180. cap. 4. inferens non poſſe corpus conuerti in ſpiritum quia non habet accidentia, ſub quibus demonſtrari poſſit pronominibus, ſicut demonſtratur corpus Chriſti: quia ad hanc demonſtrationem oportet accidentia eſſe ſenſibilia.

Reſpondeo gratis aſſumi, quod non ſit alius modus tranſubſtantiationis, quàm per verba, & demonſtrationem, per pronomina, Hoc, hic, &c. aut ex ſignificatione, & veritate verborum formæ: cur enim ligetur diuina omnipotentia pauculis verbis? aut ſi vti velit verbis, non poſſit alijs, quàm pronominibus demonſtratiuis. Poteſt igitur qui omnia verbo ſuo condidit, ſine aliena voce conuertere vnam ſubſtantiam in aliam; poteſt etiam vti vocibus internis ad libitum; & ſi velit per formam demonſtratiuam, poteſt hæc fieri per conceptus, & internam locutionem, quali vtuntur Angeli inter ſe; & oppoſitio erit non ex veritate verborum, ſed ex incompoſſibilitate duarum ſubſtantiarum ſub iſdem accidentibus, quæ ſi communia eſſe poſſint, non eſt neceſſe, vt ſint ſenſibilia, loquendo de potentia abſoluta.

Dices cum Vaſq. Vnus Angelus ſub accidentibus alterius Angeli, & corpus ſub accidentibus Angeli manere non poteſt, ergo neque conuerti.

Reſpondeo, nego antecedens quod ille non probat contra Soar. putans eſſe per ſe notum, & contrarium eſſe commentitium; ſed tale non videtur multis ſapientibus. Rurſus inſtabis pro eodem. Si Deus eodem momento deſtrueret vnam ſubſtantiam, & aliam crearet, alias non deſtructurus, vel creaturus, non eſſet hoc ſatis ad conuerſionem: quia hæ duæ ſubſtantiæ non pugnant inter ſe: neque eſſet connexio inter deſitionem vnius, & conſeruationem alterius, ſed concomitanter ſe haberent. At verò ſi ſacerdos eius nomine vteretur, forma demonſtratiua ſatis eſſet ad conuerſionem, ergo per illam fit connexio, quam requirimus, & ex ſignificatione, & veritate eius oritur oppoſitio neceſſaria inter terminum à quo, & ad quem.

Reſpondeo, admiſſo antecedente ex ſupra dictis diſtinguo conſequens; per ſolam formam demonſtratiuam poteſt fieri connexio iſta, nego conſequentiam; per illam, & per alios modos, concedo; nihil enim contra aſſertionem.

Quartum Argumentum.

EST, quia multa accidentia non habent repugnantiam, vel oppoſitionem vllam neque inter ſeipſa, neque in vllo ſubiecto, aut

accidente communi, verbi gratia, lux, calor, ſiccitas, & alia huiuſmodi poſſunt naturaliter eſſe ſimul, ergo vel non poſſunt ad inuicem conuerti, vel ad conuerſionem non requiritur oppoſitio.

Confirmatur, quia connexio requiſita inter deſitionem termini à quo, & poſitionem termini ad quem attenditur maximè penes hoc, quod forma ſeparata ab accidentibus non poteſt exiſtere: & ideo deſinit non concurrente Deo ad eius conſeruationem: ſeparatur autem per poſitionem eius, in quod conuertitur, vt patet in Euchariſtia. At verò quando vnum accidens dicitur conuerti in aliud, nulla eſt talis ſeparatio ab aliquo remanente ſub termino à quo, cuius ope indigeat ad exiſtendum, & ideo deſinat conſeruari à Deo, igitur neque eſſe poteſt conuerſio alterius accidentis in illud.

Reſpondeo ad argumentum, aliqua accidentia non poſſunt habere vllam phyſicam repugnantiam ad exiſtendum ſimul ſub aliquo communi vel accidenti, vel ſubiecto, eorum non dari conuerſionem vnius in alterum: ſed quia in infinitum variari poſſunt per diuinam potentiam combinationes & ſubiectorum, in quibus recipiuntur, & accidentium ipſorum, quæ multipliciter vniri non repugnant: poterit etiam ferme omnium dari aliqua repugnantia, ita vt poſitio vnius deſtruat alterum, non ſecus ac poſitio corporis Chriſti deſtruit ſubſtantiam panis, hoc eſt ad poſitionem eius deſinit panis, ſubtrahente Deo ſuum concurſum conſeruatiuum ad eius exigentiam, quæ non eſt, vt conſeruetur extra ſua accidentia; verbi gratia, licet humiditas, & calor non repugnent luci, vt patet ex eo quod ſimul ſunt in aëre: tamen non implicat fieri luminoſum, cui repugnet humiditas, immò de facto repugnat ſoli; & tunc ex vi actionis ponentis humiditatem deſtrueretur lux, & diceretur conuerſa in humiditatem, & ſic de cæteris infinitis coniunctionibus poſſibilibus.

Caietanus tamen expediret ſe dicendo, quod lux facta eſt humiditas, ſiue quod erat lux eſt humiditas, quod erat albedo eſt nigredo; & eſſet expedita reſponſio ſine tot requiſitis conditionibus, quot alij ponunt ad conuerſionem neceſſarias. Sed præter hæc verba aliquid addendum, vt explicetur, quomodo fiat hic tranſitus, quomodo incipiat eſſe terminus ad quem per conuerſionem, per quid fiat denominatio noua in ipſo, & dependentia ad actionem; quid maneat commune vtrique, vt conſiſtat ratio conuerſionis.

Quintum Argumentum.

EST, quia Deitas poteſt eſſe terminus conuerſionis: ſi enim forma Sacramenti eſſet, hoc eſt corpus meum deificatum, vel hoc eſt corpus Chriſti, ex vi verborum Deitas eſſet in Sacramento cum corpore, quia expreſsè ſignificaretur vt forma deificans humanitatem; ſicut ſi diceretur, hoc eſt corpus meum viuens, ex vi illorum eſſet anima: id enim dicitur eſſe in Sacramento, & eſt terminus conuerſionis, quod eſt in eo ex vi verborum.

Nec valet dicere, quod demonſtratio iſta ſupponit ſubſtantiam ita claudi ijs accidentibus, vt extra illa non ſit, quod non conuenit Deitati vbique diffuſæ; nam etiam corpus Chriſti extra illa accidentia eſt ſub alijs hoſtijs, & tamen verè dicitur hîc eſſe.

Reſpondet Vaſq. diſp. illa 184. numero 32. in Deitatem poſſe conuerti corpus, vt in aliquid ipſius termini, non vt in terminum adæquatum, & integrum, vt inde confirmet ad rationem tranſubſtantiationis non requiri productionem termini ad quem: quia Deitas non poteſt produci.

Sed in primis parum hoc incommodat Soario contendi tranſubſtantiationem verè actionem productiuam eſſe non Deitatis, ſed corporis Chriſti: deinde rationes ad probandum, quod nulla creatura conuerti poſſit in Deum, valent etiam contra terminum partialem, & inadæquatum: ſi enim terminus ad quem conuerſionis dicit aliquam mutationem, ratione cuius recipiat hanc nouam denominationem, & peculiarem habitudinem ad actionem conuerſiuam, non poteſt hoc eſſe ſine aliqua mutatione ad differentiam Incarnationis, per quam vnitur natura humana Verbo, ſed Verbum non dicitur terminus formalis eius, etiam partialis; quia hoc non requiritur ad actionem vnitiuam: & productionis creatæ non eſt capax Verbum, quod eſt terminus increatæ.

Reſpondeo igitur in dato caſu verba illa non fore practica reſpectu deitatis, ſed ſignificatiua ſpeculatiuè, id eſt deſignare quidem Deitatem corpori præſentem, & illud deificantem, ſed non eſſe cauſam præſentiæ, quam enunciarent.

Inſtabis, ſi per impoſſibile Deus non eſſet vbique ex vi verborum, poneretur ſub ſpeciebus per formam prædictam, quia poneretur corpus vnitum hypoſtaticè, & non diſſolueretur vnio, ergo; & de facto ponitur, quia forma eſt eadem, & eiuſdem virtutis, ac ſignificationis.

Reſpondeo, dato vno impoſſibili, ſequeretur alterum, quod Deus inciperet eſſe vbi non erat, & eſſet mutabilis: proinde forma non eſſet eiuſdem virtutis, & ſignificationis, cuius modo eſt: tunc enim cauſaret præſentiam, & practicè ſignificaret, quam modo tantum ſpeculatiuè ſignificat, & non cauſat, quia Deitas abſque illa præſens eſt, cum ſit vbique.

An potentia obedientialis paſſiua ſit potentia neutra.

CAPVT X.

I. Senſus quæſtionis, & diuiſio potentiæ paſſiuæ.
I'. Aduertenda pro explicatione potentiæ neutræ.
III. Datur potentia neutra obedientialis reſpectu aliquorum donorum ſupernaturalium in creatura rationali.
IV. Et in alijs creaturis irrationalibus.
V. Non tamen reſpectu qualitatum, vel mutationum diſconuenientium.
VI. Soluuntur argumenta contraria.

CElebris eſt diuiſio Scoti quæſt. 1. Prolog. ſentent. & in 2. d. 2. quæſt. 6. diſtinguen- XVIII.

tis potentiam per ordinem ad actum in tres ſpecies, nimirum in naturalem, violentam, & neutram. Prima eſt, quæ inclinatur ad actum ſibi conuenientem, vt materiæ potentia ad formam. Violenta eſt, quæ non ſolum non inclinatur, ſed habet repugnantiam ad actum, vt grauia ad motum ſurſum. Neutra eſt, quæ indifferenter ſe habet ad actus etiam oppoſitos, vt perficies ad albedinem, & nigredinem, cœlum ad motum circularem, &c. Contra quam diſtinctionem pluribus inſurgunt Thomiſtæ, præſertim Caiet. in opuſculo de potentia neutra tom. 3. tract. 3. quæſt. 1. Sotus 2. Phyſ. quæſt. 1. & alij, quibus vel ipſum nomen potentiæ neutræ odioſum eſt: & horum eſt prima ſententia negans dari potentiam neutram contenta naturali, & violenta.

Secunda eſt affirmatiua Scoti, & Scotiſtarum non diſtinguentium potentiam obedientialem paſſiuam à naturali, violenta, & neutra, & ſumentium denominationem à forma, vel actu, ad quem habeat ſubiectum inclinationem, vel repugnantiam, vel indifferentiam, vt videre eſt apud Fabrum diſp. prol. Pater etiam Ripalt. diſp. 8. n. 24. accipiendo neutram pro virtute, quæ neque propendeat, neque renitatur formæ ad illam reuocat obedientialem, licet à Scotiſtis diſſentiat tribuentibus poſitiuam inclinationem creaturæ rationali ad dona ſupernaturalia: & proinde potentiam naturalem. Pro reſolutione primùm placet in quæſtione fermè Philoſophica, & de nomine doctrina Suar. diſp. 43. in Metaph. ſect. 4. & nomen, & rem ſignificatam per illud retinentis, & explicantis; quia dantur in natura ſubſtantiæ, quibus oppoſita æquè bona ſunt, & ſpectata eſſentia ipſarum abſolutè, neque inclinationem habent, neque repugnantiam ad illa; ſic motus cæli ab Oriente in occidentem æquè illi conueniet ac ab Occidente in Orientem, quia neuter magis illud perficit, quàm quies, qua potietur poſt diem iudicij, ceſſante cauſa motionis, quæ eſt generatio rerum inferiorum, & mundi viſibilis adminiſtratio. Ideo à Scoto in 4. d. 48. q. 2. ad vltimum dicitur neuter, etiamſi Ariſtoteles 2. Cœl. t. 31. conetur cauſam reddere ex eo quod melior ſit iſte motus. Vice verſa motus ignis ſurſum potentia naturalis eſt, quia locum hunc appetit vt ſibi congeneum, & poſitiuè inclinatur ad illum, non item ad motum circularem, quo per accidens cietur ad motum ſuperioris orbis, non ex propria inclinatione. Ratio in vniuerſum eſt, quia actus, & formæ quædam ſunt per ſe ſpectantes ad bonum, & perfectionem rerum, quibus aduenium: & inter illas eſt non ſolum proportio, ſed exigentia vel mutua, vel ſaltem ex parte vnius ipſarum, & vna eſt propter aliam ex ſua eſſentia, vt patet in materia, & forma, intellectu, & intellectione. Aliæ verò ſunt vel formæ, vel actus, vel aliter conuomitantia, quæ vel non perficiunt, qualis eſt motus cæli nullam addens cælo perfectionem; vel non magis ipſa, quàm oppoſita, vt nigredo, & albedo reſpectu ſuperficiei; oportet igitur diuerſimode comparari potentias ad ſimiles actus diſſimiliter efficientes, & diuerſas appellationes ſortiri, iuxta diuerſum modum ſe habendi; atque adeo primi generis potentia rectè naturalis vocatur ex naturali, poſitiua inclinatione ad actum, propter quem à natura inſtituta eſt. Secundi verò generis potentiæ congruè nomen Neutra inditum eſt, quod in neutrum ex oppoſitis actibus, aut formis propendeat, cum non ſint bonum per ſe ipſius; aut certè non magis vnum, quàm alterum ſi, & illa Neutra dici etiam poteſt, quæ per ſe perficitur à formis particularibus, ſed indeterminatè illas reſpicit, de quo & ipſi Scotiſtæ lites habent inter ſe, vt videre eſt apud Fabrum diſput. 2. Prolog. cap. 2. & alios. Quæro igitur, an potentia obedientialis paſſiua ſecundum id quod dicit in recto, id eſt ſecundum entitatem ſuam, vocari poſſit Potentia Neutra, quæ adæquatè nomen obedientialis ſortita eſt, & diſtinctionem à qualiber naturali, quæ pura eſt à quoliber ſupernaturali.

Suar.

Nomen potentiæ neutræ non reijciendum.

Scot.

Aduerte autem ex dictis ſupra, non conſiderari creaturam habentem potentiam obedientialem in ordine ad dominium diuinum, cui pleniſſimè, & eſſentialiter eſt ſubiecta; ſic enim dicitur indifferens ad eſſe, & non eſſe, perfici tali modo, vel diuerſo, quia non minus illi naturale eſt ſubdi creatori, quàm recipere quæ ſibi conuenientia ſunt, aut carere diſconuenientibus, ex doctrina S. Bonau. in 2. d. 25. art. 1. quæſt. 5. ad argumenta infra citanda. Caiet. 1. p. quæſt. 83. art. 1. Et etiamſi abſolutè ens creatum, cum pati poſſe à Deo docet Vaſq. 1. 2. d. 25. n. 24. puta ſi renitentem hominem, vel Angelum mouere loco vellet, aut ſiſtere; tamen & hoc naturæ rationalis ſubiectioni totali conuenit non poſſe reſiſtere, quia & eius renitentia ſub pleno dominio creatoris eſt; vnde & vniuerſaliter docet S. Thom. quæſt. 1. de potentia, a. 3. 1. implicare, quod creatura moueatur immediatè à Deo, & quod hic motus ſit ipſi violentus. Conſideratur ergo creatura ſecundum ea, quæ habet in ſe, vel habere poteſt, aut debet, attentâ naturâ ipſius, vel abſolutè, vel comparatiuè ad extrinſeca tam naturalia, quàm ſupernaturalia; hæc autem vel ſunt conuenientia, & perfectiua, vt eſt gratia, & dona reſpectu naturæ rationalis: vel diſparata, vt eadem dona reſpectu naturæ irrationalis; vel diſconuenientia, vt eſt pœna ab igne in damnatis: & multo magis annihilatio maximè repugnans naturis rerum, quarum omnium eſt naturalis appetitus ad conſeruationem ſui, vt probat S. Thom. 3. cont. gent. cap. 19. ex reſiſtentia contrarijs facta, & tendentia ad locum conſeruatiuum. Quæſtio igitur præſens eſt, non vtrum admittenda ſit potentia neutra in vniuerſum; neque vtrum potentia obedientialis receptiua gratiæ, ac donorum ſupernaturalium vniuerſaliter in creatura rationali ſit neutra, vt diſtinguitur à naturali, & violenta; ſed vtrum in particulari, ſaltem ad aliqua dona talia ſit indifferens, & poſſit dici habere ad illa potentiam neutram; deinde an creaturis etiam irrationalibus hoc conueniat. Tertiò an reſpectu aliquorum effectuum potentia obedientialis in omnibus creaturis poſſit dici violenta.

S. Thom.

Digitized by Google

Assertio prima.

XIX. POtentia obedientialis passiua naturæ rationalis ad dona supernaturalia in particulari considerata potest vocari Neutra. Dico in particulari, quia an in generali habeat positiuam inclinationem tam ad veram beatitudinem, quàm ad dona necessaria, pro illius assecutione infra disquirendum est. In particulari verò probatur, quia non est magis determinata ad recipiendum gradus eos gratiæ, vel gloriæ, potius quàm alios; neque vllus eorum debetur ipsi, sed distributio pendet à voluntate Dei, qui vnicuique dat prout vult, igitur potentia ad illos potest vocari neutra, quia indifferens est; quemadum enim materia non est potentia ad hanc potius, quàm ad illam formam ex sua natura, sed determinatio pendet ab agente, & dispositionibus; ita & creatura rationalis non magis est potentia receptiua vnius gradus, quàm alterius gratiæ, vel gloriæ; & ideo dicitur neutra eius potentia: quia per hoc vocabulum indicatur indifferentia, non tantum ad opposita: qualis est in superficie ad albedinem, & nigredinem; sed ad similia, qualis est in materia ad formas eiusdem speciei, & diuersæ: quamuis enim ipsi Scotistæ altercentur inter se de potentia ista, an sit naturalis, vel neutra, existimantibus alijs id quod inclinatur ad genus naturaliter quoque ad species sub eo contentas inclinari; alijs negantibus, ne admittant inclinationem naturalem ad opposita, & pro eodem accipientibus neutraliter, indeterminatè, indifferenter, vt Faber disp. 2. prolog. cit. cap. 2. contra Radum; nihilominus inter omnes conuenit, præcisis dispositionibus nullam formam determinatè respiciâ materia, sed indifferenter se habere ad quamlibet, vt etiam S. Bonau. in 2. d. 3. n. 17. quæ indifferentia, & indeterminatio est quædam neutralitas; quod sufficit nobis ad similitudinem pro conclusionis explicatione, quæ confirmatur ex S. Bonau. in 2. d. 9. art. 1. quæst. 3. vbi in resolutione habet: *Nec capacitas naturæ, nec eius indigentia principaliter pensatur, sed diuinæ prædestinationis dispositio, & mensura, secundum quam partitur Deus mensuram fidei, sicut dicit Apostolus, secundum quod in sua prædestinatione mensus est ei*; igitur in natura est indifferentia, & neutralitas, à Deo verò determinatio. Et in responsione ad penultimum. *Sicut forma perficit capacitatem materiæ, non simpliciter, sed non prout exigit dispositio superinducta: sic gloria perficit naturam non simpliciter, sed secundum quod ex exigebat gratia, quæ prius libero arbitrio data erat. Cum autem sic perficitur sufficienter perfecta est, quia rectitudo iustitiæ limitat appetitum naturæ, vt non vltra appetat, quàm gratia promeruit, maximè cum plenè sufficiat, quod Deus sibi retribuit.* Et infra d. 25. p. 2. art. 1. quæst. 5. ad arg. *liberum arbitrium respectu Dei ad omne quod Deus voluerit sic habet mouere sicut pila ad omnem partem; ideo quicquid de ipso, vel circa ipsum faciat, non compellit, nec violentat, nec etiam alicui creaturæ violentiam inducit, quantum ad illam potentiam obedientiæ*, &c. Et mox, *Voluntas verò vertibilis est ad vtrumque oppositum, sicut & rota, & pila habent vertibilitatem ad motum*, &c. Sed hic motus in hanc, vel illam partem indifferenter se habet ad potentiam, & potentia ad motum, igitur datur potentia neutra in via S. Banauenturæ.

S. Bonau.

Voluntas vertibilis vt pila, vel rota.

Valet ergo & in hoc similitudo, quod sicut potentia materiæ dicitur neutra propter indifferentiam, & interminationem ad hanc, vel illam formam, ita & potentia creaturæ rationalis dicetur Neutra propter indeterminationem, ad talem gradum gratiæ, & gloriæ, & liberum arbitrium ad hunc, vel illum motum supernaturalem, quem voluerit Deus, sicut pila in manu lusoris.

Confirmatur, quia materia in tantum habet indifferentiam ad formas in particulari, in quantum caret dispositionibus ad illas, vnde & ad dispositiones habet potentiam neutram, sed eadem est comparatio naturæ rationalis cum dispositionibus ad gratiam, & gloriam, quas apta est recipere sine vlla determinatione ad has, vel illas; quam indifferentiam à dispositiones, & gradus gratiæ, ac gloriæ aptè exprimit exemplum rotæ, ac pilæ à S. Bonau. paulò antè allatum.

Hinc secundò probatur conclusio, quia vel consideratur natura secundum se, & prædicata sua essentialia: & hoc modo non habet maiorem proportionem cum vno gradu gratiæ, & gloriæ, quàm cum alio, neque illi debetur hic, vel ille gradus; cum neque gratia secundum se sit debita vlli personæ in particulari; igitur hoc modo est indifferens ad omnes gradus, quod est habere potentiam neutram, id est non magis ad hunc, quàm alium gradum. Vel consideratur vt est disposita per gratiam, & merita ad gloriam, atque ita tollitur indeterminatio, quia tantæ gratiæ, & meritis respondet tanta gloria, quæ debita est, igitur seorsum ab istis est indifferentia in natura. Dixi autem in assertione, ad dona necessaria, &c. nam de non necessarijs multo magis probari potest, quod potentia ad illa sit neutra; vnio enim hypostatica exempli gratia, naturæ humanæ non est debita, neque ab ipsa exigitur, sed indifferenter se habet. Tales etiam sunt gratiæ gratis datæ non necessariò connexæ cum gratia sanctificante, neque cum creatura rationali, quæ tamen illarum capax est, & potentiam passiuam habet obedientialem cum indifferentia, & ideo Neutram.

P. Suar.

Potentia materiæ in artificialibus est Neutra.

Confirmatur, quia vt Suar. in Metaph. disp. 43. s. 3. n. 17. in artificialibus materia in varias figuras efformari potest, & potentia illa non est naturalis, il est rei habentis inclinationem ad formam artis; neque violenta, cum repugnet naturæ eius, igitur Neutra; nam lignum verbi gratia, potest recipere formam lecti, vel scamni, & marmor figuram hominis, ac leonis, ad quas neque habet inclinationem, neque repugnantiam, & tamen habet potentiam; vnde & Aristoteles perpetuus est 1. Physicorum in exploranda natura, & potentia materiæ per analogiam ad materiam artis: Cum igitur creatura rationalis ad aliqua dona supernaturalia indifferenter se habeat, hoc est neque illa in particulari exigat, neque repugnantiam cum ipsis habeat; potentia ipsorum receptiua Neutra est, ex eo quod in particulari nulla sit debita, vel contraria.

Aſſertio ſecunda.

XX. POtentia obedientialis paſſiua, ſeu receptiua donorum ſupernaturalium in creatura irrationali, multo magis Neutra appellandae ſt. Huiuſmodi dona vel ſunt ſupernaturalia in ſua entitate, vt eſt gratia, lumen gloriæ, &c. & hæc ſi ponerentur in creatura irrationali, nullam perfectionem illi adderent, quia ſunt diſparata, ſicut vice verſa, ſi poneretur aliqua excellens qualitas materialis in Angelo, non perficiceret illum; neque tamen dicerentur violentè recipi, cum non habeant oppoſitionem, neque ſint deſtructiua naturæ vllius, vel impeditiua formæ propriæ naturalis, vt ſupponitur; ad hæc igitur datur potentia Neutra, quia ſi recipiuntur, proculdubio in potentia receptiua, & non poſitiuè inclinante ad illa, neque reſiſtente Deo; igitur vt indifferenter ſe habente, quod eſt eſſe potentiam Neutram. Vel huiuſmodi dona ſunt ſupernaturalia tantum reſpectu modi, quo producuntur, qui miraculoſus eſt: & tunc ſi potentia violentè caret ſua perfectione ob impedimentum indebitum, vocari poteſt Neutra, reſpectu modi, ad quem non inclinatur, neque exigit, ſed reſpectu perfectionis per illum acceptæ non dicitur Neutra, quia naturaliter illam appetit, & per accidens non habet, vt patet in cæco nato, cui reſtituitur viſus ipſi connaturalis, & debitus naturaliter, ſed non modo miraculoſo; ſi verò non caret violentè, quia non magis appetit vnam formam, quàm aliam, vt contingit in cadauere, tunc & ratione modi ſupernaturalis, & ratione termini, ſi reſtituatur vitæ, potentia Neutra dicitur, quia indifferenter ſe habet ad vtrumque; cadaueri namque non debetur animæ reſtitutio miraculoſa, neque vita ipſa.

Cato Chriſti Domini habuit potentiã Neutram ad vnionem.

Hinc ſequitur, non ſolum animam Chriſti Domini, ſed & ſanctiſſimam ipſius carnem ſub potentia Neutra fuiſſe ad ſuſcipiendam vnionem: quia naturaliter quidem exigebat ſubſiſtentiam propriam, ſed cum indifferentia, ſine inclinatione ad diuinam longè præſtantiorem; vnde nec violentè illa carere dicitur, vt Vaſq. t. 1. in 3. p. diſp. 34. per tria cap. & Soar. t. 1. diſp. 8. ſect. 3. §. ſed hîc oritur quæſtiuncula, non conuenientes in reddenda huius rei ratione.

Deinde materiam dici poſſe habere potentiam neutram ad formam corruptam, quia de ſe non exigit illam in particulari, neque habet repugnantiam ad iteratam receptionem, aut ad modum reproductionis miraculoſum.

Tertiò ad multas mutationes miraculoſas, quas in creaturis contiguſe ex ſactis didicimus hiſtorijs, creaturas habuiſſe potentiam neutram: vt quod virga Aaron fronduerit, quod lignum aridum fructus produxerit, quod ſterilis anus conceperit, & ſimilia, de quibus S. Auguſt. lib. 9. Gen. ad lit. cap. 17. non ſemel relato, *Dedit*, inquit, *naturis, quas creauit, vt ex eis & hac fieri poſſent*, potentia namque illorum paſſiua neque habet inclinationem, aut naturalem connexionem cum huiuſmodi operationibus, neque habet repugnantiam ad illas vt ſibi contrarias, ſed indifferens eſt ad carentiam, & receptionem earum & ideo Neutra meritò nuncupatur.

Aſſertio tertia.

XXI. POtentia receptiua formarum diſconuenientium naturæ tam rationali, quàm irrationali non poteſt appellari neutra, quæcumque ſint, quomodocumque diſconuenientia. Explico, & probo. Diſconueniens dicitur vna res alteri; primò quia eſt improportionata, vt eſt calor Angelo. Secundò quia eſt contraria, vt aquæ calor. Tertiò quia eſt violenta, vt motus ſurſum grauibus, deorſum leuibus. Violentum autem dicitur quod eſt à principio extrinſeco non conferente vim paſſo, non negatiuè videlicet acceptis iſtis terminis, ſed poſitiuè, & contrariè, vt ſenſus ſit violentum eſſe quod eſt contra internum impetum, & quaſi conatum, vt ex Scoto, Vaſq. 1. 2. diſp. 25. numero 10. explicans definitionem communiter receptam à Theologis ex varijs locis Ariſtotelis, & Patrum, præſertim 3. Ethic. cap. qui impetus, aut conatus attenditur tum ex parte cauſæ efficientis, vt ſi quis manu, & voluntate, & cupiditate renitentis arrepta percutiat alterum, ait Philoſophus lib. 2. ad Eudem. cap. 8. ſeu 9. tum ex parte formæ informantis ſubiectum, ſi contra inclinationem eius introduceretur alia forma, quæ cum illa eſſet incompatibilis, diceretur pati contra internum impetum. An verò etiam ex parte materialis cauſæ attendi poſſit internus impetus, diſſentiunt recentiores, Vaſq. diſp. cit. 11. numero 17. negat, tum quia ex ſe non conatur, neque reſiſtit: tum quia ſi carere perfectione connaturali capacitati paſſiuæ eſſet violentum, dicerentur tenebræ aëri violentæ, & quies violenta cælo, &c. quæ ſunt abſurda; oportet igitur priuari propria perfectione, vel actione contra intimum impetum, vt ſit violentia. At Soar. loc. cit. etiam ex parte cauſæ materialis agnoſcit violentiam, quia & hæc habet ſuum appetitum paſſiuum, & non confert vim, ſi ab extrinſeco aliquid contra ipſum patiatur, vt ſi cælum inclinaretur ad motum ab Oriente in Occidentem, iuxta Philoſophum 2. cæl. t. 31. cit. ex principio paſſiuo motus contrarius eſſet illi violentus, & materiæ violentum eſſet ſpoliari omni forma, non ſolum quia præter curſum naturalem conſeruaretur, vt interpretatur Vaſq. loc. cit n. 20. ſed etiam quia ipſa in particulari exigit ex ſua natura eſſe ſub aliqua forma, & contra eius appetitum paſſiuum eſt conſeruari ſine vlla, non tamen diceretur violentiam pati ſub forma aliqua ſuperioris ordinis ab ijs, quæ de facto in ea ſuccedunt, quia non petius haberet ſub illa, quàm ſub iſtis, vt Soar. loc. cit. vnde nec diſconueniens illi eſſet.

Quid ſit violentum. Vaſq.

Dico igitur, potentiam receptiuam formarum, vel effectus diſconuenientis ſecundo, & tertio ſenſu non eſſe Neutram: quia Neutra ex dictis eſt, quæ de ſe indifferens eſt, ſiue quia quod recipit, aut patitur, non repugnat appetitui ipſis, etiamſi illa non perficiat; ſiue quia ſi ſit perfectiuum, ad illud tamen non ordinatur ex natura ſua, ſed per accidens ex voluntate Dei illi adiungitur, & ipſam afficit, & eleuat ad eſſe nobilius, vt dotes in corpore glorioſo; aut etiam non eleuat, vt vbi ſacra-

Reſpectus actus diſconuenientis non dicitur potentia Neutra.

mentale constitutiuum corpus Christi sub speciebus, in sententia illud defendente, ergo si repugnet naturæ, aut appetitui, recipitur violentè, id est non conferente vim passo, & renitente, quod est contra potentiam Neutram.

Confirmatur, quia potentia aquæ recipientis calorem non est Neutra, eo quod calor repugnet frigori conseruatiuo aquæ, & illud expellat ex subiecto; neque potentia lapidis accipientis motum sursum est Neutra, quia contrariatur appetitui deorsum, ergo neque in supernaturalibus datur potentia Neutra ad ea, quæ vel repugnant in eodem subiecto, vel violentè in illo fiunt: vt patet in pœna damnatorum, in visione beatorum, quæ non stat cum fide, in modo essendi per se, & vnionis ad subsistendum in alio, quæ sunt incompossibilia simul in eodem subiecto.

In quo aduerte quædam ex ijs esse, quæ inter se repugnant formaliter, & intrinsecè, quæ tamen non repugnant subiecto, sed illud perficiunt magis, aut minus iuxta perfectionem ipsorum, vt patet in fide, ac visione, & in ijs potentia receptiua non est violenta, sed neutra, vel naturalis: quædam verò repugnant subiecto, & sunt contra appetitum naturalem, ac elicitum, vt pœna in damnatis, & horum potentia dicitur violenta, quia est ab agente extrinseco non conferente vim passo, & contranitente, sicut etiam esset respectu simultatis eorum, quæ perfectiua sunt, si vnum repugnet alteri; non ita tamen formaliter, & immediatè, quin per diuinam possint simul esse; nam si non possint, nulla datur potentia etiam violenta, quia non est potentia etiam impossibilium; & in ijs violentia attenditur respectu actus, aut passionis subiecto contrariæ, non respectu potentiæ creatoris, cui, & à quo nihil est violentum, aut difficile.

Secundò probatur assertio, quia vt supra diximus ex SS. Bonau. & Thoma miracula fiunt vel præter, vel supra, vel contra naturam; quod autem contra naturam suam patitur creatura, violentè patitur, attentâ præcisè inclinatione particulari; igitur potentia illa est violenta, id est recipit aliquid, aut patitur suæ naturæ repugnans; quod enim patitur, habet potentiam patiendi, & non naturalem, neque neutram, vbi sibi repugnantia patitur, ergo violentam ab effectu violento causæ extrinsecè operantis; ex quo patet potentiam passiuam ad sui annihilationem, vel substractionem eorum, quæ sunt debita conseruationi, aut operationi naturali causarum secundarum, non posse vocari Neutram, sed violentam.

Argumenta in contrarium.

CAPVT XI.

Primum est,

XXII. VIa potentia quælibet tam naturalis, quàm supernaturalis, est alicuius potentia non solum subiecti, in quo intelligitur esse, sed etiam actus, ad quem est, igitur ad dona nulla supernaturalia datur potentia Neutra. Antecedens probatur, quia vt Aristoteles 9. Metaph. tex. 13. Potentia definitur per actum, & axioma est receptum, quod potentiæ distinguuntur per actus, vt S. Bonau. in 2. dist. 19. dub. 2. Consequentia patet, quia si distinctio potentiæ in naturalem, neutram, violentam attenditur penes actum, & terminum, ad quem est, cum Neutra indifferenter se habere dicatur ad actus, non habet connexionem cum illis, neque respectum; igitur non est potentia actuum, ad quos non inclinatur, neque definiri, neque distingui per illos poterit, quia definitiuum, & distinctiuum rei alicuius pertinet per se ad illud, & primariò, quod non stat cum indifferentia ad ipsum; quis enim dixerit ad rationale, exempli gratia, habere se indifferenter hominem, aut ad calorem visiuam potentiam? Et quo fit nullam esse potentiam Neutram ad supernaturalia, cùm esse neutrum destruat rationem potentiæ, quia potentia est alicuius potentia, cum quo connexionem habet, aut disiunctionem, si est violenta.

Confirmatur, quia omne receptiuum, & passiuum ita recipit, & patitur, sicut aptum est recipere, & pati; ergo aptitudo hæc est naturalis, & non Neutra, quæ à re ponitur distincta à naturali. Sequela patet. Antecedens probatur tum ex Aristotele 2 Physic. t. 87. *Vt aptum natura est*, inquit, *sic & agitur vnumquoque, nisi quid impediat*, &c. Aristot.

Respondeo ad argumentum, admisso antecedente, nego sequelam. Ad probationem dico, quod diuisio illa attenditur penes actus & terminos, sed nego æquè respici, vel connecti omnes istos cum potentijs diuisis; nam naturalis respicit per se, & primariò, cum sit propter actus ex primaria intentione naturæ; violenta, & neutra solum secundariò, & per accidens, quia non sunt propter actus; non enim grauitas est propter motum sursum, neque superficies propter albedinem; ideo tales actus sunt distinctiui accidentaliter potentiarum, vt est albedo in homine ab alio homine nigro; neque ijs conuenit commune dictum, quod potentiæ distinguantur per actus, nisi extendendo distinctiuum ad differentias accidentales aduenientes rebus iam constitutis in suo esse per differentias essentiales; superficies enim, exempli gratia, supponitur secundum suum esse potentiæ receptiuæ albedinis, & nigredinis, & cælum mobilitati in Orientem, vel in Occidentem, sed vocantur potentiæ quatenus ab extrinseco agente possunt recipere istos actus; & vt sic concipiuntur tanquam proprietates metaphysicæ indistinctæ realiter à suis subiectis, & conceptione solum distinctæ ab ipsis per ordinem ad actus, aut formas vel repugnantes, vel non requisitos modo explicato; & in hoc sensu intelliguntur dicta Aristotelis in antecedente. Potentia Neutra non respicit actus per se primario.

Ad primam confirmationem, distinguo consequens, nam naturalis potentia accipitur dupliciter: primò genericè vt contradistinguitur à supernaturali; & sic est communis tribus istis potentijs, nulla enim supernaturalis est, accipiendo præcisè id quod dicit in recto, seu subiectum passionis. Secundò propriè, & specificè, vt distinguitur à specie con- Potentia naturalis accipitur dupliciter.

tenta ſub eodem genere potentiæ, & ſic ſupra eſſe naturale commune addit differentiam, quæ ſunt neutra, & violenta; & hæ ſunt accidentales comparatæ ad ſubiectum, ſed eſſentialiter diſtinctæ comparatæ inter ſe, quia Neutra dicit indifferentiam, violenta repugnantiam ad actus, ſicut albedo, & nigredo inter ſe differunt eſſentialiter; accidentaliter tamen afficiunt, & diſtinguunt ſubiectum. Ariſtoteles igitur non excludit potentiam Neutram, quia ſecundum hanc ſubiectum agitur, vt aptum eſt agi, id eſt recipit actum, aut patitur, ſecundum quod ſubſtat potentiæ agentis extrinſeci inducentis formam, quam neque exigit, neque reijcit vt ſibi contrariam, ſed tamen ſuſcipit, quia aptum eſt ſuſcipere.

Secundum Argumentum

EST, quia ex Ariſtot. 4. Phyſic. t. 67. omnis motus aut ſit violentia, aut ſecundum naturam, igitur non datur motus, qui neque ſit violentus, neque naturalis ſubiecto, ac proinde neque potentia neutra ad illum, qualis ponitur à te potentia ignis ad motum circularem in proprio loco cauſatum à cælo ſuperiore.

Confirmatur, quia ex eodem Ariſtot. lib. 1. cæli t. 15. *Quare*, inquit, *ſi eſt ignis id quod circumfertur, quemadmodum ainnt quidam, non minus ipſi motus iſte præter naturam eſt, quàm qui deorſum; ignis enim motum vidimus eſſe, qui à medio ſecundum rectum*; vbi manifeſtum eſt, dictionem, Præter, ſignificare contra, ex Græco παρὰ, vt notat ex alijs locis Ariſtotelis Vaſq. 1. 2. diſp. 25. numero 14. improbans diuiſionem motus in naturalem, violentum, & præter naturam.

Confirmatur ſecundò ex lib. 2. Ethic. ad Eudem. c. 9. *Violentum eſt, cum præter internum impetum foris quidpiam mouerit, ſedauerit ue*; vbi duo indicantur, quæ faciunt violentiam, poſitiuum ſcilicet per verbum, mouerit, & negatiuum per verbum, ſedauerit, quod ſignificat priuationem, ſeu impedimentum alicuius debiti; igitur licet forma ſupernaturalis non ſit diſconueniens; tamen ſi impediat aliquid naturaliter debitum, priuatio huius erit violenta; atque adeo carere propria ſubſiſtentia, eſſet violentum naturæ humanæ in Chriſto.

Confirmatur tertiò, quia non datur potentia obedientialis actiua Neutra, ergo neque paſſiua. Sequela patet à paritate. Antecedens probatur; nam vel illa conſideratur ſine virtute diuina eleuante, & potentia non eſt, cum nihil poſſit in effectum ſupernaturalem: vel ſimul cum auxilio, & iam non eſt Neutra, & indifferens, ſed determinata ad id, cuius intuitu Deus dat auxilium, & eleuat.

Ad argumentum reſpondeo primò, ſermonem hîc eſſe de potentia paſſiua obedientiali, cum qua nihil fuit Ariſtoteli de naturalibus agenti, & ſupernaturalia non attingi; propterea etiamſi in eius ſententia omnis motus à naturali cauſa factus eſſet vel naturalis, vel violentus, non ſequitur, ergo etiam omnis mutatio à cauſa ſupernaturali facta eſt naturalis, vel violenta, quia aliqua eſt effectus neque debiti, neque repugnantis.

Secundò reſpondeo diuiſionem motus traditam ab Ariſtotele eſſe in duo capita principalia, ad quæ reuocari poſſunt alia, minus principalia, atque adeo motum, ſi ſit iuxta exigentiam mobilis eſſe naturalem; ſi ſecus, eſſe innaturalem: & hic ſi ſit à principio extrinſeco non conferente vim paſſo, id eſt contranitente, dici violentum; ſi non repugnante, ſolum appellari innaturalem, & reduci ad violentum, quatenus eſt à principio extrinſeco, & non debitus ſubiecto, etiamſi non contrarius. Omnis motus eſt naturalis, vel violentus quo modo intelligatur.

Confirmat hanc explicationem intentum Philoſophi ibi probare volentis, in vacuo non eſſe motum: quia vel eſſet ſecundum naturam, & hoc non, cum in eo ſit ſurſum, & deorſum, eo quod in illo nulla reperiatur differentia; vel eſſet præter naturam, & neque hoc dici poteſt, quia talis motus poſterior eſt eo, qui eſt ſecundum naturam; propterea ſi hic non poteſt eſſe in vacuo, neque ille poterit, qui eſt præter naturam: ſiue ſit violentus propriè, & ſtrictè, quia repugnet; ſiue latè, quia non eſt iuxta exigentiam ſubiecti, & inclinationem naturæ; eodem enim modo probatur, neque hunc poſſe eſſe in vacuo quia poſterior eſſet motu naturali, qui eſt impoſſibilis.

Tertiò reſpondeo, Ariſtotelem ibi loqui de motu locali, qui licet eſſe deberet vel naturalis, vel violentus propriè, & proinde reſpectu eius non dari potentiam Neutram, non tamen ſequeretur vniuerſaliter illam non dari; & ex primo Phyſicorum apparet illam admitti à Philoſopho prolixè probante indifferentiam materiæ ad formas particulares, & adhibente ſimilitudinem materiæ artis, quæ apta eſt ad recipiendas plures formas artificioſas, & nullam exigit.

Quod autem dicitur de motu circulari ignis, particulare eſt: ſiue enim motus ille innaturalis eſſet, ſi daretur: ſiue violentus, non licet à particulari negatiua inferre vniuerſalem negatiuam. Textus ergo ille Ariſtotelis nihil obeſt aſſertioni potentiæ paſſiuæ obedientialis, ex quo patet.

Ad primam confirmationem, nam etſi motus ille eſſet igni violentus, vt eſt motus deorſum, non tamen inde probaretur omnem mutationem indebitam eſſe violentam, aut nullam dari potentiam paſſiuam Neutram, vel diuiſionem motus in naturalem, violentum, & præter naturam ſimpliciter, & abſolutè non eſſe bonam. Quicquid ergo locis illis allatis à Vaſq. ſignificet vox, παρὰ, non valet ex ea inferre vniuerſaliter non dari motum præter, & non contra naturam.

Ad ſecundam reſpondeo, quod præter internum impetum ſignificat contra inclinationem naturæ: quomodo etiam intelligitur definitio violenti 3. Ethic. cap. 1. Id igitur violentum eſſe videtur, cuius principium eſt foris, nihil prorſus eo conferente, cui vis eſt illata; non enim negatiuè, ſed contrariè explicari debet, vt ſenſus ſit, violentum eſſe quod poſitiuè eſt contra internum impetum, & quaſi conatum internum; alioqui ſi negatiuè tãtum ſe habeat ſubiectum, nihil reſiſtendo, violentiam non patitur, vt cum Scoto, & Almaino docet idé Vaſq. diſp. illa 25. n. 10. Ex quo ſequitur non ſufficere priuationem quamlibet formæ naturaliter

raliter debitæ ad violentiam; ſed præterea requiri vel actionem, vel formam repugnantē, aut ſubtractionem conuenientis ſine poſitione æquiualentis, quod non contingit in humanitate Chriſti Domini, quæ ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi ſupplentem excellentiori modo munus ſubſiſtentiæ creatæ; & ideo non dicitur violentè carere propria neque illam appetere, ſi appetitus ſit per modum deſiderij, licet poſſit dici appetere per modum ſimplicis amoris, vt Suar. diſp. 8. ſect. 4. com. 1. in 3. p.

Ad tertiam nego antecedens; ad probationem dico, quòd creatura de ſe eſt potens remotè inſeruire creatori pro inſtrumento omnis effectus non implicantis, & ideo habet potentiam neutram remotam ad agendum: poſita verò elevatione determinatur ad aliquos effectus, vel ſecundum ſpeciem, vel ſecundum numerum, & reſpectu eorum deſinit eſſe indifferens, & neutra adæquatè, ſicut potentia paſſiua exempli gratia materiæ indifferens ſecundum ſe ad omnes formas, poſitis diſpoſitionibus determinatur ad vnam, & amittit indifferentiam ad illam. & in ſupernaturalibus natura humana indifferens ad ſubſiſtendum in perſona Patris, & Spiritus ſancti, poſita vnione, quæ de facto eſt, determinatur ad ſubſiſtentiam Verbi.

Dices, Potētia Neutra dicitur reſpectu actus, aut formæ, quæ nec exigitur à ſubiecto, nec illi repugnat: ergo quicquid illi addatur, à quo determinetur ad vnū, ſi hæc non eſt iuxta exigentiā, neque repugnans, ſemper remanebit Potētia Neutra non obſtāte determinatione.

Reſpondeo, quòd quando dicitur Potentiā Neutram attendi penes actum, vel formam neque debitam, neque repugnantem ſubiecto, conſideratur forma ſecundùm naturam comparatam ad ſubiectum ſecundum ſe, præciſo quolibet determinatiuo; hoc enim poſito etiāſi forma, & ſubiectū, illud non poſtulent; tamen amittitur indifferentia ac neutralitas.

Inſtabis ergo potentia paſſiua obedientialis completè ſumpta non poteſt dici Neutra, quia ad complementum requiritur connotatum diuinæ virtutis applicatæ ad agendum; per quam applicationem ſicut determinatur Potentia actiua ad operandum ſupernaturaliter hunc, vel illum effectum; ita paſſiua ad recipiendum, vel patiendum, puta anima ad recipiendam gratiam, humanitas ad vnionem hypoſtaticam; & ita in conceptu Potentiæ Paſſiuæ obedientialis inuoluitur determinatio, & excluditur Neutralitas, ac indifferentia.

Duo requiſita ad Potentiā Neutram

Reſpondeo ad Potentiam Neutrā duo requiri, quòd ſit indifferens de ſe ad actus, aut formas, reſpectu quarū dicitur Neutra. & quod iſtæ formæ non ſint debitæ illi, neque repugnantes naturæ eius. Primum tollitur per determinationem ad vnum effectū cauſandum à virtute diuina applicata per decretū: ſecundū non tollitur, quia talis forma ſupponitur non eſſe contraria, neque debita, & ideo manet Potentia Neutra inadæquatè. Quando autem dicitur, quòd Potentia Paſſiua obedientialis eſt neutra, intelligitur potētia in genere, cum connotato virtutis diuinæ vniuerſaliter acceptæ, vt eleuantis creaturam ad operandum, & patiendum ſupernaturaliter, non deſcendendo ad vllam paſſionem particularem.

Ergo, inquies, dabitur genus ſine vlla ſpecie, quia reſpectu nullius paſſionis particularis inuenitur indifferentia potentiæ, quia virtute diuina applicata per decretum determinatur ad aliquam particularem. Potentia autem Neutra in genere excludit omnem determinationem.

Reſpondeo primò per inſtantiam: materia enim ſecundum ſe habet indifferentiam ad omnem formam; & tamen in particulari non habet ad vllam ratione diſpoſitionum, à quibus determinatur ſemper ad aliquam particularem; & idem eſt de genere reſpectu differentiarum inferiorum. Secundò reſpondeo directè, ſatis eſſe ad hoc vt ſaluetur genus in ſpecie contrahi nomen eius à differentiis; ex quibus non eſt ſecundùm vniuerſalitatem, & indifferentiam, quam habet ab intellectu cum fundamento in re, ſed ſecundùm prædicat eſſentialia, quæ ſunt in eadem, potentia igitur neutra in genere excludit omnem determinationem; & in particulari quantum eſt de ſe, illam non includit, ſed extrinſecus determinatur; & ideo inadæquatè dicitur Neutra, ſicut genus ſub differentiis inadæquatè eſt genus, id eſt fundamentaliter, quia adæquatè genus eſt natura vt ſtat ſub conceptu abſtrahente.

Tertium Argumentum.

EST, quia reſpectu Potentiæ Paſſiuæ nulla actio, aut forma dicitur violenta ex Ariſt. 10. Metaphyſ. c. 6. t. 14. aſſerente quòd materia eadem eſt contrariis, id eſt indifferens, S. Thom. q. 5. de Potent. a. 5. 12. vt Mol. 4. p. q. 12. a. 1. diſp. 2. fin. Vaſq. loc. citat. ergo Potentia obedientialis paſſiua dici non poteſt violenta, quia continetur ſub genere Potentiæ paſſiuæ vniuerſalis.

Confirmatur, quia vel conſideratur præciſè entitas creaturæ patientis, & ita non dicitur obedientialis, ſed merè naturalis; vel vt ſubſtat diuino dominio, & habet denominationem obedientialis, & ita non patitur vim vllam, quia eſſentiale eſt omni creaturæ ſubdi voluntati creatoris, & inſeruire ad vſum ſibi placitum, multo magis quàm appetitui ſenſitiuo obedire rationi, ad cuius dictamen mutatur in effectus contrarios ſine violentia: præſertim cum non ſit reſiſtentia creaturæ parentis ad nutum creatoris.

Confirmatur ſecundò, quia manus, & brachium de ſe graue naturaliter mouetur ſurſum ex imperio rationis, & inclinatione ad bonum totius; & vniuerſaliter propter bonum vniuerſi grauia aſcendunt. & leuia deſcendunt ad vitandum vacuum ſine vlla violētia: ergo multò minùs pati dicentur violentiā in obediendo creatori, etiamſi conſiderata natura ipſarum, vt talis eſt, ſine hoc reſpectu violentè careant, aut recipiant aliquid in ſe.

Reſpondeo ad argumentum, in primis ex indifferentia materiæ in particulari non poteſt inferri vniuerſaliter non dari potentiam violentiam obedientialem: Spiritus enim exempli gratia, carent materia. & violentè premitur pœna gehennæ; & materia ipſa ſine violentia recipit contraria; non tamen exiſteret non violentè ſine vlla forma, cum naturaliter appareat eſſe ſub

prima. Deinde textus ille tantùm intendit ea, quæ plurimum differunt in eodem ſuſceptiuo eſſe contraria, quòd ſuſceptiuum eſt materia, quæ eadem manet ſub contrarijs; ſed hinc non probatur, non dari potentiã violentam obedientialem, tum ob dictam rationem, tum quia violentia infertur compoſito, ſi quid extrinſecus patiatur contra inclinationẽ formæ, quæ dicitur inclinatio totius: quod fieri poteſt naturaliter, & ſupernaturaliter; & hoc eſt habere potentiam obedientialem violentam comparatiuè ad actum, vel formam diſconuenientem, non ad cauſam ſuperiorem, cui ſine violentia omnia obediunt.

Datur Potentia violenta obedientialis

Ad primam confirmationem, creatura irrationalis non dicitur pati violentiam, vt ſubeſt dominio Dei, ſed vt patitur contra internum impetum talis naturæ: proinde eadem paſſio violenta eſt naturæ renitenti, & non violenta reſpectu Dei de natura diſponentis; ſicut idem motus ſurſum naturalis eſt manui, vt ſeruienti rationi: non naturalis, vt grauitate ponderanti, quia grauitas tendit deorſum; ſi verò ſermo ſit de creatura rationali, pati poteſt violentiam aliquando renitendo voluntati Dei: cui tamen reſiſtere efficaciter non poteſt; cum enim libera ſit, obluctari poteſt, ſuperare non poteſt, vt pote pleniſſimè ſubiectæ Dei dominio. Ex quo patet

Reſpectu Dei nihil violentum eſt.

Ad ſecundam confirmationem; concedo enim conſequentiã de creaturis ratione carentibus, quarũ actiones, & paſſiones, ſecundùm diuerſos reſpectus, dici paſſunt naturales, & violentæ, non ſolùm attento ordine à Deo ipſis conſtituto, & diuerſa coniunctione cauſarum naturalium inter ſe: verumetiam, & multo maximè habita conſideratione ſubiectionis earum ad Deum, cui ſubordinantur magis eſſentialiter, quàm ſuperioribus inferiores creatæ in ſerie vniuerſitatis; & ideo nihil illis violentum, quod aduenit à ſuprema cauſarum, vt ab illa venit, licet alioqui violentum ſit naturæ ſecundùm propriam inclinationem, præciſo hoc ordine.

Dices, ſi lapis moueretur ſurſum ab homine, motus ille eſſet violentus, quia contra naturalem impetum ad locum deorſum, quem ſemper retinet, ergo etiam talis eſſet, ſi moueretur à Deo ob eumdem impetum, quem tunc retineret.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia creatura non ſubijcitur homini, ſicut Deo, à quo eſſentialiter pendet; quemadmodum enim ſi moueretur ſurſum ad replendum ſpatium, & impediendum vacuum, motus ille eſſet naturalis, attenta inclinatione ad bonum vniuerſi, ſed violentus, attento naturali impetu ad locum ſibi conuenientem: ita reſpectu ſubiectionis eſſentialis ad Deum, eſſet naturalis, qui alioqui eſſet violentus; & idem eſt de motu brachij, vt ſupra. Sed tunc eſt

Quartum argumentum.

QVia hinc ſequitur, nullã dari potentiam paſſiuam violentam reſpectu Dei: nam magis illi parent creaturæ, quàm potentia motiua, & membra corporis animæ, vel rationi; ſi igitur horũ motus eſt naturalis, quocumque vergat ad eius imperium; & nullo modo violentus eſt: multo magis naturalis erit vſus paſſiuus creaturæ, quem Deus voluerit, & non violentus. Neque valet diſtinctio allata de conſideratione, vt ſubeſt imperio Dei, & vt habet impetum internum ad actus ſibi conuenientes, vt talis natura eſt: quia internus impetus ſubditur & ipſe Deo, & ab eius nutu pendet non minus eſſentialiter, quàm propendeat in actus conuenientes ſibi; Quare ſimpliciter dicetur cõnaturaliter pati quod Deus iuſſerit, & ceſſare ad hoc imperium inclinationem naturalem; ſicut quando duo præcepta naturalia concurrũt, ceſſat obligatio minoris.

Confirmatur, quia ſi plena ſubiectio creaturæ & perfectum dominiũ creatoris ſunt cauſa, ne dicatur violenta paſſio contra innatum impetum, igitur pæna non erit violenta damnatis, quia & ipſi, & eorum voluntas plene ſubiacet dominio creatoris, neque libertas impedit illud, quia & hæc ſubdita eidem eſt cum actibus ſuis omnibus.

Reſpondeo ad argumentum nego ſequelam; ad violentiam enim ſatis eſt, vt paſſio ſit à principio extrinſeco non conferente vim paſſo, quodcumque ſit agens extrinſecum, etiam ſi ſecundùm aliam conſiderationẽ non inferatur violentia, vt patet ex dictis, & confirmat ratio argumenti, quia etiam impetus innatus ipſe ſubditur creatori, & cedit eius imperio, licet non auferatur per illud; & ideo paſſio ipſi diſconueniens, & contraria dicitur violenta comparata ipſi ſoli; verbi gratia motus ſurſum grauitati lapidis; in quo eſt diſparitas à duobus præceptis concurrentibus, quia minus ceſſat obligare, ſed non ceſſat grauitare in actu primo lapis in ſublimè elatus à quocumque efferatur: hoc eſt non amittit grauitatem inclinantem ad motum deorſum, etiam quando violentè mouetur ſurſum.

Ad confirmationem, negatur ſequela, quia ſubiectio iſta non facit, quin paſſio ſit ab extrinſeco, renitente paſſo, cum non mutet naturas rerum; & libertas auget renitentiã: quatenus pænam contrariam appetitui naturali, etiam per elicitũ actum ſummè refugit, & abominatur, & Deo punienti ſemper incaſſum obluctatur; ſtat ergo dominium eius cum violentia pænæ, & hoc ipſum eſſe violentum eſſentialiter eſt dependens à Deo, & ſubiectum Deo: & vt ſic violentum non eſt, ſed ſolùm vt diſconueniens ſpiritui, ſicut peccatum vt actus eſt, & à Deo, peccatum non eſt: ſed vt diſformis rationi, & legi æternæ.

Quomodo conſtituatur Potentia obedientialis paſſiua proximè ſuſceptiua formarum ſupernaturalium.

CAP. XII.

1. *Senſus quæſtionis.*
2. *Duplex ſententia.*
3. *Non eſt neceſſaria diſpoſitio ſupernaturalis intrinſeca ad conſtitutionem illam.*
4. *Neque ad alias mutationes ſupernaturales poſſibiles.*

5. *Sufficit decretum Dei volentis mutare supernaturaliter creaturam.*
6. *Ad hanc constitutionem non est idonea passio supernaturalis possibilis.*
7. *Solvuntur argumenta contraria.*

QVia potentia creaturæ tam actiua, quã passiua in ordine ad effectus supernaturales, dicitur remota, & inchoata, vt supra vidimus, aliquid necessarium est, per quod hæc fiat proximè potens ad recipiendũ, sicut illa ad agendum supernaturaliter; & de actiua quidem virtute quomodo compleatur, superius dictum est; nũc de passiua quærimus, an, & quo cõplemento egeat, siue eleuatione ad hoc vt creatori seruiat tam in susceptione formarũ supernaturalium, quàm in alijs effectibus ad quos passiuè solũ se habet creatura. Quæstio autẽ instituitur de constitutiuo physico, ratione cuius creatura, quæ de se neque exigit, neque potens est proximè, & propriè mutari supernaturaliter, fit proximè potens, ita vt immediatè, sine vllo deinceps addito intrinseco, vel extrinseco sit in actu primo constituta ad patiendum supernaturaliter: siue Deus velit illi aliquid indebitũ superaddere, siue debitum naturaliter subtrahere, aut alijs modis de illa disponere, qui omnes nomine mutationis, aut passionis supernaturalis comprehenduntur. Et quidem incipiendo à mutatione, quæ fit per positiuam receptionem formæ supernaturalis,

Prima sententia est requirentium dispositionem aliquã intrinsecam in effectibus quibusdam inter supernaturales præcipuis, vt subiectũ fiat proximè receptiuũ formæ præcellentis. Sic Alex. Alens. 3. p. q. 12. memb. 1. a. 1. q. 11. m. 1. & q. 7. m. 2. a. 1. docet gratiam habitualẽ fuisse dispositionem necessariam ad vnionem. Huic adnumerat S. Bonauenturã, Vasq. 3. p. t. 1. disp. 40. n. 2. Sed cum mediũ solum congruentiæ ponat gratiam, pro contraria citari potest, de qua infra; sicut & Riccard. Palud. Gabriel, Ma. 4. apud eumdem: immò & S. Thom. in 3. d. 2. q. 2. a. 2. qla 1. præcessisse quidem gratiam, vt mediũ congruentiæ ad vnionem expressè docet, sed ex hoc necessitatem excludit.

Talis etiã forma præcellens est visio beata, & ideo ad illam necessariũ esse putant lumen etiam de potentia absoluta plures Theologi, ob diuersa tamen principia, Maior in 3. dist. 14. q. 1. dub. 1. & in 4. d. 49. q. 4. visionem à solo Deo fieri existimat, & lumen vt disponens intellectũ, habilemq; ad eam recipiendã postulat, & alij apud Vasq. 1. p. disp. 43. c. 1. Suar. 1. p. l. 2. de Attrib. negat. c. 15. Caietan. in q. 12. p. 1. a. 2. & 5. §. ad primum horum propositionem illã S Thomæ, Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, quod disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam, limitat ad formam, quæ est terminus generationis, & negat intelligi de forma, quæ habet rationẽ viæ, quia formæ dari debet dispositio, sed non dispositionis ad eam; alioqui esset processus in infinitũ: lumen ergo requiritur secundùm hunc modũ dicendi ad visionẽ, quia diuina essentia prius vniri debet intellectui beati vt forma intelligibilis; alij aliter, in quorum sententia affirmandum

Explicatur dictum S. Thomæ de eleuatione.

est Potentiam obedientialem passiuam indigere complemento intrinseco ad formas supernaturales recipiendas, si illæ sint vltimatæ, & termini generationis.

Secunda sententia communior est negantiũ hanc necessitatẽ complementi intrinseci, Scoti, Nominaliũ, & aliorũ, quos citat, & sequitur Suar t. 1. in. 3. p. disp. 10. sect. 2. & Vasq. loc. cit.

Prima Assertio.

NVlla creatura indiget disputatione aliqua supernaturali intrinseca vt dispositione physica adhoc vt fiat proximè susceptiua formarũ supernaturaliũ, quas Deus in illa producit. Est iuxta doctrinã S. Bonau. qui loquens de huiusmodi formis nusquã meminit dispositionis vllius prærequisitæ ad earũ receptionẽ, vt patet ex locis supra relatis ad probandum dari potentiam obedientialem actiuã respondentem passiuæ susciptienti virtutẽ productiuam effectuum supernaturaliũ; & quamquam in 3. d. 2. a. 3. q. 1. 2. admittit tanquam dispositionem congruam vnionis gratiam habitualem, non tamen vt necessariam, quia absolutè esse posset in creatura irrationali gratiæ non capaci; *Cum quæritur (inquit.) virum anima vniatur ipsi Verbo mediante aliquo habitu gratuito hoc dupliciter potest intelligi; aut quòd ille habitus in illa vnione teneat rationẽ congruentiæ, Vel rationem causæ; si ita quod teneat rationẽ congruentiæ; sic concedi potest, quòd anima vnitur ipsi Verbo mediante habitu gratuito: quia non decet ipsam Verbo vniri, nisi assimiletur habitu perfectæ deiformitatis, &c.* vnde potius argumentũ sumitur ad probandã assertionẽ, quia si vnio hypostatica, quæ est excellentissimum donum inter creata euehens ad esse diuinũ non accidentaliter, vt visio, sed substantialiter in vnitate personæ non postulat necessariò, sed tantùm congruenter dispositionẽ, igitur neque reliquæ formæ supernaturales illã requirunt ex necessitate; idque valet etiã in sententia S. Thomæ, qui in sent vt congruam solùm dispositionem requirit gratiam; sic enim loco cit. habet. *Secundo modo accipiendo gratiam (scilicet pro dono gratis dato) non cadit ibi aliquod mediũ habituale donum, sicut vnionẽ, vel vnibilitatem formaliter causans; sed solùm est sicut mediũ congruitatis, &c.* quamuis in summa videatur retractasse 3. p. q. 2. a. 10. tamen conciliari potest, quòd in ea loquatur de gratia vt dispositione physica ad vnionẽ, quæ non fuit, in sent. de dispositione morali. Rationes in particulari de vnione, & visione sunt propriæ illarũ quæstionũ, & promouentur à Suar. & Vasq. loc. cit. pro assertione vniuersali valet illa vniuersalis, quia dispositio intrinseca vel est naturalis, & hoc non; quia nihil naturale cõplet, aut eleuat ad esse supernaturale, aut ad effectum supernaturalẽ: vel est supernaturalis, & tunc supponitur potentia obedientialis passiua ad illius receptionẽ; non est autem maior ratio, cur recipiat immediatè vnam formam supernaturalem, quæ sit dispositio, quàm alia, quæ sit terminus.

XXIV.

S. Bonau.

S. Thom.

Dices, sicut in naturalibus forma vltimata requirit dispositiones præuias, ita in supernaturalibus.

Respondeo argumentũ ab analogia formarũ naturalium non valere, quia in illis agens

Digitized by Google

naturale eſt limitatæ virtutis, & non agit niſi mediis accidentibus determinantibus materiã indifferentẽ ad omnes formas, & coagentibus ad vnius particularis introductionem: at in ſupernaturalibus Deus eſt auctor principalis indepẽdens à materia, & diſpoſitionibus; & licet de potentia ordinaria ad gratiã illas requirat, tamen iſtæ non ſunt Phyſicæ cauſantes gratiam, ſed morales, & poteſt ſine illis gratiam fundere, vt in infantibus, cum baptizantur, in quibus ſi dixeris habitus infuſos virtutũ in genere cauſæ materialis eſſe diſpoſitiones, vt gratia recipiatur, non negabis opinor primò de abſoluta potẽtia non implicare infundi ſolam gratiã ſine vlla alia qualitate, cum ſint accidentia realiter diſtincta; deinde quando ſimul funduntur, prius natura intelligitur gratia in ſubiecto, quàm virtutes, quæ ſunt veluti proprietates eius, & ſupponunt ipſam vt radicem, ac fundamentum.

Confirmatur, quia gratia non eſt principium phyſicum, ex quo virtutes, & habitus infuſi neceſſariò emanent, ſed morale: quia cum det eſſe ſupernaturale animæ, debet habere ſecum habitus, qui ſunt principia operationum ſupernaturalium: & ideo ſimul cum gratia infunduntur liberè à Deo, qui poſſet abſolutè illos non infundere, alioqui abſolutè gratiam habitualem potuiſſe eſſe diſpoſitionem?

Secundò probatur aſſertio, quia non apparet implicãtia, cur non poſſit creatura, quę per ſe eget diſpoſitionibus ſupernaturalibus recipere formam vltimam ſine illis; & argumentum ab analogia formarum naturalium, quæ ſi ſint terminus generationis, requirunt diſpoſitiones, potius eſt contrarium, nam per diuinam potentiam poſſunt ſine illis introduci in ſubiectum: multò ergo magis formæ ſupernaturales, quæ efficienter à ſolo Deo pendent, & ex parte ſubiecti egent tantùm ſuſtentatione, quam præbent ex hoc præcisè, quòd in illo producantur à Deo, vt patet ſi producerentur in ſubiecto irrationali, aut inſenſibili.

Confirmatur, quia etiamſi de facto vt mandata eſt executioni incarnatio, non potuiſſet gratia eſſe diſpoſitio Phyſica, vel moralis, vt exiſtimant auctores mox citandi; tamen abſolutè poſſet Deus creare prius animam, vel Angelum, & per gratiam vt diſpoſitionẽ moralẽ præparare ad vnionem hypoſtaticam, vt ijdem fatentur; vt potuiſſet itẽ ſine gratia habituali vnire, quia & poſſet creaturam irrationalem aſſumere, nullo alio dono gratuito infuſo: ergo ad hoc vt potentia obedientialis paſſiua ſit vltimò diſpoſita ad receptionẽ formarum ſupernaturaliũ, nulla requiritur intrinſeca mutatio phyſica; Sequela patet. Antecedens admittunt Suar. cit. ſect. 2. §. nihilominus ſecluſa efficientia, & Vaſq. diſp. 40. n. 11.

Secunda Aſſertio.

XXV. NEque ad alias mutationes ſupernaturales, quas creatura pati poteſt à Deo, neceſſaria eſt vlla diſpoſitio phyſica intrinſeca, vt dicatur eſſe in proxima potẽtia obediẽtiali paſſiua. Mutationes huiuſmodi ſunt conuerſio vnius rei in aliã, ſubtractio concurſus vniuerſalis, & ordinarij ad operandum, annihilatio, &c. ad quæ non apparet vlla neceſſitas multiplicãdi entia, vt dicantur creaturæ mutationes ſubire poſſe; primò quia in vniuerſum ratio poſſibilitatis ipſarum eſt eadẽ, quæ & in potentia actiua, plena videlicet ſubiectio creaturæ, & Dei omnipotentia ad omnia, quæ non implicant. Deinde in particulari ſi Deus velit ſubtrahere concurſum vel ad operandũ, vel ad exiſtendum creaturæ præcisè ex hoc quod velit, ceſſat concurſus eſſentialiter pendens à voluntate; & proinde etiam ceſſat operatio, & exiſtentia rei; non ergo neceſſaria eſt vlla additio diſpoſitionis.

In conuerſione item vnius rei in aliam nulla diſpoſitio phyſica requiritur; omnis namque diſpoſitio tam naturalis, quã ſupernaturalis, addita creaturæ eſt ad hunc finem, vt melius habeat, vel vt melius operetur, vel vt inſeruiat agenti ad vlteriorem formam; vt patet inductione omnium diſpoſitionum, & ex nomine ipſo, ac natura diſpoſitionis; in cõuerſione autem miraculoſa vnius rei in aliam ex nullo horum capitum apparet huiuſmodi neceſſitas: & multo minus in ſubtractione concurſus ad exiſtendum, vel agendum.

Confirmatur, quia Deus ſolo ſuo verbo creat, & conſeruat, & non per diſpoſitionem vllam creaturæ, quia & ipſa crearetur, & non per aliam diſpoſitionem, ne detur infinitus progreſſus ergo & ſolo verbo mutare creaturam poteſt quomodocumque.

Tertia Aſſertio.

CReatura conſtituitur proximè, & formaliter, ſeu completè Potentia obedientialis paſſiua in actu primo per decretum Dei volentis mutare ſupernaturaliter creaturam; in actu verò ſecundo per vſum ipſum, ſeu mutationẽ actualem. XXVI.

Prima pars probatur ex dictis ſupra, quia entitas creaturæ ex ſeipſa abſolutè conſiderata non eſt potentia obedientialis cõpleta: ſiquidẽ vt ſic inuoluit in ſuo conceptu connexionem aliquam cum cauſa, & effectu ſupernaturali immediatè, & proximè producibili, qualem non habet ex ſua natura, comprehẽdendo nomine effectus etiam paſſiones ſeu mutationes ſupernaturales, quarum eſt eadem ratio cum actionibus: igitur compleri debet, & conſtitui proximè potens per aliquid à ſe diſtinctũ, hoc non debet neceſſariò eſſe aliquid intrinſecũ, vt probatum eſt, ergo debet eſſe, & ſufficit extrinſecum. Quòd ſi eſt extrinſecum, non poteſt eſſe aliud, quàm diuina omnipotentia applicata per decretum; quia nullũ agens creatum eleuare poteſt creaturã ſupernaturaliter, ſeu dare eſſe illi potentiæ, quæ ſit connexa cum aliquo ſupernaturali: ergo ſolus Deus auctor ſupernaturalium ex hoc præcisè, quod vult mutare ſupernaturaliter, non cõcurrendo ad conſeruandũ, vel operandũ ceſſat eſſe, & operari creaturæ, igitur ex eo quod vult vt patiatur, ſit potens proximè pati.

Poſito decreto Dei ſit proximè potens creatura pati, &c.

Itaque ex eo quod Deus decreuit producere gratiã in anima, ſiue per ſe immediatè, ſiue per ſacramenta, intelligitur etiam ſimul velle, quòd anima, quæ non exigit ſua natura gratiã, ſit ſuſceptiua illius proximè, abſque eo quod immutet ipſam intrinſecè; quia ex ſua natura eſt capax, & poſitis ex parte agentis neceſſarijs ad illam producendam, capacitas iſta, quæ dicebatur potentia remota, & non merebatur nomen potentiæ ſimpliciter, ſit proximè potens, & immediatè ſuſceptiua gratiæ.

Dices, decretum Dei, & omnipotentia applicata pertinet ad cauſam efficientē quæ non complet potentiam in genere cauſæ materialis, qualis eſt potentia paſſiua obedientialis.

Potentia paſſiua creaturæ non eget complemento intrinſeco in genere cauſæ materialis.

Reſpondeo, potentiam creaturæ in genere cauſæ materialis non indigere complemento intrinſeco, vt fiat proxima, & remota, ſed tantum aliquo extrinſeco, à quo reducatur ad actum per aliquam mutationem; anima enim de ſe eſt capax gratiæ, & panis aptus conuerti in corpus Chriſti: ſed quia nulla eſt exigentia, aut vis naturalis in illa, propterea opus eſt addito aliquo ſupernaturali extrinſeco, ratione cuius dicantur eſſe in potentia proxima: & hoc eſt decretum applicans omnipotentiam, quod licet in genere cauſę efficientis: eſt tamen connotatum neceſſarium, quod vt ſic pertinet ad cauſam formalem extrinſecam, quatenus ſine illo non eſt completa, immo nec propriè potētia paſſiua, quia vt paſſiua reſpicit actiuam, quod eſt decretū cum omnipotētia applicata.

Secunda pars probatur, quia quælibet potentia conſtituitur in actu ſecundo per operationem vel elicitam, ſi eſt actiua: vel receptam, ſi paſsiua: & proinde etiam per formam informantem, aut terminum aliquo modo efficientem, idque loquendo de potentia propriè, vt eſt quid poſitiuum, & connexum cum effectu per Dei voluntatem futuro; nam impropriè vt dicit ſolum non reſiſtentiam ad produci, vel annihilari, reducitur ad actum ſecundum per creationem, & deſitionem conſeruationis.

Quæres, an potentia ſuſceptiua formæ ſupernaturalis poſsit conſtitui per paſsionem ſupernaturalem poſsibilem.

Reſpondet affirmatiuè P. Ripalt. diſp. 25. ſect. 5. ob multas rationes metaphyſicas, quas perſequitur fusè. Sed quicquid ſit de conſtitutione logica, vel metaphyſica, hîc ſermo eſt de phyſica, quæ non poteſt conſtitui per paſſionem ſupernaturalem etiam exercitam; quia hæc ſupponit potentiam iam conſtitutam. Si enim potentia actiua vniuerſaliter non poteſt conſtitui in eſſe potentię actiuæ per actionem, ad quam dicit ordinem tranſcendentalem, quia actio ab illa manans ſupponit conſtitutam in actu primo phyſico; quanto magis paſſio ſupernaturalis ſupponere debet potētiam paſsiuam completam in ſuo eſſe: ſiquidem & ipſa conſideratur ad modum actus ſecundi poſterioris primo actu, qui integratur creatura, & virtute creatoris volentis ipſam immutare: & proinde prior eſt natura, quàm paſsio exercita ab ipſo pendens.

Confirmatur, quia etiam metaphyſicè loquendo interroganti cur hæc natura ſit ſuſceptiua formæ innaturalis, vel ſupernaturalis, ſi reſpondeas, quia poteſt habere ſuſceptionem ſupernaturalem, ludis in omnibus; ſicut ſi dicas, intellectus eſt ſuſceptiuus intellectionis, quia intellectio eſt formalis actus poſsibilis in illo recipi: idem enim bis dicitur, cum ſit idem intellectionem poſſe recipi, & intellectum eſſe eius receptiuum: quod reprehenditur à Philoſopho 5. Met. t. 20. c. 15. *Na intelligibile*, inquit, *ſignificat quod eius eſt intellectus; non eſt autem intellectus ad illud, cuius intellectus eſt: idem enim profectò bis dictum eſſet. Similiter & viſus cuiuſdam eſt viſus, non cuius eſt viſus, & ſi verum eſt hoc dicere, ſed ad calorem, aut aliquid aliud tale*; illo verò modo bis idem diceretur, quod viſus eſt cuius eſt viſus; id eſt intellectus non refertur ad intelligibile, vt intelligibile: quia diceretur referri ad id, cuius eſt intellectus, & ſic idem bis diceretur, & fieret inutilis repetitio, quia definitum in definitione repeteretur; & idem eſt de viſibili, ſi viſus referatur ad illud vt viſibile; hoc autem aſſerit Philoſophus, vt probet, quod intelligibile dicitur ad intellectum referri: quia intellectus referri dicitur ad ipſū prius quàm ſit intelligibile: nam ſi intelligibile definiatur eſſe id, cuius eſt intellectus, eſt nugatoria repetitio; & hæc eſt germana eius textus interpretatio, non illa, quam adhibent aliqui negantes intellectum eſſe ad ſubiectum, quia bis diceretur, ſcilicet ad ſubiectum, & ad obiectum, vt notat Vaſq. 1. diſp. 104. c. 2. textus enim manifeſtè loquitur de obiecto intelligibili, & non de ſubiecto. In propoſito igitur ſi potētia ſuſceptiua formæ ſupernaturalis conſtituitur per receptionem ſupernaturalē poſsibilem, ſequitur idem incommodum nugatoriæ repetitionis; nā eſt ſuſceptiua reſpectiuè ad formam vt ſuſceptibilem, ſeu vt poſsibilem recipi: atque ita idem bis dicitur, ſicut ſi dicatur intellectus eſſe ad intelligibile, vt ſic, & reſpondetur idem per idem: quia eſſe ſuſceptiuum formæ, & formam eſſe ſuſceptibilem ſunt idem ſignificatum per diuerſa nomina, & definitum repetitur in definitione.

Aristot. 5. Metaph.

Intellectus non refertur ad intelligibile vt ſic.

Secundò confirmatur ratione Ariſtotelis ibidem; nam ſi intelligibile ſub hac denominatione dicitur, quia eius eſt intellectus; & viſibile, quia eius eſt viſus, ergo prius dicitur intellectus ad obiectum, quàm obiectum denominetur ab intellectu, & à viſu: ſicut potētia in vniuerſum prius dicitur ad poſsibile, quam hoc habeat, denominationem ab ipſa; nam reſolutiones iſtæ non mutuæ, de quibus ibi Philoſophus, reſpiciunt terminum abſolutum, antequam denominationem ſortiatur intelligibilis, viſibilis, poſsibilis, & in vniuerſum menſurabilis; denominationem, inquam, nam ſi attēdantur res denominatæ, prius eſt obiectum, quàm potentia, & actus; ſicut menſura prior eſt mēſurato: vnde eſt celebre theorema Scoti, *Intellectionem intelligibile naturâ præcedit*. Ideo S. Th. 1. p. q. 25. a. 3. potentiam Dei non reſpicere poſsibile ſub hac denominatione, ſed ſub aliqua priori: alioqui nugatio eſſet, ſi diceretur, omnipotentia eſt, quæ poteſt omne poſsibile, id eſt poteſt omne quod fieri poteſt ab ipſa omnipotentia: poſsibile enim ſub hac denominatione eſt, quod ab aliqua potentia fieri poteſt; Quare ſi potentia ſuſceptiua conſtituitur à forma vt ſuſceptibili ſub hac denominatione, idem replicatur; non ſecus ac ſi de potentia actiua dicatur eſſe ad agibile, intellectiua ad intelligibile, viſiua ad viſibile, &c. & ſolum diſcrimen eſt, quod iſtæ ſunt potentiæ actiuæ: hæc verò, de qua agimus, eſt paſsiua: ſed eſt par ratio vtriuſque quoad denominationem ab obiecto, & actu. Hinc

S. Thom. Potentia Dei non reſpicit poſsibile vt ſic.

Secundò probatur aſſertio, quia nulla forma eſſe actuabile, ſeu perfectibile formaliter ſuo ſubiecto, ſed ſupponit illud; ipſa autē cum ſit actꝰ, nō dat eſſe actuabile: & cū ſit perfectio, nō dat eſſe perfectibile per ſui exhibitionē; vt patet

Digitized by Google

etiam inductione; accidens, exempli gratia, non dat esse perfectibile subiecto, neque forma materiæ dat esse potentiale, sed supponit, igitur & forma supernaturalis, seu susceptio eius possibilis, supponit in creatura esse susceptiuum, & non constituit illud. Consequentia est clara: quia quod supponitur alicui, non constituitur ab ipso.

Dices, materiam pendere à forma, quia est propter formam, & eâ sublatâ, tolleretur: potentiam actiuam, verbi gratia intellectum pendere ab actibus, quia specificatur ab ipsis, & pendet ab eorum possibilitate. Ita ergo dici poterit, potentiam obedientialem passiuam pendere à concursu passiuo, propter quem est, & constitui ab illo, sicut etiam omnis potentia passiua pendet à concursu possibili, propter quem est.

Sed hîc cauenda æquiuocatio: aliud enim est rem constitui intrinsecè, & physicè talem, aliud constitui per ordinem ad aliquid distinctum à constituto, verbi gratia, hominem constitui per animam, & corpus, & per ordinem ad Deum, à quo pendet essentialiter, & propter quem est: quæstio hîc est de primo, quia cum creatura de se sit improportionata, & impotens ad formas, & effectus supernaturales tam producendos, quàm recipiendos, debet fieri proportionata, ac potens proximè; & quæritur per quid compleatur in esse potentiæ obedientialis, ita vt nihil illi desit ad esse proximè susceptiui formarum, & non potest dici compleri per formas possibiles supernaturales, seu per earum susceptionem, quia nullum possibile dat complementum actuale physicum suæ causæ, à qua pendet, cum reducitur ad actum, etiamsi causa dicat ordinem ad illud, & secundum essentiam pendere dicatur, quatenus si illud non esset possibile, tolleretur essentia ad illud ordinata; nam præterea restat explicandum quid, & quale sit illud ordinatum, & sic quid sit potentiæ obedientialis passiuæ complementum, ratione cuius dicat ordinem ad susceptionem possibilem; ipsa quippe susceptio non est neque concursus passiuus naturæ, per quem completur, & fit proximè potens, quia quod concurrit actu in priori saltem naturæ potens erat concurrere, & per concursum actualem fit actu concurrens, non autem potens concurrere.

Responsio ad argumenta contraria.

CAPVT XIII.

Primum est,

XXVIII. VIa si decretum Dei in se est immutabile, sicut & essentia, à qua non distinguitur, vt diximus, & nihil causat in creatura, adhuc non apparet, quomodo per illud reddatur proximè potens recipere mutationem supernaturalem; nam creatis, exempli gratia, duabus animabus, vna sit habitura gratiam per baptismum, & salutem: alia sine gratia in originali mansura, & damnanda; quoad actum primum vtraque est capax gratiæ, & salutis; & tamen vna non est in potentia proxima, quia deest decretum: alia est propter decretum, igitur per aliquid diuersum; alioqui si nihil diuersum est, neque in Deo, in quo esse non potest: neque in anima, quæ supponitur eadem sine diuersitate, eadem erit denominatio in vtraque, & eadem potentia.

Confirmatur, quia per te posito decreto datur connexio potentiæ cum effectu secuturo, ergo datur etiam ratio connexionis inter duo, quæ non est inter alia, puta inter gratiam, & vnam animam, quæ iustificabitur, ac saluabitur: non autem cum alia, quæ damnabitur sine iustificatione; hæc verò ratio habet esse in creatura, cum in Deo nulla sit diuersitas.

Ad argumentum respondeo, ex vi decreti futuram iustificationem, & salutem in vna anima: & hoc sufficere, vt potentia eius susceptiua dicatur proximè constituta, quia hæc denominatio non est à simplici forma sola, sed à toto aggregato, nimirum à decreto, & proinde ab effectu ipsi respondente, & à creatura suo creatori subiecta ad quamlibet mutationem recipiendam; atque ita sine intrinseca mutatione eius vna dicitur completè potens, altera incompletè, non defectu alicuius intrinseci, quod sit in vna, & non in altera, sed terminationis decreti, quod vni vult gratiam, & salutem; alteri non vult absolutè, cui voluntati respondet effectus futurus in tempore à tali causa in tali subiecto; quod sufficit ad hoc vt dicatur respondere ab æterno mutatio obiectiua, vt supra.

Ad confirmationem, nego vltimam sequelam; ratio enim connexionis non est aliquis respectus realis intrinsecus in vna anima, sed est decretum, & futuritio effectus ex vi decreti; nam per illud verè effectus est futurus, & hæc potentia non alia illum habitura, igitur est connexio inter hanc potentiam, & non aliam cum tali effectu; at hæc præter extrema non dicit aliquid reale, sed solum respectum rationis cum fundamento in re, quod est diuina voluntas ordinans gratiam, & gloriam, & capacitas animæ, loquendo de gratia, & salute vt futura in singulari: nam cum possibili habet connexionem tantum remotam, vt supra.

Secundum Argumentum est,

QVia apprehensâ susceptione, aut mutatione supernaturali possibili, & natura, apprehenditur potentia susceptiua formaliter, ergo sola entitas naturæ, & passio supernaturalis possibilis complent constitutionem potentiæ absolutè susceptiuæ formæ supernaturalis.

Confirmatur, quia ab eo reddi potest natura absolutè susceptiua formæ, à quo forma redditur susceptibilis, sed forma redditur absolutè susceptibilis à passione absolutè possibili, ergo & natura redditur absolutè susceptiua ab eadem. Maior patet, quia sicut anima redditur extrinsecè visiua coloris à visione, à qua etiam color redditur extrinsecè visibilis, sic & natura potest extrinsecè reddi susceptiua formæ supernaturalis à passione absolutè possibili. Minor probatur, quia forma redditur recepta à passione existenti, ergo receptibili à passione possibili.

Digitized by Google

Ad argumentum, respondeo nego sequelam, nam passio possibilis ingreditur conceptum potentiæ susceptiuæ, non tanquam constitutiua ipsius, sed vt terminus, vel effectus ab ea pendens in genere causæ materialis; sic intellecta materia, & possibili receptione formæ naturalis intelligitur potentia subiectiua: neque tamen receptio possibilis constituit illam. Simile est de potentia actiua tam Dei, quàm creaturarum: conceptum enim omnipotentiæ ingreditur creatura vt terminus, non vt constitutiuum, & si differentia in alijs sit, quia potentia actiua creata dicit ordinem ad effectus, propter quos est, non item Dei potentia, quæ absoluta est, & independens.

Anima non constituitur visiua a visione, sed illi supponitur.

Ad confirmationem, nego maiorem; ad probationem, nego animam reddi visiuam à visione, quæ est effectus, sed supponitur talis, id est potens elicere visionem; sic & susceptio non dat esse susceptiuum subiecto, sed supponit: licet extrinsecè denominari possit potentia visiua à visione, & susceptiua à susceptione; sed aliud est denominari, aliud constitui. Nisi forte dicas potentias specificari ab actibus; verum tunc variaretur quæstio; non enim loquimur de specificatione ab extrinseco, sed de constitutione intrinseca potentiæ, quæ supponitur actui secundo. Quod si de prima intelligas, consequenter admittere debes connexionem extrinsecam ex natura rei, qualis est inter potentias, & actus, & non est inter creaturam, & effectus, aut mutationes supernaturales.

Dices, à susceptione actuali constituitur potentia actu recipiens, ergo à receptione possibili constituitur susceptiua in actu primo.

Respondeo, nego sequelam, disparitas est, quia denominatio recipientis est concreti habentis actu formam denominantem, vt causam formalem intrinsecam; denominatio susceptiui est principij, seu potentiæ materialis, quæ non constituitur à susceptione possibili, sed ex seipsa talis est, & supponitur illi, sicut actui secundo supponitur primus in suo esse completus.

QVÆSTIO IV.

DE POTENTIA OBEDIENTIALI PASSIVA DONORVM SVPERNATVRALIVM RESPECTV CREATVRÆ RATIONALIS.

EXit præsens quæstio quidam veluti nexus præcedentium cum sequenti disputatione de potentia obedientiali facultatum vitalium creaturæ rationalis, quæ sunt intellectus, ac voluntas; quas superna uraliter recipere in se actus quos eliciunt eleuatæ auxilio supernaturali certum est; sed controuersum valde qualis sit hæc potentia receptiua, naturalis ne, vel supernaturalis; habens appetitum innatum positione, vel solum indifferentiam: proinde an & quomodo respiciat actus, & cætera dona supernaturalia, à quibus potest perfici.

Quæ omnia ad duo præcipua quæsita reduximus, quorum

I. Est an potentia obedientialis passiua donorum supernaturalium sit naturalis in creatura rationali.

II. An hæc potentia dicat ordinem transcendentalem ad illa.

Cum solutionibus argumentorum ad singula capita.

An potentia obedientialis paſſiua donorum ſupernaturalium ſit naturalis in creatura rationali.

CAPVT I.

I. *Seſus quæſtionis.*
II. *Duplex ſententia.*
III. *Aduertenda pro reſolutione.*
IV. *Potentia paſſiua obedientialis poteſt dici naturalis reſpectu beatitudinis ſupernaturalis.*
V. *Probatur auctoritate multiplici, ac ratione.*
VI. *Eadem etiam dicitur naturalis reſpectu gratiæ, & virtutum.*
VII. *Intellectus, & voluntas ſunt ſubiectum immediatum beatitudinis, & potentia paſſiua habentis innatum appetitum eius.*
VIII. *Soluuntur argumenta ex auctoritate petita.*
IX. *Et ex vnica ratione.*

1. SVPRA diximus, potentiam paſſiuam, ſeu receptiuam huiuſmodi donorum in vniuerſali non eſſe naturalem, ſed neutram etiam in creatura rationali; nunc quærimus in particulari, an reſpectu gloriæ, aut finis, propter quem condita eſt; & gratiæ, per quam comparanda eſt, dici poſſit naturalis, quatenus naturale diſtinguitur non ſolum à violento, & neutro, ſed etiam à ſupernaturali. Pendet autem reſolutio à quæſtione celebri: an detur appetitus innatus in creatura rationali ad formas ſupernaturales, & potiſſimum ad beatitudinem ſupernaturalem, ad quem illæ ordinantur: ſi enim datur, conſequens eſt, vt potentia illarum receptiua dicatur naturalis, velut appellatur à Scoto: ſin ſecus, non meretur hoc nomen; ſed ſolum obedientialis, quo potentia actiua, & eadem paſſiua nuncupatur.

Prima ſententia negat eſſe naturalem. Soar. diſp. 43. Metaph. ſect. 4. lib. 2. de attrib. negat. cap. 8. numero 4. & in 1. 2. de appet. beatitud. diſp. 16. ſect. 2. Vaſq. 1. 2. diſp. 22. numero 12. Mol. 1. p. q. 12. a. 1. diſp. 2. controu. 2. Sal. 1. 2. tract. 2. diſp. 12. ſect. 2. Herice 1. p. diſp. 37. Ripal. diſp. 9. & alij apud ipſos conuenientes in aſſertione, non autem in principijs illam probantibus, etiam Thomiſtæ, qui cum Caiet. 1. p. quæſt. 12. a. 1. & 1. 2. quæſt. 3. a. 8. negant creaturam rationalem ſecundum ſe, præciſa fide, habere naturalem appetitum videndi Deum clarè, & variè explicant auctoritates S. Thomæ, in quibus videtur illum admittere.

Secunda ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 49. q. 10. art. 1. affirmantis dari appetitum innatum ad beatitudinem, cum ſuis aſſeclis, vt videre eſt apud Radam 1. p. controu. 1. art. 1. Fabrum diſp. 3. prolog. & diſp. 8. cap. 2. Eſt etiam Dur. ibid. quæſt. 8. Maior. quæſt. 6. quibus adhærent Valent. 1. 2. diſp. 1. quæſt. 5. p. 2. Didac. Ruiz de volunt. Dei diſp. 1. ſect. 2. Coninch. 1. 2. diſp. 4. n. 17. & diſp. 7. n. 15. & aliorum, potiſſimum S. Bonau. mox citandi.

Aduerte primò, quod inter vtramque ſententiam conuenit naturam rationalem eſſe capacem donorum ſupernaturalium per propriam entitatem: ſecundò hanc capacitatem eſſe diſtinctam à capacitate aliarum creaturarum rationis expertium, in quibus poni poſſunt à Deo formæ ſupernaturales: Tertiò non eſſe debitam gratiam, aut donum aliquod ſupernaturale creaturæ vlli: Quartò ſi ex Dei liberalitate ipſi conferatur eſſe perfectiuum eius, vt proprij ſubiecti, in quo exigit eſſe ex ſuppoſitione quod producatur. Propterea videtur aliquibus reliqua eſſe ſolum quæſtio de nomine, an talis appetitus, ſeu potentia vocanda ſit naturalis, vel innata: & reuocati ad quæſtionem de re, ſi quæratur, an ſit ordo tranſcendentalis in natura rationali ad hæc dona, de quo ſenſu infra dicam, quid ſentiam.

Aduerte ſecundò ex S. Thoma 1. p. quæſt. 19. art. 1. & 9. & quæſt. 59. art. 1. S. Bonau. in 1. diſt. 49. a. 1. quæſt. 2. & alijs Scholaſticis, vulgatam diuiſionem appetitus in innatum, & elicitum. Ille dicitur à S. Thoma loc. cit. & 1. p. quæſt. 78. art. 1. 3. inclinatio cuiuslibet rei in aliquid ex natura ſua, & ſe habet per modum habitus inclinantis ad bonum cõueniens ſubiecto, & explicatur ſimilitudine grauium, quæ inclinare dicuntur ad centrum; & dicitur innatus, quia innaſcitur cum re ipſa: & eſt communis omnibus entibus, quæ dicuntur appetere eſſe, & bonum ſuum, vt cum Sanct. Damaſc. docet S. Thom. de ver. q. 22. art. 2. elicitus autem eſt tendentia actualis in obiectum cognitum, & dicitur rationalis, deliberatiuus, electiuus in creatura rationali: animalis in ſenſitiua ſequente ſolam apprehenſionem; & appetitus quidem elicitus propriè dicitur: innato verò metaphyſicè conuenit hoc nomen, quatenus potentia capax boni ſibi conuenientis dicitur illud appetere per ſimilitudinem ad verum, & proprium appetitum, qui eſt actus manans à potentia appetitiua, & tendens in bonum cognitum. Appetitus innatus, & elicitus.

Aſſertio prima.

II. POtentia paſſiua obedientialis reſpectu donorum ſupernaturalium poteſt dici naturalis creaturæ rationali ſecundum ſignificatum ſuum in recto. ita vt hæc denominatio ſit propria ipſius, & nulli alteri creaturæ conueniens. Naturale appello hîc non ſolum quod eſt à principio intrinſeco actiuo, ſed etiam paſſio cum D. Thoma 1. 2. q. 6. art. 5. 2. & diſtinguitur ab accidentali, quod non eſt ex principio tali, ſed extrinſecus aduenit: & à neutro, & à violento, quorum vnum eſt præter, aliud contra naturam, immo & à libero: quia quod à natura ineſt, ſeu innaſcitur, neceſſarium eſt, à voluntate non pendens. Potentiam verò paſſiuam voco, quæ receptiua eſt, & perfectibilis ab huiuſmodi donis. Probo igitur aſſertionem: Appetitus innatus vt dicit capacitatem formæ ſibi conuenientis, & perfectiuæ, eſt naturalis creaturæ rationali, ergo & potentia paſſiua, ſeu receptiua formæ ſupernaturalis dici debet naturalis. Antecedens patet, quia talis capacitas eſt ipſa entitas creaturæ rationalis, realiter loquendo: nihil autem magis naturale rei, quàm eadem ſibi,

Conſequentia probatur, quia huiuſmodi potentia non diſtinguitur ab appetitu innato: ſiquidem tam hic, quàm illa ſunt capacitas identificata rei, quæ dicitur capax ex ſeipſa, & non per aliud tam formæ naturalis, quàm ſupernaturalis. Et licet per noſtrum modum concipiendi, prius intelligatur eſſe potentia, quàm appetitus boni, & conuenientis: tamen à parte rei non diſtinguuntur, eadem enim indiuiſibilis entitas eſt capax & potens recipere per ſeipſam, & proinde habens appetitum innatum indiſtinctum à capacitate boni conuenientis.

Dices capacitatem iſtam non eſſe appetitū, quia natura non appetit ſupernaturalia ſibi indebita, licet illa poſſit recipere per potentiam obedientialem.

Sed contra, ſi probauero dari appetitum innatum in natura humana ad ſupernaturalia, ſimul etiam oſtendero potentiam receptiuam eorum eſſe naturalem; id autem probo auctoritate, & ratione. Auctoritas eſt primò

S. BONAVENTVRÆ

IN 1. diſt. 1. a. 3. q. 2. ad arg. 1. comparat appetitum animæ cum appetitu materiæ, & cum probaret argumentum finiri infinitum appetitū materiæ per formam incorpoream, & incorruptibilem, & proinde etiam appetitum animæ finiri aliquo bono finito, reſpondet eſſe diſparitatem; quia appetitus materiæ ordinatur ad formam, tanquam ad perfectionem ſubſtantialē ex qua, & materia ſit vnum: & ideo neceſſe eſt formam eſſe eiuſdem generis cum materia, nec eſt omnino ſupra materiam, ideo finita eſt omnis talis forma, quæ ſi ſit incorruptibilis, propter neceſſariam ſui vnionem, arctat appetitum materiæ, & arctatum finit; vnde non finitur in tota ſua amplitudine. Appetitus autem animæ non ſic arctatur propter vnionem cum appetibili, immo dilatatur: & ideo oportet, quod perficiatur aliquo omnino ſummo; igitur anima appetit ſummum bonum ſupernaturale appetitu innato, de hoc enim loquitur; alioqui ſimilitudo materiæ non eſſet ad rem, quia in ea eſt appetitus innatus ad formas vt ſui perfectiuas, & in anima ad viſionem Dei, ſeu ad Deum viſum clarè, quo ſolo perficitur omnino: & patet ex contextu ſermonem eſſe de appetitu innato: cum enim in reſolutione probaſſet, ſolo Deo eſſe fruendum, concludit; quod omnes rationes ad vnam reducuntur, ſcilicet ad hanc, quia nata (inquit) eſt anima ad percipiendum bonum infinitum, quod Deus eſt, ideo in eo ſolo debet quieſcere, & eo frui, & paſſim meminit capacitatis animæ, quæ licet ſit finita, tamen ab eo abſorbetur, & tota eius capacitas vndique terminatur, ait ad ſecundum.

Appetitus materiæ differt ab appetitu animæ.

In 2. diſt. 9. art. vn. q. 3. ad penultimum vtitur eadem ſimilitudine materiæ; *Sicut forma (inquit) perficit capacitatem materiæ, non ſimpliciter, ſed prout exigebat gratia, qua prius libero arbitrio data erat. Cum autem ſic perficitur ſufficienter perfecta eſt, quia rectitudo iuſtitiæ limitat appetitum naturæ, vt non vltra appetat, quam gratia promeruit.* Appetitus naturæ hîc eſt appetitus innatus, à quo manat elicitus. Vnde & infra diſt. 25. p. 2. a. 1. q. 2. appetitum beatitudinis vocat naturaliter inſertum.

Sed prout exigit diſpoſitio ſuperinductæ; ſic gloria perficit naturā non ſimpliciter, ſed ſecundum quod exigebat gratia quæ prius

In 4. diſt. 49. a. 1. q. 2. quærit, an omnes beatitudinem appetant, & reſpondet, *Dicendum, quod duo ſunt, quæ faciunt appetitum, ſcilicet conuenientia, & indigentia: quoniam igitur anima rationalis creata eſt ad Dei imaginem, & ſimilitudinem, & facta eſt ea pax boni ſufficientiſſimi, & ipſa ſibi non ſufficit, cum ſit vana, & deficiens; ideo dico, quod veram beatitudinem appetit naturaliter:* Et loquitur de beatitudine, quæ habēt pro obiecto Deum, & pro forma informante influentiam Dei, ſeu viſionem beatam, vt quæſtione præcedenti præmiſit, quam ſolam veram beatitudinem appellat: & de appetitu non elicito, ſed innato, vt patet ex argumento primo loco propoſito ex auctoritate Boetij: & tertio loco, vbi diſertè diſtinguit appetitum innatum, ſeu naturalem ab appetitu deliberationis, vt illo appeti veram beatitudinem oſtendat. Et ita interpretantur S. Bonauent. Irigos. 1. p. q. 7. a. 1. dub. 2. concl 3. Salas loc. cit. n. 5. Longus 1. p. q. 12. a. 1. in ſumma textus. Ioan. Maria Zamorus diſp. Theol. tract. 1. q. 1. a. 2. n. 11.

Idem probatur auctoritate S. Thomæ.

QVamuis pro contraria citetur à pluribus Thomiſtis, Caietano, Capr. Ferrar. &c. non deſunt tamen auctoritates fauentes noſtræ; nam 1. 2. q. 113. a. 10. c. vbi ait, quod iuſtificatio impij non eſt miraculoſa, quia naturaliter anima eſt gratiæ capax: eo enim ipſo, quod *Facta eſt ad imaginem Dei, capax eſt Dei per gratiam, &c.* & hanc capacitatē maiorem facit ea, quam habet materia in ſuſcitatione mortui; certum eſt autem, quod reſpectu diuinæ potentiæ tam promptè paret materia, recipiendo animam ſemel ſeparatam à ſe, quàm anima gratiam, aut viſionem beatam: oportet igitur, quod capacitas iſta maior attendatur penes intrinſecas entitates ſubiectorum comparatiuè ad terminos, quorum ſunt receptiua: hæc autem conuenienter explicatur per poſitiuum appetitum animæ ad gloriam, vt ad finem, & bonum, propter quod eſt creata, quam non habet cadauer ad formam amiſſam: vnde à S. Thoma ibid. dicitur, quod in quibuſdam miraculoſis operibus inuenitur, quod forma inducta eſt ſupra naturalem potentiam talis materiæ, ſicut in ſuſcitatione mortui vita eſt ſupra naturalem potentiam talis, corporis, &c. quæ diſparitas variè explicatur ab interpretibus eius: Sed ſi dicatur forma inducta, id eſt vita eſſe ſupra naturalem potentiam talis corporis, non item gratia ſupra naturalem capacitatem animæ, quia cadauer non habet appetitum animæ; ſed hæc habet appetitum innatum beatitudinis, propter quam condita eſt: ideoque potentiam ad eam recipiendam ſibi congeneam, ac naturalem habere oportuit; non item corpus mortuum ad vitam: quia materia eius non magis appetit vnam formam, quàm aliam, quantum eſt de ſe: etiamſi anima rationalis appetat vniri ipſi, vt S. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. ad 6. *Anima humana (inquit) manet in ſuo eſſe, cum fuerit à corpore ſeparata, habens aptitudinem, & inclinationem na-*

Anima ſeparata appetit vniri corpori ſuo.

turalem ad corporis vnionem. Ex quo licet arguere à pari, Anima rationalis habet inclinationem naturalem, & appetitum innatum ad vnionem cum corpore, etiamſi non ſit naturaliter hæc poſſibilis, quia eſt pars ſimul cum ipſo ordinata ad conſtituendum totum, ergo etiam habet appetitum innatum ad gloriam, ad quam, & propter quam facta eſt, etiamſi naturaliter non ſit comparabilis: Nam 3. p. q. 9. a. 2. 3. *Viſio beata (inquit) eſt quodammodo ſupra naturam animæ rationalis, inquantum ſcilicet propria virtute ad eam peruenire non poteſt: alio verò modo eſt ſecundum naturam ipſius, inquantum ſecundum naturam eſt capax eius.* Igitur in hoc ſecundo ſenſu de quo loquimur, anima rationalis habet naturalẽ capacitatem gratiæ: quod enim ſecundum naturam eſt naturale eſt; capacitas autem boni conuenientis appetitus quidem eſt innatus, quia vnaquæque res naturaliter propendet in bonum ſuum.

Præterea de Ver. q. 13. art. 3. 6. ait. *Quamuis naturale ſit intellectui humano, quòd quandoque ad viſionem diuinæ eſſentiæ perueniat, non tamen eſt naturale ſecundum ſtatum vitæ huius*, & ratio argumenti eſt, quia ad hoc creatus eſt, &c. hoc non poteſt explicari de actu elicito, quia ex eo præcisè dicitur ei naturale, quod propter illam creatus eſt, ita vt teneat cõſequentia, Intellectus creatus eſt propter viſionem Dei; ergo naturale eſt illi ad illam peruenire, auxilio quidem gratiæ, vt idem 1. 2. q. 114. 2. 1. ſed illi, vt perfectiui, conuenientis: neque item intelligitur de appetitu innato actuum tendentium in viſionem, quia iſti ſunt ſuper naturales, ſi conducunt ad illam.

Præterea in 4. ſent. diſt. 49. q. 1. a. 3. q. 3. habet, *Quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter coniungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis: & ex parte appetitus naturalis, ſemper eſt ibi rectitudo, quando ſcilicet appetitur ibi beatitudo, vbi verè eſt: quandoque autem peruerſitas, quando appetitur vbi verè non eſt, &c.* Ex quo ſic argue, Omnis appetitus elicitus eſt coniunctus cum naturali, ergo etiam appetitus elicitus beatitudinis habet adiunctum naturalem, ergo ſecundùm D. Thom. datur appetitus naturalis veræ beatitudinis: hic autem eſt innatus, quia ponitur vt diſtinctus à rationali, ſeu deliberatiuo, vt vocatur à S. Bonauentura, qui eſt elicitus.

Appetitus elicitus eſt cõiunctus naturali.

Præterea 3. cont. gent. c. 25. rat. 1. docet, quòd omnes creaturæ intendunt coniungi Deo, ſicut vltimo fini, quanto magis ſibi poſſibile eſt, ſcilicet appetitu innato, nam elicitum non habent omnes creaturæ, igitur & intellectuales participant innatum communem cæteris, à quo prouenit elicitus. Et ratione vltima; *Non eſt autem (inquit) aliquis affectus finem vltimum, quouſque naturale deſideriũ quieſcat: non ſufficit igitur ad felicitatem humanam, quæ eſt vltimus finis, qualiſcumque intelligibilis cognitio, niſi diuina cognitio adſit, quæ naturale deſiderium quietet ſicut vltimus finis.* hîc naturale deſideriũ accipit pro eodem, ac in octaua ratione acceperat, quod videlicet naturaliter ineſt omnibus hominibus, & quod ſequenti ratione 10. comparat naturali appetitui, quo corpus tendit in ſuum Vbi: hic autem non elicitus, ſed innatus eſt, ſecundùm quem omnia tendunt in finem, & bonũ ſuum, vt patet ex diſcurſu toto illius capitis, in quo ſermo eſt vniuerſalis de omni creatura, & de omni appetitu, & non ſolùm de elicito cognoſcentium.

Et confirmatur ex eo quod loquitur de appetitu determinato ad vnum appetibile, quod eſt finis, & bonum, quod omnia appetunt: hic autem eſt naturalis, & innatus diſtinctus ab elicito tam animali ſequente apprehenſionem, quàm rationali, ſeu deliberatiuo, quòd ille ſit determinatus, iſte verò non ſit, niſi ſuppoſitâ apprehenſione proponente aliquid ſub ratione proprij obiecti, & ratione regulante paſſionem ſenſitiuam, vt etiam Ferrar. 1. con. gent. c. 89. Ad huius euidentiam

In prologo lib. 1. ſentent. *Vnumquodque (inquit) ſuauiter eſt diſpoſitum, quando collocatur in ſuo fine, quem naturaliter deſiderat; hoc verò collocatum eſt nobis per Chriſtum, qui nos in gloriã paternæ hæreditatis induxit, igitur ineſt homini naturale deſiderium viſionis.*

Reſpondent Caiet. & Ferrar. non dari appetitum naturalẽ beatitudinis in particulari ſine actu elicito, ſed S. Thom. loquitur de appetitu naturali communi rebus omnibus, qui non eſt cum elicito, quo illæ carent; Deinde appetitus elicitus in bonum verum, & proprium naturæ alicuius ſupponit innatum, qui communis eſt creaturæ cuilibet in bonum ſibi conueniens.

De Ver. q. 22. a. 2. in arg. ſed contra, *Vnumquodque (inquit) appetit naturaliter finem ſuum, propter quem eſt, ſed omnia ſunt ordinata in Deum, ſicut in finem, Prou. 12. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, ergo omnia naturaliter appetunt Deum, &c.* Sed cum hic appetitus vatius ſit, iuxta diuerſitatem creaturarum, in ſpirituali datur, quatenus eſt capax Dei, cui iungi poteſt per cognitionem, & amorem, vt docet ad vltimum.

Omnis naturaliter appetunt Deum iuxta modum naturæ ſuæ.

Hinc collige, quòd ſi omnia naturaliter appetunt Deum, iuxta modum naturæ ſuæ, & vt participare poſſint eius ſimilitudinem, multo magis id conuenit naturæ rationali; deinde hunc appetitum eſſe innatum, non elicitum, quia inanimes creaturæ elicitum non habẽt.

Præterea 1. 2. q. 5. a. 8. c. *Appetere (inquit) beatitudinem nihil aliud eſt, quàm appetere, vt voluntas ſatietur, quod quilibet vult*, & quidem naturaliter, & ex neceſſitate, ſi conſideretur beatitudo, vt habet rationem finalis boni, & perfecti, vt ait ad 2. Hoc autem bonum, quod naturaliter deſideratur, docuerat q. 1. a. 5. c. debere eſſe principium in proceſſu rationalis appetitus, & hoc non plura, ſed vnum, quia natura non tendit niſi ad vnum; hîc autem eſt vltimus finis, ex quo infert oportere id, in quod tendit voluntas ſub ratione vltimi finis, debere eſſe vnum & determinatum: beatitudo autem in communi non eſt vna, ac determinata: igitur beatitudinis, in quam tendit voluntas ſub ratione vltimi finis, appetitus eſt neceſſarius, & naturalis, & hic eſt vnus, nempe Deus viſus, ergo eius eſt innatus appetitus, quia elicitus poteſt eſſe aliarũ rerum, quæ apprehenduntur vt bonæ;

& per elicitum non neceſſariò tendit homo in beatitudinem hîc deſcriptã, quia liberè illam appetit, tam quoad exercitium, quàm quoad ſpecificationem, quia repræſentari poteſt ſub ratione ardui, & difficilis, & poſitiuè ab illa refugere, aut negatiuè ſe habere, etiamſi beatitudinem in communi, quoad ſpecificationẽ omnes neceſſariò appetant, vt citati auctores cum S. Thoma, & S. Auguſt. pluribus locis docente omnes beatos eſſe velle. 13. Trin. c. 3. & 5. & 8. vbi ait, compelli natura homines ad volendam beatitudinem: natura autem non compellit ad actum elicitum eius, cuius non eſt innatus appetitus; lib. 4. cont. Iul. c. 3. Et hic quidem eſt innatus, & inſitus naturæ rationali. quia per modum ponderis inclinatur in ſuum bonum, & beatitudinem in communi; ſed non minus innatus eſt ad beatitudinem veram, quæ eſt particularis, & finis perfecti, quiſit vltimus, vnus, principium ſatians voluntatem, ſecundùm S. Thomam, & hic ſolus eſt Deus ex eodem, & S. Auguſt. ſupra.

Compelluntur homines naturaliter volendo beatitudinem.

Quapropter Valentiæ loc. cit. videntur conſequentius loqui, qui concedunt Scoto homines naturali appetitu tendere in beatitudinẽ ſub ratione boni communis, ſi ſimul concedant tendere in viſionem contra Caietanum, qui dat primum, negat ſecundum 1. p. q. 82. a. 1. quia appetitus naturalis, ſeu innatus ſolùm dicit capacitatem ad rem illam, cui verè conuenit conceptus beatitudinis in particulari, & non ſupponit cognitionem, quòd illa ſit beatitudo, ſicut ſupponit elicitus; quæ ratio efficax eſt, additis, quæ ſupra attulimus ad explicandam capacitatem hanc naturæ, & conuenientiam veræ beatitudinis cum illa.

Ex dictis iſtorum Sanctorum confirmatur aſſertio; Illud eſt naturale ſpeciei, quod omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei ineſt: ſed appetitus beatitudinis veræ, & completæ ineſt omnibus indiuiduis creaturæ rationalis, ergo hic eſt naturalis, & innatus ſimul inditus cum ipſa Dei imagine, quæ quoad ſubſtantiale ſemper manet etiam in peccato, licet non quoad decorem, & honorem, vt S. Bonau. in 1 d. 3 p. 2. dub. 1. cum Magiſtro.

Fauet dictis auctoritas S. Auguſtini.

IN Enchir. ad Laur. c. 25. t. 3. *Quæ tamen natura rationalis hominum, & Angelorum in malis ſuis, & dolore peccatum ſequentibus, non potuit amittere beatitudinis appetitum*: Et loquitur de vera beatitudine patriæ, in qua eſt vita ſine morte, ſine errore veritas, &c. Et de appetitu innato, non elicito, hunc enim mali Angeli non habẽt, qui nullum bonũ affectum habentẽ.

Deinde lib. 11. Ciu. c. 28. docet, quòd omnia creata tam animata, quàm inanima, habent naturalem inclinationem in bonum ſuum, & in eo adepto quieſcunt, ergo etiam homo in ſuum. Conſequentia patet, cur enim cætera appetant bonum ſuum, & non appetat homo? Antecedens eſt clarum in illis verbis: *ſi enim pecora eſſemus, carnalem vitam, & quod ſecundum ſenſum eius eſt, amaremus, idque eſſet ſufficiens bonum noſtrum: & ſecundùm hoc cum eſſet nobis bene, nihil aliud quæreremus. Item ſi arbores eſſemus, nihil quidem ſentientes motu amare poſſemus; verumtamen id quaſi appetere videremur, quo feracius eſſemus, vberiuſque fructuoſæ. ſi eſſemus lapides, aut fluctus, aut ventus, aut flamma, vel quid eiuſmodi, ſine vllo quidem ſenſu, atque vita, non tamen nobis deeſſet quaſi quidam noſtrorum locorum, atque ordinis appetitus, &c.* quæ hypothetica reſoluitur, vel æquipollet huic cathegoricæ arbores, lapides, &c. habent appetitum ad ſuum bonum, qui dicitur quaſi appetitus, quia eſt inclinatio quædam in actu primo, quem explicamus per actum ipſum ſecundum appetendi nobis notiorem: & eſt communis rebus omnibus, quandoquidem appetere dicuntur ſuum eſſe, & bene eſſe, vt valeat inferre omnia appetunt ſuum bonum, & perfectionem naturali propenſione, quam etiam actu elicito appeterent, ſi facultate appetitiua eſſent prædita, ergo etiam homo appetere, & quærere debet actu elicito bonum, ad quod naturæ inclinatione, veluti quodam pondere propendet, quæ eſt beata vita continens illa tria bona, ſcilicet vitam ſine morte, ſcientiam ſine errore, caritatẽ ſine offenſione, quæ ſunt participatio quædam eius, cuius eſt vera æternitas, æterna veritas, & vera caritas. id eſt æternæ, veræ, & charæ Trinitatis, ad cuius imaginem conditi ſumus.

Dices, hinc ſolùm probari appetitũ elicitum beatæ vitæ. Contra, quia ſic frigida, vel manca eſſet argumentatio, omnes creaturæ etiam inſenſibiles, vt lapis, ventus, flãma, appetunt bonum ſuum appetitu naturali, & appeterent elicito, ſi vim haberent appetitiuam; ergo etiam homo appetere debet appetitu elicito, niſi etiam ipſe inclinaretur naturaliter ad bonum ſuum; fortis autem ſi dicatur homo appetitum habet innatum ad beatam vitam, vt ad ſuam perfectionẽ, & bonum, in quo quieſcat, igitur & elicitum habere debet deſiderij amoris, per quem ad illam tendat: non ſecus ac ſi eſſet lapis, haberet inclinationem propriam lapidis ad centrum. S. Amb.

Confirmatur ex ratione, quam hîc, & alibi affert S. Auguſt. probante dari hunc appetitum: quia homo creatus eſt ad imaginem Trinitatis, vt tandem fruatur viſione Trinitatis; de Ciu. l. 8. c. 4. fin. *Si enim homo ita creatus eſt, vt per id, quod in eo præceſſit, attingat illud, quod cuncta præceſſit, id eſt vnum verum, optimũ Deum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, &c.* vnumquodq; autẽ ens creatum propendet ad finem & bonum, propter quod creatum eſt, vt inductione patet per omnia tam inanima, quàm animata; ignis ad locum ſurſum, terra ad centrum, & ſic de cæteris ab Auguſtino numeratis: quia ita poſtulat bonum, & ordo vniuerſi, propter quod ſunt condita: cur ergo etiam homo non habeat inclinationem innatam ad finem & optimum ſui, in quo quieſcat, & extra quod non inueniat quietem? Aug. l. 13. Confeſſ. c. 8. *Nam & in ipſa miſera inquietudine deſituentium ſpiritum, indicantium tenebras ſuas nudatas veſte luminis tui ſatis oſtendis, quam magnam creaturã rationalem feceris, cui nullo modo ſufficit ad beatã requiem quicquid te minus eſt, ac per hoc nec ipſa ſibi.* Et hoc eſt, quod ait S. Bonau. loco cit. quod anima rationalis cum ſit capax beatitudinis boni ſufficientiſſimi, vtpote facta ad Dei imaginem, & ipſa ſibi non ſufficiat, cum ſit S. Bonau.

Digitized by Google

vana, & deficiens, ideo appetit beatitudinem naturaliter, vt paulò poſt dicam.

Deo etiã conuenit appetitus innatus.

Confirmatur, quia etiam Deo conuenit appetitus inſitus, & innatus, quo primariò inclinatur ad quieſcendum in ſua fœlicitate ex bonis proprijs, ac intrinſecis, & ſecundariò ad communicandum ſe creaturis ad extra, & inſigniter rationalibus, in quibus expreſſiora ſunt veſtigia Trinitatis, & ſuæ imaginis; vt Auguſt. lib. 11. Ciu. cit. cur igitur non conueniat creaturæ rationali? Patet ſequela, tum quia ſi creatori, & creaturis reliquis tribuitur, non apparet, cur denegetur homini, & Angelo; tum quia huic communicauit eſſe nobilius. & diuino ſimilius: quandoquidem fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinẽ ſuam: atque adeo etiam quoad hoc, quod eſt inclinari ad quieſcendum in ſummo bono, quale eſt ipſe ſolus; nam quid erit aliud optimum hominis, niſi cui inhærere eſt beatiſſimum? Id autem eſt ſolus Deus, ait Auguſt. l. 1. de mor. Eccleſiæ c. 14. Antecedens ponitur à Suar. à Metaph. diſp 30 ſect. 16. à n. 3. Herice diſp. 12. de volunt. Dei c. 4. Didaco Ruiz de voluntate Dei diſp. 1. ſect. 2. quia cum bonum ſit, quod omnia appetunt ex Ariſt. 1 Ethic. c. 1. & hanc generalitatem appetitus inclinantis in bonum docent etiam Patres Dionyſ. c 4. de Diu. nom. Hierotheus, & alij ita vt etiam in Deo nullam dicat imperfectionem; quia ſaltem reſpectu productionum cum tres perſonæ ſint complementum Deitatis, prima fertur naturaliter ad generandum ſola, & cum ſecunda ad ſpirandum, & eſt in ipſis propenſio longè maior, quàm in intellectu creato exempli gratia ad intelligendum, & voluntate ad volendum, etiamſi ab illo excludendæ ſint imperfectiones, quæ ſunt in creatis, in quo omnia ſunt vna ſimpliciſſima eſſentia, & actus puriſſimus ſine vlla potentialitate, & carentia, vel indigentia, etiam perſonalitatũ propter ſummam cum eſſentia identitatem: ſed à fundamento diſtinctionis, quod in perfectione infinita intellectus inuenit, concipimus inclinationem ad quieſcendum in ſua fælicitate, vt in bono ſibi conueniente & ſummo; ſicut concipimus amorem, & complacentiam ſui boni; & rurſus quia de natura boni eſt eſſe ſui communicatiuum, concipimus quaſi quandam propenſionẽ ad ſe communicandum ad extra, & non ſolùm voluntatem communicandi: illam enim etiam retineret ſine hac, quia maneret eadem natura diffuſiua ſui, licet liberè.

Præterea ex S. Auguſt. ideo anima hominis eſt capax beatitudinis, quia rationalis, ergo eſt in ea ſpecialis capacitas viſionis beatæ & luminis gloriæ, quæ non eſt in lapide exempli gratia in quo de abſoluta potentia gratia, & lumen poſſet poni, ideóque anima poteſt habere effectum formalem iſtarum formarum, & denominationem gratæ, videntis, beatæ, &c. quæ non cadit in lapidem, vel aliud ſubiectum ratione carens: igitur eſt aliqua maior connexio inter illa, quàm ſit inter illa, quia & maior proportio fundata in entitatibus ipſorum; hæc autem conſiſtit in eo quod gratia, lumen, viſio ſunt accidẽtia perfectiua eſſentialiter ordinata ad creaturam rationalem, vt ſubiectum perfectibile ab ipſis: & proinde intercedit proportio perfectibilis, & perfectiui propria ipſorum, igitur eſt inclinatio quædam ad ipſa, ſeu appetitus. Probatur ſequela: quia cum ſermo ſit nunc de appetitu paſſiuo, hic nihil eſt aliud, quàm perfectibilitas, ſeu capacitas receptionis alicuius perfectiui cõuenientis, ac proportionati ſubiecto receptiuo; creatura autem rationalis eſt capax, & perfectibilis à viſione ex ſua intrinſeca entitate, tanquam à ſummo perfectiuo ſibi conuenienti, & proportionato: & non tantum eſt capax ſicut cæteræ irrationales creaturæ, ergo in ipſa eſt appetitus innatus, qui non eſt in alijs Sic enim & S. Aug. de prædeſt. Sanctorum c. 5. in hoc diſcriminat naturam humanam ab alijs, quod hæc poſſit habere fidem, cæteræ non poſſint, ad indicandam hanc maiorem proportionem, & conuenientiam fidei, & caritatis cum natura humana; *Poſſe (inquit) habere fidem, aut poſſe habere caritatẽ natura eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem gratiæ eſt fidelium.* Eſt autem eadem, vel maior ratio de viſione, quia ipſa eſt finis fidei, & gratia conſummata, in qua conſiſtit beatitudo ſummum bonum naturæ rationalis propter ipſum conditæ; igitur in natura rationali eſt potior ratio, cur dicatur habere appetitum innatum ad illud, ob maiorem hanc conuenientiam, proportionem, & ordinationem, quam non habet irrationalis; aut etiam ipſa rationalis ad quælibet dona ſupernaturalia, verbi gratia ad vnionem hypoſtaticã, cuius eſt quidem capax, ſed non dicitur habere innatum appetitum illius, quia non eſt ordinata ad illam: neque in ſe intrinſecè habet talem conuenientiam, & proportionem cum illa, qualem habet cum gratia, & viſione beata: non ſolùm quia ſic haberet inclinationem ad priuationem propriæ ſubſiſtentiæ, quæ non ſtat cum vnione hypoſtatica: ſed quia etiamſi ſtaret, tamen non diceretur natura habere innatum eius appetitum, quin haberet ſimul deitatis; nam per vnionem ad diuinam ſubſiſtentiam homo fit Deus, eſſe autem Deum eſt ſupra omnem proportionem, & conuenientiam cum natura creata. Confer igitur naturam irrationalem cum viſione, non eſt proportio perfectiui, & perfectibilis: confer rationalem, tanta eſt proportio, vt & viſio eſſentialiter illam perficere, in eaque recipi poſtulet, & hæc in viſione beata, tanquã in optimo, & vltimo ſuo perfectiuo conquieſcat, igitur non qualemcumque habet capacitatem, vt cætera irrationalia recipiendi gratiam, & dona eius, ſed & appetitum innatum, qui communis eſt omnibus ad ſuum bonum: ſic enim materia dicitur habere appetitum formarum, quia ab illis perficitur, & hic nihil aliud eſt, quàm eiuſdem materiæ capacitas, ſeu eſſe perfectibile à formis; neque refert, quod iſtæ debeantur naturaliter: viſio autem, & gratia non ſint debita, quia etiam non debitum poteſt habere dictam proportionem perfectiui, & maiorem conuenientiam cum perfectibili certa ſpecie, quam nõ habet cum alio: & proinde in hoc eſt capacitas diſtincta, & peculiaris, quam dicimus appetitum innatum: vt patet in exemplo S. Auguſtini ponentis diſcrimen inter humanam naturam, & reliquas, quòd illa ſit capax fidei, & caritatis, ac beatitudinis, quia rationalis,

rationalis, & facta ad imaginem Dei.

Neque refert, quòd hæc capacitas non sit potentia passiua proxima, sed remota; quia remota dicitur, non quia per aliquid intrinsecsuperadditum sit complenda: sed quia per exè trinsecum agens supernaturale est reducenda ad actum superantem naturæ vires: cum quo tamen stat, vt ipsa per suam entitatem sit capax, sicut est per eamdem imago Trinitatis.

Dices primo. Aliud est esse naturale, aliud esse naturæ: primum enim dicit inclinationem ad actus supernaturales, & gratiam; secundum solam capacitatem, & potentiam obedientialem: hæc admittitur cum Aug. illud nequaquam, quia non habet ordinem ad supernaturalia vlla potentia naturalis.

Secundò. Si est inclinatio ad summum est ad actus elicitos, quia appetitus innatus potest esse ad actus elicitos tendentes in obiectum tam impossibile, quàm possibile, non autem ad obiectum impossibile.

Tertiò. Sicut naturæ rationalis est posse recipere supernaturalia, ita & posse efficere, sed ad hoc non datur potentia naturalis, ergo neque ad illud: sufficit ergo obedientialis in vtroque.

Contra primum est, quia quod est naturæ vel est pars essentialis, vel manans à principiis essentialibus, & vtrumque naturale est ex definitione naturalis supra allata. Si ergo est naturæ humanæ posse habere fidem, eidem etiam est naturale, quia hæc potentia est ipsa entitas vt apta recipere, quæ aptitudo cum dicat peculiarem perfectibilitatem, & proportionem, quæ non est in creatura irrationali, vocatur appetitus innatus, & naturalis, qui est pars complexi Potentiæ obedientialis adæquatè sumptæ, vt suprà.

Contra secundum est, quia vel actus eliciti sunt naturales, vel supernaturales: si supernaturales, igitur datur appetitus innatus ad actus supernaturales, ergo & ad visionem: si naturales tantum, rursus quæritur, cur cum supernaturales sint summa perfectio naturæ rationalis, & essentialem ordinem dicant ad ipsam vt perfectibilem ab ipsis, & vt subiectum ipsorum, non dicatur habere appetitum innatum, cum hic non sit aliud, quàm peculiaris capacitas, seu perfectibilitas subiecti à tali forma?

Contra tertium, quia plura requiruntur ad agere, quàm ad pati: ideo natura rationalis sine vllo superaddito complente potentiam recipiendi per seipsam potest recipere supernaturalia, sed non agere supernaturaliter, nisi in ratione potentiæ actiuæ accedat agens principale complens principium actiuum, ita vt ipsa sit cooperans instrumentaliter, quòd non est necessarium in receptione: ipsa enim sola est recipiens: & licet in suo conceptu adæquato vt intelligitur potentia completa in actu primo requirat decretum, & vt complexum quoddam ex illo, & ex seipsa dicatur Potentia obedientialis: tamen præcisè considerata ex se habet, vt sit perfectibilis, & receptiua beatitudinis, & ideo inclinetur vt ad proprium, & conueniens bonum.

Confirmari possunt predicta Patrum auctoritates Scripturæ sacræ testimonio.

Rom. 8. *dicitur Expectatio creaturæ reuelationem filiorũ Dei expectat*, &c. vbi Apostolus tribuit creaturis etiam in animis, exlo, & elemẽtis ea quæ appetitum quemdam liberationis à vanitate, seu corruptione in creatione insertum; quæ est inclinatio quædam in renouationem suam faciendam tempore resurrectionis hominum; præter alias eius loci explicationes, quas recensere non est hîc opus.

Dices primò per creaturam intelligi hominem, qui Marc. vlt. omnis creaturæ nomine huncupatur; & hîc etiam à Paulo, iuxta S. Augustinum l. 83. qq. c. 67. qui expectat per actus elicitos reuelationem gloriæ filiorum Dei.

Deinde etiamsi de cæteris creaturis insensibilibus sermo esset, metaphoricè solum dicerentur expectare, sperare, ingemiscere, sicut prata ridere dicuntur, & montes gemere.

Respondeo ad primum, probabilem valde esse expositionem aliorum Patrum, Ambrosij, Chrysostomi, Hilarij, Irenæi, Theodoreti, &c. quos sequuntur Tolet. & Corn ibi, & alij recentiores interpretes, quod omnes creaturæ auidissimè naturali appetitu appetunt tempus, quo & ipsæ renouentur, & perficiantur cum hominibus, quibus seruierunt.

Ad secundum. Quis dubitet, has esse metaphoras? sed illis tamen maximè indicatur propensio ad liberationem à vanitate, non secus ac metaphora risus explicatur herbarum viriditas, & florum amœnitas, quibus prata hilarescunt. Fidem faciunt verba ipsa Apostoli ad hoc significandum non sine delectu adhibita, expectatio expectat, græce ἀποκαραδοκία, quasi exerto capite, vt solent qui illud erigunt præ desiderio videndi aliquid, quo denotatur anxietas, & sollicitudo quædam. Ingemiscit, & parturit, quæ sunt verba vehementis passionis, & Prosopopœia exprimens inesse creaturæ etiam irrationali appetitum prædictam, vt dicti interpretes ibi, non solum inferioti, quæ obnoxia est corruptioni continuæ, sed & superioti, de qua S. Ambros. l. 5. ep. 21. ad Horontianum: *Ergo vt concludamus, & ille tantus, ac talis Sol, & illa Luna, quam noctis tenebræ non operiunt, & illæ stellæ, quæ sunt ornamenta cæli, seruitutem corruptionis nunc sustinent, quia corruptibile omne corpus, si quidem & cæli peribunt, & cælum, & terra præteribit; postea autem & Sol, & Luna, & cætera stellarum lumina requiescent in gloria filiorum Dei, quando erit Deus omnia in omnibus.* S. Ambr.

Valet igitur, creatura quælibet habet appetitum innatum ad liberationem à seruitute explicatum ab Apostolo per voces expectationis sollicitæ, spei, gemitus, parturitionis, quia Deus illam ordinauit ad statum meliorem, & liberum à vanitate: ergo & creatura rationalis ad beatitudinem, propter quam condita est, & ad summum omnium bonorum inclinatur.

Psal. etiam 62. dicitur, *quam multipliciter sitibi caro mea*, inter quos modos vnus est, vt quod in ipsa est mortale, & miserum absorbeatur beata immortalitate, & resurrectionis gloria (ait Genebrard.) quia vt animæ nostræ promittitur beatitudo, sic & carni nostræ promittitur resurrectio. Psalm. 62.

Probatur ratione eadem Aſſertio.

EA ex multiplici capite peti poteſt, ſed vnum, ac alterum ſunt præcipua, quæ in allatis auctoritatibus SS. Auguſt. Bonau. & Thomæ continentur, & ad indigentiam, ac conuenientiam reducuntur à S. Bonau.

Quælibet res indigens alia appetit illam naturaliter.

Ex primo formatur argumentum ſic. Quælibet res in ſeipſa deficiens, & indigens alia, à qua perficiatur, appetit illam naturali appetitu, ſiue innato, ſed creatura rationalis in ſeipſa eſt deficiens, id eſt carens multis perfectionibus, quibus indiget ad ſuum bene eſſe; ergo illas naturaliter appetit: ſed inter has perfectiones viſio Dei, ſeu beatitudo vera ſola eſt, quæ poſſit explere omnem indigentiã, & quietem parere, ergo ad illam naturaliter inclinatur, ſeu naturaliter appetit. Maior vel eſt eadem cum argumento Scoti loc. cit. vel per illud explicatur, quod natura videlicet, aut potentia non poteſt non inclinari in ſuam perfectionem: ac proinde neque natura rationalis non poteſt non inclinari in ſuam beatitudinem, quæ ipſi ineſſe poteſt, qualis eſt ſola viſio, cum præter illam nulla alia ſit vera beatitudo. Quæ maior non videtur egere probatione alia, quàm inductione per omnia creata, & cognitione terminorũ à lumine naturali dictata, quod vnũcumque inclinatur naturaliter in ſuum bonũ. Minor item liquet experientia. & voce naturæ clamantis, ac fatentis indigentiam ſuam in omnibus, tam ad animam, quàm ad corpus pertinentibus, ſi corporea ſit. Antecedẽs alterius argumenti eſt mera doctrina Sanctorũ prædictorum. Sequela paret, quia talis appetitus non eſt aliud, quàm inclinatio naturalis ad ſuam perfectionẽ per modũ ponderis, ſi ergo cæteris hæc eſt à natura inſerta, & non quieſcant, niſi illâ adeptâ, cur non etiam naturæ rationali? at hæc non quieſcit, niſi adepta viſione beata, igitur ad illam fertur per modũ ponderis, nullâ præcedente cognitione.

Solus Deus eſt bonum intellectualis creaturæ.

Confirmatur ex ijs, quæ habet idem Auguſt. l. 12. Ciu. c. 1. *Non eſt creatura rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata ſit, niſi Deus: itaque quamuis non omnis beata poſſit eſſe creatura, &c. ea tamen, quæ poteſt, non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo, à quo creata eſt. hoc enim adepto beata eſt, quo amiſſo miſera eſt, &c.* Sicut ergo creatura quælibet, quia ex nihilo condita eſt, in ſe deficiens eſt, niſi conſeruetur à conditore: & ideo appetitu innato inclinatur ad recipiendum eius influxum, quia inclinatur ad ſui conſeruationẽ, quæ ſine illo eſſe nequit: illa quia ex ſe miſera eſt, deficiens, & ſibi inſufficiẽs, inclinatur appetitu innato ad illud, quod eſt ſui perfectiuum & bonum ſufficiens, quod eſt Deus viſus.

Ex ſecundo capite probatur: nam conuenientia duo ſignificat: alterum eſt proportio, ſeu habitudo quædã beatitudinis cum natura rationali, quæ conſiſtit in hoc, quod eſſentialiter ordinatur ad illam, non ſolùm vt omne accidens ad ſubiectũ, ſed vt tale accidens ad tale ſubiectum, quod eſt ſimul principium efficiẽs, & perfectibile, & non tantùm receptiuũ eius, vt ſunt alia non cõuenientia. Alterum eſt congruentia ex parte diuinæ ſapientiæ, & bonitatis, quam decuit tam excellentem naturã, ad ſui imaginem, & ſimilitudinem conditam, ordinare ad finem ſibi proportionatum, & ſufficientem quietare eius appetitum, alioqui fruſtra eſſet talis capacitas, ac perfectibilitas ſine ordinatione iſta neceſſaria ad illius aſſecutionẽ. In vtroque ſenſu procedit argumentum: nam ſingularis ratio perfectibilis, & perfectiui, ſeu capacitas formæ habentis ordinem eſſentialẽ, & perficientis naturam, vt ſubiectũ propriũ non eſt capacitas communis cuilibet ſubiecto receptiuo formæ per meram Dei potentiã, ſine vlla proportione inter ipſa, ſed propria naturæ rationalis potentiam habentis ad beatitudinem vt ad perfectionem ſibi conuenientem, & non alijs naturis: igitur eſt peculiaris habitudo perfectibilis, & perfectiui proprij, quam dicimus appetitũ innatum, quod eſt prædicatum eſſentiale creaturæ rationali; ordinatio autem ſupponit capacitatem in natura rationali beatitudinis, ad quam ordinatur vt ſibi conuenientem, & proinde appetitum innatum, qui non diſtinguitur à capacitate iſta.

Confirmatur, quia illud eſt naturale rebus creatis, quod illis inditum eſt à Deo in prima conditione conuenienter naturis ipſarum: ſed eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei habet homo vi creationis conuenienter naturæ ſuæ, ergo illi naturale eſt. Maior patet ex terminis. Minor eſt de fide, Gen. 1. Conſequentia eſt in forma, tũ ſic eſſe ad imaginem eſt eſſe capacem beatitudinis, vel eſt radix capacitatis, vt ſupra ex S. Aug. & eſſe ad ſimilitudinem eſt eſſe capacem gratiæ, & donorum ex eodem l. de ſpiritu, & littera c. 39. & hoc eſt habere appetitum innatum, ergo, &c.

Reſponſiones variæ ad allatas rationes.

CAPVT II.

PRima eſt diſtinguentiũ bonum conueniẽs; vel enim eſt comparabile naturæ viribus, & ita eſt inclinatio naturalis ad illud; vel eſt ſupra vires naturæ, & ita non eſt inclinatio naturalis, ſed potentia tantùm obedientialis. Ita communiter auctores primæ ſententiæ. IV

Contra, quia eſſe ſupra vires non tollit, quin ſit bonum conueniens, ſeu conforme naturæ rationali, eius ſumma perfectio, finis quietans: & proinde quin natura ſit perfectibilis modo peculiari, & non tantùm receptiua, vt eſt irrationalis per potentiam obedientialem: quæ omnia cum admittant, contentio ſola remanet de nomine, quia nos capacitatem cum ijs adiunctis vocamus appetitum naturalem, vel innatum, & congruentius, quàm negetur ab illis. Quia non impedit denominationẽ hanc impoſſibilitas naturæ viribus acquirendæ beatitudinis, ſi per eam non tollitur capacitas naturalis, & connexio peculiaris cum illa tanquam in fine conuenienti à conditore præfixo: nam & anima ſeparata appetit vnionem cum corpore naturæ viribus impoſſibilem, vt ſupra ex D. Thoma.

Secunda reſponſio eſt admittentium inclinationem naturæ rationalis in beatitudinem vt finem, & bonum ſuum, non tamen in ſupernaturalem, ſed naturalem: ſiue hæc ſit Dei cognitio, vt auctor naturæ eſt, ſiue ſubſtantiarum

abſtractarum, vt videtur poſita ab Ariſt. 1. Ethic. c. 8. & 9. & lib. 10. c. 7. vbi Dei operationem, cum beatitudine excellat, docet eſſe contemplationem, inferens ex humanis etiam fore fæliciſſimam, quæ huic eſt cognata, &c. 8. Dijs beatam eſſe totam vitam, hominibus, quatenus ſimilitudo quædam huiuſmodi operationis eſt.

Contra, quia hæc etiam cognitio ſi clara eſt, impoſſibilis eſt naturæ viribus; intellectus enim noſter ita ſe habet ad manifeſtiſſima, ſicut oculus veſpertilionis ad lumen diei, ex 2. Metaph. c. 1. ſi obſcura, non eſt talis cognitio illud optimum, quod dicitur finis: neutra qualis qualis ſit, beatitudo eſt, quia non ſatiat appetitum, quod ſolum habet viſio beata intuitiua: & ratio eſt, quia cum homo propter illam ſit conditus, in nulla re creata quamuis præcellenti quieſcere poteſt, & ſolus creator par eſt explendæ capacitati ipſius: *ipſe enim* (*ait Auguſt. lib. 10. Conf. c. 4.*) *fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis. Et mox, Ideo beati, quia illo fine perfecti.* Neque ad hoc ſufficit cognoſci vt auctorem naturæ, nam talis cognitio non eſt vltima perfectio explens appetitum, neque finis, in quo quieſcat anima. Neque de ea loquitur Auguſt. lib. 1. Conf. c. 1. cum ait, *Feciſti nos Domine ad te, & inquiet. tum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*; vnde etiamſi Deus infunderet ex priuilegio cognitionem ſui infra beatam, & cum ea notitiam perfectam creaturarum, adhuc non ſatiaretur appetitus animę, vt bene Leſſ. in opuſc. loc. cit. de ſum. Bon. c. 8. quia anima tam amplæ capacitatis eſt, vt illi explenda par ſit ſolum infinitum bonum.

S. Aug.

Tertia reſponſio eſt aſſerentium, poſſe hominem quieſcere in bonis naturæ appetitu innato, licet non appetitu elicito. Ratio primi eſt, quia ille non extenditur vltra bona naturalia, quæ poſſibilia ſunt viribus naturæ, & habent connexionẽ cum ipſis, ideo ſi concedantur, ſatiant appetitum innatum. Ratio ſecundi eſt, quia appetitus elicitus, cum ſit liber, poteſt ferri etiam in impoſſibilia, & minime connexa. Exquo fit, vt omnibus innatus eſſe poſſit appetitus actus eliciti, puta deſiderij veræ beatitudinis ſupernaturalis, quia cõnexus eſt, & poſſibilis naturæ viribus, licet adeptio tantũ contingat per auxilium ſupernaturale, plura namque optari poſſunt, quàm obtineri viribus naturæ: ideo deſiderium poteſt eſſe conforme naturæ inclinationi, non item res deſiderata.

Contra, quia niſi nominibus certetur, quieſcere appetitu innato nihil eſt aliud, quàm expleri capacitatem eius, at hæc extenditur ad bona ſupernaturalia, ergo non expletur per naturalia, quæcumque demum illa ſint: natura enim rationalis ex eo quod eſt facta ad Dei imaginem per ſuam intrinſecam entitatem ſine vllo ſuperaddito, capax eſt viſionis, & donorum ſupernaturalium, vt S. Bonau. in 1. d. 3. a. 1. q. 1. cum S. Auguſt. & Magiſt. Sent. ibid. & hæc ſunt eſſentialiter perfectiua eius, poſtulantque eſſe in illo, vt in ſubiecto, igitur capax eſt eorum, & peculiarem connexionem habet cum ipſis, igitur non expletur capacitas eius per ſola naturalia.

Confirmatur, quia ſi eſt appetitus innatus ad actus elicitos circa veram beatitudinem, id eſt viſionem Dei, ergo & ad ipſam viſionem; nam vel iſti actus eliciti ſunt ſupernaturales, & ſic datur appetitus innatus ſupernaturalis, vel naturales, & cum ſint boni poſſibilis in ſe, & conueniẽtis naturæ rationali, vt eius perfectiones propriæ, obiectum ipſorum magis appetitur à natura rationali, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; vnde ſi iſti actus ſunt appetibiles propter obiectum, vt reliqui etiam actus vitales, vtpote media, per quæ potentiæ tendũt in obiecta, illud erit magis appetibile, & habebit reſpondens ſibi appetitum innatum, qui eſt ad huiuſmodi actus elicitos; quod non euenit, quando obiectum eſt impoſſibile, quia per illud tanquam per bonum conueniens non perficitur appetitus vllus; cum ſit nihil.

Quarta reſponſio eſſe poteſt, viſionem claram Dei complecti in ſe & prædicata naturali lumine cognoſcibilia, vt quod ſit vnus, ſapiens, bonus, & ſimilia & ſupernaturali reuelatione ſolùm attingibilia, vt quòd ſit trinus, quod Pater generet Filium, & Spiritus ſanctus ab vtroque procedat; & primo modo eſſe finem naturalem appetitus innati, quia non tranſcendit ordinem naturalẽ; ſecundo modo eſſe finem ſupernaturalem, ad quem non datur naturalis appetitus. Ita fermè Ferrar. 3. cont. gent. c. 51.

Impugnatur à Vaſq. diſp. illa 22. n. 15. & ab alijs, quia viſio clara Dei eſt vnus, ſimplex, & indiuiſibilis actus, per quem fertur beatus in omnia prædicata, vt ſunt idem cum eſſentia, & in ſua entitate tota eſt ſupernaturalis, quia à principio ſupernaturali, nimirum ab intellectu eleuato, etiamſi cognoſcat eſſentiam vt diſtinguibilem in prædicata prędicta; tamen non diſtinguit per cognitionẽ naturalem, & ſupernaturalem, cum vnica ſit cognitio ſupernaturalis.

Deinde viſio prædicatorũ naturaliter cognoſcibilium non ſatiat appetitũ: neque ſi ſit clara, naturaliter haberi poteſt, igitur neque erit appetitus innatus eius, ſi hic ſolum eſſe poteſt eorum, quæ vires naturæ nón excedunt.

Secunda Aſſertio.

IDem appetitus innatus creaturæ rationalis ad beatitudinem veram, ac perfectã; eſt etiam ad dona ſupernaturalia, quæ ſunt media ex ſe ordinata ad eius aſſecutionem. Pro explicatione nota, quod huiuſmodi dona ſunt primò gratia ſanctificans; ſecundò actus ſupernaturales, & habitus concomitantes gratiam, & complentes potentiam in eſſe principij operatiui; tertiò gratiæ gratis datæ; & varia chariſmata ſpiritus non habentia neceſſariam connexionem cum gratia & aſſecutione gloriæ. Appetitus innatus eſt per ſe ad primi, & ſecundi generis per accidens & conſequenter ad tertij.

S. Bonau.

Probo de gratia ex S. Bonau in 2. d. 26. a. 1. q. 2. ad arg. gratia reſpicit animam vt informatiua ſubiecti apti reformari; & q. 3. ad vltimum, ineſt per ſe animæ in genere ſubiecti: & in 4. d. 48. art. 1. q. 2. 2. perficit naturalem aptitudinem animæ; & in 3. d. 29. a. 1. q. 2. perficit naturam; quod etiam habet in 2. d. 24. 1. p. a. 1. q. 1. ad arg. igitur anima habet peculiarem capacitatem, & perfectibilitatem à

gratia, tanquã à proprio perfectiuo, & gratia exigentiam, ſeu ordinem eſſentialem ad animam, vt ad ſubiectum proprium, & ſuſtentans, hanc dicimus appetitum naturalem.

Confirmatur ex eodem in 2. d. 26. cit. a. 1. q. 3. ad 1. Gratia eſt perfectio animæ, non ratione ſui tantùm, ſed quia vnit bono increato; quod etiam dixerat q. 2. fin. vocans illam medium vnionis per cognitionem, & amorem; & repetit in 4. d. 1. art. 3. q. 1. vbi dicitur media inter naturam, & gloriam, cuius eſt vltima diſpoſitio; ſed ordo ad finem eſt etiam ad media neceſſaria, ergo ſi anima habet ordinem ad finem vltimum, qui eſt gloria, habet etiam ad gratiam, quæ eſt medium.

Et in Breuiloq. p. 5. c. 1. *Neceſſe eſt igitur ſpiritui rationali, vt dignus fiat æternæ beatitudinis, quod particeps fiat influentiæ deiformis: hæc autem influentia deiformis quia eſt à Deo, & ſecundùm Deum, & propter Deum, ideo reddit imaginem noſtram entis conformem beatiſſimæ Trinitati non tantùm ſecundùm ordinem originis, verum etiam ſecundùm rectitudinem electionis, & ſecundùm quietudinem fruitionis, & quoniam qui hoc habet immediatè ei conformatur: ideo donum illud immediatè donatur à Deo, tanquam à principio influxiuo, vt ſicut immediatè emanat à Deo Dei imago ſic immediatè manat ab ipſo Dei ſimilitudo, quæ eſt vltima imaginis perfectio deiformis &c.* Neceſſitatem autem hanc ibidem refert in indigentiam ſpiritus rationalis deficientis, & ſibi non ſufficientis. & conuenientiam in capacitate beatitudinis ob imaginem Trinitatis. vt ſupra in ſententijs, vt ex hoc duplici capite probaret naturaliter appeti beatitudinem, quorum vtrumque valet in propoſito.

S. Thom. Eadem habet S. Thom. pluribus locis, ſed præſertim 1 2. q. 110. a 4. vbi eſſentiam animæ rationalis facit ſubiectũ gratiæ, & paſſim docet per illam perfici, & eleuari ad eſſe ſupernaturale; & 2. 2. q. 24. ſ. 2. eſſe quamdam inchoationem gloriæ, ordinare ad coniunctionẽ vltimi finis, quæ omnia, & neceſſitatẽ ad gloriam explic. 1. 2. q. 111. & alibi ſæpius; & q. 113. a. 10. c. *Iuſtificatio impij non eſt miraculoſa, quia naturaliter anima eſt capax gratiæ.* Quod ſi cum Med. dicas loqui S. Thomam de potentia remota, non laboramus, quia non fit proxima in actu primo, niſi per decretum, & non per aliquid intrinſecum, atque ita per ſuam entitatem eſt capax, ergo naturaliter in hoc ſenſu.

Ex quibus, & alijs ſimilibus conficitur idem argumentum, quia appetitus finis eſt etiam eorum per quæ perficitur neceſſariò appetẽs, vt illum aſſequatur, ergo ſi anima appetit beatitudinem, appetit etiam media ad illam, qualis eſt gratia de potentia ordinaria.

Fundamentum à priori eſt commenſurabilitas, ſeu proportio, quam habet ſubſtantia ſpiritualis cum gratia, non quia hæc illi ſit debita, ſed quia abſtrahendo à debito, & indebito, & conſiderando præcisè naturas rerum gratia eſt accidens eſſentialiter perfectiua ſpiritus rationalis, & per ſe poſtulans illi ineſſe, vt ſubiecto proprio: & quia perfectiuum vt ſic habet ſibi reſpondens perfectibile, cuius eſt perfectiuum, iccirco ſpiritus rationalis ex ſua natura habet, vt ſit perfectibilis à gratia quod non habent reliquæ creaturæ; Hæc capacitas cum hac proportione, & exigentia ex parte gratiæ ad inhærendum, peculiaris eſt, & dicitur appetitus innatus, differens à qualibet alia capacitate ſine dicta proportione, quæ non ſufficit ad hoc vt gratia dicatur eſſe in proprio ſubiecto ſi in alia poneretur: quo ſenſu dixit S. Bonau. in 4. d. 1. a. 1. q. 3. *Gratia non poteſt eſſe capax qualibet creatura, ſed ea tantùm, quæ capax eſt gloriæ, & ad arg. ſic habes: Ad illud, quod obijcitur, quòd gratia non determinat ſibi ſubiectum, quia non habet in illo cauſam, dicendum, quod & ſi non habet cauſam, habet tamen occaſionem, quia anima creata eſt, vt gratia perficiatur, & ad hoc eſt habilis de ſui natura, non ſic aliæ creaturæ irrationales.*

Ratio eſt, quia ſpiritus rationalis eſt beatificabilis, & proinde conuenienter ſuæ naturæ ordinatus à diuina ſapientia ad gloriam; oportuit ergo dari diſpoſitionem aliquam ad aſſequendã illam: nulla autem congruentior eſſe poteſt, quàm gratia, quæ reddit conſortem illum diuinæ naturæ; & ſic à ſanctis Doctoribus dicitur diſpoſitio medium, inchoatio, ſemen gloriæ. Ideo eſt connexio inter iſta talis, vt appetitus beatitudinis ſit etiam gratiæ; & eſſe ſpiritum rationalem ſit habere capacitatem peculiarem vtriuſque vt perfectionis conuenientis ſibi, & non alteri; & quia diuina ſapientia diſponit omnia ſuauiter: propterea ordinauit ſpiritum rationalem ad gloriam media gratia, vt per medium proportionatum aſſequeretur finem, ad quem deducere illum potuiſſet ſine medio, quin & creare in beatitudine ſine diſpoſitione vlla, ſi voluiſſet.

Confirmatur, quia in conſtitutione mundi dicitur Deus diſpoſuiſſe omnia in menſura, & numero, & pondere: Sap. 11. *Tanquam ita dictum eſſet (vt Aug. de Gen. ad lit. l. 4. c. 5.* Sap. 11. *ita diſpoſita, vt haberent proprias menſuras ſuas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in* S. Aug. *eis pro ſui cuiuſque generis mutabilitate mutarentur, augmentis, & diminutionibus, multitudine, & paucitate, leuitate, & grauitate ſecundùm diſpoſitionem Dei, &c.* Dedit ergo creaturæ cuilibet pondus, ſeu inclinationem ad proprium bonum, vt in elementis patet, explicatque ex S Auguſt. S. Bonau. in c. illud 11. & ne fruſtra eſſet, indidit vnicuique facultatem ad illud aſſequendum, igni, & aëri leuitatem; terræ, & aquæ grauitatem, de quo eleganter diſcurrit Ioan. Picus Mirand. in Heptaplo. lib. 7. init. proinde inclinatio ipſorum ad loca ſurſum, & deorſum, in quibus quieſcunt, vt in proprio bono: eſt etiam ad prædictas qualitates neceſſarias ad aſſecutionem eius, ita quia ſpiritu rationalis proprio pondere fertur in Deum, ac beatitudinem, ſimul etiam fertur in media conuenientia ad illam aſſequendam, quæ eſt gratia, & virtutes. Et ſi Deus de abſoluta potentia potuiſſet ſine illis conferre beatitudinem, ſicut poſſet, & alios effectus creaturarum ſine diſpoſitionibus.

Eadem ratio eſt de actibus ſupernaturalibus, quia per illos coniungitur immediatè ſpiritus rationalis Deo, vt ſuo fini, & ſunt perfectio potentiæ, & illi ſoli proportionati, vt S. Bonau. in 1. d. 18. a. 1. q 3 ad arg & de habitibus infuſis ſimul cum gratia, quia ſunt principia

Digitized by Google

actuum, vt fiant connaturaliter. De ijs S. Aug. lib. x. Cou. c. 4. *Bonum enim noſtrum, de cuius fine inter Philoſophos magna contentio eſt, nullum eſt aliud, quàm illi cohærere; cuius vnius anima intellectualis, incorporeo ſi dici poteſt amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus, &c.*

Cætera dona gratis data non ſunt neceſſariò connexa neque cum gloria, neque cum gratia: mutuò namque ſeparantur, & non dantur, vt homo iuſtificetur, ſed potius vt cooperetur alteri ad iuſtificationem, vt S. Thom. 1. 2. q 111. a. 1. c. & ideo non eſt appetitus ad illa, niſi conſequenter, & ſecundariò. Si autem quæras, quodnam ſit proximum ſubiectum appetitus huius innati ad beatitudinẽ, reſpondeo in primis ſubiectum denominationis eſſe hominem, & Angelum: ipſis enim conuenit denominatio à potentia tam actiua, quàm paſſiua; & ipſi dicuntur elicere, & recipere viſionẽ, gaudium, fruitionẽ, &c. ſi autem quæratur ſubiectum immediatè receptiuũ, variæ ſunt ſententiæ apud Vaſq. diſp. 22. cit. c. 1. iuxta varios modos explicandi, in quo conſiſtat eſſentialiter, & formaliter beatitudo: ſed quia certum eſt pertinere ad illius ſaltem integritatem actus intellectus, & voluntatis, ideo independenter à controuerſia iſta ſit.

Tertia Aſſertio.

VI. POtentiæ rationales intellectus, & volũtas, vt ſunt partes potentiæ obedientialis paſſiuæ completè ſumptæ, ſunt immediatũ ſubiectũ beatitudinis, & habẽt appetitum innatum ipſius in particulari. Explicatur, & probatur: voluntas enim conſiderari poteſt dupliciter, primò vt eſt potentia vniuerſalis appetitiua bonorũ omniũ ſubiecti, & potentiarũ eius, à qua prouenit actus elicitus appetendi perfectionẽ omnem. Secundò vt eſt potentia particularis inclinans ad bonum proprium, cuius eſt receptiua, vt ſui perfectiui, quale bonũ ſunt actus, habitus, & maximè ſupernaturales. Aſſertio eſt de volũtate in hoc ſecundo ſenſu, quia loquor de appetitu, qui ſimul eſt potentia receptiua, qualis nulla eſt præter voluntatem potentiam particularem, quam dico ſimul cum intellectu eſſe ſubiectum immediatum actuũ, in quibus conſiſtit vera beatitudo, vt ſunt viſio, fruitio &c. Probatur ex doctrina vniuerſali S. Th. 1 p. q. 80 a. 1. 3. *Vnaquæque potentia animæ* (inquit) *eſt quædam forma, ſeu natura, & habet naturalem inclinationem ad aliquid; vnde vnaquæque appetit obiectum ſibi conueniens naturali appetitu, ſupra quem eſt appetitus animalis conſequens apprehenſionem quo appetitur aliquid, non ea ratione, qua eſt conueniens ad actum huius, vel illius potentiæ, vtpote viſio ad videndum, & auditio ad audiendum, ſed quia eſt conueniens ſimpliciter animali*: igitur tam intellectus, quàm voluntas appetit naturali appetitu ſuum obiectum conueniens, & per actum proprium immanentem illi coniungitur, ac proinde etiam Deum per actus proprios in ipſis receptos, vt iam patebit, nam

Voluntas dupliciter conſideratur.

S. Thom.

Secundò probatur aſſertio. Beatitudo perfecta conſiſtit in operatione, vt S. Bonau. in 4. d. 49. a. 1. q. 1. S. Th. 1. 2. q. 2. & hæc recipitur in potentijs, vt idem S. Bonau. ibid. q. 4. c. *Similiter* (inquit) *credo, in gratia, & gloria, quòd anima*

S. Bonau. S. Thom. Beatitudo conſiſtit in operatione.

non eſt capax gratiæ, nec gloriæ, niſi per mentem; vnde credo, quod tam gratiæ, quàm gloria primò eſt in potentia, &c. Sequendo igitur hãc ſententiam, auctoritates, & rationes ſupra adductæ de capacitate peculiari creaturæ rationalis in communi valent de potentijs, in quibus immediatè, & per ſe primò recipitur beatitudo, ſeu operationes, in quibus illa conſiſtit ideſt viſio, dilectio, fruitio, vt ibid. S. Bonau. q 5 iſtæ enim ſunt bona conuenientia, & eſſentialiter ordinata ad potentias, vt ad perfectiones ipſarum, & non aliarũ rerum, & proinde habent reſpondentẽ ſibi capacitatẽ, quæ non eſt aliud, quàm ipſa entitas potentiarũ perfectibilis ab actibus ſibi ſolùm proportionatis, quæ perfectibilitas vocatur appetitus innatus, qui eſt in rebus omnibus ad bonum ſibi conueniens, addita præſertim ordinatione Dei ad illud, quæ lex quædam eſt creaturæ indita: vt infra ex SS. patribus demonſtrabo.

Confirmatur, quia ad iſtos actus datur aliqua potentia ſubiectiua, non per ſolam non repugnantiã, quia hæc eſt cõmunis omnibus rebus, ſi poſſunt in illis produci ſecundũ probabilem ſententiã, & in cõmuni perfectibilitas potentiarum iſtarum, & perfectiuitas actuum beatificorũ habent peculiarem connexionem ſubiecti, & formæ, igitur non ſolũ non repugnantiam, qualis eſt etiam inter omnino diſparata, & per diuinam potentiam tantùm vnibilia; potentiã autem ſubiectiuam in ordine ad formam perfectiuam dicimus appetitũ innatum.

Dubium tamen eſt, an etiam iſtæ potentiæ dici poſſint habere potentiam naturalem, vel appetitum innatum actuum ad beatitudinem.

Molina loc. cit. formidat concedere, quia actus ſupernaturales ſuperãt vires actiuas naturæ, vnde minus tutò affirmatur dari potentiã naturalem ad illos. Verùm nullus hic timor eſſe debet, quamquam enim potentia naturalis non ſit ſufficiens operari per ſe ſupernaturaliter, fit ſufficiens per auxilium gratiæ, & ideo dici poteſt habere appetitum innatum, ſeu potentiam naturalem remotam ad huiuſmodi actus eliciẽdos, in quo differt ab appetitu paſſiuo, quia hic non eget qualitate vlla, aut nouo principio, vt fiat proximè potẽs recipere actus ſupernaturales; at verò vt operentur ſupernaturaliter potentiæ naturales, indigent elleuatione vel per qualitatem ſuperadditam, verbi gratia lumine gloriæ: vel per aſſiſtentiam diuinam, & auxilium ſpeciale, vt in actibus ſupernaturalibus non procedentibus ab habitibus.

Ratio verò huius inclinationis eſt, quia potẽtiæ non ſolùm perficiuntur ab huiuſmodi actibus, vt ſunt ſubiecta ipſorum, ſed etiam vt ſunt principia effectiua, neque minor eſt propenſio ipſarum ad recipiendum, quàm ad agendum, immò longè maior, quia maioris perfectionis eſt agere, quàm pati, etiam ſi ad agendum opus ſit ope aliena.

Argumenta contra ſuperiores Aſſertiones. CAP. II.

VII. PRimum eſt ex S Bonau. in 2. diſt 38. art. 1. q. 1. 1. *Quando ergo dicitur, quòd omnis voluntas tendit ad beatitudinem, hoc intelligitur de beatitudine in ſua generalitate conſiderata, in cuius*

appetitu omnes (vt dixit Aug.) communicant; ſed prout beatitudo determinatè accipitur pro illa, quæ conſiſtit in viſione Dei, nec ab omnibus appetitur, nec omnes in illam tendũt, &c. & in 4. diſt. 49. art. 1. q. 2. *& propterea dicendum, quod ſicut duplex eſt inſtinctus ad bonum ſcilicet in generali, & in ſpeciali, ſic & duplex appetitus, & dictamen boni in generali venit à cognitione naturali, & quantum ad hoc non eſt error; ſed dictamen in ſpeciali illius, vel illius, non eſt omnino ab habitu naturali, ſed per aſſumptionem factum à ratione deliberante, & circa hoc eſt error: ſimiliter & de appetitu intelligendum: omnes ergo habent appetitum beatitudinis vere in generali, & habent cognitionem in generali: omnes enim quod beatitudo ſit bonum, quod ſufficit, & omnes iſtud appetunt: in ſpeciali verò quando aſſumit hoc ſufficit, ſcilicet honor, vel pecunia, errat cognitio, & declinat affectio, &c.* ergo appetitus naturalis beatitudinis ſecundùm D. Bonau. eſt tantùm in vniuerſali; deliberatiuus verò eſt particularis, prout apprehenditur ab intellectu verè, vel erroneè iudicantis de illa.

Quò pertinent auctoritates ſancti Auguſtini ſupra citati, quòd omnes velint eſſe beati.

Confirmatur, quia ſi rationes S. Bonauent. ex indigentia, & conuenientia probant ſequeretur in natura humana eſſe appetitum naturalem vnionis hypoſtaticæ: ex hoc enim duplici capite probat S. Th. 3. p. q. 4. a. 1. naturam humanam fuiſſe magis aſſumptibilem à filio Dei, quàm aliqua alia creatura. Et congruentia quidem attenditur penes excellentiam, & dignitatem eius ſupra cæteras corporeas, ratione cuius apta eſt contingere Verbum per ſuas operationes, cognitionem ſcilicet, & amorem: neceſſitatem verò, ſeu indigentiam, quia egebat reparatione, cum ſubiaceret peccato originali, à quo libera eſt angelica; & his ſimilia habet S. Bonau. in 3. d. 1. a. 2. paſſim, ex quibus tamen non infertur, quod in natura humana ſit appetitus ad vnionem hypoſtaticam, ergo neque etiam inferri poteſt, quod ad viſionem.

Reſpondeo ad primam auctoritatem. S. Bonauent. ibi loquitur de appetitu elicito, qui ſequitur cognitionem: cum enim voluntas proſequatur, aut refugiat ab eo, quod proponitur ab intellectu vt bonũ, aut malum, & hic ſæpe erret, conſequenter in appetitu, & fuga voluntas etiam declinat à recto: ideo non omnes optant veram beatitudinem, quæ in viſione Dei conſiſtit, ſed in alijs ponunt fælicitatem, quam

S. Ambr. ſibi cogitando fingunt, de quo S. Ambroſ. l. 2. offic. c. 2. poſt relatas varias ſententias: *Ariſtoteles autem, inquit, & Theophraſtus & cæteri Peripatetici in vi tute quidem, hoc eſt in honeſtate vitã beatam eſſe, ſed compleri eius beatitudinem etiam corporis voluptatibus, atque externis bonis aſſeruerunt. Scriptura autem diuina vitam beatam in cognitione poſuit diuinitatis, & fructu bona operationis &c.* Lactãt. etiam l. 3. diu. inſtit. c. 7. recenſet decem opiniones Philoſophorum, quos confutat Sed quia quodcũque appetitur, ſub ratione boni appetitur, & nemo ad malum aſpiciés operatur, vt Dion. 4. de diu. nom. c. 4. relatus à S. Bonau. in 2. cit. ideo dicitur omnis voluntas tendere in beatitudinẽ in generali, quod nihil

Nemo ad malum aſpiciens operatur. eſt aliud, quàm velle hoc, vel illud, vt bonum eſt, & in quolibet quærere partem beatitudinis, cum in nulla re completam inueniat ex creatis. Sed hinc etiam elucet vera inclinatio in beatitudinem particularem, quia hæc ſola ſatiat appetitum, & voluntas appetendo alia bona explicitè, & formaliter, tacitè, & per modum ponderis fertur in aliquod, in quo quieſcat, & ſatietur, quæ eſt ſola beatitudo cæleſtis. Ex quo patet

Ad ſecundam auctoritatem. Ibi ſermo eſt de appetitu innato, vt dixi initio capitis, & proinde etiam de elicito ex illo conſequente, & ipſum comprobante, nam ratione illius voluntas proſequitur obiecta propoſita ab intellectu ſub ratione boni: quia ſemper beatitudinem quærit, adeo vt beata eſſe velit, & cum male operatur, vt S. Aug. in pſal. 118. conc. 1. *Quicumque molitur inimicorum ſanguinem fundere, quicumque deſiderat dominationem, quiſquis affectat crudelitatem ſuam explere, quiſquis alienis cladibus paſcitur, in omnibus ſceleribus beatitudinem quærit, &c.* Ratio, quia beatum eſſe tam magnum eſt bonum, vt hoc & boni velint, & mali. Nec mirum eſt quòd boni propterea ſint boni, ſed illud eſt mirũ, quòd etiam mali, propterea ſunt mali, vt ſint beati, &c. Hoc autem arguit primò appetitu elicito ſemper voluntatem quærere beatitudinem, id eſt particulam eius; Deinde dari appetitum innatũ, ſeu propenſionem naturalem per modum ponderis ad veram beatitudinẽ ſatiatiuam omnium appetitionum; iccirco enim voluntas in omnibus eam quærit etiam quæ falſo veram imitantur, quia ad veram ordinata eſt, ac propendet. S. Aug.

Sed quomodo quærat quam non nouit? neque enim fertur in incognita ex S. Aug. l. 8. Trin. c. 4.

Reſpondeo. Appetitus innatus non præ-
requirit cognitionem, cum ſit naturæ inclinatio, elicito ſufficit cognitio in generali beatitudinis in genere quod ſit aliquod bonũ, vt S. Bonau. in 4. d. 49. cit. atque ita S. Auguſtino dandum, quod voluntas inuiſa poteſt diligere, incognita nequaquam: ſed ſufficit cognitio confuſa, & generica: & hanc fatetur poſſe dici innatam, quia videlicet lumen naturale oſtendit in confuſo aliquid, in quod voluntas fertur tacitè, & virtualiter, dum expreſsè hoc appetit, & formaliter. Appetitus innatus non præ-requirit cognitionem.

Inſtabis, quia beatitudinem veram in viſione beata poſitam ne confusè quidem plures nouere, quomodo ergo illam appetant?

Reſpondeo, ſi de appetitu innato ſit ſermo, poteſt nihil obſtare carentia cognitionis, vbi natura ſeipſa inclinat: ſi de elicito, ſufficit confuſa cognitio, vt virtualiter, ac tacitè quæri dicatur, dum beatitudo quæritur, etiam in ijs, in quibus non eſt, ſed æſtimatur eſſe pars ſaltem eius, vt expreſsè, & formaliter appetatur, debet præcedere notitia expreſſa ipſius; ſed hoc non obſtat, quo minus dicatur eſſe naturalis eius appetitus modo explicato.

Ad confirmationem reſpondeo innatura humana eſſe capacitatem vnionis hypoſtaticæ, & congruentiã, ac indigentiam, ſed non appetitũ naturalẽ, tum quia natura humana non eſt ordinata ad vnionẽ: tum quia hic appetitus nõ eſt ad extranea, quamuis perfectiſſima cum decri-

Digitized by Google

mento propriorũ, quibus perficitur in naturali ſuo eſſe; quia ergo natura humana non poteſt vniri Verbo, quin priuetur ſubſiſtẽtia ſibi debita, non habet appetitũ vnionis, quia neque carentiæ propriæ ſubſiſtentiæ: vt Sal. loc. cit. n. 11. & alij ſequentes Scotum lib. 19. a. 3. Idem eſt de quantitate, quæ non appetit eſſe ſine ſubiecto, quia inhærentia in illo eſt iuxta exigentiam naturalem. Itaque capacitas ad vnionem non eſt phyſicè diuerſa à capacitate aliarum naturarum. Neceſſitas eſt quid morale, & per accidens, ſuppoſito lapſu primi hominis; at verò reſpectu beatitudinis eſt quid per ſe, & phyſicum, quia natura rationalis eſt in ſe ipſa deficiens, & ſibi inſufficiens, ex eo quod eſt creatura ex nihilo, & ideo naturaliter inclinatur ad bonum ſibi ſufficiens, quæ ſola beatitudo eſt.

Secundum argumentum.

ESt auctoritas S. Thomæ pluribus locis, ſed præſertim in 4. d. 49. q. 1. a. 3. q. 3. *Quamuis autem ex naturali inclinatione voluntas habeat, vt in beatitudinem feratur, ſecundùm communem rationem; tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non eſt ex inclinatione naturæ, ſed per diſcretionem rationis, quæ adinuenit in hoc, vel in illo ſummum bonum hominis conſtare.*

Deinde 3. p. q. 4. a. 1. Aliquid aſſumptibile dicitur quaſi aptum aſſumi à diuina perſona, quæ quidem aptitudo non poteſt intelligi ſecundum potentiam paſſiuam naturalem, quæ non ſe extendit ad id, quod tranſcendit ordinem naturalem, quem tranſcendit vnio perſonalis creaturæ ad Deum: at viſio beata pariter tranſcendit ordinem naturalem, ergo ad illam non eſt potentia naturalis. Sic etiam p. 1. q. 7. a. 2. docet potentiam materiæ non ſe extendere, niſi ad formas naturales, & tamen capax eſt etiam ſupernaturalium; & 3. cont. gent. c. 101. vbi habet potentiæ paſſiuæ ineſſe reſpectum ad agens, à quo poſſit in actum reduci.

Tertiò de verit. q. 22. a. 7. c. *Homini inditus eſt appetitus vltimi finis ſui in communi, vt ſcilicet appareat naturaliter, ſe eſſe completum in bonitate ſed in quo iſta completio conſiſtat, verum in virtutibus, vel ſcientiis, vel delectabilibus, vel huiuſmodi aliis, non eſt ei determinatum à natura & q. 27. a. 2. Homo ſecundum naturam ſuam proportionatus eſt ad quemdam finem, cuius habet naturalem appetitum, & ſecundum naturales vires operari poteſt ad conſecutionem illius finis, qui finis eſt aliqua contemplatio diuinorum, qualis eſt homini poſſibilis ſecundùm facultatem naturæ, in qua Philoſophi vltimam hominis fœlicitatem poſuerunt.* Non ergo habet appetitum ad viſionem ſupernaturalem.

Confirmatur, quia ibi negat naturæ humanæ proportionem cum fine illo, id eſt viſione ſoli Deo connaturali, & ideo requirit gratiam, per quam eleuetur ad dignitatem quamdam, vt ei finis hic ſit competens, & caritatem, per quam inclinetur affectus ad hunc finem, & alias virtutes ad operandum, propter eumdem finem conſequendum. Et ratio ex iis locis eſt, quia viſio, ſeu Deus clarè viſus eſt obiectum ſupernaturale, & ſuperexcedens naturam intellectualem: appetitus autem naturalis non eſt niſi ad bonum connaturale, & proportionatum, vt patet inductione rerum aliarum: & ex eo quod vbi à Deo vt auctore naturæ indicitur appetitus homini, dantur etiam vires, & inſtrumenta intra limites naturæ ad finem conſequendum, vt 1. 2. q. 114. a. 1. dicitur, alioqui eſſet fruſtra. Vnde & Ariſt. 2. Cœl. t. 50. probat aſtra non inclinari ad motum progreſſiuum, quia non habent à natura inſtrumenta ad hunc, ſine quibus fruſtraneus eſſet appetitus eius.

Ad primam ergo auctoritatem ex 4. Sent. ea fauet noſtræ ſententiæ, vt ſupra oſtendi: ait enim, quòd quoties aliquis beatitudinem appetit actualiter coniungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis: & quòd ex parte illius ſemper eſt rectitudo: non autem ex parte ipſius, quia aliquando appetitur beatitudo vbi verè non eſt; nam appetitus iſte naturalis vel eſt innatus, & habetur intentum: vel eſt elicitus, atque ita ſupponit innatum, quia actus ſemper conſequens, vel concomitans naturam habet fundamentum in inclinatione eius ad obiectum actus, qui eſt medium, per quod illi coniungitur: atque adeo ſi cum omni appetitu elicito ſiue rationali, ſiue deliberationis eſt coniunctus naturalis, principium huius actus inclinatur in obiectũ actus.

Secundò fauet, quia ex Philoſopho 6. Metaph. t. c. 8. bonum, quod eſt obiectum voluntatis, eſt in rebus: & ideò oportet motum eius terminari ad rem extra animam exiſtentem; ex quo infert, quod quando voluntas fertur in bonum, fertur in aliquod determinatum, quale non poteſt eſſe res ſecundùm communem rationem, niſi cum additione propriæ rationis; hæc autem tendentia eſt actus elicitus, & proinde cum negat voluntatem ferri in beatitudinem particularem ex inclinatione naturali, quia fertur per diſcretionem rationis, quæ adinuenit in hoc, vel in illo ſummum bonum hominis conſtare, loquitur de actu elicito, qui ſequitur cognitionem, & dicitur propriè appetitus: non de innato appetitu, qui præcedit cognitionem; atque ita hæc auctoritas, cui maximè nituntur aduerſarij, parum illos iuuat: multum verò noſtram ſententiam: quia S. Thom. huic actui rationali, ſeu deliberatiuo ait ſemper adiungi appetitum naturalem nuſquam errantem; qui eſt innatus inclinans ad bonum, in cuius electione errat rationalis.

Tertiò fauet, quia appetitus naturalis eſt determinatus ad vnum, & ideo non errat, vt ibi S. Thomas, & de verit. q. 22. a. 3. ad 2. & 3. Hic igitur naturalis, qui perpetuò comitatur rationalem, tendit in bonum determinatum, non per cognitionem vt rationalis, ſed ex natura rei, præuiſa cognitione; bonum autem determinatum non eſt quid creatum, quia in nullo quieſcit, ſed ſolus Deus viſus.

Dices hoc eſſe verum de aliis rebus, non de homine, cui inditus eſt appetitus vltimi finis in communi, vt ſcilicet appetat naturaliter, ſe eſſe completum in bonitate, ſed non in vlla particulari, puta ſcientia, delectatione, vel ſimili, vt S. Thom. in q. illa 22. de ver. relata ſupra in argũmentis.

Digitized by Google

Reſpondeo, appetitum naturalem hominis dici à S. Thoma ad bonum, ſeu finem in communi, vt appetat ſe eſſe completum in bonitate, non ad determinatum hoc, vel illud: non quia vera beatitudo non ſit vna determinata, ſed quia in illam non fertur appetitu rationali, vt cætera in ſuum finem, verbi gratia grauia deorſum, & animantia in id quod eſt conueniens naturæ ſuæ, quæ ſunt exempla ipſius; cum enim ſit liber, & ſequatur dictum rationis, poteſt in hoc vel illud bonum, fælicitatem quærendo, tendere appetitu elicito: ſed cum hoc ſtat determinatio appetitus innati propendentis in veram, quæ ſemper implicitè quæritur, etiam quando malum patratur, vt ſupra ex S. Auguſtino, & infra ad tertiam auctoritatem.

Vera beatitudo eſt vna determinata, & ad hanc eſt appetitus innatus.

Ad ſecundam auctoritatem ex 1. p. reſpondeo, potentiam paſſiuam naturalem dupliciter accipi, primò ſtrictè, & rigoroſè: & illa eſt, quæ in ſuo conceptu nihil inuoluit, niſi naturale, tam in recto, quàm in obliquo, tam ſecundùm principale ſignificatum, quàm ſecundum connotata, qualis eſt potentia materiæ in ordine ad formas naturales. Secundò latè, & tantum propriè: & illa eſt, quæ in ſuo conceptu adæquato inuoluit aliquid ſupernaturale, vt eſt omnis potentia obedientialis, quæ in recto dicit entitatem rei, quæ naturalis eſſe poteſt: in obliquo connotat ſupernaturalia, id eſt cauſam, & effectum. Prima exigit formas ſecundùm naturam ſuam: ſecunda non exigit, ſed exigitur; ſic materia non poteſt eſſe ſine forma ſubſtantiali, & ſubiectum ſine accidentali; anima poteſt eſſe ſine vllo ſuperaddito ſupernaturali, & naturaliter nullum illi debetur: licet ſupernaturalia, puta gratia, habitus, actus exigant eſſe in illa, vel in ſubſtantia ſpirituali, vt accidentia in ſubiecto: igitur S. Thomas negat potentiam paſſiuam naturalem in humanitate ad vnionem in primo ſenſu; in ſecundo negari non poteſt, quia entitas ipſa humanitatis aſſumibilis eſt, & ipſa eſt ſubiectum vnionis: & proinde per potentiam paſſiuam naturalem: quia hæc cum ſit indiſtincta ab ipſa natura, non eſt quid ſupernaturale, ſecundùm id, quod dicit in recto, & ideo valet argumentum expoſitorium: Hæc potentia paſſiua eſt entitas ipſa naturæ, ſed entitas eſt quid naturale; ergo potentia paſſiua eſt quid naturale. Ex quo patet ad id, quod habet de materia 1. p. cuius potentia non ſe extendit, niſi ad formas naturales: eſt enim hoc verum de potentia paſſiua primo modo ſumpta, quomodo conſideratur ab Ariſtotele in Phyſicis. Cæterum capacitas eius eſt etiam ad formas ſupernaturales, licet non dicatur communiter potentia paſſiua naturalis ipſarum, quia non eſt propter illas, neque exigit, aut exigitur ab illis, vnde nec habere dicitur appetitum ipſarum, contra quam euenit in ſubſtantia ſpirituali, quæ eſt ordinata ad beatitudinem, vt finem, & bonum ſibi conueniens, quamuis ſuperexcedens naturæ vires, & vt ſic non proportionatum. Ex quo patet ad alias auctoritates, in quibus habet animæ non ineſſe potentiam naturalem ad recipiendam gratiam, quas ſupra adduximus in quæſtione, an gratia educatur de potentia animæ, accipit enim naturale in primo ſenſu, 3. cont. gent. c. 102. rat. 4. *Loquitur vniuerſaliter de ſubiecto, in quod agitur, & ordinem inquit, habet ad agens, quod reducit ipſum de potentia in actum, & ad actum, inquantum reducitur, &c.* & ideo diuerſimodè requiritur agens ob diuerſos actus: quod non eſt contra nos, dicimus enim requiri agens diuinum determinatum ad actus ſupernaturales.

Potentia paſſiua duplex.

Pro ſolutione tertij nota, quod duplex eſt appetitus elicitus veræ beatitudinis: alter explicitus directè tendens in viſionem, & hic ſupponit expreſſam & diſtinctam eius notitiam: alter implicitus indirectè, ſeu confusè intendens illam, quatenus quærit ſummum bonum in hoc, vel illo bono creato, vbi non eſt, vt ex eodem S. Thoma in 4. ſupra. Primus poteſt eſſe & naturalis, vt ſi optes beatitudinem ſine ſpeciali auxilio cum ordinario concurſu primæ cauſæ: & ſupernaturalis, ſi eliciatur auxilio gratiæ. Secundus ſemper eſt naturalis, & peruerſus, vtpotè conſtituens finem in creatura; vnde & mali Angeli appetendo inordinatè beatitudinem peccarunt, vt S. Thom. 1. p. q. 63 a. 1. 4. Item nota, quod appetitus innatus ad beatitudinem in creatura ſpirituali conſiderari poteſt vel abſolutè, vt talis natura eſt conſtans intellectu, & voluntate; vel reſpectiuè, vt ordinata eſt à Deo ad finem ſupernaturalem, ſeu viſionem beatam, & fruitionem eius: primo modo eſt ad finem aliquem naturalem ſuis viribus proportionatum, qualis eſt cognitio aliqua diuinorum: & in hunc tendit appetitu elicito ſequente apprehenſionem. Secunda modo eſt ad finem ſupernaturalem gloriæ, qui licet ſit improportionatus, quoad hoc quod excedit vires eius ſecundùm ſe ſpectatas: ſit tamen proportionatus ex Dei ordinatione creantis propter illum hominem, & Angelum, & decernentis dare gratiam, & auxilia ad illius aſſecutionem, non quia hoc decretum mutet intrinſecè naturam, ordinando illam ad finem hunc: ſed quia de ſe capacem viſionis, vtpotè ad imaginem Trinitatis factam, & beatificabilem conuenienter naturæ ſuæ ordinat ad finem, in quo quieſcat. Quando igitur S. Th. docet, non eſſe determinatum, in quo conſiſtat completio in bonitate, ad quam inclinat naturalis appetitus, loquitur de appetitu in primo ſenſu: ideo ſignanter addit, non eſſe determinatum à natura, id eſt à Deo vt auctore naturæ, at. illo 7. q. 22. & infra q. 27. *Homo ſecundum naturam ſuam, præcisè videlicet conſideratam.* Ex quo patet ad confirmationem, & conciliantur hæc loca cum aliis, quibus vnicuique rei præſcriptum eſſe finem aſſerit, in quo quieſcat, & ad quem tendat: beatitudinem eſſe vltimam hominis perfectionem; eſſe finem rationalis naturæ tantum; conſiſtere in cognitione ſummæ veritatis; ſatiari appetitum in eius adeptione, & non in alia vlla re, quia ſcilicet propter illam homo conditus eſt: quæ paſſim habet S. Bonau. S. Thom. S. Auguſtin.

Appetitus elicitus veræ beatitudinis eſt duplex.

Appetitus innatus beatitudinis duplicitèr conſideratur.

Omitto alias auctoritates minoris ponderis, quia facilem habent reſponſionem ex prædictis, inter quas nihil concludit, quam afferunt recentiores ex 1. 2. qu. 114. a. 2. quòd vita æterna

Digitized by Google

na excedat proportionem naturæ creatæ, nec non cognitionem; & desiderium eius, & ob id nulla creatura est principium merendi illam sine gratia, ita vt ex defectu inclinationis naturalis, seu ponderis, & desiderij naturæ, probet defectum consecutionis per meritum proprijs viribus sentiens hæc duo esse inseparabilia, scilicet naturaliter finem appetere, & posse naturaliter eum adipisci.

Respondeo, hunc non esse discursum S. Thomæ, vt patere legenti potest: solùm intendit probare, quòd homo sine gratia mereri non possit vitam æternam, quod de est fide, & ita certum, vt non fundetur in principio valdo controuerso de appetitu innato. Immo dato isto in sententia Scoti, adhuc non sequitur, quòd possit comparari vita æterna sine gratia, quia est supra vires naturæ, neque tam debili fundamento S. Thomæ doctrina nititur: sed auctoritate sacra, quam confirmat ratione petita ex actu, non ex appetitu innato: *Actus* (inquit) *cuiuscumque rei non ordinatur diuinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus: hoc enim est ex institutione diuinæ prouidentiæ, vt nihil agat vltra suam virtutem: vita autem æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ.* Vbi hic mentio appetitus innati? Aliud igitur est per actum naturalem sine gratia non posse hominem mereri vitam æternam; aliud non habere ad illam appetitum innatum. Primum docet S. Th. hîc: alterum loco supra cit. atque adeo gratis infertur inseparabilitas huius appetitus, & assecutio per vires naturæ finis, ad quem inclinat. At finis hic est improportionatus, iam supra respondi, dici improportionatum, quia excedit vires naturæ, non quia non sit cõueniens, & perfectiuus: & ideo est ad illum inclinatio assequendum per gratiam; sicut animæ separatæ ad vnionem corporis naturæ impossibilem vti, supra ex S. Thom.

Supposita igitur extrinseca ordinatione Dei, & intrinseca capacitate naturæ rationalis, appetitus innatus inclinat ad veram beatitudinem, vt vltimam perfectionem, quam recipit, & quam gratiæ auxilio elicit: sed appetitus rationalis, seu deliberatiuus non sequitur semper innatum explicitè tendendo in illam, quia liber est, & prærequirit notitiam eius, quæ plerumque deest, aut mixta est erroribus: implicitè tamen semper illam quærit, sicut & rectè quælibet coniungi Deo, aut assimilari, vt D. Th. supra, & in particulari homo quærendo bonum adinuenit in hoc, vel illo summum bonum, ait S. Th. supra nimirum implicitè, quatenus quodlibet bonũ participatio quædam est summi boni, quod verum est, & beati qui inueniunt illud.

Ad rationem patebit infra seq.

Secundo loco sunt argumenta ex rationibus.

VIII. PRæter illas, quæ in allatis auctoritatibus continentur, hæ ferme sunt præcipuæ, in quibus videtur plus esse contentionis de vocibus non eodem modo acceptis, quàm de re ipsa: si enim semel admittatur, quòd appetitus innatus nihil est aliud, quàm capacitas donorum supernaturalium peculiari modo conueniens naturæ rationali, & non exigentia, aut debitum ipsorum, prout deinde refert, quòd vocetur naturalis, aut quod sit rei superantis vires naturæ, quò ferme tendunt argumenta appetitum istum impugnantia, quale est.

Primum argumentum.

QVia natura nullum appetitum inserit ad impossibilia suis viribus; sed visio est impossibilis totis naturæ viribus, ergo non indidit eius appetitum natura creaturæ vlli. Maior patet ex eo quod omnia habent media sufficientia ad assequendum finem, propter quem condita sunt à natura, vt patet inductione supra allata, & ex eò quod arguimus rectè non esse condita ad finem, pro quo assequendo carent instrumentis ne essarijs, vt de astris supra ex Arist. 1. Cæli c. 8. negante habere vim progressiuam, quia non dedit illis natura organa accommodata ad motum proprium.

Confirmatur primò, *quia alioqui gratia, & virtutes deberentur* finis, media, & appetitus eorum debent esse eiusdem ordinis, & proportionata, non igitur visionis, & gratiæ, quæ sunt ordinis supernaturalis, datur appetitus innatus, qui est naturalis.

Secundò. Appetitus est rei appetibilis, ergo si hæc est supernaturalis, non potest ille esse naturalis; Patet sequela, quia omnis potentia proportionatur suo obiecto, & ab eo specificatur, ideo appetibilis naturalis datur potentia naturalis, & ad supernaturale potentia spiritualis, & supernaturalis, ergo ad visionem supernaturalem non datur potentia naturalis. Tertiò, Homo secundùm suam naturam appetit beatitudinem naturalem, vt S Th. 1. p. q. 23. a. 1. citatus à Suario prolog. 4. de Gratia c. 1. n. 10. & patet ex supradictis, ergo non appetit simul supernaturalẽ, sed solùm tendit in hanc appetitu elicito, qui liber est, & sequitur cognitionẽ, alioqui simul tenderet in duos vltimos fines, quod est absurdum. Quartò si esset talis appetitus innatus, esset etiam potentia ad supernaturalia, quia per te non distinguuntur appetitus, & potentia, sed hæc nulla est: non actiua, quia licet in intellectu, & voluntate sit natiua, siue innata, non tamen dici potest naturalis, quia hæc denominatio est ab effectu cuius est causa, qualis non est in creatura vlla ad videndum Deum; neque passiua quia hæc solùm dici potest naturalis ex forma, quam recipere potest; visio autem, gratia, lumen sunt supernaturalia: alioqui & ad vnionem hypostaticam esset potentia naturalis. Et quamuis Scotus concedat visionem esse perfectionem nostram naturalem: tamen est contra communem Scholasticorum asserentium visionem ex natura sua, & non solùm ex modo efficiendi esse supernaturalem, & Deum clarè visum esse finem supernaturalem, vt pluribus Vasq. 1. p. disp. 47. c. 6. & disp. 214. c. 2. & 1. 2. cit.

Respondeo ad argumentum, distinguo Maiorem ex doctrina Scoti quæst. 1. prologi in responsione argumentorum pro Philosophis: nam tota natura dupliciter accipi potest, primò pro tota coordinatione entium, quomodo complectitur etiam suum auctorem, & con-

Tota natura dupliciter accipi potest.

ſeruatorem; vnde & S. Bonau. in 2. d. 37. dub. 2. tex. *Secundo modo* (inquit) *dicitur natura largiùs, non ſolùm res per ſe ens, vel proprietas naturaliter inhærens, ſed etiam omne, quod conſeruat naturam*, &c. Deindè natura accipitur pro toto ente creato vt complectitur materialia, & ſpiritualia, quomodo dicimus naturam Angelicam eſſe intellectiuam, naturam hominis eſſe diſcurſiuam, &c. In primo ergo ſenſu concedo majorem, & nego minorem, quia in tota coordinatione datur cauſa efficiens viſionis beatæ, eleuans intellectum creatum ad concurrendum ſecum. In ſecundo ſenſu concedo minorem, ſed nego maiorem: natura enim inſerit appetitum etiam eorum, quæ viribus tantùm naturalibus ſunt impoſſibilia, quæ tamen conſiderata tota ordinatione eius poſſibilia ſunt.

Simile eſt in cauſis inferioribus comparatis ad ſuperiores, quarum quælibet habet innatum appetitum finis, propter quem condita eſt, etiamſi conſequi illum non poſſit abſque concurſu, & influxu ſuperiorum, qui debitus quidem eſt, ſed ex ordinatione ipſarum facta à Deo, qui aliter diſponere profuiſſet vniuerſum ſine tali debito.

Quod autem habet Ariſtoteles de aſtris, ſingulare eſt; à quo non licet inferre vniuerſale: verum enim eſt, naturam prouidiſſe potentiæ progreſſiuæ inſtrumenta neceſſaria ad motum: cum enim ſit organica, debet habere ſua organa: ſed hinc non valet arguere, igitur omnis potentia naturalis, aut appetitus innatus habet omnia neceſſaria in ſe ad aſſequendum ſuum finem; ſatis enim eſt, quod habeat in coordinatione, vt Scotus loc. cit. Faber diſp. illa 8. n. 2. 12. & alij Scotiſtæ.

Confirmatur; quia finis motus ſuperiorum corporum eſt conſeruatio inferiorum, & mundi adminiſtratio per continuam generationem, & tamen ad illum indigent intelligentia motrice ex eodem Ariſtotele metientis numerum intelligentiarum ex numero cælorum mobilium, quibus adſiſtunt.

Ad primam confirmationem reſpondent Scotiſtæ, omnia illa eſſe proportionata, & naturalia, quia gratia, lumen gloriæ, &c. comparata ad potentiam ſunt formæ naturales: ſed quæſtio eſt de nomine, in re namque conuenimus omnes à ſolo Deo produci poſſe, vt auctore gratiæ, & eſſe perfectiones conuenientes naturæ rationali, & non alteri; & idem eſt de Deo, qui à Scoto dicitur finis naturalis in eodem ſenſu: certum eſt enim beatitudinem æternam eſſe ſupernaturalem in ſua entitate, ſed naturalis dicitur, quia naturali capacitate creaturæ rationali & conueniens, & perfectiua, & ideo non dicitur eſſe in potentia neutra, reſpectu illius.

Ad ſecundam, nego ſequelam: Dei enim bonitas eſt ſupernaturalis, & tamen poteſt eſſe obiectum actuum naturalium, vnde & damnata eſt propoſitio 34. Michaëlis Baij à Pio V. & Gregorio XIII. commentitiam prædicans diſtinctionem Amoris Dei in naturalem, & ſupernaturalem. Ad probationem, proportio non attenditur penes entitatem, alioqui nullus daretur finitus actus circa Deum infinitũ, ſed circa eſſe attingibile, & cauſæ, cui reſpondet potentia habens pro obiecto verum, & bonum in tota ſua latitudine, & effectus producibilis, ac productus. Et quia potentia viribus propriis attingere poteſt actu naturali, & per auxilium gratiæ actu ſupernaturali iccirco idem obiectum materiale eſt reſpectu vtriuſque actus, & ſpecificatio eſt ab illo, vt formale eſt, ſeu vt diuerſo modo attingibile, vt aliàs diximus, quod ſufficit ad proportionem in vtroque.

Ad tertiam. Homo ſecundùm naturam ſuam ordinatam ad beatitudinem ſupernaturalem appetitu innato, tendit ad illam vltimato, ad naturalem, quæcumque illa ſit, non niſi vt ad medium participans ſuo modo bonitatem finis vltimi; & cum naturalem aſſequi non poſſit, niſi beneficio gratiæ, manifeſtum eſt, non obſtare innato appetitui, quod terminus eius ſit ſupra vires naturæ. S. Thom. eo art. tantùm habet, quòd beatitudo ſupernaturalis eſt ſupra vires naturæ creatæ.

Ad quartam reſpondeo, appetitum innatum, vt dicit capacitatem cum ordinatione ad bona ſupernaturalia eſſe potentiam paſſiuam, & hanc dici naturalem, quia ex principiis naturæ conuenit creaturæ rationali, quæ eſſentialiter eſt imago Dei, & ad illum ordinata, quam ordinationem non habet reſpectu vnionis hypoſtaticæ, & ideo reſpectu illius dicitur neutra, & non naturalis, vt ſupra.

Secundum argumentum.

QVia ex dictis ſequitur, omnem ſubſtantiam materialem habere appetitum innatum ad donum aliquod ſibi non debitum, ſed tamen conueniens, & perfectiuum: verbi gratia arbores, & fructus ad qualitatem aliquam ſupernaturalem, qualem fuiſſe in arbore vitæ retulimus ex S. Auguſtin. & S. Bonau. illa enim, vel alia ſimilis perficeret arborem, & fructus eius; item poſſet indi viuentibus qualitas arcens corruptionem, & conſeruans ſuppoſitum ab interitu: & hæc eſſet conueniens, & perfectiua: igitur ſi appetitus innatus eſt capacitas rei conuenientis, vbicumque eſt talis capacitas, erit etiam appetitus: ac proinde in qualibet ſubſtantia ad qualitatem vel naturalem, vel ſupernaturalem ſui perfectiuam: quod videtur abſurdum, quia diuinæ quidem potentiæ facile eſt pluribus huiuſmodi qualitatibus ornare ſubſtantias: ſed incredibile, quod iſtæ omnes inclinentur per modum ponderis appetitu innato ad illas

Reſpondeo, nego ſequelam: diſparitas eſt, quia creatura rationalis ex eo quod eſt imago Dei, capax eſt eius, vt finis, in quem ordinata eſt, & ideo peculiari modo illi conuenit iſta capacitas Dei, & donorum ſupernaturalium, vt mediorum ad aſſecutionem eius quàm conueniat cæteris ſubſtantiis capacitas qualitatum perfectiuarum, quæ potius pertinet ad potentiam Neutram, ſicut & capacitas vnionis hypoſtaticæ in natura humana, & alia qualibet, quia cæteræ ſubſtantiæ non ordinantur vel ex ſua eſſentiâ, vel ex diuina voluntate ad huiuſmodi qualitates indebitas; ideo nec dicuntur habere innatum appetitum ipſarum, ſed ſolùm potentiam paſſiuam obedientialem.

Vaſq. c. 2. Inſtat Vaſq. diſp. 22. cit. c. 2. n. 14. *Quid obſecro intereſſe videtur, capacitatem referri ad ſuam perfectionem, tamquam ad proprium finem hominis, aut non, vt talis capacitas dicatur appetitus naturalis?*

Reſpondeo, multùm intereſſe, quia cum hic appetitus ſit quædam tendentia per modum inclinationis, habet connexionem aliquam cum eo, in quod tendit, & proinde cum fine ad quem ordinatur, idque ex ſua natura, quæ connexio non eſt cum aliis, ad quæ non ordinatur ex ſua natura: ideo ad illa dicitur habere appetitum innatum, ad hæc ſolùm potentiam neutram.

Tertium argumentum.

EST, quia appetitus innatus, & potentia paſſiua naturalis ſunt idem, iuxta dicta ſuperius, igitur non ſunt ad ſupernaturalia, quia omni potentiæ paſſiuæ reſpondet actiua naturalis ex Ariſt. 3. de Anima c. 5. t. 18. probante dari intellectum agentem, quia datur poſſibilis; nulla autem datur potentia actiua naturalis reſpectu ſupernaturalium, ergo neque paſſiua.

Confirmatur, quia nunquam expleri poſſet, nam viſio, ſicut & gratia augeri poteſt in infinitum, & huius augmenti capax eſt anima.

Secundò, quia Angelus comprehendit naturam animæ, & ſuam. Igitur & appetitum innatum ab ipſis indiſtinctum, & proinde etiam terminum eius, non poteſt autem Angelus naturaliter cognoſcere ſupernaturalia poſitiuè.

Reſpondeo ad argumentum potentiæ paſſiuæ naturæ rationalis ad ſupernaturalia reſpondere actiuam Dei, & hoc ſatis eſſe ad conceptum potentiæ paſſiuæ, vt in tota coordinatione cauſarum non deſit actiua, per quam reducatur ad actum, vt ſupra Scotus.

Simile eſt ex parte exemplum animæ rationalis, quæ, vt ſupra ex D. Thoma diximus, inclinatur ad vnionem corporis, & tamen huic potentiæ, & appetitui non reſpondet cauſa actiua naturalis, ſed ſupernaturalis Dei. Neque valet cum Vaſq. diſp. 22. cit. n. 15. dicere, quod operatio, qua vnitur anima corpori, eſt naturalis ſecundùm ſubſtantiam, & tantùm ſupernaturalis ſecundùm modum, quia producitur res ordinis naturalis citra exigentiam cauſæ creatæ, à qua nata eſt produci; & conſeruari; operatio verò, qua confertur beatitudo, eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, & proinde dari appetitum naturalem ad primam, non ad ſecundam: hoc inquam non valet, quia non poteſt eſſe appetitus finis, quin etiam ſit mediorum, ſine quibus impoſſibile eſt finem obtineri; ergo neque ad formam naturalem acquirendum actione ſupernaturali quoad modum, quin ſit appetitus etiam modi ſupernaturalis: quòd ſi ſemel admittitur appetitus naturalis modi ſupernaturalis, cur non poteſt etiam admitti formæ, & actionis ſupernaturalis?

Deinde Vaſq. impugnat appetitum innatum beatitudinis, quia potentiæ naturali paſſiuæ reſpondere debet actiua naturalis; cum igitur nullum agens naturale poſſit vnire animam corpori, & actio quoad modum ſit ſupernaturalis, vel hæc ratio infirma eſt, & repugnans dictis auctoris: vel ſi valet, non datur appetitus naturalis in anima ad vnionem cum corpore, quia non datur efficiens naturale.

Ad primam confirmationem, nego ſequelam, nam quæcumque viſio beata eſt talis naturæ, vt expleat appetitum, quatenus dicit inclinationem ſiue paſſiuam, ſiue actiuam ad beatitudinem, quia hæc non eſt ad tantum gradum, ſed abſolutè ad viſionem, ſicut appetitus materiæ eſt ad formam, non ad hanc potius, quàm ad aliam: ideo quantum eſt de ſe, ita quieſcit ſub forma lapidis, aut leonis, vt ſub forma hominis, & in eodem compoſito materiali quælibet pars materiæ indifferenter ſub qualibet parte formæ; ratio eſt, quia materia non magis appetit hanc, quàm illam, ſed aliquam indeterminatè: neque mens humana magis hunc gradum viſionis, quàm illum, quia quilibet gradus eſt tam excellens bonum, vt aptus ſit ſatiare appetitum eius, & quemadmodum quælibet pars aëris exempli gratia in ſua ſphæra quieſcit in quolibet loco, ſiue ſupremo, ſiue medio, ita animus in quolibet gradu viſionis, etiamſi poſſit habere majorem, non ſecus ac pars inferior aëris poteſt petere locum ſuperiorem.

Ad ſecundam, cognitio rei vel attenditur ſecundùm intrinſeca prædicata tam eſſentialia, quàm accidentalia, & hanc habet perfectiſſimam Angelus comprehenſiuam ſui, & animæ rationalis; vel ſecundùm connotata, aut connexa extrinſeca: & hanc non habet omnibus numeris abſolutam, ſed ſolum reſpectu naturalium; ſi verò ſint ſupernaturalia, cognoſcit ſolùm obſcurè, & negatiuè non implicare, ſic comprehendendo naturam accidentis, non videt implicantiam ſeparationis à ſubſtantia, neque ſubſtantiæ à propria ſubſiſtentia: non tamen poſitiuè videt poſſibilitatem.

Sic in propoſito videt capacitatem ſui, & animæ, non tamen terminum illi adæquatum, & expletiuum, niſi obſcurè, & in confuſo.

Quartum Argumentum

EST, quia hic appetitus innatus habet connexionem neceſſariam cum gratia, & donis ſupernaturalibus, ergo eſt quid ſupernaturale. Antecedens patet ex dictis, & conceditur à nobis. Sequela probatur, quia non alia ratione differunt naturalia à ſupernaturalibus, quàm propter connexionem cum gratia, & viſione, ita vt quæ repugnarent repugnante gratia, ſint ſupernaturalia, quæ ſunt poſſibilia etiam data impoſſibilitate gratiæ, ſint naturalia; diximus autem ſupra, appetitum hunc vtpotè indiſtinctum ab entitate rei eſſe naturalem.

Confirmatur, quia hoc admiſſo non tollitur, quin etiam ſit naturalis; nam duo hæc prædicata non repugnant naturale, & ſupernaturale; quia conueniunt reſpectu diuerſorum, ſicut albedini non repugnat eſſe ſimilem albedini, & diſſimilem nigredini: & ſic de cæteris, quæ habent diuerſas denominationes tam intrinſecas, quàm extrinſecas à diuerſis formis, vel terminis; quin idem Deus dicitur cauſa

Digitized by Google

naturalis, vt concurrit cum ſecundis cauſis ad exigentiam ipſarum; & ſupernaturalis vt ſupra, vel contra naturam ipſarum.

Confirmatur ſecundò, quia in noſtra ſententia conceptus adæquatus potentiæ obedientialis complectitur entitatem naturalem creaturæ, & ſupernaturale agens, ac effectum ſupernaturalem; igitur conflatur ex ijs definitio conſtans prædicato naturali, & ſupernaturali, ſicut ex anima, & corpore colligitur definitio hominis conſtans prædicato ſpirituali, quod eſt rationale, & materiali, quod eſt animal: atque ita appetitus animæ, exempli gratia, reſpectu propriæ entitatis dicetur naturalis, reſpectu formę ſupernaturalis, quam reſpicit, vocabitur ſupernaturalis.

Reſpondeo ad argumentũ, admiſſo antecedente, nego ſequelam, & probationem eius: nam cognitio gratiæ, amor, & deſiderium eius ſunt eſſentiales tendentiæ in ipſam, & proinde neceſſariò connexæ, & tamen poſſunt eſſe naturales; non igitur ex connexione cum gratia infertur ſupernaturalitas in re connexa. Deinde cur ea, quæ ſunt neceſſariò connexa cum gratia, ſunt ſupernaturalia, & non illa, cum quibus gratia ipſa, & dona ſupernaturalia ſunt connexa, vice verſa ſupernaturalia ſunt? manifeſtum eſt autem, gratiam, viſionem beatam, & ſimilia dicere ordinem eſſentialem ad ſubſtantiam rationalem tanquam ad proprium ſubiectum, in quo eſſe poſtulant, quod naturale eſt, & eo repugnante ſimul repugnaret gratia, viſio, &c. Quartò Deus eſt ſupremum ſupernaturale, à quo cætera participant ſupernaturalitatem; & tamen creaturæ habentes neceſſariam connexionem cum illo, & eſſentialem dependentiam, non ſunt omnes ſupernaturales: immo exiguus eſt ſupernaturalium numerus, prope innumerus naturalium, igitur connexio cum gratia ſupernaturali non arguit ſupernaturalitatem; vnde verò petenda ſit regula diſtinctionis ſupernaturalis à naturali, ſupra diximus.

Ad primam confirmationem, non dico appetitum eſſe naturalem, quia repugnant duæ denominationes naturalis, & ſupernaturalis eidem rei, ſed quia entitas naturalis intrinſecè non eſt etiam intrinſecè & eſſentialiter ſupernaturalis. Pro quo aduerte denominationem ſupernaturalis multipliciter fieri poſſe, primò quia res in ſeipſa tota ſit talis, & excedat ordinem naturæ, vt eſt gratia, lumen, viſio, quæ quicquid ſunt, ſupernaturale ſunt. Secundò quia informetur, & eleuetur à forma ſupernaturali, vt contingit in anima, quæ per gratiam dicitur eleuari ad ſtatum ſupernaturalẽ, & per lumen, ac viſionem fieri deiformis à S. Bonau. in 3. d. 14. a. 2. q. 3. ad arg. Tertiò quia habeat terminum ſupernaturalem, quomodo Sacramenta dicuntur inſtrumenta gratiæ ſupernaturalia. Quartò quia ſupernaturale ingrediatur vt pars conſtitutiua vnum principium actus ſupernaturalis. Primo modo non poteſt vna res denominari ſupernaturalis, & naturalis, quia nihil habet naturale, à quo fiat denominatio: & in hoc ſenſu negat P. Suar. t. 3. in 3 p. diſp. 31. ſect. 6. in ſolutione ſecundi argumenti poſſe dici ſupernaturalem potentiam obedientialem per coniunctionem gradus inferioris cum ſuperiori in eadem entitate diuiſibili ſecundum rationem, & realiter indiuiſibilem, vt ſupra vidimus. Alijs tribus modis poteſt creatura admittere denominationem ſupernaturalis, & naturalis tam intrinſecam à forma inhærente, quàm extrinſecam ab adiuncto extrinſeco; ſed hæc eſt accidentalis, & mutabilis: atque ita potentia obedientialis paſſiua habet vtramque denominationem, nimirum naturalem ab entitate ſua, ſupernaturalem à cauſa agente, & effectu concurrentibus ad conſtituendum adæquatum eius conceptum vt ſupra.

Multiplicitèr fit denominatio ſupernaturalis.

Ad ſecundam confirmationem, diſtinguo conſequens: Colligitur ex prædictis vna definitio propriè, & in rigore, nego ſequelam: vna deſcriptio cõplectens ſentia diuerſa, non vt partes eſſentiales, ſed accidentales, concedo; ſed inde non ſequitur, quod naturale, & ſupernaturale ſint prædicata eſſentialia potentiæ obedientialis, ſicut eſſe animal, & rationale ſunt prædicata hominis, quia homo eſt ens per ſe conſtans anima, & corpore, à quibus ſumuntur genus, & differentia; potentia autem obedientialis eſt compoſitum per accidẽs, à cuius partibus non poſſunt deſumi prædicata eſſentialia ſuperius, & inferius conuenientia toti, quia conceptum eius adæquatum ingreditur cauſa ſupernaturalis, à qua non ſumitur prædicatum eſſentiale ipſi, & creaturæ vt habenti rationem potentiæ obedientialis, ſed ſolùm denominatio ſupernaturalis, ſicut & naturalis à creatura.

Quintum Argumentum

EST, quia ſequeretur Deum non poſſe condere creaturã rationalem, niſi ordinatam ad beatitudinem ſupernaturalem. Sequela patet, quia ex ſua natura ordinatur ad illam, ex eo quod innatum habet eius appetitum. Falſitas conſequentis probatur, quia ordinatio ad beatitudinem eſt beneficium gratiæ, & non naturæ, vt inquit Suar. prol. 4. de grat. cap. 1.

Confirmatur, quia alioqui gratia, & gloria eſſet debita naturæ, ſicut & reliqua, quorum habet naturalem appetitum; hæc enim debentur lege creationis, vt apparet ex appetitu naturali aliarum rerum, puta grauium, quibus debetur locus deorſum, & leuium, quibus ſurſum, &c. Certum eſt autem naturæ non deberi gratiam, vt Patres, & Concilia contra Pelagium.

Reſpondeo ad argumentum, diſtinguo antecedens: non poſſe condere niſi capacem beatitudinis ſupernaturalis, concedo conſequentiam: niſi ex ſua virtute naturali tendentem ad illam, ſicut tendunt grauia ad centum, nego. Ad probationem conſequentis, ordinatio ad beatitudinem, vt dicit decretum Dei ordinantis naturam iam conditam, vel condendam, eſt beneficium gratiæ, concedo; vt dicit decretum Dei volentis condere naturam de ſe aptam beatificari, nego.

Videtur itaque diſſenſio de vocibus: omnes enim concedimus, naturam rationalem eſſe capacem gratiæ, & beatitudinis: omnes negamus collationem gratiæ pertinere ad beneficium creationis; ſed hanc capacitatem voco

appetitum

appetitum innatum ; cui non est annexum debitum gratiæ ; tu renuis vocare appetitum, ne concedas debitum gratiæ, quasi Deus teneatur omnem huiusmodi appetitum explere, quod non est necessarium. Ex quo patet

Ad confirmationem, non enim debentur naturæ omnia, ad quæ habet innatum appetitum, id est quorum est capax, & secundùm peculiarem habitudinem ad illa, tanquam ad sui perfectiua, etiamsi naturæ viribus obtineri possint, multo minùs si non possint, nisi respectu coordinationis omnium causarum.

Sextum Argumentum

EST, quia appetitus innatus non potest esse sine ordine transcendentali ad id, cuius est appetitus : sed talis ordo non est inter naturam rationalem, & dona supernaturalia, ergo neque appetitus. Maior probatur, quia appetitus naturalis est inclinatio, & ordo rei in bonum sibi conueniens, vt patet ex dictis suprà. Minor probatur, quia alioqui deberentur principia complentia actiuitatem ad assequenda hæc supernaturalia.

Pro solutione huius argumenti, quod maximè de re est, & nisi conuellatur, conuelli appetitum innatum supra assertum fatentur recentiores, quæro

---

An potentia obedientialis passiua donorum supernaturalium dicat ordinem transcendentalem ad illa.

CAPVT III.

1. *Refertur duplex sententia.*
2. *Præmittuntur notanda pro resolutione quæstionis.*
3. *Potentia obedientialis passiua dicit ordinem transcendentalem ad dona supernaturalia sibi conuenientia.*
4. *Idem assero de potentia actiua eiusdem.*
5. *Soluuntur argumenta contraria.*

IX.

PRima Sententia negat talem ordinem ; citat pro illa plures P. Ripal. disp. 32. sect. 2. inter quos P. Hurtard. disp. 8. Phys. sect. 9. P. Soar. t. 1. in 3. p. disp. 31. sect. 6. §. Quartò id probatur, & alij, quos ipse sequitur.

Secunda sententia admittit hunc ordinem consequenter ad positionem innati appetitus passiui illum inuoluentis : proinde meritò pro illa refertur Scotus cum suis, immo & P. Vasq. 1. p. disp. 176. n. 16. ex eo probans potentias istas referri ad effectus, & hos ad illas, quia ex natiua sua virtute in ipsos influunt. Sequitur P. Fasol. 1. p. q. 12. a. 1. dub. 6. & alij.

Ad intelligentiam, & determinationē quæstionis quædam sumo mihi ex Philosophia, quà certa, quà probabiliora, de quibus fusè Soar. disp. 45. Metaph. & alij recentiores examinantes naturam relationis transcendentalis, & discrimen eius multiplex à Prædicamentali.

In primis vnam, & eandem esse entitatē rei, quæ dicitur referri, & ideo relationem esse essentialem ipsi ad differentiam prædicamentalis, quæ est accidentalis subiecto, & fundamento : vna namque & eadem res, quæ per suam formam, seu entitatem intelligitur absolutè existens commensurata alteri, cui ob aliquā peculiarem rationem connexa est, dicitur relatiua, non voce tenus, vt quidam arbitrati sunt, ita vt sit relatio secundùm dici, sed realiter, & essentialiter, quia verè habet ordinem ad illam, & cōmensuratur illi : quæ commensuratio attenditur penes hoc, quòd prædicata eius essentialia conueniant illi iuxta mensuram petitam à termino, quem respicit : & respondeat illi peculiari proportione, quā cum aliis rebus non habet ; verbi gratia potentia visiua habet ordinem transcendentalem ad obiectum visibile, & illi dicitur commensurari, quia non extēdit se vltra, nec extra limites visibilis obiecti, à quo mensuratur, & est principium actiuum, qui sunt medium attingendi ipsum, & proportionantur in suo esse vtrique, cum sint tendentiæ huius in illud, & non aliud ; & idem est de materia, cuius esse dicitur esse ad alterum à S. Bonauentura in 1. dist. 30. a. 1. q. 3. ex Philosopho, quia essentialiter est potentia receptiua formæ, & illi commensuratur in hoc quod est eius naturæ, quæ sit actuabilis à forma in ordine ad compositum, propter quod vtraque à natura intenta est.

Secundò hinc sequitur, relationem hanc non esse ad purè terminum, vt est prædicamētalis, id est non habere munus purè recipiendi, sed aliquam aliam rationem à termino, aut circa terminum, puta subiecti : quomodo accidens recipit substantiam, cui inhæret ; obiecti vt scientia respicit scibile, tanquam repræsentatiua ipsius à quo specificatur ; efficientis, & finis, qualis est respectus creaturæ ad Deum ; termini vniti, vt vnionis hypostaticæ, quæ vnit Verbum humanitati, &c. vt Soar. loc. cit. sect. 3. & alij cum Caiet. l. 5. de ente, & essentia c. 15. etsi contrarium sentiant plerique tam veteres, quàm recentiores. Nam quicquid sit de relatione transcendentali in communi, illa, quæ tribuitur potentiis in ordine ad actus & formas perfectiuas ipsarum talem habet ipsis connexionem, vt essentiæ ipsarum ab actibus pendeant : adeo vt si per impossibile actus implicarent, potentias quoque destructum iri necessarium sit, quoniam amplius non remaneret conceptus ipsarum : eo quod impossibilium nulla sit potentia, & vox ipsa idem indicat, quia potentia alicuius potentia est, siue de actiua, siue de passiua sit sermo : vnde & definiri dicuntur potentiæ per actus ex 9. Metaph. t. 13. quod explicat S. Bonau. in 2. d. 19. dub. 2. lit. de actibus complectentibus totam potentiam : id est ad quos potentia se extendit, quod est dicere actus in genere respondentes tali potentiæ, & non per hos, aut illos in specie. Quare

Potentiæ definiuntur per actus.

S. Bonau.

Tertiò, Ratio ordinis trāscendentalis vnius rei ad aliam non potest esse solùm aliquid extrinsecum ; aut accidentale, quia ordo iste essentialis est rei relatæ ; neque item est sola connexio eiusdem cum termino ; nam Deus in

ſententia probabili Soarij habet connexionem neceſſariam cum creaturis poſſibilibus; neque tamen in eadem habet talem ordinem ad illas, quem negat etiam S. Bonauentura in 1. d. 30. cit. ex Philoſopho 12. Metaph. t. c. 36. & duæ proprietates poſſunt eſſe connexæ in eodem ſubiecto, ſine reſpectu tranſcendentali: verbi gratia riſibilitas, & flebilitas in homine: quin & ipſa diuina gratia eſt deletiua peccati: & hæc excellentia ſupponit poſſibilitatẽ peccati: quomodo enim ſit deletiua peccati, ſi peccatum implicet: & tamen ex hypotheſi impoſſibili quod implicaret, non implicaret gratia, quæ eſt participatio quædam ſublimis diuini eſſe independens omnino à peccato, ſicut & ipſe Deus eſſet potens delere iniquitatem, quantum eſt de ſe, licet implicaret iniquitas: quia in huiuſmodi ſuppoſitionibus connexio non dicit indigentiam, aut dependentiam, ſed excellentiam ex parte vnius tantam, quæ poſſet in impoſſibile, ſi eſſet poſſibile; propterea connexio præcisè neque ſufficiens eſt fundamentum relationis tranſcendentalis inter connexa, neque argumentum vniuerſale influens implicantia connexorum ex hypotheſi impoſſibili implicantiæ alterutrius: ſed aliquid aliud præterea requiritur, præter terminationem puram, & connexionem.

In relatione tranſcendentali eſt aliqua cauſalitatis, ſaltem reſpectu vnius termini in alterum.

Quartò igitur oportet intercedere aliquam cauſalitatem, vel mutuam, vel ſaltem ex parte vnius extremi: & proinde terminus præter rationem terminandi habet rationem perficiendi aliquo modo id à quo reſpicitur. Colligitur inductione omnium relatiuorum huiuſce generis: nam creatura quælibet refertur ad Deum, & ab eo habet quicquid eſt cum omni dependentia ab ipſo: & ideo talis relatio dicitur eſſentialis à S. Bonauentura in 1. d. 30. dub. 4. lit. Vnio hypoſtatica refertur tranſcendentaliter tum ad naturam humanam, qua ſuſtentatur in genere cauſæ ſubiectiuæ; tum ad perſonam Verbi, à qua pendet in genere cauſæ efficientis, ſicut à cæteris perſonis, & in alio genere cauſæ quaſi formalis extrinſecæ, quia eſt talis naturæ, vt vniat illi naturam humanam, & non Patri, neque Spiritui ſancto, & reſpicit ſecundam perſonam tantum, vt S. Bonau. in 3. d. 2. a. 3. q. 2. c. cum communi: ideoque dicitur influxus perſonalis Verbi in naturam, vt Soar. t. 1. in 3. p. diſput. 8. ſect. 3. quomodocumque deinde diſtinguatur ab Incarnatione, vt dicit actionem, de quo alibi. Viſio item beata dicit ordinem tranſcendentalem ad eſſentiam diuinam, & ab ea accipit ſuam perfectionem in multiplici genere cauſæ, ſed potiſſimum objectiuæ formalis. Materia refertur ad formam; & ab ea perficitur: forma refertur ad materiam, & ab ea vel ſuſtentatur, vel accipit neceſſaria ad operandum. Potentia actiua reſpicit actus, & iſti obiecta, à quibus ſpecificantur: accidentia omnia dicunt ordinem ad ſubiecta, quibus vel inhærent, vel adhærent: & ſic de cæteris: nullum enim ens inuenitur tranſcendentaliter relatum, quod non reſpiciat terminum vt aliquo modo perfectiuum, vſurpando nomen perfectiui latè pro omni eo, quod vel intrinſecè afficit, vel extrinſecè concurrit ad eſſe relatiui.

Et à priori ratio eſt; quia nihil ordinatur ad aliud ex ſua natura, quod non ſit ſibi aliquo modo conueniens, & bonum: eſſet enim inordinatio in natura ordinatio ad malum, vel ad non bonum: & conſequenter ad id, quod indifferenter ſe habet vel diſparatè ad aliud, non eſt ordo, neque connexio cum illo; ergo omnis terminus ad quem eſſentialem ordinem habet res aliqua, confert ad eius perfectionem: ideo Deus eſt abſolutus ab omni tali ordine, vt ſupra ex S. Bonau. quia non eſt perfectibilis vllo modo à creatura, vtpotè perfectionis infinitæ, à qua omnis perfectio creaturæ deriuatur. Quod autem obijciunt aliqui, Verbum per vnionem hypoſtaticam referri ad humanitatem ſibi vnitam, & Deum per actionem phyſicam ad terminum productum, facilè reijcitur, quia neque Deus trinus ad extra, neque Verbum ad naturam humanam habet reſpectum vllum realem intrinſecum, neque tranſcendentalem habere poſſunt ob dictam rationem. De relationibus diuinis perſonarum alia ratione philoſophandum eſt, vt in propria quæſtione videbimus. Interim manifeſtum eſt, actus, & formas ſupernaturales eſſe perfectiones potentiarum: & ideo defectu huius conditionis non obſtat, quo minus referantur tranſcendentaliter.

Quintò. Quia hæc perfectio non eſt ſolùm à termino in genere cauſæ efficientis, aut materialis, aut alterius requirentis exiſtentiam vt cauſet, ſed poteſt etiam prouenire à re poſſibili tam futura, quàm non futura: propterea relatio tranſcendentalis non ſemper exigit terminum vtrumque exiſtentem: certum enim eſt, materiam exempli gratia, dicere ordinem ad formas non exiſtentes, & potentiam actiuam ad actus nuſquam futuros; propterea non eſt ad terminum hunc, vel illum in indiuiduo, ſeu ſpecie determinata, ſed ad perfectiuum indeterminatè hoc, vel illud, cui deinde accidentale eſt, quod determinetur ad hanc, vel illam ſpeciem, hoc, vel illud indiuiduum. Non dico eſſe ad terminum in communi in ſtatu abſtractionis logicæ, ſed indeterminatè ad hunc, vel illum: nam ratio illa communis abſtractiuè ſumpta non eſt niſi per intellectum, ordo autem eſt realis ad terminum realem ante opus intellectus; Et rurſus non eſt potius ad hunc terminum, quàm ad illum determinatè ſumptum, igitur ad hunc, vel illum indeterminatè quandoquidem ad omnes determinatè non poteſt eſſe, cum ſint infiniti, & impoſſibile ſit omnes exiſtere, & actu terminare; ordo verò non eſt ad impoſſibilia; & hoc vniuerſaliter loquendo de ordine tranſcendentali. nam ob connexionem aliquam particularem, poteſt ordo alijs eſſe ad terminum determinatum, vt aliqui ſentiunt de forma ſubſtantiali reſpectu talis corporis, & omnes de viſione beata reſpectu Dei. Atque hæc delibaſſe ſit ſatis; nolui digredi ad quæſtiones philoſophicas de terminis potentiarum tam actiuarum, quàm paſſiuarum, in quibus conſtituendis altercantur Philoſophi.

Relatio tranſcendentalis non requirit exiſtentiã vtriuſque termini.

Prima Assertio.

POtentia obediẽtialis passiua naturæ rationalis inadæquatè sumpta, secundùm significatum in recto dicit ordinem transcendentalem ad dona supernaturalia, quorum habet innatum appetitum. Sub ijs terminis admittitur etiam a contraria sententia putante quæstionem esse de vocibus, nisi ordo iste improbetur, qui cum non distinguatur ab appetitu ipso ingenito, si potest hic esse rerum supernaturalium, necessariò erit & ordo ad illa; atque adeo ex dictis de appetitu innato maneret probata assertio de ordine transcendentali: sed quia formalitate aliqua distingui potest appetitus ab ordine, & eludi consequentia vnius ex altero: ideo adhuc magis in particulari probo assertionem de ordine transcendentali formaliter.

Primò ex Patribus, qui in natura rationali agnoscunt hunc ordinem, dum exprimunt illa, in quibus consistit, qualia sunt aptitudo, seu potentia ad dona supernaturalia, singularis proportio eius cum illis, ordinatio ad illa, quæ supra numerata sunt: & valent illa potissimum ex S. Augustino lib. 1. de prædestin. Sanctorum, c. 5. Posse habere fidem, *sicut posse habere charitatem naturæ est hominum*, &c. sit ergo *gratia naturæ attributa, quas sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus, ibidem.* & contra Iulianum c. 3. *Neque enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum lapidibus, aut lignis, pecoribusque præstatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam ex dictis supra.*

Ex S. Prosper, sent. 139. Non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cuius hoc vitium est potius, competeret esse cum Deo.

Ex S. Cyrillo Alex. contra Antropomorph. cap. 5. *Capax est hominis constitutio, aut potius natura & bonitatis, & iustitia, & sanctificationis, eorumque insitum à Deo habet desiderium.*

Quò pertinent plura testimonia SS. Bonauenturæ & Thomæ supra recitata, ex quibus conficitur argumentum, capacitas, aptitudo, imago, potentia sunt ordo quidam ad terminum essentialiter: natura rationalis habet capacitatem, aptitudinem, &c. donorum supernaturalium, ergo & ordinem essentialem, qui est transcendentalis ipsi identificatus.

Neque hîc locum habet responsio, quæ datur à recentioribus pro potentia obedientiali actiua, quòd nimirum Patrum testimonia intelligantur, de potentia remota, quæ simpliciter non est potentia, aut de potentia conditionata, quæ nullum dicit ordinem, aut de concursu partiali immediato, quem habent potentiæ simul cum gratia, & proprius est naturæ rationalis, minime conueniens irrationali; nam huiusmodi interpretatio non potest accommodari potentiæ passiuæ, & capacitati donorum, quia hæc conuenit naturæ rationali ex eo quod est essentialiter imago Dei, & proinde proximè, ac formaliter capax donorum, ac ordinata ad ipsum vt ad finem consequendum modò sibi proprio, qui est per coniunctionem visionis, & amoris: idque absolutè, & non conditionatè, loquendo de requisitis intrinsecè ex parte creaturæ, quæ non stant sine ordine transcendentali, nisi ponatur imago, capacitas, ordinatio, & non terminus eius, sine quo nec esse, nec concipi quidem possunt.

Secundò probatur ratione; quia adsunt recensitæ conditiones requisitæ ad ordinem transcendentalem in huiusmodi natura: quales sunt primò connexio inter ipsam, & dona gratiæ; hæc enim cum sint accidentia, postulant sibi subiectum, in quo recipiantur, ac sustententur, non qualecumque, sed proportionatum, & aptum ad participandum effectum formalem prouenientem ab ipsis, puta esse gratum, amicum, fidelem, beatum, &c. quorum sola natura rationalis est capax; exigentia donorum vt sustententur, & afficiant subiectum proportionatum: & aptitudo, & capacitas huius ad recipiendum formalem effectum ipsorum connexionem inuoluit: alioqui nullum esset inter hoc discrimen à subiectis disparatis, in quibus non exigunt esse dona, neque communicare possunt effectus formales proprios.

Secundò consequenter talis connexio est cum mutua dependentia perfectibilis, & perfectiui; natura namque rationalis perficitur à donis: & hæc accipiunt sustentationem, quam deposcunt ab illa, & non ab alia natura.

Tertiò principaliter, quia connexio cum dependentia tanta est, vt sublatis donis per impossibile tollatur natura rationalis, & vice versa; probatur, quia gratia ex sua essentia habet vt formaliter reddat gratum, & amicum Deo subiectum, in quo est, & vt sit semen gloriæ; visio item beatifica, vt beatum faciat illam habens; ergo ex hypothesi impossibilitatis subiecti amicabilis, & beatificabilis gratia non est gratia, neque visio est beatitudo, quia illa non est apta amicum reddere, neque ista facere beatum, cum non sit aptitudo, seu potentia impossibilis. Item natura rationalis ex eo quod rationalis est, imago Dei est, & sanctificabilis per gratiam, & ordinata ad beatitudinem perfectam, vt supra ostendimus: ergo si esset impossibilis gratia, & visio beata non esset imago, neque sanctificabilis, neque ordinata ad beatitudinem: ac proinde nec creatura rationalis, quia sanctificabilitas, siue potentia passiua recipiendi sanctitatem, & gloriam est ipsa entitas naturæ rationalis.

Dices, in data hypothesi non tolleretur essentia naturæ rationalis, sed tantùm denominatio extrinseca receptibilitatis talis formæ, quæ ex suppositione, quod sit impossibilis, non potest denominare subiectum receptiuum sui; sicut si esset impossibilis aliqua forma particularis, materia retineret idem esse, licet non eamdem denominationem potentiæ subiectiuæ respectu talis formæ, nisi sub conditione quod esset possibilis, & in Deo manet idẽ conceptus omnipotentiæ etiamsi non se extendat ad chimerã, ad quã se extenderet, si esset possibilis; sic igitur data impossibilitate

donorum ſupernaturalium maneret creatura rationalis, quia ſi eſſent poſſibilia, reciperet illa, & illorum effectum formalem.

Contra eſt, quia denominatio imaginis Dei non eſt denominatio extrinſeca, ſed prædicatum eſſentiale intrinſecum diſtinctiuum creaturæ rationalis à qualibet alia non rationali: conſequenter nec capacitas ſanctificationis, & beatitudinis, quæ formaliter ad imaginem conſequitur, & realiter cum illa identificatur, eſt denominatio extrinſeca, ſed intrinſeca entitas cum habitudine ad formam ſanctificantem, & beatificantem, non ſub conditione, quod ſint poſſibiles, ſed abſolutè quia ſunt poſſibiles; & vice verſa ipſæ non ſunt formæ ſanctificatiuæ, & beatificatiuæ ſub conditione, quod non implicet natura rationalis, ſed abſolutè, quia non implicat alioqui licebit etiam dicere, quòd aliæ potentiæ tam actiuæ, quàm paſſiuæ ſunt tales ſub cõditione quod ſint poſſibiles actus, vel formæ, quas producere poſſunt, vel recipere; immo & dicerentur potentiæ impoſſibilium: quia ſi eſſent poſſibilia, ad illa ſe extenderent, quod eſt abſurdum; quis enim dixerit in Deo, exempli gratia, eſſe potentiam producendi chimeram, quia ſi hæc eſſet poſſibilis, ad illam ſe extenderet? Manet ergo idem conceptus omnipotentiæ, quia non pendet à re poſſibili, vel impoſſibili: ſiue quia non habet connexionem cum creaturis, vt putat Vaſq. ſiue quia data connexione, vt tuetur Soarius, nulla eſt dependentia in eo, à quo dependent omnia: non ſic in creatura rationali, quæ ſi eſſent impoſſibilia dona ſupernaturalia, & beatitudo non eſſet imago Dei, capax gratiæ, & beatitudinis, ac proinde careret prædicato eſſentiali, per quod diſtinguitur à belluis, & creaturis inanimis. In quo diſpar eſt ratio materiæ, & ſimilium potentiarum, quæ non habent maiorem connexionem cum vlla forma particulari, quàm cum reliquis, quantum eſt de ſe: natura vero rationalis ex eo quod eſt imago Dei, habet ſpecialem habitudinem ad dona, per quæ ipſi vnitur, vt fini optimo, quam non habent aliæ creaturæ: & ideo ſi per impoſſibile implicarent dona, non eſſet imago Dei, quod eſt non eſſe creaturam rationalem.

Capacitas ſanctificationis, & imago Dei ſunt idem realiter.

Natura rationalis ex eo quod eſt imago Dei, habet ſpecialem habitudinẽ ad dona per quæ ipſi vnitur.

Confirmatur, quia ex ſuppoſitione impoſſibili, quòd creatura, quæ de facto inſeruit Deo ad effectus miraculoſos inſeruire non poſſet, colligeretur eſſe diuerſæ naturæ, quàm ſit de facto: & in propoſito ſi creatura rationalis per gratiam non eſſet ſanctificabilis, aut per viſionem beatificabilis, ſequeretur non eſſe eiuſdem ſpeciei, cuius de facto eſt: at ſi implicarent dona ſupernaturalia, neque ſanctificari, neque beati poſſent, defectu capacitatis formæ ſanctificantis, & beatificantis, ergo eſt connexio eſſentialis perfectibilis, & perfectiui; quid vltra requiris ad ordinem tranſcendentalem? quod enim formæ huiuſmodi ſuperent vires naturæ, non variat connexionem inter eſſentias, immo concurrit ad eam cauſandam: quia intantum eſt poſſibilis forma ſupernaturalis inquantum datur cauſa efficiens illius, & cum potentia paſſiua eius receptiua ſupponat poſſibilitatem prædictam vt eſſentialiter ad ſe ordinatam conſequenter ſupponit etiam cauſam efficientem vt requiſitum eſſentiale, atque adeo cauſa efficiens concurrit ad connexionem non conditionatam, ſed abſolutam, niſi conditio vſurpetur latiſſimè pro omni requiſito: quomodo etiam diceretur conditionata connexio potentiæ cum actibus naturalibus, quas non poſſunt operari niſi dependenter à ſuperioribus cauſis, & ſolum eſſet diſcrimen, quod illud exigitur à natura, non autem auxilium ſupernaturale; ſed hoc non facit connexionem conditionatam propriè, & in rigore, quia quæ eſſentialiter connexa ſunt, conditionatè connexa non ſunt, ſed abſolutè; neque conditio ingreditur eſſentiam eorum.

Dices, eamdem connexionem habet potentia paſſiua obedientialis cum formis ſupernaturalibus, quam habet actiua cum actibus à ſe producibilibus; ſed hæc non habet, niſi conditionatam, ex ſuppoſitione quod eleuetur ad agendum, cum de ſe ſit impotens omnino, & alioqui non ſit connexio, niſi potentiæ cum actibus, ergo etiam paſſiuam habet conditionatam, & proinde non dicit ordinem tranſcendentalem ad effectus ſupernaturales, qui includit connexionem abſolutam.

Reſpondeo, nego minorem: nam licet potentia obedientialis actiua creaturæ in vniuerſum conſiderata non habeat ordinem tranſcendentalem ad effectus ſupernaturales: tamen in particulari vt deſcendit ad potentias vitales, non caret iſto ordine; pro quo ſit

Secunda aſſertio.

XI. POtentia actiua obedientialis facultatem vitalium dicit ordinem tranſcendentalem ad actus ſupernaturales, quos vitaliter elicere poteſt per gratiæ auxilium. Eſt auctorum ſecundæ ſententiæ. Probatur primò ex auctoritatibus Patrum agnoſcentium in ijs potentiis connexionem cum iſtis actibus, quatenus ab illis produci poſſunt, ac poſtulant, ſicut & in illis recipi, vt in præcedente aſſertione diximus. S. Auguſt. lib. de bono Perſeu. c. 14. *Ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio munus intelligentiæ, quo moueatur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*; hæc eſt habilitas quædam naturalis, & potentia partialis credendi poſito auxilio, qualis non eſt in creaturis non intellectiuis, neque in ipſo homine ad actus improportionatos naturæ ſuæ. Eſt ergo quædam connexio inter fidem, & intellectum. De ſpiritu, & littera c. 33. *Vocante Deo ſurgit*, de libero arbitrio, quod naturaliter non crearetur, accepit; quod & repetit c. ſequenti. S. Auguſt.

S. Fulgent. de Incarn. & grat. c. 24. *Agnoſcat igitur homo in eo, ſe naturaliter credere poſſe, in quo naturam habet credulitatis, ac fidei capacem, quod animalibus irrationabilibus datum diuinitus non eſt.*

Et vniuerſaliter Apoſtol. Rom. 2. *Gentes* (inquit) *quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt*, & loquitur de obſeruatione, quæ conducit ad iuſtificationem: Rom. 2.

Digitized by Google

ait enim, factores legis iuſtificabuntur, & ad eam inducuntur naturaliter, id eſt ductu naturæ, & per vires eius, vt Soarius ſecutus probabilem interpretationem Patrum multorum in lib. 1. de Grat. c. 8. non quia ſolius naturæ vires ſatis ſint ad præparationem iuſtificationis: ſed quia in ipſis aptitudo eſt ad cooperandum gratiæ eleuanti, & proinde connexio cum actibus eius adiutorio elicitis, per quod probatur aſſertio: quia licet rationales facultates ſine eleuatione ſupernaturali non ſint ſimpliciter potentiæ, quia nihil proximè poſſunt in actus ſupernaturales: tamen natura ſua tales ſunt, vt cum auxilio gratiæ poſſint influere vitaliter, quod non poſſunt aliæ creaturæ, & hoc eſt illis eſſentiale, cum non ſit quid diſtinctum ab entitate ipſarum: & rurſus actus vitales ſupernaturales poſtulant produci, ſicut & recipi ab ipſis vitalibus potentijs; igitur eſt connexio eſſentialis inter illa, nempe cauſæ dantis, & effectus accipientis vitalitatem, ita vt vitalitas paſſiua, ſiue accepta actuum reſpondeat vitalitati actiuæ, ſiue potentiæ danti, & cum tali dependentia, vt poſita poſſibilitate ex parte vnius, ponatur ex parte alterius, & ſublata tollatur: igitur eſt ordo tranſcendentalis, & eſſentialis inter ipſas ſiquidem ordo aliquis intercedit, & non prædicamentalis, qui non eſt niſi inter terminos exiſtentes; neque rationis, quia nullo intellectu cogitante, vtraque vitalitas actiua, & paſſiua eſt in potentia, & actu; neque eſt denominatio extrinſeca in vno à relatione alterius, vt eſt in ſcientia, & ſcibili, quia potentia non denominatur vitalis ab actu, ſed ex ſua intrinſeca entitate vitalis eſt; & actus itidem intrinſecam vitalitatem habet à potentia acceptam, igitur reſtat, vt ſit ordo tranſcendentalis, id eſt habitudo eſſentialis potentiæ ad actus poſſibiles, tanquam ad perfectiuos ſui.

Dices, præciſo auxilio ſupernaturali patientiam intellectiuam, & volitiuam non habere virtutem producendi vitaliter actus ſupernaturales, atque ita neque ordinem tranſcendentalem.

Contra, quia virtus influendi vitaliter completur quidem, & eleuatur ab auxilio gratiæ, non tamen tribuitur ab ipſo, ſed eſt intrinſeca potentiis: & huic virtuti actiuæ reſpondet vitalitas effectus etiam ſupernaturalis, provt concipitur diſtincta à ſupernaturalitate, quam tribuit auxilium gratiæ. Ex quo

Confirmatur aſſertio, quia hoc auxilium ſiue ſe teneat ex parte actus primi, vt habitus, ſiue ex parte actus ſecundi pro concurſu Dei eſſentialiter ordinatur ad actus ſupernaturales, qua ſupernaturales, ergo & potentiæ vitales ordinantur ad eoſdem qua vitales ſunt; nam ſicut habitus ex ſeipſo non poteſt operari, niſi cum potentia: ita neque hæc poteſt operari ſupernaturaliter ſine habitu, aut auxilio: atque adeo ex vtroque fit vnum principium actus, qui totus eſt ab vtroque; ſed ſecundùm vnam rationem ab vno, & ſecundùm alteram ab altero; & adeo totum hoc principium habet ordinem ad actum ſibi reſpondentem, & non ſolùm pars illius, nempè habitus ſupernaturalis, ſed etiam potentia per illum eleuata, non tamen ab illo accipiens vim operandi vitaliter, cum vice verſa eam participet habitus vt illi coniunctus.

Ex potentia, & habitu fit vnum principium dicens ordinem ad actus proportionatos.

In quo differt potentia obedientialis vitalis à non vitalibus, quia creaturæ inanimæ non habent peculiarem virtutem reſpectu effectuum ſupernaturalium non vitalium, ad quos producendos aſſumuntur à Deo: neque vllam connexionem cum illis ante concurſum inſtrumentalem, vt patet in Sacramentis reſpectu gratiæ, quibus nulla eſt conuenientia, nulla proportio cum gratia, ſiue illam moraliter, ſiue phyſicè producant. At verò potentia vitalis habet connexionem, & conuenientiam cum actibus vitalibus, quibus dat eſſe vitale, quia formaliter & ipſa vitalis eſt, & vitaliter operatur, etiam cum ſupernaturaliter operatur per virtutem intrinſecam eleuatam.

Sic igitur argumentor, potentia vitalis, verbi gratia, voluntas dicit ordinem tranſcendentalem ad actus ſupernaturales, vt liberi ſunt, ergo etiam vt vitales ſunt. Sequela patet, quia ſi inſtituta eſt ad productionem actuum vt liberi ſunt, ergo etiam vt vitales ſunt: quia vitalitas in tali actu vitalitatis non diſtinguitur à libertate ſecundum ſignificatum in recto ipſius. Antecedens probatur, quia habet omnia requiſita ad hunc ordinem ſupra numerata, conuenientiam videlicet, ordinationem, proportionem perfectibilis, & perfectiui, connexionem cum dependentia, quia eſſentia huiuſmodi potentiæ non conſiſteret, ſi per impoſſibile actus ſupernaturales liberi, & vitales implicarent, ab ipſa fieri: tunc enim volùtas non eſſet productiua illorum, ac proinde neque eius naturæ, cuius nunc eſt; quemadmodum ſi per impoſſibile, non eſſent poſſibiles fieri ab ea actus naturales liberi ſed tantùm ſupernaturales, non eſſet eiuſdem naturæ, cuius nunc eſt, & licet ad illos per ſe ſit inſtituta, eoſque primariò recipiat, vtpotè non excedentes vires ſuas naturales, tamen hoc non impedit, quin arguamus, fore diuerſæ eſſentiæ, ſi ſupernaturales nullo modo poſſet attingere, quos non poteſt ſuis viribus, quia non minus illi eſſentiale eſt poſſe inſernire Deo ad ſupernaturales liberè, & vitaliter producendos, quàm viribus propriis naturales producere; quare ſi illud implicaret, argueret naturam diuerſam: ſicut ſi implicaret quantitatem penetrare ſe cùm altera, argueretur diuerſitas naturæ ab ea, quam de facto habet, cui non repugnat penetrabilitas. Et idem eſt de intellectu Angeli, & hominis, qui ſi cuchi non poſſet ad actus fidei, & viſionis ſupernaturales, non eſſet eiuſdem ſpeciei, cuius nunc eſt.

Dices, requiri præterea ad habitudinè tranſcendentalem, vt termini ſint proportionati in eſſe naturæ, & non excedant vires eius.

Contra, quia gratia, & actus ſupernaturales dicunt eſſentialem ordinem ad naturam rationalem, igitur non requiritur conuenientia in natura, ſeu in eſſe materialiter conſiderato; ſed ſufficit, quod ſecundum eſſe perfectibilis. Deinde cum ſint vitales, habent principium actiuum vitale ſibi reſpondens, id eſt potentiam eleuatam; eſt ergo

habitudo inter iſtas duas vitalitates actus, & potentiæ, non niſi tranſcendentales, vt ſupra. Tertiò, hoc eſt in quæſtione, an ſit ordo tranſcendentalis ad rem improportionatam in eſſe naturæ, ſed proportionatam in eſſe perfectibilis, & perfectiui, non quocumque modo, ſed peculiari accommodato, & conuenienti tali naturæ, & non aliis, vt ſuprà.

Argumenta contra prædictã Sententiam.

CAPVT IV.

XII. PRimum eſt, quia ſi datur talis ordo tranſcendentalis, & innatus appetitus potentiæ obedientialis tam paſſiuæ, quàm actiuæ, dantur etiam rationes ſeminales effectuum ſupernaturalium, quod eſt contra ſæpius citatam auctoritatem S. Auguſtini l. 9. Gen. ad lit. c. 17. aſſerentis, quod habet Deus in ſeipſo abſconditas quorumdam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit: per has enim rationes intelligit facultates actiuas, & paſſiuas rerum creatarum, vt S. Thom. ſuprà; has ergo ſi concedimus ineſſe naturæ rationali ad actus ſupernaturales, & ſeminales rationes concedi opus eſt, contra Auguſtinum reſeruantẽ Deo.

Confirmatur, quia potentia, ſi qua eſt, ſolùm conditionata eſt ex ſuppoſitione auxilij diuini, quo præciſo nulla eſt potentia: iuxta illud Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: & 2 Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis*; quò pertinent plura dicta Conciliorum, & Sanctorum Patrum omnem vim naturæ negantium ad actus ſalutis, non ſemel recitata ſuperius; ex ijs enim probari videtur, neque vllum ordinem eſſentialem admittendum ad actus ſupernaturales, quia iſte idem eſt cum potentia, quæ refertur: & ideo vbi non eſt potentia, neque ordo tranſcendentalis eſſe poteſt.

Confirmatur ſecundò, quia cum omnis creatura ſit in potentia obedientiali ad vſus omnes, quos Deus voluerit, & habeat potentiam remotam ad effectus ſupernaturales, haberet etiam ordinem tranſcendentalem ad illos, quod neque nos admittimus. Ad argum.

Reſpondeo, nego ſequelam antecedentis. Ad auctoritatem S. Auguſtini, loquitur ille de effectibus ſupernaturalibus in vniuerſum, quorum cauſas habet Deus apud ſe abſconditas, & non inſeruit naturalibus rebus, quia non dedit naturæ virtutem completam ipſorum, ita vt illos attingere poſſit ſine eleuatione, ſicut dedit cæteris agentibus naturalibus, vt cum generali concurſu agant ſuas operationes per proprias virtutes; at virtutem incompletam, & remotam apertè tribuit naturæ locis ſupra cit. potiſſimum vbi de poſſibilitate actiua, & paſſiua naturæ rationalis reſpectu actuum ſupernaturalium, ad quos concurrit vt cauſa partialis diuerſo modo, quàm cæteræ creaturæ ad effectus ſupernaturales, ad quos aſſumuntur vt inſtrumenta, & ideo habet ordinem ad illos, non item iſtæ.

Inſtabis, quia Patres nouunt vocare potentiæ nomine actiuitatem remotam, & ſolùm completam gratiæ conſortio Potentiam nominant, ergo etiam negant illam eſſe connexam ordine tranſcendentali cum actibus ſupernaturalibus, qui non eſt, niſi vbi vera potentia eſt, & ſemper cum illa eſt, quia vera potentia rei ſibi poſſibilis eſt: impoſſibilis autem non eſt Potentia.

Reſpondeo, Potentiam remotam creaturæ ad actus ſupernaturales duplicem eſſe, aliam vniuerſalem communem omnibus ad omnes effectus: aliam particularem rationalis naturæ, vt talis eſt, nimirũ vt potens operari per intellectum, & voluntatem. Primam non appellant potentiam, quia omnis potentia alicuius potentia eſt, cum quo habet conuenientiam, & & proportionem aliquam ſeu connexionem; potentia autem vniuerſalis creaturæ remota non habet vllam talem connexionem cum effectibus ſupernaturalibus, ſed aſſumitur à Deo pro ſuo beneplacito ad hos, vel illos. Secundã vocant potentiam, & poſſibilitatem propriam naturæ rationalis, quia habet connexionem cum ſuis effectibus, qui exigunt illam, vt principiũ à quo manant, & vt ſubiectum, in quo recipiuntur. Quare vtraque potentia tam vniuerſalis, quàm particularis incompleta, & remota eſt, & ex ſe ſola nihil poteſt ſupernaturale efficere, ſed prima eſt prorſus diſparata, & vaga; ſecunda eſt proportionata, & reſtricta ad effectus ſibi reſpondentes in libertate, & vitalitate, ad eoſque concurrit velut cauſa partialis ſeipſam mouens vt infra, & ideo potiori iure meretur Potentiæ appellationem. Ex quo patet

Potentia remota obedientialis eſt duplex.

Ad primam confirmationem, nam ſine gratia nihil poteſt operari ad ſalutem, cum gratia & poteſt, & operatur effectus ſupernaturales quidem, ſed ſibi proportionatos, & vitales; *Sine voluntate tua non erit in te iuſtitia Dei* (ait S. Aug. ſer. 15 de verb. Apoſt. c. 10.) *Vtrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei, & charitatis*, de præd. Sanctorum, l. 1. c. 5. Sicut ergo cum gratia operatur voluntas, ita & habet potentiam operandi cum illa, ſeu cooperandi, ſed non ſufficientem ſine illa. De aqua autem, vel oleo non dicimus habere potentiam producendi gratiam, quia licet poſſint aſſumi vt inſtrumenta, tamen non habent ex ſe vllam conuenientiam, aut connexionem cum illa, ac proinde neque ordinem tranſcendentalem, ſicut habent potentiæ intellectiua, & volitiua, ob allatas rationes. S. Auguſt.

Ad ſecundam confirmationẽ patet ex dictis, quia potentia illa remota vniuerſalis non habet conuenientiam, aut connexionem vllam cum effectibus ſupernaturalibus, neque iſti cũ illa, & ideo non meretur Potentiæ nomen, & caret omni habitudine ſecundũ ſe cõſiderata.

Secundum Argumentum

EST, quia poſito hoc ordine tranſcendentali potentiæ ad actus ſupernaturales, deberetur illi complementum ſupernaturale ad illos producẽdos, quod eſt contra excellentiam ipſorũ, & contra cõmune axioma Theologorum, quod naturæ nihil debetur ex ſupernaturalibus; Patet ſequela: ideo enim debetur naturæ concurſus ad actus naturales, quia eſt virtus incompleta ordinata ad illos producendos; ergo ſi talis eſt etiã reſpectu ſuperna-

Digitized by Google

turalium, debetur illi cõcursus supernaturalis.

Nec valet dicere, Deum non obligari ordine transcendẽtali naturæ ad concursum illi præbendum ad actus naturales, sed ex intrinseca exigentia principiorum, quæ naturæ debentur ad operandum naturaliter; nam eo ipso quod ponitur ordo transcendentalis ad effectus supernaturales, simul ponitur exigentia concursus diuini necessarij ad illos, quia exigentia intrinseca naturæ non est aliud, quàm ordo intrinsecus, & transcendens in suam perfectionem, neque aliter apprehenditur natura exigere concursum diuinum ad alios actus, nisi quia apprehenditur relata ordine transcendentali ad illos, tanquam ad perfectiones intrinsecas; hinc autem sequeretur, actus illos esse naturales, & debitos, vtpotè à natura exigente concursum ad illos.

Confirmatur. Habitus infusi ideo postulant aliquando concursum supernaturalem, quia suapte natura sunt ordinati ad actus, & habent respectum transcendentalem ad illos; ergo si potentiæ intellectiua, & volitiua habent prædictum ordinem ad actus supernaturales; exigunt etiam concursum ad illos.

Respondeo ad argumentum, nego sequelam; ad probationem respondeo, non solùm deberi concursum ad actus naturales, quia ordinata est ad illos, sed etiã quia habet vires intrinsecas proportionatas, ac sufficientes, quas non habet respectu supernaturaliũ, sed solùm inchoatas, & impares, nisi compleantur virtute diuina, liberè se communicante. Ex quo patet

Ordo trãscendentalis non exigit cõcursum ad actus supernaturales.

Ad instantiam, nego enim ordinem transcendentalem ferre secum exigentiam concursus ad actus supernaturales, & quod exigentia sit idem cum ordine transcendentali; Est hoc falsum vniuersaliter, primò in sententia probabili ponente talem ordinem in Deo ad creaturas possibiles, nulla est exigentia productionis earum, sed Deus ex sua bonitate liberè producit; deinde in communi dantur potentiæ tam actiuæ, quàm passiuæ habentes ordinem transcendentalem ad formas, & actus, & tamen non exigentes concursum ad omnes actus possibiles, aut formas: verbi gratia intellectus Angelicus, & humanus habet ordinem ad omnes actus possibiles suæ virtuti proportionatos, quia non magis ad hunc, quam ad illum; neque tamen postulat concursum ad omnes. Item materia est potentia ad omnes formas, neque tamen exigit omnes, sed aliquam; & sic de cæteris. Tertiò igitur respondeo, ad hoc vt ordo ferat secum exigentiam concursus debere esse potentiæ completæ, qualis est intellectus perfusi lumine gloriæ; potentiæ autem vitales creaturæ rationalis sunt incompletæ respectu actuum supernaturalium, & simpliciter sunt non potentiæ. Ex quo patet

Ad confirmationem; habitus enim infusi constituunt principium completum simul cum potentijs, & ideo debetur illis concursus supernaturalis proportionatus.

Tertium Argumentum

EST. Ratio ponendi ordinem transcendentalem in potentijs istis est, quia immediatè possunt elicere actus supernaturales, vt causæ partiales influentes proprtia virtute licet eleuata in actus vitales: sed ad hoc non est necessarius talis ordo, ergo non datur. Maior est tua. Minor probatur, quia ex hoc præcisè quod intelligitur actus supernaturalis esse possibilis, & voluntas exempli gratia, cum auxilio supernaturali, sufficienter intelligitur potens illum efficere, igitur non est necessarius alius ordo, sed satis est virtus conditionata ex suppositione auxilij, quo posito transit in absolutam: & quo remoto nulla est potentia ad actus supernaturales, quia non est potentia ad id, quod superat potentiam. tales sunt huiusmodi actus, in quos nulla facultas est voluntatis, vt Patres, & Scriptura supra: & idem est de alijs formis supernaturalibus.

Confirmatur, quia omnipotentia diuina ideo est absoluta, & non conditionata, quia cum sit infinita, ex sua eminentia habet vt possit quicquid non implicat, & non eget complemento vllo, aut suppositione; At voluntas, & intellectus non sunt potentes elicere actus supernaturales, nisi dependenter à gratia, ergo non habent virtutem nisi conditionatam, quæ absolutè non est potentia, cum nihil possit supernaturaliter, non quia terminus implicet, sed quia ipsa deficit: talis autem virtus non dicit ordinem transcendentalem ad sibi absolutè impossibile.

Respondeo ad argumentum, nego minorem, quia ex eo quod est connexio inter actus, & potẽtias modo superius explicato, est etiam ordo; ad probationem, nego sequelam, quia virtus illa non est conditionata, nisi abutendo nomine conditionis ad significandum quodlibet requisitum; virtus enim, quæ de facto est, conditionata non est, quia conditio nihil ponit in esse. Æquiuocatione laborat argumentum non distinguens conditionatum ab incompleto, seu insufficienti: illud dicitur, quod absolutè non est, sed esset posita conditione; hoc verò quod absolutè est, sed non absolutè est potens, quia sine consortio alterius non potest operari, & isto adiuncto non transit de conditionato in absolutum, sed de incompleto ad completum, vel de potente remotè ad potens proximè: est enim in potentijs vitalibus virtus inchoata ad actus supernaturales, sed non meretur nomen potentiæ, quia sine auxilio perinde se habet, ac si non esset, quoad actum secundum: non autem quoad conuenientiam, & rationem perfectibilis, vt supra dictum est, & ita intelligendi Patres, ac Concilia, dum ita negant facultatem operandi supernaturalia potentijs naturalibus, vt tamen eas effectiuè concurrere, & non vt inanime quidpiam se habere in iustificatione per gratiam identidem repetant.

Conditionatum, & incompletum vel insufficiens differunt.

Ad confirmationem, negatur sequela, quia defectus complementi non reddit virtutem conditionatam, sed incompletam, vt patet etiam in naturalibus: virtus enim intelligendi in Angelo, & homine non potest exire in actũ secundum sine specie impressa; neque visiua sine lumine, & tamen non est conditionata, sed solùm insufficiens; ita in proposito virtus operandi supernaturaliter sine gratia est insufficiens, sed non conditionata quia gratia eleuat naturam, sed non dat vim natiuam intel-

ligendi, & appetendi, quæ ipſi ſupponitur: & quod dicitur habitus infuſos dare ſimpliciter poſſe, acquiſitos facile poſſe, intelligitur de poſſe proximo, quod non eſt ſine gratia in ſupernaturalibus, licet ſit inchoatum; & hæc virtus inchoata ſufficit, vt ſit appetitus innatus, & ordo tranſcendentalis ad actus ipſam exigentes, & perficientes.

Dices, ex hoc ſequi, quod bene vocetur conditionata virtus, ſeu potentia, & non abſoluta: nam ſi ponatur auxilium, ponitur & potentia: ſi non ponatur, etiam potentia non ponitur, ergo à conditione iſta pendet potentiæ ratio.

Reſpondeo, hanc non eſſe propriè conditionem, ſed indigentiam auxilij, quæ non obſtat abſolutè virtuti, alioqui nulla erit virtus abſoluta, quæ indiget conſortio alterius: conditio enim propriè dicta nihil ponit in eſſe, ſed poneret ſi ipſa purificaretur, hoc eſt poneretur actu, potentia verò operandi ſupernaturalia remota, & inchoata eſt abſolutè, & non eſſet: ſed quia incompleta eſt, & eget elevatione, ex ſeipſa non poteſt operari: & cum abſolutè ſit poſſibilis eleuatio per auxilium, etiam ex hoc capite nulla eſt conditio; ſed neque eſt ex parte actus, quia ſupponitur etiam ipſe abſolutè poſſibilis, licet dependenter à ſua cauſa, igitur ex nullo capite apparet, cur non debeat vocari potentia abſoluta.

Quartum Argumentum

EST, quia actus ſupernaturales ſunt ſupra ordinem naturæ intrinſecum, & quidditatiuum, ergo non eſt ad illos ordo tranſcendentalis in natura. Antecedens patet ex ſolemni ſenſu Theologorum conſtituentium diuerſum ordinem naturalium, & ſupernaturalium, quaſi hæc efferantur ſupra ordinem illorum. Conſequentia patet, quia non eſt ordo naturæ ad ea quæ ſunt ſupra ordinem naturæ: ordo enim dicit connexionem ordinatorum; quæ autem ſunt ſupra ordinem, ea carent.

Nec valet dicere ſupernaturalia dici ſupra ordinem naturalium, quia ſunt ſupra exigentiam naturæ: tum quia non poſſunt eſſe ſupra exigentiam, quin ſimul ſint ſupra ordinẽ tranſcendentalem eiuſdem: tum quia intra ordinem naturæ multa Deus gratuitò confert vltra debitum, & exigentiam eius, ergo ſupernaturalium excellentia poſtulat eſſe non ſolùm ſupra debitum, ſed ſupra omnem ordinem naturæ.

Confirmatur ex abſurdis contrariæ. Primò nulla eſſet res creata, aut creabilis, quæ ordine tranſcendenti, & immediata connexione non referatur ad omnes creaturas poſſibiles: probatur, quia per te quælibet creatura eleuari poteſt ad omnes effectus poſſibiles, igitur hæc potentia reſpicit omne poſſibile. Secundò, Deus in qualibet creatura cognoſcere poſſet omnia, quæ in ſua omnipotentia cognoſcit: nam ordo tranſcendens, & connexio cum aliquo eſt medium ſufficiens cognoſcendi terminum ab eo, qui perfectè comprehendit. Tertiò, poſſet Angelus euidenter cognoſcere poſſibilitatem Incarnationis, Trinitatis, & donorum ſupernaturalium, comprehendendo naturalem cognitionem probabilem ipſorum, quia hæc tranſcendentalem ordinem habet ad ſuum obiectum, & hanc Angelus cognoſceret.

Ad argumentum reſpondeo primò per inſtantiam. Deus enim omnium ſupernaturaliũ ſupernaturaliſſimus, eſt, & ſupra naturæ ordinem: & tamen ad illum creatura quælibet habet ordinem quidditatiuũ, & eſſentialem ergo ſupernaturalitas termini non impedit ordinem tranſcendentalem naturæ. Deinde actus ipſi, & formæ ſupernaturales dicunt ordinem tranſcendentalem ad ſubiecta naturalia, in quibus exigunt ſuſtentari, cur ergo non ſint etiam termini ipſorum? Tertiò, directè reſpondeo negando ſequelam, nam quicquid ſit ordo ſupernaturalis, non caret connexione cum ordine naturali, immo ſunt ſubordinati ex natura ſua, ſicut ſunt corpora ſubſtantijs ſpiritualibus: & hæc eſt catena aurea creaturarum omnium inter ſe connexarum, & Deo ſubditarum. Patet hoc in homine condito ad imaginem Trinitatis, quæ non eſt ſine connexione, & ordine peculiari diſtincto ad eo, quem habent reliquæ creaturæ, in quibus non eſt imago, ſed veſtigium Dei, vt S. Th. 1. p. q. 45. 7. c.

Itaque negandum eſt, non eſſe ordinem, & connexionem cum ijs, quæ ſunt ſupra ordinem naturalium, quia ordo ſupernaturalis non excludit connexionem, immo includit illam, & dicit ſolùm excellentiam talem ſupra res, quæ vocantur alterius ordinis, non autem carentes relatione, ſeu reſpectu ad ſuperiora diuerſi item ordinis, vt ordo ſignificat talem rerum ſtatum, non vt relationem ad terminum. Conſequenter negamus eſſe ſine ordine tranſcendentali, quæ ſunt ſupra exigentiam, & debitum, de quo ſupra.

Ad confirmationem, non ſequeretur primum abſurdum, quia aliæ res creatæ non habent ordinem ad omnes effectus poſſibiles, ſicut habet natura rationalis ad dona ſupernaturalia: intantum enim concurrunt ad illos, inquantum ſubijciuntur diuinæ potentiæ, cui ſeruiunt, ſine alia connexione cum illis, aut proportione in eſſe perfectibilis, & perfectiui modo ſingulari, & proprio ipſorum ſuperius explicato: ideo natura rationalis habet ordinem tranſcendentalem ad dona, non item res cæteræ ad omnes poſſibiles effectus.

Nulla res creata dicit ordinẽ ad omnes effectus poſſibiles.

Ad ſecundum, dato quod Deus cognoſceret ſe in creaturis, & non ſolùm creaturas in ſeipſo, adhuc negandum eſſet, illud ſequi; quia ex natura rei effectus poſſibiles non habent connexionem indifferenter cum re qualibet, vt habent potentiæ cum actibus vitalibus, & iſti cum illis, & potentia remota eſt omnino diſparata effectibus ſupernaturalibus, ideo in ipſa non poſſunt iſti cognoſci.

Ad tertium, iam diximus Angelum poſſe cognoſcere negatiuè poſſibilitatem rerum ſupernaturalium, quatenus non videt implicantiam, quæ nulla eſt.

Digitized by Google

DISPVTATIO III.

DE CONCVRSV OBEDIENTIALI POTENTIARVM VITALIVM.

DVOBVS inter alia argumentis, siue ex duplici capite petitis, vtuntur Patroni Potentiæ Obedientialis Actiuæ, ad probandum quod sit vera, ac realis, & non fictitia. 1. est à concursu Sacramentorum, quem physicum arbitrantur ob auctoritates apparentes Sanctorum, & proinde per potentiam Obedientialem, quia per aliam non producitur gratia, aut alius effectus supernaturalis. 2. est ab operationibus supernaturalibus Potentiarum vitalium Intellectus, ac voluntatis, ad quas sunt ineptæ, nisi eleuentur. Sed ex ijs primum non est valde efficax in se, quia sententia negans Sacramentis causalitatem physicam, non est minus probabilis concedenti: Neque nobis in seruit, quia sequimur opinionem S. Bonauenturæ expresse docentis Sacramẽta solum moraliter concurrere ad effectus quos producunt: Ideo satis fuit per corollarium supra ostendisse non implicare contradictionẽ concursum physicum illorum ob rationes vniuersales omnium creaturarum, cæteris reiectis ad quæstiones particulares in materia Sacramentorum.

2. *Vero est efficacissimum, quia vt prima disputatione vidimus, omnes Theologi agnoscunt Potentiam Obedientiæ in intellectu ac voluntate ad actus supernaturales; licet plures inficientur valide ab ipsis ad res inanimes argui posse, in quibus nec radicem quidem potentiæ agnoscant, quia nec in effectibus supernaturalibus est vlla ratio proprie ipsis respondens, sicut est in partibus supernaturalibus vitalitas respondens principio vitali. Quam instantiam non multum incommodare argumento huic palmari supra ostendimus, non tamen examinauimus difficultates aliquas circa modum concurrendi Potentiarum istarum, quoniam tales tamquam graues sunt vt peculiarem disputationem deposcant, præsertim cum non possint exacte tractari quæ pertinent ad ipsarum Potentiam Obedientialem, quia simul admisceantur quæ spectant ad naturalem. Ea vero vnica quæstione complectemur in sequentia capita dispertita.*

1. An Potentiæ vitales concurrant ad actus supernaturales vt causæ principales, An vt instrumentales.
2. An vt causæ partiales.
3. An intellectio fieri possit sine concursu Potentiæ intellectiuæ per Dei absolutam potentiam.
4. An sit possibilis substantia spiritualis non intellectiua.
5. An cum æquali gratiæ auxilio Potentiæ naturales inæquales producant actus inperfectiores inæquales.

Cum reliquis responsionum propriis ad argumenta contraria singulorum capitum.

An Potentiæ vitales concurrant ad actus ſupernaturales vt cauſæ principales, an vt inſtrumentales.

CAPVT I.

1. *Aduertenda pro determinatione quæſtionis.*
2. *Duæ ſententiæ præcipuæ.*
3. *Vtraque in multis conuenit.*
4. *Potentiæ vitales eleuatæ concurrunt immediatè ad actus ſuperantes vt cauſæ partiales.*
5. *Probatio ex auctoritate multiplici, & ratione.*
6. *Quomodo intelligenda auctoritates citatæ.*
7. *Naturæ rationali intrinſecè, & formaliter conuenit ratio immediatè agendi.*
8. *Diſtinctio vitalitatis, proximæ, & remotæ non ſufficit ad explicationem auctoritatum dictarum.*
9. *Occurritur argumentis contrarijs.*

CErtum eſt illas concurrere vt eleuatas auxilio ſupernaturali, ſed quia cum ipſo operante principaliter mouent ſe extrinſeco principio vitæ, ſecus quàm operantur creaturæ inanimes, etiam cum eleuantur ad agendum ſupernaturaliter; ideo orta eſt quæſtio, an ſe habeant tanquam cauſæ partiales principales; an verò vt mera inſtrumenta inſeruientia principali Gratiæ, inter eos dumtaxat, qui contra Nominales exiſtimant ad omnes actus ſupernaturales etiam beatificos actiuè ſe habere, & non ſolùm paſſiuè recipere viſionem, & amorem. Sunt autem in ea tam multi dicendi modi, quot ſibi finxere definitiones cauſæ principalis, & inſtrumentalis Theologi, non habentes in dubia, & obſcura materia rei ſupernaturalis ſatis lucis, non ſolùm à Philoſophia, ſed neque ab vlla ſacra auctoritate quicquam ſtatuente certi, quamuis ex alijs certis deduci poſſit quid ſit illi conformius Patribus, ac Concilijs ſuffragantibus; ſed pro cuiuſque ingenio ac methodo philoſophandi. Mihi libitum reducere ad duo capita præcipua ſententias plures, magis forte de voce, & nomine, quàm de re ſollicitas.

Prima eſt eorum, qui affirmant eſſe cauſas principales, Vaſq. 1. p. q. 43. n. 15. & diſp. 176. n. 20. & 26. Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 5. ſect. 5. n. 74. citantis alios multos; Bellarm. l. 4. de Grat. c. 15. ad 1. & l. 16. c. 15. Erice 1. p. diſp. 46. c. 2. Beccan 1. p. tract. 1. c. 9. q. 4 & videtur ſupponere Mol. in concord. diſp. 38. §. 3. Aſſerimus, cum alijs multis, præſertim Thomiſtis, inter quos Aluar. de Auxil. diſp. 68. n. 7. aſſerens voluntatem eleuatam producere actus ſupernaturales vt cauſam principalem, quod probat auctoritate. S. Thomæ.

Secunda ſententia mauult eſſe cauſas inſtrumentales. Eſt Soarij in Metaph diſp. 30. ſect. 11. n. 46. in 1. part. l. 2. de attrib. negat. c. 10. n. 14. tom. 1. in 3. par. diſp. 31. ſect. 6. in ſolutione 4. argumenti. l. 3. de auxil. c. 15. n. 20. tom. 3. de grat. l. 6. c. 6. & 7. Albert. Arrubal, Faſoli, Granadi poſt Gregorium in 2 diſt. 28. q. vn. a. 2. Capreol. ibidem ad 12. Ægid. d. 26. q. 2. a. 1. & d. 28. q. 1. a. 3. & aliorum apud recentiores referentes varios modos diſtinguendi aliorum partim adhærentium primæ, partim ſecundæ. Ex ijs P. Ripal. diſp. 31. ſect. 3. cenſet naturam rationalem, vt eſt cauſa præcisè efficiens, eſſe inſtrumentalem; vt eſt vitalis, & libera, eſſe principalem, atque adeo cauſalitatem eius in actus ſupernaturales eſſe mixtam ex principali, & inſtrumentali; atque ita conciliat vtraque ſententiam de nomine, iudice ſe altercantem. Alij aliter diſtingunt apud Soar. diſp. 31. cit. ſect. 6. in ſolutione quarti argumenti late refutantem varios modos dicendi in hac re. Pro ſolutione

Primò ſuppono ſuperius dicta de cauſa principali, & inſtrumentali in genere, quod illa agit per virtutem propriam, & influit in effectum à ſe intentum illi proportionatum, non inſeruiens alteri cauſæ, cui ſubordinetur, ſed præcipua, & abſoluta actione finem ſibi propoſitum aſſequens; inſtrumentalis verò quæ alteri deſeruit, & non intendit effectum proprium, ſed alienum, id eſt cauſæ principalis ea vtentis vt medio ad illum aſſequendum, ſiue ipſa etiam per ſuam vim agat aliquid, ſiue ſolùm vt mota ab agente principali, & per virtutem eius, vt exemplis oſtendimus ſupra.

Secundò in particulari de potentijs vitalibus ſupponendum eſt, quòd ſicut virtute propria concurrunt actiuè ad actus naturales: ita & quod admittæ diuinitus ſupernaturales verè producant; nam Tridentinum ſeſſ. 6. can. 4. definit liberum arbitrium verè agere, & non ſe habere vt aliquid inanime, cum ſe diſponit ad iuſtificationem, quaſi paſſiuè ſolùm accipiens influxus ſuperiores, & nihil cooperans; vt propterea minus cohærere videatur ſenſui, verbiſque Concilij gloſſa eorum qui comparât potentias iſtas affectas habitu, aut alia ſupernaturali impreſſione, aquæ affectæ calore extrinſecus inuecto; vt ſicut hæc calefacere dicitur, quia calorem ſuſtentat, ita & illa operari dicantur, quia ſunt ſubiectum principij ſupernaturaliter agentis, nam modus agendi aquæ calidæ non ſolùm non excedit modum agendi inanimatorum; ſed etiam in eo quod intendit Concilium eſt valde diſpar; aqua enim non eſt principium caloris, neque illum efficit, ſed ſuſtentat tantùm calorem agentem, & ex doctrina Philoſophi 2. Phyſ. c. 3. t. 25. & 5. Metaph. c. 2. dicitur cauſa per accidens caloris: at potentiæ vitales ſimul cum gratia concurrunt actiuè ad actus ſupernaturales, & tota actio effectiuè non eſt à principio extrinſeco; ſed cum ſit vitalis, eſt etiam à principio vitæ, tanquam à cauſa per ſe, alioquin ſolùm denominatiuè, & per accidens diceretur liberum arbitrium agere, contra Concilium, & ſanctum Thomam locis infra citandis. Interim quærimus, an ob hanc conuenientiam cum cauſa principali verè, & propriè ſint; vocenturque potentiæ vitales cauſæ principales actuum ſupernaturalium; an potius inſtrumentales, quia innata ipſarum virtus eſt illis improportionata, niſi per diuinam eleuetur. An verò tertia ſit ineunda via cum aſſerentibus eſſe cauſas concurrentes actione mixta ex principali, & inſtrumentali, quæ ſecundùm diuerſos reſpectus vtramque denominationem admittat, patebit ex ſequentibus.

Aqua non efficit calorem.

Potentiæ vitales verè concurrunt ad actus ſupernaturales per virtutem propriam eleuatam.

Digitized by Google

Prima Assertio.

POtentiæ vitales non sunt absolutè causæ principales actuũ supernatural. Probatur primò ex Scriptura indicante conditiones causæ instrumentalis respectu Dei, vt principalis, quòd habeant virtutem ab illo ad operandum supernaturaliter. *Recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum, Deut.* 8. videlicet ad implenda præcepta, quod sine virtute ab eo data non poteras. Deuteron. 8. Secundò, sicut instrumentum ab artifice, sic cor à Deo mouetur. *Cor Regis in manu Dei, quocũque voluerit vertet illud, Prou.* 21. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, Rom. 8. Tertiò, rectè dicitur instrumentũ id, per quod operatur causa principalis, tales sunt potentiæ vitales, & homo ipse vitaliter operans, 2. Cor. 2. *Odorem notitiæ suæ per nos manifestat; & cap.* 5. *Deo exhortante per nos, &c.* Quòd si minister in artibus locum instrumenti tenet, vt Arist. 1. Polit. c. 3. quia seruit principali Domino, quanto magis ministri Christi dici possunt instrumenta, per quæ operatur Deus?

Secundò, probatur auctoritate Patrum comparantium instrumentis artis voluntatem hominis, quin & ipsam instrumentum appellantium. S. Prosper epist. ad Demetriadem, *Implet Spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda Sanctorum, &c. Bona voluntas instrumentum est, Spiritus sanctus est artifex*, ait Vgo Vict. l. 1. de Sacram. p. 6. c. 17. Et Anselm. lib. de concord. præd. cum libero arbitrio c. 3. *Voluntas instrumentum mouet alia instrumenta, quibus sponte vtimur.* Plura recentiores aggerant testimonia.

S. Prosp. Vgo Vict. S. Anselm

Tertiò probatur. Quia certum est, quòd potentiæ vitales simul concurrunt cum gratia eleuante, ita vt ex ipsis constituatur vnum principiũ operationis supernaturalis ab vtrisque manantis, sed à potentijs non manat vt à causis principalibus propriè sumpta principalitate, vt supra c. 1. neque vt instrumentis mere, ergo modo quodam diuerso. Antecedens probatur ex Scripturæ multis locis, sed præcipuè ex 1. Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laborauit; non ego autem, sed gratia Dei mecum,* ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo (ait Augustin. de Grat. & lib. arb. c. 5. Ad Philip. 2. *Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* In quæ Augustin. eod. lib. c. 9. *Quando enim iubentur vt operantur, liberum eorum comenitur arbitrium; sed ideo cum timore, & tremore, ne sibi tribuendo qui bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus, &c.* Et manifestè in Exod. quæst. 167. ex ijs verbis Apostoli colligit & Deum, & hominẽ operari simul opera salutis; *Nam & homines* (inquit) *facere debẽt, cum ipsi subeantur, & Deus facit, cum facientem adiuuat secundùm illud Apostoli, in timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini, &c.*

1. Cor. 15. S. Augustin. Philip. 2.

Quò pertinent præcepta, & consilia Christi Domini excitantis homines ad virtutes, & abnegationem sui ac mundi contemptum, in quibus exigit operationem hominis, quæ tamen nullius momenti est sine gratia) *Sine me nihil potestis facere Ioan* 5. *Sufficientia nostra ex Deo est.* Et similia multa habet vetus Testamentũ, clarissimè, Sap. 9. *Mitte illam de sedibus tuis, vt mecum sit, & mecum laboret*, vt meritò Trid. sess. illa 6. anathema indicat neganti liberum arbitrium aliquid agere, quando excitatur à Deo, aut nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, &c. Quo simili modo loquitur Aug. de nat. & grat. c. 31. *Vbi quidem in iustificatione operamur & nos, sed illo cooperante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos.* Ideo tanquam in vnum principium refert opus bonum, quia ab vtroque est, à gratia nimirum, & libero arbitrio, ita vt sit totum vtriusque, de Prædest. Sanctor. c. 3. *Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium libertatis, & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei, & charitatis.* Plura habet in hunc sensum lib. de Grat. & lib. arb. cui consonant reliqui Patres apud Bellarm. de Grat. & lib. arb. præsertim l. Maior ergo propositio est indubitata apud Catholicos. Minor est in controuersia, sed probatur ex conditionibus causæ principalis, & instrumentalis; nam principalis propriè habet virtutem intrinsecam proportionatam effectui, siue sola operetur, sitque totalis, siue cum alterius consortio, & sit partialis; at potentiæ vitales solæ respectu actuum supernaturalium, non habent virtutem proportionatam, quia nulla virtus naturalis potest attingere ex se effectum supernaturalem, sed solùm eleuata virtute diuina. Deinde virtus principalis, & proportionata ex sua natura effectui, exigit diuinum concursum ad operandum loco, & tempore debito, vt patet inductione per omnes causas naturales, & supernaturales; sed nulla potentia vitalis exigit diuinum concursum ad operandum supernaturaliter, neque est illi debitus, sed gratuitus ex mera liberalitate, & misericordia Dei, igitur non est propriè principalis. Tertiò, Principalis, vt diximus supra c. sic appellatur, quia comparata cum alia causa habet eminentiam quandam, & principalitatem super illam, & non subijcitur illi, sed potius illam sibi subijcit; sed potentiæ vitales comparatæ cum gratia non habent hanc prærogatiuam; quin vice versa gratia principatur, & naturam sibi subijcit, cui dat posse operari supernaturaliter.

S. Aug. S. Augustin.

Admissa autem hac conditione, quòd causa principalis propriè vt cõtradistincta ab instrumentali sit illa, quæ habet virtutem sufficientem, & proportionatam effectui ex natura sua, minor quæ subditur, nimirum, quòd Potentiæ vitales talem virtutem non habeant, est de fide. 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis.* In quæ Augustin. de bono Perseuer. c. 16. *Quod attinet ad pietatis viam, verumque Dei cultum, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis.* vnde & tract. 72. in Ioan. post med. & de verbo Domini serm. 15. totam operationem, seu motum liberi arbitrij in iustificatione pertinere ait ad gratiam, quia videlicet natura sine gratia omnino est impotens, & per gratiam fit potens. Apertè Trid. sess. 6. cap. 5. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia con-*

Trident conc.

feratur, anathema ſit; quod prius definitũ fuerat in concilijs Mileuitano, Africano, Arauſicano, Moguntino, & traditum epiſtolis ſummorum Pontificum Cæleſtini, Innocentij, & Leonis docent Bellarm, Pater Ripald. diſp. 17. ſect. 2. & diſp. 44. ſect. 3. referentes multos Patres, inter quos eſt Aug. toto libro de natura, & gratia epiſt. 106. 107. & de verbis Apoſt. ſerm. 13 & paſſim in ſuis libris contra Pelagianos, in quorum primo contra duas epiſtolas ipſorum c. vltimo. *Cum nemo* (inquit) *bene vti poſſit libero arbitrio, niſi per gratiam, quæ non ſecundùm debitum datur.* Ex quibus, & ſimilibus patet potentias vitales carere conditionibus præcipuis cauſæ principalis.

Secunda Aſſertio.

111. POtentiæ vitales operantes ſupernaturaliter eleuatæ per gratiam non ſunt cauſæ merè inſtrumentales.

Probatur primò, quia merum inſtrumentum, quale eſt artificiale, & ſacramentale, non habet intrinſecam vim agendi ſeipſum, quatenus tale eſt, & ſeruit cauſæ principali: at potentiæ vitales ita mouentur, vt moueant ſe ex intrinſeca virtute, vt de lib. arb. dixit Trid. ſeſſ. 6. cit. ergo.

S. Thom. Confirmatur ex S. Th. 3. cont. gent. c. 112. *Quod enim* (ait) *ab altero tantùm agitur, rationem inſtrumenti habet: quod verò per ſe agit, habet rationem principalis agentis*; At potentiæ vitales per ſe agunt, id eſt ex intrinſeca vi agendi mouent ſe ex eodem 1. 2. q. 21. a. 4. 2. & q. 24. de Verit. a. 1. 5. Et eſt S. Aug. ſerm. 13. de verb. Dom. *Dicet mihi aliquis, ergo agimur, non agimus; reſpondeo, immo & agis, & ageris, & tunc bene agis, ſi à bono ageris.* Et corrept. & grat. c. 2. *Aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant.* Deinde ibidem ad 4. Omnis cauſa ſecunda vocatur ab ipſo magis principalis ſecundũ quid, quatenus illi magis conformatur effectus, cauſa verò prima abſolutè magis principalis quia magis influit in effectum, igitur & potentiæ vitales hoc etiam nomine ſunt principales, quia habent actus vitales ſibi conformes. Rurſus

S. Auguſt.

Diſcrimen inter potentias vitales, & ſacramẽta.

Confirmatur ex differentia, quam habent potentiæ vitales, & ſacramenta in productione gratiæ: illæ enim concurrũt per actus eſſentialiter ab ipſis deffendentes, vt liberi ſunt, ac vitales, & eſſentialiter exigentes eſſe in ipſis, vt in proprijs ſubiectis. Hæc verò ſiue phyſicè agant, ſiue moraliter, nullam connexionem habent ex ſua natura cum gratia, neque hæc cum illis, ſed ſolùm per accidens, ſuppoſita inſtitutione; ergo potentiæ vitales diuerſa ratione ſe habent ad gratiam, & actus ſupernaturales, quàm Sacramenta, quæ ſunt mera inſtrumenta inanima: & ideo potentijs iſtis reſpondet aliqua ratio in effectu, puta vitalitas, libertas, &c. puris inſtrumentis, non item quia tota virtus eſt à cauſa principali.

Secundò probatur eadem pars ex dominio, & libertate arbitrij ad agendum quod vult, vel non agendum: hoc enim dicit ſuperioritatem quandam, & principatum minimè conuenientem cauſæ purè inſtrumentali, de cuius ratione eſt ſubijci principali. Sic S. Paulus 1. Cor. 7.

1. Cor. 7.

Non habens (inquit) *neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis*, indicans hanc eminentiam, & principalitatem arbitrij. S. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 3. *Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate.* Tertul. l. 2. in Marc. c. 6. *Quale erat, vt totius mundi poſſidens homo non in primis animi ſui poſſeſſione regnaret aliorum Dominus, ſui famulus?* S. Damaſc. lib. de duabus Chriſti voluntatibus, *Deus & rectè agendi nobis poteſtatem dedit, ac noſtræ nos poſtetatis procreauit, vt tum ab ipſo, tum a nobis præclaræ actiones oriantur, &c.*

S. Auguſt. Tertul. Damaſc.

Et S. Thom q. 22. Ver a. 4. c. naturæ rationalis inclinationem diuerſam facit ab irrationali, quia illa habet in poteſtate ſuam inclinationem, & poteſt inclinari, vel non inclinari ad libitum. Quapropter licet tota natura creata, & proinde etiam homo comparetur ad Deum, vt inſtrumentum ad agens principale, vt S. Th. 1. 2. q. 1. a. 2. & 2. cont. gent. c. 21. tamen quatenus eſt dominus ſuarũ actionum, & reſiſtere etiam poteſt Deo vocanti, & præcipienti rex eſt, & princeps in agendo: quod maximè patet in peccatis, ad quæ patranda mihi religio eſt vocare creaturã inſtrumentum à Deo motum auctore omnis ſanctitatis.

S. Thom.

Et eſt quidem diſpar ratio in bonis, ad quæ impellitur; ſed & in ijs relinquit Deus ipſum in manu conſilij ſui, & eadem potitur libertate ac domino, qua & cum male operatur; quacumque enim inſpiratione poſita tam liber eſt ad aſſentiendum, vel diſſentiendum; quàm qualibet poſita obiecti vel mali, vel indifferentis ad illud reijciendum, vel amplectendum, & ita liberè peccat, vt ſit ipſe cauſa vnica malitiæ principalis, & proinde libertatis, quæ in illa includitur, & non Deus, vt Vaſq. 1. 2. diſp. 129. c. 7. cum Cano l. 2. de loc. c. 4. 8. Vega l. 2. in Trid. c. 15. Ban. 1. p. q. 49. a. 2. §. vlt. Aluar. de Auxil. diſp. 24. n. 14. & 19.

Duo igitur ſunt, quæ voluntatem eximunt à pura inſtrumenti ratione, quando operatur ſupernaturaliter; primum eſt intrinſeca vis operandi: alterum eſt libertas, ſiue dominium ſuarum operationum, & ideo ſaltem ipſa poteſt dici cauſa principalis; eſt autem eadem ratio quoad primum aliarum potentiarum vitalium, quæ ſi eleuentur, ita cooperantur, vt ex intrinſeca vi moueant ſe, & ita proportionatæ ſunt actibus ſupernaturalibus, vt reſpiciant, & reſpiciantur ab ipſis ſecundùm rationes particulares & proprias, vt tales potentiæ ſunt; verbi gratia ſecundùm rationem vitalitatis, libertatis, cognitionis, volitionis, &c. quæ eſſentialiter pendent à principio vitali, & coniuncto agenti, etiam vt ſupernaturales ſunt; non ergo principium huiuſmodi eſt purum inſtrumentum, quia ab hoc non pendet eſſentialiter effectus, vt patet inducenti per inſtrumenta artis Sacramenta, & ſimilia. Verùm quia ratio liberi non eſt vniuerſalis ad probandum aſſertionẽ, ideo in ea vis facienda, quòd potentiæ vitales agunt ex intrinſeca virtute, & mouent ſe cooperando gratiæ, & ideo non ſunt mera inſtrumenta; ſic enim etiam reſpectu actuum beatificorum, qui ſunt neceſſarij, dicuntur principales ſecundùm quid.

Et ratio à priori eſt, quia cuiuſlibet effectus,

Cuiuſlibet effectus, & rationis eius aſſignari debet aliqua cauſa principalis.

& rationis eius aſſignari debet aliqua cauſa principalis, id eſt quæ per intrinſecam virtutem illum attingat, & à quo denominetur, igitur & actus ſupernaturalis, vt vitalis eſt, ac liber, eſt ſua cauſa principalis ab ipſo denominata. hæc non poteſt eſſe Deus, quia non dicitur ipſe velle, mereri, intelligere, &c. ſed voluntas, intellectus, homo, igitur hæ ſunt cauſæ non merè inſtrumentales.

Confirmatur, quia non minus propriè dicitur intellectus intelligere, & voluntas velle, quando elicit actus ſupernaturales, ac quando naturales; ergo ſignũ eſt, non eſſe mere inſtrumenta, quia ipſis non conueniunt huiuſmodi denominationes, verbi gratia non dicitur penicillus pingere, ſed pictor, neque ſera confícere arcam, ſed faber; & quanquã tribuatur aliquando effectus inſtrumentis, & denominatio eius, verbi gratia aquæ quod corpus tangat, & abluat animam; tamen hoc non eſt perpetuũ in inſtrumentis, ſicut in potentijs vitalibus, & in allato exẽplo non dicitur aqua abluere, ſeu purgare, ſed virtus aquæ id eſt ſacramentalis, ſiue Deus per illam, qui tamen non dicitur velle, aut intelligere, aut mereri quando eleuat intellectum & voluntatem ad operandum.

Tertiò, Merum inſtrumentum vt ſic non intendit per ſe effectum quaſi proprium, ſed alienum, id eſt cauſæ principalis, cui ſeruit, quia non quæritur propter ſeipſum, ſed propter cauſam principalem, vt illo vtatur ad finẽ à ſe intentum, vt S. Thom. 3. cont. gent. c. 112. At verò voluntas intendit per ſe actum ſupernaturalem, & ad hunc gratia potius illi deſeruit, & illi ſe accommodat, quia Deus eam ſubijcit arbitrio hominis, quem non vult cogere, ſed liberè conſentire, ergo voluntas quoad hoc non habet rationem inſtrumenti.

B. Virgo in conceptu filij concurrit per virtutem generatiuam. S. Bonau.

Quartò Beata Virgo in conceptione Chriſti concurrit per virtutem generatiuam naturalem eleuatã, & ideo fuit verè, & propriè concipiens Chriſtum, & mater eius, immo & veriori modo, quàm matres reliquæ ſint ſuæ prolis, vt S. Bonau. in 3. diſt. 4. a. 3. q. 1. quia in modo agẽdi eo fuit, perfectior cæteris, quo nobilior fuit virtus ſupernaturalis, qua completa, & eleuata eſt generatiua naturalis, quæ illi cooperata eſt vitaliter mouendo ſe ſicut cæteræ potentiæ vitales, quæ operantur eleuatæ, ergo concurrit vt cauſa principalis. Patet ſequela, quia mater verè, & propriè non eſt inſtrumentum effectiuum filij, ſed cauſa principalis; at B. Virgo fuit verè, & propriè mater, non minus quàm reliquæ matres, ergo &c. concurrit enim per intrinſecam virtutẽ eleuatam eiuſdem ſpeciei, ac cæterarum ad terminũ eundem ſpecie cum cæteris hominibus; exhibẽdo purißimos ſanguines eiuſdẽ ſpeciei cum cæteris fœtibus, ergo fuit cauſa principalis, ſicut cæteræ matres quoad iſtas conditiones.

Dices Beatã Virginem in Chriſti conceptione paſſiuè ſe tantùm habuiſſe, ſubminiſtrãdo materiã vt S. Th. 3. p. q 32. a. 4. & ideo, ex hoc capite non poſſe probari concluſionẽ noſtram.

B. Virgo actiuè cõcurrit in cõceptione filij.

Reſpondeo in primis opinionem cõmunem S. Bonau. eſſe in contrariũ. *Et hoc* (inquit q. illa) *communiter, & generaliter tenent doctores Theologiæ, quod ſanctæ Beata Virgo cooperata fuerit actiuè Spiritui Sancto*, vt tenet etiam Scot. in 3. diſt. 4. cuius argumenta conatur ſoluere Caiet. loc. cit. 3. p. vt tueatur dictũ S. Th. quod etiam in Philoſophia incertum eſt Et loquor de conceptione, vt conſiſtit in opere naturæ, & cõprehendit organizationẽ membrorum fœtus, ac vnionem animæ ad corpus in opinione diſtinguente etiam hanc ab vnione vtriuſque cum verbo: ad hanc enim non concurriſſet, niſi vt inſtrumentum, quod poſſibile reputat Soar. t. 3. in 3. p. diſp. x. ſect. p. contra Vaſq. tom. 1. de Incarnat. diſp. 25. c. 1.

Confirmatur, quia alioqui aſſignari deberet alia cauſa principalis conceptionis, quæ denominaretur concipiẽs, quia filius, qui eſt terminus conceptionis perfectæ per acceſſum vnius animæ ad corpus organizatũ, ab aliqua cauſa concipiente principali concipitur: hîc non eſt alia, cui competat hæc denominatio, niſi Beata Virgo, quæ per potentiã generatiuam actiuè concurrit; licet hæc dicatur inſtrumentũ latè, quia eſt ſuppoſiti, cui inſeruit, ſed modo vitali, mouendo ſeipſam intrinſecè. Quòd ſi voluntas mota à Spiritu Sancto non mouetur vt inſtrumentũ, quia per ſe agit, vt ſupra ex D. Th. neq; etiã potẽtia generatiua mota eſt à Spiritu Sancto vt inſtrumentũ, quia per ſeipſã egit, intelligẽ vt merũ inſtrumentũ, quod motũ extrinſecus non mouet ſeipſũ per innatã vim actiuam.

Denique potẽtia vitalis vel eſt informata habitu, cum quo ſimul agit, vel per ſolum auxiliũ extrinſecum eleuatur. Si primum, ipſe etiam Soar. diſp. 31. cit. ſect. 6. in ſolutione quarti argumenti §. Alij diſtingũt aliter, cõcedit ſpeciali titulo dici cauſam pricipalẽ, cum qua ſuſtentat habitũ, qui eſt cauſa principalis, & ei conuenit denominatio agentis: tum quia ratione eiuſdẽ intrinſecè inhærentis debetur cõcurſus potentiæ, quo poſſit per illũ operari; tum quia ex habitu, & potentia cõponitur integrũ principiũ, cui connaturale eſt tali modo, & cum tali concurſu operari, quamuis hoc ſolùm ratione formæ ſupernaturalis conueniat: quomodo dicitur eſſe connaturale intellectui informato lumine gloriæ viſionem elicere; vnde & animam Chriſti fatetur eſſe cauſam principalẽ actuum ſupernaturalium, quia habuit habitus infuſos, per quos operabatur, & reddebatur quaſi connaturale ſubiectum illorum, vt explicauit ſect. 4. § Dices, hac ratione probatur. Si ſecundum, licet renuat hic auctor vocare principalẽ, quia potentia vitalis operatur vt eleuata, & per virtutem obedientialem; tamen hoc ſolùm probat non eſſe ſimpliciter principalem, Cæterùm neque eſſe merè inſtrumentalem oſtendunt rationes adductæ; quibus ſi opponas, quòd tantũ euincunt eſſe inſtrumentum animatum, quod motũ mouet ſeipſum, quæſtio erit de nomine, an huiuſmodi cauſa dici debeat principalis, cũ certum ſit quoad rem ipſam, quòd virtus innata extrinſecus adiuta eliciat vitaliter ſuos actus; & quia participat conditiones vtriuſque cauſæ principalis, ac inſtrumentalis, cur non etiã particeps ſit denominationũ vtriuſque? Hoc autẽ poſito denominatio actus vitalis, & liberi ſumitur ex habitudine ad potentiã, non ſolum vt ex principali forma denominante, quod Soarius admittit; ſed etiam vt principaliter influente, tanquam cauſa partiali cum auxilio, vt amplius conſtabit ex ſequentibus, ſi præce-

dentia luculento teſtimonio S. Bernardi concluſero qui de gratia, & lib. arb. circa finem ait. *Non autem ego, ait Apoſtolus, ſed gratia Dei mecum. Potuit dicere per me; ſed quia minus erat, maluit dicere mecum, præſumens ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed operantis quodammodo ſocium per conſenſum.* Quod perinde eſt ac ſi diceret ſe non ſolum inſtrumenti ſubire vicem, ſed aliquid plus exhubere ad modum cauſæ principalis.

S. Bernar.

Tertia Aſſertio.

POtentiæ vitales eleuatæ conſtituũt nouum genus cauſæ mixtum ex merè inſtrumentali, & habens diuerſam ab vtraque cauſalitatem. Explicatur, & probatur: nam plures cauſæ poſſunt concurrere ad conſtituendũ vnum principium adæquatum effectus, qui à nulla ipſarum ſeparatim produci poſſet, multis modis; primò ita vt quælibet ſit totalis, & ſubordinata alteri, vt ſunt ſublunares cum ſuperioribus. Secundò, ita vt quælibet ſit partialis, & neutra alteri ſubordinata, vt ſunt duo trahentes nauim, & duo ſurculi per inſitionem fructuum tertij generis. Tertiò, ita vt vna ſit principalis, altera verò merè inſtrumẽtalis, vt contingit in artificialibus, & ſacramẽtis, in quibus tota virtus eſt à principali, & effectus ab eadem totaliter, & principaliter; ab inſtrumento autem ſolùm vt moto, & directo ab illa abſque vllo motu ex ſeipſo. Quartò, ita vt vna cauſa ſit abſolutè principalis, & mouens principaliter: altera verò minus principalis, & mota; ſed ita tamen, vt ſeipſam moueat ab intrinſeco, poſita motione illius: & tales ſunt potentiæ naturales omnes, quæ indigẽt concurſu naturali primæ cauſæ, & vitales, quæ ſupernaturali tam in actu primo, quàm ſecundo, propter ſubordinationem, & dependentiam eſſentialem quoad vtrumque huius tertij generis cauſarum aſſero conſtituere tertium mixtum, & probo ex dictis: nam ex potentia vitali & auxilio ſupernaturali conflatur vnum principium productiuũ operationũ ſupernaturalium vitalium, non vt cauſa vna principali, & altera merè inſtrumentali, ergo vt ex cauſa partiali principali, id eſt participante plures conditiones principalis, quibus carent mera inſtrumenta; igitur eſt mixtum conſtans perfectionibus vtriuſque, & proinde habens cauſalitatem ſibi reſpondentem diuerſam à cauſalitate principij completi ex cauſa principali, & merè inſtrumentali. Exemplum ſimile eſt in ſono artificioſo cantus humani, in quo ars eſt cauſa principalis, & organa vocis concurrunt vt inſtrumenta ab illa directa, ſed non ſunt mera inſtrumenta, vt ſunt cythara, & chelis, quia per innatam vim motiuam ſeipſa mouent organa vocis, & formant cantum vitali modo, non item alia inſtrumenta ſeparata, & inanima.

Quanquam etiam in ſe paratis pleraque ſimilia inuenire eſt: equus enim, quo miles vtitur ad pugnam, inſtrumentum eius eſt, quia illum regit, ac impellit pro fine victoriæ à ſe intento: ſed quatenus ſeipſum mouet, eſt etiam cauſa principalis, & differt à gladio, qui eſt merum inſtrumentũ motum, & mortuũ; & pharmaca, quæ adhibentur ægro ad ſanitatẽ recuperandam, ſunt inſtrumenta, quibus vtitur medicus vt medijs ad illam oppottunis; & ipſa tamen ſunt cauſæ principales, quatenus ex innata virtute noxios humores diſpellunt, aut temperant; & idem eſt de horologij rotati ponderibus, quæ comparata artifici inſtrumenta ſunt ad finem indicandi horas, vt grauitate innata mouent ſe deorſum, cauſæ principales ſunt.

Ratio autem vniuerſalis eſt, quia licet cauſa inſtrumentalis dicatur per comparationem ad cauſam, cui inſeruit, & ſubijcitur, vt ſupra notauimus, tamen hoc non obſtat, quominus ſecundùm aliam conſiderationem modi, quo concurrit per virtutem intrinſecam, dici poſſit principalis; ignis enim exempli gratia, qui inſtrumentum eſt Chirurgi ad cauſtma faciendum, eſt cauſa principalis vſtionis ob innatum calorem, & ſic de cæteris; vt proinde potentiæ vitales, quæ vt ſubſtant eleuationi, & ſpiritu Dei aguntur, inſtrumẽta ſunt; eædem quatenus actę ſeipſas etiam agunt vitaliter per virtutem propriam principalium naturam participant, quod de liberis potiſſimum verum eſt, quæ principes ſunt, & dominæ ob libertatem; idque verum eſt, ſiue eleuentur per habitum infuſum, tanquam per formam inhærentem, quo caſu admittit eſſe principales Bann. 2. 2. q 24. a. 5. dub 2 7. ſiue per auxilium extrinſecum, & vocat inſtrumentales: hoc enim diſcrimen non tollit, quo minus concurrant per virtutem patiuam eleuatam; neque etiam eſt cauſa, cur per eandem concurrant diuerſo modo ſufficiente ad ponendam, vel auferendam conditionẽ cauſæ principalis, quæ attenditur penes virtutem naturalem, ac propriam, non penes aduenientem extrinſecus, etiamſi inhæreat intrinſecè, & afficiat potentiam, cui infunditur.

Hoc igitur genus cauſæ mixtum rectè dicitur, & cauſalitas eius diuerſa à mera principali, & mera inſtrumentali: quia potentia vitalis ex vna parte nihil per ſeipſam poteſt in actus ſupernaturales, ſed eget aliena virtute, per quam illos attingit; ex alia parte quando eleuatũr per diuinam virtutem, non ſe habet merè paſſiuè, vt pura inſtrumenta, ſed per ſuam natiuam vim auxilio gratiæ roboratam ſe ipſam agit, & influit vitaliter, aut etiam liberè, ergo non eſt quoad hoc merum inſtrumentũ, quod non ſe mouet; neque eſt cauſa abſolutè principalis, quia hæc non ſubijcitur alteri cauſæ, cuius virtute agat, ſed habet ipſa propriam virtutem intrinſecam proportionatã effectui per ſe, & à ſe intento. Quòd ſi contendas vocari debere inſtrumentum animatum, quia ſeipſam mouet, quæſtio erit de nomine; nam tale inſtrumentum habet ſimilitudinem cum cauſa principali, & participat rationem eius, & ideo dicitur cauſa principalis ſecundum quid, ratione virtutis intrinſecæ mouendi, qua carent inſtrumenta pura.

Potentiæ vitales vt ſic ſunt cauſæ principales ſecundum quid actuum ſupernaturalium.

Hinc ſequitur, potentias iſtas, vt vitales ſunt, vel liberæ, non eſſe cauſas principales ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, quia ſub quacumque ratione conſiderentur, non poſſunt propria virtute attingere actus ſupernaturales, niſi eleuentur auxilio ſuperioris cauſæ, vt ex Trid. ſupra, & alijs auctoritatibus, ac

Digitized by Google

ratione, quia nulla potentia naturalis est proportionata effectui supernaturali, vtpote superioris ordinis, & nobilioris.

Neque refert, quòd in actu supernaturali sit ratio vitalitatis proportionata potentiæ, à qua pendet essentialiter; nam hæc non est distincta nisi ratione à supernaturalitate, ita vt actus ipse sit vna simplex entitas indiuisibilis, & supernaturalis, & ideo non attingibilis, nisi à potentiâ eleuata auxilio supernaturali, igitur etiam respectu huius vitalitatis identificatæ supernaturalitati, non est causa principalis simpliciter, quia illam non elicit propria virtute, sed confortata per alienam Distinctio autem intellectus est quid posterius causalitate reali, & non immutat illam de instrumentali in principalé, sed supponit & principium intrinsecum mouendi se, & indigentiam auxilij, vt motus sit supernaturalis, quod est fundamentum distinguendi vitalitatem à supernaturalitate per intellectum, sed non constituendi causam principalem simpliciter, aut diuersam causalitatem potentiæ, & gratiæ.

S. Bernar. Atque hinc confirmatur assertio, quia mixtim operantur, ergo sunt vna causa mixta ex duabus; sequela patet, quia operatio conformatur suæ causæ. Antecedens est S. Bernardi tract. de lib. arb. prope finem, *Quod à sola gratia captum est pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non singulatim, simul, non vicissim per singulas profectus operetur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere indiuiduo peragunt.* Neque tamen inferas nobilius causare potentias vitales quando operantur naturaliter, quàm cum supernaturaliter, eo quod tunc sint causæ simpliciter principalis; nam virtus earum eleuata est præstantior, quàm sine eleuatione, & ideo nobilius operatur, etiam si solùm sit principalis secundum quid; sic nobilior est actus fidei infusæ, quàm scientia naturalis de eodem subiecto: quia intellectus eleuatus supernaturaliter est nobilior causa, quàm sine eleuatione. Meritò proinde dicebat S. Bonauent. supra in 1. d. 4. a. 3. q. 1. Beatam Virginem veriori modo fuisse matrem, quàm sint reliquæ matres suæ prolis; quia scilicet verè, ac propriè concepit filium, sed ô quanto excellentiori modo, quàm reliquæ? potentia enim eius generatiua obumbrata virtute Altissimi nobilior seipsa effecta ad opus admirabile mirabiliter Spiritui sancto cooperata est; sed cooperatio partim quodammodo fuit naturalis, & quodammodo supra naturam (ait S. Bonau. ibid. q. 2.) naturalis, quia per potentiam naturalem generatiuam concurrit; supernaturalis, quia ab eadem potentia eleuata, & reddita supernaturali profecta est; atque ita dici potest causa partim principalis, quatenus per vim innatam vitaliter operabatur; partim instrumentalis, quatenus eadem vis eleuata diuinitus cooperabatur virtuti Sancti Spiritus ea vtentis ad conceptionem Verbi Dei in vtero sacratissimo immaculatæ matris.

B virgo! veriori modo mater quã reliquæ matres.

S. Bonau.

Quarta Assertio.

QVamuis potentiæ vitales eleuatæ supernaturaliter sint genus causæ mixtum, tamen tutius vocantur causæ instrumentales, quàm principales. Hoc ad summum probant argumenta P. Soarij t. 3. de gratia c. 6. & alijs citatis, quibus contendit non esse dicendas principales, quia videlicet virtus innata, per quam concurrunt, non attingit substantiam actuum supernaturalium, nisi virtute Dei; sicut enim calor in nutritione, & semen in generatione non dicuntur causæ principales, licet agant per innatam virtutem, quia non attingunt effectum principalem, nisi virtute causæ principalis, cui subseruiunt; ita nec potentiæ vitales, quia non attingunt effectus supernaturales, nisi virtute diuina. Secundò consequenter huiusmodi actus non respiciunt potentias vitales, nisi vt eleuatas; neque ipsi, aut obiecta eorum continentur intra sphæram potentiarum illarum, quia alioqui essent debita illis media ad operandum. Præterea tertiò influunt in actus sub ratione particulari talis amoris, cognitionis, &c. & non sub ratione vniuersali amoris, cognitionis, &c. ergo vt tales procedunt proximè à potentia non tanquam à principio naturali, ergo vt à supernaturali adiuta virtute per quam fit potens sic intelligere, amare, &c. quod est procedere à causa instrumentali, id est eleuata ad actus superioris ordinis sibi non debitos. Quartò tota potentia naturalis ad actus supernaturales est obedientialis, & non habet connexionè connaturalem cum illis, alioqui deberetur illi ab auctore naturæ concursus ordinarius, sine quo frustra esset talis connexio, & impossibiles actus: constat autem non esse debitum naturæ concursum supernaturalem gratiæ; igitur potentia naturalis se habet vt instrumentum, quod non habet connexionem naturalem cum effectu, nec exigit concursum causæ principalis, neque sine illo eleuante potest operari. Quintò omnis causa principalis creata habet terminum limitatum, vltra quem non se extendit, tam quoad speciem, quàm quoad intensionẽ, sed hũc non habet voluntas, & intellectus respectu actuũ supernaturalium, quos possunt elicere in infinitũ perfectiores per potentiã obedientialem.

Confirmatur tum auctoritatibus supra citatis assertione prima tribuentibus Deo totũ negotium salutis, voluntati tantum vt instrumento; tum rationibus ostendentibus non esse potentias vitales causas principales nisi secundùm quid, illa in primis quod ex conditionibus requisitis ad vtrãque causam, plures sunt, quæ conueniunt ijs potentijs ex proprijs instrumentalis causæ, quàm principalis, cum qua similitudinem habent supra explicatam; sed deficiunt ab eadem, primò quòd virtus illarum est insufficiens ad actus supernaturales, non solùm vt sunt causę partiales principales, sed eo modo, quo deficiunt instrumenta pura, quæ ex seipsis sunt improportionata effectis, & solùm illos attingunt in virtute principalis agentis; deinde quia sunt imperfectiores suis effectis, omnis autem causa talis est instrumentalis, quia nullus effectus est nobilior sua causa principali, cum quicquid habet ab illa habeat. Tertiò consequenter conuenit ipsis agere virtute causæ principalis, quia per propriã nihil possunt, nisi eleuentur ab illa,

communia, quòd omnis creatura comparata Deo poteſt dici inſtrumentum eius; & quòd potentiæ omnes, & partes, quibus vtitur ſuppoſitum viuens ad operationes ſuas, dicuntur organa, ſiue inſtrumenta eius.

Adde quòd ſi voluntas eſſet cauſa principalis actuum ſupernaturalium, eſſet etiam vltima diſpoſitionis ad gratiam, atque adeo gratiæ ipſius, quia cauſa principalis vltimæ diſpoſitionis eſt etiam cauſa formæ; conſequens eſt contra omnes Theologos, præſertim contra S. Th. 1. 2. q. 112. a. 1.

Argumenta contra prædicta.

CAPVT II.

AFferuntur in contrarium variæ Patrum auctoritates, quibus negant in bono opere partem habere voluntatem, & partem gratiam, quia totum huic tribuendum eſt; ſed illæ commodius capite ſequenti explicandæ ſunt.

Primum eſt, quia ſi potentiæ vitales eleuatæ conſtituũt nouum genus cauſæ mixtum ex inſtrumentali, & principali, ſequeretur, quod illud ageret virtute propria, quod eſt de ratione cauſæ principalis; & virtute aliena, id eſt non propria, quod conuenit inſtrumentali: quæ eſt repugnantia in terminis.

Confirmatur, quia in hoc tertio genere cauſa inſtrumentalis eſt potentia naturalis, ergo effectus erit naturalis. Patet ſequela, quia concurrentibus duabus cauſis, quarũ altera ſit neceſſaria, altera contingens, effectus illarũ eſt contingens; & ex duabus propoſitionibus neceſſaria, & probabili concluſio ſequitur probabilis, igitur ex vna cauſa naturali ſequetur effectus naturalis.

Poteſt eadem cauſa agere virtute propria, & aliena.

Reſpondeo ad argumentum, nullam eſſe repugnantiam, quòd cauſa aliqua agat virtute propria, & aliena; ſed quòd agat virtute propria, & non agat virtute propria: quod non conuenit potentijs vitalibus eleuatis, quia ita agunt virtute propria, vt per alienam debeant adiuuari; poſito autem hoc auxilio redduntur completè, & proximè potentes operari, & mouere ſe intrinſecè, id eſt vitaliter, aut etiam liberè actus ſupernaturales producere.

Ad confirmationem, nego ſequelam: diſparitas eſt, quia ex potentia vitali, & auxilio ſupernaturali fit vnum principiũ ſupernaturale: ſiquidem natura de ſe omnino impotens eleuatur, & fit potens operari ſupernaturaliter; ex duabus autem cauſis neceſſaria, & contingente non fit vnum principium contingens, aut neceſſarium, ſed mixtum ex vtraque: ſed vnaquæque concurrit in ſuo genere ſecundùm debitum naturæ ordinem; ratione cuius vna non impedit, ſed iuuat alteram; & ideo neceſſaria relinquit libertatem liberæ, & ſolùm exhibet concurſum neceſſarium ad operandum, iuxta naturam ſuam: & idem eſt de duabus propoſitionibus; non enim ex illis fit vnum principium aſſenſus concluſioni, ſed hunc efficit intellectus ex vi connexionis extremorũ concluſionis cum medio termino in præmiſſis; quarum vna ſi ſit contingens, non eſt dicta connexio per intellectum, niſi contingens, & proinde non poteſt ex vi connexionis contingentis inferre neceſſariam in præmiſſis, etiamſi alioqui concluſio materialiter conſiderata, & non vt deducta ex tali medio poſſit eſſe neceſſaria; de quo Sũmuliſtæ in tractatu ſyllogiſmi.

Reſpondeo ſecundò diſparitatem eſſe inter cauſas naturales, & ſupernaturales, quòd illæ non ſemper eleuare poſſunt inſtrumenta ad effectus ſibi proportionatos, & perfectos, at ſupernaturales poſſunt ſemper: exempli gratiã potẽtia motiua non poteſt tibiam claudam roborare, vt non claudicet; neque inepto fræno, aut equo equeſtris vti ad curſum ex præſcripto artis; at verò habitus, vel quoduis aliud auxilium ſupernatutale dat vim potentiæ naturali producendi effectum ſupernaturalem perfectum; cuius ratio in excellentiam eius referenda eſt, quia non ſunt prædictæ omnes cauſæ naturales.

Secundum argumentum eſt, quia potentia vitalis in hoc tertio genere cauſæ mixto vel retinet rationem cauſæ principalis, eo modo quo trahens nauim eſt cauſa principalis partialis cum altero trahente, & hoc non; quia ex ſe nihil poteſt in effectum ſupernaturalem, niſi eleuetur, quilibet autem trahentium habet ſuam vim independenter ab altero: Vel ſecundò, quia ex ſe producit aliquam diſpoſitionem prævuiam effectui principali, ſicuti calor per calorem ſimilem diſponit lignum ad formam ignis, & neque hoc dici poteſt; quia actus ſupernaturalis fit immediatè à potentia ſine prævia diſpoſitione. Vel tertiò, quia licet ex ſe nequeat actum ſupernaturalem producere, poteſt tamen iuncta ſuperiori cauſæ, cui ſubordinatur: & neque hoc valet, quia cauſæ huiuſmodi concurrunt per ſuas vires naturales non indigentes eleuatione, ſed ſola ſubordinatione; potentia autem vitalis eget eleuatione, & ſine illa eſt omnino improportionata actui ſupernaturali. Præter hos modos non apparet alius, quo potentia ſit cauſa principalis.

Confirmatur, quia potentia vitalis vt contradiſtincta auxilio gratiæ eleuantis eſt naturalis, ſi ergo vt ſic retinet rationem principalis, illi reſpondet paſſiua naturalis: quia ex 9. Met. t. cit. omnipotentiæ actiuæ reſpondet paſſiua: proinde deberetur ipſi complementum, & concurſus ſupernaturalis, qui tamen nulli potentiæ naturali eſt debitus, omnis enim potentia naturalis actiua incompleta exigit compleri ab auctore naturæ, ne ſit fruſtra. Ex quo rurſus ſequeretur, quòd actus ſupernaturales eſſent connaturaliter debiti potentiæ, & quod hæc naturalem inclinationem haberet ad ipſos, ſicut ad naturales, quorum eſt principium completum: quæ ſunt abſurda, quia ſic deberetur naturæ gratia, & beatitudo ſupernaturalis.

Reſpondeo ad argumentum, nullo ex numeratis modis retinere potentiam vitalem in tertio genere mixto rationem principalitatis, ſed alio diſtincto, qui eſt proprius principij actiui conſtituti ex ipſa, & auxilio gratiæ: ratio eſt, quia in nulla coniunctione cauſarũ naturalium vna cauſa eleuat aliam, licet vtraque, vel plures ſimul vnitæ poſſint quod non poſſunt ſeparatæ: ſed ſupernaturales habent hanc eminentiam, vt iunctæ potentijs naturalibus eas roborent, & compleant in eſſe principij operatiui excellentioris, idque per

Cauſæ ſupernaturales iunctæ naturalibus eas roborant in ratione principij.

sui tantùm exhibitionem, quod singulare est in ijs causis, licet simile aliquid sit in naturalibus adiutis arte.

Ad confirmationem, aliud est potentiam vt distinctam retinere rationem causæ principalis; aliud vt disiunctam; primo modo retinet, quia vnio cum auxilio non tollit distinctionem, sed ponit eleuationem. Secundo modo non retinet: quia potentia naturalis separata à supernaturali nihil omnino potest in actus supernaturales; vnde nec potentia dici debet, nisi remota: proinde neque inclinationem ex se habet ad illos, neque exigit compleri per accessum gratiæ, & concursus supernaturalis; neque illi respondet vlla potentia passiua supernaturalis; sed solùm vt transit in vnum totale principium per coniunctionem cum causa superioris ordinis, & gratiæ; sic enim per potentiam obedientialem completur in esse potentiæ actiuæ, cui respondet passiua item obedientialis potentiæ, inquam, partialis, quæ simul & auxilium indiuisibiliter producit effectum totum, sed non totaliter.

Instabis, quia auxilium supernaturale, qualecumque illud fuerit non immutat potentiam ab vno statu in alium: ergò sicut posita vnione cum illo manet vitalis, ita etiam manet naturalis, ergo tertium hoc genus causæ constat duobus principijs partialibus, quorum vnum est naturale, alterum supernaturale; & quia operari sequitur ad esse, & ipsi proportionatur, non poterit ex naturali prodire operatio supernaturalis indiuisibiliter cum supernaturali.

Respondeo, nego antecedens, quia licet non mutetur potẽtia intrinsecè quoad esse naturale, & essentiale; mutatur tamen accidentaliter per coniunctionem cum auxilio supernaturali, & redditur potens vel intrinsecè, vel extrinsecè ad operandum supernaturaliter, ita vt principium, quod est vitale, aut etiam liberum ex naturâ suâ, sed impotens exercere vitalitatem, ac libertatem suam supernaturaliter fiat potens per auxilium illam exercere indiuisibiliter cum illo.

Tertium argumentum est, quia sicut implicat aliquem currere sine potentia vitali motiua, ita & supernaturaliter operari sine principio intrinseco inhærente, per quod potentia fiat principium proportionatum in actu primo, igitur non sufficit ad hoc auxilium extrinsecum, vt potentia dicatur causa principalis, & formaliter potens; sed requiritur aliquid intrinsecè afficiens; præsertim cum actus vitales postulent esse à principio coniuncto agenti: quemadmodum Deus potest quidem vti aqua, vt instrumento ad producendum calorem, sed non vt causa principali, nisi affecerit calore: ita neque potentia vitali, nisi affecta habitu supernaturali; vnde nec sufficit auxilium speciale.

Respondeo, nego antecedens: disparitas est, quia cursus proprie cum sit motus naturalis, tantùm postulat principium vitæ intrinsecum, & nullum superius agens immediatum, à quo illud eleuetur: actus verò supernaturalis vitalis postulat præter potentiam vitalem aliud auxilium superius, per quod eleuetur; & cum eleuari possit extrinsecè per Dei assistentiam, seu omnipotentiam applicatam per decretum, non est necessarius vel habitus, vel actus alius ad hanc eleuationem, quod ex proposito infra probabo. Interim certum est ordinariè eleuari per habitum infusum, & per auxilium speciale, & vtrumque sufficit, vt potentia naturalis agat supernaturaliter, mouendo seipsam per suam innatã virtutem, & concurrat tanquam causa principalis quoad hoc.

Exemplum de aqua non conuincit, quia cum ex se non sit productiua caloris, neque per calorem eleuetur, nunquam est causa principalis influens efficienter in ipsum, sed solùm subiectiuè sustentando calorem productum, & calefacientem; potentia verò vitalis eleuatur ad actum sibi magis proportionatum, quàm sit calor aquæ, & fit potens proximè influere vitaliter, siue intrinsecè, siue extrinsecè eleuetur, ita vt dicatur propriè intelligere, velle, &c. non item aqua calefacere, cuius natura est potius frigefacere.

Quartum argumentum est, quia potentia vitalis, & libera concurrit non solùm in genere causæ efficientis ad actus supernaturales; sed etiam in genere causæ formalis extrinsecæ, ergo saltem in hoc genere est causa absolutè principalis. Consequentia patet, quia in omni genere causę aliqua debet assignari principalis; Deus autem non potest esse talis in hoc genere, quia non concurrit vt causa materialis, vel formalis. Antecedens probatur, quia esse vitale, & liberum vt sic habent quidem efficienter actus à Deo, sed non formaliter; cum non sint tales vt à Deo procedunt, sed vt à potentia vitali, &c. non quatenus instrumentum est: quia cum Deus non exerceat modum causandi formalem, non illi seruit pro instrumento potentia vitalis quoad hanc causalitatem.

Respondeo, etiamsi daretur totum, quod petit argumentum, nihil sequitur aduersum dictis superius; quæstio enim est de potentijs vitalibus, vt efficientes sunt, non vt formales causæ extrinsecæ.

Deinde responderi potest, potentias non esse causas formales actuum supernaturalium, nisi eleuatas, etiamsi considerentur vt liberi, & vitales, quia vitalitas non est quid distinctum à supernaturalitate, & ideo nec habet diuersam causam formalem extrinsecam; si ergo potentia vitalis non est causa formalis extrinseca actus supernaturalis, nisi eleuata, neque erit supernaturalitatis, & vice versa; distinctio autem rationis inter vitalitatem, & supernaturalitatẽ non potest cõstituere distinctas causalitates reales, de quibus est sermo.

Ex dictis soluuntur alia faciliora.

Quintum argumentum est, quia concurrere principaliter, & obedientialiter pugnant, ergo si intellectus, ac voluntas concurrant principaliter, non possent dici concurrere per potentiam obedientialẽ, contra prædicta. Antecedens probatur, quia concurrere principaliter, est concurrere sine eleuatione; concurrere obedientialiter est cum eleuatione: consequentia manifesta est.

Confirmatur. 1. quia intellect⁹ indiget eleua-

tione ad videndum Deum, nulla autem cauſa principalis eget eleuatione ad ſuum effectum. Maior eſt de fide ex Concilio Viennenſi. Minor probatur, quia per hoc diſtinguitur cauſa principalis ab inſtrumentali, quod hæc eget eleuatione; illa non item; hæc attingit effectum non ſibi, ſed cauſæ principali proportionatum; illa attingit proportionatum.

Conſideratur 2. quia intellectus eſt potentia inſtrumentalis vt recipit viſionem, ergo etiam vt elicit. Sequela patet à paritate, imo à maiori ad minus: ſi enim reſpectu receptionis, ad quam pauciora requiruntur, eſt inſtrumentalis, quanto magis erit reſpectu actionis ad quam plura. Antecedens probatur, tum quia nullum ſubiectum habet potentiam receptiuam naturalem reſpectu formæ excedentis naturam, & improportionatam: Tum quia anima per potentiam obedientialem recipit gratiam, ergo & gloriam; tum quia creatio dicitur actio naturalis, quia eſt intra capacitatem naturalẽ termini in quo recipitur, etiamſi ſuperet vires agentis creati, ergo reſpectu formæ excedentis capacitatem naturalẽ ſubiecti non eſt potentia naturalis, ſed obedientialis, ac proinde minime principalis.

Reſpondeo ad argum. nego antecedens. ex dictis enim patet, potentias vitales concurrentes per innatam virtutẽ ſe mouentem ad effectum à ſe intentum, differre ab inſtrumentis carentibus huiuſmodi virtute v.g ab aqua in baptiſmo, & vt ſic accedere ad rationem principalis cauſæ; licet ſimpliciter non ſint principales quia egent eleuatione, & operentur per gratiam auxilium. Ad probationẽ antecedentis, diſtinguo principaliter: nam vel intelligitur abſolute, & ſimpliciter, & verum eſt; vel ſecundum quid, vt diſtinguitur à mero inſtrumento, & negatur quod non poſſit concurrere vt eleuatũ, quæ omnia explicata ſunt ſuperius.

Ad primã confirmationem, minor eſt vera de cauſa ſimpliciter principali, ſicut & probatio eius, nam etiam principalis ſecundum quid eget eleuatione, & attingit effectũ ſimpliciter improportionatum, hoc eſt excedentem vires proprias, ſed minus tamen improportionatũ, quàm ſint effectus cauſæ mere inſtrumentalis.

Ad 2. confirmat. Intellectus quatenus recipit viſionem, vel conſideratur adæquate, vt potẽtia eſt formaliter eius receptiua; & ita inuoluit in recto entitatem naturalem, in obliquo virtutem ſupernaturalem, qua præciſa non eſt proximè, & formaliter potentia, cum ipſi nulla reſpondeat virtus actiua productiua viſionis, omni autem potentiæ paſſiuæ reſpondere debet actiua, vt ſupra diximus: ideo in hoc ſenſu vocari poteſt inſtrumentalis, quia ex ſeipſo, & natura ſua neque exigit, neque poteſt recipere viſionẽ, niſi accedente extrinſecus eleuatione per virtutẽ diuinam paratã producere actum ſupernaturalem, quem recipit.

Abſolutè autem non dicitur inſtrumentalis reſpectu receptionis, quia non eget vllo intrinſeco ſupperaddito, per quod proxime reddatur potẽs recipere, ſed omnia intrinſecè neceſſaria habet ex ſua natura; alioqui daretur proceſſus infinitus, ſi reſpectu cuiuſque formæ ſupernaturalis deberet per quid ſuperadditum diſponi.

Atque ita patet ad duas primas probationes antecedentis. ſubiectum enim naturale habet potentiã naturalem ad recipiendã formam ſupernaturalem, licet remotam, quia non eſt abſolute, & proxime potentia formaliter, niſi accedente potentia per auxiliũ ſupernaturale actiua. Ad tertiam, dato quod creatio ſit in ſe actio naturalis recepta in termino, non infertur quod reſpectu formarũ ſupernaturalium non ſit potẽtia receptiua in natura rationali in ſua entitate naturali; Sed ſolum quod non eſt tanta proportio inter ipſas, & ſubiectũ, quanta eſt cũ formis naturalibus; à quocũque demum agente producãtur; non tamen defectus æqualis proportionis arguit impotentiã naturalem receptiuã in ſubiecto; Sed indicat ſolum opus eſſe agente ſuperioris ordinis, ad hoc vt potentia remota fiat proxima, idque ex natura rei & per ſe, & non per accidẽs vt contingeret in reſtitutione miraculoſa viſus, qui ſecundũ ſe eſt proportionatus potentiæ viſiuæ exigenti illum naturaliter, licet ex accidente perditus non poſſit ab agente naturali reſtitui. Atque ita apparet potentiã receptiuam formarũ naturaliũ ſimpliciter eſſe naturalẽ, ſupernaturaliũ vero partim eſſe naturalẽ, partim obediẽtialẽ, quatenus obedientialis comprehendit etiam naturalem; vnde & ſimpliciter obedientialis vocem ei conuenirè ſuperius dictum eſt.

An Potentiæ vitales attingant immediate actus ſupernaturales vt cauſæ partiales ipſorum.

CAPVT III.

1. *Referuntur duæ ſententiæ principales.*
2. *Supponenda quæſtionis reſolutioni.*
3. *Potentiæ non ſunt abſolutè, & ſimpliciter principales actuum ſupernaturalium.*
4. *Neque ſunt cauſæ merè inſtrumentales.*
5. *Conſtituunt nouum genus cauſæ miſtum ex principali, & inſtrumentali.*
6. *Merentur tamen nomen potius inſtrumentalis.*
7. *Soluuntur argumenta.*

FEtiuntur anathemate à Concilio Tridentino negantes liberum arbitrium actiuè concurrere ad iuſtificationẽ, vt ſupra non ſemel retulimus, vt proinde extra controuerſiã ſit inter Catholicos concurſus iſte potentiarũ vitaliũ; eſt tamen illa non modica de modo cõcurrendi: quia plerique Theologi totam rationem, ſiue principiũ vt quo agendi dicunt eſſe gratiã, intelligendo hoc nomine tam habitum infuſum, quàm auxilium ſpeciale, & tamen tribuunt eidem appellationem cauſæ totalis in ſuo genere principalis intrinſecæ. Alij verò cenſent ſuas quoque partes potentijs vitalibus tribuendas, & cauſas partiales extrinſeca virtute cooperantes appellant: quæ diſſenſio partim eſt de re, partim de modo loquendi, & ideo pro maiori intelligentia ſtatus quęſtionis VII.

Aduerte primò, quia huiuſmodi potentiæ egent eleuatione ad hoc vt operentur ſupernaturaliter; eleuatio autem fieri poteſt vel per habitum infuſum, vel per auxilium Eleuatio fit multis modis.

speciale, vel per diuinam adsistentiam in sententia communi nostrorum; quæritur, an hoc complementum eleuans sit tota ratio & principium quo agendi, qualis est calor exempli gratia in aqua, vel ferro; an verò etiam ipsæ potentiæ, quas diximus esse causas principales secundum quid per vim propriam, simul associent suam actionem, siue deinde animæ substantia concurrat, siue non, si ab ipsis distinguitur; & siue nominetur earum virtus proxima ob immediatum concursum, siue remota; quia ex se non est potens, nisi accedat complementum supernaturale, quæ sunt quæstiones distinctæ ab ea, quam tractamus: si enim immediatè influant, & actiuè concurrant, tota ratio agendi non est solius principij supernaturalis, quia consortem habet aliam causam à se eleuatam, à qua mixtim fluit operatio: sin secus nihil agant, sed solùm recipiant auxilium eleuans, aut illi adiungantur; tota ratio agendi, seu effectiuè concurrendi in hoc consistet.

Aduerte secundò, ad omnem ambiguitatem tollendam posse rursus quæri, vtrum denominatio agentis tribuenda sit naturæ rationali, etiamsi tota efficacitas agendi sit à gratia: vel vtrum simul cum gratia immediatè efficiat, & causæ partialis rationem mereatur, & non solùm denominetur agens, sicut aqua denominatur calefaciens: admisso namque influxu immediato, certum est ab eo denominari agentem naturem rationalem. sed eodem negato, non statim neganda esset denominatio, quæ conuenire potest subiecto sustentanti, & non efficienti; vt in exemplo allato aquæ apparet. Quæstio est de efficientia, non de denominatione; & de efficientia immediata, non de remoto, & radicali principio, quæ est vita substantialis, & supponitur vt fundamentum omnium vitalium operationum.

Aduerte tertiò, quòd de hac efficientia immediata vlterius quæri potest, quo modo dicatur egere virtute causæ superioris, quæ dat velle, & perficere; an videlicet pendeat ab illa, tanquam à causa priori, & præmouente voluntatem, & intellectum, & sic faciente vt faciant: an verò requirat solùm eius consortium cooperantis, supposita motione gratiæ excitantis, ac præuenientis, quæ indepenđenter à libertate nostra fit in nobis, & moraliter allicit, & inuitat ad bene operandum; in quo valde dissentio à recentioribus quibusdam Thomistis, qui referunt alios auctores in sensu diuerso ab eorum mente; & primo quidem proferunt exemplum duorum equorum simul trahentium currum, quorum alter ab altero sit genitus, & traher per acceptam potentiam à generante, sine dependentia ab illo in trahendo, vt à causa efficiente; & hinc inferunt tantam à nostris concedi vim libero arbitrio, vt accepta semel virtute operandi per habitum infusum, vel auxilium sufficiens, ex seipso deinceps independenter ab illo vt causa efficiente operetur. Hoc non asserimus, sed quòd liberum arbitrium excitatum à Deo nihil possit boni, nisi illo adiuuante, & cooperante; iuxta illud S. Aug. de correp. & grat. c. 1. *Non solum vt monstrante ipsa, quid faciendum sit sciamus; verùm etiam vt præstante ipsa faciamus cum dilectione quod sciunt.* Et solùm negamus opus esse vlla physica præmotione, ad hoc vt dicatur potentia virtute diuina operari actus supernaturales. Secundò, consequenter non fero quod dicitent non aliter deposci à nobis auxilium supernaturale, quàm vt sit causa alliciens, inuitans, suadens: hoc quidem nos requirimus etiam atque etiam, fatemurque cum S. Augustino de spiritu, & lit. c. 34. bonam voluntatem diuino muneri tribuendam, non tantum quia ex libero arbitrio est; *Verùm etiam* (inquit) *quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & credamus*; sed præterea eius concomitantiam omninonecessariam profitemur; & illud effatum, quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur, reuerenter accipimus ab Arausicano conc. can. 9. sed hoc ipsum, & omnia Augustini loca in hunc sensum congesta sine physica vlla prædeterminatione planè, ac dilucidè causam omnis nostræ bonæ operationis repræsentant Deum auctorem gratiæ præuenientis, comitantis, & subsequentis.

Itaque non consistit in hoc quæstio, an per physicam præmotionem potentiæ vitales reddantur vel proximè, & completè potentes ad operandum; vel per illam actu operantes; sed vtrum ipsæ posito gratiæ auxilio, quo eleuantur, simul cum ipso exerceant suam naturalem vim operatiuam, & cooperentur Deo, non solùm per habitum, sed etiam per seipsas, ac suam entitatem, an verò gratia totam sibi operationem vendicet, natura interim otiante; quod etiam quæri posset admissa prædeterminatione, vtpotè distincta ab operatione, ad quam requiritur à suis patronis, qua in re sunt duæ sententiæ principales, ad quas reliquæ vtentes variis distinctionibus reducuntur. Non est quæstio an requiratur præmotio.

Prima est communiter Thomistarum tribuentium totam virtutem agendi principio supernaturali, licet in modo explicandi non conuenientium; nam Capr. in 4. dist. 49. art. 3. ad arg. Scoti, & Aur. contra secundam conclusionem: *Quamuis illa visio* (inquit) *vt est cognitio quædam, fiat ab intellectu; tamen vt est visio beatifica, fit à solo Deo premiante.* Ideò aliqui Thomistæ, vt refert Aluar. de auxil. disp. 64. dicunt visionem, vt est vitalis fieri ab intellectu, vt est supernaturalis à lumine gloriæ. Est autem eadem ratio omnium actuum supernaturalium, & necessitas, vt fiant ab habitu, vel auxilio supernaturali.

Aliis placet vitalitatem proximam totam procedere à lumine gloriæ, & in aliis actibus ab auxilio supernaturali, vt à principio formali; remotam verò, seu fundamentalem ab anima secundùm suam naturalem virtutem: Ita Aluar. loc. cit. distinguens duplicem vitalitatem actus, proximam, & remotam respondentem duplici principio vitali, nimirum remoto, seu radicali, quod est ipsa vita substantialis; & proximo, ac formali, quæ est potentia, per quam viuens operatur; primò respondet vitalitas remota actus, quæ est ipsa substantia eius; secundò respondet vitalitas proxima, quæ cum tota sit supernaturalis,

debet habere principium ſupernaturale, qualis eſt habitus infuſus, per quem agens operatur; cum aliis Thomiſtis quibuſdam, qui nihilominus contendunt potentias vitales eſſe cauſas principales actuum ſupernaturaliũ, tam quando operantur eleuatæ per auxilium actuale, quàm cum per habitum, vt videre eſt apud eumdem Alu. diſput. 68. qui tamen diſp. 85. totus eſt in eo, vt probet collationem auxilij efficacis eſſe adæquatam, & ſolam cauſam efficientem, vt liberum arbitrium piè operetur.

Nonnulli diſtinguunt ſubſtantiam actus ſupernaturalis à modo, & illam à principio intrinſeco naturali procedere fatentur, non item modum. Sic Ban. 1. p. q. 10. a. 5. ad vltimum ait, *Sine dubio viſio beatifica, quantum ad ſubſtantiam procedit à principio intrinſico naturaliter, & habet aliquid admixtum naturale.*

Scotus verò in 4. diſt. 49. q. 3. a. 2. in fine, quem plerique ſequuntur, totam rationem agendi tribuit lumini reſpectu viſionis beatæ, vtiturque exemplo aquæ calefacientis ſecundùm proportionem caloris maioris, vel minoris.

Quocumque tamen modo explicetur hæc ſententia, alterutrum concedat, aut neget oportet cathegorice inquirenti; nam vel potentiæ vitales eleuatæ aliquid agunt cum gratia, vel nihil, non hoc ſecundum: quia ſic non eſſent cauſæ principales totales, vt ipſi volunt; neque Patres, & Concilia mox citanda id patiuntur, ergo agunt aliquid, & quæſtio erit de nomine, quod agant virtute diuina, ſed tunc non bene dicitur eſſe tota virtus, & ratio agendi, quia ſimul agunt potentiæ per ſuam virtutem eleuatam, quod maximè vult altera ſententia contra hæreticos.

Secundam ſententiam omnino oppoſitam tuentur communiter omnes noſtri Theologi, Soar. 1. p. l. 2. de viſione Dei, c. 10. tom. 1. in 3. p. diſp. 31. ſect. 6. §. prima conſequentia, & l. 6. de Grat. c. 5. Vaſq. 1. p. diſp. 43. c. 4. & diſp. 126. c. 5. Val. 1. p. diſp. 1. q. 12. punct. 3. Salas 1. 2. t. 2. diſp. 2. ſect. 4. & diſp. 5. ſect. 3. num. 59. & ſect. 5. n. 73. & alij, quos longa ſerie numerat P. Ripal. de ent. ſupern. diſp. 30. à ſect. 3.

Videri poteſt alicui controuerſia hæc inter Catholicos Doctores ſolùm eſſe de modo loquendi, quia omnes niti ſe profitentur auctoritatibus ſanctorum Patrum, & Conciliorum aliter explicantium ſcripturam ſacram in hac materia, quàm hæretici recentiores, contra quos nos vniuerſi voluntate conformi ſtamus.

Primò enim conuenimus in hoc, quòd liberum hominis arbitrium gratia præuentum actiuè concurrit ad actus ſupernaturales, & proinde quòd potentia vitalis vniuerſaliter ad ſuos.

Secundò, quòd ſit cauſa principalis ſaltem aliquo modo.

Tertiò, quòd ſit de ſe inſufficiens, & indigens eleuatione ad hoc vt operetur.

Quartò, diſpoſitionem ad gratiam, quæ eſt actus potentiæ vitalis eleuatæ, eſſe propriam hominis, quia eſt liberè elicita, & à principio intrinſeco iſtius, & non alterius.

Quintò, neceſſarium eſſe, vt huiuſmodi actus ſupernaturalis ſit à principio vitali, & non ſolùm à cauſa ſupernaturali, quia eſt vitalis, & liber.

Sextò, quod quicquid homo ſic operans à Deo habet, iuxta illud, *Quid habes quod non acceperiſti*, & iuxta menſuram acceptæ gratiæ attendi intenſionem actus, & meriti reſpondentis ipſi. In ijs, inquam, loquendi modis conuenit vtraque ſententia, vt manifeſtum eſt in locis citatis auctorum vtriuſque: videri poteſt diſſenſio ſolùm de modo loquendi; ſed non eſt ita; nam verè eſt de re ferme in hoc conſiſtens, quòd ſecunda citat quidem pro ſe ſanctos Patres, Concilia, & Scholaſticos plures, ſed nunquam tamen admittit, quòd potentia vitalis per ſe, id eſt per ſuam entitatem, & virtutem innatam ſimul cum gratia operetur, quia huic totam agendi rationem adſcribit; & ſolùm vult eſſe principium formale quo agendi; & nihilominus vocat potentiam vitalem cauſam principalem, ac totalem in ſuo genere; & ad ſaluandam vitalitatem actus ſupernaturalis, adinuenit duplicem vitalitatem in eo, proximam, ac remotam, & ſimilia, quæ ſecundæ ſententiæ videntur difficilia, & non liquidò explicata; & ideo non probat hoc etiam maxime nomine, quod Caluinus cum recentioribus hæreticis proteruè inſultant Tridentino, & ſcholaſticis, quòd ſuas partes dent libero arbitrio in opere bono, quod totum volunt eſſe à gratia; & tamen negare non audent, voluntatem velle, quando bene operatur, quia non mouetur vt truncus, ſed vt potentia rationalis, quæ ſunt voces fucum facientes ad euitandam abſurditatis inuidiam, non ad quæſtionem explanandam. Propterea cum Scholaſticis citatis, & aliis ſcriptoribus controuerſiarum contra neotericos ſectatores, adhæreo ſecundæ ſententiæ, eamque ſequentibus aſſertionibus explico, quarum

Prima eſt

VIII. POtentiæ vitales eleuatæ concurrunt immediatè in actus ſupernaturales, coëfficiendo illos partialiter cum auxilio gratiæ, quodcumque illud fuerit, quo eleuentur.

Probatur primò auctoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum, quorum dicta ita apertè declarant hunc concurſum, vt quælibet gloſſa illi obuians ſit textui violenta. Seligo ex innumeris pauca. Totum caput quintum Matthæi, immo totum Euangelium ſcatet præceptis, & conſiliis, quorum impletio eſt ipſamet operatio voluntatis adiutæ gratia. *Diligite inimicos veſtros. Orate pro perſequentibus vos. Quærite primum regnum Dei. Facite fructus dignos pœnitentia. Vigilate. Orate. Si vis perfectus eſſe*, &c. Plenæ ſunt Epiſtolæ Pauli, & aliorum Apoſtolorum huiuſmodi hortamentis requirentibus operationem hominis. *Omnia in gloriam Dei facite*, Rom. 10. *Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia veſtra in charitate fiant*, Rom. 16. *Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiã*, Coloſſ. 3. & mox;

Digitized by Google

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi &c. & ad Phil. 2. *Cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini*, in quæ August lib. quæst q. 167. *Nam & homines facere debent, cum ipsi iubeantur, & Deus facit, cum facientem adiuuat, secundùm illud Apost. In timore, & tremore vestrâ ipsorum salutem operamini &c.* sicut ergo quando Scriptura ait Deum operari nostras actiones bonas, de vera, & proprià operatione intelligenda est, cur non de eadem intelligatur, quando nos ad operandum inuitat? vt Bellarm. l. 6. de Grat. & lib. arbit. c. 10. Sed insigniter 1. Cor. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui; non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

S. Augusti. Bellarm. 1. Cor. 15.

Dices, sensum esse, non ego sum, qui laboraui, sed gratia Dei, quæ mihi aderat, quo denotatur gratia esse omnium effectrix, & non cooperatrix, fauente Græco textu. Ita perperam Caluinus exponit, cuius verba recitat Bellarm. de Grat. & lib. arb. l. 6. cap. 10. & refellit; primò enim Græcus contextus maximè aduersatur ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί, sed ipsa gratia Dei, quæ mecum est, intelligè laborauit; neque potest magis ad verbum reddi σὺν ἐμοί, quàm mecum, vt vulgatus interpres reddidit: nam quæ mihi aderat, Inuersio est ad eludendum sensum pium Apostoli, & fingendum proprium, haud pium. Deinde operationem suam, & laborem palam profitetur Paulus, Abundantius laboraui: quod repetit 2. Cor. 11. sed gratiæ, quæ vires operandi dedit, laudes adscribit, præsumens se non solùm operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum, vt loquitur S. Bernard. de grat. & lib. arb. sub fin. *Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait, Non ego; vt verò se cum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, sed gratia Dei mecum. Gregor. lib. 16. Mor. cap. 12.* quod idem docent alij Patres passim citandi tota disputatione hac.

S. Bernar. S. Greg.

S. Augusti. S. August. in primis lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 15. *Non autem ego, sed gratia Dei mecum, id est non solus, sed gratia Dei mecum; ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* & lib. de spiritu, & lit. c. 34. *consentire vocationi, aut non consentire propriæ voluntatis est*; de corrept. & grat. cap. 2. *Intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est agant: & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant; aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant.*

S. Chrys. S. Chrysost. hom. 60. ad pop. Antioch. *Neque enim nos esse supinos vult Deus; propterea non ipse totum operatur, neque vult esse superbos: & ideo totum nobis non concessit.* Ideo non ferens tantam lucem veritatis huius Caluinus, non rectè ab eo scriptum garrit, nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratia quicquam posse operari.

S. Anselm. S. Anselm. lib. de lib. arb. cap. 4. *Ita quippe intelligenda sunt dicta diuina, vt neque sola gratia, neque solum liberum arbitrium salutem hominis operetur.*

S. Greg. S. Gregor. l. 33. Mor. cap. 20. aliàs 25. *Bonum quod agimus, & Dei est, & nostrum; Dei per præuenientem gratiam, nostrum per obsequentem voluntatem.* Hoc prius dixerat Aug. lib. 1. ad Simpl c. q. 2. *Quod velimus sumus esse voluit, & nostrum; sumus vocando, nostrum sequendo.* Cum quibus sunt Cyrill. Alex. Clemens Niss. Prosper Fulgent. Basil. & alij apud recentiores.

S. Bern. de scala Cluniacensium tom 2 ait; *Cooperatores enim Dei sumus, sicut dicit Apostolus: Vnus siquidem Deus vt cum adiuuamus, & vt ei adhæreamus, & præsolâri ad illum, & aperiamus sinum voluntatis nostræ, & ei consentiamus. Hanc consensum exigebat à Samaritana, quando dicebat, Pone virum tuum; quasi diceret, vis infundere gratiam, tu applica liberum arbitrium, &c.* S. Bonau.

Ad idem sunt Concilia, Tridentinum in primis, sess 6. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, meréque passiuè se habere, anathema sit.* Et ca. 9. *Vere iusti nominamur, & sumus iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam, secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundùm propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Et ca. 5. expressè dixerat, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, aliquid agere hominem, contra hæreticos negantes actiuè concurrere immediatè cooperando gratiæ, & impugnantes Catholicos Doctores, tribuentes etiam libero arbitrio suam partialem concursum, dum mouetur à gratia.

S. Bonau. in 1. dist. 40. a. 1. q. 2. de Prædestinatione loquens docet, quòd inquantum ponit rationem causæ, non necessariò ponit effectum, quia non est causa per necessitatem, sed per voluntatem, & non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet cum libero arbitrio; si igitur est causa salutis, aliquid operatur ad salutem. In 2. dist. 26. in fin. *Sicut voluntas mouet seipsam ad opera naturalia; sic adiuta per gratiam mouet seipsam ad opera meritoria.* Et mox. *Vnde sic mouetur a Deo, quod mouetur etiam a seipsa: & ideo omne opus meritorium attribuitur gratiæ, & libero arbitrio, &c.* & concludit, *Nunquam enim gratia efficit opus meritorium, nisi voluntas simul cooperetur.* Idem habet dist. 28 a. 2. q. 1. & q. 3. fin. & dist. 29. a. 2. q. 2. In 3. dist. 13. a. 1. q. 3. ad arg. visionem ipsam beatam perfici actione asserit, & non solùm passione cognoscentis: *Sicut etiam patet (inquit) in dilectione, cum amo aliquem, anima amando aliquo modo agit.* Et à dist. 23. per plures sequentes, vbi tractat de virtutibus Theologicis earum actus passim suponit fieri ab intellectu, & voluntate. In 4. dist. 49. a. 1. q. 1. beatitudinem ponit in actu continuo, & ideo vocat habitum in actu: sicut si diceret scientiam, quæ semper est in considerando; & dist 15. p. 1. a. 1. q. 23. ait, Deum non iustificare nisi volentem: & ideo ad iustificationem requiritur motus liberi arbitrij. Consentiunt Alex. Alens. p. 4. q. 61. memb. 3. a. 2. & alibi explicans gratiam cooperantem, & virtutes Theologicales. Riccard. in 4. 49. a. 5. q. 1. in corp.

S. Thomas in 1. Sent. disp. 15. q. 2. a. 3. c. S. Thomæ. *Homo est Dominus sui actus, vnde potest agere secundùm totam virtutem naturæ suæ, vel secundum partem*, & loquitur de actu, secundùm quem se disponit ad charitatem, &c. quòd si gratia sola ageret, non posset dici agere homo secundùm totum, vel partem. Ratio huius varietatis est libertas naturalis hominis, cui se accommodans gratia mouet illum vt liberum, non vt seruum, vt nimirum in eius

poteſtate ſit conſentire, vel non; & maiori, vel minori conatu ad libitum. Cum verò liberè agit homo, ex ſeipſo agit. Illud (inquit) S. Thom. 4. cont. gent. cap. 22. *liberè agimus, quod ex nobis ipſis agimus, hoc verò eſt, quod ex voluntate agimus, &c.* non quia actus ſupernaturales ex ſeipſo agat homo, id eſt ex propria virtute ſola, ſed quia cum gratia confortante verè, & propriè agit, & mouet ſe intrinſecè, & voluntariè.

Prima parte q. 12. a. 4. docet, quòd intellectus hominis, & Angeli poteſt eleuari ad videndum Deum, vt in ſe eſt; & art. 5. c. *Cum igitur* (inquit) *virtus naturalis intellectus creati non ſufficiat ad Dei eſſentiam videndam, oportet quod ex diuina gratia ſuperaccreſcat ei virtus intelligendi; quando autem vna virtus additur alteri, neutra ſeparatim eſt adæquata ratio operandi, ſed vtraque ſimul.* Et in reſponſione ad primum requirit lumen gloriæ ad viſionem beatam, vt intellectus fiat potens ad intelligendum per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum.

Prima 2. q. 3. a. 2. *Oportet beatitudinem in vltimo actu hominis conſiſtere; manifeſtum eſt autem, quod operatio eſt vltimus actus operantis, vnde & actus ſecundus à Philoſopho nominatur in 2. de Anim. t. 2.* quis non videat eum loqui de operatione, quæ fit ab anima beata? vnde ſubdit, *& inde eſt, quod in talibus rebus, res vnaquæque dicitur eſſe propter ſuam operationem, vt dicitur in 2. de Cœl. t. 17.*

Quò pertinent ea, quæ habet de gratia, & iuſtificatione à quæſt. 109. ad 114. a. præſertim 3. & 4. quibus identidem aſſumit, vel ſupponit voluntatem hominis eſſe cauſam actuum ſupernaturalium per gratiæ auxilium.

Præterea 2. 2. q. 23. a. 2. *Non poteſt dici, quod ſic moueat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, ſicut mouetur inſtrumentum, quod & ſi ſit principium actus: non tamen eſt in ipſo agere, vel non agere; ſic enim tolleretur ratio voluntarij, & excluderetur ratio meriti, &c. ſed oportet, vt ſic moueatur à Spiritu Sancto ad diligendum, quod etiam ipſa ſit efficiens hunc actum, &c.*

Ibidem q. 2. a. 9. *Actus noſtri ſunt meritorij inquantum procedunt à libero arbitrio moto à Deo per gratiam; vnde omnis actus humanus qui ſubiicitur libero arbitrio, ſi ſit relatus in Deum, poteſt eſſe meritorius; ipſum autem credere eſt actus intellectus aſſentientis veritati diuinæ, ex imperio voluntatis à Deo mota per gratiam: & ſic ſubjacet libero arbitrio moto in ordine ad Deum, &c.* Similia paſſim habet in illis quæſtionibus de fide, ſpe, & charitate, & de virtutibus.

Præterea 3. p. q. 7. docet a. 2. in Chriſto fuiſſe virtutes ad perficiendum ſingulas potentias animæ in ordine ad actus; & a. 5. fuiſſe in illo dona, quia ſunt perfectiones quædam potentiarum animæ, ſecundùm quod ſunt natæ moueri à Spiritu Sancto: manifeſtum autem eſt, quòd anima Chriſti perfectiſſimè mouebatur à Spiritu Sancto, ſine dubio ad operationes ſupernaturales excellentiſſimas. Deinceps q. 9. tractat de multiplici ſcientia Chriſti, vt eſt actus animæ operantis.

Infra q. 85. a. 2. probat Pœnitentiam eſſe virtutem, quæ aſſumit moderatum dolorem de peccatis, cum intentione ea remouendi; proinde eſſe cum electione. Dolere, intendere, eligere, numquid non ſunt actus procedentes ab anima? Ita intelligunt S. Thomam præcipui Thomiſtæ. Capr. in 4. d. 49. q. 4. a. 3. ad arg. Aureoli contra ſecundam concluſionem: ideoque conceditur, quòd viſio beatifica in anima rationali ſubiectiuè, & partialiter effectiuè eſt ab intellectu poſſibili, &c. Ferrar. 4. cont. gent. c. 22. §. ad huius euidentiam: *Quia ergo Spiritus Sanctus nos ad agendum inclinat, quod liberè tamen operamur, & ex proprio arbitrio, tanquam habentes in noſtra poteſtate ſequi, aut non ſequi Spiritus Sancti inclinationem, & motionem: ideo dicimur ab ipſo agi non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.* Idem docet Caiet. locis ſupra citatis ex ſumma.

Cum his eſt Scotus in 3. diſt. 13. q. 3. & 4. §. ad tertiam, vbi probabiliter tenet, voluntatem Chriſti Domini elicere actum fruitionis vt cauſam partialem cum gratia; & licet non ſit ita perfectè actiua, ſicut voluntas Angeli (inquit) *tamen ipſa cum ſumma gratia, vt alia cauſa partiali actiua, poteſt in perfectiorem fruitionem, quàm voluntas Angeli cum minori gratia: quia excedentia gratiæ excedit in ea efficientiam voluntatis Angeli;* & in § ad argumenta. *Illud argumentum* (inquit) *deficit in hoc, quod videtur probare, quod fruitio ſit à gratia vt à cauſa totali, quod eſt falſum; vnde licet illa naturaliter ſe habeant ad fruitionem: non tamen voluntas, quæ eſt cauſa partialis, ſed potius liberè, &c.* Et in 1. d. 17. q. 2. probat charitatem non eſſe cauſam totalem actus, ſed partialem cum voluntate. Et ita ſenſiſſe Scotum teſtantur Scotiſtæ, vt videre eſt apud Fabium Fauent. in 3. diſp. 32. à num. 19. & diſp. 37. num. 5. Plura loco citaui ſuprà c. 1. vbi in eius ſententia probaui dari potentiam obedientialem actiuam.

Hinc apud Theologos eſt communis diuiſio gratiæ in operantem, & cooperantem; prima eſt ſolius Dei mouentis; ſecunda complectitur præterea cooperationem animæ mouentis ſeipſam ex S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 2. adiutæ, & excitatæ à prima, ad quid autem excitat niſi ad operandum?

Secundò principaliter probatur aſſertio rationibus ſequentibus.

Prima eſt, quia alioqui fruſtra eſſent ſuaſiones, hortationes, vocationes diuinæ, ſi nihil exigitur ab homine, quod agat. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Cor. 6.* In vacuum gratiam recipit, qui eum ea non laborat (ait Anſelmus) & per deſidiam in cauſa eſt, vt gratia in ſe ſit otioſa, vt Corn. ibi *Hodie ſi vocem eius audieritis*, Pſalm. 94. *Ne autem putetur, nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in pſalmo dicitur, Nolite obdurare corda veſtra*, ait, *Auguſt. de lib. arb. c. 15.* 2. Cor. 6. S. Auguſt.

Secunda, fruſtra eſſent petitiones noſtræ, *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu*, Pſalm. 141. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor mandata tua*, Pſalm. 118. *Mitte illam, ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret*, Sap. 9. *Adiuuame, & ſaluus*

ero, Pſalm. 118. *Adiutòr meus eſto*, Pſalm. 26. *quæ vſurpans Auguſt. tract. 4. in Epiſt. Ioan. Si dicis, adiutor meus eſto, aliquid agis; nam ſi nihil agis, quomodo ille adiuuat?* Quòd ſi & homo dicitur adiutor Dei, 1. Cor. 3. *Dei enim adiutores ſumus, ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis. Aug. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli, &c. quia ſi non eſſes operator, Deus non eſſet cooperator*, ibidem.

Tertia eſt, quia alioqui non diceretur reddi merces eſt præmium operi noſtro, & laboribus iuſtorum, contra illud Sap. 10. *Reddet iuſtis mercedem laborum ſuorum.* Quòd ſi totum dandum eſt gratiæ, & nihil naturæ adiutæ gratia, quomodo referet vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, 2. Cor. 5. aut quo-
S. Gregor. modo metet quæ ſeminauit, ſi nihil agit? Audi Greg. l. 33. Mor. c. 20. aliàs 25. *Bonum, quod agimus, & Dei eſt, & noſtrum; Dei per prænenientem gratiam, noſtrum per ebſequentem voluntatem. Si enim Dei non eſt, vnde ei gratias in æternum agimus? Rurſus ſi noſtrum non eſt, vnde nobis retribui præmia ſperamus?* quæ ſunt fermè eadem verba Auguſtini de Prædeſtinatione SS. c. 3. vtrumque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei, & charita-
S. Hieron. tis. Et S. Hieron. l. 4. in Hierem. c. 18. *Dimittit hominem voluntati ſuæ, vt vel præmia, vel pœnas ſua voluntate recipiat.*

Quarta. Fruſtra conſultarent homines de ſuis actionibus, ſi eas non efficiunt, quando
S. Damaſ. ſupernaturales ſunt, quæ eſt ſancti Damaſc. 2. fid. c. 25. *Relinquetur igitur* (inquit) *hominem ipſum agentem, & facientem principium eſſe propriorum operum. Sin autem nullius principium actionis, ſuperflue id habet, vt conſulitet.*

Quinta. Actus meritorius eſt vitalis, voluntarius, liber, ergo fit à principio intrinſeco, vitali, libero; nam de ratione voluntarij eſt, vt ſit à principio cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio, ex S. Thoma, 1. 2. q. 6. a. 1. 2. & Ariſt. 3. Ethic. 1. Hoc autem principium eſt mens humana ex eodem 2. 2. q. 23. a. ſup. cit. & non aliqua qualitas inhærens minimè naturalis; neque ex principiis naturæ: alioqui motus ſurſum eſſet à principio intrinſeco, quia fit per qualitatem impreſſam in ſententia probabili; neque refert, quòd ſit indebita, vt idem S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 5. c. quia etiam habitus ſunt indebiti, tam perficientes naturam, vt ſupernaturales, quàm nocentes naturæ, vt peccaminoſi: vtrique enim carent ratione principij voluntarij: quia neutris competit eſſe principium cognoſcens ſingula, aut conuenire agenti ex intrinſecis naturæ; proinde ab ipſis neque voluntarius, neque liber denominatur actus, ſed à voluntate, & libero arbitrio, quia non ſunt principia agendi, vel non agendi, vt eſt voluntas, quæ ita pendet à gratia in operando ſupernaturaliter, vt tamen ſuæ libertati relinquatur, quaſi velit abuti, & diſſentire gratiæ, poteſt pro libito, & in vacuum illam recipere, vt ſupra ex S. Aug. & Trid. propterea denominatio volentis, merentis, &c. ipſi tribuitur, non gratiæ, aut Spiritui ſancto eius auctori, etiamſi gratia, & habitus infuſi perficiant in ordine ad propriam operationem, & cenſeatur potentia operari per ipſos, tanquam per propriam formam, contra quam eueniat in inſtrumentis, quæ non habent propriam operationem, ſed agentis principalis, & in ſubjectis affectibus accidentibus extraneis, vt aqua calefacta, quæ non calefacit per calorem, tanquam per propriam formam, aut propria operatione: hoc enim diſcrimen non ſufficit, vt denominatio intelligentis, volentis, merentis, &c. tribuatur gratiæ, quia propriè conuenit principio vitali intrinſeco, qualis gratia non eſt; proinde illud eſt, quod elicit operationem vitalem, liberam, meritoriam; ſicut oculus candore lucis adjutus elicit viſionem, quam non poteſt elicere ſine luce, vt S. Aug. l. de nat. & grat. c. 26.

Confirmatur, quia actus ſupernaturalis eſt operatio vitæ, & dicitur actus ſecundus animæ non minùs quàm naturalis; de ratione autem actus ſecundi vitæ eſt, vt ſit à vita in actu primo, ſiue ab anima, ex 2. de Anima c. 1. 2. & 1. Politic. c. 3. proinde ſi tota actio ſit à principio, quod non ſit vita, non erit vitalis; ſi verò partialiter ſit ab ipſo, & à vita, erit vitalis.

Secunda Aſſertio.

PRædictæ auctoritates, ac rationes non poſſunt verificari de ſola vitalitate actus ſupernaturalis, ita vt hæc quidem procedat à potentia per virtutem operatiuam naturalem: ſupernaturalitas autem à gratia per vim ſupernaturalem. 11.

Probatur, quia actus ſupernaturalis non conſtat duabus entitatibus, quarum vna ſit naturalis, altera ſupernaturalis, ſed eſt vna ſimplex entitas tota vitalis, & tota ſupernaturalis, ergo potentia attingens vnam ex iis rationibus ſecundùm eſſe reale, quod dicit, attingit etiam alteram realiter indiſtinctam.

Et in hoc plures auctores primæ ſententiæ conueniunt nobiſcum, vt apparet ex diſp. 64. 65. Aluar. de Auxil. ſed nos quia rationem agendi partimur, præcipuam recognoſcentes à gratia, minus verò principalem non detrahentes potentiis per illam eleuatis, facile explicamus, quomodo actus vitalis ſit ab ipſis coaleſcentibus in vnum principium actiuum vitaliter, ſupernaturaliter. Non item illi, qui quoniam totam rationem agendi in gratiam conferunt, nihil relinquere potentiis coguntur, ne totam gratiæ dent, & partem potentiis, quod eſt dare totam, & non dare totam gratiæ: conſequenter non facilè ſe expediunt in explicando quomodo vitalitas actus ſit à potentia naturali, ſi nulla competit ei agendi ratio, ſine qua de cætero nomine tenus dicitur cauſa principalis; quia ſine ratione agendi nulla cauſa agit, neque ſine cauſalitate cauſat in vllo cauſæ genere.

Reſpondent naturam rationalem eſſe principium remotum, ſeu radicalem potentiam vitalem, habitum infuſum, vel auxilium actuale eſſe principium proximum, & ex vtroque conſtitui vnum principium adæquatum actus ſupernaturalis, & huic quidem conuenire denominationem cognoſcentis, volentis, merentis, &c. vt principio quod, ſed rationem agendi, totam refundi in habitum,

vel auxilium vt principium quo. Ita cum Aluar. citatis diſputationibus alij quidam Thomiſtæ, contra quos ſit

Tertia Aſſertio.

NOn ſolùm denominatiuè natura rationalis, & remotè eſt principium actus ſupernaturalis, ſed intrinſecè, formaliter & immediatè ei conuenit partialis ratio agendi dependenter à gratia, cui ſubordinatur vt cauſæ principali eleuanti, & non ſolùm coniungitur, vt iunguntur cauſæ non ſubordinatæ, quales ſunt duo trahentes nauim. Quoad hanc ſecundam partem conuenit vtraque ſententia, quoad primam diſſentit, ſed

Probatur primò, ad hominem concedentem potentias vitales eſſe cauſas principales actuum ſupernaturalium, & de ratione cauſæ principalis in genere eſſe agere ex intrinſeca virtute ad differentiam inſtrumentalis extrinſecè motæ. Hinc enim ſequitur potentias vitales agere ex intrinſeca virtute, & proinde totam rationem agendi non eſſe gratiam: vel ſi non agunt ex intrinſeca virtute, non eſſe cauſas principales.

Dices, agere ex intrinſeca virtute, id eſt ex habitu, vel auxilio excitante, quia nomine propriæ formæ, per quam cauſa principalis operatur, non intelligitur ſolùm quæ ex principiis intrinſecis naturæ operatur, ſed etiam quæ perficit potentiam ad modum propriæ naturæ in ordine ad proprium obiectum adæquatum, & propriam operationem, etiamſi ſit ab agente extrinſeco. Ita Aluar. diſp. 68. n. 14. ſed contra eſt ratio, qua

Secundò probatur aſſertio. Poſito habitu, aut auxilio habente ſe ad modum formæ propriæ à potentia ſiue radicali vitali, ac remota ſiue proxima, vel actus ſupernaturalis conſequens manat ab ipſa, tanquam à cauſa efficiente, & influente; vel non manat, quia verè, & propriè non eſt efficiens, ſed ſolùm ſuſtentans habitum: ſicut aqua non eſt efficiens, ſed ſuſtentans calorem, & hoc non per te ponentem apertum diſcrimen inter aquam, & potentiam radicalem vitalem quoad hoc, vt patet ex reſponſione paulo ante allata; vel præter ſuſtentationem potentia vitalis habet aliquam efficientiam, & habeo intentum, quòd gratia non ſit tota ratio phyſicæ cauſalitatis, ſed partem in ipſa habeat potentia vitalis ab ea eleuata. Et hoc eſt quod dicebat S. Thom. ſupra 2. 2. q. 23. a. 2. ita moueri voluntatem à Spiritu Sancto ad diligendum, vt ipſa etiam ſit efficiens hunc actum.

Confirmatur ex ſupra dictis: in hoc diſtinguitur inſtrumentum animatum ab inanimato, quòd illud ita mouetur ab extrinſeco, vt tamen intrinſecè ſe moueat, quod non habet inanime; hic autem motus aliqua operatio eſt propria ipſius potentiæ ſeipſam mouentis, & actus ſecundus ipſius animæ. Et hinc probatur principaliter aſſertio.

Differunt inſtrumentum animatum, & inanimatum.

Tertiò; Quia ſi de ratione inſtrumenti effectiui eſt, vt ſit principium agendi aliquid, vt D. Thom. cit. q. 23. multò magis id verum eſt de inſtrumento animato, quod ſe vitaliter, & liberè mouet: & ideo eſt etiam cauſa principalis; ex duobus ergo concurrentibus ad actum vitalem ſupernaturalem, id eſt ex potentia vitali radicali, & habitu infuſo, non hic ſolùm eſt principium actus, ſed etiam illa, alioqui minus concurrit, quàm mera inſtrumenta, quæ verè agunt mota ab agente principali, & ideo dicuntur à S. Thoma principium actus: quia per te tota ratio agendi eſt gratia: potentia autem radicalis nihil in ea participat, & ſolùm eſt pars conſtitutiua ſubiecti, ſeu principij adæquati, quod denominatur agere, velle, mereri, &c.

Confirmatur, quia petenti vnde ſit vitalitas, libertaſque actus, & meritum, non benè reſponderetur eſſe à potentia vitali libera, ſi ipſa immediatè non influit in actum liberum, vitalem, & meritorium, ac proinde nec diceretur voluntas velle, quando actus volendi eſt ſupernaturalis: quia illa potentia dicitur velle, quæ elicit volitionem, & intelligere quæ intellectionem; at per te tota ratio actus ſupernaturalis eſt gratia; ipſa ergo eſt quæ elicit volitionem, & cognitionem, quod eſt abſurdum.

Dices, potentiam vitalem agere ſed vt motam à Deo, à quo tanquam à cauſa priore efficiente pendet effectus: quomodo actio non eſt per propriam virtutem, neque à potentia vitali, vt à cauſa partialiter influente, ſicut eſt cauſa partialis, qui cum ſocio trahit nauem; ſed vt à cauſa totali ſubordinata Deo efficienti phyſicè, & non ſolùm moraliter, vt potentia vitalis operetur. Sed hîc, ſi luſus à verbis abeſt, admittitur operatio potentiæ vitalis, quia Deus efficit phyſicè, quid? vt potentia operetur; quomodocumque ergo efficiat, ſiue phyſicè, ſiue moraliter, aliquid efficit, nimirum vt potentia operetur, atque adeo Dei virtute operatur. Verùm ſi ipſa non cooperatur per vim ſuam eleuatam à diuina, ſola aliena virtus operatur, ac proinde ſola efficit cognitionem, ac volitionem: non autem intellectus, ac voluntas; vel ſi hæc vult liberè, & ille intelligit, non ſola diuina virtus concurrit ad has operationes, ſed eleuat, ad illas eliciendas ſupernaturaliter potentias vitales. Quod vult Concilium Tridentinum ſupra cit. cum definit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari Deo, aſſentiendo, & diſponendo ſe ad gratiam iuſtificationis; quod teſtimonium non poteſt eludi, dicendo, quòd agat, quia habet radicalem virtutem, & vitam: quia conſentire Deo vocanti, diſponere, ac præparare ſe ad iuſtificationem, ſunt actus 2. liberi arbitrij manantes immediatè ab ipſo cooperante.

Quartò, Principaliter diſplicet aſſertum hoc, quia affine eſt, vel idem cum Caluini inuento; huic enim ad loca Scripturæ, *Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum*, Ezech. 18. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, Ioël. 2. & alia ſimilia ſupra adducta, quibus manifeſtè Deus exigit ab homine cooperationem arbitrij; reſpondet nos non moueri à Deo, tanquam ſtipites, & truncos, ſed tanquam homines mente, & ratione præditos, vt refert Bellarm. de Grat. & lib. arb. l. 6. c. 10. ne diſcederet à peruerſo dogmate, quòd liberum arbitrium merè paſſiuè

damnato; ad quod

ad quod explicandum hæc identidem proferebat, quæ verbis ex ipsius textu translatis fideliter recitant Bellarm. Stapleton. Camerarius, Maldon. & ex ipsis P. Ripal. disp. 30. sect. 5.

Primò in homine nulla est vel exigua facultas ad bene operandum: quia Ioan. 15. Christus Dominus dixit, *Sine me nihil potestis facere*: sicut nec palmes præcisus à vite fructum edere.

Secundò, consequenter cum benè agimus, tota efficacia actionis est à Deo: quia non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, Rom. 9.

Tertiò, hinc perperam à Catholicis asseri, quòd conatus hominis nihil per se momenti habentes per Dei gratiam prosperentur, vt cum adiuuante benedictione suas quoque habeant partes: quia nihil prorsus de suo miscet, cum Deo cooperatur, neque aliter agit, quàm quo agitur; nam

Quartò, fatetur nihilominus voluntatem agere, quia per illum fit, vt homo velit, cum ipsa sit facultas ad volendum; & ideo non moueri homines à Deo vt stipites, & truncos, sed vt creaturas ratione præditas.

Atqui hominem agere idem est, quod principium adæquatum ex natura, & gratia denominati agens; voluntatem agere idem est quod mediatè agere, quia gratia immediatè per ipsam agit, penes quam est tota ratio agendi, ita vt nec partialis causalitas concedatur voluntati, quæ est tua doctrina auctoritate sancti Augustini confirmata; quòd si annuis, ex eo quod pleraque retinuerunt hæretici communia Catholicis dogmata, fidei, & doctrinæ scholasticæ effata; hoc ego non diffiteor, sed procul ab illis esse volo, vbi se à Scholasticis elongant, ex Tridentino insultant, in quo numen veritatis agnosco, palam enuncians liberum arbitrium Deo cooperari, à quo mouetur, consentire Deo vocanti, præparare, disponere se ad iustificationem, quæ sunt operationes vitales, & à principio vitali illas eliciente immediatè simul cum gratia.

Dices liberum hominis arbitrium habere proprium influxum in actum supernaturalem, sed hunc accipere à Deo vt à causa efficiente. Ita Aluar. disp. cit. 85. n. 7. citans dicta disp. 62. n. 8. in eumdem sensum.

Quomodo liberum arbitrium accipiunt influxum à Deo in actus supernaturales.

Verùm hoc accipere à Deo potest intelligi multipliciter. Primò quia Deus præuenit per gratiam suam, & dat vires potentiæ vitali, vt suprà ex D. Thom. & Bonau. & insuper comitatur operationem: & hoc concedunt omnes Catholici. Secundò, quia ipse solus dat, & homo solùm accipit, & passiuè se habet: & hoc contendunt quidem Scholastici. Tertiò, quia mouet naturam rationalem, & per voluntatem operatur; ita tamen vt ipsa voluntas nihil influat in operationem supernaturalem, neque participet rationem agendi, quæ tota est gratiæ: & hoc asserit Caluinus detrahens voluntati omnem facultatem etiam pusillam sic operandi ex vna parte, & ex alia concedens ipsam velle, quia per ipsam homo vult; quod non habet alium sensum, nisi quòd homo denominatur velle à voluntate: non quia ipsa operetur aliquid, sed quia per ipsam operatur gratia, & ideo homo recipit & influxum, & denominationem volentis, quia est natura rationalis capax istius denominationis, cuius non sunt capaces stipites, ac trunci; & in hoc sensu non apparet, quomodo liberum arbitrium se habeat actiuè, quod contendit Tridentinum: & non tantùm passiuè, quod detestatur; quemadmodum aqua non se habet actiuè, quando affecta calore dicitur calefacere, quia solùm sustentat calorem, quin influat cùm illo actiuè ad calefaciendum. Neque refert, quòd gratia sit ad modum proprię formæ perficientis in ordine ad operationem sibi conuenientem, si verè potentia vitalis illa prædita nihil influit actiuè, sed solùm recipit influxum causatum à gratia; nam si actiuè influit, & ex parte sua elicit operationem, quomodo non est causa partialis, si quidem cooperatur gratiæ, ita vt ambæ operentur, & non sola gratia; vel si sola gratia operatur, quomodo potentia dici potest actiuè se habere, quæ nihil agit? aut vitaliter se mouere mota à Spiritu sancto, quæ ipso operante nullum actum vitalem elicit?

Immo (inquis) elicit actum, vnde & dicitur secundum propriam dispositionem, & cooperationem recipere gratiam; sed hoc habet ex dono gratiæ præuenientis & mouentis efficaciter liberum arbitrium; quod S. Aug. lib. 1. retract. circa finem significat dicens *Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque datum est per spiritum fidei, & charitatis*, vt suprà. Atqui hoc est, quod contendimus, liberum arbitrium ex se quidem destitui virtute operandi supernaturaliter, sed gratia roboratum, & factum potens simul cum illa operari immediatè, & propriè, & dici operari per gratiam, quia ab ipsa eleuatur; & vice versa gratiam operari per ipsum non passiuè tantùm se habens, sed actiuè cooperans: & idcirco quod credimus, & bonum operamur, vtrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis, & vtrumque datum est per spiritum fidei, & charitatis: quomodo enim nostrum sit, nisi operetur arbitrium, aut quomodo operatur arbitrium, si totum operatur gratiam?

Quartò, igitur accipere à Deo influxum est accipere virtutem influendi, siue gratiam, per quam eleuatur potentia vitalis, & fit completè, ac proximè potens operari in actu primo: & præterea habere illam adiuuantem in actu secundo, ita vt operatio pendeat ab illa principaliter, & absolutè: à potentia verò vitali minus principaliter, & non nisi iuxta mensuram eleuationis. Hoc voluit S. August. locis supra citatis, & præterea in Enchirid. ad Laur. cap. 32. t. 3. *Restat vt propterea recte dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Quibus verbis non excludit cooperationem voluntatis: nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat? dixit suprà tract. 4. in Epist. Ioã. vbi & manifestè includit, inquiens, *Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tribuendum est, &c.* Deo igitur totum tribuendum, quia sine illo nihil prorsus voluntas potest ex innata virtute, & cùm illo confortante omnia potest; & rursus

aliquid voluntati tribuendum, quia cooperatur liberè præuenta, & adiuta, ita vt homo non ſolùm denominetur vt quod operans, quia gratia in ipſo operatur; ſed etiam ſit eius voluntas principium vt quo ſuum conatum adhibens, ratione cuius dicatur mouere ſe mota ad differentiam agentiũ inanimatorum, quæ non mouent ſe: quando mouentur, quæ

S. Aug. eſt ſententia ſancti Auguſtini, lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5. *Neque adiuuari* (inquit) *poteſt, niſi qui ſponte conatur: quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.* In hoc quarto ſenſu Deus operatur in nobis velle, & perficere vt cauſa principalis, & totalis gratiæ, ſed vt partialis operis ſupernaturalis eleuans potentiam vitalem ad ſibi cooperandum; non ſolùm accipiendo partialem in lata ſignificatione, vt habet conſortium alterius cauſæ quoquo modo ſimul operantis; ſed etiã ſtrictè, vt verè influit in actum eundem cum altera cauſa cauſalitate propria, & immediata, ad quod non requiritur, quòd quælibet cauſa per ſe, & ſeorſim ſumpta habeat virtutem imperfectam, qualis eſt in duobus nauem trahentibus; ſed ſufficit, vt in ſuo genere concurrat, & partem habeat in effectu; hinc enim dicitur partialis, quod partem cauſalitatis propriæ habeat cum altera cauſa ſimul concurrente; ſiue ſubordinatæ ſint cauſæ, ſiue non ſubordinatæ: ſiue perfectæ, ſiue imperfectæ. Atqui potentiæ vitales habent proprium influxum in actus ſupernaturales, etiamſi eleuatæ per gratiam operentur: quia non ſola gratia operatur, ſed etiam potentia naturalis reddita per illam potens, vt patet ex Tridentino, & Patribus, ergo; & hoc non vnus, aut alter Theologus docet, ſed maior pars, &

S. Bonau. Tota hæc doctrina eſt S. Bonau. tum alibi ſuprà citato, tum in 2. diſt. 26. in fine, vbi docet, quòd voluntas mota à Spiritu ſancto mouet ſeipſam, quia eſt potentia materiæ non alligata; & ideo omne opus (ait) meritorium attribuitur gratiæ, & libero arbitrio; & conceptio admirabilis Verbi æterni tribuitur virtuti Spiritus ſancti, & potentiæ generatiuæ Immaculatæ Virginis, vt ſupra diximus ex eodem, alioqui non eſſet verè, & propriè mater, ſi non concurriſſet immediatè ad conceptionem. Denique nulla auctoritas Scripturæ, vel Partum obſtat, quo minus dicantur potentiæ vitales partialiter concurrere ad actus ſupernaturales, & plurimæ ſunt, quæ hoc euincunt ſecundùm planam, & germanam ſignificationem vocabulorum. Nulla item ratio, quæ oſtendat, hoc eſſe impoſſibile, vel improbabile; cum multæ ſint, quæ de facto ita eſſe ſuadeant, vt patebit amplius ex ſolutione argumentorum.

Dices, omnes auctoritates, & rationes allatas huc tendere, vt dicatur actus ſupernaturalis eſſe proprius hominis, quia ab illo fit, & à potentia intrinſeca, & vitali, quia vitalis eſt; ſed vtrumque bene ſaluatur per hoc, quod ſit ab habitu inhærente potentiæ vitali proximè, & per illam operante: ex eo enim quod hæc potentia fluat à vita ſubſtantiali, id eſt anima, habet actus ab ipſa vitalitatem remotam; ex eo verò quod eſt immediatè à potentia vitali operante per habitum, accipit vitalitatem proximam, ita tamen vt ab habitu vt principio quo agendi, cum actus etiam ſecundùm vitalitatem ſit ſupernaturalis, procedere debet à principio ſupernaturali, qualis non eſt potentia vitalis, niſi vt eleuata.

Sed contra eſt

Quarta Aſſertio.

XI. Diſtinctio vitalitatis proximæ, ac remotæ tã in principio, quàm in actu, neque neceſſaria, neque ſufficiens eſt ad commodam explicationem auctoritatum ſuperius adductarum, & habet contra ſe rationes validas. Probatur, quia quamuis rectè diuidatur principium in remotum, quod eſt ſubſtantia, ſeu anima, & in proximum, quod eſt potentia, per quam operatur: tamen in actu non eſt duplex vitalitas, quia eſt etiã per te vna ſimplex entitas eſſentialiter pendens à vitæ principio, quod poteſt quidem conſtare pluribus agentibus; non tamen ita vt pars ab vno, & pars ab altero pendeat, ſed totus à ſingulis non totaliter; ſed partialiter partialitate cauſæ, quia tota actio eſt à ſingulis cauſis ſimul operantibus: ſicut ergo ſupernaturalitas, quæ etiam per te non diſtinguitur à vitalitate realiter, eſt ab eodem reali principio, à quo eſt vitalitas, nimirum à principio vitali, ita & vitalitas indiſtincta à ſupernaturalitate eſt ab eodem principio, à quo eſt ſupernaturalitas, nimirum à ſupernaturali. Fruſtra igitur ponitur duplex vitalitas tam in principio, quàm in actu pro elicito ad explicandos Patres, & Concilia requirentia immediatum concurſum ſeu operationem ipſius hominis, id eſt manantem ab ipſo homine, & non tantùm à gratia.

Secundò in particulari de actu libero, quæro, an fiat à voluntate actiuè influente, vel paſſiuè ſolùm ſe habente? non hoc ſecundum, quia repugnat Tridentino ſupra citato, ergo primũ, quo poſito non eſt opus recurrere ad vitalitatem remotam, quæ ſupponitur omnibus actibus vitalibus: ſed ſufficit formalis, & proxima potentiæ operantis, & ſe determinantis.

Dices, potentiam quidem operari proximè, ſed per habitum aut auxilium; & hoc requiri, & ſufficere ad vitalitatem proximam, quia eſt immediatè à forma inhærente potentiæ; & ad vitalitatem remotam, quia informat potentiam, quæ fluit à principio vitali remoto.

In contrarium ſunt rationes, & auctoritates allatæ; nam vel actio vitalis fit ab habitu ſolo vt principio actiuo, & potẽtia vitalis non agit ſed tantùm recipit, & hoc non: vel verè agit, & cooperatur habitui, & habeo intentum; & reſpectus ad principium vitale proximum non ſufficit. Dicere autem, quòd agit per formam inhærentem ſui perfectiuam, ſi non includit actionem potentiæ, ſolum eſt denominatio ab actione formæ coniunctæ, qualis eſt in aqua calefaciente, quod attinet ad rationem agendi, etiamſi de reliquo habitus ſit perfectiuus potentiæ viraliter operatiuæ, non item calor aquæ nuſquam calefactiuæ.

Tertiò, Quia auctoritates clarè enunciant hominem credere, amare, ſperare, dolere, &

vniuersaliter operari opera bona, & supernaturalia, non minus propriè, quàm naturalia; propterea prima sententia diserte fatetur actus bonos esse à voluntate, vt à principio elicitiuo intrinseco; potentias vitales esse causas non instrumentales, aut per accidens, sed principales, & per se; ad hoc autem non sufficit, quòd sint à forma inhærente in potentia proxima, quæ fluit à vitalitate remota; sed necessarium est, vt sint ab ipsa potentia vitali effectiuè; alioqui si nihil agit, quomodo est principium elicitiuum intrinsecum per se, &c.? aut quomodo actus dicatur vitalis, liber, voluntarius, qui non procedit à principio vitæ proximo, vel remoto dante illi esse efficienter? siue enim in reliquis admittas substantiam agere immediatè simul cum potentia, siue per solam potentiam agere, hic realiter tollis vtriusque concursum in actus supernaturales, quia totam rationem agendi adscribis potentiæ, & solùm verbaliter concedis potentiam agere per habitum, quia habitus est qui agit, & quia inhæret potentiæ, vt forma eius perfectiua, dicis potentiam agere.

Confirmatur, quia si potentia est causa principalis, & agit, sine dubio dependenter à prima causa; cesset hæc dependentia in agendo, & conseruetur dependentia habitus in actum supernaturalem per possibile, vel per impossibile; tunc manent in potentia ea, quæ erant antea, vt supponimus, & tamen non manet influxus eius in actum supernaturalem, ergo quando dicitur operari per habitum sibi inhærentem, significatur aliquid præter operationem habitus inhærentis in potentia fluente à principio vitali remoto.

Quartò, Si Deus per seipsum sine habitu concurreret ad actum vitalem in potentia receptum, non diceretur potentia operari, puta intelligere, velle, &c. nisi idem eliceretur actus ab ipsa, non nisi quia postulat ex sua natura esse à principio vitali intrinseco, ergo cum habitus non sit principium tale, non potest esse tota ratio agendi viraliter, quantumuis inhæreat potentiæ vitali proximæ, quæ manat à principio vitæ remoto.

Confirmatur, quia non solùm potentia vitalis dicitur moueri, sed etiam mouere seipsam; hic autem motus vel dicit aliquid proprium ipsius, vel nihil: non hoc secundum, etiam per se; quia mouere se vitaliter est aliquid à parte rei, igitur primum, quod intendimus.

Occurritur argumentis primæ sententiæ.

CAPVT IV.

XII. PRimum est auctoritas Scripturæ sacræ, *Sine me nihil poteſtis facere*, Ioan. 15. vbi comparatio palmitis præcisi à vite probat, nihil facultatis reliquum esse in homine ad bona opera, sed totam à gratia prouenire. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis*, 2. Cor. 3. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, Roman. 9. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere*, ad Philip. 2. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis, prout vult*, 1. Cor. 12. *Operatur omnia in omnibus*, ibid. *Quid habes, quod non accepiſti?* 1. Cor. 4.

Respondeo primò in vniuersum, hinc solùm probari, quòd Deus est causa principalis, sine qua nihil potest homo operari, neque operatur non autem quod cum ipsa non operetur, vt probant auctoritates eiusdem Scripturæ pro vera sententia adductæ, de quo paulò post fusius.

Secundò in particulari tres primæ probant assertionem nostram; nam sine me nihil potestis facere supponit, quòd secum aliquid possint facere; sicut palmes, si manserit in vite, fructum facit, qui recisus non facit.

Item, si non sufficientes à nobis, ergo à Dei virtute reddimur sufficientes; vnde subdit, *ſufficientia noſtra à Deo eſt*, vt aduertit Bellarm. lib. cit. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 13. accipitur quidem sufficientia, sed sit accipientis ex dono dantis: ideo insufficiens ex se fit sufficiens per gratiam; haud dubium, quin operari, ergo verè & propriè operatur: quia verè potens est operari. Eodem modo qui vult, & currit, exercet opera vitæ per principium vitale, sed confortatum à Deo miserente, qui incitat stantem, vt currat, & comitatur currentem, vt cursum perficiat.

Ex locis Scripturæ citatis ab aduersario potius colligunt immediata, & formalis operatio potentiæ.

Ad illud Philip. 2. respondeo cum August. paulò post citando, non excludi operationem liberi arbitrij cooperantis; operatur Deus velle, quia non solum excitat ad volendum, sed etiam iuuat vt causa principalis ipsam volitionem. Sequitur Bellarmin. loc. cit. Lesi. de Grat. c. 11. num. 4.

Eadem responsio conuenit aliis locis: operatur enim Deus omnia tam naturalia, quàm supernaturalia, quia dat virtutem omnibus, eam conseruat, cum illa concurrit: ita tamen vt causæ secundæ etiam operentur; quod potissimum habet locum in actibus vitalibus, qui postulant fieri à principio vitali intrinseco. Sed hæc confirmanda sunt auctoritatibus mox afferendis contra alias adductas ab aduersariis.

Ad vltimum ex 1. Cor. respondeo D. Thoma, 3. p. q. 19. a. 3. *Hoc dicitur aliquis habere per ſeipſum, cuius eſt ſibi aliquo modo cauſa; prima autem cauſa omnium bonorum noſtrorum per auctoritatem eſt Deus. Et per hunc modum nulla creatura habet aliquid boni per ſeipſam, ſecundum illud*, 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? Poteſt tamen ſecundario aliquis eſſe cauſa ſibi alicuius boni habendi, in quantum ſcilicet in hoc ipſo Deo cooperatur.* S. Thom.

Opponuntur secundo loco auctoritates Patrum, præsertim S. Augustini.

PRima ex Enchir. ad Laur. cap. 32. *Porrò ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, Non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo manifeſtè contradicat, reſtat, vt propterea rectè dictum intelligatur, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat*

præparatam. Hîc impugnant aſſerentes ex miſericordia Dei & voluntate hominis fieri vnum totale principium, tanquam ex duabus cauſis partialibus, quia totum Deo dandum admonet.

S Auguſt. Reſpondeo opponendo alium textum declarantem Auguſtini ſenſum, & Apoſtoli; nam in libro expoſitionis Epiſtolæ ad Romanos cap. 61. 62. ſic habet. *Non ideo igitur dictum eſſe putandum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ſine eius adiutorio non poſſumus adipiſci quod volumus, ſed ideo potius, quia niſi eius vocatione non volumus, quamuis igitur adipiſci non poſſimus quod volumus ſine adiutorio Dei; tamen hæc auctoritas Apoſtoli intendit directè, quod ſine vocatione non volumus; quòd ſi cum vocatione volumus, igitur præter operationem Dei vocantis, eſt operatio vocationem ſequentis hominis.* Reſpondeo ſecundò, in eodem capite 32. contra nos allato habet in terminis S. Auguſt. aſſertionem noſtram: nam poſt illa verba, vt velimus, ſine nobis operatur, ſubdit, *Cum autem volumus, & ſic volumus, vt operemur, nobiſcum cooperatur.*

Dices, cooperari Deum extrinſecus, ſolùm autem intrinſecus operari velle, & perficere pro bona voluntate.

Contra; quia vt ſupra ex lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 5. ſubinfertur ad bene viuendum efficacia ipſi voluntati, & adiuuatur ad ſpontaneum conatum, ergo non ſolùm ad opus externum. Et ſerm. 13. de verb. Apoſtol. *Ipſum nomen adiutoris præſcribit tibi, quia & tu ipſe aliquid agis, &c.* adiuuat autem voluntatem, quam præparat; de quo rurſus in ſecundo argumento paulo poſt. Deinde ſi homo cum immediato concurſu Dei operatur extrinſecus, cur non poſſit etiam intrinſecus? tam enim impotens eſt ſine concurſu Dei operari naturalia, quàm ſine eodem ſupernaturali operari ſupernaturalia. Poterit ergo ad hæc eleuari virtus hominis, ſicut adiuuatur ad illa: licet iſtis ſit debitus, & non illis.

Secundò obiiciunt ex lib. de Prædeſtinatione Sanctorum, cap. 2. vbi impugnant aſſerentes Deum, & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales. *Nolens ergo his tam claris teſtimoniis repugnare, Non eſt volentis, neque currentis, & tamen à ſeipſo ſibi eſſe quod credidit, homo, quaſi componat cum Deo, vt partem fidei ſibi vendicet atque illi partem relinquat,* & mox probat teſtimonium Cypriani dicentis in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt.

At ſæpius Auguſtinus repetit & vtrumque noſtrum eſſe propter arbitrium voluntatis, c. 3. de prædeſt. Sanctorum, & c. 36. refert verba Scripturæ, *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis & iudicia mea cuſtodiatis,* & operemini; & aliquid facere ipſos homines per liberum arbitrium, de grat. & lib. arbit. cap. 15. & c. 5. Nec ſolam gratiam, nec ſolum hominem agere, ſed gratiam cum homine; & cap. 17. *Sine nobis operatur ſuſcipiens, qui volentibus cooperatur perficiens;* & tract. 4. in Ioan. Epiſt. *Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tribuendum eſt.* Et de verb. Apoſt. ſerm. 36. *Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt, &c.* certè agentes partem in actione habent cum altero agente, licet minimam. Dices ipſum operari eſſe à Deo acceptum per gratiam, licet voluntas liberè ſe applicet ex intrinſeco principio; at hoc etiam nos fatemur, qui in voluntate omne bonum à Deo agnoſcimus, ſed cooperationem eius in hoc bono includimus, vt ſit ab vtraque, à gratia principaliter, à voluntate minus principaliter; homo quippe præparat cor, non tamen ſine adiutorio Dei, qui tangit cor (ait Auguſt. lib. 1. ad Simplic. q. 2.) & poſt præparationem ſequitur, ſeu continuatur operatio, & operanti (inquit idem tract. 72. in Ioan.) in ſe Chriſto cooperatur homo ad ſalutem æternam, ac iuſtificationem ſuam. Idcirco iuſtificat hominem Deus ex ſua miſericordia, ſed credenti in eum, qui iuſtificat impium, fides eius reputatur ad iuſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei, Rom. 4. & ſpes dicitur noſtra, 2. Cor. 1. *Spes noſtra firma eſt; & opera ſunt facientium ipſa: Qui reddet vnicuique ſecundùm opera eius*, Rom. 2.

Numquid igitur Auguſtinus ſecum ipſe, vel cum ſcriptura pugnat? abſit.

Reſpondeo ergo ſecundò, Doctorem Sanctum ibi agere contra Semipelagianos aſſerentes ex nobis quidem habere ipſam fidem, ſed incrementum eius ex Deo; quos redarguens manifeſtis ſcripturæ teſtimoniis, initium progreſſum, & perfectionem à Deo eſſe demonſtrat: atque ita non ſibi partem ſumere homo, partem Deo dare debet, ſed totum Deo, ſine quo vt cauſa principali nec velle, nec incipere, nec proficere poteſt; & à quo accipit hæc omnia, non vt inanimè aliquod, ſed vt natura rationalis, quæ mota eius virtute mouet ſe intrinſecè, quia rationalis potens reddita operari per illum, & ſine quo impotens eſt omnino, vt nihil habeat vnde glorietur: quia nihil habet quod non acceperit, non merè paſſiuè ſe habendo, vt ſe habet aqua recipiendo calorem, ſed actiuè cooperando. Sed quia quilibet actus etiam particularis bonus dicitur eſſe opus Dei. Ideo

Reſpondeo tertiò, quod cùm in opere ſupernaturali concurrant decretum Dei, gratia præueniens, illuſtrans mentem, & cor tangens Gratia adiuuans, vno verbo ſumma miſericordia, ac bonitas Dei ſapientiſſimè diſſponentis omnia ex vna parte; & ex altera potentia vitalis, quæ minimæ virtutis eſt, & nullius reſpectu ſupernaturalis actus, totum Deo meritò tribuitur, quia valdè exiguum eſt quod ipſa confert, etiam cum maximè conferre conatur, & hoc etiam non poſſet, niſi diuinitus roboraretur. Vide Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 14. Quo ſenſu totum opus Deo tribuatur.

Dices, quomodo ab illo habemus quod nos illidamus, quia noſtrum, id eſt à noſtra voluntate liberè fit, & proprium illius eſt?

Reſpondeo ex S. Auguſtino de Prædeſtinat. & Grat. cap. 11. *Ab ipſo habemus velle, quia vocat, & illuminat; ab ipſo perficere, quoniam ad nos pertinet congrua bona, quæ & velle donauit, &c.*

Tertium testimoniũ Augustini est de Gratia, & lib. arb. c. 5. *Vt de cælo vocaretur Paulus videlicet, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* Et de Cornelio c. 7. *Quidquid igitur, & antequam in Christum crederet, & cum ore lidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur; quod reperit c. 16.*

Sed lib. 1. ad Simplic. in fine ait, *Vna desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta fauti retorqueretur, & corrigeretur ad fidem, &c.* quibus indicantur actus voluntatis, & intellectus Pauli, sine quibus conuersio non consistit.

In Cornelium etiam cadit quod habet de spiritu, & lit. c. 33. *Consentire vocationi Dei, vel ab ipsa dissentire propria voluntatis est, quæ res non eo ipso non infirmat quod dictum est, verum etiam ipsi firmat; accipere quippe, & habere anima non potest bona, nisi consentiendo, &c.*

Cur Pauli conuersio soli gratiæ tribuatur.

Respondeo igitur cum Bellarm. lib. 1. de Gratia, & lib. arb. c. 14. conuersionem Pauli tribui soli gratiæ, vt excludantur merita, non consensus liberi arbitrij, *quia merita eius* (inquit) *erant magna, sed mala.* Quia igitur nullus actus bonus, nulla industria, vel conatus præcesserat, sed malitia, & persecutio spirans minas, & cædes in discipulos Christi, cui merito adscribi potuisset eius conuersio? vel quæ assignari causa præter gratiam, & misericordiam Dei? sed quod illi efficacissimè trahenti cooperaretur Paulus, ostendit interrogatio, *Domine, quid me vis facere?*

Dicitur item sola gratia causa conuersionis S. Pauli, quia sine vlla præparatione repente conuersus est ex priuilegio, vt S. Bonau. in 4. d. 17. p. 1. q. 1. a. 3. requirens vniuersaliter actum liberi arbitrij in iustificatione. Idem respondeo de Cornelio; probat enim ibi S. August. fidem non esse ex meritis, sed ex gratia Dei, quæ donum Dei est. *Aut enim, & iam fides non ex operibus*, inquit, *ne forte quis extollatur: solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ, & exaudita orationes, antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat, &c.* & hanc fidem illi datam sine merito vllo suo contendit Apostolus, vt in solam gratiam referatur donum, & præcidatur occasio gloriandi, præterquam in illa; sed credendo consentiebat illuminanti, orando, & dando cooperabatur adiuuanti.

S. Bonau.

Confirmat responsionem hanc testimonium, quod obiiciunt rursus ex libro 4. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 2. *Ipse ergo fidem gentium fecit, qui potens est facere quod promisit. Porro si operatur Deus fidem nostram miro modo agens in cordibus nostris, vt credamus, numquid metuendum est ne totum facere non possit; & ideo homo sibi primas eius vendices partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur. Videte, si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, & sic gratia non sit gratia.* Totus enim Augustinus in eo est, vt probet gratiæ munus esse fidem, & initium eius contra Semipelagianos, & ex nullo merito hominis, vt diximus, & ideo nullam in eo sibi vendicare debet partem, quia omnem habet à Deo, qui solus vocat, & illuminat; quatenus verò audit, & sequitur vocantem, suas adiungit partes, & sibi etiam tribuere potest, quòd vocatus fuerit, vt expressè idem August. lib. 83. q. 68. Itaque nec illi sibi debent tribuere, quòd venerunt, quia vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate; propterea & si quisquam sibi tribuat, quòd vocatus venit, non potest sibi tribuere quòd vocatus est. Sic etiam Gelas. Papa ad Episcopos per Picenum Epist. 5. à Paulo dictum ait, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, *Vt ostenderet* (inquit) *quia donum gratia non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus, atque monstraret cooperatorem se esse gratia subsequendo.* Pelag. Pap.

Omitto alias, quas coaceruant ex S. August. auctoritates eiusdem plane sensus, ac pæne verborum: ac proinde firmamenta potius nostræ sententiæ, quam argumenta contrariæ ad illam oppugnandam.

Quarto loco adducunt aliorum Patrum dicta, quibus est solemne monere hominem, ne se extollat: quia quicquid habet boni, desursum est descendens à patre luminum, & illi proinde totum tribuendum, & acceptum referendum.

Tale est S. Ambrosij lib. 2. de Abraham c. 7. *Non est volentis, neque currentis, ne seipsum iustificaret, sed omnia tribueres Deo, qui te vocauit.*

S. Hieronym. in cap. 18. Hierem. explicans illud, Sicut lutum in manu figuli, *Nec statim*, inquit, *totum erit hominis, quod euenit, sed eius gratiæ, qui cuncta largius est.*

S. Basil. Homil. 22. de Humilitate. *Nihil tibi relictum est ô homo, de quo gloriari possis.*

S. Chrysost. in cap. 3. Epist. 2. Cor. ad illa verba, Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis. *Quasi dicat planius, non ita dicebam, fiduciam habemus, vt partim sit nostrum, partim sit Dei, sed totum illi tribuo, acceptumque fero.*

S. Anselm. lib. de concord. prædest. & libero arbitrio, prope initium. *Totum imputandum est gratiæ, quia nec volentis est quod vult, neque currentis est quod currit, sed miserentis est Dei.*

Ad quas, & alias similes auctoritates patet responsio ex dictis; totum enim Dei dicitur, primò quia quod exhibet homo, comparatione eius quod exhibet Deus, festuca est, nihilque reputatur. *Quia ergo illius est quod amplius est, eius dixit esse vniuersum, secundum consuetudinem hominum*, ait Chrysost. Homil. 5. in cap. 12. Epist. Hebr. vt proinde pateat sensus eius in allata auctoritate in contrarium. Et S. Hier. loc. cit. *Ita enim libertas à betty seruanda est, vt in omnibus excellat gratia largitoris.* Quomodo consueuimus dicere hominem comparatione Dei nihil esse, & creaturam vniuersam vt stillam situlæ, & tenebram.

Digitized by Google

Secundò, quia etiam hoc minutum,, quod
S. Auguſt. confert homo, illius eſt donum, qui dat poſſe, & operari. Finge cum S. Auguſtino Epiſt. 29. ad Hieronymum, decidiſſe aliquem in puteum, vbi aqua tanta ſit, vt eum magis excipiat, ne moriatur, quàm ſuffocet, ne loquatur; ſi quis porrigat huic funem, & ita apprehenſorem extrahat, vt ipſe etiam adrepat per parietes, & latera pe forata putei, ſolus dicitur liberaſſe à ſubmerſione, quia quod adniteretur aſcendere, etiam habuit beneficio funis, & porrigentis miſericordia, ſine qua emergere non potuiſſet.

Sic architectus, qui domum fabricare deliberat, & parat omnia, quæ ſunt neceſſaria ad opus à ſe delineatum, etiamſi operis indigeat, ac vtatur, tamen dicitur ſolus conditor; ita noſtra voluntate indiget Deus (ait Theophil. in c. 9. Epiſt. Rom.) attamen quia ille conſummat, & perficit, dicimus, totum hoc Dei eſt; quia nimirum perfectio, & conſummatio hominis ab ipſo Deo eſt.

Non diſſimili comparatione vtitur Bellarm. l. 1. de Grat. & lib. arb. c. 14. cit. Eius, cui expediat ad Orientem nauigare, & tamen non cogitet, aut etiam nolit mari ſe committere; huic multis rationibus ſuadet amicus, & tandem perſuadet, vt nauigationem ſubeat: ſuppeditat pecunias, parat nauim, & omnia neceſſaria; meritò de eo dici poteſt, quòd ſolus fuerit cauſa, cur alter nauigaret; & tamen adfuit conſenſus illius permittentis ſe perſuaderi; nec defuit conatus, & opera in reliquo curſu peragendo. Similitudo eſt in hoc, quod amicus dicitur eſſe ſolus cauſa nauigationis, quia induxit ad illam amicum, & ope neceſſaria inſtruxit; diſſimilitudo autem in eo quòd amicus non comitatur amicum in itinere, neque phyſicè cooperatur, aut adiuuat illum operantem; Deus autem vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens (ait Auguſt de Grat. & lib. arb. c. 17

Detinebatur Petrus in carcere vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem. Angelus Domini adſtitit, percuſſit latus, excitauit dormientem, duxit per cuſtodias ad portam vſque ferream, eam aperuit cum vltrò aperta dicitur; meritò exclamauit Petrus, *Hunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*, Act. 12. Solus Angelus iuſſu Dei fuit liberator; ſurrexit tamen Petrus, calciauit ſandalia, ſecutus eſt liberatorem, & partem habuit in liberatione quam potuit, id eſt minimam.

Confirmantur hæc ex dictis ſupra de Potentia obedientiali actiua in ſolutione argumentorum probantium non dari q. 1. & 2. vbi retulimus modos loquendi S. Auguſt. tribuentis Deo ſoli operationes rerum naturalium, ad quas certum eſt, etiam ipſo teſte concurrere cauſas ſecundas per propriam virtutem.

Denique totum ex Deo (ait Aug. ſerm. 15.
S. Auguſt. de verb. Apoſtol. *Non tamen quaſi dormientes, non quaſi vt non concnmr, non quaſi vt non velimus. Eſſe poteſt iuſtitia Dei ſine voluntate tua; ſed inte eſſe non poteſt, niſi per voluntatem tuam.*

Quæ omnia confirmantur adhuc magis ex eo quod de eſſentia huiuſmodi actuum ſupernaturalium eſt, vt actu pendeant à ſuis potentiis influentibus, ita vt à ſolo Deo adæquatè ſumpti pendere non poſſint, quod ſequenti capite oſtendam de intellectione, ac proinde etiam de volitione, quia eadem eſt de vtraque ratio.

Rationes contra ſuperiores Aſſertiones.

XIII. PRima eſt fundamentalis contrariæ ſententiæ, quia potentiæ vitales nullam habent vim actiuam ad ſubſtantiam actus ſupernaturalis, ergo tota eſt à gratia. Antecedens probatur, tum quia aliòqui inclinarentur ad illum, ac proinde exigerent ſecum alterius cauſæ, à qua completentur, conſortium; diximus autem potentiæ naturali non deberi concurſum ſupernaturalem, tum quia potentia perfectior eliceret actum perfectiorem, puta intellectus præſtantior nobiliorem viſionem, & voluntas perfectiorem amorem.

Reſpondeo, nego antecedens; habet enim virtutem remotam de ſe impotentem, ſed potentem proximè per eleuationem, de quo ſupra fusè dictum eſt.

Ad primam partem probationis reſpondeo negando ſequelam, quia potentia vitalis inclinatur ad actum vitalem ſibi proportionatũ, hoc eſt non ſuperiorem ſuis viribus; & ideo attenta natura ipſius, non debetur illi, niſi concurſus naturalis; ex ſuppoſitione verò quòd Deus velit eleuare, debetur ſupernaturalis.

Ad alteram conceditur à Scoto, & Caietano, ſed quia paulo poſt de hoc agendum eſt, interim negatur ſequela: quia cum potentia naturalis ſit ſolùm inchoata, & nihil poſſit ſupernaturaliter operari, niſi eleuetur, non exercet ſuam virtutem, niſi iuxta menſuram eleuationis: an verò aliquo modo dici poſſit nobilior actus à nobiliori potentia, ibidem patebit.

Secunda eſt, quia ſi potentia vitalis eſt cauſa partialis, maximè quia non ſolus Deus, ſed etiam ipſa, puta liberum arbitrium producit actum ſupernaturalem; ſed hæc ratio eſt nulla, & ex illa ſequitur Patrem, & Filium partialiter producere Spiritum Sanctum, ſicut duo trahentes nauem, quia nec ſolus, Pater, nec ſolus Filius producit Spiritum Sanctum, ſed vterque ſimul. Conſequens eſt falſum, vt probat S. Thom. 4. cont. gent. c. 7.

Ex quo loco confirmatur argumentum, quia quando multa agentia partialiter trahunt nauim, virtus cuiuſlibet eſt imperfecta, & inſufficiens ad effectũ, ſed virtus Dei eſt infinita ex 1. cont. gent. c. 43. ergo non poteſt dici, quod partialiter concurrat. Ita Aluar. diſp. 85. cit.

Reſpondeo, nego ſequelam: diſparitas eſt maxima, & manifeſta: vt enim ibi S. Thom. in Patre, & Filio eſt vna virtus productiua Spiritus Sancti, cum ſit vna natura, cuius eſt virtus: non item in Deo, & potentia vitali, quæ creatura eſt; proinde in diuinis non eſt ſubordinatio vnius perſonæ ad alterã, cum ſint per omnia æquales; nec vna eleuatur ab alia: & ideo nec partialiter concurrunt, ſed totaliter, non cauſando, ſed producendo, ſiue in eſſe originis, de quo in materia Trinitatis Theologi.

Digitized by Google

Ad confirmationem, non ita ſe habet liberum arbitrium cum Deo, ſicut duo trahentes nauim, vt patet ex dictis, ſed vt duæ cauſæ ſubordinatæ, quarum vna eſſentialiter pendet ab altera, & impotens eſt operari, niſi compleatur virtute ſuperioris; non quia hæc ſit inſufficiens, ſed quia ſapienter diſponit omnia, & accommodat ſe naturæ creaturarum perducens illas ad ſuos fines per media proportionata.

Tertia eſt, quia ſi potentia vitalis de ſe eſt omnino impotens, ergo tota ratio cauſandi tenet ſe ex parte auxilij; ſicut quia aqua de ſe eſt impotens producere calorem, aut gratiam Sacramentalem, tota ratio producendi calorem eſt calor ipſi inhærens: & producendi gratiam eſt virtus diuina.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia potentia vitalis redditur potens proximè in actu primo ad operandum, & proinde in actu ſecundo operatur vitaliter, & mouet ſe; vt ſupra ex S. Bonau. & Thoma; non item aqua ſit potens calefacere, quia non habet in ſe principium calefaciendi, ſed frigefaciendi, ſicut neque producendi gratiam; potentia autem vitalis eſt principium operandi vitaliter: & ideo compleri poteſt virtus eius remota per virtutem ſuperioris ordinis ad operationes vitales ſupernaturales; quomodo verò eleuentur aliæ creaturæ vitæ expertes, dicitur ſupra.

Quarta eſt, quia ſi tota entitas actus ſupernaturalis eſt, non apparet quid in eo ſit attingibile à potentia naturali, vitalitas enim non eſt quid diſtinctum à ſupernaturalitate, & ideo etiam ipſa eſt extra ſphæram Potentiæ.

Reſpondeo totam entitatem actus attingi à potentia vitali, ſed eleuata per gratiam, vt patet ex dictis.

Quinta eſt, quia actus vt vitalis non poteſt eſſe à ſolo habitu infuſo, vel ab auxilio, ſicut neque vt ſupernaturalis à ſola potentia vitali, ergo non magis hæc eleuari dicenda eſt ab habitu, quàm habitus ab illa.

Confirmatur, quia ſi eſt ab vtroque, erit mixtus ex naturali, ſupernaturali, & minus ſupernaturalis, quàm habitus infuſus purè ſupernaturalis.

Reſpondeo, nego ſequelam, quia eleuari vnam cauſam ab alia non ſolùm dicit conſortij neceſſitatem in agendo, ſed dependentiam, & ſubordinationem inferioris ad ſuperiorem, à qua prouenit auxilium, & complementum potentiæ ad proximè operandum. Cum ergo habitus ſupernaturalis ſit ordinis ſuperioris, & completiuus potentiæ vitalis ad operandum ſupernaturaliter, non poteſt dici, quòd eleuetur ab illa, ſed vice verſa quod eleuet, licet ſine illa non poſſit operari: ſicut non poteſt dici, quòd ars, vel manus artificis eleuetur ab inſtrumento, quo vtitur, & ſine quo non poteſt opus perficere, quia hoc ſubordinatur, & mouetur ab artifice eique inſeruit; & ſine motu, aut vſu actiuo eius nihil poteſt ex ſe efficere.

Ad confirmationem, nego ſequelam, quia habitus infuſus eleuat potentiam naturalem ad eſſe principij actiui ſupernaturaliter: ideo actus eſt ſimplex entitas ſupernaturalis, non minus quàm habitus ſine vlla admixtione, aut compoſitione phyſica.

An cum æquali gratiæ auxilio potentiæ naturales inæquales producant actus perfectiores.

CAPVT VII.

1. *Duplex ſententia.*
2. *Aduertenda pro reſolutione quæſtionis.*
3. *Potentia inæqualis cum auxilio gratiæ æqualis poteſt elicere actum nobiliorem.*
4. *Poteſt etiam ignobiliorem.*
5. *In quo conſiſtat hæc nobilitas actus.*
6. *Soluuntur argumenta ab auctoritate, & ratione ducta.*

DVæ ſunt præcipuæ ſententiæ, ad quas tandem reduci poſſunt facile modi dicendi recentiorum in quatuor diuidentium. XIX.

Prima ſententia perfectionem actus ſupernaturalis ex ſolo auxilio ſupernaturali dimetitur, negatque ex perfectiori potentia naturali cum æquali auxilio manare actus perfectiores. Eſt Thomiſtarum in 1. p. q. 12. a. 6. Aluar. loc. cit. quos ſequuntur Soar. l. 2. de attrib. negat. c. 21. n. 4. & t. 1. in 3 p. diſp. 22. ſ. 1. & diſp. 31. ſ. 6. ad 3. arg. l. 3. de auxil. c. 20. Vaſq. 1. p. diſp. 47. c. 6. Sal. t. 1. in 1. 2. q. 3. tract. 2. diſp. 1. ſect. 7. Val. Arrub. Becc. Granad. Iaſol. 1. p. q. 12. a. 6. dub. 3. citans alios, & Leſſ. loc. cit. do quoad actus patriæ, & abſolute P. Iul. Caſ. Remp. p. t. 1. in 1. p. ſ. 6. q. 8.

Secunda ſententia eſt à perfectiori potentia naturali cum æquali auxilio prodire actus perfectiores, Scoti in 3. d. 13. q. 1. concedentis voluntatem Angeli perfectioré voluntate Chriſti cum æquali gratia, & caritate producturam actum fruendi perfectiorem: ſuppoſito quòd potentiæ in actibus beatificis actiuè concurrant; ſequuntur Scotiſtæ, vt videre eſt apud Fabrum in 3. diſp. 33 c. 2. & ex Thomiſtis Caietanus 3. p. q. 10. a. 4. quicquid Aluar. l. 7. de auxil. diſp. 63. conetur ad ſuam trahere; verba enim Caietani ſunt, *Vnde ſi Deus aſſumeret ſublimem Angelum in vnitatem perſonæ, cum æquali lumine gloriæ, perfectius ſi videret Deum, quàm Chriſtus*; idque ex doctrina S. Thomæ colligere ſe profitetur.

Ex noſtris ſequitur Mol. 1. p. q. 12 a. 6. diſp. 2. Erice diſp. 49. n. 60. & ex parte P. Ripal. diſp. 37. ſ. 2. defendens cum æquali auxilio ſupernaturali, & ſub eodem ſubiecto formali reipſa fieri plures actus ſupernaturales perfectiores à potentia naturali perfectiori; idem cenſet Leſſ. de actibus viæ, opuſculo de diuinis perfect. l. 12. n. 80. Habent pro ſe alios antiquiores Scholaſticos, Alens. 1. p. q. 7. in 2. Ric. in 4. d. 49. a. 2. q. 8. & art. 9. q. 2. *Naturalis* (inquit) *virtus per æquale adiutorium ſupernaturale efficacius poteſt in actum ſupernaturalem; ſicut videmus, quod ſi ſupernaturaliter darentur penna homini leuiori, & ponderoſiori, efficacius volaret leuior ex ſua naturali virtute, quam ponderoſior, quamuis poſſe volare excedat vtriuſque naturam.* Durand. in 4. d. 14. q. 1. Palud. Maioris, & plurium apud

recentiores conuenientium in aſſertione licet in fundamento, & modo explicandi ſint varij. His adnumerare in promptu eſt S. Bonau qui quamuis nihil diſertè de hoc dicat; tamen quia in doctrina conformitas ipſi magna eſt Alenſi, & Ricardo, qui pro 2. hac ſententia ſtant, argumento eſt, ipſum quoque pro eadem ſtare. De S. Thoma iudice habeo Caietanum perfectiorem tribuentem viſionem naturæ ſublimiori cum æquali lumine ex mente S. Doctoris ſupra, pro reſolutione, quia varij ſunt modi, etiam inter Scotiſtas explicandi, probandique hanc ſententiam, vt meum adiungam, & concilium, ſi quomodo poſſim, vtramque ſententiam.

Caietanus tribuit S. Thomæ hanc 2. ſentent.

Aduerte, quæſtionem eſſe vniuerſalem tam de actibus viæ, quàm de actibus patriæ, ad vtroſque enim neceſſarium eſt auxilium ſupernaturale: quo nomine veniunt auxilium actuale, habitus infuſi, lumen gloriæ, &c. & quod de vno dicitur, de alijs dictum reputa.

Secundò de actibus neceſſarijs, vt ſunt in via primæ motiones, quæ fiunt in nobis ſine nobis, quatenus liberè non operantur; in patriæ viſio beata, amor ex ea conſequens, &c. Tum de actibus liberis, qui eliciuntur, vel imperantur à voluntate tam in hac vita, quàm in alia, in qua ſupponimus dari actus aliquos liberos præter neceſſarios beatificos.

Tertiò, de vtriſque quæri poteſt, an ſtante eodem auxilio inæqualitas perfectionis eſſentialis potentiæ ſit cauſa inæqualitatis eſſentialis, & inæqualitas perfectionis indiuidualis in eadem ſpecie potentiæ ſit cauſa inæqualitatis etiam indiuidualis actuum, poſito quod vnum indiuiduum ſit perfectius altero, verbi gratia anima Chriſti Domini quàm anima S. Petri, vt cenſet Caietanus, contra quem Conimbr. 2. Phys. c. 7. q. 5. Fonſeca 5. Met. c. 28. q. 16. Durand. 2. d. 32. q. 3. & alij, quos citat, & ſequitur Sal. n. 94. tenens animas, & potentias ſpirituales eſſe æquales in omnibus hominibus; & quidem plærique auctores ſecundæ ſententiæ inde illam probant, quod à diuerſis potentijs ſpecie, vt ſunt hominum, & Angelorum producantur actus diuerſi ſpecie, inter quos non poteſt eſſe æqualitas ſecundum ipſos; ego non niter hoc fundamento, de quo Philoſophi litem faciunt, ſed alia, vt infra explicabo: quicquid enim de hoc ſit, diuerſitas, quæ à natura eſt, non variat actus ſupernaturales, vt formaliter tendunt in Deum, ſed ſe habet materialiter, vt infra.

Quartò. In ijs omnibus quæſtio ſit de cauſa, vt habet vim agendi, non vt eſt ſuppoſitum nobilius, vel ignobilius; ſic enim conſtat actus Angelicos eſſe ſuppoſiti nobilioris, quàm hominis, quandoquidem natura Angelica nobilior eſt humana, vt Theologi in 2. vbi S. Bonau. d. 1. p. 2. a. 2. q. 2. Item de actibus præcisè, vt accipiunt eſſe ab illa ſecundùm intrinſecam perfectionem, nam in ordine ad alios actus, quorum ipſi cauſa eſſe poſſunt aliquo modo, cedere poſſunt alijs minimè præſtantioribus in ſe. Sic Angelus efficacius exequi poteſt actus à ſua voluntate imperatos, quàm homo æqualem aut etiam maiorem actum dilectionis habens, vt habuit B. V. in via, ſed hoc eſt extrinſecum, & accidentale nobilitati actus in ſe, & efficacia non eſt in ipſo, ſed in potentijs executiuis, & modo operandi ipſarum, quæ cum ſint promptiores in natura libera à corpore, actus eius dici poſſunt efficaciores, quia facilius, & expeditius mandatur executioni, cum quo ſtat, vt actus interni, à quibus, vt à cauſis procedit executio, ſint æquales, aut etiam perfectiores à potentijs inæqualibus. Quod dictum volo de actibus patriæ comparatis cum actibus viæ: nam cum mortale hoc induerit immortalitatem, ſimiles erunt homines beati Angelis Dei etiam quoad modum, & facilitatem operandi, non remorante corpore tum glorioſo functiones animi, & eius imperia, & lumine roborante virtutem eius, non ſecus ac Angelorum, quicquid ſit deinceps de inæqualitate naturarum, & potentiarum ipſis conuenientium; quod de corporib. glorioſis Chriſti Domini, ac B. Virginis nemo negauerit; propterea reijcitur commmuniter opinatio Henric. quod l. 12. q. 6. aſſerentis expeditius elici actus videndi, & diligendi à nobiliori potentia naturali, etiamſi minus nobilis, non tam expeditè eliciens nullam patiatur difficultatem; nam ſublato impedimento in inſtanti fit operatio, & non apparet, in quo conſiſtit maior, vel minor expeditio vnius, quàm alterius.

Prima Aſſertio.

XX. PErfectior potentia naturalis cum æquali auxilio gratiæ cæteris paribus elicere poteſt actum nobiliorem, quoad phyſicam entitatem. Hæc aſſertio eſt congruentior alteri de concurſu immediato potentiarum vitalium in actus ſupernaturales per intrinſecam virtutem elevatam, contra adſcribentes totam rationem agendi gratiæ, & auxilio eius: & probatur ab auctoribus ſecundæ ſententiæ, quia quo nobilius eſt principium actiuum, eo nobilior eſt effectus ab eo productus, cæteris paribus; ſed principium conſtans potentia naturali nobiliori, & æquali auxilio nobilius eſt, ergo & actus ab illo manans eſt perfectior. Maior probatur, tum quia cauſa, & effectus proportionantur quoad perfectionem, tum quia cauſa dat eſſe, quod continet in ſe vel formaliter, vel eminenter: quo autem perfectior eſt, eo perfectior eſt continentia effectus, vt patet inductione etiam potentiarum vitalium, intellectus enim cum nobiliori ſpecie, & habitu præſtantiore perfectiorem intellectionem elicit, & cum medio demonſtratiuo parit ſcientiam, cum probabili opinionem, cum vtroque aſſenſum eo nobiliorem quo melius eſt vel alterutrum, vel vtrumque; potentia viſiua cum nobiliori organo perfectius videt, & ſit de cæteris, tum denique quia ſi obiectum concurrit ad perfectionem actus, non eſt, cur denegetur nobilior concurſus potentiæ nobiliori: ſicut enim à nobilioribus progenitoribus nobiliores proueniunt partus, ità à nobiliori intellectu exempli gratia, & nobiliori obiecto perfectior gignitur notitia, ſi concurrat cum nobiliori potentia, qualis eſt angelica reſpectu humanæ; quis enim neget nobiliorem eſſe cognitionem Angeli, quàm hominis circa idem obiectum materiales. Idem eſt de libero arbitrio, quod ſeipſum mouet in iuſtificatio-

A nobilioribus cauſis nobiliores fiunt effectus.

ne à Deo motum, vt supra ex Trid. 1. operatur simul cum gratia, & proinde nobilior est eius motio, vel ignobilior iuxta nobilitatem ipsius.

Dicunt, veram esse maiorem de potentia naturali, & naturaliter agente, non de obedientiali operante supernaturaliter auxilio gratiæ, quæ cum potissimum attendatur penes eleuationem, æqualis est in natura inæquali, iuxta æqualitatem auxilij eleuantis. Contra est ratio, qua

Secundò probatur assertio, nam in primis licet hoc dici possit de potentia obedientiali creaturarum non vitalium, & ratione carentium, non tamen de intellectu, & voluntate, quas admittis ex intrinseca virtute influere in actus vitales peculiari modo, quia influant illæ in effectus supernaturales, cum quibus nullam habent connexionem, & ideo iuxta proportionem virtutis, erit proportio concursus. Quod magis explicatur; nam secundò non vis has potentias eleuatas concurrere ad suos actus, vt concurrit aqua calefacta ad calefaciendum, quia hæc se habet solùm vt subiectũ sustentans, & materialiter, ac denominatiuè dicitur calefacere, eo quod non habeat vim intrinsecam calefaciendi, sed potius frigefaciendi; intellectus, ac voluntas dicuntur formaliter intelligere, & velle etiam supernaturaliter, quia ex virtute intrinseca intellectiua, & volitiua operantur, igitur eo perfectius, quo perfectior est virtus: auxilium enim non impedit actiuitatem naturæ, sed eam iuuat. Tertiò, per te auxilium non est tota ratio agendi, sed partialis, neque immutat naturalem actiuitatem, minuendo illam, ergo ab illa si sit in natura nobiliori puta in Angelo, prodibit actio nobilior, quàm si sit in ignobiliori. Patet sequela, quia si Angelus supremus habeat cognitionem naturalem circa idem obiectum, verbi gratia quod Deus sit, & homo pariter habeat suam, certum est illam præcellere huic, quia ab excellentiori manat intellectu; cur ergo si vtriusque intellectus eleuetur ad idem obiectum supernaturaliter cognoscendum æquali auxilio deterioris conditionis euadat angelicus, & parem cum humana cognitionem eliciat? Quintò, potentia obedientialis etiam per te secundùm id quod dicit in recto, nihil est aliud, quàm ipsa entitas creaturæ, & non est facultas ab ipsa distincta communis rebus omnibus illam habentibus, ergo vbi entitas præstantior est, & actiuitas maior, remanebit eadem posita eleuatione, quam dicit in obliquo quoad actum primum, & quoad actum secundum influet vt apta est influere. Sextò, sicut supernaturalitas respondet lumini, & eo perfectior est, quo perfectius est lumen, ita & vitalitas actus respondet potentiæ vitali, ergo eo erit perfectior quo & à potentia perfectiori licet eleuata, quia eleuatio non aufert perfectionem, & vim agendi.

Intellectus & voluntas modo peculiari influunt in actus supernaturales.

Eleuatio potentiæ non minuit eius vim naturalem.

Tertiò, principaliter probatur assertio, quia actus eo est perfectior cæteris paribus, quo abstractior est, & independentior à materia: sed intellectus angelicus est omnino independens à materia, non item humanus, qui pendet à phantasmate, etiam quando est supernaturaliter operans, ergo est nobilior. Quæ ratio validior etiam est, si immunis est intellectus Angeli à compositione, & diuisione, & discursu in sententia probabili, & valet in actibus potentiarum similium, puta intellectiuarum comparatis ad inuicem.

Actus eo perfectior est, quo & abstractior à materia.

Confirmatur, quia abstractio, & independentia ista est prædicatum essentiale; per quod cognitio angelica differt ab humana, ergo non potest esse sine illo, certum est autem esse nobilius, quàm prædicata cognitionis humanæ, & quod hæc nihil habet in quo superet angelicam; igitur si ponatur æquale auxilium in vtraque, sicut in complexo ex potentia, & auxilio est disparitas, ob excellentiam naturæ angelicæ, ita erit in actu ab ipso manante, quia angelicus habet totum id, quod habet humanus, & præterea habet independentiam, & abstractionis prædicatum essentiale.

Abstractio est prædicatũ essentiale perpetuo comitans cognitionem angelicam.

Quartò probat Molina, quia quolibet intellectu creato potest Deus alium in infinitum perfectiorem, & perspicaciorem creare, ita vt incomparabiliter superet virtutem actiuam intellectus humani: ergo si potentia vitalis etiam per te influit sua virtute in actum supernaturalem, talis intellectus cum æquali auxilio eliciet actum nobiliorem, quia licet concurrat vt eleuatũ, tamen principium eleuans admittit secum concursum, quem potest exhibere virtus eleuata.

Quod argumentum magi vrget comparatione facta Angeli tam eminentis cum rudi homine, qui ægrè apprehendat significatum terminorum, & vterque faciat actum fidei circa obiectum eleuatum, puta futuræ Incarnationis, certè assensus Angeli, siue distinguatur ab apprehensionibus, siue non, & siue sit iudicium compositiuum, siue non, erit quid nobilius in sua entitate materiali, quàm assensus rustici ex hoc præcisè quod fit à potentia intellectiua longe excellentiori.

Dices, non eleuari potentiam vt hæc est in indiuiduo, vel specie, sed vt rationalis est, atque adeo concurrere ad actum, non vt perfectioris naturæ est, sed vt participat gradum rationalitatis, qui cum sit communis omnibus inferioribus, non potest penes illum attendi discrimen perfectionis actuum, sed penes auxilium supernaturale, quod pro sua diuersitate causat diuersitatem in actibus.

Sed quid quæso est eleuari potentiam, vt rationalis est, seu vt participat gradum rationalitatis? numquid non eleuatur tota entitas eius, sed gradus genericus? ac hoc non, quia gradus huiusmodi in re non distinguitur ab entitate: sicut neque gradus animalis in homine est quid distinctum ab homine: quod si entitas ipsa potentiæ eleuatur, & eleuatio non imminuit actiuitatem eius, quo ista perfectior est, eo etiam perfectior erit potentiæ influxus actualis.

Confirmatur, quia Angelus intelligit naturaliter vt intellectiuus est, in quo conuenit cum homine, quia esse intellectiuum est gradus vtrique communis, & tamen intellectio vtriusque est iuxta vires proprias, ac proinde perfectior in Angelo, quàm in homine. Cum igitur eadem virtus sit quæ operatur supernaturaliter, & hæc immediatè influat in actus, quo perfectior est, eo perfectius influit.

Tandem eleuari ſecundùm gradum rationalitatis eſt conſideratio metaphyſica; quæſtio autem ſit de phyſico influxu, præciſa abſtractione, quæ ſit per intellectum, & poſito à parte rei auxilio in tali indiuiduo, puta ſupremo Angelo creato, vel creabili, cui ſi comparetur intellectus hominis rudioris eliciens actum fidei circa myſterium Trinitatis exempli gratia per auxilium æquale auxilio Angeli idem credentis, non obſtat ſublimitati intellectus angelici, ne operetur iuxta virtutem ſuam, quod eleuetur vt rationalis eſt quia ſub quauis ratione fiat eleuatio, manet prompta vis intelligendi non hebetior ſeipſa in operatione ſupernaturali, quam ſit in naturali.

Adde quod actus elicitus ab Angelo per auxilium gratiæ habet peculiarem reſpectum ad illum vt cauſam ſui, ergo non reſpicit vt rationalis eſt, ſed vt Angelus eſt, alioqui non magis reſpiceret illum, quàm hominem, qui & ipſe eſt rationalis, non ergo eleuatur ſolùm vt rationalis, ſed vt talis eſt in ſpecie, ac indiuiduo Dixi autem in aſſertione, cæteris paribus poteſt elicere, quia non eſt neceſſarium ſemper procedere actus inæquales à potentia inæquali cum æquali auxilio. Pro explicatione, & probatione ſit

Secunda Aſſertio.

XXI. ACtus ſupernaturales liberi ab æquali auxilio gratiæ & inæquali potentia procedentes poſſunt eſſe inæquales in perfectione, & proindè in merito ſi ſint viatoris. Probatur primò, quia actus contritionis cum eadem gratia præueniente poteſt eſſe magis, & minus perfectus in eodem homine, vt S. Thom. 3. p. q 89. a 2. docente in conuerſione conſequi hominem maiorem, vel minorem gratiam pro maiori, vel minori intenſione actus, ſeu motus liberi arbitrij; ergo etiam in diuerſis hominibus eadem gratia præuentis, vnus enim cooperari illi poteſt intenſius altero, etiamſi nemo ſupra virtutem gratiæ operari, vel mereri.

Actus contritionis cum eadem gratia poteſt eſſe inæqualis in eodem, & diuerſis hominibus.

Secundò, Actus poteſt aliquando elici intenſior habitu in ſententia probabili, quam defendit Vaſq. 1. p. diſp. 47. n. 41. & alij apud Faſ. 1. p. q. 12. a. 6. n. 21. quia voluntas conatur liberè cum auxilio gratiæ ad illum exceſſum, & poteſt magis, & minus conari, ergo & perfectius operari, ſiue conatus hic ſit diuerſus ab ipſa operatione, vt cenſet Sal. loc. cit. ſect. 8. ſiue ſit idem, vt Molina diſp. cit.

Actus poteſt eſſe intenſior habitu in ſententia probabili.

Tertiò, Ex eodem motiuo, & auxilio poteſt quis eligere, aut imperare actus magis, & minus excellentes, aut ratione obiecti, puta præferendo cælibatum nuptijs, aut ratione difficultatis, vt martyrium honeſtæ quieti, &c. idque ex eodem habitu caritatis, & motiuo placendi Deo in communiori ſententia, quod hęc faciant ad excellentiam actuum, & meritorum

Quartò, Alioqui ſequeretur, omnes æquali gratia præuentos, & cooperantes ſemper cooperari toti virtuti gratiæ, & æqualiter in ea, & habitibus infuſis creſcere, quod eſt falſum; quotus enim quiſque eſt, exceptâ B. V. qui toto conatu tendat in id, ad quod vocatur?

Quæ rationes de actibus viæ etiam valent in actibus patriæ liberis, qui fieri poſſunt intenſiores, & remiſſiores. Sed probatur aſſertio vniuerſaliter, quia à cauſa nobiliori poteſt manare effectus æqualis producto à cauſa ignobiliori, verbi gratia calor eiuſdem ſpeciei ab igne, & à Sole, aut etiam ab ipſo Deo ſolo. Immo & aliquis perfectior ab ignobiliori, quàm ſit aliquis à nobiliori, verbi gratia intellectio hominis præſtantior eſt motione locali Angeli, & viſio lincis acuti viſione hominis. Et ratio eſt, quia cauſa ſimpliciter nobilior poteſt quoad aliqua cedere inferiori, verbi gratia homo ſecundùm virtutem motiuam ceruo, & Angelo vt motiuus eſt; præſtat homo vt intellectiuus. Deinde quia comparando potentias eiuſdem rationis in naturis differentibus, non ſemper operantur ſecundùm totam ſuam virtutem, & ideo effectus poſſunt eſſe magis, & minus perfecti, conſequenter æquales à potentiis inæqualibus, quod maximè apparet in ijs, qui pendent à voluntate liberè ſe, vel alias potentias ſibi ſubditas applicante ad operandum, ac proinde magis, ac minus intensè operante, vt notum eſt.

Secundò in particulari de actibus ſupernaturalibus non neceſſarijs probatur, quia viſio hominis beata eſt perfectior ſimplici complacentia aliqua Angeli, & amor beatificus eiuſdem præcellit deſiderio alicui, aut delectationi, quam habet Angelus de obiecto creato aut ſimili actui præſertim libero, ſiquidem & caritas viæ eodem eſt excellentior. Quod ſi ſermo ſit de neceſſarijs, in quos tota virtute feruntur potentiæ, vt eſt viſio beata, & amor ipſam conſequens, aut primæ motiones in via, tunc locum habet aſſertio prima, quòd cæteris paribus actus nobilioris potentiæ cum æquali auxilio præcellit actui ignobilioris ſecundùm phyſicam entitatem: quod addo, quia ſecundùm aliquam formalitatem excedi poteſt ab actu ignobilioris naturæ, ſicut in naturalibus compoſitum ignobilius poteſt in aliqua proprietate ſuperare nobilius, verbi gratia cælum ratione incorruptibilitatis ſuperat leonem, pro cuius additionis maiori adhuc explicatione ſit

Tertia Aſſertio.

XXII. ENtitas phyſica actus ſupernaturalis eliciti ab inæquali potentia naturali, & æquali auxilio ſupernaturali eatenus dicitur nobilior entitate alterius potentiæ inferioris, quatenus eſt fundamentum alicuius eſſentialis prædicati nobilioris, quod non habet altera. Explico, & probo.

Entitas phyſica actus ſupernaturalis, puta viſionis beatæ, licet in ſe ſit ſimplex, & indiuiſibilis phyſicè, tamen metaphyſicè diuiſibilis eſt, quia conſtat prædicatis diuerſis ſuperioribus, ac inferioribus, quæ eius eſſentiæ, ac naturæ cognoſcendæ inſeruiunt, qualia ſunt vitalitas, ſupernaturalitas, & ſimilia, quæ ſunt communia omni actui ſupernaturali potentiarum vitalium, & dependentia, ac ordo earum tranſcendentalis ad tale principium in ſpecie, & in indiuiduo verbi gratia ad Gabrielis, vel Pauli intellectum: vitalitas ergo eſt ratio reſpondens principio vitali, & ſupernatu-

ralitas principio supernaturali, & reperiuntur in quolibet actu supernaturali, sed vt tales in specie, vel indiuiduo limitant sibi principium talis speciei, & indiui lui, à quo fiunt, & hæc exigentia, vel ordo est prædicatum particulare indicans excellentiam vnius actus supra alium, quia non haberet connexionem, & ordinem essentialem ad principium nobilius, quam non habet alius, nisi esset in se nobilior, & accipiens suam nobilitatem ab illo, & quia huiusmodi prædicatum metaphysicum à parte rei non distinguitur ab alijs, nisi fundamentaliter, propterea tota entitas actus supernaturalis eo præstantior est, quo nobilius principium respicit, cæteris paribus, quale est potentia nobilior cum pari auxilio: quod si auxilium sit maius in potentia ignobiliori, actus ab eo proueniens erit nobilior absolutè, vtpote respiciens principium nobilius; quia cum duo concurrant ad constituendũ principium actus supernaturalis, nimirum potentia vitalis, & auxilium diuinum, à quo prouenit supernaturalitas, quilibet excessus eius sufficit ad constituendum excessum nobilitatis principij, atque adeo ordo essentialis ad talem potentiam nobiliorem naturalem non indicat maiorem nobilitatẽ absolutè actus procedentis ab illa cum minori auxilio, quia non respicit solam potentiam, sed principium completum ab ipsa, & auxilio, quod est nobilius, vbi auxilium maius est, & nobilitas illa, quam indicat respectus ad potentiam nobiliorem, est quid materiale beatitudini, & absorbetur quodammodo ab alia proueniente ab auxilio supernaturali.

Probatur assertio, quia quoties duæ res habent prædicata essentialia communia, si vna earum habeat aliquod peculiare propriũ nobilius, ea quoque nobilior censeri debet, sed ex duobus actibus supernaturalibus intellectus angelici, & humani cum pari auxilio elicitis, ille dicit ordinem essentialem ad Angelum vt ad principium nobilius, hic ad hominem vt ignobilius, ergo ille est saltem secundum quid nobilior, quia non habet in quo superetur, & ipse superat in prædicato materiali, & accidentali beatitudini, & hanc nobilitatem accipit à suo principio, quod est conflatum ex potentia naturali præstantiori, & auxilio pari in vtroque, atque adeo non conferente ad differentiam in nobilitate. Maior patet, quia sicut numerus maior est, qui excedit vnitate alterum, & qualitas intensior, quæ superat vno gradu alteram: ita res nobilior est, quæ in nullo exceditur ab alia, & ipsa habet prædicatum, quod excedit nobilitate cætera, præter communia, quæ sunt paria. Minor probatur, quia vitalitas, supernaturalitas, & similia illis duobus actibus conuenientia sunt communia, connexio, & ordo ad intellectum angelicũ est proprietas actus Angeli superans nobilitate ordinem actus humani: ergo & ipse actus, à quo non distinguitur, est nobilior secundùm quid, & vt fundamentum prædicati illius, seu vt respicit potentiam nobiliorem, à qua postulat produci posito auxilio, licet alioqui possit esse æqualis vt respicit obiectum, quod repræsentat, vt infra dicam. Interim satis est, quòd hæc nobilitas sit veluti quid materiale in actu supernaturali, si comparetur cum supernaturalitate, & ordine trãscendentali, quem habet ad obiectum, & auxilium, & consequenter potest superari ab excessu luminis si addatur, sicut est quid materiale ad esse filij adoptiui, & amici Dei excellentia naturæ angelicæ supra humanam.

Et ad hoc argumentum pertinent aliæ excellentiæ actus Angelici supernaturalis, vt quod sit independens à phantasmate, & à diuisione compositione, discursu liber, sed non ferunt secum vniuersaliter excessum nobilitatis supra actus naturæ inferioris, quia in Angelis non est talis dependentia, & tamen superior cum pari auxilio operatur nobilius, vt probatum est. Præterquam quod hoc prædicatum transcendit per omnes actus intellectionis angelicæ, quorum aliqui si essent eliciti cum minori auxilio, cederent nobilitate actibus elicitis ab inferiori intellectu cum maiori, quia licet concurrat naturalis actiuitas; tamen quia indiget eleuatione, si hæc sit maior, nobilior actus ab illa manat, & consequenter visio à maiori lumine, & ignobiliori potentia erit nobilior, quàm à minori, & nobiliori potentia.

Confirmatur à disparitate effectuum non vitalium, qui indifferenter produci possunt à qualibet creatura instrumentaliter concurrente cum Deo: isti enim nullum dicunt ordinem essentialem ad vllam causam creatam, quia merè instrumentaliter hæc operatur, & eius remota potentia nullam ex sua natura connexionem habet cum huiusmodi effectis, neque isti cum illa; at verò facultates vitales sunt causæ partiales actuum supernaturalium similes principalibus, quæ ex intrinseca virtute influit in actus sibi conuenientes, & exigit illas vt causas efficientes, & subiectiuas, igitur competit actibus prædicatum ordinis transcendentalis ad illas; qui si sit nobilioris, nobilior est, & proinde etiam ipse actus, à quo non distinguitur realiter ordo, est nobilior, quia respicit, ac postulat nobiliorem potentiam. Non quia talis respectus in genere sit indicium maioris nobilitatis in quolibet actu potentiæ nobilioris comparatæ ad ignobiliorem; sed quia in actibus earumdem similibus, & à potentijs iisdem manentibus, vbi reliqua prædicata sunt paria, & disparitas manifesta est in ordine essentiali, signũ est disparitatis etiam nobilitatis actuum, verbi gratia intellectionis angelicæ, & humanæ, non autem cuiuscumque actus alterius potentiæ angeli V. g. motus localis comparati cum intellectione hominis, quæ nobilior est, non obstante ordine actus Angeli ad potentiam eius.

Confirmatur secundò, quia si per diuinam potentiam poneretur vna, & eadem forma in duabus materijs, quarum altera esset nobilior, compositum constans materia nobiliori esset nobilius, etiamsi alioqui in cæteris compositis nobilitas proueniat à forma: ergo etiã ex duobus compositis metaphysicis illud est nobilius, quod habet omnia paria cum altero, & supra illud habet prædicatũ aliquid nobilius,

Digitized by Google

Reſpondetur argumentis contrarijs.

CAPVT VIII.

PRimum eſt auctoritas S.Bonau. hic enim in 4. diſt. 49. p. 1. a.1.q 6. perfectionem beatitudinis formalis, ſeu claritatē ac intenſionem viſionis, & gaudij reſpondere docet meritis, & pro eorum inæqualitate inæquales eſſe beatos, nulla facta mentione potentiæ naturalis, eo quod ab ipſa non pendeat æqualitas, vel inæqualitas, ſed à gratia, vnde & ad vltimū refert in caritatē intenſius gaudendi poteſtatē, quod argumentum eſt quidem negatiuum, ſed ſupponit tanquam certum non eſſe locum naturæ viribus, vbi agitur de ſupernaturalibus.

Confirmatur, quia ead. diſt. p. 2. a. 1. inueſtigans cauſas, ob quas gaudium beatificum poſſit eſſe maius, *Gaudium* (inquit) *poteſt eſſe maius quadrupliciter, aut quia de maiori obiecto, aut quia ex maiori habitu, aut quia de pluribus, aut quia ex eodem habitu intenſius, &c.* nec maioris virtutis naturalis vſquam meminit. Eſſet autem manca enumeratio ſi illa quoque augere poteſt gaudium, ita vt ab eodem habitu, vel auxilio æquali procedat maius, ſi potentia ſit nobilior.

In 2. d. 9. a. 1. q. 3. ad arg. *Sicut forma perficit capacitatem materiæ, non ſimpliciter, ſed prout exigit diſpoſitio ſuperinducta; ſic gloria perficit naturam non ſimpliciter, ſed ſecundùm quod exigebat gratia, quæ prius fuerat arbitrio data erat, &c.* tota ergo perfectio naturæ aduenies in patria eſt iuxta exigentiam gratiæ, & non perfectioris potentiæ operatiuæ.

Ex quibus auctoritatibus cōficitur argumentum ordinariè oppoſitum à cōtraria ſententia, quòd intellectus perfectior ſecundū naturam cum æqualibus meritis beatior eſſet, quàm imperfectior, quod eſt inconueniens quia gloria reſpondet meritis, & non perfectioni naturali.

Reſpondet Mol. loc. cit. pertinere ad diuinā prouidentiā compenſare inæqualitatē potentiarum ſuo influxu immediato, ita vt tantus ſit cum inferiori potentia, quantus requiritur ad æquandos effectus reſpōdentes meritis æqualibus, quod ſolū lumen æquale non præſtaret.

Variè reſcitur hæc reſponſio à recentioribus. Viſio beata proportionatur luminiglo- riæ. Mihi non ſatisfacit primò, quia communiter admittunt Theologi cum S. Th. 1. p. q. 11. art 6. quod proportio viſionis reſpondet proportioni luminis, & ideo vbi æquale eſt lumen, æqualis eſt viſio, & concurſus, ſicut in alijs qualitatibus Deus concurrit iuxta exigentiam ipſarum. Secundò, quia cōcurſus potentiæ idem eſt realiter cum concurſu Dei; potentia autē concurrit iuxta virtutem, quam accipit à lumine, vnde & Deus iuxta eamdem concurrere dicitur, ſi non differt concurſus eius à cōcurſu potentiæ, ſi igitur cum æquali lumine efficacius influit in vno, quàm in altero intellectu, operatur miraculosè contra exigentiam luminis, & actio dupliciter erit ſupernaturalis, primò ratione luminis eleuātis, deinde ratione influxus exuberantis, qui ſi non datur iuxta menſuram luminis, quid eſt quod ponatur lumen?

Secundò, reſpondent alij, non dari æquale lumen æqualibus meritis, vbi diſpar eſt potentia, quia cum lumen ſit medium ad viſionem, & non præmium, datur in eà menſura, quæ neceſſaria eſt, ad æqualitatē viſionis, & ideo minus intellectui perfectiori. Ideo Vaſq. loc. cit. c. 6. cenſet argumentū allatum eſſe infirmum, reſponſio autem eſt Tartareti in 4. diſt. 50. q. 6.

Refellit idem Mol. quia licet ſatisfaceret argumento quoad viſionem beatam, non tamen quoad amorem & fruitionem conſequentes viſionem; ſed cum amor, & fruitio ſequatur ad menſuram viſionis, vndecumque iſta perficiatur, ſequentur illæ eamdem menſuram.

Diſplicet nihilominus hæc reſponſio, quia lumen ita eſt mediū, vt computari debeat in præmium, eſt enim qualitas excellentiſſima decorans potentiam, quam eleuat, ideo reſpondet meritis, & caritati viæ, vt S. Th. 1. p. q. 11. a. 6. c. Deinde perfectiori voluntati daretur minor caritas, quàm imperfectiori, poſita æquali diſpoſitione, ac merito; eſt enim eadem ratio: caritas autem, & gratia infunditur ſine reſpectu ad excellentiam naturæ. Tertiò, poſſet eſſe tanta excellentia intellectus vnius ſupra alterum, verbi gratia ſupremi Angeli creabilis ſupra hominem, vt illi daretur modiciſſimum lumen, huic maximum, data meritorum æqualitate.

Tertiò, reſpondet P. Ripal. diſp cit. 37. n. 1. 4. non omnes actus elicitos à potentia perfectiori cum æquali perfectione habitus ſupernaturalis debere neceſſariò eſſe perfectiores, ſed plures poſſe eſſe æquales, plures perfectiores, atque adeo viſiones beatas hominis, & Angeli poſſe æquari.

Aſſentior propoſitioni in vniuerſum, diſſentio in actibus neceſſarijs, quia vt dixi, potentia exerit totam virtutem, cum non ſit libera in applicatione: ſi ergo excellentia eius facit ad excellentiam actus cum æquali auxilio, vt ipſe fatetur, tum maximè facit, cum toto conatu operatur, vt cōtingit in actib⁹ neceſſarijs viſionis, amoris, &c. vnde enim petatur ratio æqualitatis poſita inæqualitate principij, & influxus eius, vt à te ponitur, magis placet ſecunda eius reſponſio. Ideo

Reſpondeo ex dictis in tertia aſſertione negando ſequelā antecedētis, quia præmij æqualitas, vel inæqualitas non attenditur in viſione penes prędicatū illud eſſentiale ordinis ad potentiā nobiliorem, ſed penes entitatē viſionis vt dicit ordiné ad obiectū, cuius eſt repręſentatio, & imago vitalis, cui vt ſic per accidēs eſt, quòd ſit à nobiliori potentia, quia claritatē repræſentatiuā habet à lumine, & ordo in illa ad potentiā eſt velut materiale quoddam, quod non auget claritatē. Simile eſt in viſione aquilę exempli grata, quæ vt reſpicit obiectū, præſtat viſioni hominis, quia clarius illud exprimit; vt autem reſpicit potentiam, inferior eſt, vtpote à principio ignobiliori, & in imagine idem apparet, quæ perfectior eſt, quo magis exprimit prototypum, & vt expreſſiuæ per accidens eſt, quod ſit argentea, vel aurea, ex colore pretioſioris materię, vel vilioris. Sicut ergo imago argentea præfertur aureæ; ſi melius exprimat, & æquatur, ſi æqualiter; ſic & viſio hominis æqualis eſt viſioni Angeli, ſi procedat ab æquali lumine; & quia vt ſic habet rationem præmij, ac beatudinis formalis, per quam poſſidetur obiectū, ideo præmiū dicitur reſpondere merito,

Viſio perfectior eſt quo melius exprimit obiectum, & imago quo melius exprimit prototypū.

trio, quia ad rationem præmij, per accidens se habet prædictum illud ordinis ad potentiam nobiliorem: sicut esse auream ad rationem imaginis. Quæ responsio est conformis do-
S. Bonau. ctrinæ S. Bonau. in 2. d. 9. a. 1. q. 5. ad arg. vbi ait, quòd quamuis *Angelus excedat animam in naturalibus, secundùm comparationem creaturæ ad creaturam, tamen secundùm comparationem ad Trinitatem summam, cuius est imago tam Angelus, quàm anima, non oportet esse præcellentiam, cum magis videamus humanam naturam exaltatam, quàm angelicam; tum per gratiam vnionis in Christo; tum per gratiam communicationis in V. B.* Hic tota ratio præcellentiæ visionis B. V. supra visionem angelicam attenditur penes excellentiam luminis gloriæ, quod est principium illius, quandoquidem attendi non potest ex natura intellectiua, quę nobilior est in Angelis, quàm in homine, licet non sit nobilior imago Trinitatis, quia non exprimit illam excellentius in ratione beatitudinis vna, quàm altera, nisi vt substat maiori lumini conferenti virtutẽ nobilius exprimendi per visionem repræsentatiuam, & vnitiuam; & ideo quantumuis excellat natura, nihil confert ad excessum, si æquale sit lumẽ, à quo habet visio, vt sit imago expressiuà. Et per hæc patet responsio ad alias auctoritates S. Bonau. qui propterea non meminit potentiæ nobilioris, vel ignobilioris, sed solum meriti, & gratiæ, quia naturæ præstantia se habet per accidens, & vt quid materiale ad rationẽ præmij formaliter.

Sed contra dicta instabis principaliter, quia esse clarius expressiuum est prædicatum essentiale, per quod visio Christi Domini essentialiter differt à visione Angeli per te ponentẽ distinctionẽ essentialem in ijs visionibus manantibus à potentijs specie distinctis; ergo essentialiter visio Christi Domini perfectior est visione Angeli, nam iuxta dicta res constans prædicato essentiali nobiliori est perfectior, quàm constãs imperfectiori, quorum autem præstantior est essentia, præstantior est & materialis entitas, & vice versa. Neque valet dicere, quòd visio Christi Domini est perfectior essentialiter tantũ secundùm quid, sicut formica exẽpli gratia perfectior est cælo secundùm quid ratione animę; nam etiam hoc probat visionem Christi entitatiuè esse nobiliorẽ, quia habet prædicatum essentiale nobilius, & cum sit entitas indiuisibilis, id est non constans partibus materiali, & formali, si vnum prædicatum essentiale est nobilius, tota entitas ab ipso indistincta etiam est nobilior; compara perfectionem hanc essentialem visionis Christi, quæ est talis expressio in immensum clarior, quam angelica cum expressione Angeli, si illa essentialiter differt ab hac, & differentia est perfectior, tota entitas etiam materialiter sumpta erit perfectior, vtpote identificata differentiæ realiter.

Secundò. Obstat dictæ distinctioni, quia tota essentia visionis consistit in actuali expressione obiecti visi, ergo quæ perfectius exprimit, & clarius, perfectioris est essentiæ, quàm quæ minus perfectè, & clarè. Neque exemplum imaginis aureæ, & argenteæ probat intentum, quia figura arte inducta est quid accidentale aduenies materiæ diuersæ, & perfectius in vna fingi potest, quàm in altera; sed esse expressiuum in visione est tota essentia eius, & proinde perfectior quo & clarior.

Tertiò. Illa distinctio non habet locũ in aliis actibus supernaturalibus, verbi gratia in amore beatifico consequente ex visione, hic enim est tendentia in Deum visum, & affectus transformatiuus amantis in amantem per summam vnionẽ: certum est autem nullum Angelum ita perfectè vniri Deo, & illi hærere amando ita firmiter vt vnitur Christus, ergo nihil est in amore Angelico præcellens amori Christi, illud enim vniret perfectius Deo Angelum, quod est inconueniẽs. Idem est de gaudio, fruitione, &c.

Visio Christi Domini simpliciter est perfectior visione cuiuscumque Angeli.

Respondeo ad primam instantiam, visionem Christi Domini simpliciter esse perfectiorem visione cuiuslibet Angeli vt pote respondentẽ gratiæ, & lumini supra omnes Angelos; & quãuis prędicatum ordinis ad intellectum angelicũ sit nobilius in ratione ordinis, non tamen propterea visio Angeli, cum qua identificatur, est nobilior simpliciter, quia visio Christi identificatur alijs prædicatis formalibus longè nobilioribus, quæ pariter cum ipsa identificantur realiter, & per se pertinent ad beatitudinem, & non se habent materialiter, sicut ordo ad pŏtentiã naturalẽ; præsertim quia neque hæc respicitur solitariè, sed quatenus componit vnum principium cum lumine; cum enim esse vitale sit idem in ipsa cum esse supernaturali, potest quidem considerari metaphysicè in eo ratio vitalitatis, quæ respondeat potentiæ vitali, & supernaturalitatis quæ lumini: tamen vt vna entitas physica indiuisibilis, quæ respicit principium adæquatum constans potentia, & lumine; ex quo patet

Ad replicam: concedo enim visionem Christi simpliciter, & absolutè esse perfectiorem qualibet visione, & prædicata, quæ per se pertinẽt ad visionem vt beatitudo est, & præmium esse nobiliora; & licet prædicatum aliquod inuoluens ordinem ad intellectum angelicum sit nobilius prædicato ordinis ad humanum; tamen hoc materiale quiddam est, & materialiter se habet ad visionem vt beatifica est, sicut aurum ad figuram. Et idem est, si comparetur visio Angeli cum visione hominis habente æquale lumen; sunt enim istæ æquales in ratione beatitudinis, ac præmij, & disparitas solùm est quid materiale accidentaliter se habens ad formalem beatitudinem, & præmium.

Ad secundam instantiã, concedo totum, quia quæ perfectius exprimit visio est à maiori lumine: item concedo totum esse visionis consistere in expressione, sed hoc esse expressiuum, physicum, & indiuisibile fundamentum est multiplicis diuisionis metaphysicæ in varia prædicata formaliter inæqualia in vna æqualitate per identitatem realem, sicut entitas physica substantiæ Angeli indiuisibilis fundamentum est diuisionis in prædicata superiora, & inferiora, nobiliora, ac ignobiliora identificãta realiter ipsi substantiæ.

Ad tertiam. Alij actus supernaturales patriæ sequuntur ad visionem, & illi commensurantur, & prædicatum ordinis ad potentiam naturalem, & in ipsis est quid materiale non augens, neque minuens beatitudinem, aut rationem præmij formaliter.

Verùm obijcies contra prædictam explicatio-

nem, quia ſecunda ſententia, quam ſequimur contendit viſionem, vt expreſſio, eſt eſſe à potentia naturali, & proinde meliorem expreſſionem à nobiliori potentia.

Reſpondeo, quòd viſio etiam vt expreſſio eſt, actus vitalis eſt, & intrinſecè dicit ordinem ad potentiã vitalem, cui reſpondet vitalitas actus, & non ſolùm ad lumen, & obiectum, quibus reſpondet ſupernaturalitas, & quia vterque ordo idem eſt phyſicè cum viſione, & hæc eſt ipſamet vitalis expreſſio, pontentia naturalis quæcumque ſit, ſiue nobilior, ſiue ignobilior concurrit ad expreſſionẽ, quia elicit viſionem, ſed in hac eſt fundamentum prædicati inuoluentis ordinem ad potentiam nobilioris, vel ignobilioris iuxta qualitatem potentiæ, & hoc eſt meliorem expreſſionẽ ſecundùm rationem vitalitatis eſſe à nobiliori potentia, quia ab iſta, & lumine eſt viſio, ac expreſſio, quam eſſe nobiliorem nouimus ex prædicato intrinſeco, & eſſentiali nobiliori, quod tamen non auget præmium, cui accidentale eſt formaliter conſiderato, ſicut ex prædicato ordinis ad lumen nouimus nobilitatem principij ſupernaturalis.

Secundo loco opponitur auctoritas S. Thomæ.

NAm 1.p q.12.a.6 c. docet Deum perfectius videri ab habente maiorem virtutem, ſeu facultatem videndi, quæ (inquit) non competit intellectui creato ſecundùm ſuam naturam, ſed per lumen gloriæ; vnde intellectus plus participãs de lumine gloriæ perfectius Deum videbit. Et expreſſe ad tertium reiecit facultatem naturalem à virtute prædicta. *Diuerſitas* (ait) *videndi erit per diuerſam facultatem intellectus, non quidem naturalem, ſed glorioſam.* Idem habet in 4. d. 49. q. 1. a. 4. & q. 2. a. 4. & alibi. Propterea ne à ſeipſo diſſentiat, non eſt putandus loqui comparatiuè; Sed aduerſatiuè, cum 3. p. q. 10. a. 4. 2. dicit *Gradus in diuina viſione magis attendi ſecundum ordinem gloriæ, quàm ſecundùm ordinem naturæ.* Particula enim, *magis*, idem ſignificat quod potius, vt ſit ſenſus, gradus diuinæ viſionis non attenditur ex natura, ſed ex lumine, vt communiter auctores primæ ſententiæ contra quos non valet dicere, quòd ſecundùm vſitatam acceptionem, magis, comparatiuè ſumatur, & S. Thomam non diſceſſiſſe ab vſu communi, nam & in ſcriptura frequenter aduerſatiuè ſumitur, & apud Latinos auctores non ſemel. ſic pſal. 83. *Elegi abiectus eſſe in Domino Dei magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ioan. 3. *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* & ſimilia.

Iſtæ, & ſimiles auctoritates eamdem habent cum ſuperioribus reſponſionem, fateor enim perfectionem viſionis prouenire à lumine, & eo eſſe maiorem, quo maius eſt lumen; ſed cum hoc ſtat, quod in ea ſit aliquod prædicatum materiale nobilius, ſi ſit à nobiliori potentia, quod accidentaliter ſe habeat ad rationem præmij formaliter conſiderati vt reſpondet merito.

In eodem ſenſu diuerſitas videndi eſt à diuerſitate facultatis non naturalis, ſed glorioſæ, id eſt eleuatæ lumine gloriæ, quia conſideratur viſio vt beatitudo eſt, ac merces, ad quam non refert à qua potentia naturali ſit, cum præmium non debeatur naturæ, ſed gratiæ, & huic reſpondeat lumen, à quo prouenit viſio, & diuerſitas eius, & quia etiam concurrit potentia cum lumine: ideo addit S. Doctor, quod diuerſitas videndi eſt à diuerſa facultate glorioſa, indicans pro noſtra ſententia & ipſam facultatem concurrere ſimul cum lumine, ac proinde iuxta naturam ſuam adiutum lumine. Quo poſito, ſiue comparatiua, ſiue aduerſatiua ſit particula, *magis*, parui intereſt: in vtrouis enim ſenſu ſumatur, ſolùm probat, quòd gradus viſionis attenduntur principaliter penes lumen, non tamen excludit concurſum potentiæ ad illos, & proinde nec ordinem eſſentialem viſionis ad illam, qui poteſt eſſe nobilior in viſione æquali ſecundùm rationem præmij, & inæquali ſecundùm entitatem phyſicam magis, minuſue perfectam iuxta menſuram luminis.

Tertio loco opponuntur rationes.

PRima eſt, quia effectus poſtulans duo principia, à quibus producatur genericum videlicet, & ſpecificum accipit diuerſitatem, & perfectionem ſpecificam à ſecundo minus vniuerſali: ſed viſio exẽpli gratia poſtulat produci ab intellectu vt principio generico, à lumine vt ſpecifico, ergo ab iſto accipit diuerſitatem, & perfectionem ſpecificam; Sic ſol, & homo generant hominem, & ab iſto accipit eſſe ſpecificum, & perfectionem hominis, ex quo ſequitur non attendi perfectionem actus ſupernaturalis penes excellentiam potentiæ naturalis, ſed auxilij, & gratiæ. Ita Vaſq. poſt Sotum, & Durand. in 4. d. 49. q. 7. n. 6. qui ait, *Tota conditio operationis videtur ſequi conditionem principij immediati ſecundùm ſe; cuius rei fundamentum eſt in natura ipſa cauſarum, quarum quæ particularis eſt, ac immediata primario concurrit, & trahit ad ſe, ac limitat concurſum vniuerſalis ad talem ſpeciem, ac individuum, vt patet inductione omnium cauſarum, incipiendo a cæleſtibus, quæ concurrunt ad generationes inferiorum, iuxta denominationem, & exigentiam ipſarum.*

Hæc ratio inſtantias habet à recentioribus, primò intellectus æquè intimè, ac immediatè influit non ſolùm in gradum gẽnericum viſionis, ſed etiam ſpecificum ac lumen ipſum: & quidem vt cauſa partialis principalis ſecundùm Vaſq. ergo etiam illi tribuitur gradus ſpecificus etiamſi agat eleuatus lumine, quia cum eo ſtat concurſus immediatus.

Deinde opponunt alij. Species naturalis impreſſa cum meliori intellectu producunt meliorem intellectionẽ, & tamen intellectus ſe habet vt cauſa vniuerſalis, ergo non ſemper pænes cauſam particularem petenda eſt menſura actionis; idque valet ad hominem; Vaſq. enim defendit, lumen gloriæ habere rationem ſpeciei, proinde cum eo nobilior intellectus nobilioré elicit viſionẽ, ſicut & cum alijs ſpeciebus. Secundò cur potentiæ in ordine ad effectus naturales ſe habent vt cauſæ particulares ad ſupernaturales, vt vniuerſales? quamquam enim intellectus ſit cauſa vniuerſalior, quàm ſpecies, & lumen, quia ad plures intellectiones, & obiecta ſe extendit; tamen in ordine ad

visionem non dicitur causa vniuersalis, sed particularis, & vt talis comparatur cum specie, & lumine concurrentibus ad eamdem.

Respondeo igitur, negando minorem argumenti, quia intellectus ad visionem concurrit vt causa particularis immediatè influens, & vitaliter in effectum, & dans illi suam speciem simul cum lumine, quod non immutat, aut impedit intellectum, sed adiuuat, vt cooperetur secundùm natiuam suam virtutem, quæ sic adiuta concurrit immediatè ad totum effectum, & omnes gradus eius, non vt concurrant causæ vniuersales naturales sed vt particulares requisitæ ad eumdem effectum, vt sunt in generatione animantum mas, & fœmina.

Secunda ratio.

TAnta est intensio, & perfectio visionis, ac delectationis, quantũ est lumen & virtus eius, & non maior, aut minor, ergo excellentia potentiæ nihil facit adincrementũ, neque ignobilitas ad decrementum. Antecedens probatur, nam si non est tanta intensio visionis, quantũ est lumen, igitur erit maior, aut minor; non primum, quia ille excessus supra virtutem luminis tribueretur naturæ, quod est Pelagianum; neque secundùm, quia lumen est causa necessaria, & producit totam perfectionem, quam potest, id est æqualem sibi, sicut ignis tantum calorem quantum potest, & habet in se. Consequentia probatur, quia si perfectio, siue intensio visionis est maior, quàm intensio, & virtus luminis, cum hic excessus non sit nisi à potentia sequitur, quòd ipsi præcisè, & virtuti eius respondet aliquid supernaturale, quod non attingitur à lumine carente ea virtute, quod est absurdum tum obrationem dictam de Pelagianismo, tum quia actus indiuisibiliter respondet potentiæ, & lumini vt causæ adæquatæ.

Neque dicas, hinc non probari, quòd actus à diuersis potentijs specie non differant specie, & proinde neque quod ab æquali lumine, & inæquali potentia non prodeant visiones speciei diuersæ, atque adeo inæquales in perfectione, nam

Contra est: quia quicquid sit de philosophica quæstione, an dentur actus diuersi specie æquales in perfectione, in proposito parui refert vtrauis sententia affirmans, aut negans, nam potentiæ diuersæ specie nihil possunt respectu actuũ supernaturalium secundùm vires naturales, sed solũ vt eleuatæ, ideo intellectus quicumque ille sit ex creatis, in tantum potest videre, in quantũ eleuatur, consequenter penes eleuationem à lumine metienda est perfectio visionis, ita vt lumini vt 4. respondeat intensio vt 4. & nihil plus propter excellentiam intellectus, ne quid naturæ supernaturale detur, aut detrahatur lumini cum intellectu imperfectiore concurrenti.

Neque rursus valet dicere intensionem vt 4. à lumine vt 4. esse perfectiorem in Angelo, quàm in homine, & diuersæ speciei, sicut intensio luminis corporalis vt 4. est perfectior, & diuersæ speciei ab intensione, caloris item vt 4. Nam contra est.

Quia sequeretur, visionem Angeli cuiuslibet etiam infimi, & habentis tantùm vnũm gradum gloriæ respondentem vnico merito, quod est possibile, esse perfectiorẽ, quàm sit visio B. V. & Christi Domini, nam illa esset speciei superioris, ad cuius perfectionẽ nunquã pertingit inferior, quãtumuis perfectione augeatur intensiuè, aut extensiuè, vt indicãt exempla caloris, qui licet intendatur in summo, nunquam pertingit ad nobilitatẽ lucis; & argenti, quod auctum in immensum semper auro vilius est. Falsitas consequentis patet, quia gloria Christi Domini, vtpote filij Dei naturalis, & capitis Angelorũ, & hominũ maior est gloria ipsorũ.

Respondeo ad argumentum, concedendo totum, quia non dico maiorem intensionẽ visionis, aut claritatem prouenire à natura excellentiori, sed à lumine, cum quo simul concurrit intellectus ab illo adiutus, vt possit exercere suam virtutem, quæ sine lumine, aut auxilio nihil potest. Verùm quia talis virtus operatur iuxta naturam suam, id est angelicè, si in Angelo: humanitus, si in homine; ideo visio supernaturalis in illo angelica est, in hoc humana, & in vtroque habet proprium ordinem essentialem ad suum principium, angelica ad Angelum, humana ad hominis intellectum; hoc autem prædicatum indicat aliquid excellentię in angelica, vtpote ad principium partiale nobilius ordinata essentialiter supra humanam, sed hoc est materiale, & per accidens visioni vt beatitudo, & præmium formale est ex dictis supra. Ex quo patet

Maior intensio & claritas visionis est à lumine gloriæ.

Ad instantiam; nam ita metienda est intensio visionis à lumine, vt tamen ad illam concurrat intellectus non quidem augendã, sed ponendam in esse, quod præstat cum quolibet lumine siue intenso, siue remisso; & tamen ad diuersam intensionem non concurrit, nisi iuxta diuersitatem luminis, cui cooperatur, vt aptus est natura sua cooperari.

Ad secundam instantiam, iam dixi, visionem non solùm Christi Domini, cui nulla est comparabilis, sed quamlibet aliam procedentem à maiori lumine esse simpliciter perfectiorẽ in quocumque intellectu sit, & esse magis expressiuam obiecti beatifici, sed cum hoc stat, quod quæ procedit à nobiliori intellectu, secundùm quid præcellat, quod tamen materiale est, & minimum quid accidentale visioni vt beatitudo est, ac proinde non obstat nobilitati, & excellentiæ visionis ex maiori lumine simpliciter, & absolutè quoad entitatẽ. Est contra Maiorem præferentem absolutè entitatem visionis Michaelis visioni Christi, quod periculose dictum censet Soar.

Maior præfert visionẽ Michaelis visioni Christi, D.

Tertia ratio

EST, quia per nos intellectus, & voluntas concurrunt ad actus supernaturales secundùm potentiam obedientialem, quantæcũque excellentiæ sint angelicæ, vel humanæ, nam secundùm naturalem nihil penitus possunt in illos: ergo tota virtus productiua illorum attenditur penes auxilium gratiæ, & consequenter facultatis naturalis præstantia nihil confert ad nobilitatẽ actus, quia par est in omni natura impotentia ad operationem supernaturalem.

Resp. nego sequelam, quia sicut virtus naturalis nihil potest per seipsam, ita neq; lumen, aut alius habitus supernaturalis per se solũ po-

reſt in effectũ ſupernaturalem, ſed requiritur cõplexum ex potentia, & auxilio quod ſit principiũ adæquatum; & quamuis potentia dicatur obedientialis, quia non poteſt agere, niſi eleuata, tamen agit vt apta eſt agere cum auxilio per virtutem ſuam; & quia hæc eſt diuerſæ perfectionis in Angelo, & homine, ideo diuerſa etiam eſt perfectio operationis ſupernaturalis ex vtroque manantis.

Quarta ratio.

SEqueretur actus ſupernaturales Angeli, & hominis differre ſpecie, quia principia eorum differunt ſpecie. Conſequens eſt falſum, quia in pleriſque eſt eadem ratio motiua, à qua ſpecificantur. Nec valet dicere, quòd conueniunt principia in eſſe potentiæ obedientialis, quia intelligere animæ, & Angeli differunt ſpecie: vt enim S. Th. 1. p. q. 75. a. 7. c. anima, & Angelus differunt ſpecie, & proinde ſunt principia operationum ſpecie differentium ſaltem principalium, quales ſunt intellectuales, præſertim ſi non diſcurrunt Angeli, vt putat S. Th. igitur etiam operationes ſupernaturales, in quas vitaliter influunt potentiæ naturales, differunt ſpecie: ex quo ſequitur eſſe inæqualis perfectionis, cum natura angelica præcellat humanæ, & ſit principium operationum nobiliorum, vt Maior in 4. d. 49. q. 11.

Reſpondeo, nego ſequelam antecedentis. Ad probationẽ dico principia completè ſumpta, vt ſunt complexum ex potentia naturali, & auxilio, differre ſolùm materialiter: quia licet potentiæ naturales differant ſpecie, tamen quia earum virtus nihil poteſt niſi eleuata, & iuncta auxilio ſupernaturali, ideo diſcrimen principiorum, vt ſunt conflatum ex vtroque, materiale eſt, & non mutat ſpeciem actuum.

Ad inſtantiam reſpondeo, admiſſo 1. argumento, nego quod ex eo infertur, nimirum etiam operationes ſupernaturales differre ſpecie cum communi, quam tenet Soar. 1. p. tract. 1. l. 1. c. 19. Vaſq. 1. p. diſp. 47. c. 5. & alij plures apud Sal. 1. 1. diſp. 3. ſect. 9. Faſol. 1. p. q. 11. a. 6. dud. 2. Ratio eſt, quia obiectũ formale, & ſpecificatiuum eſt idem in Angelis, & hominibus, verbi gratia in actibus fidei eſt credibile per revelationem obſcuram, ſeu attingibile à potentia eleuata media reuelatione, quæ attingibilitas eſt ratio ſub qua diſtinctiua, aut ſecundum alios eſt prima veritas reuelans vt ratio quæ, eadem in omnibus reuelatio, & ideo omnes actus fidei ſunt eiuſdem ſpeciei, vt S. Bonau. in 3. d. 23. a. 1. q. 3. c.

Omnes actus fidei ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

Apotentia autem ſola non poteſt peti ratio diſtinctionis, quia eadem eſt principium operationum differentium ſpecie, verbi gratia voluntas amoris, odij, deſiderij, &c. & vice verſa à diuerſis ſpecie potentijs manare poſſunt effectus ijdem ſpecie, verbi gratia calor ab igne, & ſole, & multo minus in propoſito, vbi potentia adæquatè ſumpta comprehendit auxilium ſupernaturale, & inadæquatè vt ſtat pro potentia naturali variat ſolum materialiter, cum agat per virtutem eleuatam; reſtat igitur modus tendendi, & obiectum formale, à quibus petenda eſt diſtinctio actuum, & potentiarum, & ſic viſio beata eſt eadẽ ſpecie in beatis, quia idem eſt obiectum formale, nimirum Deus vt attingibilis à potentia eleuata per lumen: poſito autem lumine eiuſdem ſpeciei, & obiecto formali eodem, potentia naturalis variat ſolum accidentaliter actum ſupernaturalem, & prædicatum particulare ordinis, quem habet ad potentiam, indicat diſtinctionem materialem, qualis etiam poteſt eſſe in actibus naturalibus indiuiduorum eiuſdem ſpeciei.

Quinta ratio,

QVæ eſt noua inſtantia contra præcedentem, vrgetur ex multiplici capite: primò quia non implicat à diuerſis ſpecie potentijs prodire actus ſupernaturales ſpecie diuerſos, primò cognitione abſtractiua naturali Deus cognoſcibilis eſt per ſciẽtias ſpecie differẽtes, verbi gratia Metaphyſica, & Phyſica, vtraque enim per media differentia ſpecie probat vnitatem Dei, ergo & cognitione intuitiua; non enim aſſignari poteſt facilè implicantia diuerſorum mediorũ: quia ſicut de facto dantur diuerſæ ſpecies impreſſæ eioſdem rei in diuerſis Angelis, & hominibus, dantur etiam diuerſi ſpecie habitus tam naturales, quàm ſupernaturales, puta ſcientia, ſapientia, intellectus, &c. ita poſſunt dari diuerſa lumina ſpecie differentia, & proinde viſiones ſpecie diuerſæ ab illis manantes.

Secundò, Poteſt Deus ſeipſo concurrere ad viſiones ſine lumine, & ſine vllo habitu per te, ſicut & ad cognitiones naturales; cur ergo limitetur eius potẽtia ad vnam ſpecie viſionem?

Tertiò. Deus ob infinitam perfectionẽ ſuam eſt imitabilis in infinitum à creaturis etiam ſupernaturalibus ſpecie diuerſis; cur non etiam à viſionibus? hoc enim pertinet ad commendationem diuinæ excellentiæ.

Quartò. De eodem obiecto creato dantur demonſtrationes ſpecie diuerſæ, ergo & de increato dari poſſunt viſiones ſpecie diuerſæ. Antecedens patet, quia de terra exempli gratia demonſtrat & Phyſicus, & Mathematicus, quod ſit rotunda, & in medio mundi. Conſequentia eſt à paritate.

Quintò. De Deo clarè viſo, & obiecto beatifico poſſunt eſſe plures actus voluntatis, vt amor amicitiæ gaudium, amor concupiſcentiæ, &c. ergo & plures actus intellectus.

Sextò. Admiſſa poſſibilitate, congruentia ſuadet quod & de facto ita ſit, nam per diſtinctiones ſpecificas diſtinguerentur hierarchiæ, & per numericas ordines. Præterea Chriſto Domino tribueretur beatitudo excellẽtior ſecundùm ſpeciem omnibus alijs, iuxta illud Eph. 1. *Conſtituens illum in cœleſtibus ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.* Denique rationes pro contraria non vrgerent, quia per principia Theologica nihil certi probari poteſt, & per philoſophica videtur probabilius, quod cauſæ nobilioris effectus ſit nobilior ſecundùm ſpeciẽ, vt cenſet Maior ponens differentiam eſſentialem inter viſiones hominis, & Angeli, & probabiliter Palud. in 4. d. 49. q. 5. a. 1. licet non audeat diſcedere à communi

Reſpondeo, admittendo nullã apparere im-

plicantiam, cur Deus non possit diuersas specie visiones producere ob infirmitatem diuinæ sapientiæ, & potentiæ, cui non desunt modi nobis ignoti, inter quos est possibilitas luminum diuersorum specie differentium, quamquam enim de facto lumen sit eiusdem speciei in omnibus beatis, vt cum communi Soar. l. 2. de attrib. c. 19. Vasq. 1. p. disp. 50. n. 27. tamen cur non posset Deus diues in multiplicatione qualitatum tam naturalium, quàm supernaturalium, & hanc multiplicare in speciebus diuersis? si enim lumen corporeũ potest esse diuersæ speciei, puta naturale, & supernaturale in sententia probabili, quod lumen, quo perfunduntur corpora beatorum, supernaturale intrinsecè, vt S. Th. in 3. d. 26. q. 2. a. 1. ad. 2. & 4. Soar. t. 2. in 3. p. disp. 32. s. 1. & disp. 48 sect. 2 Sal. 1. 2. tract. 2. disp. 14. sect. 16. n. 130. Ripal. disp. 44. sect. 10. & alij apud ipsos, cur non possit etiam lumen spirituale supernaturale multiplicari secundùm speciẽ? Deinde loquendo de ipsa visione, sicut visio creata, & increata Dei differunt essentialiter à seipsis per entitates suas, ita non repugnat fieri duas visiones creatas, quæ differant per entitates suas, non autem ratione obiecti, in quod tendunt, ideo Soar. loc. cit. licet teneat contrariam, tamen fatetur, non afferri implicantiam, & fortasse plus in hoc posse diuinam virtutem, quàm nos possimus intelligere, quod nos pro certo habemus. & sic patet ad primas quinque instantias.

Lumen corporeũ potest esse diuersarum specierum

S. Thom.

Soar.

Ad sextam, Nego congruentius admitti de facto; nam Hierarchiæ distingui possunt ex donis, & ministerijs gratiæ, vel gloriæ, quæ sunt accidentalia respectu substantiæ angelicæ: verbi gratia si dicatur, quod prima hierarchia non deputatur ad ministrandum, sed ad assistendum Deo; secunda autem, & tertia ad ministrandum, sed illa altiori modo dirigendo, & imperando non exequendo, nisi forte in extraordinarijs, & altioribus operibus; hæc verò in particulari exequitur, & ministrat, vt Soar. de Angelis l. 1. c 13. & 14. iuxta sententiam constituentem differentiam etiam accidentalem inter ordines, & hierarchias, quæ est S. Bonau. in 2. d. 3. p. 1. a. 1. q. 1.

Neque secunda cõgruentia vrget; nam Christus Dominus dicitur constitutus super omnes Angelos, & sedere ad dexterã Patris, quia in gloria, & beatitudine essentiali tãto sublimior est beatis omnibus, quãto differentius præ illis nomen hæreditauit; cui enim alteri dictum est aliquãdo, Filius meus estu, ego hodie genui te?

Ad tertiã: Nihil certi de fide habetur in Theologia circa quæstionem hanc, sed solum probabilius omnes visiones beatorum esse eiusdem speciei. at iuxta principia philosophica, quod à diuersis causis procedãt effectus diuersi consequentius ad opinionem tribuentem immediatum influxum in actus vitales intellectui, ac voluntati, vt causis partialibus vitaliter se mouentibus ponitur aliqua diuersitas saltem materialis in visionibus beatis, ob rationes allatas; quæ tamen non augeat, aut minuat beatitudinem, quæ respondet quidem etiam potentiæ vitali, sed eleuatæ, & operanti per virtutem natiuam non solàm, sed cum auxilio; & ideo posito lumine eiusdem speciei in omnibus, actus ab eo procedẽtes formaliter sunt ijdem specie.

Sexta Ratio in contrarium.

Intellectio ex dictis supra est actio dicens ordinem essentialem ad suum principium, qui est intellectus; vel igitur respicit illum vt stat sub ratione obedientiali, & sic tota perfectio attenditur penes eleuationẽ; vel vt stat sub ratione naturali, & sic ordo ad illum sub hac ratione est essentialiter perfectior, non secus ac ordo ad obiectũ perfectius, siquidem non minus est essentiale illi esse In, quàm esse: Ad ita visio perfectioris intellectus puta angelici, erit essentialiter perfectior visione imperfectioris per ordinem essentialem ad suum principium perfectius, & non tantum materialiter, seu accidentaliter.

Confirmatur: Quia sicut potẽtia intellectiua Angeli essentialiter perfectior, quàm potentia intellectiua hominis, quia respicit principium nobilius, ita & intellectio erit perfectior essentialiter, quod non poterit adæquari per intensionẽ luminis, quæ est occidentalis, quod putatur erroneum à S. Thoma 3. cont. gent. c. 57. Et meritò, quia sequeretur visionem infimi Angeli esse perfectiorem visione Christi.

Confirmatur 2. quia intellectus concurrit vt eleuatus; ergo tatum concurrit, quantum eleuatur, ergo iuxta mensuram luminis à quo eleuatur, & non perfectionis naturalis. Lumen autem infunditur iuxta mẽsuram meritorum, nam ex Florentino de vnion. Armen. habetur quod à Beatis Deus videtur perfectius pro diuersitate meritorum, & quia perfectio ista est per lumen quod respondit meritis, tanta erit, quanta & merita, & non quanta est perfectio naturalis.

Respondeo quod intellectio supernaturalis dicit ordinẽ essentialem ad intellectum vt eleuatũ, hoc est ad complexũ ex intellectu, & auxilio supernaturali; atque ita tota perfectio eius attenditur penes vtrumque, sed principaliter penes auxiliũ; & licet ordo eius sit essentialis non facit tamẽ differre specie intellectiones ab eodem auxilio prouenientes, quia obiectũ formale, circa quod illę versantur, est idẽ; & causa efficiens principalis est eadem: & licet minus principalis sit diuersa, tamen hæc diuersitas se habet materialiter, vti dictum est, vnde & ordo ad illam habet solum diuersitatẽ materialem ab alio ordine circa intellectum eiusdem speciei, minime sufficientẽ ad distinctionẽ specificã intellectionum. Neque refert quod dicatur ordo essentialis, quia etiam prædicata quæ petuntur ex materia, sunt essentialia, à quibus nihilominus non diuersificatur species, si forma vltima sit eadẽ; & in actibus intellectus visiones hominum & Angelorũ sunt eiusdem speciei, vt Salas 1. 2. q. 3. tract. 1. disp. 3. & 9. citãs Caiet. Scotũ, Soar. Molin. & alios, quod etiam admittit Vasqu. 1. p. q. 47. c. 7. etiamsi vt supra vidimus, tribuat intellectui rationẽ causę principalis, & tamen huiusmodi actus habeant ordinem essentialem ad sua principia, puta angelicus ad angeli intellectum; humanus ad humanum, concurrentes ad constituendam adæquatam causam cum auxilio supernaturali, puta homine. Exemplum supra adduximus de compositis ex formis eiusdem, sed materijs diuersæ, si Deus illas crearet. Haberẽt enim prædicata respondentia materiæ essentialiter

diuerſa in eadem ſpecie à forma aduenientè.

Ad primam confirmationè nego ſequelã: cum enim lumen ſit ordinis ſupernaturalis, & dicat ſimpliciter poſſe operari ſupernaturaliter, in quacũque intenſione ponatur, eleuat potentiã ad operatione ſuperiorẽ qualibet naturaliã potentia viribus natura elicita, & ideo non ſolum Chriſtus dominus; Sed etiam quilibet beatus habet excellentiorem cognitionem virtute luminis, quam quiuis Angelus virtute propria: Et prædicatum illud nobilius conſurgens ex ordine ad potentiã naturalem eſt quid materiale, reſpectu viſionis, vt beatitudo eſt, & quod votetur ſentiale, vel accidentale, eſt quæſtio de nomine in propoſito.

Ad ſecundam, patet ex dictis: eleuatio enim non minuit, ſed perficit virtutem naturalem, quæ concurrit quidem vt eleuata, ſed diuerſo modo in diuerſis ſubiectis magis, minuſve perfectis; quæ diuerſitas non auget, vel minuit beatitudinẽ formaliter, vt beatitudo eſt quia cum hæc ſit clara Dei viſio, tanta eſt, quantum & ipſum lumen; & cum hoc infundatur iuxta menſuram meritorum, quo plura, vel pauciora illa ſunt, eo maius eſt lumen; & perfectior viſio; ſed cum hac ſtare poteſt aliquod prædicatum materiale varians accidentaliter iuxta dicta.

Ex quo patet ad auctoritatem Florentini ſolum enim vult perfectius videri Deum à beatis pro diuerſitate meritorum in ſenſu explicato, non deſcendens ad quæſtionem ferme philoſophicam de concurſu potentiæ nobilioris, dummodo tota ratio beatitudinis vt ſic reſpondeat meritis.

Hinc ſolutæ manent inſtantiæ conferẽtium exceſſum perfectionis potentię cum lumine, & inferentium tantum eſſe illum poſſe in Angelo v. g. creabili in infinitum perfectiore, vt ſuperet virtutem luminis ſecundum merita etiam maxima exhibiti: Nam quantacumque ſit perfectio naturalis, inferioris ordinis eſt, & nunquam attingit perfectionẽ luminis quantum vis exigui; ideo intellectus Angeli ſupremæ perfectionis naturalis inferior eſt cuiuis alteri hominis perfuſi lumine: quod ſi poneretur æquale in vtroque æqualis eſſet vtriuſque viſio in ratione beatitudinis, & ſolum inæqualis materialiter reſpectu prædicatorum, ex diuerſa habitudine ad potentias concurrentes, ſecundum proprias virtutes, ſed eleuatas, præſertim in ſententia facientè illas etiam principales, & non mere inſtrumentales, quales ſunt non vitales, quam ſecuti ſumus.

An Intellectio fieri poſſit ſine concurſu Potentiæ intellectiuæ per potentiam Dei abſolutam.

CAPVT V.

1. *De eſſentia intellectionis multiplex opinio.*
2. *De eiuſdem dependentia ab intellectu tres præcipuæ ſententiæ.*
3. *Notanda ex doctrina S. Thomæ, ac Bonauent. pro reſolutione.*
4. *Intellectio vt actio vitalis eſt eſſentialiter pendet ab intellectu.*
5. *Varie probatur aſſertio.*
6. *Terminus intellectionis ſeu verbum mentis poteſt à Deo ſolo produci.*
7. *Probatur auctoritate, ac ratione.*
8. *Soluuntur argumẽta contra duas iſtas aſſertiones.*
9. *Reſpondetur inſtantijs contra ſolutiones.*

NOn eſt inſtituti præſentis examinare ſententias varias de natura & eſſentia intellectionis; Sed breuiter illis indicatis determinare quid ex probabiliſſima cõſequatur in materia Theologica de Potentia obedientiali. Intellectionis ergo rationẽ ac eſſentiã reponunt alij in actione ſine termino, quam vocãt actionem grammaticaliter; quia putant eſſe vere, & realiter qualitatẽ, per quã redditur formaliter intelligens potentia illam in ſe recipiens Alij in actione, quæ ſit vere, & proprie actio de Prædicamento actionis, ſed ſine termino. Alij in actione habente terminum; ſed non pertinentem ad rationem formalem intellectionis, ſignificatam in recto. Alij in actione, & termino ſignificatis in recto. Alij in termino vt connotante actionem Alij in termino ſeipſo dependente eſſentialiter à potentia ſine actione diſtincta: Quorũ ſententias referunt Soar. in Metaph. diſp. 40. à ſect. 2. P. Luyſ. Turr. p. p. diſp. 13. P. Fas. t. 3. in 1. p. q. 27. a. 1. dubit. 13. Conimbric. lib. 3. de Anim. c. 4 q 3. a 3. Hurtad. diſp. 6. de Anim. à § 4. Arriag. diſp. 6. de Anim. à n. q. large confutans alias non admittentes intellectionem in qualitate conſiſtere, vt ipſe tuetur n. 37. & plures ex recentioribus referentes pro ſe S. Thomã, & præcipuos Thomiſtas, vt propterea refutanda videantur eorum verba, vbi à nobis ſtare illos cenſerimus. Ex tanta diuerſitate ſententiarum circa naturam, & eſſentiã intellectionis, ortæ ſunt etiam conſequentię non eædem, & veluti concluſiones diſcrepantes circa poſſibilitatem obedientialem actuum vitalium intellectus, & voluntatis creatæ, an videlicet ita eſſentialiter pendeant à ſuis potentijs, vt implicet produci ſine concurſu ipſarum, an vero tantum naturaliter id poſtulent, abſolute autem à Deo ſolo pendere non repugnet; vt contingit in accidentibus, quæ natura ſua poſſunt fieri, & eſſe dependenter à ſubiecto; ſed poſſunt ſupernaturaliter fieri, & conſeruari ſine illo, vt in Euchariſtia. XIV.

Prima ſententia conſtituens rationem intellectionis in qualitate negat eſſe producibilem à Deo ſolo ita Vaſq. 1. 2. diſp. q. c. 3. quia impoſſibile eſt ſine noſtra efficacitate nos aliquid intelligere, aut appetere. Sed quid ſi per actum à Deo productum non dicamur apprehendere, aut appetere; veluti ſi producerẽtur in lapide, ac ligno? ideo vtitur alijs argumentis infra ſoluendis tàm ex auctoritate quam profect. vt S. Thomæ, ac Thomiſtarum; quàm ex ratione, quam putat ſolidiſſimam.

Secunda ſententia omnino contraria affirmat non ſolum poſſe, ſed etiam de facto produci actus vitales à Deo ſolo, neque diſtinguit in illis actionem à termino & quidẽ quod attinet ad actus viæ opinantur aliquod primum velle voluntatis eſſe actiue à Deo ſolo, vt Argentina citatus à Soario lib. 7. de Angelis c. 20. & fa-

Digitized by Google

uere videtur S. Paul. Philipp. cap. 2. *Qui operatur in vobis velle, & perficere.* Sed quocumque modo explicetur locus iſte, nunquam excluditur concurſus Phyſicus voluntatis cooperantis, dum Deus actum eius operatur vt ſuprà diximus, & oſtendit idem Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 5. Et Cornelius à Lapide in illa verba adducens varias Patrum interpretationes contra hæreticos tribuentes ſoli Deo totum actum volendi, & illum immittenti arbitrio vt ſeruo recipienti; quod nullus Catholicorum aſſerit de actu libero, quicquid de indeliberatis aliqui ſenſerint, vt Argent. cit. de p. velle, & Vega in Trid. l. 6. cap. 8. de quibuſdam illuminationibus viæ; & de motionibus gratiæ præuenientis poſitis in ſanctis cogitationibus, & piis affectionibus probabiliter P. à monte Piloſo diſp. 20. a. 8. num. 5. tom. 1. partis primæ.

Quoad actus vero patriæ, eos à ſolo Deo produci autumant Ocham in 1. diſt. 1. q. 2. concl. 2. & in 2. q. 19. & cum eo Nominales reliqui Fabr. Marſ. Maior ect. Scotus manifeſte tenet eſſe poſſibile actus iſtos fieri à ſolo Deo, vt appáret ex diſt. 14. lib. 3. ſent. q. 1. & diſt. 4. q. 1. & ex lib. 4. diſt. 49. q. 11. etiamſi in quæſtione de facto ſit problematicus, vt videre eſt apud Fabrum in 3. diſp. 32. c. 2. ex recentioribus non diſtinguentibus terminum ab actione imminente. P. Arriag. diſp. cit. n. 47. fatetur intellectionem produci poſſe à Deo ſolo tam in intellectu, quàm extra, puta in lapide.

Ocham. Scotus. Faber.

Tertia ſententia eſt diſtinguentium actionem immanentem à termino, & hunc quidem à ſolo Deo produci poſſe aſſerentium; illam non item. Ita Soar. in Metaph. diſput. 48. ſect. 2. Hurtad. cit. diſp. 6. de Anim. § 4. & §. 94. & 104. & alij apud ipſos. qui conſequenter intellectionem adæquatè ſumptam eſſe producibilem ſine concurſu potentiæ vitalis negare debent, ſiue dicat in recto actionem, & terminum; ſiue vnum in recto, & alterum in obliquo, quod difficultatem præſentem de poſſibilitate non auget, ſi vtrumque neceſſarium eſt ad formalem, & completam rationem intellectionis, & denominationem intelligentis.

Soar. Hurtard.

Ad hanc tertiam pertinent, qui in intellectione diſtinguunt actionem, actum & verbum. vt P. Faſ. loc. cit. num. 248. aſſerens verbum procedere immediatè à potentia per actionem terminatam ad ipſum, & non ex termino actionis qui eſt actus vitalis. Alij non multiplicant tot entitates, ſed dicunt actum intelligendi non diſtingui à verbo mentis, & vnam tantum agnoſcunt actionem productiuam vnius termini, vt Soar. lib. 1. de myſt. Trinit. cap. 6. num. 7.

Notanda pro reſolutione ex doctrina SS. Thomæ, ac Bonauenturæ.

IN controuerſia animaſtica de natura & eſſentia intellectionis, quæ familiaris etiam Theologis eſt, & neceſſaria ad explicationem eorum, quæ pertinent ad proceſſionem Verbi in diuinis; & ad viſionem, qua Beati illud intuentur; placet diſtinguere cum tertia ſententia intellectionem, vt actio eſt, à termino per ipſam producto, qui qualitas quædam eſt, & variis nominibus appellatur, ſed illo in primis apud Theologos conſpicuo, verbi mentis, quod à ſacris litteris mutuati ſunt. Hæc proculdubio eſt doctrina S. Thomæ, quem quia diuerſimodè explicant recentiorum plerique eo conſilio, vt trahant in partes ſuas, operæ pretium eſt aliquot eius loca recitare, & veluti teſtes eius mentis conſtituere, vt conſtet de probabilitate ſententiæ, quam ſuppono potius quàm agito: quamuis enim aliqui parum referre putant ad præſentem difficultatem expediendam diſtinguatur-ne actio vitalis à ſuo termino, vel non; ego tamen multum commodi inuenio in diſtinctione, dato quod ſine illa poſſit ſententia quælibet iuxta ſua principia quæſtionem conficere. Igitur S. Th. 1. p. q. 27. a. 1. c. *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens; quam quidem conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis.* Et Caietanus ibid. §. Quoad ſecundum, vtitur iiſdem verbis S. Thom. ad hoc probandum, & infra q. 34. a. 1. *Ipſe*, inquit, *conceptus cordis de ratione ſua habet, quod ab alio procedat, ſcilicet à notitia concipientis.* Et in reſponſione ad ſecundum ex auctoritate S. Auguſt. lib. 9. Trin. c. 10. Verbum eſt notitia cum amore, ait. Cum ergo dicitur quod verbum eſt notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoſcentis, vel pro aliquo eius habitu: ſed pro eo quod intellectus concipit cognoſcendo. Vnde & Auguſtinus dicit quod Verbum eſt ſapientia genita: quod nihil aliud eſt, quàm ipſa conceptio ſapientis: quæ etiam parti modo notitia genita dici poteſt.

Intellectio vt actio eſt diſtinguitur à termino.

Lib. 1. cont. Gent. cap. 12. *Intellectus* (inquit) *per ſpeciem rei formatus intelligendo format in ſeipſo quandam inſtructionem rei intellectæ, quæ eſt ratio ipſius quam ſignificat definitio.* Et mox. *Hæc autem inſtructio intellectæ cum ſit quaſi terminus intelligibilis operationis, eſt aliud à ſpecie intelligibili, quæ facit intellectum in actu, quam oportet conſiderari vt intelligibilis operationis principium; &c.* Vbi Ferrar. ex profeſſo §. quinta eſt, probat diſtinctionem iſtam actionis à termino eius adductis aliis auctoritatibus S. Thomæ, & Capreoli; & cum de Beatis ſuſtineri poſſe aſſerat, & quod forment verbum, & quod non forment; de aliis cognoſcentibus determinate ſtatuit quod forment.

Idem habet S. Doct. l. 4. c. 11.

Præterea in lib. 2. ſent. diſt. 27. q. 2. a. 2. c. *Vnde oportet quod verbum vel dicatur ipſa operatio intelligendi, vel ipſa ſpecies, quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ; & ſine vtroque iſtorum non poteſt quis intelligere, vtrumque enim iſtorum eſt id, quo quis intelligit formaliter, &c.* Quam expreſſam auctoritatem forte non aduerterunt qui mirantur perſuadere volentes in vtroque poſitam rationem intellectionis à S. Thoma, vt bene aduertit P. Hurt. diſp. 6. de Anim. à §. 4.

Ex qua etiam intelligitur loqui S. Doctorem de eſſentia intellectionis, quæ ſine vtroque iſtorum non conſiſtit; ac proinde impoſſibile abſolutè non produci ab intellectu.

S.Th. De verit. q. 4. a. 2. *Secundum in nobis dicere non ſolum ſignificat intelligere; ſed intelligere cum hoc quod eſt ex ſe exprimere aliquam conceptionem; nec aliter poſſumus intelligere niſi huiuſmodi conceptionem exprimendo; & ideo omne intelligere in nobis proprie loquendo eſt dicere.* Similia ibidem habet a. 5. Et de Potentia, q. 8. a. 1. diſtinguens conceptionem ab intellectione, ait, *oritur quidem* (nempe verbum) *ab intellectu per ſuum actum, eſt vero ſimilitudo rei intellectæ.* Quibus aliiſque pluribus auctoritatibus vtitur Capr in 1. diſt. 27. q. 2. a. 1. ad formandam concluſionem primam, quæ eſt hæc. Verbum intellectus noſtri eſt illa conceptio, vel intentio, vel ſimilitudo rei, quam intelligens per actum intelligendi producit. quod repetit diſt. 35. quæſt. 1. a. 1. concluſ. 1.

Igitur S. Thomas, Capreolus, Caietanus, Ferrarienſis, manifeſtè agnoſcunt in intellectione actionem, & terminum ab ea diſtinctum; quod idem ſentiunt, & explicant alij Thomiſtæ ob loca citata S. Thomæ; licet diſſentiant primò quia nonnulli faciunt verbum de intrinſeca ratione intellectionis, ita vt nulla ſit intellectio ſine verbo, vt Bannes, 1. p. q. 27. a. 1. dub. 1. 2. p. citans Ferrar. & alios. quidã verò negant eſſe verbũ de ratione intellectionis, vt Caiet. ibid. quia quando obiectum eſt immateriale, & ex natura ſua coniunctum intellectui non neceſſario produci putant verbum; ſed ſolum quando eſt abſens, vel non proportionatum ob ſuam immaterialitatem, & ideo non poteſt ad ipſum immediate terminari intellectio, cum terminus non ſit ipſi proportionatus, niſi proportionetur per verbum.

Deinde diſſentiunt: quia quidam negant verbum eſſe obiectum directè intellectum, & ſolum dicunt eſſe in quo cognoſcitur res, quam repræſentat, licet poſſit directe cognoſci reflexa cognitione. Alij affirmant directe cognoſci, quia S. Thom. q. 4. de ver. a. 2. 2. ait verbum non ſolum eſſe id quod intelligitur; ſed etiã id, in quo res intelligitur. Quod etiam habet de Pœnit. q. 9. a. 5. & lib. 4. cont. gent. cap. 11. ita cum Capr. & Caiet. Bannes, loc. cit. concl. 7. ad 3. Alij dicunt quod verbum in ratione obiecti non intelligitur niſi reflexè; in ratione vero imaginis rei directè, & eodem actu, quo res vt Sylueſt. in Conflat. q. 27. a. 1.

Tertiò diſſentiunt in aſſignando modo diſtinctionis; nam Sylu. loc. cit. ponit ſolum diſtinctionem formalem, non explicans in quo conſiſtat hæc formalitas, niſi quod initio reputat veram Scoti & Durandi ſententiam non diſtinguentium hæc duo niſi per conſiderationem diuerſam, quæ cadit ſuper eandem rem vt eſt in fieri, & facto eſſe. Citantur etiam à Bann. dub. 3. q. illius 27. a. 1. Victoria, ac Scotus. A quibus ipſe recedit probabilius diſtinguens vt rem à re, cum Caiet. ibid. dub. 4. Ferrar. l. 4. cont. Gent. c. 53. & aliis. Ad quos propius accedunt ponentes diſpoſitionem modalem, ſeu ex natura rei. Soar. Hurtad. & alij ſuprà.

Hæc dicta ſunt ad indicandam ſententiam S. Thomæ, & Thomiſtarum principalium, quàm multiplici auctoritate Ariſtotelis, & Patrum probare ſatagunt; & ſuppono vt probabile, abſtinens à diſcuſſione prolixiore, quæ potius Philoſophorum eſt de Anim. eiuſque functionibus diſputantium; Præſertim quia quicquid iſti dicant, pluris facienda eſt auctoritas SS. Patrum, qua vtitur S. Thomas ad hoc probandum. *Neceſſe eſt, cum ſcimus ex ipſa ſcientia naſcatur verbum*, ait Aug. l. 15. Trin. c. 10. S. Auguſt. & cap. 15. *Verbum noſtrum intimum niſi noſtra cogitatione non diſcitur.* Et alibi ſæpe eodem modo loquitur, etiamſi aliquando videatur verbum pro notitia accipere, quia ſupponit diſtinctionem productionis à termino non ſemel traditam. Idem docet S. Anſelm. in Monil. c. 31. & alij apud recentiores. Propterea

Eodem loquendi modo explicat S. Bonau. S. Bonau in 1. diſt. 27. p. 2. rationem verbi quo, & S. Thomas. Verba illius q. 1. a. 1. hæc ſunt. *Loqui ad ſe nihil aliud eſt, quàm aliquid mente concipere. Mens autem concipit intelligendo, & intelligendo aliud concipit ſimile alij; intelligendo ſe concipit ſimile ſibi, quia intelligentia aſſimilatur intellecto. Mens igitur dicendo ſe, apud ſe concipit per omnia ſibi ſimile, & hoc eſt verbum conceptum*, &c. eſt ergo in intellectione mens virtus intellectiua: conceptio, & ſimilitudo ab illa formata, quod eſt verbum.

Et in reſponſione ad primum ex Auguſt. q. Trin. cap. 10. Verbum eſt cum amore notitia, inferens verbum eſſe nomen eſſentiale, quia notitia eſt eſſentialiter dictum. *Dicendum* (inquit) *quod iſta non eſt tota ratio verbi, ſicut nec noſſe eſt tota ratio dicere, & manifeſtare; ſed neceſſe eſt, quod cadat ibi conceptum*, igitur præter conceptionem ſeu actum cognoſcendi, requirit S. Bonau. conceptum, quod nos verbum appellamus. Et ne dicas illum loqui de dicere diuino, ſubdit in reſponſione ad ſecundum, quod intuitus *non eſt ſine concepto vt in nobis, & in Patre.* Et in reſponſione ad tertium. *Dicere* (inquit) *apud ſe eſt cogitando ſine intelligendo ſe, conceptum gignere.* Et ita paſſim loquitur vſque ad finem diſtinctionis, præſertim q. 3. vbi ex Anſelm. in Monol. c. 3. ait, S. Anſelm. *Cum cogito notum hominem abſentem, formas aciei cogitationis in ſe talem imaginem eius, qualem illum per viſum oculorum in memoriam contraxit, qua imago in cognitione verbum eſt eiuſdem hominis, quem cogitando dico. Habet igitur mens rationalis cum cogitando ſe intelligit ſecum imaginem ſuam ex ſe natam*, &c. quæ verba indicant actionem, & terminum ab ea productum, ac diſtinctum.

Et in hoc ſenſu interpretantur S. Bonau. expoſitores eius Longæus, 1. p. q. 34. a. 1. §. ex dictis. Trigoſ. probabiliter, 1. p. q. 7. a. 1. dub. 6. §. mor. in theolog. diſp. tract. 10. q. 2. a. 1. ſect. 1. Theod. Foreſt. de Trin. diſp. 5. c. 2.

Prima Aſſertio.

XV. INtellectio vt ſignificat actionem intellectus concipientis eſſentialiter pendet ab ipſo, nec ſine concurſu eius fieri poteſt. Concluſio eſt vniuerſalis de intellectione vt actio eſt, ſiue diſtinguatur à termino, ſiue non, dummodo ſit de Prædicamento Actionis.

Fatetur Soar. lib. 2. de attribut. negat. c. 10. difficulter probari poſſe, aut ſuaderi talem actum à Deo fieri non poſſe; & meritò, nam

ſcat.

quòd communiter affertur ex ratione actus vitalis poſtulantis eſſentialem dependentiam à potentia vitali, eò quod ſit tendentia eius in obiectum ſibi intentionaliter vniendum, quæ tendentia dicit influxum & conatum eius, non euincit, vbi agitur de potentia abſoluta Dei. Dicet enim aduerſarius dependentiam hanc eſſe quidem eſſentialem, ſed non neceſſario actualem, quia non aſſignatur implicantia, cur non poſſit actu à ſolo Deo pendere, quod poſtulat naturaliter pendere à potentia vitali: exemplum eſt de accidente quod naturaliter pendet à ſubiecto, & tamen à ſolo Deo fieri & conſeruari poteſt ſine ſubiecto. Sicut ergo de eius eſſentia eſt dependentia aptitudinalis, non naturalis; ita erit & in actu vitali. Aut dicatur cur res aliæ à ſolo Deo fieri poſſint, & non actus vitalis.

Difficulter probatur quod intellectio à ſolo Deo procedi nequeat.

Neque item concludit altera ratio petita à modis, quorum natura dicitur eſſe actualiter modificare; ex quo infertur quod intellectio, quæ modus quidam eſt, non poſſit exiſtere quin actu modificet, quia ex ſuo conceptu ſpecifico eſt exercitium potentiæ vitalis vt ſic, & proinde habet eſſentialiter eſſe vitam in actu ſecundo.

Sed aſſumis ignotum, & incertum principium ad probandum ignotius. Vnde enim conſtat quod de ratione omnis modi ſit actu modificare, aut quod intellectio ſit actuale exercitium potentiæ vitalis, & non ſufficiat quod ſit habituale ſeu aptitudinale vt eſt accidentis ad inhærendum? Certè iſta duo æquipollent, non poſſe produci à Deo ſolo, & eſſentialiter dependere intellectionem à potentia intellectiua; & valet mutua illatio ab vno ad alterum, proinde petitur vel principium, ſi vnum reddatur pro ratione alterius; vel aſſignatur pro ratione id, cuius quæritur ratio: cum enim dicis, ideo non poteſt intellectio pendere à Deo ſolo, quia eſſentialiter pendet à potentia vitali, virtualiter aſſumis maiorem, quam omnes concedimus immutabiles eſſe eſſentias, & proinde quarum eſſentia eſt dependentia à tali cauſa actualis, non poſſe non pendere ab ipſa, ſi actu exiſtat; ſed minorem quam nego, ſcilicet quod intellectio ſit eſſentialiter dependentia actualis à potentia vitali, quomodo probas?

Aliunde igitur probanda eſt prædicta minor, vt maneat probata concluſio non quidem à priori, quod cum Soario ſupra fateor eſſe difficile, ſed à variis incommodis quæ ſuadere poſſunt impoſſibilitatem.

Primò, ſi poteſt à ſolo Deo produci intellectio, ergo poterit etiam in potentia vitali, & non ſolùm in ſubiecto extrinſeco: producat ergo illam eandem intellectionem numero, quam produxiſſet ipſe intellectus, peto an per eam formaliter intelligat intellectus? ſi neges, ergo aliquid aliud requiritur ad hoc vt verè & propriè intelligat; producat & hoc Deus, cur enim, ſi poteſt intellectionem producere, non poſſit etiam & omne requiſitum ad hoc vt intellectus formaliter ſit intelligens: aut ſi aliquid eſt quod non poſſit ſe ſolo, aſſignetur quid illud ſit, & cur illud eſſentialiter poſcat concurſum potentiæ vitalis, & non ipſa intellectio. Si verò reſpondeas per intellectionem à Deo productam intellectum formaliter, & proprie intelligere, ergo idem eſt intellectum intelligere per intellectionem à ſe mananté, & per intellectionem à Deo productam; quia intellectio non producitur per intellectionem, ſed ſeipſa; neque intellectus dicitur intelligere per actionem aliam, quàm per intellectionem à ſe productam, quæ ſi eadem numero poteſt produci à Deo ſolo, nihil plus aut minus habet in ſe, quàm ſi ipſe illum produceret, & proinde idem erit realiter Deum producere intellectionem in intellectu, & intellectum intelligere, quia hoc nihil eſt aliud, quàm habere in ſe intellectionem; vel ſi eſt aliquid aliud, ad hoc redit difficultas, an poſſit à Deo produci. Sic ergo arguo intellectum ex ſua virtute exire in actum ſecundum, ſeu producere in ſe intellectionem, non eſt idem, ac Deum ſolum illam eamdem in intellectu producere, ergo non poteſt à ſolo Deo intellectio produci. Antecedens eſt notum ex terminis; aliud enim eſt intellectum exire in actum ſecundum, & eſſe cauſam operantem; aliud nihil operari, & ſolum paſſiuè ſe habere. Conſequentia probatur, quia ſi formaliter intelligere, & realiter nihil inuoluit præter intellectionem, & verbum in potentia intellectiua receptum, cum poſſint hæc à Deo produci, ſi producantur, erunt prorſus omnia requiſita ad hoc vt dicatur formaliter intelligere, & idem erit ipſum intelligere, ac ſolum habere intellectionem à Deo productam. Cum igitur ex communi ſenſu ſapientiam intelligere dicatur intellectus, quando exercet actum vitæ prouenientem ex intrinſeca virtute operandi, & ex vita in actu primo, conſequenter dicendum eſt quod non ſolum paſſiuè ſe habet; ſed aliquo modo actiuè, ſicut & voluntas actiuè dicitur ſe mouere, vt S. Bonau. in 2. diſt. 26. dub. 1. text. hoc autem non facile explicatur, niſi aſſerendo, quod intellectio eſt eſſentialis dependentia ab ipſo, & ideo non poteſt fieri ſine ipſo concurrente: ſiue deinde voces concurſum iſtum, conatum, influxum, attentionem ad obiectum, hæc enim non differunt ab ipſa intellectione, & ſi differrent, fieret eadem quæſtio de ipſis.

Intellectus & voluntas actiuè cõcurrant oportet, vt dicatur intelligere.

Secundò, ſi poteſt fieri cognitio à Deo ſolo in intellectu, poterit etiam conſeruari: quæ igitur facta fuit ab ipſo, & conſeruata per horam ſimul cum Deo, vt cauſa vniuerſali concurrente cum cauſis ſecundis, incipiat conſeruari ab ipſo ſolo efficienter, concurrente potentia ſolum paſſiue, certum eſt fieri mutationem realem, quia deſinit intellectus influere, & Deus ſolus incipiat conſeruare, qui antea non conſeruabat ſolus; peto in quo facta ſit mutatio? non in Deo immutabili; non in intellectu, quia habet omnia quæ habuit per totam horam, neque in ipſa intellectione quæ ponitur eadem numero, igitur impoſſibilis eſt huiuſmodi mutatio: Eſſet autem poſſibilis, ſi poſſet intellectio non pendere actualiter à potentia intellectiua.

Dices deſinere influxum intellectus. Sed quomodo, ſi hic non differt ab ipſa intellectione; & ſi differret, fieret eadem difficultas de illo, quæ de intellectione.

Dices rurſus forte tum mutationem quia intellectæ inciperit conſeruari per nouam actionem Dei.

Contrà, quia antea non conſeruabatur per actionem diſtinctam, ſed ſeipſa pendebat à Deo, ſicut & aliæ actiones; alioqui cum intellectus etiam concurreret ad conſeruationem, etiam ipſe per aliam diſtinctam actionem conſeruaſſet; & rurſus de illa actione quæreretur, an eſſentialiter pendeat à potentia vitali? Quod ſi intellectio ſeipſa pendebat, manens in eadem potentia nihil amittit, vel acquirit ab intellectu de nouo, atque ita eodem modo conſeruatur contra ſuppoſitionem quod incipiat conſeruari à ſolo Deo. quæ ratio militat in omni actione, diſtincta à ſuo termino, v.g in illuminatione per quam ſol producit lumen in aëre; ſi enim illa pendere poteſt à Deo ſolo, incipiat lumen conſeruari ab illa vt ſit à Deo ſolo, & non à ſole; quæ erit mutatio, vel in quo requiſita ad hunc tranſitum? non in Deo, non in ſole; neque in ipſa illuminatione quæ manet eadem, in quo igitur?

In ipſa inquies actione quæ ſucceſſiua eſt, & ideo poſt horam pars eius à ſolo Deo eſt, cũ reliquæ præcedentes fuerint à Deo, & ſole.

Contrà, quia omnes partes præcedentes eædem numero potuiſſent eſſe à ſolo Deo, ſicut & ſequentes; & ſimiliter potuiſſent eſſe à Deo & ſole, ſi omnia quæ fiunt à Deo, & cauſis ſecundis, poſſunt fieri ab ipſo ſolo: in quo ergo fuiſſet varietas, ſi illuminatio & lumen fuiſſent eadem numero ſiue à Deo ſolo, ſiue à ſole ſimul concurrente producta, vel conſeruata eſſent? ſi quidem neque in Deo, neque in ſole vt ſupponimus. Quidam ad mutationem hanc requirunt impedimentum aliquod de nouo à Deo productum in intellectu; ſed hæc reſponſio paulo fuſius confutanda eſt in fine Diſputationis quartæ, cum ſit vniuerſalis de omni actione.

Tertio, declaratur hæc magis. ſi enim Deus decreuiſſet ſeipſo conſeruare intellectionem, & illuminationem eandem numero; vel producere ſe ſolo quæ producta eſt ab intellectu, vel à ſole; quid à parte rei reſpondiſſet huic decreto diuerſum ab obiecto quod reſpondiſſet decreto producendi, aut conſeruandi illas actiones ſimul cum ſuis cauſis intellectu, & ſole? Certe difficile eſt aſſignare diuerſitatem aliquã in effectu externo, quia illuminatio, & intellectio ſupponuntur eſſe eædem numero; & neque in cauſis, neque in effectis eſt vlla varietas, quæ tamen deberet eſſe, ſi decreta ſunt diuerſa. Dices eſſe finem diuerſum. Sed infrà oſtendam poſſe eandem numero actionem habere fines diuerſos. Signum eſt igitur non eſſe poſſibilem hypotheſi, & cauſam impoſſibilitatis eſſe dependentiam eſſentialem intellectionis à potentia vitali, ſicut & aliarum actionum à ſuis cauſis.

Intellectio eſſentialiter pendet ab intellectu.

Quartò, ſi eadem numero actio, quæ fit ab intellectu, vel ab alia cauſa, poteſt fieri à Deo ſolo, ergo ad actionem datur actio, & dependentia dependentiæ, contra receptum axioma, quod quæ ſeipſis ſunt talia, & ſunt ratio per ſui communicationem aliis vt ſint etiam talia, non poſſunt ipſa per quid diuerſum eſſe talia, vt patet in quantitate, quæ eſt ratio talis extenſionis impenetrabilis, & ipſa non eſt extenſa per aliud; In exiſtentia, quæ dat formaliter exiſtere, & ipſa per ſe exiſtit: Non ergo actio, quæ eſt ratio, per quam effectus dependent, poteſt ipſa per aliam dependentiam dependere, & proinde nec intellectio quæ pendet ſeipſa ab intellectu, dependere poteſt per aliam dependentiam à Deo.

Quæ ſeipſis ſunt talia, non poſſunt per aliud formaliter reddi talia.

Quintò, non poteſt actus voluntatis, vt dicit operationem, ſeu actionem produci ſine voluntate ipſa concurrente, ergo neque actus intellectus. Sequela patet à paritate: vtraque enim potentia eſt vitalis, ſpiritualis, actiua immanenter. Antecedens probatur tum ex S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 2. detinet voluntatem non poſſe moueri affectu charitatis ſine aliqua ſui efficacitate; & idem eſt de aliis affectibus eius; tum ratione quæ multiplex afferri poteſt; ſed hæc in primis, quia idem actus eſſet liber & non liber, ac proinde bonus moraliter, laudabilis, & meritorius; & ſine iſtis conditionibus. Nam libertas in actu nihil dicit niſi entitatem actus à potentia libere operante manantem, ad quod ſufficit aduertentia ad bonitatem, ac malitiam obiecti propoſiti cum indifferentia; poſita ergo per potentiam abſoluram aduertentia ſine concurſu intellectus, vt admittis, & eodem actu numero in voluntate à Deo, ſine concurſu voluntatis, erunt omnia requiſita ad libertatem, bonitatem ect. quia nihil aliud in ſuo conceptu inuoluit actus liber.

Actus voluntatis nõ poteſt à ſolo produci.

S. Thom.

Dices includere præterea concurſum voluntatis libere ſe determinantis. Bene eſt; ſed hic concurſus nihil eſt aliud, quam ipſa operatio voluntatis, ſeu entitas actus liberi, etiam per te non ponentem vllam actionem diſtinctam ab ipſo actu; Igitur poſito actu, & aduertentia, ponitur quicquid requiritur ad libertatem. Quis autem dixerit hominem mereri, aut libere operari, qui ſolum paſſiue ſe habet in recipiendis actibus vitalibus à Deo productis? Confirmatur, quia eſt axioma receptum, quod de ratione voluntarij eſt vt ſit à principio intrinſeco, vt S. Thom. loc. cit. 2.2. q. 23. a. 2. ex dictis 1. 2. q. 6. a. 1. 2. Et S. Bonau. in 2. diſt. 22. a. 2. q. 3. ad argum.

Nec valet dicere, quod eſt aptitudinaliter à principio intrinſeco, quatenus exigit eſſe ab illo: nam S. Thomas probat implicare contradictionem quod diligere non ſit voluntarium, & proinde quod ſolum ſit à Spiritu Sancto, & non à voluntate, ſupponens ad rationem voluntarij requiri concurſum actualem voluntatis. Vnde

Nec valet diſtinctio de voluntario vt dicit rationem liberi oppoſitam neceſſario; & rationem naturalis vt oppoſitam violento, quaſi in primo ſenſu non poſſit eſſe à ſolo Deo, ſed in ſecundo. Nam paulo ante oſtẽdi ex data hypotheſi aduerſarij poſſe eſſe actum voluntatis liberum etiam à ſolo Deo productum, quod eſt abſurdum etiam per te quanquam enim denominatio liberi ſit à potentia indifferentiæ, tamen inuoluit in ſuo conceptu determinationem ipſius ad vnam partem tanquam principij ſe mouentis, & non ſolum moti, vt patet ex dictis.

Sextò, Id etiam multò magis locum habet in actibus natura sua malis; quanquam enim entitas ipsa physica præcisa malitia sit bonum quodam naturæ; tamen vt libere fit, & aduertenter ad malum, moraliter est quid malum: Ergo si potest Deus se solo producere actum aduertendi in intellectu, & voluntate, poterit etiam actus malos, quia malitia sequitur ad entitatem physicam volitionis cum aduertentia.

Neque rursus valet dicere, quod volitio vt est à Deo non est mala, sed vt est ab homine, nam hoc esse ab homine non habet locum vbi actio non est ab ipso, sed in ipso tantum, & nihil inuoluit præter actionem ipsam quæ seipsa dependet; & non per aliam actionem: posito igitur in voluntate actu, cùm aduertentia intellectus, ponuntur realiter omnia requisita ad malitiam. Ex quibus apparet huiusmodi immanentes operationes essentialiter esse dependentias à suis potentiis, & non posse fieri suppositiones dependentiæ totalis à Deo, nisi impossibilis, à quibus sequuntur impossibilia, & contradictoria, iuxta doctrinam Philosophi lib. 1. Phys. c. 11. quorum nullum sequitur si dicatur de ratione operationum immanentium intellectus ac voluntatis esse, vt fiant à suis potentiis, vt principiis intrinsecis dantibus esse vitale; siquidem & aliæ actiones causarum transeunter operantium debent procedere ab illis, & eas respectu transcendentali, ac essentiali respicere. Idque ex suppositione quod sint veræ actiones à suis terminis distinctæ, in sententia longè probabilissima SS Bonauent. ac Thomæ, Soarij ac aliorum grauium Theologorum, ac Philosophorum; & in communi omnium sensu quod intelligere, & velle sint quoddam pati cum influxu tamen, & vitali quadam motione, seu exercitio suarum potentiarum habentium intrinsecam virtutem tendendi in obiecta per actus elicitos, in quo differunt ab inanimis illa carentibus. Huiusmodi namque tendentiæ actiones sunt, quia illis etiam conuenit dictum Philosophi 1. Polit. c. 3. vita certe actio est, & non factio; & loquitur de iis non vt qualitates sunt, sed vt operationes propriæ, vt apparet ex discursu de instrumentis necessariis ad illas, quæ vere, & proprie operantur: quo etiam sensu lib. 10. eod. c. 3. negat voluptatem, & operationem virtutis esse qualitates. Et in Prædicamento Actionis reponit tristitiam, & dolorem: vnde & Damas. in sua Dialect. c. de Actione speciem actionis ait esse intelligere; quæ si de quadam tantum similitudine interpreteris liberum facis aditum ad dicta per similitudinem asserenda, quæ contra & faciunt in textu Aristotelis, & Patrum, & vix erit firma regula germanæ interpretationis: vt iccirco magis ad mentem Aristotelis locuti videantur, qui licet negent terminos ab huiusmodi Animæ operationibus distinctos, quia sunt immanentes nihil post se relinquentes; tamen concedunt esse verè actiones, & functiones vitæ, quicquid sit deinceps de appellatione qualitatis, quam alij tribuendam contendunt actibus intellectus, ac voluntatis. De qua controuersia magna ex parte nominis cura sit Animasticis: solummodo aduerto rationes supra factas æquè valere in hac vtraque opinatione, quia siue actio immanens habeat terminum à se distinctum, siue non, essentialiter pendet à principio vitali intrinseco; Quamuis terminus probabilissimè distinguendus non ita pendeat. pro quo sit

Intelligere, & velle dicunt influxum a potentijs vitalibus.

Vita actio est & non factio ex Aristotele.

Tristitia, & dolor in prædicamento actionis sunt per Aristotelē.

Secunda Assertio.

XVI. VErbum mentis, si est qualitas distincta ab actione intellectus illius productiua, non ita necessario ab illa pendet, vt repugnet per diuinam potentiam produci. Est Soarij, Hurtadi, & aliorum, qui de facto visionem beatam à solo Deo produci; aut saltem qui de possibili produci posse arbitrantur vt supra retulimus: & esse S. Thomæ suadet auctoritas Thomistarum, quæ & hic verbaliter inferenda est, vt constet gratis eam citari in contrarium. Capr. ergo in 4. sent. dist. 49. q. 4. a. 3. ad 4. ex dubijs quarto loco adductis, *Dicitur enim* (inquit) *quod Deus sine lumine creato posset facere illud accidens, per quod nunc intellectus creatus videt Deum; sed in illo casu intellectus creatus per tale accidens nihil videret, quia illud non efficeret, cum excedat naturalem facultatem suam: Visio autem creata est actus immanens elicienti, & producenti illam*, quasi dicat verbum quidem mentis potest à Deo solo sine concursu luminis, & intellectus produci; ipsa autem visio, siue actio non potest, quia de ratione eius est vt producatur à principio cui inhæret.

Capreol.

Capr.

Ferrar. lib. 3. cont. Gent. c. 54. §. ad 1. dicitur. *Deus*, ait, *illam entitatem, quæ est visio diuinæ essentiæ, potest per se absque lumine gloriæ, & etiam absque intellectu creato producere; non tamen potest sic eam producere, quod intellectus per eam videat diuinam essentiam, nisi concurrat intellectus ipse creatus ad producendam visionem sufficienter dispositus, & eleuatus per lumen gloriæ ad ipsam diuinam formam sic videndam, & ad elicendam talem visionem.* Agnoscit ergo in visione & actionem, & terminum & hunc à Deo producibilem sine concursu intellectus; illam non item, ideo non diceretur videre nisi cocurreret, hoc est simul produceret verbum, quod agere ipsius intellectus essentialiter est ab illo pendens. Consequenter se non formaretur verbum ab intellectu beatorum non posset visio produci à solo Deo; quia est operatio vitalis, etiam si non distingueretur à verbo. Sotus in 4. dist. 49. q. 2. a. 4. sic loquitur, *Et si quamcumque entitatem quam Deus per causam secundam profert, possit & se solo proferre, non tamen sine causa secunda efficere potest, vt ipsa faciat. Potest*, inquam, *entitatem quæ est meritum, nempe orationem sine me proferre; non tamen potest ipse se solo mereri, quia mereri est actio creaturæ. Sicut si potest entitatem quæ est visio sine oculo meo producere; facere tamen non potest vt ego videam, nisi videndi virtutem mihi tribuerit, &c.* quod si aliquid in actione est quod Deus potest se solo facere, aliquid quod non potest; illud est terminus, hoc vero est ipsa actio, & ideo pro ratione affert Sotus, quia mereri est actio creaturæ. His adnumerantur Maior. Hieron. Angelt. & alij

Ferrar.

apud Vaſq. cit. diſp. 9. c. 2. in 1. 2. Eſt autem maior ratio actuum voluntatis quod poſſibilitatem productionis termini ſine concurſu eius; vt meritò proinde dixerit Capr. in 2. diſt. 37. ad 5 Gregorij. *In quolibet actu iuni duo conſideranda: primum eſt ſubſtantia actus; ſecundum eſt deformitas. Primum poteſt ſolus Deus producere, non autem ſecundum.* Per ſubſtantiam actus intellige vt habet rationem qualitatis, non vt habet rationem operationis, iuxta dicta in quarto de intellectione, vt ſuprà relatum eſt: habet autem rationem qualitatis reſpectu termini producti, cum quo cenſetur facere vnum quid completum in genere actus: vnde ſi poneretur à Deo ſolo qualitas in voluntate, vel in intellectu, non diceretur illa velle, vel hic intelligere, quia non eſſet actio iſtarum potentiarum, vt de ſenſatione docet idem Capreol. in 3. diſt. 14. q. 1. ad 20. Ioan. de Ripa & de intellectione in 4. diſt. 49. q. 4. a. 3. ad 1. Scoti contra 2. concluſ. quæ eſt expreſſa doctrina S. Thomæ, in 2. ſent. diſt. 27. cit. In eodem ſenſu accipiendum quod diximus ex Caiet. 1. p q. 79. a. 2. §. Quicumque autem elenare, & q. 34. a 1. fin. huiuſmodi actiones potius eſſe qualitates, quã actiones. & quod habet Valentia 1. p. diſp 8. q. 8. punc. 1. actiones vitales ſi per eas non ſignificatur ordo ad cauſam proximam à quo fiunt poſſe à ſolo Deo produci vt ſunt velle, & intelligere. hoc enim verum eſt reſpectu termini ipſarum, à quo vtpotè principaliori ſumitur denominatio intelligendi, volendi, &c. Nam actiones ipſæ dicunt ordinem eſſentialem ad cauſam proximam, non ſecus ac ambulare, gignere, ridere ad ſuas, & ideo ſine concurſu earum non poſſunt fieri, cum ſint ipſemet concurſus.

Probat eamdem aſſertionem Luiſ. Turrian. 1. p. diſp. ſelect. diſp. 13. in 4. quæſito iiſdem rationibus quibus Soarius & alij recentiores, cum quibus

Secundò, probabiliorem longe cenſeo hanc partem, quia non eſt cur eximatur à terminis diuinæ Potentiæ, & effatis Theologorum, ac Patrum illam commendantium quæ ſupra retulimus; v. g. quod Deus poſſit per ſeipſum facere quæ poteſt per cauſas ſecundas. Niſi aliqua appareat imperfectio minime Deo conueniens, aut repugnantia in obiecto, vt S. Bonau. & S. Thom. ſuprà. Item quod omnem qualitatem & effectum poſitiuum procedentem à cauſis agentibus ſecundis, qui non ſit eſſentialis dependentia ab ipſis cauſate poſſit per ſuam virtutem eminenter continentem omnes perfectiones cauſarum ſecundarum, & omnem actiuitatem earum. Eſſentialis autem huiuſmodi dependentia verbi, aut alterius termini vitalis à potentiis vitalibus non eſt cur aſſeratur data probabiliter diſtinctione eius ab actione productiua in noſtra ſententia; aut in contraria non diſtinguente, admiſſa abſoluta entitate qualitatis immediate productæ à potentia operante quidem, ſed non actione diſtincta, actus vitales iuxta illam: nam vtraque nititur illis maximis, à quibus nulla ratio conuincit exoipi debere huiuſmodi actus ob ſingularem repugnantiam, quæ hactenus non eſt demonſtrata.

Confirmatur, quia termini aliarum actionum tam vitalium, quàm non vitalium poſſunt à ſolo Deo produci, ergo & intellectionis. Antecedens patet inductione. Idem enim viuens, quod producitur à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ, aut non coniuncto, poteſt à ſola Deo produci, puta Abel genitus ab Adamo potuit à Deo ſolo fieri, idem flos, vel fructus qui ab arbore ſimiliter: eadem ſubſtantia genita carnis, ſanguinis ſpirituum quæ à nutritiua, potuit ſine illa formari à Deo, & ſic de cæt. ergo & eadem qualitas mentis quæ producitur ab intellectu, produci poteſt à Deo ſine concurſu intellectus. Termini actionum à ſolo Deo poſſunt produci.

Confirmatur 2. Quia quoad hoc eſt eadem ratio ſpeciei impreſſæ & expreſſæ, vtraque enim eſt ſimilitudo obiecti licet diuerſo modo, vt ſuppono ex libris de Anima; At ſpecies impreſſa poteſt à Deo ſolo produci, & de facto in Angelis inditæ ſunt ſpecies initio creationis vt S. Bonau. in 2. diſt. 3. a. 2. q. 1. & S. Thomas 1. p. q. 55. a. 2. Soar. de Ang. lib. 2. à c. 6. 7. &c. Ergo etiam poteſt & expreſſa produci, quia nulla ratio conuenit quod ſit eſſentialis dependentia ab intellectu, vt patebit ex ſolutione argumentorum. Species impreſſæ inditæ Angelis in creatione.

Confirmatur 3. quia idem verbum mentis quod producitur ab intellectu poteſt per diuinam potentiam produci ab aliqua cauſa inſtrumentali ſimul concurrente, ergo non poſtulat eſſentialiter produci per actionem intellectus. Antecedens probatur, quia ſi poteſt naturaliter concurrere habitus, ſpecies impreſſa, &c. cur non poterit diuinitus alia creatura vt inſtrumentum, vbi enim implicantia? ſequela probatur, quia actio per inſtrumentum non eſt eadem quæ per potentiam ſine inſtrumento. neque aliunde oſtenditur, cur repugnet qualitatem hanc produci per actionem non vitalem, præſertim ab agente infinitæ virtutis.

Solutio Argumentorum contra duas præcedentes Aſſertiones.

CAPVT VI.

PRimum eſt contra primam: quia ſi Deus ſe ſolo poteſt efficere quod poteſt cum cauſis ſecundis, ergo etiam poteſt efficere ſolus intellectionem, vt actio eſt, quia ad illam concurrit ordinariè cum intellectu. ſequela quidem negatur à te, ſed oſtendenda eſt repugnantia, admiſſa ſemel diſtinctione actionis ab agente, & termino. XVII.

Confirmatur: quia etiam ſi non diſtingueretur actio immanens à termino, ſiue dicenda eſſet actio ſolum grammaticaliter, & æquiuocè, eò quod propriè ſit qualitas; ſiue etiam proprie, & realiter actio de Prædicamento Actionis; nihilominus poteſt conſiderari vt habet rationem qualitatis efficientis intellectum, & vt habet rationem operationis, ac tendentiæ in obiectum: cur igitur ſecundum priorem conſiderationem non poſſet à Deo produci, ita tamen vt non det denominationem intelligentis, ſi non concurrat intellectus

Digitized by Google

tellectus, vt Ferrar. & Capreol. ſupra citati.

In potentia vitali triplex eſt ratio principii, productiui, receptiui, operatiui ſecundum Scotum.

Confirmatur ſecundò in via Scoti differunt intelligere, & intellectionem efficere, quia in potentia vitali triplex eſt ratio principij, productiui, receptiui, operatiui: productiuum dicitur quatenus actum edit: receptiuum quatenus illum recipit: operatiuum quatenus potentia actus informata in obiectum tendit, & vitaliter illud percipit. Primum eſt in genere cauſæ efficientis. Secundum in genere cauſæ materialis. Tertium in genere cauſæ quaſi formalis. Intelligere eſt operatio principij operatiui, qua potentia vitaliter tendit in ſuum obiectum; efficere autem intellectionem eſt producere dictum actum per concurſum phyſicum in genere cauſæ efficientis. Et idem proportionaliter eſt de voluntate, vt Scot. in 1. ſent. diſt. 39. ſub lit. L. Dato igitur quod Deus nequeat ſupplere ſecundum, ac tertium, cum neque munus cauſæ materialis & formalis quæ inuoluunt in ſuo conceptu imperfectionem; cur non poterit primum, quod pertinet ad cauſam efficientem, & nullam dicit imperfectionem?

Confirmatur tertiò, quia ſeipſa poteſt producere potentiam intellectiuam; ſpeciem impreſſam, quæ eſt ſimilitudo qua obiecti, ſpeciem expreſſam per te, quæ eſt ſimilitudo quæ, & breuiter quæcumque concurrunt ad intellectionem; igitur poterit etiam ipſam actionem intellectiuam, ſiquidem & ipſa magis eſſentialiter pendet à Deo, quàm ab intellectu, ſicut & creatura omnis.

Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo antecedens: ſi non inuoluat eſſentialiter ordinem dependentiæ actualis à creatura, concedo quod Deus ſe ſolo poteſt quod eam creatura facit, ſecus ſi inuoluat, quæ vero huiuſmodi ſint quæ inuoluunt, ſuperius explicauimus: Hîc ſolum inter illa numeramus actiones vitales ob rationes in aſſertione allatas, quæ non valent in terminis ipſarum: ex adductis enim incommodis eò deuenitur, vt actio ſola à Deo producta ſit actio, & non ſit, quia ex vna parte probatur quod ſit eſſentialis dependentia à Potentia vitali; ex alia quod poſſit eſſe à Deo ſolo, quæ ſunt repugnantia: de termino autem actionis non probatur quia eſt de genere qualitatis: omnis autem qualitas producta à creatura poteſt à Deo ſolo produci, vt patet inductione omnium qualitatum quæ ſint propriè qualitates, & non modi, & ex eo quod non aſſignatur implicantia in vlla quæ ſit pura qualitas, qualis hîc dicitur eſſe terminus intellectionis.

Omnis qualitas producibilis à creatura, poteſt à ſolo Deo produci.

Ad primam confirmationem, ſi intellectio dicatur ratio ſolum grammaticaliter, & æquiuocè, poteſt à Deo ſolo fieri ſicut aliæ qualitates, & accidentia, quorum eſſe non conſiſtit in actuali dependentia à tali cauſa efficiente, vel ſubiectiua: ſi verò ſit actio proprie, & de prædicamento Actionis, perinde ſe habet quoad poſſe produci, ac aliæ actiones, quas ſuppono ex Philoſophia eſſe dependentias actuales, & formales à ſuis cauſis efficientibus, & proinde non poſſe eſſe ab aliis cauſis, in ſententia probabili diſtinguenti illas ab efficiente, & termino; Conſequenter diuerſam conſiderationem rationum actionis, & qualitatis non eſſe ſatis ad occurrendum incommodis, quæ ſequuntur admiſſa probabilitate productionis à Deo ſolo, quorum aliqua attigimus ſupra in prima aſſertione; & illud in primis quod idem affirmaretur, & negaretur de eadem actione, pura quod ſeipſa eſt eſſentialis dependentia à tali agente, & non eſſentialis, quia poteſt non pendere ab illo, quæ per variam conſiderationem variari non poteſt.

Actio propria eſt actualis dependentia à ſua cauſa efficiente.

Adde quod dicitur de diuerſa denominatione quam daret potentiæ, ſi ab ipſa produceretur, potius confirmare aſſertionem noſtram; ſi enim intellectio eadem numero quæ fieret ab intellectu cum Dei concurſu, poneretur à Deo ſolo in eodem, quid plus, aut minus haberet, quàm antea habuiſſet? quod enim dicitur de conatu, influxu proprio, attentione, tendentia in obiectum, aut ſi quod eſt aliud vocabulum conueniens intellectioni mananti à potentia, & non à Deo ſolo ipſi impreſſæ, verba ſunt nihil ſignificantia diuerſum ab entitate intellectionis, & receptione eius in potentia vitali. Vel igitur quando fit ab intellectu aliquid ſignificatur quod non eſt quando fit à ſolo Deo, & habeo intentum; dico enim illud nihil eſſe aliud quàm influxum vitalem potentiæ ab ipſa ſola producibilem: Vel nihil ſignificatur præter entitatem intellectionis, & eius receptionem in vtroque caſu, & proinde non eſt cur denegentur eadem vocabula, & denominationes; ſi quidem eſt eadem ratio formæ denominantis, & eadem aptitudo ſubiecti, ſeu potentiæ ad recipiendam denominationem.

Sunt etiam mera vocabula quod quando intellectio fit ab intellectu magis intime illi vnitur, & viuo modo; non autem quando fit à Deo ſolo. Vel enim per hæc ſignificatur aliquid in re quod adſit in vno caſu, & non in altero, & de illo quæro quid ſit, & an eſſentialiter pendeat à potentia vitali; an verò à ſolo Deo fieri poſſit, & ecce difficultas eadem quæ de intellectione eſt. Vel nihil ſignificatur diuerſum, & vnio magis intima aut viuo modo, ſunt meræ voces ad eludendum argumentum; ſi quidem actio iſta immanens ſeipſa vnitur potentiæ, & non per vnionem diſtinctam, etiam ſi terminus illam depoſuerit, vt putat Hurtad. diſput. 2. Metaph. à §. 91.

Ad ſecundam omnes, conuenimus in hoc, quod Deus neque recipit intellectionem, quam cauſat, neque viraliter per illum tendit in obiectum; quæſtio remanet de productione ipſa, quam nego ab eo ſolo pendere poſſe, quia eſt eſſentialiter; & ſeipſa actualis dependentia à potentia vitali. Proinde tres illæ rationes ſunt inſeparabiles, eſſe enim productiuum in potentia immanenter operante, fert ſecum neceſſario eſſe receptiuum, & operatiuum. Quod ſi ſeiungas primum à reliquis, & potentia non producat, ſed Deus ſolus, dicas obſecro quid amplius ſit in intellectione quam recipit intellectus, & per quam viraliter tendit in obiectum; quam eſſet ſi ad illam concurreret efficienter ſimul cum Deo; Idque vt clarius pateſcat fin-

ge intellectionem à Deo ſolo productam & conſeruatam incipere conſeruari efficienter etiam ab intellectu concurrente phyſice cum Deo, quid accidit de nouo ex parte intellectus, ratione cuius dicatur producere, ſeu conſeruare intellectionem, quàm antea non conſeruabat? Aut quid deſinit ex parte Dei, ratione cuius dicitur non conſeruare totaliter, quod antea conſeruabat? Mihi facilis eſt reſſio, quia nego fieri poſſe hunc tranſitum, eo quod actio ſit eſſentialis dependentia à ſua cauſa, & proinde non poſſit ab alia totaliter dependere; tibi non item affirmanti poſſe fieri, & incipere conſeruari à Deo ſolo intellectionem, quam tamen vis ſeipſa pendere, & non per diſtinctam actionem, ſiue à Deo ſolo fiat, ſiue ab intellectu ſimul cum eo: ſemper enim aſſignare debes, quid ſit noua dependentia quæ aduenit; aut quid ſit deſitio antiquæ quæ ceſſare ſupponitur.

Ad tertiam, Poteſt Deus ſeipſo producere intellectum, ſpeciem impreſſam, & ſpeciem expreſſam, ſeu verbum mentis, & non poteſt actionem productiuam, quia hæc eſſentialiter pendet à ſua cauſa, cuius eſt actuale exercitium, intelligere enim eſt intellectum exprimere vitaliter imaginem rei intellectæ, quod inuoluit attentionem quandam formaliter, & non ſolum materialiter, ſeu entitatiuè potentiæ exprimentis; qui ordo eſſentialis actualis non eſt in ipſa potentia, vel ſpecie ad cauſam creatam. Quod etiam liquidò apparet in actu libero voluntatis, qui ſi poſſet produci à Deo ſolo, neque eſſet voluntarius, quia de ratione voluntarij eſt eſſe à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, neque liber, quia non eſſet à potentia indifferente ad oppoſita, & ſe determinante ad vnum; quomodo enim ſe dicatur determinare ad vnum quod nihil agit, ſed ſolum paſſiuè ſe habet & non habet, vel non vtitur facultate reſpuendi quòd ipſi imprimitur ab extrinſeco agente ſuperiore?

De ratione voluntarii eſt eſſe à principio intrinſeco.

Dices fere eandem entitatem phyſicam actus, ſed non denominari liberam, & proinde moraliter cenſeri diuerſam, ſi à Deo ſolum fiat, quia libera eſt voluntas, primò in ordine ad actus oppoſitos; & deinde per illos ad obiecta diuerſa: quæ libertas non eſſet, ſi actus ab ipſa non procederent, eſſet tamen eadem entitas.

Contra, quia ſemper vrget quæſitum quid addat illud procedere à voluntate, ſeu fieri à voluntate, aut dependere ab illa, ſupra entitatem actus volendi, & aduertentiam ex parte intellectus repræſentantis obiectum cum indifferentia; ſi enim addit aliquid reale, quod eſſentialiter pendeat à voluntate, hoc eſt quod dico non poſſe fieri independenter ab illa. Si nihil addit, multiplicantur voces, & ſtat difficultas inſoluta. Poſito enim eodem actu, & eadem aduertentia eſſe à ſolo Deo, productis nulla eſt libertas, & mutua productione aut conſeruatione, quæ incipiat eſſe à libertate adeſt libertas, & non explicatur quid ſit noua productio, vel conſeruatio, neque in quo conſiſtat realis mutatio, ſublata actione voluntatis diſtincta à termino & eſſentialiter pendente ab ipſa. Et idem eſt ſi dicas actum à Deo productum habere rationem operandi, etiam ſi liberè à voluntate non fiat.

Secundum Argumentum contra eandem Aſſertionem.

INtellectus agens abſtrahit ſpecies à phantaſmatibus, vt S. Bonauent. in 2. diſt. 24. a. 2. q. 4. S. Thomas, 1. p. q. 54. a. 4. cap. & ad ſecundum; vnde & dicitur facere ſpirituales, & proximè intelligibiles res materiales deputando illas à materialitate; & tamen hæc deputatio poteſt à ſolo Deo fieri, quia nihil aliud eſt quàm formatio ſpecierum intelligibilium, quæ poſſunt à ſolo Deo fieri ex dictis ſupra; ergo poterit etiam ab eo ſolo pendere formatio ſpeciei expreſſæ, quæ eſt opus intellectus etiam agentis.

Confirmatur primò, quia ſpecies impreſſa pendet eſſentialiter ab obiecto, cuius eſt ſimilitudo repræſentatiua, & eo ablato auferretur & ſpecies; quia non poteſt eſſe ſimilitudo, niſi ſit alicuius ſimilitudo, & tamen independenter ab illo poteſt à Deo produci, ideſt illo non concurrente ad productionem, ergo etiam poterit non concurrente intellectu produci intellectio. Patet ſequela à paritate eſſentialis dependentiæ ſpeciei ab obiecto, & actionis vitalis à potentia vitali.

Confirmatur ſecundò, quia ſi quid obſtaret, maxime inter alia illud quod non poſſet intelligi mutatio in re, & tranſitus à contradictorio in contradictorium, admiſſa poſſibilitate productionis huiuſmodi actionum à Deo ſolo, ſed eadem difficultas manet, poſita neceſſitate concurſus potentiarum, ergo. Probatur minor, nam idem actus voluntatis poteſt ordinari à Deo ad vnum finem, & ad plures, puta actus dilectionis Chriſti Domini ad finem redemptionis hominum, & ad gloriam, ac exaltationem hominis eiuſdem; & idem homo poteſt dirigere eundem actum intellectus, ac voluntatis ad obtinendam miſericordiam proximo; vel ad promerendam ſibi; & iis caſibus fit mutatio aliqua manente actu immutato, igitur poterit fieri etiam manente eadem actione, ſolùm per extrinſecum ordinem.

Reſpondeo ad argumentum quod abſtractio ſpecierum facta ab intellectu agente, ſi eſt actio propriè dicta, non poteſt fieri ſine concurſu intellectus ob rationes allatas. Et ſpecies quidem poteſt à Deo ſolo produci, quia eſt accidens non eſſentialiter pendens ab intellectu, actio eius productiua non item; ſiue ſit vitalis, ſiue non ſit, ſecundum diuerſas ſententias apud Arriag. diſp. 2. de Anim. num. 96. Idque ob rationem vniuerſalem eſſentialis dependentiæ actionis à ſua cauſa efficiente.

Species impreſſa poteſt à ſolo Deo produci, non item actio eius productiua.

Ad primam confirmationem retorqueri poteſt argumentum, quia ſpecies pendet ab obiecto eſſentialiter, & non poteſt independenter ab illo produci, ideſt ita vt, non ſit eſſentialis eius ſimilitudo, ergo neque independenter actio à potentia, ita vt non ſit actualis eius dependentia.

Deinde in forma nego ſequelam. Ad probationem paritas fauet aſſertioni, diſparitas ſoluit argumentum: dependentia enim ſpeciei ab obiecto conſiſtit in quadam connexione, &

Digitized by Google

ordine transcendẽtali ad illud, qui non requirit existentiam, neque physicum influxum ad hoc vt ponatur in esse actuali, & ideo potest produci species sine influxu actiuo obiecti, licet non sine dependentia & ordine ad illud, cum sit eius similitudo: sed intellectio accipit esse actuale à potẽtia vitali efficaciter, & ideo supponit eius existentiam; & quia est essentialiter eius exercitium in actu secundo, & veluti modus eius postulat esse ab illa, & in illa recipi. Intelligere enim ait Caiet. 1. p. q. 79. a. 1. §. Quoad 2. vers. fin. proprie loquendo nihil aliud est quàm propriã operationẽ exercere.

Intellectio est essentialiter exercitiũ in actu secundo intellectus.

Ad 3. incommodum illud de transitu à contradictorio sufficiens est argumentum distinctionis inter intellectionẽ & terminũ eius; & efficax impossibilitatis dependentiæ à Deo solo, vt patet ex dictis. Neque exemplum de ordinatione actus ad diuersos fines obstat assertioni; nã si sermo sit de diuina, semper debet assignari in obiecto aliqua diuersitas, ratione cuius illa dicatur diuersa, quia cũ sit intrinsecè immutabilis entitas Dei, nõ potest variari, nisi variato obiecto, denominatio decreti ordinãtis ad vnum finem, sit ad alterum; siue deinde illa mutatio sit in ipsa actione, quam diuersam oporteat esse propter diuersos fines; siue in aliquo alio, de quo alibi dicam. Si verò de humana, ordinatio ad vnum finem vel est ipsa volitio rei alicuius ad talem finem, & sic variatur ad varietatem finium; Vel est extrinseca actio animi volentis suam operationẽ iam ordinatam ad vnũ finem ordinare etiam ad alium, & tunc ponitur aliquid de nouo à parte rei, ratione cuius verificatur transitus à contradictorio in contradictorium, dato quod possit eadem interior actio sic ordinari, quod est controuersum, & minime necessario discutiendũ hic pro solutione argumenti. In quo est manifesta disparitas actionis intellectus, immo vniuersaliter omnis actionis ab ordinatione; quia in hac assignatur aliqua realis mutatio, in illa non item, si dicatur quod actio incipiat pendere à solo Deo, cum antea penderet etiam ab intellectu, siquidem seipsa pendet, & desinente dependentia à potentia vitali, ipsa desinit, quæ est essentialiter dependentia: vel si perseuerat in esse, opus est assignare quid desinat, quando dicitur quod cessat dependentia à potentia; aut quid incipiat, quando dicitur totaliter dependere à Deo, à quo antea non dependebat totaliter.

Diuersa ordinatio Dei fert secum aliquam diuersitatem in obiecto extrinseco

Tertium Argumentum contra eandem.

NOn apparet cur non possit comparari intellectio ad Deum vt ad principium efficiens, non vt ratio qua intelligat, sed vt ratio quæ, seu terminus productionis eius; & ad intellectũ vt subiectum, tanquam ratio qua intelligit obiectũ sine concursu ipsius; sicut motus comparatur ad mouens, tãquam ratio quæ ab ipso producta, & ad mobile vt ad subiectũ tanquam ratio qua mouetur, quin efficiat motum. Neque obstat quod intellectio sit actio vitalis dicens essentialẽ ordinem ad principiũ vitale intrinsecum; ad hoc enim sufficit quod exigat esse ab illo, etiamsi miraculosè sit ab illo, vt de accidente supra dicebamus.

Confirmatur, quia ad intellectionem vt intellectio est, sufficit vt sit actualis ratio quia intellectus percipit obiectum, qua est actio tantum grãmaticaliter supponẽs terminum, circa quem versatur, & non efficiens illum, & ad hoc sufficit vt recipiatur in intellectu: exemplum esse potest in duratione. Sicut enim ad hoc vt res dicatur durare, satis est quod duratio ponatur à Deo in illa, secundum sententiam probabilem quod distinguatur; quæ est S. Bonau. ita & de intellectione dici potest.

Confirmatur 2. quia neque ratio vitalitatis obstat: sicut enim idem actus potest esse liber, & non liber per ordinem ad efficiens; ita dici posset, quod idem actus sit vitalis per ordinem ad potentiam vitalem, si concurrat effectiue ad ipsum, & non vitalem, si careat tali concursu, sicut de facto non dicitur intellectio vitalis, quatenus pendet à principio extrinseco, puta Deo vel lumine; & motus si sit à potentia vitali dicitur vitalis, non item si ab alio mouente; & idem est de nutritione, augmentatione, &c. si conuersio cibi in substantiam aliti, aut acquisitio extensionis fiat à solo Deo.

Neque valet si dicas quod intelligere est ipsa actualis operatio intellectus, & proinde inuoluit essentialiter concursum eius, quia vel est operatio realis, & propria; vel grammaticalis, & metaphorica; si primum petitur principium, quia de hoc est quæstio, & probandũ esset, non assumendum. Si secundum, nihil concluditur, quia talis actio potest se habere respectu agentis extrinseci, vt quod tanquam terminus productus; & respectu intellectus, vt quo, tanquam tendentia illius ad intelligibile, sicut motus est tendentia mobilis ad locum.

Neque item valet dicere fore vt intellectus intelligeret, & nõ intelligeret, quia nihil ageret; sed solum pateretur recipiendo visionem exempli gratia, beatã, aut aliam quãlibet, quia illa retineret sua prædicata essentialia, & esset tendentia intellectus ad tale obiectum, etiam sine illius concursu. Et ratio à priori est, quia sufficit receptio formæ in subiecto ad tribuendum effectum formalem, atque adeo visio daret effectum, & denominationem videntis à quocumque poneretur in intellectu; sicut dictum est de duratione, motu, & similibus.

Respondeo ad argum. implicantiam satis apparere ex incõmodis supra commemoratis in prima assertione. Exẽplum motus non euincit, tum quia in mea sentẽtia non est actio proprie productiua termini, puta vbi intrinseci, sed tãtum acquisitiua spatij extrinseci, intellectio autem est productiua termini, vt probatũ est. Et ideo non dicit ordinem essentialẽ ad hunc vel illum locum in particulari, neque postulat potius mouens intrinsecũ, quam extrinsecũ, ad hoc vt acquiratur talis locus. Tum quia intellectio ex eo quod est actio immanens, postulet principiũ intrinsecum, à quo fiat, & in quo recipiatur, non solũ aptitudinaliter, sed actualiter vt probatum est: & potissimum in sententia Philosophi distinguentis actionem in immanentem, & transeuntem locis supra citatis, & signanter 9. Metaph. tom. 6. *Quorum vero*, ait, *non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsis actio est, vt visio in vidente, & speculatio in speculante*, qui non admittit interpreta-

tionem de aptitudinali per miraculum à Deo factũ; neque enim tam alte philoſophatus eſt. Vt interim omittam ſimilitudinem non obſtare negantibus motum eſſe quid diſtinctum à mobili, & ſpatio vt ſentit Gregorius cum Nominalibus, in quorum ſententia diſparitas eſt, quia intellectio eſt quid diſtinctum à potentia, & obiecto, & habet cauſam ſui effectiuam, non item motus ſi realiter nihil eſt præter ſucceſſiuam exiſtentiam mobilis ad ſpatium, nihil reale includens præter ipſa extrema. Omitto, inquam, quia puto eſſe placitum deteſtantium multiplicationem entium, etiam vbi eſt neceſſaria.

Ex quo patet etiam diſparem eſſe rationem de accidente, quod poteſt ſolum aptitudinaliter eſſe in ſubiecto per exigentiam naturalem, quã retinet etiam miraculosè ſeparatum: nam aſſertio eſt de actione, quæ ſi ſit vitalis dicit ordinem eſſentialem ad agens, quod ſit etiam ipſius ſubiectum in quo recipiatur; ſi verò non vitalis reſpicit ſuam cauſam efficientem à qua pendet eſſentialiter & actualiter, vt ſuperius dixi, & infra in appendice diſputationis quarta repetiturus ſum.

Ad primam confirmationem, gratis aſſumitur quod intellectio ſit actio grammaticalis, eſt enim vera & propria actio immanens, ſupponens quidem obiectum, ſed efficiens terminum quo illud attingit; quod ex ſuperioribus patet non dici gratis ob rationes probabiles, & auctoritates. In quo eſt diſparitas à duratione, quæ neque eſt actio, neque poſtulat eſſentialiter cauſam talem; ſed eam ſolum quæ poſſit effectiuè producere modum formaliter conſtituentem rem durantem; In quo conuenit cum qualitatibus dantibus tale eſſe ſubiecto tantum formaliter.

Ad 2. Confirmationem nego aſſumptũ, vitalitas enim intellectionis eſt vitalitas actionis immanentis poſtulãtis eſſe in eo quo fit, idque actualiter, quia eſſentialiter eſt dependẽtia, & receptio actualis in ſuo principio; & cum de receptione id aſſeras, quia putas non poſſe recipi ſubiectiuè niſi in intellectu, nõ eſt quod neque dependẽtia effectiua, quod ſcilicet poſtulet actualem influxũ potentiæ intellectiuæ, & non ſolum aptitudinalem; alioqui idem dicam de receptione, motus exemplo tuo de accidente, quod ſolum aptitudine poſtulat ſubiectum, ſi ſit ſine illo ſuſtentante.

Nec valet quod affert de actu libero, ſed potius eſt contra te, nam ſicut iſte non poteſt eſſe niſi à voluntate à qua extrinſecè denominatur liber, ita neque intellectio niſi ab intellectu, à quo non ſolum denominationem, ſed intrinſecam vitalitatem accipit; qua ſi careat, non erit intellectio. Paritas quoad hoc eſt in volitione, & cognitione, quia vtraque eſt à principio intrinſece ſe mouente, & vitaliter, & ideo ſunt, & vocãtur intrinſecè vitales, imo & vita in actu ſecũdo, ex cõmuni decreto Philoſophorum ſequentium Ariſtotelem diſcriminantem alios effectus non vitales ab iſtis, & proinde à vitalium numero arcentem actus proueniẽtes à principio non vitali vel intrinſeco, vel coniuncto. Diſparitas autem eſt inter cognitionem & actum liberum, quia ad libertatem ſufficit, & requiritur aduertentia intellectus proponentis obiectum cum indifferentia, & hæc eſt extrinſeca actui voluntatis libere ſe determinãtis, atque adeo denominatio liberi eſt extrinſeca actui. Non autem vitalitas, quæ eſt ratio quædam identificata actui à principio ſe mouente manãs, & per modum vitæ coniungens obiectũ potentiæ, vel ipſam deferens, & coniungens obiecto: Alioqui vita in actu primo non diceretur operari vitaliter in actu ſecundo, hoc enim non fit niſi per actum vitalem; neque tenderet vitaliter in ſuum obiectum, quia non per tendentiam vitalem par eſſet cum aliis cauſis non habentibus actus ſuos vitales, quod eſt abſurdum.

Quod igitur de facto non ſit actio vitalis vt pendet etiam ab extrinſeco potius conformat requiri principium intrinſecũ, & ſine illo non conſiſtere intellectionem, ſicut neque eſt motus vitalis, nutritio & augmentatio, niſi à principio vitæ, licet poſſint eſſe earum termini per alias actiones.

Ad inſtantiam 1. dico eſſe realem actionem, & non gratis id aſſumi, licet demonſtratum non ſit, ſed probabiliter tantum oſtenſum.

Ad alteram patet ex dictis non fore viſionem, vel cognitionem, aut volitionẽ quæ non fieret à principio intrinſeco vitali: Proinde non daturum effectum, vel denominationem videntis, volentis, &c. quæ non eſt vbi actus non manat ab eo, in quo recipitur.

Argumenta contra ſecundam Aſſertionem.

XVIII. PRimum eſt, quia S Thom. 1 p. q. 34. a. 1. c. ait, *Ipſe autem conceptus cordis de ratione ſua habet quod ab alio procedat, ſcilicet à notitia concipientis*, Ergo non poteſt procedere à ſolo Deo, & 2. 2. q. 23. a. 1. docet actum amoris neceſſario procedere à voluntate, quia de ſui ratione importat vt ſit actus voluntatis. Ex quo infert Vaſq. 1. 2. q. 9. n. 24. idem aſſerendum de cognitione, & verbo mentis, quod videlicet fieri non poſſint niſi concurrente Potentia vitali.

Neque valet diſtinctio de amore à ſolo Deo producto, qui voluntarius non eſt. & de producto à voluntate qui voluntarius eſt, quia hoc repugnat S. Thomæ vniuerſaliter requirenti ad amorem vt ſit voluntarius, quia hæc ratio eſt intrinſeca, & eſſentialis omni actui immanenti voluntatis; in quo differt à ratione liberi quæ ſolum conſiſtit in reſpectu rationis, quem habet operatio comparata cauſæ, à qua procedit.

Confirmatur primò, quia de ratione tam amoris, quàm cognitionis eſt, vt per has operationes homo aut Angelus tendat in obiectum; & de cognitione hoc peculiare pronunciamus, vt cognoſcẽs attendat ad rem cognitã; attentio autem manifeſtè indicat conatum eius qui attẽdit, ergo non poteſt eſſe ſine concurſu potentiæ. Quis enim dixerit attẽdere illum qui nihil conatur, ſed ſolum recipit.

Confirmatur ſecundò, quia alioqui poſſet intellectus ſeparatus à ſubſtantia animæ eſſe beatus per viſionem à Deo productam in ipſo, ſicut ſuperficies ſeparata eſſet alba per albedinem in ſe receptam. Ita Vaſq. loc. cit.

Confirmatur tertiò ex eodem, quia amor eſſentialiter eſt quid voluntarium, quod poſtulat eſſe à principio intrinſeco, vt ſuprà dixi ex S. Thoma, & Ariſtotele 3. Eth. cap. 1.

Respondeo ad argumentum primò per instantiam, nam etiam de ratione accidentis est inesse, & tamen existere potest sine subiecto per diuinam potentiam. Secundò directè esse de ratione verbi mentis produci à notitia intelligentis, quia naturaliter exigit ab illa procedere, cum quo tamen stat, vt supernaturaliter à Deo produci possit sine concursu potentiæ. Et idem est de amore, cuius terminus exigit produci à voluntate, tanquam à principio intrinseco, sed supernaturaliter est producibilis à Deo solo, non tamen actio ipsa productiua, quæ est essentialis motus voluntatis ex seipso ab illa dependens.

Ad primam confirmationem amor, & cognitio vt communiter accipiuntur, comprehendunt actionem, & terminum, & proinde vitalem tendentiam potentiarum in obiecta, & influxum, seu conatum earum, atque adeo non possunt esse à Deo solo, quia conari, & influere vitaliter dicit operationem vitæ; vnde si fierent à Deo solo essent amor & non amor, cognitio, & non cognitio, quia potentiæ nihil influerent. At vero si inadæquatè accipiantur pro termino cognitionis & volitionis, vt actiones sunt, nihil repugnat à Deo solo produci, quia sunt qualitates absolutæ pendentes à potentia media actione, & proinde possibiles produci per aliam actionem, puta per creationem; aut similem aliam prout Deus voluerit, siue in potentiis producat, siue in alio subiecto, siue in nullo.

Terminus actionis vitalis potest à solo Deo produci.

Sed diceretur ne tunc intellectus cognoscere, aut voluntas velle, si Deus se solo imprimeret illis terminos istos?

Respondeo negatiuè cum S. Thoma in 2. sent. supra cit. quia tunc nihil agerent potentiæ vitales, sed solum reciperent; intelligere autem, ac velle dicunt actionem quandam, quam siue conatum voces, siue attentionem, si est intellectus, siue tendentiam, consequens est vt non puram qualitatem prædices, sed & operationem fateare, & membrum diuisionis partientis actionem in transeuntem, & immanentem, etiamsi nihil diuersum à se produceret contra suppositum factum superius, quod etiam immanentes operibus habeant terminum, & solum dicantur ab Aristotele nihil producere, quia terminus constituit vnũ quid cum illis, vnde censetur eadem res cum illis. secus quam eueniat in transeuntibus in quibus terminus est quid extrinsecum, & manet cessantibus illis vt apparet, in agentibus tam animatis, quàm inanimis; at verò verbum, & amor pendent in fieri, & conseruari à suis productionibus, & naturaliter esse non possunt sine illis, vnde ex communi sensu sapientum dicitur intelligere qui vitaliter exprimit imaginem obiecti, & amare qui per actum vitæ vnitur rei amatæ, in quam tendit voluntas.

Metaph. t. 16. & 1. Eth. t. 9.

Sed quid quod Deus intelligendo nihil producit, sed solum dicendo producit verbum? hinc enim infertur non esse de ratione intellectionis producere terminum.

Respondeo intelligere Dei esse ipsam eius substantiam, vt S. Thom. 1. p. q. 14. a. 4. & q. 27. a. 2. 2. vnde non est actus productus vt in creaturis, nec actio productiua, aut notionalis, sed ipsa diuina essentia, in qua non est, neque intelligitur potentia intellectiua in actu primo, quia essentialiter est actus purissimus, ac simplicissimus, in sententia probabili Soar. de Trinit. lib. 1. cap. 6. supra cit. At vero in creatura rationali intellectio est actio distincta à potentia, & ideo productiua termini in hac sententia, quia sicut vnio non est sine vnito, ita nec actio sine actu, seu producto.

Intelligere Dei est ipsa eius essentia.

Consequenter non potest ex S. Thoma probari quod intellectio consistat in qualitate sicut gratia, & calor, eo quod 1. p. q. 34. a. 1. ad 3. dicat intelligere importare solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua non importatur ratio originis: ibi enim distinguit intelligere à dicere, & solum contendit de ratione primi non esse producere verbum, quia tota Trinitas intelligit, & non producit; neque homo producit sub ratione intelligentis, sed talis intelligentis, cuius intellectio actio est distincta ab intelligente, & in ipso manens, vt ibidem. S. Thom.

Ad secundam confirmationem nego sequelam, cum Capreol. in 1. dist. 3. q. 3. a. 3. paulo post init. quia denominatio beati conuenit naturæ subsistentiali, viuenti, subsistenti, capaci diuinæ amicitiæ, quæ conditiones deesset potentiæ intellectiuæ, dato quod sit distincta ab anima, & separabilis, quod est in controuersia apud Philosophos: sicut ergo gratia posita in lapide, aut etiam ex hypothesi in potentia separata, non daret denominationem amici Dei, ita nec qualitas illa denominationem beati.

Denominatio beati conuenit naturæ subsistentiali.

Imo nec intelligẽtis, quia non sufficit ad hoc imago repræsẽtatio obiecti, sed requiritur vitalis productio eius in quo recipitur, vt supra ex 9. Thom. intelligere enim est rem vitaliter exprimere: qui ergo nõ exprimit, nõ intelligit, licet habeat intellectionẽ vt significat terminũ & qualitatem. Est ergo discrimen inter hanc formam, & alias non vitales, quod istæ dare possunt denominationem subiecto apto per solam informationem; illa non potest, nisi per productionem simul adiunctam ex peculiari ratione talis vitalitatis.

Ad 3. confirmationem, Amor duo inuoluit in suo conceptu sicut & cognitio, nimirum actionem, & terminum, & ideo requirit principium intrinsecum, quia actio est essentialiter exercitium potentiæ siuæ conatus eius, & non potest esse sine illa, terminus non item, sed potest produci à solo Deo, vt supra. Vtrũque est voluntarium, & ex sua natura postulat esse à principio intrinseco; sed actio indispensabiliter, terminus autem possibiliter à Deo solo.

Instabis quia S. Thomas, 2. 2. cit. probat actum charitatis non produci à solo Spiritu Sancto, sed concurrere etiam voluntatem, quia alioqui non esset voluntarius; ergo ad denominationem voluntarij requiritur actualis concursus voluntatis, & sine illo terminus non dicetur vllo modo voluntarius.

Respondeo quod esse voluntarium duo includit; primò entitatem rei sic denominatæ: Secundò respectum ad voluntatem tamquam ad principium connaturale ipsius. Terminus amoris si produceretur à solo Spiritu sancto,

Digitized by Google

haberet primum, quod ſufficit ad denominationem voluntarij aptitudinaliter, quia exigit eſſe à voluntate naturaliter loquendo, & ſecundum curſum ordinarium; careret ſecundo, & denominatione formali voluntarij, quia eſſet à principio extrinſeco. S. Thomas loquitur de amore vt ordinariè fit à principio connaturali, quo non concurrente deeſſet reſpectus à quo proximè & formaliter diceretur voluntarius, quia nec eſſet amor completè ſecundum vitalitatem.

Secundum Argumentum, & Inſtantia contra dicta

EST, quia verbum mentis eſt eſſentialiter viua imago, & repræſentatio obiecti; ergo ſi ponatur in ſubiecto apto ferri in illud, à quocumque producatur, dabit ſuum effectum formalem actualis repræſentationis, ſicut quia lux eſt forma eſſentialiter illuminans, à quocumque efficiatur, ſiue à ſole, ſiue à Deo ſolo, ſi ſubiectum ſit aptum, dabit effectum formalem illuminandi, qui nihil eſt aliud quàm lux in ſubiecto illuminabili.

Confirmatur, quia actio productiua verbi ob id ſolum producit, vt intellectus informans qualitate illa, quæ verbum dicitur, tendat in obiectum, vniatque illud intentionaliter ſibi; quod præſtat formando verbum; ſiue deinde in illo viſo, ſiue per illud vt medium quo videat obiectum, iuxta ſententias diuerſas. Ergo ad intelligendum formaliter non requiritur actio, niſi vt aliquid antecedens, non vt quid ingrediens formalem rationem intellectionis, quæ eſt expreſſio vitalis; ac proinde illa poſita diceretur intellectus exprimere obiectum; ſicut ſpeculum repræſentat rem obiectam per imaginem in ſe receptam à quocumque illa producatur.

Confirmatur ſecundò, quia intelligere non eſt phyſicè viuere, neque importat originem, ſed expreſſionem obiecti per ſolam qualitatem informantem noſtrum intellectum, ergo non includit actionem vllam productiuam. Sequela patet, quia expreſſio ſeu vitalis imago non eſt actio, per te. Antecedens probatur; quia vita phyſica conſiſtit in augmentatione per intus ſuſceptionem: intentionalis autem in cognitione, & amore obiecti, quæ vt ſic non eſt actio: verum quidem eſt in intellectu eſſe etiam vitam phyſicam, vt communiter accipitur pro principio mouente ſe ab intrinſeco: ſed cum duæ iſtæ vitæ diſtinguantur, poterit vna eſſe ſine alia, ac proinde actu viuere intentionaliter, & intelligere, quin actu operetur, & viuat phyſicè. Ita P. Arriag. diſput. 6. de Anim. num. 19. Et rurſus viuere phyſicè quin viuat intentionaliter, puta ſi qualitas quæ dicitur verbum, producatur ab anima, ſed non ipſi vniatur, quod diuinitus fieri poteſt, vt idem num. 21. contra P. Hurtad. diſput. 6. de Anim. à num. 4. probante auctoritate, & ratione actum vitalem creatum formaliter conſiſtere in actione, paſſione, & illarum termino, & proinde intellectionem hæc complecti.

Neque valet dicere quod intelligere eſt viuere, hæc autem includere actionem phyſicam, quia petitur principium, ego enim probo vitam intentionalem poſſe eſſe ſine actione phyſica.

Reſpondeo ad argumentum, quod à quocumque ponatur imago ſiue verbum in intellectu, niſi ipſe concurrat ad illam & attendat, non repræſentat illi obiectum, quia ſe habet mortuo modo, ſicut ſi poneretur in ſubiecto extrinſeco: exemplum eſt in ſenſibus viſus, & auditus, qui non percipiunt obiecta etiam poſitis ſpeciebus, ſi animus abſorptus aliunde non aduertat; & ratio eſt ſupra allata, quia intelligere eſt vitaliter exprimere quod ſignificat conatum, attentionémque potentiæ; ſecus eſt de aliis qualitatibus mortuis, quæ cauſant formaliter per ſolam ſui exhibitionem ſine actu vitæ.

Ad primam confirmationem nego ſequelam: quia actio antecedenter quidem requiritur ad verbum, & expreſſionem formalem obiecti, ſicut & quælibet actio ad ſuum terminum quo prior eſt natura; ſed præterea ex ratione particulari talis actionis requiritur concomitanter verbum, quod non eſt actio intelligendi, ſed id vel in quo, vel per quod potentia intelligit; & ideo alterutro ſublato aufertur intellectio adæquatè ſumpta in creatis.

Ad ſecundam nego antecedens, & primam partem eius probationis: quia ſi vita eſt principium mouendi ſe ab intrinſeco, actus procedentis ab hoc principio ſunt vita in actu ſecundo; talis eſt intellectio, quæ non ſolum dicenda eſt intentionalis, quia eſt ab intellectu vt cauſa intentionum; ſed etiam phyſica quia realis, & naturalis cauſa eſt phyſice influens in illam in ſe receptam; non ſecus ac cæteræ cauſæ phyſicæ operatiuæ tranſeuntes, atque adeo gratis limitatur vita phyſica ad augmentationem per intus ſuſceptionem; aut ſi extenditur ad cognitionem, & amorem, fruſtra multiplicantur phyſica, & intentionalis vt duæ vitæ diſtinctæ, ac ſeparabiles; quia ſola actio vita eſt, terminus autem eius ſeparatim vita non eſt, ſed aliquid vitæ: ideo anima habens verbum à Deo ſolo productum, non diceretur viuere, ſeu exire in actum ſecundum vitæ, quia nihil ageret, ſed ſolum reciperet; & vice verſa dato quod produceret verbum, & illud non reciperet, non diceretur intelligere, quia vtrumque requiritur ad hanc denominationem, actio ſcilicet, & terminus receptus in agente. Neque hæc eſt petitio principij, ſed probatio aſſertionis per definitionem intellectionis, ſeu intelligere in concreto, quod eſt conatus quidam, & attentio intellectus cum expreſſione obiecti in quod tendit, & attendit; quæ non poſſunt ſaluari ſine motione à principio intrinſeco; hanc autem voco actionem phyſicam, minime ſollicitus de termino an poſſit dici vita intentionalis, licet cenſeam non poſſe præciſe ſumptam, vt dixi ſupra. Si quæras vnde colligam ingredi definitionem intellectionis vitam phyſicam, & non ſatis eſſe intentionalem ſeu imaginem repræſentatiuam obiecti ipſi intellectui?

Intellectio eſt actio non ſolum intentionalis, ſed etiam phyſica.

Digitized by Google

Ego pariter quæro vnde colligas non ingredi: Deinde respondeo me colligere ex eo quod potentia intellectiua, cum sit vita in actu primo, exit in actum secundum vitæ actualis, quod est intelligere; exire autem in actum secundum est operari, vt indicant ipsæ vocum significationes, omnis enim potentia actiua quando agit, exit in actum secundum: qui actus in proposito est tendentia vitalis in obiectum per terminum à se productum, à causa physica, & physicè concurrente, etiam ad intentiones elicitas. Instabis quia actio calefactiua non reddit formaliter calidum, neque productio gratiæ facit formaliter gratum, & amicum, sed qualitates productæ habent hos effectus; ergo neque actio productiua verbi reddit formaliter intelligentẽ, sed verbum ipsum.

Iam respondi hoc esse peculiare in actionibus hisce vitalibus vt concurrant ad denominationem formalem intelligentis, volentis, &c. quia propria significatio istorum vocabulorum inuoluit influxum vitalem, & conatum quendam potentiarum, quę est actio cum suo termino: quod assumo vt probabilius ex libris auctorum supra nominatorum, & inde infero principale intentum quæstionis possibilitatis productionis verbi à solo Deo, impossibilitatis vero respectu actionis productiuæ ipsius.

Ex dictis soluitur difficultas, cur Humanitas Christi Domini non possit formaliter reddi cognoscens, aut vidēs per diuinam scientiam, sicut redditur formaliter subsistens per diuinam subsistentiam; nam vt Sbar. tom. 1. in 3. par. disp. 24. sect. 1. & alibi supra intelligere est actus vitæ, & ideo oportet vt sit actus intelligentis, eo quod actualis vita consistat in actione, & talis actio quæ est cognitio, à tali agente essentialiter manat, qui est intellectus creatus, cognitioni autem diuinæ repugnat oriri ab intellectu creato.

Humanitas Christi Domini non redditur formaliter videns per diuinā scientiam.

Dices etiamsi in effectu cognoscentis non includeretur actio, adhuc non posset intellectus Christi Domini cognoscere per scientiam diuinam, sicut neque humanitas durare per durationem diuinam, aut vbicari per vbicationem diuinam: ergo ratio petita ab actione non est sufficiens, neque adæquata cur intellectus Christi non cognoscat per diuinam scientiam.

Confirmatur: quia neque Deus producit intellectionem per quam intelligit cum sit ipsa eius substantia, vt supra ex S. Thoma, ergo ex hoc capite non repugnat humanitatem intelligere per diuinam cognitionẽ sibi vnitam, si immediate potest vniri. Propterea omnes concedunt, qui recte de cōmunicatione idiomatum ratiocinantur, cum S. Bonau. in 3. dist. 14. q. 1. a. 1. S. Thom. 3. p. q. 9. a. 1. 1. non posse intellectum Christi intelligere per scientiam diuinam, & tamen non pauci Theologi negant intellectionem esse formaliter actionem de Prædicamento Actionis, vt patet ex dictis; non ergo ab hac sententia pendet determinatio quæstionis huius.

Respondeo ad has instantias rationem petitam ab actione vitali non esse vniuersalem, neque adæquatam cur formaliter intellectus Christi Domini non possit reddi intelligens per scientiam diuinam; sed particulare in sententia requirente ad intellectionem influxum actiuum principij intrinseci, quæ est potentia intellectiua; & negante quod illo præciso possit denominari intellectus, vel anima propria intelligens per additionem, aut impressionem vllius extrinseci: Inde enim directe sequitur non posse etiam per diuinam scientiam quantumuis vnitam reddi actu intelligentẽ; etiamsi deinde assignari debeat ratio alia vniuersalis, cur communicari possit diuina subsistentia per quam natura humana subsistat, & non alia attributa, quæ tantum humanitati conueniunt per communicationem idiomatum, quæ est materia pertinens ad tertiam partem, & ad 3. sent. & indiget longiore discussione à præsenti instituto aliena. Nunc enim satis est valere hanc sequelam, intellectio est actus vitæ postulans manare à principio vitali intrinseco, ergo intellectio diuina non potest esse intellectio Christi denominans illum formaliter intelligentem. Antecedēs est assertio probabilis, consequentia est valida, quia diuina intellectio non est ab intellectu Christi Domini; neque obstat quod aliunde possit vniuersaliori ratione probari opinio cōmunis, & certa, quia hæc particularis concludit in sententia prædicta, quam suppono probabilẽ; & quia tu illam impugnas, non sumo ad arguendū principium à te negatum, sed ad reddendam rationem & soluendam difficultatem, propositam quæ vanescit in mea sentētia de dependētia essentiali actionis vitalis, ac proinde intellectionis à potentia vitali. Sicut ergo valeret illatio, hæc Petrus est bipes, ergo non est equus; licet hęc non sit ratio adæquata, ac vniuersalis, quia multa animalia sunt bipeda, quę non sunt equi; ita valet ista intellectio poscit principium vitale intrinsecū, ergo intellectio diuina non potest esse intellectio Christi; nec per illam reddi potest, aut denominari formaliter intelligēs, licet alia attributa sint, quæ sunt incommunicabilia eodem modo ac cognitio, quæ neque involuunt actionem vitalem, nec dependentiam à principio intrinseco vitæ.

Instabis, ergo tota ratio cur intellectio non possit fieri sine concursu potentiæ est, quia formaliter, & intrinsece est actio, quæ essentialiter pendet ab agente; At hæc non videtur concludere, quia dato quod sit actio proprie contra multos hoc negantes; tamen est etiam qualitas informans potentiam, quod non conuenit actionibus transeuntibus.

Respondeo nego minorem, in sententia namque probabilissima intellectio est quidem qualitas quatenus imago, & repræsentatio obiecti; sed non quatenus actio eius productiua, & distincta, licet recepta in potentia. Ideo potest qualitas produci à Deo solo; Actio poscit concursum potentiæ quam modificat; & illa si produceretur non redderet intellectum formaliter intelligentem, quia ad hunc effectum ac denominationem requiritur actio & terminus, vt supra ex S. Thoma. & quando dicitur quod intellectio est id, quo intellectus actu percipit obiectum, in hac definitione involuitur vtrunque, & vnum sine altero insufficiens est ad exprimendum obiectum, & repræsentandum intellectui.

Propterea si produceretur terminus intelle-

ctionis à ſolo Deo poſſet poni in quolibet ſubiecto extra intellectum, quia non eſt actualis expreſſio obiecti adæquata, & completa ſine actione vitali, vnde nec denominaret intelligens ſubiectum abſque illa; & aliunde dato quod ſit producibilis ſine concurſu potentiæ intellectiuæ, non apparet repugnantia cur extra illam produci nequeat ac ſuſtentari.

In quo eſt diſpar ratio durationis, vbi, vnionis &c. ſi dantur diſtincta, quia ſunt modi, & proinde actuales determinationes ſubiectorum ſuorum à quibus eſſentialiter dependent, & ex ſeipſis dant ſuos effectus formales adæquatè.

Tertium Argumentum

EST contra vtramque aſſertionem: ſi enim terminus intellectionis naturaliter poſtulat fieri à potentia intellectiua, & actio eius productiua eſt eſſentialiter dependentia ab eadem, ita vt alia non poſſit eſſe, manifeſta eſt habitudo vtriuſque ad illam: quæro igitur an reſpiciatur vt potentia vitalis, & hoc non ſufficit ad implicantiam dependentiæ ab alia potentia, quia terminus intellectionis reſpicit intellectum quatenus eſt potentia vitalis; & tamen ex dictis poteſt à ſolo Deo pendere, ac produci: Vel reſpicitur vt potentia talis, puta vt ſpiritualis: & neque hoc dici poteſt, quia ſicut poſſibilis eſt ſubſtãtia ſpiritualis non productiua intellectionis; ita non apparet cur non ſit poſſibilis intellectio, quæ non producatur à potentia ſpirituali creata, ſed ab increata, quæ eminentiori modo continet omnem virtutem creaturarum. Patet ſequela, quia non minus eſt proportionatum principium intellectionis ſubſtantia ſpiritualis, quàm ſit proportionatus effectus intellectio ſubſtantiæ, & potentiæ ſpiritualis, ergo ſi poſſibilis eſt ſubſtantia ſpiritualis, quæ non ſit principium intellectionis; poſſibilis etiam eſſe debet intellectio, quæ non ſit à ſubſtantia, ſeu potentia ſpirituali creata, ſed fieri poſſit à Deo ſolo præſertim cum de facto concurrat ad omnem cognitionem, & quidem magis principaliter quam intellectus ipſe.

Reſpondeo negando ſequelam ob diſparitatem inter actionem, ac terminum eius ſatis ſuperque explicatam. Ad quæſitum an intellectio reſpiciat intellectum vt potentia vitalis eſt, an vt ſpiritualis, reſpondeo quod ſecundum vtramque rationem; nam quia eſt eſſentialiter actus ſecundus vitę poſtulat eſſe à principio vitali; & quia actus ſpiritualis debet eſſe à principio immateriali; idque ſupponendum ex libris de Anima, & ex dictis ſupra, & magis etiam conſtabit ex dicendis.

Ad probationem in contrarium reſpondeo, ſi dari poteſt ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua, adhuc non valere argumentum, quia de illa non conſtat quod dicat eſſentialẽ ordinem ad intellectionem: at de iſta conſtat ex dictis quod eſt eſſentialis dependentia ab intellectu, & ideo non poteſt exiſtere ſine ipſius concurſu.

Verum quia reſponſio hæc ad plenam intelligentiam poſcere videtur diſcuſſionem celebris quæſtionis, An poſſibilis ſit ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua, adnecto hîc illam non illibenter, quia & ipſa locum obtinet non infimum inter eas, quas Potentia Obedientialis ſibi vindicat intra limites Potentiarum, actuumque vitalium.

An ſit poſſibilis ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua.

PRima ſententia affirmat eſſe poſſibilem. Eſt Nominalium cum Ocham. in 1. diſt. 35. q. 1. vbi habet, Conſiderandum, inquit, contra ea quæ habet S. Thomas 1. p. q 14. a. 1. *Quod immaterialitas non eſt cauſa quare aliquid ſit cognoſcitiuum.* Et inter alias rationes hanc profert: *Item poſſibile eſt Deum producere formam immaterialem, ſimplicem, per ſe ſtantem, non cognoſcitiuam, nullam enim includit contradictionem.*

Seconda ſententia eſt negatiua S. Thom. 1. p. & in 1. diſt 35. q. 1. ar. & 1. cont. gent. c. 44. & de Ver. q. 2. a. 2. & Thomiſt. in hæc loca Ricard. in 1. d. 35. a. 1. q. 1. Soar. diſp. 35. Met. ſect. 3. Ruiz. de ſcientia Dei, diſp. 1. ſect. 3. & communis eſt aliorum.

Et videtur S. Bonau. in 1. diſt. 39. a. 1. q. 2. in argum. Quanto ſubſtantia (inquit) eſt ſpiritualior, atque ſimplicior, tanto plurium eſt cognitiua: ſed Deus eſt ſubſtantia ſpiritualiſſima, & ſimpliciſſima, & huius ſententiæ faciunt eius interpretes Trig. q. 9. & longius q. 14. a. 1.

Aduerte primò quod cum ſpirituale multipliciter dicatur, vt explicat S. Auguſt. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 7. hic accipitur in rigore pro ſubſtantia prorſus depurata à conditionibus materiæ, quæ de facto eſt creata, tam cœleſti, ſi ea conſtant cœli diuerſa à ſublunari; quàm elementari corporum omnium inferiorum; cuius videlicet totum eſſe eſt potentia receptiua formæ, & radix quantitatis: Imò ſi dantur aliqua corpora ſimplicia, vel dari poſſunt materiæ expertia, vt in ſententia Auerrois, & forte etiam Ariſtotelis, ſunt cœleſtia: ſpirituale eſt quod illis contradiſtinguitur, & extenſione corporea caret, de cuius ratione eſt occupare locum, & eſſe impenetrabilem: ſpirituali enim etiã ſi coexiſtere loco poſſint, vt communiter admittitur à Theologis; non tamen circumſcriptiuè, & impenetrabiliter. Quapropter ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua ſi poſſibilis eſt, indiuiſibilem eſſe oportet; quia ſi extenſa eſſet, ac diuiſibilis, conueniret cum corporea in prædicato proprio corporum, quod eſt eſſe occupatiuum loci commenſuratiue ad ipſum, & circumſcriptiue; atque adeo non eſſet depurata à conditionibus corporum, neque abſtracta ab illis, vnde neque ſpiritualis eſſet in rigore, quod eſt contra ſuppoſitionem. Idque in ſententia S. Bonauenturæ in 2. ſent. diſt. 1. a. 1. q. 2. ad arg. admittentis extenſionem eſſe à materia prout ſuſcipit formam corporalem, quæ non eſt nata eſſe in materia niſi cum extenſione, ſine qua ipſa materia eſt veluti punctum indiuiſibile. Supponit enim omnem extenſionem eſſe à quantitate, & illa præciſa ſubſtãtiam eſſe indiuiſibilem: quę eſt etiam expreſſa doctrina S. Thomæ lib. 4. cont. Gent. c. 65. fin. vbi ex Phil. 1. Phyſ. ait; quod remota quantitate omnis ſubſtantia eſt indiuiſibilis. Et quia Nominales, quos plures ex recentioribus ſequitur, præter extenſionem quantitatis

agnoscunt aliam propriam materiæ, & accidentium materialium ; saltem admittendum est vt certum substantiam spiritualem differre à materiali & corporea, quòd nullam poscat extensionem neque penetrabilem, neque impenetrabilem, quod loquendo de facto non reuocatur in controuersiam, de possibili autem nos videbimus.

Secundò, Aduerte quod esse spirituale quod explicatur per abstractionẽ seu depurationem à materia, & corpore, non consistit in indiuisibili, sed habet varios gradus perfectionis, quorum vltimus est animæ rationalis de sua natura ordinatæ ad faciendum vnum compositum cum corpore, & pendentis ab ipso dum illud informat in operando : supremus est Deus actus purissimus, & in summo abstractionis ab omni materia, & eius conditionibus: Mediij sunt Angelorum, quorum sunt diuersi ordines, & hierarchiæ, & proinde maior, & minor est inter ipsos propinquitas ad Deum, & ad animam. Et quemadmodum in corporibus quantò quidque subtilius est, tanto est vicinius naturæ spirituali, vt ait S. August. l. 5. de Gen. ad lit. c. 4. Ita in spiritibus quanto quisque inferior est, tanto est vicinior naturæ corporali: licet prior diuersitas innotescat sensui percipienti finitiones animæ vegetatiuæ, ac sensitiuæ ; posterior colligatur ab intellectu comparante naturas spirituales inter se, & vnam altera præstantiorem esse cognoscente ex maiori abstractione à materia, vt discurrit S. Thom. 1. p. cit. & S. Bonau. relato in 2. sententia : Ita vt verum sit animam rationalem propius abesse à materia, Angelum longius, non quia substantia eorum non sit omnino spiritualis; sed quia diuersa ea perfectione, & propinquitate, vel minori remotione à Deo actu purissimo, & maiori à materia, & potentialitate non solum physica, sed etiam metaphysica: estque legitimum argumentum, quo probatur maior naturæ præstantia à maiori abstractione à materia cæteris paribus ; An vero ab eodem probetur efficaciter gradus intellectiuus, ita vt immaterialitas essentialiter sit cum illo connexa, controuersum est ; quia licet hęc propositio, Omne intellectiuũ est immateriale, sit concedenda ; conuersam tamen plerique negant, Omne immateriale est intellectiuum.

Sed aliud est examinare vniuersim an sit possibilis natura spiritualis non intellectiua; aliud an ratio S. Thomæ probata communiter, & explicata ab auctoribus 2. sententiæ sit demonstratiua. Si enim talis esset, illico euincit impossibilitatem naturæ spiritualis non intellectiuæ; sin secus, aliunde probanda est impossibilitas, quàm ab immaterialitate, à cuius positione probat Deum esse intelligentem.

Prima Assertio.

VAlde probabile est repugnare naturam spiritualem, quæ non sit intellectiua. Probari potest ex S. Thom. 1. p. cit. q. 14. n. 1. corp. Patet igitur, inquit, quod immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiua. Idque vt probet in Deo esse scientiam : sic enim formatur argumentum, Omnis substantia immaterialis est intellectiua ; Deus est substantia immaterialis, ergo. Minor est nota. Maior probatur, quia ratio cur substantia non sit intellectiua est coarctatio formæ per materiam: nam ad intelligendum requiritur amplitudo quædam, & extensio ad recipiendas formas rerum aliarum, cum species cognitæ debeat esse in cognoscente, iuxta doctrinam Philosophi 3. de Anim. t. 47. quod Anima est quodammodo omnia, relatione scilicet specierum, quas assimulatur rebus cognitis.

Confirmatur maior prædicta, quia vt Aristoteles 2. de Anim. t. 124. plantæ non cognoscunt, propter suam materialitatem : sensus autem cognoscitiuus iste, quia receptiuus est specierum sine materia, & intellectus adhuc magis cognoscitiuus, quia magis separatus est à materia, & immistus, vt dicitur 3. de Anim. t. 4. signum est igitur quod coarctatio formæ per materiam est ratio cur substantia non sit cognoscitiua. Et consequenter quod vbi non est coarctatio ista, adest amplitudo, & extensio requisita ad intelligendum, per regulam posterioristicam, Si affirmatio est causa affirmationis; negatio est causa negationis. Quod argumentum est efficax ob doctrinam Philosophi, qua vtitur S. Thomas, & recipitur communiter ab aliis; sed an sit demonstratiuum, dicam infra.

Secundò, omnis substantia producibilis est operatiua, ergo omnis substantia spiritualis est intellectiua. Antecedens probatur 1. quia omne ens est propter operari ex 2. Cœl. t. 17. ex quo principio probat Philosophus quod diuinum esse est propter operationem, quæ est vita sempiterna, ac beata. 2. Deus, & natura nihil frustra faciunt 1. cœl. t. 31. & 3. de An. t. 45. & 60. quod axioma supponit esse ordinari ad operationem, alioqui si solum ad esse aliquid posset esse frustra, vnde Philosophus ait frustra esse calceamentum cuius non est calceatio. Ideo & cõmuniter dicitur quod materia non potest esse sine forma, quia esset otiosa. 3. ex communi definitione naturæ quod sit principium motus, & quietis, 2. Physicorum t. 3. infertur quòd omnis substantia, etiam spiritualis, est huiusmodi; est enim intra terminos naturæ, cum implicet substantia supernaturalis creata. 4. Alioqui esset etiam possibilis essentia, quæ non sit principium vllius proprietatis, neque actiuum, neque passiuum, quod est absurdum. Secundò, De facto omnis substantia est operatiua, quod manifestum est de corporea, & ratio euincit de incorporea, quia cùm sit perfectior in essendo, debet etiam esse in operando, cum operatio sequatur ad esse, & illi proportionetur, ect. & modus operandi proportionetur modo essendi, vt patet in anima separata, quæ perfectius intelligit, quàm in corpore & in Angelo, qui perfectius, quàm anima, & sic probatum est antecedens.

Consequentia probatur, quia si omnis substantia est operatiua, & proinde etiam spiritualis, vel hæc operatio est immanens, atque adeo intellectiua, cum non possit esse vegetatiua, aut sensitiua, & non detur alia immanens ex 2. Anim. t. 16. & habetur intentum.

Dices esse immanentem non vitalem.

Contra, vel terminus huius actionis est ac-

Digitized by Google

tidens non vitale ordinatum ad ſui conſeruationem, vt eſt emanatio frigoris ab aqua, & motus ad centrum: & hoc non quia ſubſtantia ſpiritualis non indiget iſtis: vel terminus eſt accidens non vitale ordinatum ad vitale, vt ſunt ſpecies, & habitus intellectus, & voluntatis; & habetur intentum; quod ſubſtantia ſit operatiua vitaliter, & proinde intellectiua.

Vel talis operatio eſt tranſiens in alienum ſubiectum: & hoc neque dici poteſt, quia nec ſubſtantiam producere poteſt naturaliter, cum ſit producibilis ſolum per creationem ſubſtantia ſpiritualis independenter à materia, & nulla ſubſtantia ſit creatiua, vt ſupponitur ex S. Thom. 1. p. q. 45. a. 5. & communi Theologorum. Neque poteſt producere accidens ſpirituale, quia omnis actio tranſiens accidentalis vel terminatur ad formam accidentalem intentionalem, vt quando obiectum producit ſpeciem ſui, vel ad realem, vt quando ignis calorem. Non 1. quia ſpecies in alieno intellectu, puta angelico, vel manant ab eſſentia; vel producuntur à Deo. Neque 2. quia vel produceret in ſubiecto ſenſibili, & non ſumus in caſu, quia non eſſet operatio ſpiritualis de qua eſt ſermo: vel in ſubiecto ſpirituali, & hoc non, quia omnis productio talis vel rendit ad conſeruationem prioris ſubſtantiæ; vel ad productionem nouæ, cum omne accidens ad ſubſtantiam ordinetur: hæc autem productio non tenderet ad conſeruationem, quia ſubſtantia ſpiritualis non eget accidente ad ſui conſeruationem, cum careat contrario, & naturaliter ſit incorruptibilis: neque ad productionem nouæ formæ, quia hæc non eſt incompoſſibilis cum priori, niſi vbi eſt materia. Non igitur eſt excogitabilis operatio ſpiritualis in ſubſtantia ſpirituali præter intellectionem, & quæ illam ſupponit.

Confirmatur, quia talis ſubſtantia vel eſſet cauſa libera, vel neceſſaria: non primum, quia ſic eſſet intellectiua, nam libertas radicatur in intellectu. Neque ſecundum, quia ſemper ageret; cum enim non requirat approximationem, non poſſet impediri à diſtantia, & non eſſet maior ratio cur nunc ageret, & non poſtea, & ſic producerentur plures, & plures effectus in infinitum, & non apparet ad quem vſum.

Qui totus diſcurſus non eſt demonſtratiuus oſtendens implicantiam ſubſtantiæ ſpiritualis; ſed ſolum probabilis; etiamſi pro demonſtratiuo proponatur à recentioribus nonnullis, præſertim à P. Recupito, vt audio, in eruditiſſimis tractatibus 1. part. S. Thom. mox præſto committendis, & primo tomo iam edito in lucem adiungendis.

P. Iul. Cæſ. Recup. tom. 2. de Deo.

Tertiò probatur aſſertio. Quia de facto non eſt producta ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua, ergo non eſt producibilis. Antecedens probatur, quia neque auctoritate vlla vel ratione conſtat eſſe productam. Conſequentia probatur quia omnis grad⁹ genericus ſubſtantiæ producibilis eſt productus. Ratio autem ſubſtantiæ ſpiritualis non intellectiua variaret gradum genericum in vniuerſo, ergo non eſt producibilis.

Confirmatur, quia pertinet ad perfectionem vniuerſi vt detur talis gradus ſi eſt poſſibilis. Huiuſmodi enim argumento probant Theologi cum S. Thoma dari Angelos de facto, quia ex eo quod eſt poſſibilis ſubſtantia non immerſa materiæ, pertinet ad perfectionem quod detur gradus hic non immerſus.

Sed neque hoc argumentum eſt demonſtratiuum, vt infra.

Quartò ex S. Thoma in compendio Theologiæ c. 28. res materiales fiunt actu intelligibiles per ſpecies intentionales immateriales, ergo ſignum eſt immaterialitatem eſſe rationem virtutis intelligẽdi. Patet ſequentia, quia eadem ſpecies intentionalis, quę obiectũ reddit intelligibile, reddit etiam intellectũ complete intellectiuum, ergo ſi immaterialitas eſt ratio intelligibilitatis, erit etiam intellectiui; ita quidem recentiores. Et probari poſſet ſequela, quia ita ſe habet intellectus ad intelligendũ, vt intelligibile ad intelligi, ſicut ſi dicatur ita ſe habere ignis ad comburendũ, vt combuſtibile ad comburi, quia potentia actiua, & paſſiua debent proportionari; ſed intelligibile ſit tale in actu per immaterialitatem, ergo & intellectiuum; ex quo infertur quod immaterialitas eſt ratio intellectiui, & proinde dat eſſe intellectiuum vbicumque reperitur, ſicut albedo dat eſſe album.

Coll. Salmat. diſcal. in 2. 1. q. 14 cit. dub. 2.

Deinde quia forma intelligibilis recipitur in intellectu ſecundum rationem formæ, vt S. Thom. 1. p. q. 5. a. 2. 2. id eſt ſecundum vniuerſalitatem quam habet in eſſe intelligibili, atque adeo debet eſſe immaterialis, & immaterialitas eſt ratio illam recipiendi eo modo quo illa poſtulat recipi, vt reddat complete intellectiuum, & ſic illam recipit vt habet potentiam intelligendi: ſignum eſt igitur quod immaterialitas eſt ratio intelligendi, & quod omne immateriale eſt intellectiuum.

5. Non eſt poſſibilis creatura pure materialis, quæ ſit intellectiua, ergo neque ſubſtantia ſpiritualis, ſeu immaterialis, quæ non ſit intellectiua. Antecedens probatur, quia alioqui non eſt ratio probãdi quod anima rationalis ſit ſpiritualis, & immixta materiæ; potiſſima enim ratio eſt quia intelligit, & fit quodammodo omnia intelligendo, vt diſcurrit Ariſtoteles 3. de Anim. per 20. textus: quod ſi poteſt ſubſtantia purè materialis intelligere, nihil valet hæc ratio. Conſequentia probatur, cum quia oppoſitorũ oppoſita eſt diſciplina; tum quia requiritur gradus, & perfectio intellectiui ad hoc vt abſolutè excedat ſubſtãtia immaterialis totam ſubſtantiam corpoream in nobilitate ſpecifica, alioqui non exceſſura animantes, quarũ vita, & operationes vitales præſtant nobilitatẽ entibus vitæ expertibus; quæ ratio ſupponit quod ſuperius dictum eſt, ſubſtantiam ſpiritualem non eſſe principium operationũ vitalium vegetantium, & ſenſilium.

Neque valet dicere quod eſſet loco motiua, quem gradum adnũmerat Philoſophus 2. de Anim. t. 18. vegetatiuo, ſenſitiuo, cogitatiuo, quia ſubſtantia loco motiua vel eſt cognoſcẽs, & habetur intentum, vel mouetur ratione granitatis, aut leuitatis ad locum ſibi congenum, & conſeruatiuum, quæ non conueniunt ſubſtantiæ ſpirituali. Nec aliud eſt principium motus localis intrinſecum.

Confirmatur, quia ex S. Auguſt. lib. de im-

Digitized by Google

mortal. Animæ.c.8.t.1.omni corpori quælibet anima præferenda est: *Nemo*, inquit, *se bene inspexit, qui non omni corpori quamlibet animam præponendam esse fateatur.* Et multo magis Angelica substantia præferenda est, quæ ratio supponit omnem substantiã spiritualem præcellere corporali; vnde ibidem probat, quod si aliquod corpus est sempiternum, nullus animus est sempiternus, quia quilibet animus cuilibet corpori est præferendus, & omnia non sempiterna non sempiternis. Hinc enim infertur, quod si aliquod corpus est viuens, quælibet substantia spiritualis debet esse viuens, & si aliqua substantia corporea est intellectiua, omnis spiritalis debet esse intellectiua, quia præferenda est non intellectiuæ.

Atque hæc est sententia quam sequor vt communiorem, & probabiliorem apud scholasticos: vt tamen appareat an ex contraria desumi aliquid possit in fauorem omnipotentiæ Dei, quem illa maxime intendit, exercitamenti gratia sit

Secunda Assertio.

HActenus non est allata ratio, qua demonstratiue ostendat impossibilem esse substantiam spiritualem minime intellectiuam, sed solum eligenda contraria sententia ob auctoritatem communiorẽ, & grauiorem fultam probabilissimis argumentis. Fauet S. Augustinus lib. 12. Gen. ad lit. c. x. *Sed esse* (ait) *aliquam rem, quæ solo intellectu cerni possit, ac non etiam intelligat, magna, & difficilis quæstio est.* Res autem, quæ solo intellectu cerni possit apud ipsum, ibi est substantia spiritualis. Igitur S. Augustino nulla ratio suasit contrarium huic assertioni: post ipsum autem quæ fuerunt excogitatæ sunt solubiles. Ideo sic argumentor.

Secundò. Nihil negandum diuinæ potentiæ quod non implicet, si aliunde probabiliter ostendatur non repugnare, talis est substantia spiritualis non intellectiua, ergo. Maior conceditur. Minor duas habet partes. 1. est quod non implicet. 2. quod habeat rationes probabiles. Non implicare probatur ex solutione argumentorum. Et ideo ad

Ad primum præcedentis assertionis respondeo 1. cum Bannes ibi admittente S. Thomam locutum esse de potentia ordinaria, non de absoluta Dei: quæ est vna ex responsionibus ad argumentum Gabrielis, quod non implicet forma spiritualis non intellectiua, præsertim quia discursus S. Thomæ nititur auctoritati Aristotelis, qui vel ignorauit, vel non attendit ad omnipotentiam Dei absolutam. 2. Responderet aduersarius aut negando coarctari formam à materia, & priuari amplitudine, ac extensione necessaria ad recipiendas alienas formas, quia materia de se est indifferens ad seruiendũ formæ intellectiuæ, & non intellectiuæ vt sibi proportionatis operationibus fungantur, vt apparet in anima rationali; & secundum opinionem multorum, etiam ex Patribus, in Angelis quos putant corporeos.

Aut negarent inde sequi intentum, quia materia si est causa priuationis intelligendi, non est adæquata, potest enim hęc imperfectio prouenire à limitatione formæ, quę de se non pertingit ad gradum cognoscitiui, etiamsi careat materia. Ideo si minor intelligatur de causa adæquata, petit principium, & eadem facilitate negatur qua assumitur. Discursus etiam Philosophi non euincit in primis, quia amplitudo & extensio recipiendi species alienas, stat cum materia, vt patet in animantibus recipientibus species rerum in sensu externo ac interno. Deinde etiamsi in operationibus eorum, & modis operandi appareat eleuatio quædam à materia, non inde sequitur immaterialitatem esse causam adæquatam, sed conditionem requisitam, quę si absit, non statim sequitur quod adsit intellectiua virtus, quia plura requiruntur ad ipsam. 3. Immaterialitas vel sumitur pro negatione; atque ita non est ratio intellectiui: vel pro fundamento, & substantia spirituali, & tunc petitur principium, quando assumitur quod est intellectiua, quia hoc est de quo est disputatio.

In proposito tamen S. Thomæ valet à tali immaterialitate quæ est summa, & perfectissima inferre quod Deus sit intelligens, quia cum sit infinita perfectio & abstractio, necessariò est substãtia intellectiua, quomodo in 1. sent. dist. 35. q. 1. a. 1. ad Anibaldum ait: *Oportet enim id quod est rerum omnium principium, summe perfectum esse, quia omnia imperfecta reducuntur ad aliquod perfectum, sicut ad principium: sicut semen ad plantam, vel animal: Summa autem perfectio non potest inueniri, nisi in cognitione.* & mox: *Oportet ergo Deum, qui est perfectissimus, & à quo omnis perfectio derivatur, intellectiuam cognitionem habere, &c.* Quod si vsurpetur illa propositio in vniuersum vt abstrahit à Deo, & creatura, non est apta ad argumentum demonstratiuum, quia nec est primum principium, nec probatum. Inductio enim Aristotelica à plantis, & animantibus non ostendit immaterialitatem esse causam adæquatam intellectiui, & ideo non potest sumi ex illa regula posteriorística, quæ solum valet in causis adæquatis; qualis non probatur esse immaterialitas sola argumento demonstratiuo, sed solũ probabili.

Ad 2. vt verum sit antecedens sufficit quod omnis substantia sit principium à quo manant proprietates ipsi debitæ, etiamsi non sit operatiua transeunter, neque productiua alterius effectus; neque enim omnis proprietas, & accidens est propter operationem, sed sufficit vt sit propter complementum substantiæ, quæ cum sit creata, & non actus purus, debet habere compositionem accidentalem. sic corpus empyreum dicitur à S. Thoma in 2. dist. 2. q. 2. a. 3. non habere vllam influentiam, & tamen est lucidum, multo magis dici id posset de substantia spirituali, si Deus de potentia absoluta vellet illam creare, quandoquidem de ordinaria id contingit in corpore constante materia, & forma, ex eodem S. Th. ibidem a. 2. cur enim de facto detur substantia corporea non operatiua, & implicet dari incorpoream?

Neque vrgent probationes antecedentis contra hanc responsionem. Non prima, quia Physicorum verba sunt: *Eorum vnumquodque, quorum est opus, est gratia operis.* Significans aliqua esse, quæ non sunt gratia operis; à quibus distinguit quæ sunt gratia operis, & ideo hæc auctoritas potius fauet contrariæ.

Digitized by Google

Neque 2. illud enim dicitur eſſe fruſtra, quod ordinatur ad finem quem non attingit, vt S. Thom. 1. p. q. 25. a. 2. c. ſi ergo talis ſubſtantia non ordinaretur ad aliam operationem, non diceretur fruſtra eſſe. Item ex S. Bonau. in 1. diſt. 43. a. 1. q. 3. ad argum. Potentia dicitur eſſe fruſtra quæ non reducitur ad actum, ſi per actum compleatur, alioqui non eſt fruſtra: talis autem ſubſtantia non egeret actu ad ſui complementum.

Et ipſe Philoſophus 2. Phyſ. t. 61. tanquam & hoc ſit fruſtra, inquit, quod natum eſt alterius gratia, cum non perficiat illud, cuius gratia erat, natumque erat, &c. Cum igitur talis ſubſtantia non ſit propter operationem, non diceretur eſſe fruſtra: quam doctrinam vſurpat S. Bonau. in 3. diſt. 1. a. 1. q. 2. ad arg. Nec dicitur potentia fruſtra ſi non reducitur ad actum: Sed tunc fruſtra eſt, dum ad actum non reducitur; & tamen ad actum exigit eam reduci tempus, & locus, eſt ergo, inquis, nihil eſſet fruſtra etiamſi non operetur. Concedo ſi non ſit gratia operis, quia poteſt habere alios fines in vniuerſo à factore intentos. Materia ſine forma diceretur eſſe fruſtra, quia naturaliter exigit formam in ordine ad compoſitum; ideoque non poteſt eſſe ſine illa.

Neque tertia, quia ſi definitio illa conuenit formis omnibus ſpiritualibus, quod eſt controuerſum, ſufficit principium motus paſſiui, qualis eſt localis ab extrinſeco cauſatus reducibilis ad vnum ex quatuor numeratis à Philoſopho 2. Phyſ. t. 10. qui ſunt pulſio, tractio, vecto, vertigo; licet enim iſti in corporibus ſupponant impenetrabilitatem, & reſiſtentiam eorum; tamen abſolute in ſpiritibus eſſe poſſunt, quia poteſt Deus per ſe, vel per Angelum loco mouere alium Angelum etiam inuitum.

Deinde ſatis eſſet principium emanatiuum alicuius proprietatis conuenientis tali ſubſtantiæ.

Neque quarta, quia cum omnis eſſentia creata ſubſtantialis ſit compoſita non ſolum metaphyſicè, ſed etiam phyſicè aliquo genere compoſitionis, eò quod non ſit actus purus, oportet abilla manare proprietates aliquas in ipſa receptas, conuenientes ſuæ naturæ: nam & in ipſa materia ſi poſſet exiſtere ſine forma, connaturaliter reſultaret quantitas aliqua, & figura, etiamſi ſit pura potentia & prope nihil; quanto magis in ſubſtantia completa?

Neque quinta, 1. quia non conſtat quod omnis ſubſtantia ſit operatiua, ſi vera eſt ſententia S. Thomæ de cælo empyreo paulo antè citata; & ſaltem de poſſibili non eſt ambigendum, quod tantùs Doctor de facto poſuit. 2. quia admiſſo antecedente negatur ſequela, quod neceſſario eſſet intellectiua, cur enim non poſſit eſſe operatiua, & non intellectiua. At quid produceretur lumen ex. g. aut aliam qualitatẽ ſimilemſicut enim ab anima gloriosa procedunt dotes in corpus, vt S. Thom. in 4. diſt. 49. q. 4. a. 5. q. 1. 2. & S. Bonau. ibid. a. 1. q. 2. & iſta ſunt ſubtilitas, agilitas, claritas, impoſſibilitas; Ita non deſunt in theſauro diuinæ potentiæ aliæ qualitates poſſibiles produci à ſubſtantia ſpirituali non intellectiua, quia neque iſtæ dotes procedunt ab anima vt intellectiua, ſed vt glorificata & perfuſa lumine gloriæ. Poſſet ergo Deus indere qualitatem aliquam actiuam tali ſubſtantiæ proportionatam, per quam ageret non intelligendo, neque volendo, tum neceſſario producendo effectũ, quem apta eſt producere; vt interim omittam illud commune omni enti actuali quod in ſententia Scoti producit ſpeciem ſui in intellectu angelico, & notitiam intuitiuam; & Alenſis negantis vllam ſpeciem infuſam Angelis, eo quod omnes ſint acceptæ à rebus, quorum ſententias examinat Vaſq. 1. p. diſp. 201. à c. 1.

Ex quo patet.

Ad probationem: nam ſicut de facto, aut ſaltem de poſſibili datur ſubſtantia corporea non operatiua; ita dari poteſt incorporea; Neque tamen idcirco eſſet ignobilior corporea, quemadmodum nec cælum empyreum eſt ignobilius cælis inferioribus operatiuis; quia nobilitas attenditur penes eſſe intrinſecum, licet à poſteriori colligatur maior, aut minor ex operationibus, ſi propter ipſas ſit cõdita; ideo ſubſtantia huiuſmodi non operatiua, aut non intellectiua, eſſet inferior operatiuis quibuſcumque ſpiritualibus, etiam anima rationali, quæ de facto eſt infima in ordine intellectiuarum; ſed eſſet ſuperior qualibet corporea etiam operatiua abſolute loquendo, & ſimpliciter; licet ſecundum quid poſſet dici ignobilior, quia non eſt principium vitæ; non ſecus ac ſol, & corpora cœleſtia ſunt nobiliora formica, vel muſca, cum ſint incorruptibilia, & cauſæ inferiorum effectuum; tamen ſecundum quid dicuntur ignobiliora, quia carent vita, & vitalibus operationibus. Et ſic patet ad probationem conſequentiæ, iam enim diximus poſſe eſſe operationem immanentem, & tranſeuntem.

Ad inſtantiam reſpondeo quod poſſet habere operationem tranſeuntem per productionem alicuius qualitatis non in ordine ad conſeruationem ſui, vel alterius ſubſtantiæ; neque in ordine ad productionem nouæ; ſed vel ad ornatum, aut alium finem à Deo intentum quando miraculoſe produceret talem ſubſtantiam.

Ad confirmationem 3. quod illa ſubſtantia eſſet agens neceſſarium, & poſitis requiſitis ſemper ageret.

Ad 3. principale reſpondeo, quod illa non conſtitueret nouum gradum entis in vniuerſo; ſed pertineret ad gradum ſubſtantiæ ſpiritualis, quæ ſecundum ſe, & vniuerſaliter accepta abſtrahit ab intellectiua, & non intellectiua; ex quo patet

Ad confirmationem; nam ad perfectionem vniuerſi non pertinet vt producantur omnes rerum ſpecies contentæ ſub aliquo gradu eorum, qui de facto ſunt; omnia enim ſapientia diuina diſpoſuit in numero, pondere, & menſura: ſed poſſet ſi vellet addere & creare de nouo, vt communiter Theologi in 4. vbi S. Bonau. diſt. 44. a. 1. q. 1. explicat in quo, & quomodo mundus fieri poſſet melior. Itaque ex eo quod Angeli ſunt poſſibiles, colligitur quod ſint de facto, non argumento neceſſario, quia liberè ſunt creati, ſed conuenienti ex natura rei, cui proportionata eſt hæc exiſtentia: non autem colligitur exiſtentia ſubſtantiæ ſpiritualis, quia ex nullo capite innoteſcit

teſcit conuenientia eius poſitis aliis gradibus ad quorum vnum illa pertineret, ſi Deus de abſoluta potentia illam conderet.

Ad 4. principale, ſolum probat ad rationem intellectiui neceſſariam eſſe immaterialitatem, atque adeo & potentiam, & ſpecies intelligibiles, quod conceditur: non autem quod eſſentialem connexionẽ conuertibilem habeat cum intellectiuo, ita vt omne immateriale ſit intellectiuum, vt patet ex dictis, hoc enim ſemper demonſtrandum remanet; & quando aſſumitur vt notum, gratis ſumitur: non enim immaterialitas eſt ratio adæquata intellectiui, ſed talis perfectio ſubſtantiæ ſpiritualis: & ſic patet ad probationem ſequelæ.

Ad quintum, admiſſo antecedente negatur ſequela. Ad primã partem probationis. Ita regula verificatur in oppoſitis formaliter ſecundum quod opponitur v. g. ſi album vt album, eſt diſgregatiuũ viſus, nigrum vt ſic eſt congregatiuum; non autem in ipſis materialiter ſumptis; non enim ſequitur quod nigrũ ſi non ſit accidens ſubiecto inhærens ex eo quod opponitur albo quod eſt accidẽs & inhæreꝛ, ita nec ſequitur quod ſi nullum materiale eſt intellectiuum, omne immateriale ſit intellectiuum, quia immaterialitas non eſt adæquata ratio intellectiui, vt albedo eſt adęquata ratio diſgregatiui.

Ad alteram partem reſpondeo ex dictis ſubſtantiam productiuam operationum vitalium eſſe nobiliorem ſecundum quid, non ſimpliciter, & abſolute, ſubſtantia ſpirituali non operatiua vitaliter. Neque oportet eſſe loco motiuam, ſed poteſt eſſe productiua alterius qualitatis vt diximus.

Ad confirmat. concedo omnem ſubſtantiam ſpiritualẽ præcellere ſimpliciter corporea, ſecundum quid tamen poteſt cedere, ſicuti potentiæ animæ rationalis ſimpliciter ſunt nobiliores potentiis brutorum; ſecundum quid tamen cedunt aliquibus, puta cerui motrici facultati, & viſiuæ Aquilæ; Et ſimilibus.

Ad auctoritatem S. Auguſt. 3. contendit probare animam rationalem eſſe immortalẽ, ducto argumento à corpore quod quia factum eſt perpetuo ab eadem vt effectrice conſeruatur, etiamſi mutetur eius ſpecies, quia hæc mutabilitas non adimit corpori corpus eſſe, ſed de ſpecie in ſpeciem tranſire facit motu ordinatiſſimo; & hinc infert animum mutabilitate non deficere, ſed ſemper manere, quia melior eſt corpore quod & ipſum à conditore factum eſt & ſempiternum non eſt, nam ſi eſſet ſempiternum, etiam animus eſſet ſempiternus, & proinde immortalis, quia melior eſt corpore, qualis non eſſet, ſi factus ipſe fuiſſet, corpus autem ſempiternum auctore caruiſſet. Supponit ergo S. Auguſtinus quod ſempiternum eſt carere auctore, & à ſeipſo eſſe, & ideo corpus non poſſe eſſe ſempiternum, quia conditum à Deo eſt; quod ſi ſempiternum eſſet, & à ſeipſo eſſet, atque adeo nobilius animo qui factus eſt, quia quod à ſeipſo eſt, præſtat ei quod ab alio eſt; & ſic quod ſempiternum eſt ei quod non eſt ſempiternum: & quia animus corpori præferendus eſt, eſſet & ipſe ſempiternus. Idque patet manifeſte intuenti textum, & diſcurſum S. Auguſt. qui alioqui non erat neſcius ex maiori vel minori duratione non eſſe metiendam excellentiam vnius rei ſuper aliam, atque adeo neque ex æternitate, ſi ea eſſet poſſibilis in creatura; ſed quia in eius ſententia eſt impoſſibilis, & quod eſt æternum non eſt factum; ſed eſt à ſeipſo, ideo quicquid ſempiternum eſt, melius eſt non ſempiterno in eius ſententia. Non poſſe autem aliquam creaturam, neque ipſos Angelos eſſe æternos docet lib. 12. ciu. c 15. & alibi.

Ideo non concludit argumentum, quod ſi aliquod corpus eſt viuens, quælibet ſubſtantia ſpiritualis debet eſſe viuens, &c. quia non eſt hic vlla ratio peculiaris, ſicut eſt in ſempiterno quod eſt à ſeipſo, & non factum, ac proinde ſimpliciter nobilius in ſententia S. Auguſt.

Atque ita probata manet prima pars Maioris propoſitionis; quandoquidem ex ſolutione argumentorum apparet non afferri implicantiam quod detur ſubſtantia ſpiritualis non intellectiua. Ad probandam vero 2. partem ſit

Tertium Aſſertio.

NOn deſunt rationes probabiles ad oſtendendum non implicare contradictionem quod detur ſubſtantia ſpiritualis non cognoſcitiua, etiam ſi non præferendæ allatis pro ſecunda ſententia communi, quam ſequimur.

Primò de facto res materiales habent gradus perfectionis tam diuerſos, vt ab infimo non cognoſcitiuo aſcenſus fiat ad ſupremum cognoſcitiuum, ergo etiam in tota latitudine immaterialium poſſibilis eſt deſcenſus ad infimum non cognoſcitiuum. Antecedens patet inductione à rebus inanimis ad animatas, ac ſenſibiles; & ab illis imperfectioribus ad perfectiores, vſque ad animam rationalem, quæ cum ſit immaterialis in ſe, dicit tamen ordinem ad materiam, cuius eſt perfectiua, & à qua pendet in operari dum illam informat. Conſequentia patet ex regula oppoſitionũ, qua vtitur ſecund: ſententia; & ex inductione qua vtitur quod magis materialia minus cognoſcunt: nam materialitas eſt radix ac impedimentum cognitionis; & immaterialitas eſt ratio cognitionis; ergo ſicut creſcere poteſt materialitas vſque ad gradum cognoſcitiuum, ita poterit immaterialitas decreſcere vſque ad gradum non cognoſcitiuum. Tantum enim diſtat materiale ab immateriali, quantum hoc ab illo, ergo minui, & augeri poſſunt æqualiter. Dices quod immaterialitas intrinſece inuoluit gradum cognoſcitiuum, & ideo non valere inductionem vſque ad non cognoſcitiuum; neque etiam regulam oppoſitorum Sed contra eſt ratio qua

Secundò probatur aſſertio, nam vel eſſe immateriale includit gradum cognoſcitiuum eſſentialiter, quia eadem eſt entitas vtriuſque, ſicut eadem eſt entitas animalis, & ſenſibilis, & tunc idem eſſet quærere an poſſit eſſe ſubſtantia materialis non cognoſcitiua, ac quærere an poſſit dari ſubſtantia cognoſcitiua non cognoſcitiua, quod eſt ridiculum, quia nomina ſolum ſunt diuerſa. Vel 2. in eadem reali entitate gradus metaphyſicus immaterialitatis eſt quid ſuperius cognoſcitiuo, ſicut animal eſt quid ſuperius homine quod dicitur rationabilius, & tunc argumentum fit à ſuperiore ad inferius affirmatiue, quod eſt vitioſum, non ſecus ac ſi diceretur, Omne ani-

mal eſt homo, immateriale enim latius patet cognoſcitiuo, & multa ſunt immaterialia minime cognoſcitiua, vt ſpecies, & habitus intellectus, ac voluntatis cum actibus eius; Neque valet dicere quod omnia huiuſmodi entia pertineant ad ſubſtantiam ſpiritualem intellectiuam; tum quia hoc non impedit quin abſtrahatur conceptus communis prædicabilis de illis omnibus, ſicut abſtrahitur conceptus communis entis, & cuiuſlibet prædicamenti, in quo non valet argumentum affirmatiuum à ſuperiori ad inferius; tum quia dantur entia ſpiritualia non pertinentia ad ſubſtantiam ſpiritualem, niſi remotè, & per accidens; ſaltem de poſſibili; verbi gratia poſſet Deus aquæ, aut fructui, aut alteri corpori infundere qualitatem ſpiritualem, vel per actionem ſpiritualem in ordine ad effectus communes homini, & brutis. Tum quia manet adhuc difficultas, cur ſicut dantur huiuſmodi entia immaterialia non cognoſcitiua, ſit impoſſibilis ſubſtantia, quod non probatur demonſtratiue, nec oſtenditur implicantia. Vel tertiò immaterialitas eſt paſſio aut proprietas quarto modo conueniens cognoſcitiuo, & cum illo conuertibilis, vt eſt riſibilitas homini; & hoc non, quia per te immaterialitas eſt ratio intellectiui, & non poteſt eſſe paſſio cõſequens; quæ ſupponit eſſentiam in ſuo eſſe conſtitutam. Deinde petitur principium, quia ego dico latius patere immaterialitatem, & non eſſe proprietatem conuertibilem cum cognoſcitiuo: ſicut enim materiale quod eſt magis arctatũ per te, commune eſt cognoſcitiuis, & non cognoſcitiuis: Cur immateriale non poſſit abſolute eſſe etiam commune iiſdem? aſſignetur ergo implicantia. Non enim conſtat cur eſſe immateriale ſit vel principium, vel proprietas cognoſcitiui; & materialitas non ſit principiũ aut paſſio non cognoſcitiui; aut cur Deus abſolute non poſſit ſeparare ab immateriali, eſſe cognoſcitiuum.

Tertiò, Probatur principaliter, quia in ſententia S. Thomæ dantur de facto formæ & materiæ cæleſtes ſpecie differẽtes à ſublunaribus, & magis iis abſtractæ. In ſententia Auerrois datur corpus ſimplex cęleſte differens ab inferioribus: cur igitur dari non poſſit per potentiam diuinã ſubſtantia perfectior cæleſti, & imperfectior intellectiua? Aut cur non poſſet Deus mundũ creare, in quo cælum haberet formam ſpiritualem non intellectiuam, quæ eſſet principium motus circularis neceſſarii ad illius conſeruationem, & ſicut datur anima rationalis informans corpus organicũ, & in ipſo exercens operationes materiales, & ſpirituales; cur non eſt poſſibilis forma ſpiritualis inferior in corpore inorganico, quæ ſimul cum illò exerceat operationes materiales?

Confirmatur, quia poſſunt à Deo produci corpora perfectiora, & perfectura iis quę creata ſunt, & proinde formæ in infinitum perfectiores iis quæ condita ſunt: igitur peruenirì poteſt ad ſpiritualem proportionatam non intellectiuam, nam ſi Angeli differunt ſpecie in ſententia probabili Thomiſtarum, & in communi poſſunt produci perfectiores in infinitũ, argumento eſſe debet quod poſſent formæ, & ſubſtãtiæ ſpirituales non ſolum cognoſcitiuæ, ſed etiam non cognoſcitiuæ. Nec videtur maior ratio cur de facto inter materiales aliquæ ſint cognoſcitiuæ, aliæ non; quædam viuentes, aliæ vitæ expertes; & inter ſpirituales non poſſint dari aliquæ non cognoſcitiuæ.

Confirmatur 1. quia inter accidentia dantur multa diuerſæ ſpeciei, vt patet in gratia, habitibus acquiſitis, ac infuſis; potentiis, & actibus earum tam naturalibus, quam ſupernaturalibus, ergo probabiliſſimum eſt poſſe dari diuerſas etiam formas, & ſubiecta ſpiritualia ipſarum inter quæ ſint non cognoſcitiua.

Quartò, Eſſe ens ſpirituale, ſiue carens materia ſaluatur per hoc quod ſit in extenſum, & neque formaliter, neq; radicaliter principium extenſionis, & corporeitatis, ergo abſtrahit à cognoſcitiuo. Antecedens patet, quia tale ens eſt gradus ſuperioris quàm ſint corpora, & materialia. Conſequentia probatur: quia gradus ſuperiores ſunt cõmunes multis inferioribus ſubipſis contentis, & non proprii vnius tantũ, & ſic poſſunt coarctari ad multas differentias, vt patet in corpore, animali ect. & ſic eſſe inextenſum reperitur in accidẽtibus ſpiritualibus, in punctis indiuiſibilibus, quę non ſunt cognoſcitiua; ergo & eſſe ſpirituale reperiri poteſt in cognoſcitiuis, & non cognoſcitiuis, quia de ſe abſtrahit ab vtriſque: & cum dicis in ſuo conceptu cognoſcitiuum, aſſumis quod eſt probandum, & quod à me negatur.

Quæ & ſimilia argumenta habent quidem & ipſa ſuam probabilitatẽ, ſed non ſunt demonſtratiua: Ideo à retinentibus ſecundum ſententiam ſolui poſſunt, nam reſpondeo

Ad 1. negatur ſequela. Ad 1. partem probationis, regula oppoſitorum potius fauet nobis; ſicut enim nullũ pure materiale creſcit vſque ad non intellectiuũ. Ad alteram partem, materialitas aſcendere poteſt ad gradũ cognoſcitiuum, vt patet in brutis, ſed non ad intellectiuum, & vice verſa immaterialitas ſubſtantiæ non poteſt deſcendere ad non intellectiuum. Ad tertiam probationem nego ſequelam: diſparitas eſt, quia ſubſtantia materialis eſt indifferens ad cognoſcitiuũ, & non cognoſcitiuum, ſicut materia eſt indifferens ad plures formas; ſubſtantia verò ſpiritualis non eſt indifferens, quia magis participat de ratione actus, & formæ, quæ ob ſuam perfectionem non habet indifferentiam.

Ad 2. Eadem eſt realis entitas quæ dicitur immaterialis, & ſpiritualis & cognoſcitiua, ſed concipiuntur vt duæ rationes quarum vna, id eſt ſpiritualis, ſit radix alterius nimirũ cognoſcitiui; & idem eſt de immateriali, quod non differt à ſpirituali niſi ex modo ſignificandi, poſitiue ſcilicet, aut negatiue, eandem rem ſignificatam. Quare licet formaliter vt ſubſtant diuerſis cõceptibus ratio ſpiritualis, & cognoſcitiui habeant ſe vt prius, & poſterius; tamen in priori ſemper inuoluitur quod ſit radix poſterioris, quia non poteſt concipi ſubſtantia ſpiritualis, quin concipiatur vt principium intelligendi.

Inſtas peti principium, & non probari quod conceptum eſſentialem ſpiritualis ſubſtantiæ ingrediatur conceptus intellectiui.

Reſpondeo non aſſignari rationem demonſtratiuã, ſed valde tamen probabilem, vt patet

Digitized by Google

ex dictis assertione prima. Ex quo patet.

Ad tertium: quicquid enim sit de duplici illa sententia circa naturam cœli, negatur sequela, ob argumenta allata. Eidem dico ad 1. confirmationem & ad secundam.

Ad 4. principale, conceptus spiritualis in communi est analogus ad substantiam, & accidens, & ab eo non valet arguere, Est spirituale, ergo intellectiuum. Sed bene, Est substantia spiritualis, ergo intellectiua, quia sunt prædicata essentialiter connexa esse substantiam spiritualem, & intellectiuam; nec assumo probandum, sed probatum rationibus longe verosimilibus.

DISPVTATIO IV.

DE NECESSITATE DIVINI CONCVRSVS IMMEDIATI CVM CAVSIS secundis in vniuersum.

QVÆRIS fortasse, Lector, cur selectis hisce quæstionibus disputationem de immediato Dei concursu adnectam, minime, te censore, connexam. Respondeo id à me præstitum, ne quis quæreretur omissum. Nimirũ actum supra fuit de necessariis tam in actu primo, quàm secundo, ad hoc vt creatura subseruiat Creatori ad opera naturæ vires superantia: primò quidem in vniuersum; deinde vero in particulari de actibus supernaturalibus à potentiis vitalibus diuinitus eleuatis elicitos. Reiecta interim probatione suppositionis concursus in hunc locum ordinis gratia, & claritudinis: Quanquam enim illa apud sapientes diuturna, pacificaque possessione certitudinis fruebatur; tamen non defuere nostro sæculo Theologi, qui deturbare illam sunt conati, eo maxime nomine, quod officere creatæ libertati; & aduersari increatæ sanctitati arbitrarentur. Nam neque illam stare cum prædeterminatione, aut concursu concomitante; neque hanc cum cooperatione ad malum sociari posse vllo modo palam, libereque proclamant, & expunctum volunt ex albo theorematum theologicorum positionem vetustam pro Dei concursu immediato pugnantem, illumque in actionibus quibusuis, præsertim vero supernaturalibus intellectus ac voluntatis agnoscentem. Male igitur consultum causæ fuerit, ni machinationibus nouis occurratur antiquis ponderibus auctoritatum rationumque fortium, & sistatur denuo fundamentum potissimum substructionis nostræ, quæ dubio procul labaret, ac rueret, si diuinus concursus auferretur.

Quanquam aliunde etiam moueri poterat animus ad tractationem istam serio aggrediendam, quia concursus huiusmodi cum voluntate ad actus liberos, graues inuoluit difficultates quarum dissimulatio mancam, mutilamque disputationem redderet? vt propterea explicandæ sint ac enodandæ pro instituti ratione circa potentiam obedientialem versantis: aliis interim relictis, quæ vel illam non attingunt, vel necessaria minime sunt ad ipsius explanationem. In quibus omnibus examinandis eadem ferme methodo vti mediior qua & in superioribus vsus sum, & in quæstiones, & capita totam disputationem partior, quæ mox indicantur.

Digitized by Google

An de Potentia abſoluta poſſit operari creatura, non operante cum illa Deo.

CAPVT I.

Referuntur tres ſententiæ.

1. COnfurat S. Auguſt. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 20. eorum commentum, qui arbitrabantur (inquit) tantummodo Mundum ipſum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipſo Mundo, ſicut ille ordinauit, & iuſſit. Contra quos profertur illa ſententia, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Deinde quia non ſolum magna, & præcipua, verùm etiam & iſta terrena, & infima ipſe operatur, vt dicit Apoſtolus, &c. Vt proinde ſcripturæ ſacræ refragentur, teſte Auguſtino, qui Deum quaſi otioſum cum inſipientibus apud Iob. c. 22. circa cœli cardines ambulare fingunt, & ab omni operatione extrinſeca feriari: Cum iis nihil nobis negotij in præſentia; ſed cum aliis, qui & conſeruari res creatas à Deo; & in dies creari animas, & cœleſtibus imbui donis, & vniuerſum à diuina prouidentia adminiſtrari cum fateantur; de concurſu tamen ipſius cum creaturis varie philoſophati ſunt.

S. Auguſt.

Ioan. 5.

Prima inter hos ſententia fuit olim magnorum virorum, vt loquitur S. Bonau. in 2. diſt. 37. a. 1. q. 1. negans de facto immediatum Dei concurſum cum omnibus actionibus cauſarum ſecundarum, quòd reputaret indecens eius ſanctitati concurrere ad malas. Huius poſitiones adeo rationabiles appellat S. Bonau. ibidem, vt nec Magiſter auſus fuerit cenſuram inurere, relinquens prudentis lectoris arbitrio iudicium ex plena notitia quam de illa tradidit formandum. An verò Doctores illi negauerint eundem concurſum vniuerſaliter ad omnes effectus, non meminit ibi Magiſter; ſed conſequenter ad eorum dicta non eſſet neceſſarius, quia eadem ratio eſt de malis operationibus quatenus entia poſitiua ſunt, ac de reliquis naturalibus, Ideo

Secunda ſententia vniuerſaliter negat neceſſitatem, & poſſibilitatem diuini concurſus immediati, quia exiſtimat omnia fieri à deo mediantibus ſecundis cauſis, cum quibus dicitur concurrere mediate, quia dedit illis eſſe, ac virtutem operandi, eamque conſeruat. Durand. in 2. d. 1. q. 5. & d. 37. q. 1. Aur. diſt. 38. a. vn. & alij pauci notæ inferioris à primis Theologis, quibus libenter, licenterque vale dixere: qui quidem ſi in Dei arbitrio poſitum aſſeuerarent communicare ſuum concurſum cauſis ſecundis, illumque aſſociare operationibus ipſarum, exceptis dumtaxat malis tolerandi fortaſſe eſſent; ſin vero hoc impoſſibile aſſerant, male audiunt apud ſapientes damnantes effatum iſtud temeritatis, & vix non hæreſis; de quo Albert. in 2. d. 35. a. 7. Alia, inquit, opinio ferè ceſſit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica, &c. eo quod à Scriptura ſacra, & Patribus, eam interpretantibus longius abeat, & rationibus non fulciatur adeò validis, vt non facile ſoluantur à communis ſententiæ ſectatoribus.

Hanc multis iam ſæculis damnatam exilio opinationem reuocare conatus eſt hoc noſtro ad limina ſcholarum R. P. F. Ludouicus à Dola, eo collimans vt ablegato concurſu immediato rueret machina argumentorum; quibus vtraque pars famoſæ diſceptationis de Auxilijs diuinæ gratiæ, ipſo quidem iudice, oppreſſa ſuccumbit, vtpote nixa falſo fundamento neceſſitatis concurſus huius, quod eſt fons iurgiorum quæ perpetim exercent, ac torquent ingenia pugilum ſtrenuorum ſine ſpe victoriæ, & concordiæ quandiu ad ſiſypheum hoc ſaxum defudare perrexerint.

Verum enimvero non hic vertitur cardo quæſtionis; & etiam ſublato concurſu immediato adhuc reſtat potiſſima difficultas de concordia creati arbitrii cum decreto Dei, & de efficaci auxilio gratiæ vt infra oſtendam, & interim ſubtrahere Dei concurſum creaturis operantibus, vt tu te ſubtrahas incommodis argumentorum binas vtrinque ſententias prementium, quid aliud obſecro ſit, quam declinatione Charybdis in ſcyllam prolabi? & opponere ſe Theologici exercitus Principibus omnibus, conatus videtur ſiſtere tentantis impetum torrentis exundantis, & minime cogitantis an poſſit cum paucis militibus occurrere oi qui cum multis millibus venit contra ſe: proinde conſultius fuerit, ac prope neceſſarium ſtare cum iſtis, à quibus propius abeſt citatus Auctor, quam plerique cæterorum ſibi fauentium; ſolum quippe negat poſſe Deum ad actus liberos concurrere ſalua libertate creati arbitrij, & ad malos, illæſa ſanctitate increata; concedit autem poſſe ad actus indeliberatos ſupernaturales non liberos, & multo magis ad naturales cauſarum reliquarum, vt patet legenti partem quartam diſputationis quadripartitæ à cap. 18. & alibi; vt propterea inuentor potius nouæ ſententiæ æquioris, quam innouator veteris habendus eſſet, niſi pro Durando, Aureolo, & aſſeclis eorum pugnare ſe profiteretur animo ſoluendi nodum gordum fatali hoc gladio, qui nec ſcindi quidem poteſt, niſi cun eo acriori, & non nodo altero, quia

Non ſoluit litem, qui litem lite reſoluit.

Tertia ſententia eſt omnium ferme Theologorum S. Bonauen. S. Thomæ Scoti, Nominal. locis infra citandis; quos ſequuntur noſtri Suarius; Vaſquez, Valentia, Molina Leſſius, Ruiſ, & alij agnoſcentes neceſſitatem diuini concurſus immediati ad omnes operationes cauſarum ſecundarum tam libere agentium, quàm neceſſario. Procuius explicatione, & confirmatione diſputationem hanc in tres partes quæſtiones ſecabor; In quarum prima oſtendam in vniuerſum cauſas ſecundas indigere cõſortio primæ, non ſolum cõſeruantis, ſed ſimul cooperantis. In ſecunda eandem indigentiam extendi etiam ad malas, vt entitates quædam poſitiuæ ſunt,

Digitized by Google

citra periculum læsæ sanctitatis demonstrare conabimur non quærenti mathematicas demonstrationes, vbi probabilibus argumentis, sed vrgentibus tractari, contenta res est, iuxta monitum Philosophi lib. 1. Moral. Nicom. cap. 7. & lib. 2. cap. 2. vetantis in omnibus simili modo causam, id est demonstrationem requirendam, & argumenti quidem natura ac dignitas postulabat, vt de concursu Dei ad actus bonos ac supernaturales ageretur; sed quia in eo multa erant admiscenda quæ pertinent ad auxilia diuinæ gratiæ, de quibus differi per sanctissimi tribunalis leges vetitum est, ideo hac parte prætermissa.

Tertia erit velut appendix & complementum præcedentium, & quid sit iste concursus immediatus primæ causæ inuestigabit. Porrò quia pars aduersa desperatæ suæ causæ patrocinium, quantum potest maximum, implorat, potius quam obtinet ab auctoritate sacræ Scripturæ, Patrum, Conciliorum, scholasticorum; Quin & remis, velisque contendit vt vi rationum roboret, quam aduertit exanimem prope concidisse; iccirco ea etiam seruanda nobis est methodus, vt ab iisdem capitibus nihil vel detraxisse certitudinis nostræ, vel addidisse probabilitatis suæ sententiæ liquidius fortasse constat, quam hactenus constiterit, nullo amplius indubium reuocante veritatem, quam à veteribus magistris post longam discussionem, vt loquitur S. Bonau. posteritati transmissam adamarunt scholæ Theologorum, & coluere diligenter, donec à recenti innouatore rursus coacta est incudi subdi, & subire malleos examinationis non alio speramus exitu, quam vt lucidior, splendidiorque prodeat in conspectũ litteratorum.

Quid, & quotuplex sit concursus Dei immediatus in vniuersum.

CAPVT II.

1. *Concursus Dei in actu 1. & 2.*
2. *Immediatum dicitur 2.*
3. *Agens immediate immediatione suppositi, & virtutis.*

Vt dixi supra disp. 1. §.

ADuerte primo quod dupliciter loqui possumus de concursu Dei, quantum satis est ad præsentem disputationem; vel enim cõsideratur in actu primo, vel in actu 2. Primo modo nihil est aliud quam diuina potentia applicata per suam voluntatem ad operandum cum creatura, quæ fit per actionem Dei ad intra necessariam ad hoc, vt creatura sit potens agere; propter essentialem dependentiam ab illa, vt Soar. passim in opusculis, & aliis locis infra citandis. Secundo modo est ipsa operatio Dei ad extra ratione solum distincta ab operatione creaturæ, vt idem docet in Metaph. disp. 22. cect. 3. & lib. 1. de concursu Dei cum volunt. cap. 4. & ideo est aliquid per modum actionis, vel saltem per modum fieri tranſeuntis seu manantis immediate à potentia applicata per modum principij ex eodem sect. 2. fusius probante, quod nobis potius supponendum est, quàm probandum, ea dumtaxat sumentibus quæ inseruiunt propositæ quæstioni de necessitate ipsius, & non quæ ad naturam, varioſque modos enucleatius prosequendos, quod præstitum est ab aliis nostris Theologis, ac Philosophis quàm accuratissimè.

Concursus Dei in actu 1. & in actu 2.

2. Secundò, Dici concursum istum immediatum in vtroque sensu, hoc est tam in actu consideratum, quàm in actu secundo. Immediatum enim, seu carens medio, dupliciter contingit, primò quasi absolute, quia non est resolubile in aliud prius à quo pendeat, aut in esse, aut in probari, quomodo Deus dicitur causa immediata, quia prima, ac independens, & primò principia vocantur immediata ab Aristotele primo Post. c. 2. quia ex terminis cognoscibilia sunt, & non demonstrabilia per priores propositiones. Secundo dicitur aliquid immediatum relatiue eò quod inter ipsum, & alterum nihil mediet, vel secundum situm, vt si corpora sint contigua, aut se penetrantia supernaturaliter; vel secundum ordinem, vt sunt numeri se consequentes binarius, ternarius, &c. partes mundi magni terra, aqua, aër, &c. & parui, caput, collum, pectus, &c. vel secundum causalitatem, & dependentiam, quomodo agens dicitur immediatum effectui in causando, quem sua virtute immediate attingit. Pro quo

Immediatum est aliquid dupliciter.

Tertiò, Aduerte quod agens dicitur agere immediate, vel immediatione virtutis, vel immediatione suppositi: primo modo agit non solum causa, cuius virtus est prima, & independens, qualis est sola diuina; sed etiam aliæ inferiores ab illa pendentes quæ immediate producunt effectum cum illa; siue deinde vocentur causæ partiales, siue totales, & siue sint subordinatæ inter se, siue subordinantes, quia quæcunque sint, quælibet per se ipsam exhibere potest concursum, & non per aliam agere, atque adeo immediate simul omnes causare ex virtute propria, quod sufficit ad hoc vt dicantur agere immediate immediatione virtutis, quicquid aliqui contra sentiant. De immediatione suppositi est aliqua etiam diuersitas inter Theologos, quæ potius videtur de modo loquendi, quam de re ipsa: Nam Ferrarien. in 3. cont. gent. c. 70. negat illam, vbi secundum ordinem causalitatis interuenit causa coagens alteri à qua mouetur; & quia putat creaturas esse Dei instrumenta, ideo inter ipsum, & effectum asserit mediare suppositum alterum, non secus ac inter aream, & fabrum media est serra, ratione cuius non est immediate agens immediatione suppositi, sed solum virtutis, quæ per instrumentum deriuatur in effectum ab ipsa productum, & discrimen ponit inter has duas immediationes, quia ordo consideratur in suppositis cum dicimus vnum operari per aliud, est ordo descensus, ordo verò in virtutibus, est ordo ascensus; cum enim dicimus vnum suppositum operari per aliud, intelligimus quod agit per illud, tanquam per instrumentum ab eo motum ad aliquid producendum, & ideo consideratur ordo descensus ab vno non moto vsque ad infimum motum: sed cum dicimus virtutem vnius agere

Agens immediate vel immediatione virtutis vel suppositi.

Ferrariẽs.

per virtutem alterius intelligimus ipſius virtutem à virtute alterius tanquam ab agente, ſiue tanquam à ſuperiori forma dependere, inquantum ab ipſa ad ſuam operationem mouetur, & ſic vbi multæ ſunt virtutes ſubordinatæ eſt ordo aſcenſus à virtutibus motis ad virtutes mouentes ex quo ſequitur quod cum dicimus aliquod agens eſſe immediatum, intelligimus poſt ipſum non eſſe aliud ſuppoſitum agens ab ipſo motum; cum autem dicimus aliquam virtutem eſſe immediatè productiuam effectus, intelligimus ipſam ante ſe non habere aliam virtutem à qua moueatur, ſed ipſam eſſe ex ſe productiuam effectus.

Verùm neque creaturæ propriè loquendo ſunt Dei inſtrumenta in operationibus ſuæ virtuti proportionatis, vt infra oſtendam, & etiamſi eſſent, neque ſubordinatio, neque dependentia earum obſtat quominus agere Deus dicendus ſit immediate immediatione ſuppoſiti, & virtutis quia vbique præſens eſt & intimus rebus omnibus tam per ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam, quàm per ſuam virtutem ab illa indiſtinctam: Cœlum & terram ego impleo, Hierem. 23. vt S. Bonauentura in prima diſtinctione 37. S. Thoma ibidem & c. p. q. 8. de Potentia q. 3. ant. 7. & proinde nullum agens mediat inter ipſum, & effectum, quod ſatis ad immediationem ſuppoſiti, & cum alioqui magis influat in effectum, quam cauſa ſecunda cum ipſo agens vt S. Bonau. in prima diſtinctione 45. a. 2. q. 2. & S. Thomas prima parte quæſt. 104. a. 2. c. & plus attinget ad intima rei, vt idem in 2. diſtin. 1. q. 1. a. 4. c. Propterea melius dicitur Deus concurrere immediate vtroque modo, & eſſe cauſa proxima vt tenet Soarius in Metaphyſic. cit. diſp. vingt deux 1. numero 17. & libro primo de concurſu Dei c. 4 n. 4. poſt Caiet. 1. p. q. 8. a. 1. & alios à quibus diſſentit Vaſq. 1. p. q. 22. in a. 3.

Diſp. 1. q.

Ierem.

S. Bonau.

S. Thom.

Neque ordo ille deſcenſus, & aſcenſus à Ferrar. aſſignatus eſt ſufficiens diſcrimen inter immediationem ſuppoſiti, & virtutis; quia ſi attendatur ordo cauſalitatis, tam ſuppoſitum increatum eſt independens, vt etiam virtus eius ipſi identificata, quàm creatum eſt deſpendens, ſicut & virtus eius; atque ordo ſecundum hanc conſiderationem in vtroque eſt immediatio, vel mediatio, vt nimirum dicatur agens creatum agere immediate, etiamſi ſit ſubordinatum increato, & ab ipſo pendeat, quia ab ipſo præſente proximè manat effectus, ſicut ob hanc cauſam dicitur agere immediate immediatione virtutis, quia inter virtutem eius & effectum nihil mediat; & aſcenſus, vel deſcenſus non obſtat, quia quod eſt immediatum in aſcenſu, eſt etiam in deſcenſu, ſi in vtroque nihil ſit medium; ſic inter elementa aër eſt immediatus aquæ, & in Cœlis cœlum Lunæ cœlo Mercurii ſiue aſcendas, ſiue deſcendas numerando.

Aſcenſus & deſcenſus nonobſtat immediationi.

4. Dices cum P. Didaco Ruiſ. de voluntate Dei diſputatione 45 ſectio 6. numero 11. & diſp. 5. de prouid. ſect. 5. concurſum primæ cauſæ ad particulares effectus eſſe mediatum mediatione ſuppoſiti ſaltem ſub aliqua ratione, inquantùm videlicet conuenit ad peculiarem differentiam, & determinationem vniuſcuiuſque effectus, in quo mediant cauſæ particulares, ſecundum omnes Philoſophos, & Theologos, præſertim S. Thomam 3. cont. gent. c. 77. & 1. p. q. 105. a. 6. & alios.

Reſpondeo negando mediare cauſas particulares: nam prima cauſa vniuerſalis immediate cum illis attingit omnes rationes poſitiuas effectus, & totam eius entitatem, quia cum ſit actualiſſima, & intima cuilibet rei creatæ, poteſt in totam ſubſtantiam eius, vt docet S. Bonauentura loc. cit. & non agit proprie per cauſas ſecundas, ſed cum illis coagit, neque apparet intermedium ſuppoſitum, quia dependentia, & ordo cauſalitatis inter primam cauſam, & ſecundam, neque quoad rem, neque quoad proprietatem ſermonis facit mediationem ſic agens ſit præſens, & virtus eius immediatum principium actionis, & termini.

Theologi verò tantum volunt, quod Deus ſecundum rationem prouidentiæ nouit, & gubernat omnia, licet ſecundum executionem adminiſtret infima per media, & hæc per ſuprema, quæ eſt doctrina citata etiam à S. Thom 1. p. q. 115. a. 3. & S. Bonau. in 2. diſt. 14. a. 3. q 1 S. Auguſtino 3. Trin. cap. 4. *Sed quemadmodum* (inquit) *corpora craſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; Ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ rationalis, & ſpiritus vitæ rationalis deſerter, atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem pium, & iuſtum, & ille per ipſum Deum: ac ſic vniuerſa creatura creatorem ſuum ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atque inſtituta eſt. Ac per hoc voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum, atque motionum, &c.* Quibus verbis & rationem gubernationis, & immediatum influxum in omnes operationes creaturarum à Dei voluntate, & non ſolum conſeruationem haud obſcure indicat S. Auguſt.

S. Thom. S. Bonau. S. Auguſt.

5. Sed rurſus dices cum Vaſq 1. p. q. 22. a. 3. §. penult. contra Caiet. & Soar. immediatio ſuppoſiti non debet attendi ſecundum loci propinquitatem: ſed inter cauſas quatenus vna ſubeſt alteri, & modificatur eius concurſus ab alia, & quia concurſus cauſæ primæ modificatur à cauſa ſecunda, vt infra patebit, ideo hæc dicitur propinquior, & magis propriè; cauſa verò prima dicitur remota, & vniuerſalis.

Reſpondeo negando aſſumptũ, quia ſi agens ſit intime præſens, & virtus eius cum ipſo identificata immediate attingat effectum, eſt ratio ſufficiens denominationis, qua dicitur immediate agere immediatione ſuppoſiti, etiamſi concurſus eius modificetur à cauſa ſecunda: & alioqui neque hæc diceretur immediatè agere immediatione ſuppoſiti, quia & in ſuo eſſe, & in ſuo operari ſubordinatur primæ: ſicut ergo ſubordinatio iſta non obſtat quominus dicatur agere immediatè immediatione virtutis pendentis à virtute primæ Cauſæ, ſecundum Vaſq. ibidem, quia ab illa

Digitized by Google

proxime manat effectus; ita nec obstat ordo agendi immediationi suppositi intime præsentis, & per se proxime agentis cum alio supposito. Et licet P. Ruis. disp. 5. de Prouid. sect. 12. refellat dictum Vasq. quod agens agere dicatur immediate immediatione virtutis, si à virtute sibi innata, & non producta in alio, proximè sit effectus; tamen cum nihil hic etiam mediet inter causam, & effectum, admittimus vt congruum modum istum loquendi, sed quia inter voluntatem Dei, & effectum creaturæ nihil mediat, ideo non solum est immediata, quia est prima, & independens, sed etiam quia ab ipsa proxime est effectus, quamuis media actione, quæ est solum medium, quo non impediens immediationem suppositi, & virtutis, verum quia voluntas Dei potest assignari ab Aduersario pro causa sine qua non, sed conditione tantum requisita, quæ nihil operetur immediate, aut etiam pro causa indirectè, quæ non impedit cum possit, vt S. Thom. 3. p. q. 4. a. 1. c. Propterea

Aduertendum 4. *Nihil fieri visibiliter, & sensibiliter*, ait S. Augustinus loc. cit. *quod non de interiore inuisibilis, atque intelligibilis aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur*: quod genus causandi extra controuersiam est apud Catholicos: sed nos præterea à voluntate Dei siue in potentia per voluntatem applicata modo inferius explicando prouenire dicimus positiuum influxum in effectus creaturarum; cum quibus simul operatur vna, & eadem actione indiuisibiliter ab ipsis manante iuxta communiorem sensum Theologorum, quos suo loco referemus: In quo nobiscum conueniant necesse est quotquot præterea requirunt antecedentem motionem in causam secundam à prima deriuatam, tanquam determinatiuam, & applicatiuam illius ad agendum prius natura quàm agat, vt enim aduertit Soar. disp. 22. Metaphysic. sect. 2. num. 3. nisi concursus hic antecedens influat immediate in actionem causæ secundæ, sed solum causam determinet, quæ deinceps ex se ipsa agat, parum differt ab opinione Durandi, quia Deum facit principium remotum, non secus quam si in ipsa creatione complementum istud virtutis indidisset; non enim refert quando sit datum, si non influit immediatè, si verò influit, iam non est per modum principij, & actus primi, sed actualis influxus ab aliquo completo principio ex increata, & creata virtute illi subordinata. Quod si dicas ita applicari causam per virtutem fluentem ipsi impressam vt simul. Deus influat cum illa sic applicata, reuocas iliadem argumentorum contra Physicam prædeterminationem, à qua mihi abstinendum proponi ne digrediar à temita, cui insisto, in qua mecum incedunt, qui concursum immediatum Dei concedunt cùm causis secundis, tam qui applicationem natura priorem ad operationem deposcunt, vt plures Thomistæ; quàm qui ipsam operationem habent pro formali applicatione, vt Caiet. 1. p. q. a. 13. §. *Nec sustinendus*, & q. 19. a. 8. §. *primo distinguendæ. Dupliciter*, inquit, *contingit secundam causam moueri a prima: uno modo motione præuia propriæ actioni, sicut baculus mouet lapidem motus à manu; alio modo motione cooperatiua intrinseca propriæ actioni; & quidquid sit de maiori in primo sensu, in secundo tamen est falsa, in quo tantum verificatur minor; non enim oportet cum aliquis uult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari; sed sufficit, & exigitur eam intrinsecè cooperari tali electioni, vel illuminationi, & hoc quia cooperatio in vnoquoque est secundùm naturam vnius cuiusque, sic enim disponit omnia suauiter, &c.* & in fine subdit respondens secundo argumento Scoti, cuius erat illa maior, Prima causa prius naturaliter respicit effectum, quàm quæcumque alia causa, &c. *Ita*, inquit, *proposito non est sic intelligenda, quasi sit aliqua duratio naturæ, in cuius primo instanti causa prima respiciat effectum, & in secundo causa secunda; puerilis enim hic est sensus, ex quo tamen consequentia processisse videtur; sed est intelligenda quoad independentiam, & intimitatem; attingit enim prima Causa effectum secundæ, & independentius & intimius quam secunda, vt patet in principio libri de Causis, & propterea dicitur respicere prius.* Quæ planissima doctrina Caiet. nobis valde commoda est, hoc solum spectantibus quod Deus cooperetur creaturis immediatè, & quod solum dicatur prius influere, quia magis intime, & independenter influit, non quia per influxum natura priorem influxu causæ secundæ.

S. August. Nihil fit nisi Deo volente, aut permittente.

Caiet.

Caiet.

Consonat S. Bonau. in 2. dist. 37. a. 1. q. 1. fin. *In operibus*, inquit, *indifferentibus, vel etiam malis, non est nisi sola cooperatio diuinæ virtutis, qua existens in creatura potentialiter, essentialiter, & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando. Propter quod conceditur ibi esse cooperatio, non præsentio, vel subsecutio.* Quam auctoritatem obiter hîc aduerti velim ab iis, qui S. Bonau. eò trahere conantur, vt totum Dei concursum conseruationi tribuat, cum manifestè asserat creaturam non solum conseruari à Deo, sed etiam adiuuari in operando; & hoc adiumentum esse cooperationem, non aliquid illam antecedens, aut subsequens; quod repetit pluribus locis infra adducendis in proprio capite. Dixit autem indifferentibus, aut malis, quia in meritorijs opus est gratia præueniente excitante voluntate, & roborante, & simul cooperante, vt omnes nostri, & alij, & signanter Molina in concord. cap. 14. a. 3. disp. 40. §. Ad 2. & Bes. in Opus. de Gratia, cap. 11. cum 1. cap. ostendisset contrarium falsò imponi Molinæ, sicut & multa alia, siue deinde auxilium præueniens influat physicè in consensum vt causa partialis quod asserit Molina, & Bellarm. lib. 1. de lib. arbit. c. 13. siue tantum moraliter per modum allicientis, & suadentis, vt plerique apud Soar. l. 3. de concur. c. 4. num. ibid. probabilem sententiam iudicantem, & apud Les. c. 15. sequentem opinionem Bellar. & Molinæ, sed tamen contrariam etiam defendentem citra vllum periculum, quia Deus se ipso concurreret, & suppleret quod deesset voluntati ex parte habitus; vtrouis enim modo diceretur concurrere immediate, quod nunc intendimus reseruata alia quæstione suo loco inferius. Verum quæ hîc præmi-

S. Bonau.

Digitized by Google

ſimus tanquam neceſſaria ad intelligentiam ſtatus diſputationis, & ſententiæ communis de concurſu immediato, non fuerunt exactius diſcutienda, quia illud dumtaxat intendimus, vt probemus illum de facto dari, & non poſſe creaturam vllam ſine ipſo operari, relicta interim cura Philoſophis vberius de natura, & proprietatibus eius diſſerendi, niſi quatenus ad illam nos vocabit neceſſitas ſoluendi argumenta, vel inde petita, vel eorum explicationem petentia. Ordiamur igitur à primo & præcipuo capite probationis, quæ eſt auctoritas Scripturæ ſacræ.

Probatur ex ſacris litteris Dei concurſus immediatus cum actionibus Creaturarum.

CAPVT III.

ADhuc non intendo probare abſolutam impoſſibilitatem operationis creaturarum ſine cooperatione creatoris; ſed ſolum quod de facto non operentur abſque illa: hinc enim pedetentim innoteſcet quid ſentiendum de illa ſit.

Primò igitur ſeligo præcipuas ex multis, quæ paſſim referuntur auctoritates, & in duas partior claues. Prima eſt earum, quæ vniuerſaliter de ipſo loquuntur. Altera earum, quæ ad particulares effectus deſcendunt in quibus ſingulariter elucet artificium, & opus admirabile diuinæ ſapientiæ.

Prioris generis eſt illa toties ab Auguſt. vſurpata ex cap. 5. Euang. S. Ioann. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor*, quæ auctoritas vniuerſalis eſt, & complectitur quamlibet Dei operationem, vt notat ibi Maldon. & patet ex Patribus, ne illam reſtringas cum Cæſario ad opera Dei in procuranda ſalute hominum. Sic Chryſoſtom. hom. 37. in Ioann. *Quod ſi percontareris*, inquit, *& quomodo Pater operatur cum ſeptimo die ab omni opere ceſſauerit: accipe quomodo prouidet, continet, temperat omnia, quæ fecit. Cum igitur Solem Orientem, Lunæ curſum ſtagna, fontes, pluuias, naturæ vim in ſeminibus, in noſtris, & brutorum corporibus progreſſum, cætera omnia, quibus hoc totum conſtat, vides, intellige perpetuam Patris operationem, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, &c.* hæc opera naturæ ſunt, & à conſeruatione diſtincta; aliud enim eſt conſeruare Solem, & Lunam, & elementa; aliud facere illum oriri, & currere: aliud conſeruare aquam, aliud vapores eius in pluuiam cogere, & ſoluere, vtrumque autem Pater cœleſtis operatur, & conſeruans virtutem, quam dedit, & operans cum illa effectus propter quos dedit.

S. Auguſt. — S. Chryſ. — Matth. 5.

In eundem ſenſum S. Auguſtinus Epiſtol. 146. ad Conſent. *Quomodo enim negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta quæ creantur, cum Dominus dicat, Pater meus vſque nunc operatur? Vnde illa ceſſatio ſeptimæ diei ab ipſis naturis condendis intelligenda eſt facta, non ab earum adminiſtratione qua condita*

S. Auguſt. VI.

reſeruntur. Cum ergo natura rerum à Creatore adminiſtretur, & per ordines præfinitis locis, & temporibus ſuis cuncta naſcantur, Deus vſque nunc operatur. Nam ſi Deus nunc iſta non formet, quomodo legitur, Priuſquam te formarem in vtero, noui te? quomodo etiam accipi poteſt, quod ſi fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, niſi forte credendum eſt fœnum à Deo veſtiri, & à Deo corpora non formari? Cum enim dixit veſtit, non de præterita ordinatione, ſed de præſenti ſatis indicat. Quid clarius ad ſignificandam Dei operationem immediatam dici poterat? Certè formare lineamenta corporis, veſtire fœnum agri, operari quæ præfinitis locis, & temporibus naſcuntur, non eſt ſolùm conſeruare, ſed conſeruatam creaturam in operando iuuare, non per ſolam ordinatione voluntatis, qua ab æterno cuncta diſpoſuit, ſed per concurſum ab illa manantem, quo in tempore cuncta gubernat.

Idem habet S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. cap. 13. *Denique*, inquit, *& Deus ab operibus mundi quieuit, non ab operibus, cuius ſempiterna, & iugis operatio eſt, ſicut Filius ait, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, vt ad ſimilitudinem Dei ſæcularia noſtra opera non religioſa ceſſarent.* S. Ambr.

Origenes etiam Homil. 23. in Num. cap. 28. *Semper enim videmus Deum operari, & nullum Sabbathum eſt, in quo Deus non operetur, in quo non producat Solem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluat ſuper iuſtos, & iniuſtos; in quo non producat in montibus fœnum; & herbam ſeruituti hominum; in quo non percutiat, & ſanet, deducat in infernum, & reducat; in quo non occidat, & viuere faciat, vnde & Dominus in Euangelijs cum Iudæi præſcriberent ſibi de operatione, & curatione Sabbathi, reſpondit eis, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, oſtendens per hæc in nullo huius ſæculi Sabbatho requieſcere Deum à diſpenſationibus mundi, & à prouiſionibus generis humani, &c.* Orig.

Ad idem ſunt Cyrillus, Theophilactus, Euthymius, Beda, & alij apud Maldonatum explicantes hunc locum Ioannis de perenni operatione Dei cum creaturis.

Reſponſio Aduerſariorum.

DIcunt Chriſtum Dominum hinc ſolùm probare voluiſſe ſe eſſe Dominum Sabbathi, ſicut & patrem, & ideo immunem à lege iubente ceſſationem in ſabbatho, & cum illo ſemper operari in conſeruatione cœli, ortu animarum, non autem influere immediatè in omnes effectus creaturarum: conſeruatio enim perpetua operatio eſt, ſicut & iugis creatio animarum, & ſanctificatio per infuſionem donorum ſupernaturalium.

Deinde reſpondent, omnia opera fieri à Deo non immediato concurſu, ſed voluntate directè volente omnes operationes præter malas; quæ voluntas eſt principium ſine quo nulla eſſe poteſt: quo ſenſu exponi poſſunt ſcriptura, & Patres, vt Hurtadus notat diſp. 10. Phyſ. 11. Licet ſequatur communem.

Addit Paret à Dola p. 4. quadrip. diſp. c. 16. hoc eſſe dictum contra Hæreticos negantes Deum quicquam amplius operari.

Digitized by Google

Contra primum est quod Patres interpretantur de vniuersali operatione, & effectibus
Psal. 146. etiam minoribus, v. g. productione fœni, qui producit in montibus fœnum; de vestitu eius,
Luc. 12. si fœnum agri Deus sic vestit; ortu pluuiarum, seminum generatione, & breuiter de cæteris omnibus, quibus constat vniuersum, vt manifestant auctoritates citatæ, & aliæ infra citandæ, apertè loquentes de operatione Dei cum illis, & non de sola conseruatione: si ergo iuxta sensum Sanctorum Patrum Scripturæ sunt intelligendæ, satis liquet illi non congruere interpretamentum hoc.

Contra secundum est, quia ex SS. Patribus voluntas Dei est prima, & vniuersalissima causa, vt August. cit. c. 4. lib. 3. Trin. & alij infra, quos sequuntur Scholastici cum S. Bonau. in 1. disp. 45. S. Thom. ibid. & 1. p. q. 19. Suar. lib. 1. de concurs. c. 14. num. 4. licet sit controuersia inter illos, an ipsa præcisè, vt voluntas est, immediatè sit executiua an tantùm applicatiua omnipotentiæ vt attributi ratione distincti, à quo immediate proueniat operatio cum creatura, vbi illi cooperatur, conditio autem sine qua non distinguitur à causa propriè dicta, vnde voluntas diuina, quæ propriè causa est, conditio non est.

Deinde valde impropriè diceretur voluntas Dei velle facere oriri Solem super iustos & iniustos, vestire fœnum, lilia, formare lineamenta, plasmare hominem, si nihil horum efficit, sed solùm est conditio, sine qua non sicut impropriè, imò falsò diceretur propinquitas, siue tale vbi causa caloris, quia est conditio, sine qua non produceretur calor ab igne indistante.

Tertiò, si necessaria est hæc voluntas directè volens, & non tantùm permittens omnes operationes, ergo sine illa non possunt esse malæ, quæ & ipsæ habent suam positiuam entitatem, & sic gratis excipiuntur: si non est necessaria, frustra dicitur esse conditio sine qua non.

Quartò, Patres eodem modo requirunt Dei concursum ad conseruationem rerum creatarum, ac ad operationes ipsarum, vt patebit inferius, & est eadem ratio vtriusque, vt Suar. lib. 1. de concurs. c. 4. ad illam voluntas diuinæ se habet vt causa propriè, ergo etiam ad istas.

Quintò, Patres operari Dei, & Christi, de quo Ioan. 5. æquè explicāt de operibus gratiæ, & naturæ, ergo non intelligitur de conseruatione sola, neque de voluntate vt conditione sine qua non, quia etiam per te opera gratiæ operatur immediatè, & vt causa propria. Antecedens est
S. August. August. lib. 4. de Genes. ad lit. c. 13. Ac si eis, inquit, de opere patris rectissimè responderet, cum quo & ipse operabatur æqualiter non solùm creaturæ vniuersæ administrationem, sed etiam ipsam nostram salutem.

Denique de hac conditione sine qua non militant difficultates quæ & de causalitate propria; tum absolutè considerata in seipsa, quia & actus liber Dei, tum in ordine ad operationes liberas bonas, & malas, quia ab illa penderent suo modo, licet non vt ab influente in illas positiuè, & consequenter indiget explicatione quomodo stet cum libertate arbitrij creati, & non repugnet sanctitati Dei, quæ sunt duo motiua impellentia aduersarios ad recedendum à communi, & negandum influxum immediatum; vnde neque Durandus, neque Aureolus recurrunt ad hoc effugium.

Aliæ auctoritates in eodem sensu intellectæ à SS. Patribus, & Scholasticis.

VNa est Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es Domine*, quam S. Bonau. in 2. dist. 28. a. 2. q. 3. ad argum. interpretatur de gratuita influentia in omnia opera etiam naturalia, & quia vniuersalis est, applicat nostris meritis radicatis in merito Christi in Breuiss. 1. part. c. 7. & 5. & S. Thom. 3. cont. gent. c. 67. Hinc est, inquit, quod dicitur Isa. 26. omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, & Ioā. 15. Sine me nihil potestis facere, & Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, & hac ratione frequenter in scriptura naturæ effectus operationi diuinæ attribuuntur, quia ipse est qui operatur in omni operante per naturam, vel per voluntatem, sicut illud Iob. 11. Nonne sicut lac mulsisti me, &c. & in Psalm. 17. Intonuit de cælo Dominus, vnde & cap. 89. eodem testimonio vtitur S. Thom. ad probandum quòd simul cum voluntate causat Deus motus liberos. Vt vel hinc aduertas generales locutiones scripturæ, quas recentiores ad opera gratiæ restringunt secundùm SS. Doctores Bonau. & S. Thom. ad naturalia etiam extendi, quæ non minus à Deo pendent, quàm supernaturalia, cum ipse sit auctor gratiæ, & naturæ, & prima causa omnium quæ sunt.

IX. S. Bonau. Iob. 10. Ibidem.

Eadem verba vsurpat Apost. 1. Corinth. 12. dicens, Operatur omnia in omnibus; quamuis enim loquatur de operibus gratiæ, tamen assumit propositionem vniuersalem complectentem etiam opera naturæ, vt interpretatur ibi Cornel. à Lapide, & plures Scolastici, præsertim Suar. lib. 1. de concurs. c. 4. Bellarm. lib. 4. de gratia, & libero arbit. c. 4. cum SS. Bonau. & Thom.

Dices ex testimonio Isa. citato supra non probari intentum, nam iuxta textum Græcum legitur, πάντα ἐποίησας ἡμῖν, omnia reddidisti nobis, & sensus est longe diuersus: primò enim significare potest ex Hieron. & Procopio reddidisti nobis debita supplicia, tandem da pacem, & Spiritum Sanctum, & Christum, & omnia reddideris, id est, dederis omne bonum, vt Cyr. lib. 10. in Ioan. cap. 7. & Procop. tertiò da nobis pacem immortalitatis, & coronam iustitiæ, quia omnia, quæ promisisti nobis, implesti, vt S. Aug. in Psalm. 71. quartò, opera salutis ex Paraphras. Chald. vt refert Less. in opusc de auxiliis, c. 5. Corn. à Lapide in illum locum; ex nulla autem istarum interpretationum probatur concursus vniuersalis immediatus

1. Cor. 12. Cornel. à Lap. Cyrill. Procop.

Respondeo primò, omnes istos sensus continere operationem Dei immediatam, vt de se patet. Secundò, præter hos sensus contineri allatum à SS. Doct. Bonau. Thom. & à Bellarm. Suar. & aliis; hæc enim est dignitas Scripturæ sacræ, vt sub eodem litteræ cortice plu-

S. Auguſt. ra ſacramenta claudat; vt enim S. Auguſt. lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 27. Quid in diuinis eloquiis largius, & vberius potuit diuinitus prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina conteſtantia faciant approbari. Hîc autem habemus non pauca idem prorſus conteſtantia. Illud in primis Rom. 11. mox recitandum pro altera auctoritate, qua paſſim vtuntur Patres ad probandum quod aſſerimus.

Singularis auctoritas ex S. Paulo pro immediato concurſu Dei.

QVoniam, inquit Apoſt. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, ex ipſo ſcilicet vt prima cauſa efficiente, & denotatur potentia Patris: Per ipſum quaſi directorem, quo diſponuntur, & perficiuntur omnia, & indicatur ſapientia, ſeu Verbum, & Filius: In ipſo Græcè εἰς in ipſum tanquam in finem ad ſignificandam bonitatem, & amorem in perſona Spiritus Sancti, cum tamen omnia ſint à Trinitate indiuiſim. Sic fere interpretetes omnes cum Patribus non ſolum hinc myſterium Trinitatis comprobantibus, ſed etiam operationem eius
S. Auguſt. in creaturis demonſtrantibus; ſic S. Auguſt. de natura boni contra Manich. c. 27. *Cum autem*, ait, *audiuimus omnia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, omnes vtique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter ſunt, &c.* Et quia excipit ſola peccata; neque enim ex ipſo ſunt, ait, peccata, quæ naturam non ſeruant, ſed vitiant, &c. conſequens eſt, vt reliqua omnia, etiam actiones liberæ ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſint, id eſt non ſolùm vt à dante virtutem operandi, & conſeruante; nam ſic etiam eſſent ab illo peccata, & reliquæ actiones tantùm eſſent ab ipſo, & non per ipſum; ſed etiam vt à concurrente ad illas cum creatura, vt explicant ibi Tolet. & Cornel. à Lapide, & alij; imò & S. Bonau. cum Magiſt. in 1. diſt. 37. in expoſitione textus, & S. Thom. ibid. q. 1. a. 3. & alibi.

Et liquet ex contextu, in quo probat Apoſt. dictũ antecedens. *Aut quis prior dedit illi*, &c. *quia omnia ex ipſo ſunt, & per ipſum, & in ipſo*, vnde infertur nihil illi dari poſſe, quod non ſit ipſius omni modo; quòd ſi ab ipſo non eſſent vt ab efficiente actiones creaturarum, non eſſet tanta, & tam perfecta dependentia, qualis exprimitur iſtis particulis, neque ipſe diceretur tam excellenter eſſe cauſa omnium, &
S. Bernar. ipſum eſſe eorum. Audi S. Bern. Serm. 4. in Cant. *Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt quod eſt ille, ſed quia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Eſt ergo omnium, quæ facta ſunt, ipſe factor eorum, ſed cauſale, non materiale. Tali proinde modo dignatur illa maieſtas ſuis eſſe creaturis omnibus quidem quod ſunt; animantibus autem quod & viuunt: Porro ratione vtentibus lux, recte vero vtentibus virtus, vincentibus gloria. Quibus verbis comprehenditur eſſe, quod à Deo habent creaturæ; conſeruatio, & operatio, ſed clariſſimè ſequentibus, & iis omnibus creandis, gubernandis, adminiſtrandis, mouendis, promouendis, innouandis, firmandis nullis corporeis indiget inſtrumentis, quia omnia ſolo verbo & corpora creauit, & ſpiritus*, &c.

Quàm aliena hæc ſunt ab opinione Durandi, & ſectatorum eius abolentibus omnem concurſum Dei præter mediatum in conſeruando? Sed quàm ægre illa cohæret effato S. Pauli, quod aſſumo pro

Tertia auctoritate ex Act. 15. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Quem locum interpretans Bellarm. lib. 4. de grat. & lib. arb. c 4. *Si ſolum*, Bellarm.
inquit, *Deus nobis naturam donaret, & vires ad operandum, eaſque conſeruaret, non etiam ſimul operaretur nobiſcum, ſatis fuiſſet dicere, in ipſo viuimus, & ſumus; quorſum igitur additum eſt, & mouemur; niſi vt intelligamus nos non poſſe moueri ſine præſenti auxilio Dei, quoniam non ſumus eſſe, & viuere, niſi Deus vitam, quam dedit, conſeruare voluerit?*

Itaque in Deo ſumus, quia ipſe fecit nos, & non ipſi nos. In Deo viuimus, quia ipſe nos portat verbo virtutis ſuæ. In Deo mouemur, quia ſine ipſo nihil poſſumus facere. Si quidem illa propoſitio In hoc loco idem valet quod Per, vt ſenſus ſit per ipſum viuimus, mouemur, & ſumus, quemadmodum in illis locis, In Deo meo tranſgrediar murum; in Deo faciemus virtutem, &c.

Quæ interpretatio conſonat S. Auguſt. lib. 4. S. Auguſt.
de Gen. ad lit. c. 12. probanti ex hoc loco alterũ Ioan. 5. ſupra adductũ primo loco. *Et illud*, inquit, *quod ait Apoſtolus, cum Deum Athenienſibus prædicaret: In illo viuimus, mouemur, & ſumus, liquidè cogitatum, quantum humana mens poteſt, adiuuat hanc ſententiam, qua credimus, & dicimus Deum in ijs, quæ creauit, indeſinenter operari. Neque enim tanquam ſubſiantia eius ſic in illo ſumus, quemadmodum dictum eſt quod habeat vitam in ſemetipſo; ſed vtique cum aliud ſumus, quàm ipſe, non ob aliud in illo ſumus, niſi quia id operatur. Et hoc eſt opus eius, quod continet omnia, & quo eius ſapientia pertendit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, per quam diſpoſitionem in illo viuimus, mouemur, & ſumus*, &c. Hæc quippe diſpoſi- Sap. 8.
tio ſuauis, & fortis non ſolùm in conſeruatione creaturarum poſita eſt; ſed in operatione cum ipſis in ortu, & interitu rerum vniuerſi, vt explicat citata Epiſtola 146. ad referens verba Apoſtoli, 1. Cor. 15. non corpus quod furturn eſt ſeminas, ſed nudum granum, &c. Deus autem illi dat corpus quomodo voluerit, non dixit, dedit, aut diſpoſuit, notat Auguſt. ſed dat, vt creatorem intelligas efficaciam ſapientiæ ſuæ rebus, quæ quotidie ſuis temporibus oriuntur, condendis adhibere; de qua ſapientia dictum eſt: Pertendit à fine vſque ad finem fortiter, &c. Nonne diſponere, & efficaciam ſapientiæ adhibere in rerum generatione plus aliquid eſt, quàm conſeruare ſimpliciter; ſiquidem conſeruatio eſſe poteſt, etiam generatione ceſſante. Et de lib. arbit. l. 2. c. 11. manifeſtè diſtinguit diſponere à conſeruare: Citans etenim hunc eundem locum, Sap. 8. *Verumtamen*, inquit, *quia nihilominus in diuinis Libris de Sapientia dicitur, quod attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, & potentia, qua fortiter à fine vſque ad finem attingit, numerus fortaſſe dicitur. Ea vero, qua diſponit omnia ſuauiter, ſapientia propriè tam vocatur, cum ſit vtrumque vnius eiuſdemque ſapientiæ, ſed quia dedit numeros omnibus rebus etiam infimis, & in fine rerum locatis, & corpora enim omnia, quamuis in*

rebus extrema sint, habent numeros suos; sapere autem non dedit corporibus, neque animis omnibus, sed tantum rationalibus, tanquam in eis sibi sedem locauerit, de qua disponat omnia illa etiam infima, quibus numeros dedit, &c. Ecce dispositionem pro operatione superaddita conseruationi.

Dices locum istum Act. 17. intelligi de conseruatione rerum à S. Bonau. in 1. dist. 36. a. 2. q. 1. & à S. Thom. p. 1. q. 18. a. 4 1.

Respondeo intelligi ab vtroque tam de conseruatione, quàm de operatione; nam S. Bonauent. docet res esse tripliciter in Deo vt in primo producente; & sic sunt ibi ratione potentiæ vt in exemplari exprimente; & sic sunt ibi ratione voluntatis, &c. Igitur Deus non solùm conseruat, sed etiam producit res; & cum in responsione ad primum dicat, quòd in Deo mouemur, &c. intelligenda esse quantum ad conseruationem; tamen subdit; Deus enim conseruat in nobis vitam, & operationem, & essentiam, in qua conseruatione includitur eius operatio cum creatura, non enim per actionem distinctam conseruat operationem, sed seipso per concursum simultaneum, & eodem modo loquitur S. Thom. Et hæc pro prima classe auctoritatum vniuersaliter de Dei concursu loquentium.

Aliæ auctoritates Sacræ de concursu immediato Dei in aliquibus operibus particularibus creaturarum.

DE homine qui est diuinum animal, & creaturarum nobilissimus, vt S. August. appellat, lib. vnic. Solil. cap. 8. t. 9. ait Psaltes, *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, Psalm. 118. vbi S. August. *An etiam secundùm hoc rectè dici potuit Manus tuæ fecerũt me, &c. quòd vnusquisque non sine opere Dei etiam de parentibus sit ipso creante; illis generantibus; quoniam si operatoria Dei potentia rebus subtraharetur, interirent; nec aliquid omnino sine de mundi elementis, sine de genitoribus, sine de seminibus nasceretur, si ea non operetur Deus, propter quod ait Propheta Hieremias, Priusquam te formarem in vtero, noui te* Hierem. 1.

Psalm. 118. S. August.

Confirmatur, quia non incongruè refertur, fecerunt ad animam, & plasmauerunt ad corpus; verumtamen (ait ibid. August.) quando vtrumque hoc verbum de homine in loco vno ponitur, & vtrumque hominis, id est anima, & corpus diuinitus conditum non negatur, non ineleganter distribuuntur singulis singula, vt anima facta, corpus autem fictum intelligatur, siue formatum, siue plasmatũ &c. quod idem aduertunt alij Patres Basilius Nazianz. &c. apud Lorinum in eum Psalmum: sicut ergo Deus operari dicitur faciendo, seu creando animam; ita & operari propriè, & immediatè dicendus est, quando plasmat corpus cooperando genitoribus; tum quia vniuersaliter nisi operetur ipse, nihil generatur neque inanime, neque animatum de elementis, & seminibus, tum quia in particulari eget eius operatione opus admirabile fabricæ corporis humani, vt meritò proinde vniuersam eius texturam à diuinis manibus agnouerit S. Iob, cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me*, &c. *Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me*, &c. in quo est creatio quædam; & non sola conseruatio. Sic S. Bonau. in opusc. de decem præcept. serm. 1. *Ite*, inquit, *qui mandat obseruari mandata Dei, est magnæ auctoritatis; quia sua magna potentia hoc creat.* Iob. 10. Manus tuæ fecerunt me, & mater illa mirabilis, & bonorum memoria digna, fœminæ cogitationi masculinum animum inserens dixit ad filios suos pereuntes sub vno diei tempore pro diuina lege: Nescio quomodo in vtero meo apparuistis; neque enim spiritum, & animam donaui vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi creator, &c. lib. 2. Machab. imò verò ipsa compegit, & non Creator mundi, si per acceptam ab eo virtutem generatiuam, & formatiuam ipsa in carnes, ossa, neruos, venas, arterias distinxit, ipsa in caput, cor, hepar, molem informem formauit, digessit, concinnauit; quæ tamen diuinis manibus, id est sapientiæ, & potentiæ, siue intellectui, ac voluntati diuinæ Scriptura sacra tribuit, facultati matris formatrici denegat; non quia hæc non operetur; sed quia cæca cum sit, artificium summæ intelligentiæ nunquam absolueret, nisi manus omnipotentis, ac supremè sapientis artificis obstetricaretur. Quare idem S. August. tractans hæc verba, 2. Machab. dicta à matre fœcundiore, vt loquitur, quando filij passi sunt, quam quando nati sunt, sic ait lib. de anima, & eius origine, c. 14. t. 7. *Quis enim Christianorum neget Deum donare hominibus animam, & spiritum; sed eodem modo existimo istum negare, non posse Deum donare hominibus linguam, aurem, manum, pedem, omnesque corporis sensus, & omnium formam, naturamque membrorum.*

Iob. 10. S. Bonau? S. August.

Dices, ad hoc satis esse, vt primo condiderit corpus primi hominis, à cuius virtute generatiua propaginem fiunt reliqua corpora successiuè Deo duntaxat conseruante, & non cooperante.

Contra manifestè ex c. 15. sequente habetur quasi corpus ab alio detur, quàm ex illo, à quo creatur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quamuis non de eius natura, sed ex eius opificio tria verba sunt hic, quæ immediatam operationem significant, sed præsertim illud, creatur, nam creari corpus infantis in vtero à Deo non est conseruari virtutem matris, per quam scilicet vt efficientem est enim opus maiori artificio, quàm vt ab agente inferiori ipso Deo elaborari queat. Adde quod eodem verbo vtitur August. cum Deum datorem spiritus, & membrorum appellat, quia sicut immediatè illam creat, ita & immediatè ista format.

Confirmatur, quia hoc loquendi modo vtitur scriptura ad significandam immediatam operationem Dei, Psalm. 49. *Aridam fundauerunt manus eius.* Psalm. 101. *Opera manuum tuarum sunt cæli*, & vice versa opera manuum hominum vocantur, quæ ab ipsis immediatè fiunt, Psalm. 134. *Simulachra gentium argentum & aurum, & opera manuum hominũ.* Ergo quando dicitur manus tuæ fecerunt me, cur non intelligatur de operatione immediata Dei: aut cur cæli sint immediate ab ipso facti, & ideo dicantur opera manuum eius, homo autem

Psalm. 49. Psal. 101. Psalm. 134.

Digitized by Google

non ſit immediatè ab ipſo plaſmatus, qui & opus manuum eius ſimili voce nuncupatur; opera manuum tuarum ne deſpicias, Pſal. 137. & Iſa. 29. *Cum viderit filios ſuos, opera manuum mearum*, &c.

Nec myſterio vacat, quòd Deum ſpiritum puriſſimum ſcriptura, id eſt ipſemet ſeipſum tanquam manibus efformantem præclara iſthæc opera repræſentet; manus quippe Dei non ſolùm eius virtutem, ac potentiam operatoriam ſignificat, vt Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. S. Auguſt. cap. 12. ad illa verba, Pſalm. 43. *Manus tua gentes diſperdidit*: & Pſalm. 135. *Eduxiſti populum tuum in manu forti, & brachio exceſſo*, ſed pro poteſtate, & virtute Dei, inquit poſitum huius membri nomen, quis vſquam adeo deſipit, vt non intelligat?

Sed etiam operationem, vt idem Epiſt. 111. cum audiuimus manus, operationem intelligere debemus, & referens illud Pſalm 39. *Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non conſiderat?* *Ego autem dico, quod Deus totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt: totus oculus eſt, quia omnia videt; totus manus eſt, quia omnia operatur; totus pes eſt, quia vbique eſt*, &c. Quia ergo Deus ſua potentia creauit vniuerſa, & verbo virtutis ſuæ omnia conſeruat, & continet, vt conſiſtant, & manus eius facit hæc omnia, quia immediatè ab ipſo ſunt; ita quia ab eius manibus dicitur fieri homo, immediatè illas admouere ad opus intelligi voluit Spiritus Sanctus, cum manuum ſimilitudinem rem explicauit accommodatè captui, & operationi hominum, qui non aptius dicuntur ipſi per ſe immediatè agere aliquid, quam cum manibus ſuis egiſſe dicuntur, ad differentiam eorum, quæ alieno miniſterio, aut inſtrumento peragunt, ac proinde non immediatè.

Ratio autem cur ſcriptura euocet mentes noſtras ad contemplandam manum Dei in fabricatione hominis, non ſecus ac in conditione cœlorum, eſt operis vtriuſque excellentia tanta, & dignitas, vt ipſa per ſe teſtetur auctorem ſuum, & etiam ſine ſcripturis clamitet ſe factum à pulcherrimo Deo, teſte S. Auguſt. lib. 11. Ciu. cap. 4.

S. Auguſt. S. Ambr. Vnde S. Ambroſ. in locum Pſalm. 118. citat, *Manus tuæ fecerunt me. Etſi*, inquit, *de luto ſubſtantia corporis noſtri ſit, carne induamur, & corpus oſſibus intexatur, & nervis; tamen quod ſimus pretioſiſſimum opus Dei, nemo dubitauerit: nam & fabricam aliam humani corporis ſi quis conſiderare velit, nihil poterit in terra pretioſius indicare; eſt enim ſtatu celſus, vultu decorus, cæſarie gratus, non in aluum cæterorum more curuatus animalium, ſed ipſo naturæ iure ſub imi, qui in cœlum liberos ſpectet, obtutu, nullo captiua ſeruitutis cornicis oppreſſus in terram; ſed tanquam propria conſcius libertatis, & locuples ſui teſtis auctoris*, &c.

Et ne reſpondeas ſatis ad hoc eſſe, quod Deus conſeruet virtutem generatiuam inditam parentibus prohibet comparatio S. Ambroſij, qua ibidem extollit conditionem hominis non ſolùm ſupra reliquos animantes; ſed etiam ſupra cœlos: *Me feciſti, ſubdis, manibus tuis, manibus figuraſti; hoc eſt non figuraſti beſtias manibus tuis, non reptilia, non volatilia; me autem fecerunt manus tuæ, & parauerunt*, &c. Et paulo poſt, *Manus tuæ*, inquit, *plaſmauerunt me: manus dicit pluraliter, non manu. At verò alibi*, ait, *ego manus meæ ſolidauit cœlum, & manus mea fecit hæc. In hominis conſtitutione videtur non abundare, quod to o mundo vt fieret abundauit. Cœlum vna firmauit manus, vt ſcriptum eſt, & vtraque Dei manus hominem figurauit*, &c. quod non de ſola creatione primi hominis dictum putaueris, ſi Propheta, cuius aſſumit verba, S. Ambroſ. de ſe, ſuique formatione loqui animaduerteris; vtraque enim opus manuum Dei eſt; in vtraque ſapientia, & potentia ſe exercuit, tam quando formauit de limo terræ, quàm cum nepotes, & filios hominum de luto fœcis in vteris matrum; ideo S. Aug. de nupt. & concup. lib. 2. c. 33. t. 7. rectè dictum fatetur ab aduerſario, quem impugnat Iuliano Manich. quæ primum hominem fecit ex puluere, omnes fabricatur ex ſemine, ſed fecit per ſe immediatè formando, ergo & immediatè fabricatur plaſmando.

Quòd etiam ex eo patet, quia conceptum S. Auguſt. miraculoſum ex ſterili ipſe facit immediatè, atqui cum eo comparat Auguſt generationes ordinarias; Sic enim habet, lib. 16. Ciu. c. 26. *Quamuis enim & naturalem procreationis excurſum Deus operetur; vbi tamen euidens opus Dei eſt, vitiata, & ceſſante natura, ibi euidentius intelligitur gratia*, & loquitur de Sarra concipiente Iſaac; vtrobique igitur operatur Deus generationes, ſed euidentiori gratia miraculoſas.

Habet Theodoretus ſermonem integrum, Theodor. qui eſt tertius de prouidentia, vbi apertè demonſtrat ex fabrica humani corporis, & ex eius vniuerſis partibus internis, externiſque tam concinne inter ſe cohærentibus, tam aptè, elegantérque ad ſua quæque munia obeunda efformatis, ac diſpoſitis, manus Dei intercedere non ſolùm conſeruando, hoc eſt per ſe mediatè concurrendo; ſed etiam formando, & omnem curam adhibendo, hoc eſt immediatè faciendo opus ſuum admirabile. Verba illius ſunt; *Tanta diligentia naturæ noſtræ creator omnium proſpicit, & non modo format, verùm etiam nutriens conſeruat: nec id donauit; ſed & omnem alsam, qua nobis opus eſt, curam adhibet*, &c.

Similia habet Lactantius de opificio Dei à c. Lactant. 7. Cicero de Natura Deorum lib. 2. Galenus Galen. de vſu partium, lib. 3. p. 1. c. 10. vbi ſimilem ſapientiam, virtutem, ac prouidentiam conditoris admiratur in conſtructione corporis humani, ac cœlorum, ſolis, ac ſyderum conſtitutione, & lib. 7. cap. 15. eam prædicat maiorem non laudibus modò, verùm etiam hymnis.

Secundo loco ſunt pluta Scripturæ teſtimonia referentis in Deum operationes creaturarum, & ita de illa loquentis vt commoda, ac genuina interpretatione immediatam ſtatim præſe ferat; non niſi violentè ad mediatam limitetur.

Epiſtola 1. Corinth. 15. *Et quod ſeminas non corpus, quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum, Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus.*

Apoſtolus ſignanter dixit, dat, qui quotidie operatur

operatur generationes, vt August. supra in Epist. 146. non tantùm quia conseruat, sed quia adhibet efficaciam sapientiæ suæ rebus nascentibus tanquam creator, quod est sapienter, & efficaciter cum illis concurrere. Item de nupt. & concup. lib. 2. c. 14. ac deinde creator omnipotens incommutabili vbique præsentia, & creatrice potentia de seminibus hominum, provt vellet, quod & nunc facit, operaretur in fœmina, sicut de seminibus frumentorum provt vult, operatur in terra, beatis matribus sine libidinosa, voluptate concipientibus in Paradiso videlicet, si non peccassent primi eius incolæ; vbi de industria meminit præsentiæ, & creatricis potentiæ, quia & præsentia requiritur ad agendum, & creatrix potentia ad operandum de seminibus frumentorum, & matrum corpora, quæ formantur; conseruatio autem virtutis non est operatio corporum.

S. August. Confirmatur validè loqui Apostolum de operatione immediata Dei ex sensu August. nam l. 5. de Gen. ad lit. cap. 20. comparat hæc Dei opera naturalia cum supernaturalibus, & miraculosis, quæ per se etiam immediatè ab eo fiunt: *Et ne quisquam*, inquit, *putaret apud se illum aliquid operari non in hoc mundo, Pater in memanens*, inquit, *facit opera sua*: & *Sicut Pater suscitat mortuos, & vinificat, sic Filius quos vult vinificat. Deinde quia non solum magna, & præcipua, verùm etiam ista terrena, & extrema ipse operatur; Ita*, dicit *Apostolus, stulte tu quod seminas, non vinificatur, nisi prius moriatur, & quod seminas, non corpus, quod futurum est*, &c. Verbum ergo operatur Io. 5. complectitur & opera miraculosa, & naturalia, quæ fiunt à Deo; sed illa operatur immediatè, igitur & ista; alioquin esset in verbo æquiuocatio, & non valeret, quòd sicut suscitat mortuos, ita & dat corpus semini.

Huc pertinent aliæ auctoritates rerum particularium, quæ fieri dicuntur à Deo.

Hierem. 10 Hierem. 10. *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nubes ab extremitatibus terræ, fulgura in pluuiam facit*, quod repetit cap. 51.

Psal. 146. Idem habetur, Psalm. 146. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam*, &c. *Qui producit in montibus fœnum*, significat, non sufficere terram, & pluuiam ad producendam herbam, nisi Deus auxilio suo cooperetur, vt Bellarmin. ibid. & l. 4. de lib. arbit. cap. 4.

Et est doctrina S. August. qui rursus lib. 12. Ciu. cap. 25. ex similibus testimoniis sacris satagit, vt ostendat magis proprie, & intimè Deum operari, quàm creaturas; *Non solum*, inquit, *agricolas non dicimus fructuum quorumcumque creatores, cum legamus, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; sed ne ipsam quidem terram,* 1. Cor. 3. *quamuis mater omnium fœcunda videatur, qua germinibus erumpentia promouet; & fixa radicibus continet, cum isidem legamus, Deus illi dat corpus, quomodo voluerit, & vnicuique seminum* 1. Cor. 15. *proprium corpus. Ita nec fœminam sui puerperij creatricem appellare debemus, sed potius illum, qui cuidam suo famulo dixit, Priusquam te formarem in vtero, noui te.*

Dices, hoc verum esse, quia Deus dedit virtutem generatiuam, & illam conseruat.

Contra, quia hoc repugnat rationi, quâ ibidem subdit S. Aug. *Cuius occulta potentia cuncta penetrans incommutabili, seu incontaminabili præsentia facit esse quicquid aliquo modo est, in quantumcumque est, quia nisi faciente illo vt tale, vel tale esset, prorsus esse non posset*, &c. certè facere esse sua intima potentia, & facere tale esse, & quicquid quocumque modo est, dicit concursum immediatum, quia conseruatio, & virtus generatiua non est potius ad vnum individuum, quàm ad alterum.

Amplificat magis in Ench. cap. 27. vbi cum dixisset Dei bonitatem non desinere, & malis Angelis subministrare vitam, viuacemque potentiam, mox de hominibus, ait; *& hominum quamuis de propagine vitiata, damnataque nascentium formare semina, & animare, & ordinare membra per temporum ætates, per locorum spatia, vegetare sensus, alimenta donare.*

Quid aliud per hæc declarat August. quàm operatricem Dei potentiam magis quàm creaturæ datam virtutem, tam multa præstare? Immo lib. de catechizan. rudib. cap. 25. tom. 4. ita loquitur, vt indicet apertè, supra vires solius creatæ virtutis tam excellentia opera esse, nisi interfit diuina. *Vbi erat ista moles corporis tui, & ista forma, membrorumque compago ante paucos annos, priusquam natus, vel etiam priusquam in matris vtero conceptus esses. Vbi erat hæc moles, & hæc statura corporis tui? Nonne de occultis huius creaturæ secretis Domino Deo inuisibiliter formante processit in lucem, certisque ætatum incrementis in istam magnitudinem, formamque surrexit.* Non hoc virtuti generatiuæ profectò dat August. vt peruadat ad secreta naturæ, indeque in lucem, & auras educat creaturam tam nobilem, sed auctori naturæ, cui nihil est inuium, omnia sunt peruia, & subdita naturæ abdita.

Patrum auctoritate probatur immediatus Dei concursus cum creaturis.

CAPVT V.

1. *Sententia S. Augustini ex dispositione vniuersi probans immediatum concursum.*
2. *Consensit S. Hieronymus, vt ex eius discursu, & verbis patet.*
3. *Argumenta pro parte affirmante concessum à Pelagio concursum generalem Dei cum creaturis, & negantem solum gratiæ per Christum.*

SVfficere possent quæ superioribus capitibus allatæ sunt; sed quia tanquam gloias locorũ Scripturæ Sacræ par fuit eas addidisse ad verum eius sensum percipiendum, retinendumque non erit abs re proprium de illis caput instituere, vt nube testium obruta sententia adductians semel intelligat, quã parũ sibi præsidij ab hac cohorte sperare possit ad se tuendũ.

S. August. S. Augustinus totus est in prædicanda Dei potentia, sapientia, bonitate pandente se in operationibus creaturarum, vt manifestant crebra testimonia superius citata: præ-

A Deo omnis modus, species, ordo, mensura numerus, pondus.

ter quæ lib. 5. de Ciu. cap. xi. *A quo*, inquit, *est omnis modus, omnis species, omnis ordo: A quo est mensura, numerus, pondus: à quo est quicquid naturaliter est, cuiuscumque generis est, cuiuscumque æstimationis est: A quo sunt semina formarum, forma seminum, motus seminum, atque formarum*, &c. Hic si plura numerantur quæ immediate ab illo sunt, cur iis non adnumerentur motus, ideſt operationes formarum, quæ non secùs quàm reliqua dicuntur ab ipso esse, non vtique per distinctam ab ipsis operationem, ergo immediate seipsis, ne detur processus infinitus. Hic autem est immediatus concursus, vt infra patebit. Interim nisi de hoc loquatur Auguſt. non concludit quod intendit nimirum regna, & seruitutes eius Prouidentiæ legibus gubernari, ex eo quod si cætera ab ipso sunt, non est credendum, quod etiam ab eo non sint imperia terrarum, & quod eius legibus non administrentur: sic enim in reliquis mediate solum concurrit, & hoc sufficit vt dicatur ab illo esse, in regnorum etiam administratione idem sufficiet vt ab eo sint, & tamen plus inferre voluit Auguſt. cum dixit regna hominum, eorumque dominationes, & seruitutes non esse alienas à legibus diuinæ Prouidentiæ, nimirum Deum immediate illa disponere, & administrare docet. nam cap. 21. *Non tribuamus*, inquit, *dandi regni, atque imperij potestatem, nisi Deo vero*, &c. *Septem quoque tempora mutabuntur super te, donec suas, quod denominetur excelsus, super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Daniel. 4. Sic etiam subdit Auguſt. cap. 22. *Tempora ipsa bellorum, sicut in eius arbitrio est, insuper insidio, & misericordia vel atterere, vel consolare genus humanum, vt alia citiùs, alia tardiùs fiant. Et de ipso Rege dicitur*, Prou. 21. *Cor regis in manu Domini, sicut diuisiones aquarum, quocumque voluerit, vertet illud.* Et similia in quibus immediata Dei operatio non potest rem intercedere, & proinde neque in aliis à quibus similitudo ducitur, vt æqua sit comparatio, & illatio valida argumenti à S. Aug. formati.

Potestas dandi imperij ac regni est Dei solius.

Daniel. 4.

De Genes. ad lit. lib. 5. cap. xi. Operationem quà Deus primò condidit omnia, etiãnum durare affirmat, & in eo solum differre ab administratione consequente; quod per illam omnia simul condidit; per hanc vero successiuè operatur. *Sed illud*, inquit, *etiam consideremus, vtrum possit nobis per omnia constare sententia, qua dicebamus, aliter operatur Deum omnes creaturas prima conditione, à quibus operibus in die septimo requieuit; aliter istam earum administrationem, qua vsque nunc operatur: id est tunc omnia simul sine vllis temporalium morarum interuallis: nunc autem per temporum moras quibus videmus sydera moueri ab ortu ad occasum, cœlum mutari ab æstate ad hyemem, germina certis dierum momentis pullulare, grandescere, virescere, arescere. Animalia quoque statutis temporum motibus, & cursibus, & concipi, & perfici, & nasci, & per ætates vsque in senium, mortemque decurrere; & cætera huiusmodi temporalia. Quis enim operatur ista nisi Deus, etiam sine vllo tali suo motu?* &c. Quam frigida est interpretatio, & minime idonea explicandæ continuatæ à sæculo in sæculũ operationi Dei cum creaturis, si non cõmiſceat se operationibus ipsarum, si non attingat & ipsa effectus quos producunt; sed si stat in conseruatione virtutis quam impertiuit in cõditione. Et quomodo verum sit quod non operatur ista nisi Deus, si in rigore ista non operatur Deus, qui solum conseruat virtutem, & non influit cum illa in opera eius? Quod si vice versa ipse sit principale agens à quo pendet virtus in esse, conseruari, operati, & effectus cuiuscumque sit generis, ac æstimationis, congruenter dicitur ab Auguſt. quis operatur ista nisi Deus? non quia non cooperetur creatura; sed quia ipsa per se solitarie accepta perinde est, ac si non esset, & nihil posset, quia & in nihilum tendit, si non conseruetur in esse, & nihil prorsus agere potest, si non iuuetur consortio creatoris coagentis, qui tamen ipsa coagente non eget, sed ex sua bonitate admittit ad coagendum.

Naturalia in cœlo, & vniuerso operatur Deus.

Sed & verba ipsa Auguſt. locis citatis videntur esse vel synonyma concursui immediato, aut illum quàm maxime proprie, & genuine significare, immo & inculcare, siue confideres ipsa vt Dei causalitatem explicant; siue vt effectus tam varios, ac multiplices, tam excellentes, ac mirabiles enumerant; siue vt supremam illius potentiam, sapientiam, bonitatem extollunt; & istius, ideſt creaturæ vilitatem, impotentiam, & indigentiam aperiunt, & tantum mediati, vel immediati non meminerunt in terminis, vbi res ipsa per æquiualentes satis superque declarata illos neque poscebat, neque popoſciſſet, ni veritati in pacificam possessionem assertæ à SS. Patribus, & sapientioribus Scholasticis litem intentaſſent feruidiora ingenia declinantium à loco requietionis eius.

Adde & hanc ex serm. 38. de Temp. Eorum igitur quæ sunt, vel fuerunt, vel futura sunt causa est Deus, & eorum dator est, & creator, &c. quia videlicet non solum dedit esse, illudque conseruat; sed etiam cum data virtute operatur, & ideo dicitur creator frequenter, vt vidimus, à S. Auguſtino, quia res quæ fiunt à causis creatis in, & ex materia ex non esse transeunt ad esse, in quo requiritur concursus virtutis increatæ, quæ sicut initio temporis de nihilo fecit omnia, ita consequentibus temporibus ex subiectis, vel in subiectis coëfficit vniuersa quæ fiunt.

Epiſt. 130. Ipsius *namque corporis quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, & si quid eiusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore, ac perfectore naturæ, quanto magis animi dona donare nullus alius potest*, &c. & loquitur de Polemone qui hortatu Xenocratis à libidinis vitio reuocatus fuerat, sed nondum tamen Deo acquisitus, & hoc quod melius in eo factum erat, diuino operi tribuit, non humano.

Sententia S. Hieronymi, de concursu Dei immediato.

AVctor quadrip. disp. part. 4. à c. 1. citat. pro se multos Patres, & præsertim S. Hieronymum, ideo necesse est eius verbis, & discursu non magis fauere illi, quàm faueat S. Auguſt. locis citatis. Igitur S. Hieron.

Digitized by Google

Dialogum instituit aduersus Pelagianos, cuius interlocutores sunt Critobulus personam Pelagij sustinens, & Atticus Hieronymum re, præsentans, ac ostendens ad omnes operationes, etiam infimas, necessarium esse Dei auxilium. *Si in singulis rebus*, inquit Critobulus, *quas gerimus, Dei vtendum est adiutorio, ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere, & cætera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus.* Respondet Atticus, *Iuxta meum sensum non posse perspicuum est.* Critobulus: *In quo igitur liberum habemus arbitrium, & Dei in nos gratia custoditur, si ne hoc quidem absque Deo possumus facere?* cui Atticus: *Non sic donata est liberi arbitrij gratia, vt Dei per singula tollatur adminiculum, &c.* quia videlicet liberum arbitrium habet quidem suam vim operatiuam, sed egentem diuina non solum ad esse, sed etiam ad operari per momenta singula.

Liberum arbitrium perpetuo eget Dei adminiculo.

Dices sermonem esse de illis actionibus ibi numeratis, vt fiunt secundum normam virtutis, & egent diuino gratiæ auxilio, vt interpretatur Vasq. 1. 2. disput. 190. à cap. 7. & sequentibus prolixe, & sedulo demonstrare contendens omnem aliam expositionem hactenus excogitatam à mente Hieronymi & Patrum cæterorum alienam esse, cui fauet.

Primò, quia Hieronymus ibi disputat contra errores Pelagij, inter quos non recensetur quod arguerit concursum Dei cum creaturis, vt patet ex August. lib. de Hæresibus, vbi in 88. solum refert Pelagium negasse veram gratiam qua saluamur, & concessisse tamen gratiam liberi arbitrij seu creationis, & sub ea suum errorem occultare neluisse, vt latius ostendit Epist. 95. & 105.

Pelagius concedens gratiam lib. arbitrii, sub ea voce cœlat suum errorem.

Ideo August. disputans contra asserentes Deum non concurrere cum causis secundis, sed dedisse initio virtutem, & illi eas reliquisse, vt operentur, conuincit ipsos testimoniis Scripturæ: Pater meus neque modo operatur, &c. vt suprà retulimus. Pelagium vero semper coarguit ex cura peculiari, qua Deus immittit nobis cogitationes ad incipiendum, & prosequendum bona opera necessarias.

Iccirco nemo hactenus Durando notam Pelagianismi inusit, quòd negauerit immediatum concursum Dei cum causis secundis.

Secundò, Patres, & Concilia præsertim Palæstinum, & Arausicanum ab ipso citata, cap. 4. & summi Pontifices in ipsis, dum contra Pelagium definiunt de necessitate gratiæ proptiè dictæ, non de generali concursu, aut alio naturæ dono loquuntur, vt patet ex contextu, & auctoritatibus Scripturæ sacræ, quibus plenus est; & ex Epistola Patrum Africanorum ad Innocent. quæ est 95. apud Augustinum, testantes se non intelligere aliam gratiam, quàm illam quæ continetur in libris Ecclesiasticis, & populis ab ipsis prædicatur, quæ est gratia per Iesum Christum, differens à gratia creationis, pro qua Christus non fuit mortuus, vt Aug. Epist. 105 & lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium passim, & præsertim, c. 3. Ideo Patres in Concilio Palæstino cogentes Pelagium retractare quæ docuerat, nusquam meminerunt alterius gratiæ, quàm eius quæ per Christum donatur, & in Arausicano contra reliquias Pelagianorum negantium necessitatem gratiæ ad incæptionem cũ Pelagio, admittentium illam ad progressionem contra eundem, definiuere gratiam per Christum esse necessariam, eique non solum progressum, sed & initium, & consummationem esse tribuendam, nec verbum quidem de generali concursu factum ab illis est, siue quia Pelagius hanc non negauit; siue quia ex illo non valet argumentum ad probandam necessitatem gratiæ per Christum, quam scripturæ prædicant, cuiusque confessionem Patres à Pelagio exigebant.

Concilia, & Patres loquentes contra Pelagium de materia gratiæ intelligunt gratiam per Christum.

Tertiò, Aut Vasq. cum in primo Dialogo contra Pelagianos parum à principio dixillet Atticus interlocutor nomine Pelagij hæc verba: Nulli ô Critobule, dubium est, ex eius cuncta pendere iudicio, qui creator est omnium, & quicquid habemus, illius beneficio deputandum. Sed quæro hoc ipsum quod Dei asseris gratiæ, vtrum ad conditionis referas beneficium, an in singulis rebus putes esse, quas gerimus vt scilicet in omnibus illius vtamur auxilio. Et paucis interiectis, Noui enim plerosque vestrum, intellige Catholicos, ita ad Dei cuncta referre gratiam, vt non in partibus sed in genere, hoc est nequaquam in singulis rebus, sed in conditione arbitrij intelligant potestatem. Respondet Critobulus nomine Hieronymi: Non est ita vt autumas, sed à me vtrumque dicitur, vt & Dei gratiæ sit, quod tales conditi sumus, & per singula opera illius adminiculo fulciamur. Fatetur igitur Hieron. Pelagio non solum gratiam creationis, sed etiam peculiarem gratiam per singula opera vtique illam, quam ipse negauerat semper, & de qua cum eo controuersia erat; tunc enim cum eo disputabat: Controuersia autem fuit cum eo non de auxilio generali, sed de gratiæ auxilio ex meritis Christi. Ita Vasq. cuius verba vt iacent referre libuit, ne quis in solutione argumenti huius infra adducenda suspicetur imponi Doctori grauissimo aliquid minime ab ipso dictum, cap. 7.

Quartò, Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem enumeratis operibus minimis ad quæ requirit Dei adiutorium, subdit, Audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum, 1. Cor. 10. prædicantem: Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite. Quæ vero in nomine Dei aguntur, secundum virtutem aguntur. Cum ergo Hieron. ad illa minima auxilium Dei requirit, de ipsis loquitur, non vt præsenti vitæ mortali deseruiunt, sed quatenus fiunt secundum regulam; & normam virtutis, quo modo non sunt dicenda opera vitæ præsentis. Hoc autem auxilium esse per Christum deducitur ex simili testimonio ad Colossen. 3. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere; omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. Non igitur sollicitus fuit Hieron. de generali concursu, vt de ipso contra Pelagium disputaret.

Confirmatur, quia ad multa exempla quæ affert, nullus requiritur concurſus diſtinctus à creatione continuata. Nam ſedere, tacere, quæ affert in exemplum, non ſunt actiones noſtræ quæ indigeant aliquo Dei concurſu. Neque dicas loqui de voluntate tacendi, & loquendi; ſedendi, & deambulandi, fruſtra enim multiplicaſſet exempla tot minima: ſi quidem affectus volendi ſiue in hoc obiectum naturale, ſiue in aliud feratur, ſemper eſt in eadem ſpecie operationis in genere naturæ, vt eodem modo voluntas indigeat concurſu Dei naturali ad eum eliciendum; voluit igitur oſtendere numeratione minimorum requiri auxilium gratiæ Dei, quod in eo poſitum eſt vt bona cogitatione præueniamur, & ex illa ad talia opera ita procedamus, vt fiant, ex honeſto fine virtutis, ſic enim exactè explicare potuit id quod Critobulus probandum propoſuit Attico, nempe vt in partibus, & non in genere, hoc eſt ſingulis rebus gratia Dei ſit neceſſaria.

Confirmatur ſecundò, quia Auguſt lib. de Gratia Chriſti, cap. 5. de Pelagianis habet, Adiutorem volunt eſſe Deum, non largitorem virtutis, &c. Igitur negabant gratiæ virtutem, non cooperationem Dei: quod ſi ita eſt, auctoritas Hieronymi nihil probat de neceſſitate concurſus immediati vniuerſalis, ſed ſolius gratiæ pro bonis operibus ſecundum normam virtutis factis. Sed hoc non eget reſponſione, quia Auguſt. non habet quicquam ſimile eo capite.

Opinio exiſtimantium non negatum à Pelagio cõcurſum generalẽ Dei.

Hanc eandem ſententiam quod Pelagius admiſerit concurſum generalem Dei cum cauſis ſecundis, defendit Aluar. diſp. 1. de auxil. & alij non ita multi.

Probabilior eſt Sententia, quod concurſum immediatum Dei cum cauſis ſecundis negauerit Pelagius, contra quem S. Hieron. diſputat.

CAPVT VII.

ITa ſentit Abulenſ. in c. 19. Mat. quæſt. 178. ad 6. & q. ſequen. ad 7. Bellarmin. de Gratia, & lib. arb. lib. 4. cap. 4. referens S. Hieronymum de hoc contra Pelagium diſſeruiſſe Soar. prolegom. tom. 5. de Gratia, cap. 4. in hanc propẽder. Thomas Bradvvardinus, lib. 2. de cauſa Dei, cap. 10. P. Theoph. Rayn. opuſc. Diſcuſſ. nouæ liber. p. 2. c. 4. num. 12. Adducor ad ita exiſtimandum primò, quia Oroſius contemporalis SS. Auguſt. & Hieronym. meminit diſputationum ab ipſis contra Pelagium habitis ac vulgatis, & ſignanter Epiſtolæ ad Creſiphon. de qua paulo poſt ſumam argumentum, & profeſſus ſe ſentire cum ipſis in libro Apologetico contra Pelagium de arbitrij libertate habet hæc verba. *At in forte reſponies ordinem ſuum compoſita bene natura cuſtodit; ac per hoc Deus elementariis ſemel curſibus conſtitutis facit inde quæ facit. Quid ergo de illa ſententia parte qua ſequitur opinaris? Dat pluuiam ſuper iuſtos, & iniuſtos. Vtique qui dat, cum vult dat; & vbi vult dat; vel diſpenſando diſpoſitam conſtitutionem; vel effundendo propriam largitatem. Ac ne ſecundum amentiam impietatis tuæ etiam hoc enaruare mediteris, audi Propheram ſuper hac veritate teſtantem, qui aduocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eſt illis. Quid vero dicam de ſpecie vera generis humani, quia omnis qui arat, in ſpe arat. Sperare autem non eſt poſſibilitatis propriæ, ſed largitatis alienæ. Cum autem quis ſeminauerit, iactamque ſementem in ſinu terræ cultior abſconderit, non habet vltra quid faciat, niſi vt oculos tendat in cælum; oret non terram cui commiſit, ſed Deum cui credidit, vt laboret eius vel matutino, vel ſeroti no imbre fœcundet: & vt ſpiritali teſtimonio etiam ad communes actus perfruar, Neque qui plantat, neque qui rigat, quicquam ſunt, ſed qui incrementum dat Deus, &c.* qui apologeticus inſertus eſt etiam in tom 15. Magnæ Biblioth. Patrum recentis impreſſionis Coloniæ Agripinæ; & placuit paulò longius referre, tum quia loca Scripturæ vſurpat in ſenſu ſuperius explicato; tum quia iiſdem oppugnare Pelagium vt negantem præter gratiæ ſupernaturalis neceſſitatem, cum libero arbitrio; etiam concurſum generalem cum cæteris cauſis, puta cum Sole, pluuia, ſeminibus, terra, cum quibus ſi fateretur Pelagius Deum concurrere, perperam Scripturæ tela in ipſum torquerentur. quod autem adhærere ſe profiteatur Oroſius ſenſui S. Hieronymi quàm merito, non aliunde melius conſtare poteſt, quàm ex verbis eius tum dialogo citato, tum Epiſtola ad Creſiphontem. In illo quidem cum Atticus, ideſt Hieronym. reſpondiſſet, ſibi perſpicuum eſſe non poſſe hominem ſine Dei adiutorio calamum temperare, pumice terere, mouere, &c. inſtat Critobulus, hoc eſt Pelagius, *Si abſque Deo, & niſi per ſingula ille me iuuerit, nihil poſſum agere, nec probonis me operibus iuſte coronabit; neque affliget pro malis, ſed in vtroque ſuum vel recipiet, vel damnabit auxilium, &c.* Hoc non poteſt intelligi de adiutorio gratiæ quod non datur ad malum; ſed de concurſu generali ad bonum, & malum: hunc ergo negabat Pelagius, cum quo non putabat cohærere iuſtam retributionem præmij, ac pœnæ: Quæ illatio quoniam inſulta eſt, ſubiicit Atticus, hoc eſt Hieronymus, Non ita datum eſſe nobis liberum arbitrium, vt per ſingula, opera Dei tollatur adminiculum, cui reſpondit Critobulus, id eſt Pelagius, non tollitur Dei adiutorium, cum creaturæ ex ſemel dati liberi arbitrij gratia conſeruentur. Inſtante Attico quod ſic tollitur gratia, negat hoc ſequi Critobulus. Non nego gratiam, cum ita me à Deo aſſeram conditum, vt per Dei gratiam meæ datum ſit voluntati vel facere quid, vel non facere. Replicat Atticus, Dormitat ergo Deus in operibus noſtris, ſemel data liberi arbitrij poteſtate, &c. quæ inſtantia non eſt ad rẽ, ſi Pelagius concedit Deum operari cum libero arbitrio, ſic enim neque dormitat, neque dormit qui cuſtodit Iſraël. Ideo clare ſe explicat Critobulus, Quo modo, inquit, in cæteris creaturis

Pelagius negauit concurſum generalem Dei cum cauſis ſecundis.

Paulus Oroſius diſcipulus S. Auguſt. Bellarm. de ſcript. Eccl. an. 415.

conditionis ordo ſeruatur, ſic conceſſa ſemel liberi arbitrij poteſtate noſtræ voluntati omnia derelicta ſunt: hoc eſt ſicut cætera agentia naturalia accepta ſemel in conditione virtute operatoria vlteriori non egent cõplemento, ſed ſeipſis ſine cauſæ primæ concurſu operari poſſunt; ſic & liberum arbitrium. Ergo, infert Atticus, non debeo à Deo per ſingula auxilium deprecari, quod ſemel meo datum eſt iudicio. Supponit igitur arbitrium in ſententia Pelagij non egere auxilio Dei, neque opus eſſe deprecatione pro illius impetratione: & quia hoc reddet impietatem, non audet directe concedere ſequelam Pelagius, ſed eandem obiicit crambem, aitque ſi in omnibus ille cooperatur, non eſt meum, ſed eius qui adiuuat, immo qui in me cooperatur, præſertim cum abſque eo facere nihil poſſim: & afferenti Attico teſtimonia in contrarium ex ſacris litteris, & ex illis arguenti, euitans Critobolus formam argumenti Captioſa eſt iſta concluſio, inquit, & de Dialecticorum arte deſcendens; mihi autem nullus auferre poterit liberi arbitrij poteſtatem, ne ſi in operibus meis Deus adiutor extiterit, non mihi debeatur merces, ſed ei qui in me operatus eſt.

In qua duplici reſponſione liquidò apparet ſenſus Pelagij reprobantis vniuerſaliter omnem concurſum immediatum Dei cum creaturis, 1. ex vocibus ipſis vniuerſalibus, ſi in omnibus ille cooperatur: ſi abſque eo nihil facere poſſim. 2. ex cõparatione arbitrij cum reliquis cauſis neceſſariis, quas in hoc paris eſſe conditionis autumat, vt nequaquam Dei auxilio egeant diuerſo ab eo quod ſemel acceperunt in conditione. 3. quæſtionem fuiſſe de concurſu ſimultaneo, & hunc negaſſe Pelagium vt indicant verba eius, ſi in omnibus ille cooperatur: immo qui in me cooperatur. 4. fundamentum eius eſſe vanum ex abſurdo illato non legitime, quod videlicet reueret arbitrij libertas; & iuſta retributionis ratio, ceſſãte mercede, aut demerito quæ ſine libertate non ſunt, quod hic aduerti velim ab aduerſariis negantibus eundem concurſum, & hoc Pelagij argumento tanquam Achille ſe munientibus. 5. quod potiſſimum intendimus Pelagium non ſolum ſupernaturalem concurſum negaſſe cum libero arbitrio ad bona opera, ſed vniuerſaliter ad omnia, quia ſicut in bonis non eſſet iuſta merces poſito gratiæ ſupernaturalis iuuamine, ita nec in malis admiſſa Dei cooperatione, quæ omnia clara ſunt in contextu Hieron. reflectentis eadem diſtinctione, qua & nos inſipientiam vſuri ſumus inſipientiam hæretici, & eadem auctoritate ſacra communientis ſuam ſapientiam, qua & nos communem ſententiam oppido communimus.

Confirmatur totum hoc ex Epiſt. S. Hieron. ad Cteſiphontem. *Vnus arripuerunt cunei, immo iam magiſter, & totius ducor exercitus, & contra Apoſtolum vas perditionis, per Solœciſmorum ſpinetа decurrens, ſic Philoſophatur, & diſputat: Si nihil ago abſque Dei auxilio, & per ſingula opera, eius eſt omne, quod ſ. eſſere: ergo non ego qui laboro, ſed Deus in me coronabitur auxilium; ſtraque dedit arbitrij poteſtatem quam implere non poſſum, niſi ipſe me ſemper adiuuerit; deſtruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget.* Et mox, *Aut vtor ſemel poteſtate quæ mihi data eſt, vt liberum ſeruetur arbitrium; aut ſi alterius ope indigeo libertas arbitrij in me deſtruetur*, 1. quod argumentum, aut pluſquam blaſphemia, vt vocatur ibi ab Hieronymo, vniuerſale eſt de quolibet auxilio, & non ſolum de ſupernaturali, & non ſolum contra gratiam præuenientem, ſed maxime contra cooperantem dirigitur irrito conatu, quia cooperatio Dei non lædit, aut minuit libertatem arbitrij, ſed roborat, & confirmat; Hæreticus autem per cooperationem dictitabat lædi vbicumque illa intercederet, ſiue in bonis, ſiue in malis; quibus illa interuenientе negabat deberi pœnã, quia non erant à libertate arbitrij impedita per cooperationem. Vnde & ridiculum cenſebat in indifferentibus, & quotidianis naturæ functionibus illam adſciſcere, vt patet ex ſequentibus. Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, *ſedere, ſtare, ambulare, diſcurrere, ſputa iacere, ductus digitulis naſium purgamenta detergere, relenare aluum, vrinam digerere, ſemper mihi auxilium Dei neceſſarium erit.* Quaſi dicat nequaquam. Præmiſerat enim, Recede à me, quia mundus ſum, non habeo te *neceſſarium*; *dediſti enim mihi ſemel arbitrij libertatem, vt faciam quod volnero: quid rurſum te ingeris, vt nihil poſſim facere niſi tu in me tua dona compleueris, &c.* non dicit nihil ſecundum normam virtutis, aut meritorium, ſed abſolute, nihil, non quia in aliquo admittat adiutorium Dei neceſſarium eſſe diſtinctum à dono arbitrij ſemel dati; ſed quia obſiſtit Catholicis aſſerentibus ſine illo nihil fieri poſſe; cum ipſe omnia fieri poſſe virtuti naturali proportionata tam audacter iactaret, vt ablegaret à ſe quicquid illi præterea pro complemento exigerent, non quod illud in præuia motione ponerent, quaſi hanc ſolam negaret hæreticus, aut de illa eſſet cum patribus, & concilijs altercatio; ſed quia nulla Dei cooperatione opus eſſe diceret, & conſequenter iuſtificationem, & merita tandem referret in naturam, quid pupugit mentes piorum, & calamos, ac linguas Paſtorum Eccleſiæ in ſe concitauit, præſertim Auguſtini, cuius vigilanti ſtudio, & acri diſputatione hæreſis hæc profligata eſt. Ideo ex ipſius ſcriptis venari poſſumus quis ſẽſus eſſet Pelagij, ſi prius aduertero eodem modo, ac pene iiſdem verbis referri errorem Pelagij à S. Auguſt. ac à S. Hieronymo: nam Epiſtola 106. vbi diſtincte numerat propoſitiones eius erroneas, hæc habet: *Et a gratiam Dei, atque adiutorij non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina.* & mox, *& non eſſe liberum arbitrium, ſi Deus indiget auxilio; quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, vel non facere*, quæ propoſitio damnata eſt in Concilio Palæſtino; quia cum ſit vniuerſalis omne prorſus Dei auxilij reſpuit, tam in ſuperandis tentationibus, quam in exercendis iuſtitiæ operibus, reclamante paſſim Scriptura ſacra, & ſanctis Patribus. Et nititur fundamento quod deſtrueretur libertas, & conſequeretur ratio præmij, ac pœnæ ipſum

Iiſdẽ pœne verbis refertur à SS Hiero. & Aug. error Pelagij.

ſupponentium; qualecumque deinde ſit illud auxilium ſiue naturale, hoc eſt debitum naturaliter cauſis ſecundis ipſum exigentibus; ſiue ſupernaturale & indebitum: quia hoc diſcrimen non facit quin ſit neceſſaria Dei cooperatio, quam repugnare libertati finxit malus Philoſophus, & peior Theologus, inferens in poteſtate arbitrij ſitum eſſe ſine vllo intrinſeco ſuperaddito, aut extrinſeco præter legem, & doctrinam, operari, reſiſtere, mereri, incipere, perſeuerare, &c.

Hinc igitur conſtat Pelagium tribuiſſe arbitrio facultatis nativæ, vt non egeret adſcita, quia verba eius vniuerſalia ſunt vt referuntur à ſancto Auguſtino, & ratio eadem, quæ à S. Hieronymo ſupra valide reiecta fuit.

Confirmatur ex pluribus aliis teſtimoniis S. Auguſtini, nam lib. de hæreſibus ad Quodvult Deum, hæreſ. 88. t. 6. *Illam gratiam*, inquit, *ſine qua nihil bonum facere poſſumus, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo acceperit noſtra natura, ad hoc tantum ipſo adiuuante per ſuam legem, atque doctrinam*, &c. Vbi mentio hic auxilij concomitantis, vbi excluditur omne auxilium præter legem & doctrinam; & tota operatio redunditur in arbitrium gratis à Deo datum? Propterea male audiēs Pelagius & à fratribus increpatus callide gratiam ſuppoſuit arbitrio, & facilius per eam impleri præcepta faſſus eſt, *Dicendo vtique vt faciamus poſſimi*, ait Auguſt. ibidem, *voluit credi etiamſi difficilius, tamen poſſe homines, ſine gratia diuina facere iuſſa quo vocabulo deinceps vſus eſt, ſub ambigua generalitate quid ſentiret abſcondens, frangens inuidiam, obiectionemque declinans*, vt idem S. Auguſt. lib. de peccat. orig. contra Pelag. & Cœleſt. cap. 37. tom. 7. qua calliditate deceperat Iudicium Palæſtinum, ſed non Eccleſiam Romanam, vt idem Aug. c. 8

S. Auguſt.

Pelagij cal. liditas.

Præterea lib. de Gratia Chriſti contra Pelag. & Cœleſt. cap. 5. *Sine quippe dubium*, ait, *quod nec voluntatem noſtram, nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, ſed ſolum poſſibilitatem voluntatis, atque operis, quam ſolam in his tribus nos habere affirmat ex Deo, tanquam hoc ſit infirmum, quod ipſe Deus poſuit in natura. Cætera vero duo quæ noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio*, &c. Igitur principium apud Pelagium firmum, apud Catholicos falſum hoc fuit, quod Deus dedit arbitrio talem virtutem, vt ſeipſo poſſit velle, & operari ſine alio adiutorio ſiue naturali, ſiue ſupernaturali.

Præterea lib. 4. cont. Iulianum, cap. 3. t. 7. *Ecce*, inquit, *ea commemoro, quæ ipſe poſuiſti. Si gentilis qui non viuit ex fide nudum operuerit, periclitantem liberauerit, ægri vulnera fouerit, diuitias honeſta amicitia impenderit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli, quæro abs te virum hæc opera bona bene faciat an malè?* Et reſpondet hæc bona male fieri ab infideli. Sed quia bona tamen quædam ſunt, & à Iuliano arbitrij facultati deputata, ſubdit Auguſt. Ex quo colligitur etiam ipſa bona opera quæ faciunt infideles, *Non ipſorum eſſe, ſed illius qui bene vtitur malis: Ipſorum autem eſſe peccata, quibus & bona male faciunt, quia ea non fideli, ſed infideli, hoc eſt ſtulta, & noxia faciunt voluntate.* Quod idem dixerat paulo ſupra illis verbis. *Quanto ergo tolerabilius illas quas aicis in impiis eſſe virtutes, diuino muneri potius, quàm earum tribuere tantummodo voluntati.* Neque loquitur ſolum ſub conditione ſi ſint virtutes, quaſi ex proprio ſenſu nullas admittat in infidelibus virtutes, ſed tantum ad hominem abſolute hoc ſumentem vt verum; nam Auguſt. concedit fuiſſe virtutes ciuiles ac morales in Ethnicis, vt patet ex Epiſtola 3. ad Marcellinum: *Deus enim*, inquit, *ſic oſtendit in opulentiſſimo, & præclaro imperio Romanorum, quantum valerent ciuiles etiam ſine vera religione virtutes.* Et de Ciuit. lib. 5. cap. 12. Paucos igitur virtus ad gloriam, honorem, imperium, vera via id eſt virtute ipſa nitentium, etiam à Catone laudata eſt. Ideo S. Thomas, 2. 2. q. 10. a. 4. Infideles, inquit, non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera ad quæ ſufficit bonum naturæ aliqualiter operari poſſunt, quod confirmat, q. 23. a. 7. & conſonat S. Bonau. in 2. diſt. 28. a. 1. q. 2. & diſtinct. 41. dub. 2. text. & ſuadet ratio, quia homo ex eo quod ratione prædituſ eſt, naturaliter propendet ad actus conformes naturæ ſuæ, ſicut quælibet res fertur naturaliter in actiones propter quas facta eſt; & quāuis hominis natura per peccatum ſit deprauata, & lumen rationis obſcuratum, non tamen omnino extinctum eſt, vt propterea non poſſit bona aliqua facere, ſine quibus difficillime vita cuiuſlibet peſſimi hominis inuenitur, ait Auguſt. lib. de Spir. & litt. tom. 7. cap. 27. non conditionaliter, ſed abſolutè loquens, vt patet textum legenti, in quo præmiſerat, vt conceſſum aduerſario, quod negari rationabiliter non poſſe aduertebat, quod videlicet non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenos affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, vnde merito dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere: ſi hoc eſt quod dictum eſt, quia gentes quæ legem non habent, hoc eſt legem Dei, naturaliter quæ legis ſunt faciunt; & quia huiuſmodi homines ipſi ſibi ſunt lex, & ſcriptum legis opus habent in cordibus ſuis: id eſt non omnimodo delerum eſt, quod ibi per imaginem Dei cum creatētur impreſſum eſt, &c. Hoc inquā non ſub conditione tantum admittit Auguſt. vt putat Vaſq. t. 2. diſp. 190. num. 166. ſed abſolutè, quia vniuerſaliter admittit in infidelibus, & impiis quædam bona opera, licet non perfectæ virtutis, neque meritoria; & illa tamen à Deo eſſe, & non ſolùm à libero arbitrio contendit contra Pelagianos, vt patet ex verbis citatis, lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. & ex comparatione aliorum bonorum naturalium, quorum citra controuerſiam Deum vult eſſe auctorē. Cum enim dixiſſet *ſed acerbiſſimis huius gratiæ inimicis exēplanobis apponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abūdare virtutibus, in quibus ſine adiutorio gratia, ſolum eſt naturæ bonum, licet ſuperſtitionibus mancipatū, qui ſolis ingeniæ libertatis viribus, & miſericordes crebro,*

S. Auguſt. Admittit virtutes morales in infidelibus.

S. Thom.

S. Bonau.

Naturæ viribus poſſunt aliqua bona fieri.

Digitized by Google

& modeſti, & caſti inueniuntur, & ſobrij, &c. mox. *Quanto, inquam, ſatius hæc ipſa in eis dona Dei eſſe fatereris, ſub cuius occulto iudicio nec iniuſto alij fatui, alij tardiſſimi ingenij, & ad intelligendum quodammodo plumbei, alij obliuioſi, alij amicti, memoresve noſcuntur; alij vtroque munere præditi*, &c. Quarum affectionum Deum cauſam eſſe prædicat, ſicut & bonorum mores contra Pelagianos in arbitrii vires illa referentes; quod etiam docet in epiſt. 130. ſuperius citata.

Hæc autem commemorata volui vt oſtendam in ſententia S. Auguſt. Pelagium negaſſe concurſum vniuerſalem Dei cum cauſis ſecundis, & cum libero arbitrio in particulari, nam opera illa infidelium, & impiorum non fiunt auxilio gratiæ per Chriſtum, neque Spiritus S. ſubminiſtratione ſecundum Auguſtinum, quia non proſunt ad vitam æternam, neque illius meritoria ſunt; Immo plerumque male fiunt, quæ mala in ſe non ſunt, vt patet ex c. illo 3. contra Iulianum, & tamen ſine Dei adiutorio non fiunt, vt maximopere nititur ab eo extorquere Auguſt. ergo auxilium hoc eſt concurſus vniuerſalis debitus naturæ, & non gratiæ, qui non deberur vt arguit Suar. Pro-
P. Suar. leg. 5. cit. c. 4. quicquid Vaſq. diſp. 190. cit. conetur probare nullum opus moraliter bonum fieri poſſe ſine auxilio gratiæ per Chriſtũ, & de eo Auguſtinum interpretetur, quaſi ipſe ſentiat aut nullas in infidelibus fuiſſe virtutes ciuiles contra expreſſa eius teſtimonia hic recitata; aut ſi fuerunt, non ſatis fuiſſe lumen rationis cum generali concurſu, quia hæc ſola non ſufficiunt ad bene operandum, niſi adſit concurſus gratiæ; atque ita ſequeretur omnia opera tam fidelium, quàm infidelium ſine tali concurſu facta eſſe peccata, quia Auguſt. inter voluntatem moraliter bonam, vel malam non agnoſcit mediam, iudicio Vaſq. diſp. cit. c. 8. & 16. Atque ita reuerentia exhibita parentibus ex dictamine rationis, ſubſidium exhibitum pauperi penuria laboranti ex affectu miſericordiæ, & compaſſionis, ſolutio debiti ex motiuo iuſtitiæ non procedens ab auxilio gratiæ indebito naturæ eſſet peccatum; Immo nulla actio eſſet bona, ſed omnis eſſet peccaminoſa, idque neceſſario, quia auxilium gratiæ per Chriſtum requiritur ad bonitatem per te in ſententia Auguſt. etiam in ſtatu puræ naturæ, quod eſt abſurdum, quia non eſt in poteſtate hominis tale auxilium, nec ad ſingulos actus exhibetur; & alioqui neceſſitas excuſat à peccato, quod non eſt ſine libertate, & licet in ſtatu puræ naturæ requirat Vaſq. auxilium gratis ad bonum morale, tamen eo negato, ſequeretur idem inconueniens quod cæteræ virtutes peccata eſſent in ſententia S. Thomæ negantis indifferentiam; & in aliorum homo eſſet deterioris conditionis quàm bruta, quæ habent vires ad viuendum iuxta dictamen ſenſus, & ſuæ naturæ, homo illis careret ad viuendum moraliter bene iuxta dictamen rationis.

Neque refert quod hæc impoſſibilitas operationis bonæ proueniat vel ab eo quod excedat vires naturæ; vel ex eo quod nequit homo bonum operari ſine cogitatione boni, & quod applicetur ad illam potius quàm ad mali, gratiæ Dei eſt, vt vult Vaſq. cap. 12. & 17. diſp. cit. quia etiam hæc applicatio eſt indebita, & extra facultatem hominis, atque ex meritis Chriſti, conceſſa, & non datur ad ſingulos actus, vt patet in ijs, qui ſicut aquam bibunt iniquitatem ſine cogitatione vlla boni, & tamen peccant; & in quotidianis operationibus naturæ quales ſunt, ex Auguſt. libro 3. Hypognoſt. longe ab initio, vel quicumque ſit eius libri auctor, ſane grauis, vt notat Bellarminus de ſcrip. eccleſiaſt, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere; velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum; velle vxorem ducere, pecora nutrire, artem diſcere diuerſarum rerum bonarum; velle quicquid ad præſentem vitam pertinet, &c. quæ adiaphora ſunt, & communia bonis, ac malis, fidelibus & infidelibus, & non male fiunt ſi vt conſulatur naturæ neceſſitate fiant, quia vt idem Auguſt. de ſpiritu & Anima cap. 54. Omnium humanarum actionum ad hunc finem currere debet intentio, vt vel diuinæ imaginis in nobis ſimilitudo inſtauretur, vel huius vitæ neceſſitati conſulatur. Et certum eſt auctorem huius libri eſſe doctum, & pium, licet incertum an ſit Auguſt. vt Bellarminus ibidem, & alioqui ipſe Auguſt. meliora fatetur in gentilibus fuiſſe, ideſt virtutes morales, & huiuſmodi ad præſentem vitam ſpectantia fieri poſſe ſine gratia, vt patet ex libro de perfectione Iuſtitiæ ad ratiocinat. 17. vbi concedit poſſe aliquem ſine adiutorio gratiæ velle ducere vxorem, non tamen totam legem ſeruare, vt inferebat Cœleſt. cum Pelagio. Verum quidem eſt mihil horum fieri poſſe vt oportet ad ſalutem, quod ſemper inculcat Auguſtinus contra eoſdem, ſed & illud veriſſimum etiam quando naturaliter fiunt, quocumque modo fiant, egere diuino concurſu, & non ſufficere vires arbitrij illo diſtitutas, quod etiam intendit Auguſt. licet non tam ſollicite vt primum, in quo de neceſſitate Gratiæ ad meritum & ſalutem fides catholica quid ſit tenendum non relinquit dubium, aut liberum diſputandi locum. Ideo Patres, & concilia in hoc ſenſu oppugnant Pelagium, & Pelagianos damnant, licet ex occaſione attingant minus principalem de auxilij neceſſitate ad omnes actiones, vt patet ex S Hieronymo, cuius teſtimonio confirmata manet aſſertio, quia pugnat pro immediato cõcurſu Dei contra Pelagium, & abſolute epiſt. 139. ad Cyprian. Homo ait à principio conditionis ſuæ Deo vtitur adiutore, & cum illius ſit gratiæ quod creatus eſt: illius miſericordiæ quod ſubſiſtit, & viuit, nihil boni agere poteſt abſque eo, qui ita conceſſit liberum arbitrium, vt ſuam per ſingula opera gratiam non negaret, &c. nomine gratiæ intelligit etiam naturæ beneficium, vt Suar. Proleg. 5. c. 2. n. 5.

Actiones multæ ad humanam vitam ſpectantes poſſunt fieri ſine gratia per Chriſtum

Digitized by Google

Reſponſio ad obiectiones Patr. Vaſq. initio poſitas.

CAPVT VIII.

AD 1. Inter errores Pelagii numeratos à S. Auguſt. ſupra, duo ſunt negantes in vniuerſum neceſſitatem auxilij diuini ad ſingulos actus, quià tolleretur libertas. Vnde inferebatur primò, igitur gratia Dei non eſt neceſſaria ad ſalutem, ideſt neque ad initium, neque ad progreſſum, neque ad conſummationem iuſtificationis. Deinde liberum arbitrium etiam in alijs operationibus ſibi ſufficit ſine adiutorio Dei, & multo magis, quia reliquæ operationes vitæ huius non ſunt adeo excellentes, vt pertinentes ad ſalutem, & conferentes ad gloriam. Primam ſequelam admittebat Pelagius, & quanquam retractare coactus, gratiam neceſſariam eſſe profeſſus fuerit, tamen poſtmodum declarauit ſe per gratiam non aliud intellexiſſe quàm legem, doctrinam, exemplum Chriſti, &c. vt Auguſt. lib. de peccat. orig. contra Pelag. & Cæleſt. c. 8. 16 17. & 37. non autem interius auxilium per ſpiritus ſubminiſtrationem, manifeſte contrà ſcripturas vtriuſque Teſtamenti: pro quibus oppoſuerunt ſe Patres, & concilia, & fulmine monſtra hæc anathematum feriere. Alteram conſequentiam multo magis ſuam eſſe fatebatur ex eodem principio ſaluandæ libertatis, & meriti; ſed ex profeſſo de illa non eſt facta mentio in concilijs, ſiue quia ſatis erat damnaſſe decimum articulum, Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei indigeat auxilio, quia verbò indefinita complectuntur etiam actiones morales, & naturales, vt Suar. proleg. 5. c. 4. cit. ſiue quia continet quæſtionem philoſophicam de concurſu primæ cauſæ vniuerſalis cum cauſis ſecundis particularibus, ad quam in terminis definiendam non putarunt concilia conueniens eſſe demittere auctoritatem ſuam; cum pröptum eſſet cuilibet ſenſato aduertere, quid ex damnatione articuli vniuerſalis exiſtimandum eſſet de adiutorio Dei in omnibus liberis operationibus, vt aduertiſſe diximus S. Hieron. loc. citatis.

Quid intelligat Pelagius per gratiã quam admittebat.

P. Suar.

Et certe cum tam multa ſuppetant argumenta ſuadentia à Pelagio negatum eſſe concurſum immediatum Dei cum ſecundis cauſis, & ne leue quidem ſit indicium quod neceſſarium exiſtimauerit, non eſt quod ſapientiorem in hoc fuiſſe Pelagium contendamus, qui libens, ac volens deſipere voluit in neganda gratia; neque pro ſobrio Philoſopho venditare ſatagamus, qui intemperatum Theologum agere non erubuit.

Multa ſunt argumenta ſuadentia à Pelagio negatum eſſe Dei concurſum immediatum.

Ex quo patet cur Durandus Pelagianiſmo non notetur; nunquam enim aperte damnatus eſt error Pelagij vt continet ſecundam ſequelam philoſophicam.

Ad ſecundam patet ex dictis, nam Patribus, & concilijs curæ fuit ſartam tectam ſeruare ſcripturam ſacram tam plane, ac dilucide, tamque frequenter commendantem diuinæ gratiæ neceſſitatem ad ſalutem, ac merita; & licet ab eadem colligatur Dei concurſus ad operationes creaturarum; non tamen ita diſerte meminit immediati, vt ſtatim deſertor eius ſit cenſendus, qui ſententiam ſuam illi affingat, & ſi non congeneam, aut cohærentem. Cæterum ex neceſſitate concurſus generalis argui poteſt ad neceſſitatem auxilij gratiæ, quia ſi liberum arbitrium nihil poteſt naturaliter operari, niſi adiutum concurſu naturali; ita nihil poterit ſupernaturale, niſi eleuatum ſupernaturaliter; etiamſi non vice verſa; quia reddi poſſet diſparitas ab excellentia actionis ſupernaturalis ſupra naturalem, poſtulante nobilius principium quam ſit liberum arbitrium purum ſine gratiæ adiutorio.

Ad 3. facile irrepſerit mendum incuria librarij, non auctoris vſquequaque ſolertis, vbi Critobulum nomine Hieronymi loquentem inducit textus Vaſq. & Atticum nomine Pelagij, & tamen manifeſtum eſt Critobulum ſuſtinere perſonam Pelagij; & Atticum Hieronymi, quod aduerti debet; ne confuſio perſonarum confundat doctrinam catholicam cum hæretica, & ita intelligunt Suar. & Leſ. loc. cit. c. 13. quia non permittit dialogus ille inuerti perſonas interloquentes ſine peruerſione ſenſus auctoris.

Cæterum quod attinet ad remipſam concedo S. Hieronymum inſiſtere potiſſimum in probatione neceſſitatis gratiæ ex teſtimonijs Scripturæ, quia hoc erat fidei dogma ſacrilegè reiectum à Pelagio & ideo totũ conatum confert Hieronymus ad illud confirmandum; quod idem præſtat ſimul infirmat, ac deſtruit fundamentum hæretici de ſufficientia, & libertate arbitrij; oſtenditque illam non conſiſtere abſque concurſu Dei in omni operatione creaturarum; & hanc non lædi per eiuſdem cooperationem, vt ex contextu liquere poteſt percurrenti totum diſcurſum: Itaque negamus S. Hieronymũ agere ibi ſolum de operationibus, quæ fiunt ſecundum normam virtutis, & egent auxilio gratiæ; concedimus quod principaliter, quia hoc maxime pertinebat ad puritatem fidei conſeruandam: ſed per occaſionem diſſerit de neceſſitate diuini concurſus ad omnes operationes præſertim liberi arbitrij.

S. Hieron. non loquitur ſolum de operationibus bonis ſecundum normam virtutis, ſed etiam de alijs naturalibus.

Ex quo patet ad 4. obiectionem, eadem enim illi conuenit reſponſio, ac tertiæ.

Ad primam Confirmationem, in omnibus illis exemplis interuenit aliquo modo Dei concurſus tum ad actum voluntatis internum, tum ad aliquam applicationem externam inde prouenientem: quod ſi nulla proueniat, ſufficit concurſus cum interiori actu, neque tamen fruſtra numerat Hieron. tam multa minima, quia intentio eius erat etiam ad illa Deum concurrere: neque verum eſt quod in genere naturæ voluntas illorum ſit eiuſdem ſpeciei, & etiamſi eſſet, clarius ſe explicabat numerando multa, ad quæ videbatur ſufficiens creata virtus ſine auxilio increatæ, cum ſint minima, & infima in genere operationum.

Deinde reſpondeo propoſitum fuiſſe Hieronymi probare quod vtroque modo operationes illæ poſtulant concurſum Dei, ideſt ſupernaturalem ſi meritoriæ ſint; vniuerſalem, & bitum naturæ ſi non pertingant ad meritum,

Digitized by Google

& ideo admiſcuiſſe poſitiuas etiam negatiuas, vt ſedere, tacere, &c. quia vt Auguſt. lib. 1. Retract. cap. 9. Omnia bona magna, & media & minima ex Deo ſunt.

Et hæc de neceſſitate concurſus vniuerſalis ad omnes operationes cauſarum ſecundarum ex mente iſtorum Patrum; an verò ad actiones liberas moraliter bonas requiratur præterea auxilium Gratiæ per Chriſtum, diuerſa eſt quæſtio, de qua alias. Sed rurſus

Interim contra dicta inſtabis, quia videtur Pelagius admiſiſſe concurſum immediatum cum libero arbitrio, nam S. Auguſt. lib. 1. de Gratia Chriſti c. 10. recitat verba eius opponentis ſibi aſſerenti ex nobis ipſis effici in nobis voluntatem bonam, quia Apoſt. ad Philip. 2. ait, Deus eſt enim qui operatur in nobis velle, & perficere. Operatur, inquit Pelagius, in nobis velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium, tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit: dum reuelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem: dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt, &c. licet igitur initio naſcentis ſuæ hæreſeos Pelagius negauerit Dei auxilium eſſe neceſſarium; tamen poſtea vel conuictus, vel coactus illud confeſſus eſt, vt patet ex citatis verbis, & ex aliis relatis cap. 7. ab eodem Auguſt. Adiuuat n. nos Deus per doctrinam & reuelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat.

Et quanquam recentiores aliqui interpretantur hæc de vera illuminatione, & interna gratia Spiritus Sancti tanquam admiſſa à Pelagio, vt Aluar. de Auxil. diſp. 1. Alij probabilius negant, quibus fauet Auguſt. eodem libro de gratia Chriſti cap. 41. *Ab illo ſuo manifeſtiſſimo dogmate non recedit omnino, vbi tria illa conſtituit, poſſibilitatem, voluntatem, actionem, & ſolam poſſibilitatem dicit diuino ſemper adiuuari auxilio, voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio exiſtimat indigere: ipſum verò auxilium quo poſſibilitatem naturalem perhibet adiuuari in lege conſtituit, atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Sancto Spiritu reuelari.* Sed hæc non eſt illa reuelatio, ſeu interior illuminatio gratiæ iuuans intellectum ad doctrinam reuelatam conuenienter concipiendam, & cum pia affectione, & inclinatione voluntatis accipiendam, & ſequendam; ſed ſola applicatio, vel propoſitio obiecti pertinens ad legem, & doctrinam: vnde ſubdit Auguſt. *Sed hoc adiutorium legis, atque doctrinæ etiam prophetis fuiſſe temporibus, adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Chriſti eſſe arbitratur auxilio. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perſpicuis, quæ nobis euangelica præcipiatur, vt videlicet tanquam via demonſtrata, qua ambulare debeamus, ſufficiamus nobis, ne deficiamus in via, & ipſam viam contendat etiam ſola inueniri poſſe natura, ſed facilius ſi adiuuita gratia, ſuo ſcilicet more intellecta, & ambiguitate verborum tecta, à qua nunquam recedit, vt diſcipuli ſui credant auxilium gratiæ, quæ naturæ poſſibilitas adiuuatur eſſe in lege, & doctrina, cum tantum eam credere deberent, quæ non ſolum oſtendit veritatem, ſed etiam impertiat caritatem,* vt Auguſt. ibid. & Suar. proleg. 5. c. 3.

Aluar. de auxil. diſp. 1.

Verbis ludebat Pelagius, vt videretur gratiæ neceſſitatem admittere.

Quicquid tamen de hoc ſit, in aliquo ſenſu admiſit Pelagius auxilium Dei cum libero arbitrio, etiam teſte Auguſt. ergo non tribuit ei totam virtutem operandi, ſed ſimul concurrente Deo; conſequenter non impugnatur à ſanctis Patribus in hoc ſenſu; ſed ſolum quia negaret auxilium gratiæ per Chriſtum, qua non ſolum poteſtas, ſed etiam voluntas, & actio diuinitus iuuetur, vt ſine illa nihil bene velimus, & agamus; hac enim conceſſa omnem controuerſiam ceſſaturi fatetur ibi Auguſt. Et hoc ſi detur, argumentum ex auctoritate Hieron. & Auguſt. nihil probat.

Reſpondeo quicquid intellexerit Pelagius nomine reuelationis diuinæ, duo ſunt certa in vtraque ſententia; Primò quod nunquam adduci potuit Pelagius, vt aperte fateretur neceſſariam eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quæ non ſolum reuelet quid agere debeamus; ſed etiam adiuuet vt agamus: cum enim diſtinguunt hæc tria, Poſſe, velle, agere; primum à Deo fonte bonorum recognouit: cætera verò duo, inquit Auguſt. cap. 1. cit. de Gratia Chriſti, *Quæ noſtra eſſe voluit ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio; & ideo non adiuuet, vt velimus; non adiuuet, vt agamus, ſed tantummodo adiuuet vt velle, & agere valeamus, &c.* quod adiumentum in lege poſuit, & doctrina ex eodem S. Auguſt cap. 6.

Secundò, Certum eſt auxilium hoc gratiæ, qualecumque demum ad frangendam inuidiam conceſſerit Pelagius, tamquam vtile, & non neceſſarium conceſſum ab illo fuiſſe, non quia ſine illo ſimpliciter liberum arbitrium operari non poſſit; ſed quia facilius cum illo operabatur. *Denique Pelagius*, inquit Auguſt. *fraudibus increpatus, quod nihil tribuerit adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correptionem eorum hactenus ceſſit, vt non eam libero arbitrio præponeret, ſed infideli calliditate ſupponeret dicens; Ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius poſſint implere per gratiam. Dicendo vtique, vt facilius poſſint, voluit credi etiamſi difficilius, tamen poſſe homines ſine gratia diuina facere iuſſa. Illam vero gratiam, ſine qua nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, &c.* Sic Auguſt. lib. de hæreſ. hæreſ. 88. & alibi ſæpe repetit idem. Manifeſtum igitur ex iis eſt, nunquam receſſiſſe à ſuo illo principio damnato in Palæſtino Concilio, Non eſt liberum arbitrium, ſi Dei indiget auxilio, quia poſt longam enumerationem munerum gratiæ qua videri volebat maxime Catholicus, eo tandem recidit, vt ad facilius operandum iuuaretur arbitrium per illam, non ſimpliciter ad velle, & operari neceſſariam fateretur, quo patenter ſe prodidit hæreticum. Et quia propoſitio eius vniuerſalis eſt, & abſurda, quæ male inferebat ex contradictoria, æque locum habent in quolibet auxilio ad velle, & agere abſolute & cum libertate, ideo etiam concurſum, & coopera-

Axioma Pelagii, non eſt liberum arbitrium ſi Deo eget auxilio.

Digitized by Google

tionem Dei vniuerſaliter negaſſe conſequentius eſt.

Confirmatur, quia cum per tam multiplices modos excurrerit, quibus Deus auxilia ſua ſubminiſtrat hominibus, nunquam meminit cooperationis eius, immo potius illam excluſit, cum totam ſufficientiam tribuat libero arbitrio, & nihil in eo aliud agnoſcat à Deo, quàm poſſibilitatem per donum creationis.

Deinde hanc extendit ad opera ſalutis ad quę nullum præterea auxilium admittit, quàm ad bene eſſe, & facilius operandum, ergo multo minus neceſſarium exiſtimauit ad cætera quæ ſunt vitæ præſentis, & non æternæ, quæ non excedunt vires naturæ.

Tertiò, Diſtinguens Pelagius quæ hominis ſunt, & quæ Dei ſic loquitur apud S. Auguſt. De gratia Chriſti c. 4. *Nos ſic tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco poſſe ſtatuimus; ſecundo velle; tertio eſſe. Poſſe in natura, velle in arbitrio, eſſe in effectu locamus. Primum illud, deſſe poſſe, ad Deum proprie pertinet, qui illud creaturæ ſuæ contulit: duo vero reliqua, id eſt velle, & eſſe, ad hominem referenda ſunt, quia de arbitrii fonte deſcendunt. Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt, imo & hominis, & Dei, qui ipſius hominis poſſibilitatem dedit, atque ipſam poſſibilitatem gratiæ ſuæ adiuuat ſemper auxilio. Quod vero homo poteſt velle bonum, atque perficere, ſolius Dei eſt, &c.* Hic videtur Pelagius vnus ex Catholicis confitentibus auxilium Dei in operationibus noſtris; tamen pergit Auguſt. & moner, ne aliter illum intelligamus, quàm ſentit, *Scire quippe debemus*, inquit, *quod nec voluntatem noſtram, nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, ſed ſolam poſſibilitatem voluntati, atque operi, quam ſolam in iis tribus nos affirmat habere ex Deo, tanquam hoc ſit ſic firmum quod ipſe Deus poſuit in natura, cætera vero duo, qui noſtra eſſe voluit, ita ſint firma, & fortia, & ſibi ſufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio, &c.* Quæ ſupra notauimus, & hîc repetimus, vt aduertat lector nihil partis habere Deum in voluntate, & operatione hominis præter hoc quod dedit poſſe ex mente Pelagij, Quod ſi cum illo concurrere coagendo cenſuiſſet, quomodo etiam eſſe Dei negaſſet ea, quorum eſſet cauſa immediata & quidem magis principalis quàm creata? Sed nimirum hoc eſt quod dicebat ſupra apud S. Hieronymum epiſt. ad Cteſiphont. Recede à me, &c. Non habeo te neceſſarium: Dediſti enim mihi ſemel arbitrij libertatem, vt faciam quod voluero.

Poſſe tantũ à Deo agnoſcit Pelagius, non item voluntatẽ, & opus.

Cur igitur inquies dixit Pelagius, in voluntate, & opere bono laus hominis eſt, imo & hominis, & Dei, niſi quia & in illis partem habet Deus, viuatque ſuo auxilio?

Reſpondet ibi ſtatim S. Auguſt. *Neque Pelagium hinc incautos faciat, & ſimplices vel etiam ſeipſum, Quoniam cum dixiſſet, Ergo in voluntate, & opere bono laus hominis eſt, velut correxit atque addidit, Imo & hominis, & Dei. Non enim hoc propterea dixit, quia ſecundum ſanam doctrinam intelligi voluit, quod & velle, & operari Deus operetur in nobis, ſed cum hoc dixit, ſatis euidenter oſtendit continuo ſubiungendo, Qui ipſius voluntatis, & operis poſſibilitatem dedit.* & mox. *Sed ideo hanc laudem adiunxit, & Deum, quia niſi natura eſſet, in quâ nos condidit, qua velle & agere poſſemus, nec vellemus, nec ageremus. Hanc autem naturalem poſſibilitatem quam adiuuari Dei gratia confitetur, non eſt hic apertum vel quam dicat gratiam, vel quatenus ea naturam ſentiat adiuuari, ſed ſicut aliis locis, in quibus euidentius loquitur, intelligi poteſt, non vult aliud accipi, quàm legem, atque doctrinam, qua naturalis poſſibilitas adiuuetur, &c.* Atqui lex, & doctrina non ſunt immediatus Dei concurſus, aut eius cooperatio, vt de ſe patet, & ex eo quod eam omnino reiicit teſte Auguſt. ibidẽ, qui quamuis de operibus gratiæ loquatur, & auctoritate ſcripturæ irretiat vulpeculam demolientem vineas; ſimul tamen oſtendit quid malitiæ foueret contra bene ſentientem Philoſophiam, cum Deum amandat à conſortio liberi arbitrij operantis, & auctorem ſolum facit poſſibilitatis ad volendum, & operandum: Sed ſanctus Doctor negotium eccleſiaſticum ad ſe maxime pertinere ratus, totus incubuit in hæreſi expugnanda; Philoſophicum placitum obiter ſolum confutauit, bene conſcius etiam contra ipſum ſtare diuina teſtimonia clamantia Deum operari omnia in omnibus, veſtire fœnum agri, & lilia campi, neque paſſerculum eſſe illi in obliuione, aut capillum de capite noſtro ſine cura eius manſurum, vt ſuis etiam cõmemorauit locis Auguſtinus, impenſius tamen congeſſit, diſcuſſitque alia quibus Euangeliſtæ, ac Apoſtoli diſerte commendant gratiam Dei, eiuſque neceſſitatem ad opera ſalutis, valde vehementerque inculcare non deſiſtunt, & hæreſim Pelagij extinguunt in arce arbitrij perfugium reponentis.

Vltra legem, & doctrinam non conceſſit Pelagius Gratiã licet verbis fucum faceret.

Obiicies, quia vna ex rationibus Pelagij fuit, ne faceret Deum cauſam mali, ſi cooperaretur voluntati, & actioni, & ideo poſuit liberum arbitrium cauſam totalem vtriuſque. Quod bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, noſtrum eſt: quia hæc omnia vertere etiam in malum poſſumus ait ipſe apud S. Auguſt. c. illo 4. cit. de Gratia Chriſti. Sed hæc etiam eſt doctrina Auguſtini, nam lib. 5. Ciuit. c. 9. *Malæ quippe voluntates*, inquit, *ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt quæ ab illo eſt.*

Et vniuerſaliter lib. 7. c. 30. *De Deo ait ſic itaque adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus ſinat*; Quæ phraſis indicat Deum non ſe immiſcere actionibus naturalibus creaturarum, ſed ſolum conſeruare virtutes. Igitur quoad naturalia non diſcrepat Auguſt. à Pelagio.

Reſpondeo ad 1. partem, Auguſtinum loqui de malis voluntatibus vt malæ ſunt formaliter; ſic enim à Deo non ſunt, ſed ab arbitrio creato, vt infra 2. parte diſputationis latius oſtendam, collatis inter ſe pluribus S. Auguſt. locis; quibus poſitiuam entitatem actionum malarum à Deo pendere docet, quod negabat Pelagius; & ideo nulla pax ſancto cum impio in controuerſia iſta.

Ad alteram partem ex illo contextu accurate perpenſo potius colligitur concurſus Dei immediatus: Etenim quod obſcurum & difficile videatur quomodo Deus adminiſtret omnia; quæ condidit, emollit difficultatem aſſumpto veriſſimo principio, quod Deus ſit vbique præſens potentia, ac natura, & cælum

Colligitur concurſus Dei immediatus ex Auguſt.

Digitized by Google

Facilè autem est habenti virtutem infinitam vbique præsentè eam exercere operando quod vult; & proinde adiungere se creaturis operantibus cooperando ipsis: Ita tamen temperando concursum suum non indigentem alieno; vt sinat creaturas exhibere suum non sufficientem sine diuino. Occurrit autem obiicienti superuacaneum esse alterutrius concursum causæ nimirum primæ, si sola per se potest quicquid cum alio potest; aut secundæ, si semel accepit virtutem ab illa ad effectus suæ naturæ proportionatos producendos; nam illa quidem potens est ex se, sed communicare potentiam ac vim operandi voluit secundæ; hæc vero impotens est ex se sola, quoniam creatura cum sit à creatore pendet in esse, & operari: administrat ergo Deus vniuersum conseruando, & coefficiendo, vt ex hoc consortio concursus seruetur ordo, numerus, & mensura vniuersi. Idque non solum conseruando, sed coefficiendo; non solum per prouidentiam disponendo, & quæque ad finem conuenientem ordinando; sed immediate illa producendo.

Ideo S. August. in Psal. 145. hæc omnia distincte enucleauit. *Fecit*, inquit, *cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt; si ergo omnia quæ in eis sunt, & te. Parum dicere; & passerem, locustam, vermiculum, nihil horum non ille fecit, & cura est illi de omnibus.* Et mox: *Quod ergo ad dandam legem attinet, de bobus cura Deo non est; quod autem ad creanda, ad pascenda, gubernanda, & regenda, omnia ad Deum pertinent.* Quæ repetit in Psal. 148. S. August.

Probatur immediatus Dei concursus auctoritate S. Anselmi.

CAPVT IX.

1. *Conuersio ad malum vt est motus voluntatis, est quid bonum; inquantum iniustitia caret, est quid malum.*
2. *Omnis actio vt ens est à Deo est.*
3. *Omnis vsus voluntatis à Deo est.*
4. *Et hic concursus est immediatus.*
5. *In malis Deus facit quod sint, sed non quod mala sint.*
6. *In hoc sensu interpretantur S. Anselmum Scholastici, præsertim S. Bonauentura.*

GLoriantur magnificè prædicti recentiores, quod habeant pro se Anselmum; sed non est bona gloriatio eorum; Ille quippe cum reliquis Theologis stat, & scholasticum pene in morem tractat quæstionem istam, & familiari distinctione vtitur, de permissione, & directa voluntate Dei; de positiua entitate actionis peccaminosæ, & de priuatione in qua malitia formalis consistit, vt concludat ad illam quidem velle concurrere, sicut & ad omnes res positiuas. Ad hanc vero permissiue se habere, & non illius esse, sed volentis, & mouentis voluntatem.

Cum igitur Diabolus, ait Magister, ideſt Anselmus lib. de casu Diaboli c. 20. *Conuersa voluntatem ad quod non debuit, & ipsum velle, & ipsa conuersio fuit aliquid; & tamen nonnisi à Deo, & de Dei voluntate aliquid habuit: quoniam nec velle aliquid, nec mouere potuit voluntatem, nisi illo permittente, qui fecit omnes naturas substantiales, & accidentales, vniuersales, & individuales.* Et vt aperiret super malitia cadere permissionem; super entitate motus, & conuersionis concursum positiuum, subdit, *Inquantum enim voluntas, & conuersio, sine motus voluntatis est aliquid, bonum est, & Dei est: inquantum vero iustitia caret, sine qua esse non debet, non simpliciter malum, sed aliquid malum est; & quod malum est, non Dei, sed volentis, sine mouentis voluntatem: simplex quippe malum est iniustitia, quoniam non est aliud, quam malum, quod nihil est. Aliud vero malum est natura, in qua est iniustitia: quia est aliquid, & aliud quàm iniustitia, quæ malum, & nihil est: Quare quod aliquid est à Deo fit, & Dei est: quod verò nihil est, id est, malum, ab iniusto fit, & eius est.* Et quia hoc durum videbatur discipulo, quòd Deus faciat actionem malam, licet non malitiam; adhuc instat. *Quod quidem Deus naturas rerum omnium faciat fatendum est: quod verò singulas actiones peruersarum voluntatem, velut ipsum prauum motum voluntatis; quo ipsa mala voluntas se monet, faciat, quis concedat?* Respondet Magister, *Quid mirum si dicimus, Deum facere singulas actiones, quæ sunt mala voluntate, cum fatemur eum facere singulas substantias, quæ fiunt iniusta voluntate, & inhoneſta actione. Cui aquiescens discipulus, Non habeo, inquit, quod contradicam; quippe nec negare possum vere aliquid esse quamlibet actionem; nec fateri volo non fieri à Deo, quod vere aliquam habet essentiam.* Et hæc sunt verba quæ auctor quadripartitæ disputationis in nullo codice reperisse potuit, etiamsi in citatione positum fuerit, immediate, quæ vox non est in textu Anselmi, sed sensus est manifeste de immediato concursu, non de sola creatione, & conseruatione virtutum, vt ille contendit.

Primò, ad hominem arguo, qui tanquam firmissimo fundamento suæ sententiæ profert aliud testimonium Anselmi ex libro de concordia Præscientiæ Dei cum libero arbit. c. 1. quod si totũ legatur, luculenter confirmat nostram, ait Anselmus Deum facere omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt; & nulla res habet potestatem volendi, aut faciendi, nisi illo dante. Ex quo infert aduersarius, ergo dicitur Deus facere, non quia immediate faciat, sed quia dat facultatem faciendi. Sed perge lector vsque ad illa verba: *Ipsum quoque velle quod aliquando iustum est, aliquando iniustum, nec est aliud quam vis potestate volendi, ac voluntate, quas Deus dat, inquantum est, bonum est, & à Deo est.* Et paulo post. *Non esse vero recte non est aliquid, nec est à Deo, &c.* Quis hìc non videat sermonem esse de concursu immediato? quod S. Anselmus loquitur de concursu immediato Dei.

Secundò ostendo: quia vtrobiq; Anselmus à Deo esse docet non solum voluntatem seu potentiam volendi, sed vlum quoque ipsius, siue volitionem & operationem; sicut ergo immediate ab ipso est potentia, ita & operatio, vtraque enim bonum quoddam est, & proinde à Deo immediate.

Digitized by Google

Tertiò, Alioqui eſſet æquiuoca, & incõgrua Anſelmi locutio, nã eius propoſitio eſt, quod voluntas, & eius vſus eſt à Deo, quia tam illa, quam hic bonum aliquod eſt, & omne bonum eſt à Deo: ſi ergo voluntas eſt immediatè, volitio tantum eſt mediatè, æquiuocatio eſt in paucis verbis, & ratio boni nihil probaret, vel de vtroque idem probaret. Idcirco namque voluntas à Deo eſt, quia quoddam bonum eſt, ſed etiam per Anſelmum volitio à Deo eſt, quia bonum quoddam eſt, ergo ſi illa per eundem eſt immediate à Deo, & hæc pariter erit immediate ab eodem. Incongrue deinde diſcurreret, quia cum dixiſſet Deum facere omnes motus & actiones, eo quod fecerit naturas à quibus illæ procedunt, in quo notatur concurſus Dei mediatus tanquam dantis, & conſeruantis virtutes operatiuas; ſubiungit *ipſum quoque velle, &c.* ad ſignificandum quod non ſola voluntas, ſed actus etiam eius à Deo ſunt; quod ſi tantum mediate ſunt, repetit idem quod dixerat, & ſenſus eſt motus & actiones voluntatis à Deo ſunt mediate, quia ipſe fecit voluntatem ipſam: & non hoc ſolum, ſed ipſi etiam à Deo ſunt mediate quia boni ſunt. Quis ita Anſelmum arguentem inducat, & non potius hoc modo, Deus quidem auctor eſt, & cauſa motuum, & actionum quas creaturæ abſoluunt, quia dedit, & conſeruat virtutes operatiuas earum; ſed præterea dicitur cauſa earumdem, quia bonum aliquod ſunt, non ſecus ac principia à quibus fiunt, & proinde ipſas etiam à Deo eſſe oportet, à quo omne bonum eſt immediate, qui eſt germanus ſenſus expreſſus illico ab Anſelmo coniungente eodem modo concurſum Dei cum voluntate, & actibus eius, *Sic itaque*, ait, *facit Deus in omnibus voluntatibus, & operibus bonis, & quod eſſentialiter ſunt, & quod bona ſunt: In malis vero, non quod mala ſunt, ſed tantum quod per eſſentiam ſunt, quemadmodum enim non eſt eſſentia rerum, niſi a Deo; ita non eſt recta niſi ab ipſo.* Ex quo inſto

Quartò, ad hominem concedentem bona opera poſſe à Deo eſſe immediate: nam eodem cap. habet Anſelm. *Omnis qualitas vel omnis actio, & quicquid alicuam habet eſſentiam, à Deo eſt, a quo eſt omnis iuſtitia, & nulla iniuſtitia: facit igitur Deus omnia, qua iuſta, vel iniuſta voluntate ſiunt, id eſt bona opera, & mala. In bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt; In malis vero facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.* Valet igitur, Deus facit immediatè actionem bonam, quia facit quicquid habet eſſentiam, ergo & omnem actionem, quia nulla eſt quæ non habeat eſſentiam, etiam ſi ſit mala.

Deus facit quicquid habet eſſentiam.

Quintò, interrogatio diſcipuli in prima auctoritate, & repetitæ inſtantiæ fiunt, quia difficile illi, & indecens videbatur quod Deus concurrat ad actiones malas: diſtinctio autem Anſelmi, & ratio ſuæ affirmationis vtroque loco allata de entitate, ſiue eſſentia, & de malitia actiõnum, & quod illius quidem ſit cauſa Deus, non iſtius, ſatis manifeſtant ſermonem eſſe de immediato, & poſitiuo concurſu; nam de mediato non dubitaſſet diſcipulus, ſicut nec de permiſſione: quæ enim fiunt à creaturis ſi Deus non cooperetur, non dicuntur ab ipſo fieri proprie, ſicut neque facta à Caĩno dicerentur facta ab Adamo à quo habuit eſſe, etiamſi per impoſſibile vel poſſibile conſeruaſſet eſſe quod dederat. Neque vlla eſſet vmbra indecentiæ repugnantis diuinæ ſanctitati, ſi permitteretur arbitrium operari quod vellet, tanquam potens ſine cooperatione diuina facere bonum ac malum, ſicut apparere videtur illa admiſſa; Ideo Anſelmus non reſpondet Deum minime cooperari arbitrio voluntatis male operantis, ſed non concurrere ad malitiam, *In malis*, inquit, *facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt.* Et repetit iiſdem verbis cap. 2. de Concord. Et cap vlt. de caſu Diab. replicat rationem ſuperius datam, quia videlicet à Deo eſt omne quod aliquid eſt. Denique non valeret dicere Deum eſſe cauſam boni, quia dedit facultatem faciendi bonum, niſi ſimul cum ipſa faceret bonum, nam præterea adiuuat velle, & operari ſecundum Auguſtinum ſupra contra Pelagium, & iccirco ab Apoſtolo dicitur operari velle, & perficere; ita nec valeret dicere actionem malam eſſe à Deo ſecundum entitatem, non autem ſecundum malitiam; niſi ad illam concurreret; Nam ſi ſufficit quod dederit poſſibilitatem, & eum conſeruet, à qua eſt operatio, non magis erit cauſa boni, quam mali, quia ab illa tam eſt malum quam bonum, quo argumento vtitur Auguſt. contra Pelagium de Gratia Chriſti, cap. 17. *Poſſibilitas*, inquit, *illa quam dedit, tam nos facit bona poſſe, quam mala.*

In malis facit Deus quod ſint, ſed non quod mala ſint.

8. Auguſt.

Et in hoc ſenſu interpretatur auctoritates Anſelmi S Bonau. in 2. diſt. 37. a. 1. q. 1. eſtque communis Scholaſticorum vt infra videbimus. In præſentia namque ſatis eſt adduxiſſe rationem eius, quæ eſt communis omnibus operationibus creaturarum, quia entia poſitiua ſunt, ac proinde à Deo immediate pendent, ſi propter illam actus arbitrij pendent, quæ eſt vna ex præcipuis allatis à S. Thom. vt infrà.

S. Bonau.

Eodem modo Anſelmum intelligit Vaſq. 1. 2. diſp. 119. cap. 3. & alij ab ipſo relati.

Vaſq.

Origenes etiam pro communi ſententia ſtat.

CAPVT X.

1. *Neque Deus in nobis ſine noſtro libero arbitrio, neque arbitrium ſine Dei concurſu efficit actus ſuos.*
2. *In actione peccaminoſa diſtinguit materiale à formali.*
3. *Origenes loquitur de concurſu immediato Dei.*
4. *Idque non ſolum in operibus bonis, ſed aliis omnibus.*
5. *Neque in hoc eſt læſio vlla libertatis.*

VEndicant Origenem pro contraria aliqui recentiores, ſed gratis, quia non obſcure nobis conſentit. Mouet ille quæſtionem de concurſu Dei cum libero arbitrio ex diuerſis

ſis Scripturæ teſtimoniis in ſpecie pugnantibus, & trita apud Scholaſticos diſtinctione conciliat, oſtenditque neque Deum in nobis ſine nobis, ideſt ſine concurſu arbitrii; neque arbitrium ſine Dei concurſu efficere ſuos actus liberos. *Verum* (ait lib. 3. Periar. cap. 1. fin.) *Quoniam ſermo Apoſtoli in iis quidem quæ de vaſis honoris, vel contumelia dicit, quia ſi quis ſeipſum mundauerit, vas erat ad honorem ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum ſemper paratum, nihil videtur in Deo poſuiſſe, ſed totum in nobis. In iis vero, in quibus ait, Poteſtatem habet figulus luti de eadem maſſa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam, totum videtur ad Deum retuliſſe. non eſt accipiendum ſibi eſſe contraria, ſed vtrique ſenſus ad vnum vocandus; & è duobus vnus effici debet intellectus, ideſt vt neque quæ in noſtro arbitrio ſunt, putemus ſine adiutorio Dei effici poſſe; neque ea quæ in manu Dei ſunt, putemus abſque noſtris actibus & ſtudiis, & propoſito conſummari; ſcilicet quo neque nos velle aliquid, vel efficere ex noſtro cum habeamus arbitrio, vt non ſcire debeamus hoc ipſum quod poſſumus velle, vel efficere à Deo nobis datum eſſe, ſecundum eam diſtinctionem quam ſupra diximus, &c.*

Diſtinctio quippe paulo ſuperius ab Origene tradita eſt de materiali & formali actionis peccaminoſæ, qua perpetuo vtuntur Scholæ Theologicæ ad diſcernendum aurum entitatis poſitiuæ, quæ à Deo, & arbitrio creato manat, à ſcoria malitiæ ac priuationis recti, quæ à ſolo arbitrio vt deficiente cauſa deriuatur. *Poſt hæc* (inquit) *inſequebatur illa quæſtio, quoniam & velle, & perficere eſſet ex Deo, & aiunt ſi ex Deo velle eſt, & ex Deo eſt perficere, ſine bene, ſine male agamus, vel velimus, ex Deo eſt; quod ſi ita eſt, liberi arbitrii non ſumus.*

Materiale, & formale actionis malæ.

Ad quod reſpondendum eſt, quin ſermo Apoſtoli non dicit, quia velle mala ex Deo eſt, neque perficere bona, & mala ex Deo eſt: ſed generaliter ait quia velle, & perficere ex Deo eſt. Sicut enim à Deo habemus hoc ipſum quod homines ſumus, quod ſpiramus, quod mouemur; ita & quod volumus, ex Deo habemus vt ſi dicamus, quod mouemur ex Deo eſt, vel quod ſingula quæque membra officio ſuo deſeruiunt, & mouentur, ex Deo eſt. Ex quo vtique non illud intelligitur, quia quod mouetur manus, verbi cauſa, ad verberandum iniuſte, vel ad furandum, ex Deo eſt; ſed hoc ipſum quod mouetur; ex Deo eſt. noſtrum vero eſt motus iſtos, quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona, vel ad mala conuertere. Igitur ſecundum Origenem aliud eſt motio manus, aliud motio iniuſta: Illam à Deo habemus, hanc à noſtra voluntate: quod idem eſt ac dicere, motio et actio eſt & ens poſitiuum à Deo eſt, non ſolo ſi quidem à manu fit, vt mala eſt, & iniuſta ab homine ſolo eſt. Et in hoc ſenſu citat Origenem Salaſ. 1. 2. tom. 2. tractatu 13. diſpu. 10. ſectione ſecunda. Idque merito, apertiſſimus namque ſenſus eius eſt, quàm vt interpretatio de concurſu ſolum mediato illi congrua.

Primò, quia de iſto non poſſunt etiam violenter explicari verba illa, neque ea quæ in manu Dei ſunt, putemus abſque noſtris actibus, & ſtudiis, & propoſito conſummari. Quis autem non videat ad creationem, & naturæ, ac virtutis operatiuæ conſeruationem non concurrere noſtra ſtudia, vel actus, ſi quidem illam ſupponant vt à Deo datam, tanquam principium à quo actus, & ſtudia procedunt? eſt ergo ſermo de concurſu immediato, quem Deus aſſociat operationibus arbitrii, quando actualiter operatur.

Secundò, manifeſte diſtinguitur eſſe hominis ab operatione eius, & vtriuſque Deum cauſam conſtituit, illis verbis, Sicut enim à Deo habemus quod homines ſumus, &c. ita & quod volumus ex Deo habemus. Neque valet reſponſio, quod mediate habemus, tum quia de vtroque loquitur eodem modo, & ideo ſi immediate à Deo habemus eſſe hominis, ita & immediate habemus velle, ſpirare, moueri: Tum quia

Concurſus immediatus Dei.

Tertiò, Nulla fuiſſet difficultas vel ex libertate petita quæ læderetur admiſſo concurſu; vel ex ſanctitate Dei, quæ maculam pateretur ex concurſu ad malum, cui ſatisfacere ſtudet Origenes, ſicut & alii Patres ſupra, diſtinguendo materiale actionis, à formali malitiæ, & aſſerendo ad illam Deum concurrere ſimul cum arbitrio: ſtatim enim ſoluta manebat negando quod Deus concurrat ad actionem malam, quia reliquit hominem in manu conſilii ſui, data poſſibilitate eligendi quod vellet, & ſufficienti virtute operandi ſine cooperatione ſua, vt dicebant ij, contra quos diſputat eo capite; vtiturque contra illos iiſdem auctoritatibus Scripturæ ſacræ, quibus & Auguſtinus, & Hieronymus, præſertim 1. Corinthiorum tertio: Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. *Sicut ergo, ait, cum bonos atque vberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit ſeges, nemo pie, & conuenienter dicet, quia fructus iſtos agricola fecit, ſed a Deo fatebitur præſtitos; Ita etiam noſtra perfectio, non quidem nobis ceſſantibus, & otioſis efficitur; nec tamen conſummatio eius nobis, ſed Deo qui eſt prima, & præcipua cauſa operis, aſcribetur.*

Neque ſolum agit ibi de operibus ad ſalutem pertinentibus, ſed etiam de aliis vitæ præſentis, & in omnibus Dei manum operantis oſtentat, vt indicant exempla nauis marina diſcrimina ſuperantis, nautarum omni artis adhibito ſtudio gubernantium; ventorum quoque aſpirantibus flatibus impellentium ad portum, ad quem non peruenirent incolumis, niſi Deus ipſe ſaluaret. Et vniuerſaliter concludit de vitæ noſtræ curſu, hoc eſt de actionibus ad vitam præſentem etiam pertinentibus. Ita etiam in noſtræ vitæ curſu à nobis quidem impendendus eſt labor, & ſtudium, atque induſtria adhibenda; laboris noſtri vero fructus à Deo ſperanda eſt ſalus, &c. Et non loquitur de

Non ſolum ad operabona

Digitized by Google

æterna ſalute, ſed de perfectione, & conſummatione operis quod nobiſcum efficit; quodque ita à nobis effici vult, vt hoc ſecundum impenſius probet Origenes, quaſi minus eſſe dubij debeat de primo: Alioqui, ait, *Si nihil noſtris operis expoſcit, ſuperflua vtique videbuntur eſſe mandata, &c.* Vnde & ſtatim ad quæſtionem propoſitam quomodo cum hac cooperatione Dei maneat libertas arbitrij aduerſus eos, quibus videbatur impediri, & ideo ad hanc ſaluandam, tollebant illam de medio: quibus cum non tanta fuiſſet Origeni anſa diſſidij, ſi cum ipſis mediate ſolum Deum concurrere cum cauſis ſecundis, & cum libero potiſſimum arbitrio conſenſiſſet. Et ne iterum reſtringas dicta Origenis ad opera gratiæ, obſtat textus, & ſenſus quæſtionis vniuerſalis tam de bonis quàm de malis operibus liberis, vt iam patebit clariſſime.

Dices cum P. Hurt. diſput. x. Phys. §. 37. Origenem admittere immediatum influxum Dei in motus potentiarum, non tamen voluntatis, quia libertatem cenſuit auferri per influxum in voluntatis operationes.

Confitmatur, quia ſic intellexit Origenem ſanctus Thom. tertio contra gentes cap. 89. & non alio ſenſu, vt opinati ſunt aliqui, & quamuis nec fundamentum Origenis, nec opinionem admittas in actibus bonis, negare non potes ab eo negatum influxum in actus prauos.

Reſpondeo primò quidem non poſſe, hoc dato, citari Origenem pro contraria vniuerſaliter negante omnem Dei influxum immediatum in actiones creaturarum, ſi concurrit ad motus potentiarum.

Deinde loquitur expreſſe de actibus liberi arbitrij, de quibus quæſtio mouebatur, & non ſolum bonis, ſed etiam malis; & proinde vt congrua ſit reſponſio, debet vtriſque congruere. *Poſt hæc, inquit, conſequebatur ſola quæſtio, quoniam & velle, & perficere eſſet ex Deo, & aiunt: ſi ex Deo velle eſt, & ex Deo eſt perficere ſiue bene, ſiue male agamus, ex Deo eſt. Quod ſi eſt, liberi arbitrii non ſumus.* Reſpondet autem diſtinguendo materiale actionis à formali non ſolum motus potentiarum, ſed maxime voluntatis, de qua erat obiectio, vtpote formaliter libera, & fonte à quo libertas in imperatas à ſe operationes, & motus potentiarum deriuatur. Neque de hoc relinquunt dubium verba illa; *Sicut enim à Deo habemus hoc ipſum quod homines ſumus, quod ſpiramus, quod mouemur, ita & quod volumus ex Deo habemus.* Cum ergo ſubiungit, *Ex quo vtique intelligitur, quòd mouetur manus, verbi cauſa, ad verberandum iniuſtè, vel ad furandum ex Deo eſt: ſed hoc ipſum quod mouetur ex Deo eſt, noſtrum vero eſt motus iſtos, quibus motum ex Deo habemus, vel ad bona, vel ad mala conuertere.* Hoc inquam cadit ſuper omnia verba reſponſionis, & proinde etiam ſuper illud, *Ita & quod volumus ex Deo habemus*; Alioqui debuiſſet reſpondere obiectioni, quod volumus ex Deo non eſt, ſed ex nobis, atque ita non tollitur libertas, quia actui voluntatis non immiſcet ſe Deus, ſed ſolum motionibus ab ea imperatis. Peruidens autem Origenes eandem eſſe rationem accerſendi concurſum Dei ad motus potentiarum, & ad operationes voluntatis, ob ſummam omnium rerum dependentiam à Deo principio omnium eſſentiarum, æquauit in hoc ipſum eſſe hominis, ſpirare, moueri & velle; & admiſſo concurſu iſto negauit inde ſequi læſionem vllam libertatis, quia cum illo manet facultas voluntatis conuertendi ad bonum, & malum non ſolum motus potentiarum, ſed ipſam ſuam electionem: Ad quam ita concurrit Deus, vt tamen ad formalem malitiam, & iniuſtitiam non ſe extendat eius cooperatio, ſed tota quanta eſt, à voluntate qua abutitur homo eſt. Cæterum ſi exiſtimaſſet Origenes liberum arbitrium ſibi ſufficiens ad volendum ſine concurſu Dei, non erat quod neceſſarium aſſereret motibus potentiarum; cur enim poſſit voluntas imperium ſua virtute ſola promere in potentias ſibi ſubiectas, & nequeant ipſæ per vim ſibi inditam voluntati obſequi ſiue in bonum, ſiue in malum? quia iſtæ inquam non ſunt liberæ, & ideo concurſus Dei non impedit libertatem vt impediret in voluntate. Igitur in omnibus operationibus cauſarum naturalium adeſt Dei concurſus, quia libere non agunt. Deinde libertas non eximit voluntatem à conditione cauſarum ſecundarum, & à ſumma dependentia à prima in eſſe, & operari; alioqui ſi ſemel vna non pendet, non poteſt oſtendi dependentia eſſentialis reliquarum, fundata in hoc quod creaturæ ſunt, & Deus earum cauſa prima cum ſupremo dominio, nam voluntati creatæ hæc conueniunt, ſicut & cæteris creaturis omnibus.

Non læditur libertas.

Motus manus ad furandum vt ens eſt à Deo eſt.

Ad confitmationem, ſanctus Thomas non agebat ex inſtituto de ſententia Origenis, ſed obiter tantum illud attigit, quod frequens erat in ore multorum non connectentium ſequentia verba Origenis cum antecedentibus. Cæterum propoſitio hæc, Sicut à Deo habemus quod homines ſumus, ita & quod volumus, videtur eſſe, ait, æquipollens huius alterius, Non ſolum virtutem volendi à Deo habemus, ſed etiam operationem; aut certe ita ſunt ſimiles, vt ſi iſta ſignificat Deum concurrere immediate ad actus voluntatis, idem ſignificet illa. At prima eſt Origenis; altera ſancti Thomæ; igitur in re non diſcrepant. Viſus eſt contextus Origenis Patri Sal. alienus à ſententia eorum, quos impugnat ſanctus Auguſtinus 5. Gen. ad litteram capite 20. & ſanctus Thom. loc. citato, & tam fauorabilis communi Scholaſticorum, vt ſatis exiſtimarit illum ad verbum tranſcribere ad litem, quæ de facto eſt, diriment dam, fidemque faciendam germani ſenſus, quem locutio ipſa ſtatim legenti offert, vt videre eſt apud ipſum ton. ſecundo in prima ſecundæ, tractatu 13. diſputatione 10. ſect. 2. init.

P. Salaz.

Digitized by Google

Neque hoc ſolum ſenſit Orig. de actibus bonis, ſed etiam de malis, in quibus acute diſtinxit malitiam ab operatione ipſa, & ad hanc Deum dixit concurrere, non ad illam, vt patet ex verbis quibus profert exemplum manus ad verberandum iniuſte, vel furandum ſe extendentis, & hoc ipſum quod mouetur, inquit, ex Deo eſt &c non autem quod mouetur iniuſte, quod ab homine eſt.

Aliud eſt operatio, aliud malitia eius.

Et cum difficultas eſſet de libertate, quomodo cum Dei concurſu ſociari poſſet, & hæc tam circa bona, quàm circa mala ſe exerat; ſi ſolum negaſſet Deum concurrere ad malos actus, non ſoluiſſet quæſtionem de bonis: quam tamen abunde ſoluiſſe ſibi viſus eſt, negando abſolute aſſumptum, quod concurſus Dei repugnet libertati, ad quam exercendam neceſſarium eſſet, qua ſupponit, qua probare nititur: & interim eadem opera demonſtrat citra vllum noxæ periculum, Deum cooperari creaturæ malum operanti, quia ita attingit operationem, vt immunis ſit à malitia contracta ab homine abutente voluntate ad malum, quam vertere debuiſſet ad bonum.

Auctoritates aliorum Patrum pro immediato concurſu Dei.

CAPVT XI.

S. Gregorius Eccleſiæ Doctor

Lib. 16. Moral. cap. 16. Omnia itaque quæ creata ſunt, per ſe nec ſubſiſtere prævalent, nec moueri; ſed intantum ſubſiſtunt, inquantum vt eſſe debeant acceperunt. Intantum mouentur, inquantum occulto inſtinctu diſponuntur. Et mox: Numquid num hæc, quæ inanimata vel quæ viuentia diximus, ſuis inſtinctionibus, & non magis diuinis impulſionibus agitantur?

S. Athanaſius oratione contra Idola non longe à fine, enumeratione fuſa, diſertaque rerum multarum, in quibus concurſus creatoris elucet, totus in eo eſt, vt oſtendat multiplici ſimilitudine regimen vniuerſi, & functiones cauſarum, quibus conſtat, ab eo pendere. Illa inprimis apta ad explicandam operationem inſenſibilem, quam petit ab inſtrumento tractabili, & peruio ſenſibus manus, oculorum, & aurium. *Quemadmodum* (inquit) *ſi muſicus vbi lyram adaptauerit, & grauia acutis, & media extremis ex arte ſua coniunxerit, certum, deſignatumque melos abſoluat. Ita quoque Dei illa ſapientia rerum vniuerſitatem vt lyram tenens, & aerea terrenis copulans, & cœleſtia aereis, vniuerſaque cum ſinguliis coaptans, circumagenſque nutu ſuo, ac voluntate, vnum mundum, mundique vnum ordinem abſoluit recte, & congruenter, ipſe quidem immobilis perſeuerans apud Patrem, omnia tamen mouet conſtitutione ſua, vt vnumquodque ipſius Patri placuerit, &c.* Similitudo in eo ponitur ab Athanaſio, quod ſicut citharœdus lyram prius aptat, & fides adducit, reducitque ad certum numerum, & conſonantiam; tum illas percurrit, & ex vario, geminatoque tactu harmoniam efficit; ita Deus vniuerſitatem hanc aptauit conſtitutione variorum elementorum, & corporum, aptatamque mouet, ac circumagit per verbum ſuum, & quemdam veluti concentum harmonicum ſua adminiſtratione reddit. Primum præſtat in conditione rerum, & cauſarum; & in conſeruatione ipſarum: ſecundum in cooperatione cum iiſdem: ſollicitare namque lyram digitis, vel pectine non eſt aptare illam, & componere; ſed aptata vti per actionem à compoſitione diſtinctam; & circumagere, ac mouere creaturas, non eſt ipſas, earumque virtutes condere, & conſeruare; ſed aliquid vlterius in ipſis, & cum ipſis operari.

Similitudo lyram tractantis, ac Dei mundum diſponentis.

Confirmant hoc verba ſequentia, vt enim ipſius *Prouidentia*, inquit, *corpora quidem adoleſcunt; anima vero rationalis mouetur, & cogitandi, videndique poteſtatem habet, &c. A rurſus ipſum Dei Verbum, vno, & ſimplici nutu, ſua ipſius vi; & viſibilem mundum, & inuiſibiles potentias mouet, & complectitur, vnicuique ſuum officium attribuens; vt diuinæ quidem illæ diuinitus mouentur; viſibiles vero eodem modo quo oculis conſpiciuntur, ipſe interim in omnibus & dux, & rex, & conditor omnium omnia pro iudicio, arbitratuque ſui Patris agit, modo nos per opera ſua, quæ ab ipſo fiunt, docens ac loquens ex maieſtate, & pulchritudine rerum conditarum, proportionabiliter conditorem debere intelligi, & æſtimari, &c.* Itaque Deus per verbum ſuum non ſolum condidit viſibilia, & inuiſibilia, ſed ea regit vt dux, & Rex. Et inuiſibiles potentias mouet modo illis accommodato, ſicut & viſibiles, & docet nos per opera quæ fiunt ab ipſo, & non tantum per ea quæ facta ſunt. Et certe ſi Deus conditas à ſe creaturas ſolum conſeruat, & nihil de cætero cum ipſis, & in ipſis agit, luderet in verbis Athanaſius, & perpetua in illis catachreſi vteretur, nihil aliud ſignificando per voces actionum diuerſarum, quàm vnam dumtaxat conſeruationem; quod eſt ridiculum, & manifeſte repugnans textui deducenti lectorem ad cognitionem maieſtatis, ac potentiæ diuinæ ex pulchritudine, ac excellentia operum, quæ continuo Deus operatur per verbum ſuum in creaturis, quas condidit per ipſum.

Deus per verbum ſuum non ſolum condidit, ſed etiam regit mundum.

Adde quod S. Athanaſius edoctus à ſcriptura ſacra enuntiat tam multa de verbo Dei, quia longe plura ab illa numerantur, quæ inceſſanter operatur in creaturis, & potiſſimum in hominibus, quæ ſine controuerſia vlla immediatam operationem eius eloquuntur, vt legenti pſalmum 106. liquidò conſtat, in quo recenſet Pſaltes quæ à Deo contigerunt Iſraelitis, & pertinent ad omnes homines, meminitque verbi per quod illa operabatur, *Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos*, Quod eſt dicere efficaciter & cum poteſtate, ſed cum alluſione ad verbum in mundum mittendum, per quod ad omnia operatur; & illa in

Pſal. 106.

primis quæ ibi narrantur mirabilia.

S. Ireneus.

Libro 2. c. 45. *Quid autem* (inquit) *ſi quis interroget nos, ſi omnis numerus omnium, quæ ſunt facta, & quæ fiunt, fiant à Deo; & ſi ſecundum illius prouidentiam vnuſquiſque eorum, eam, quæ ſecundum ſe eſt, accepit quantitatem; nobiſque conſentientibus, & confitentibus, quia nihil omnino eorum quæ facta ſunt, & fiunt, & fieri Deum fugit; ſed per illius prouidentiam vnumquemque eorum & habitum, & ordinem, & numerum, & quantitatem accipere, & acceptiſſe, &c.* Quibus verbis & diuinam Prouidentiam omnia diſponentem, & diuinam operationem omnia efficientem commemorat, à qua & ordo, & quantitas, & numerus prouenit in rebus; vt verum ſit dicere Deus nouit omnia, prouidet omnibus, operatur omnia. Ex S. Iren.

Diuina prouidentia omnia diſponit, & diuina operatio omnia efficit.

S. Damaſcenus lib. 2. fid. orthod. c. 29. ſimiliter Prouidentiam, ab operatione diſtinguit tanquam ab effectu, *Prouidentia*, inquit, *eſt quæ ex Deo eſt, in ea quæ ſunt vera; & rurſus, Prouidentia eſt voluntas Dei, per quam omnia quæ ſunt gubernationem accipiunt.* & mox: *Neceſſe enim eſt, eundem eſſe eorum, quæ ſunt, & factorem, & prouiſorem.* Et ſtatim diſtinguens conſeruationem à factione ait, *Omnia enim quæcunque voluit Deus, fecit, & in cœlo, & in terra; & voluntati eius nullus reſiſtit: voluit cuncta fieri, & facta ſunt: vult conſiſtere mundum, & conſtitit: & omnia quæcumque vult, poteſt, & fiunt*, &c. Si ergo immediate operatus eſt quando creauit mundum; immediate item operatur quando efficit ea, quæ quotidie fiunt in mundo, ſecundum Damaſcenum tres iſtas operationes tribuentem Deo. Aut cur non proprie influendo concurrat vt cauſa, ſed ſolum vt conditio, voluntas eius, quæ propriè concurrit creando, & conſeruando?

Deus operatur ea quæ quotidie fiunt.

Ideo eius Commentator cap. ſequenti, cum dixiſſet non eſſe ſatis ad virtutem habuiſſe à Deo inclinationem, niſi hæc reducatur ad opus, hoc etiam à Deo eſſe oſtendit ex ſcriptura, Ioan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et Iacob. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c. Et rationem in vniuerſum reddit: *Quoniam Deus eſt omnis boni principium, & cauſa: boni inquam ſine natura inditi, ſiue habitu ſtabiliti in animo, ſiue operis ad exteriora prodeuntis*, &c. Complectitur hîc bona naturalia, & dotes animi à creatore inditas; virtutes acquiſitas, & infuſas, ac operationes ipſarum; & horum omnium cauſam facit Deum, quia eſt cauſa omnis boni, haud dubium, quia immediata huic Commentatori.

Confirmatur, quia mens S. Damaſc. eſt extollere diuinam Prouidentiam, & ſingularem eius rationem, quoad efficaciam, & ſuauitatem ſupra quamlibet creaturam, quia ſolus Deus eſt natura bonus, & ſapiens, & potens, & ideo non tantum prouiſor eſt, ſed etiam factor etrum quæ ſunt; ad differentiam hominum, qui prouidere poſſunt, ſed non facere quæ prouiſioni ſunt opportuna, & regimini bono; puta ſegetes, frumenta, armenta, milites, & ſimilia: Deus autem producit quæ neceſſaria ſunt adminiſtrationi mundi, animat ſemina, dat incrementa, veſtit agros, format corpora, informat mentes, &c. quæ magis commendant Prouidentiam ſuam, ſapientiam, ac bonitatem; quàm ſi nihil horum faceret immediate ſola conſeruatione rerum contentus.

Sic mulier illa fortis laudata à Salomone Prouerb. 31. Prouidentiæ apprime ſollertis operata eſt conſilio manuum ſuarum: Manum ſuam miſit ad fortia: Sindonem fecit, &c. quia ſcilicet maioris laudis, & gloriæ eſt hæc feciſſe; quàm aliunde facta conquiſiſſe ad prouiſionem ſuæ domus. Prouerb. 31.

Et Chriſtus Dominus Matth. 14. prouidit turbis in deſerto loco, non coemptis, aut alio modo acceptis panibus à quoquam hominum, ſed multiplicatis quinque dumtaxat, quos à Diſcipulis oblatos accepit in manus, ac benedixit, &c. Matt. 14.

S. Ioannes Chryſoſtomus

Homil. 2. in cap. 6. epiſt. ad Hebr. in illa verba, Terra enim bibens ſuperuenientem ſuper ſe imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, percipit benedictionem à Deo. Hic Deum dicit cauſam omnium eſſe, percutiens ſenſim paganos, qui terræ potentiæ fructuum generationem adſcribunt. *Neque enim agricolarum manus*, inquit, *ſunt, quæ terram ad afferendos fructus excitant, ſed imperium Dei: Propter hoc, inquit, percipit benedictionem à Deo*, &c. Excitare terram ad afferendos fructus non eſt illam conſeruare, quia etiam ſine parturitione fructuum conſeruatur. Neque imperium Dei cadit ſuper conſeruationem, ſed ſuper conſeruatæ virtutis operationem, quæ ſimul à terra eſt, ſimul & ab imperio Dei, & non ab illa ſola, vt Pagani opinabantur ignorantes altioris cauſæ neceſſariam cooperationem. Deus excitat terram ad fructus ferendos.

Homil. 37. in Ioan. in illa verba, Pater meus vſque modo operatur. Cum igitur, ait, ſolem orientem, Lunæ curſum, ſtagna, fontes, fluuios, naturæ vim in ſeminibus, in noſtris, in brutorum corporibus progreſſum, cætera omnia quibus hoc totum conſtat, vides, intellige perpetuam patris operationem vt ſupra. Idem habet hom. 38. in Acta. Ioan. 5.

S. Fulgentius

Ad Monim. l. 1. *Vera igitur immutabilitas, digne vera vocatur æternitas, in qua æternitate incommutabilis voluntatis ſuæ creator ille eam feciſſe dicitur, quod in creatura mutabili, prout opportune faciendum diſpoſuit ſic vtique diſpoſitum facit*, &c. Atqui facere ab æterno diſpoſita non eſt conſeruare, ſed per res conſeruatas, & cum illis operari. Deus in creatura facit quæ ab æterno diſpoſuit.

Digitized by Google

Sanctus Bernardus.

DE Gratia & lib. arbit. post medium. *Attingit à fine vsque ad finem, hoc est à summo cœlo vsque ad inferiores partes terræ: A maximo Angelo vsque ad minimum vermiculum. Attingit autem fortiter, non quidem mobili discursione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantum officiali administratione, sed substantiali quadam, & vbique præsenti fortitudine, qua vtique vniuersa potentissime mouet, ordinat, administrat.* Et mox. *Vel certe attingit à fine vsque ad finem, hoc est ab ortu creaturæ vsque ad finem destinatum à creatore, siue in quem vrget natura, siue quem accelerat causa, siue quem concedit gratia, &c.*

Creatura non solum à Deo conseruatur, sed etiam mouetur, ordinatur.

Hic duo in primis aduertis, opinor: alterum est non solum conseruari res creatas, sed moueri, ordinari, administrari, à creatore, quæ est immediata, & propria causalitas: Alterum hæc contingere non modo in operibus gratiæ, sed naturæ vniuersæ.

Sanct. Cyprianus.

IN epist. ad Demetriad. *Nam cum ipse sit mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio eius, & nutu gerantur, nec quicquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permiserit.*

S. Dionys.

IGeirco pronunciat merito S. Bonauen. in 2. dist. 28. a. 2. q. 3. hanc esse doctrinam Patrum post Dionysium, cuius auctoritatem ibi recitat. Sed præter ipsam est alia insignis cap. 5. de diuin. nomin. quam vltimo loco ponendam censui, quia continet fundamenta, quibus nituntur rationes SS. Bonau. & Thomæ, & vna eademque doctrina illorum est cum S. Dionysio, vt manifestum facient testimonia vtriusque doctoris sequentibus capitibus exaranda.

Ait ergo S. Dionys. *Essentia totius supersubstantialis virtute fundatrix causa est, atque opifex (Deus) existentis subsistentia; substantiæ, essentiæ, naturæ principium, & mensura sæculorum, atque temporum entitas, & æternitas entium, & tempus eorum quæ fiunt: esse autem iis quæ quomodolibet sunt, & generatio iis, quæ quomodocumque gignuntur. Ex eo enim qui est, sæculum est, & essentia, & ens, & tempus, & generatio, & quod gignitur; & ea quæ in existentibus sunt, & quæ quomodolibet subsistant, atque existant, &c.*

Dices nihil aliud hinc, colligi quàm quod omnia quæcumque participata quædam entia sunt à primo ente non participato; ad quod satis est quod ab illo acceperint esse per creationem, & retineant per conseruationem.

Virtus supersubstantialis est principium naturæ, & motus.

Contra quia non solum substantiæ, & essentiæ rerum dicitur fundatrix supersubstantialis virtus à Dionys. sed etiam principium naturæ, & motus, ac generationis; ergo si causa est substantiarum omnium, quia illas efficit, etiam motuum, ac generationum causa dicenda est, quia ad illas effectiuè concurrit; ita vt producere dicatur cum causis secundis illarum terminos, & effectus.

Quinimò hoc habet expresse eodem lib. c. 10. Ipse est sedes, quæ tenet omnia; *Quæ omnia & continet, & complectitur, & firmat, & fundat, & constringit; & vniuersum in se indissolubile absoluit, & ex se omnia quasi ex stirpe, quæ omnia teneat in lucem profert, & ad se, vt ad profundum, quod omnia capit, conuertit omnia.* En quàm diserte dicitur in lucem proferre, idest producere omnia.

Sententia S. Bonauenturæ de concursu immediato Dei.

CAPVT XII.

1. *Deus immediate attingit totum effectum, & cooperatur causæ secundæ.*
2. *Positio Quod omnis actio vt actio est à Deo est, omni tenenda.*
3. *Idque verum etiam est de actione mala vt substratum malitiæ est.*
4. *Dei concursus non præuenit actiones malas, sed comitatur.*
5. *Diuersa est hæc quæstio ab illa Manichæorum constituentium Malis principium.*

MIrari iure possint versati in doctrina Doctoris Seraphici quid venerit in mentem Auctori quadripartitæ disputationis eius auctoritate se munire; cum luce meridiana sit clarius non tanquam problema vtrinque probabile proponi; sed pro effato certo pronuntiari, quod Deus cum causis secundis immediate concurrat. Profero ex pluribus insignia testimonia, quæ fidem faciant indubitatam sententiæ Seraphi minimè dubiæ apud doctiores, & minus doctos.

In primo sent. dist. 45. a. 2. q. 2. quærit an voluntas Dei sit prima, & immediata causa rerum; & respondet affirmatiue ob rationes varias arguendo propositas, quarum vna, & potissima est: Omnis causa est prima, & immediata; quæ est in totum effectum per actionem suam: sed talis causa est Deus, quia totum quod fit est ab ipso, & sine ipso nihil potest operari, & insuper toti cooperatur, & in totum; ergo est causa immediata. Ita ferme in terminis S. Bonau. vocans Deum causam immediatam, non quia sit prima non habens supra se aliam; sed quia immediate attingit totum effectum cooperando causæ secundæ; non quia non sit dicenda immediata etiam in primo sensu, vt dicitur ibidem in argumento tertio; sed quia maxime in secundo, vt patet ex argumento secundo, Omnis causa, cuius actus primus, & proprius est rei productio, est causa prima & immediata; voluntas diuina est huiusmodi ergo.

Et in responsione ad 1. *Totus* (inquit) *effectus est à causa creata, & totus a voluntate infinita in creata*; cooperante scilicet, & concurrente ad totum effectum per actionem

ſuam, vt ſupra dixerat, & repetit in reſponſione ad vltimum : *Nec ipſa*, ait, *excludit in agendo operationem cauſæ creatæ.* Et ad primum: *Nec vna cauſa derogat alteri, ſed totus effectus eſt a cauſa creata, &c.*

In 2. d. 7. a. 4. q. 1. approbat dictum aſſerentium quod in eductione formæ Deus concurrit vt agēs principale cum cauſa ſecunda.

Præterea in 2. diſt. 37. a. 1. q. 1. quæſtioni, An omnis actio ſecundum quod actio à Deo ſit, reſpondet eſſe. *Quia enim* (inquit) *in reſolutione, Deus eſt cauſa primordialiſſima, ideo eſt influentia maxima in cauſas ſecundas; & adeo magna influentia, vt nec modicum ſeu quantumcumque parum, dum tamen aliquo modo ſit ens, procedat ab aliqua cauſa creata, niſi cooperante diuina potentia, &c.* Quæ eſt vna ratio ex parte diuinæ perfectionis, cui ſtatim ſubiungit alteram ex parte imperfectionis creaturæ. *Omnis etiam potentia creata quantum eſt de ſe defectiua eſt, nec eſt pure actiua, ergo quantumcumque faciat modicam operationem, neceſſe habet adiuuari ab ea potentia quæ eſt actus purus, propter omnimodam impermiſtionem cum materia; & quæ ſola ſibi ſufficit, nullo modo indigens adiuuari à cauſa alia. Et ideo hoc poſito, quæ dicit omnem actionem eſſe à Deo ſecundum quod actio eſt, abſque omni ambiguitate tenenda eſt.*

Ibidem q. 2. in reſolut. *Dicendum*, inquit, *quod non ſolum omnem actionem, verumetiam omnem conſeruationem neceſſe eſt à Deo eſſe, & ratio huius eſt neceſſitas, & indigentia ex parte creaturæ. Omnis enim creatura ex nihilo eſt, ideo quodammodo vana, eſt, & vanitati ſubiecta eſt, &c.*

Eadem diſtinct. in ſolutione dub. 2. text. Cum ergo (inquit) dicit Auguſtinus, *Quod natura eſt omne quod Deus fecit, poteſt accipi natura tribus modis, ſecundum quod facere Dei accipitur tripliciter: vno enim modo facere dicitur Deus creando; Secundo modo concreando: tertio modo cooperando: Et ita ſecundum quod extenditur verbum faciendi, extenditur nomen naturæ, &c.*

Ex iis principiis concludit Deum concurrere ad actionem liberi arbitrij, vt eſt ſubſtratum peccati, & ens, non vt habet deformitatem, & malitiam, vt infra ſecunda parte diſputationis conſtabit.

Interim non video cur auctor quadripartitæ diſp. par. 4. c 5. aduerti velit, quod S. Bonauentura non explicat, an actio peccati ſit per concurſum Dei proximum, & idemtificatum concurſui arbitrii: Deinde quod rationes eius potius probent mediatū: tertio quod hic ſufficit vt actio dicatur eſſe à Deo vt à cauſa prima vniuerſali, & vt ipſe vocat, primordiali; quarto quod vocet Deum cauſam immediatam, ideſt independentem à ſuperiori cauſa; ſicut prima principia vocantur immediata ab Ariſtot. 1. Poſt. quia non pendent ab aliis per quæ probentur, vt prioribus. Aut certe per immediatam cauſam intelligit voluntatem qua decernit creaturam eſſe, aut permittit operari, non autem concurſum immediatum exhibeat. Præter quam quod particula immediata eſt ſuſpecta, & ſuppoſita videri poteſt à ſtudioſis S. Bonau. cum non habeatur in antiquis codicibus.

Sed lux ipſa contextus nubeculas iſtas diſpellit, ac diſſipat fulgore ſuo. Primò quæſtio erat tunc celebris & in ſcholis agitata, An Deus immediate concurreret ad operationes creaturarum, & potiſſimam dubitandi anſam offerebant actiones prauæ, ad quas reformi iabant viri ſapientes admittere concurſum Dei, quod repugnare ſanctitati eius, & innocentiæ videretur; non autem de auctore voluntatis, & conſeruatione eius, quam vno conſenſu Deo tribuebant: poſt longam vero diſcuſſionem conuenit etiam inter ipſos, vt diſtingueret in actione entitatem à deformitate, ſeu malitia, & ad illam fatererentur Deum concurrere, non ad iſtam: Cui reſolutioni adhærens S. Bonauentura, & in vniuerſum docet neceſſarium eſſe concurſum huiuſmodi; & ad actiones malas liberi arbitrij vt ſubſtratum malitiæ ſunt: Neque aliter ſatisfeciſſet quæſtioni de immediato, quia ſolus immediatus non relinquebat ei locum, dato quod Deus reliquiſſet hominem penitus ſuo arbitrio ſine indigentia ſuæ cooperationis.

Ad actiones malas vt ſubſtratum malitiæ ſunt concurrit Deus.

Secundò, in prima auctoritate ex primo Sentent. Deus, inquit, cooperatur toti, & in totum, &c. non excludit operationem cauſæ ſecundæ, cui videlicet cooperatur. In ſecunda auctoritate ex 2. Sentent. nonne tripliciter Deum operantem inducit, creando, conſeruando, cooperando? nonne rem quamliber etiam minimam negat procedere à cauſa creata niſi cooperetur diuina potentia? quid eſt cooperari, niſi ſimul operari? Ibidem a. 1. q. 1. ad penult. ait operationem arbitrij eſſe totam à Deo, & totam à libero arbitrio, neque tamen intelligendum eſt, quod Deus cooperatur libero arbitrio, ſicut cum duo ferunt lapidem, vnus cooperatur alteri; ſed quia Deus eſt intime agens in omni actione, & intimus eſt ipſi potentiæ operanti. Et ne rurſus explices de conſeruatione, Addit ad vltimum: *Deus eſt principale mouens in actione quæ eſt ſubſtrata peccato: attamen non ſequitur ex hoc quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem & mox ſed ibi eſt ſola cooperatio diuina virtutis, non præuentio quæ exiſtens in creatura potentialiter, eſſentialiter, & præſentialiter, ſicut conſeruat eam in eſſendo, ſic adiuuat in operando; propter quod conceditur ibi eſſe cooperatio non præuentio, vel ſubſecutio.* Potuit ne dilucidius diſtingui conſeruatio à cooperatione, aut per verba magis propria, & ſignificantia exprimi concurſus immediatus Dei qui vnus eſt cum concurſu arbitrij in liberis, & ideo dicitur ibidem totus eſſe à Deo, & totus à libero arbitrio. Apage igitur commenta extranea ſenſui genuino, & aperto ſancti Bonauenturæ; ad quem peruelim etiam aduertiſſent qui in ſuis commentarijs ad eius doctrinæ elucidationem elaboratis aſſeruere Deum concurrere ad actum peccati inquantum ens non ſolum concurſu ſimultaneo, verum etiam concurſu præuio recepto in voluntate noſtra; cuius contradictoriam habet doctor Seraphicus concedens ſolam Dei cooperationem cum voluntate, non præuentionem, vel ſubſecutionem in operibus

Deus non excitat liberum arbitrium ad operationē malam, ſed cooperatur &c.

malis, ac indifferentibus. Et quidem P. I. Franciſc. Longus, 1. p. q. 19. a. 3. Inter has duas extremas ſententias, citat pro ſe S. Bon. n 2. diſp. 26. a. 1. q. 6. Sed ibi loquitur de gratia præueniente quam comparat luminiagenti cum aëre, & in aërem, quod ſponte damus.

6. Ex quibus inferas potius mendoſos habendes veteres codices, quàm recentes; ſi in illis deſideratur vox immediata, quæ appoſita eſt in emendationibus autographo iudice me, reſpondentibus, ne voces ſenſui non reſponderent, & nullibi textus hiaret.

Dices cum eodem auctore quadripar. volente id obſeruari maxime, ſententiam reiectam à S. Bonau. in 2. diſt. illa 37. citata eſſe illam ex qua ſequebatur dari duo principia Boni videlicet, ac Mali, quæ fuit Manichæorum; Aut illam potius, quæ ſine diſcrimine phyſicæ entitatis, & malitiæ negabat abſolute quamlibet dependentiam actionis malæ à Deo: At vero ſententia concurſum immediatum oppugnans longè diuerſa eſt; faretur enim actionem prauam vt ens eſt, à Deo vt à cauſa vniuerſaliſſima, & primordialiſſima pendere; ſolum contendit non eſſe proximam, & immediatam, ſeu propriam, & per ſe cum Tridentino infra & incommodat vehementer hæreſi noſtri tèporis facienti Deum auctorem peccati, & libertatis euerſorem, non alio fundamento quàm quod neceſſarium adſtruit inciſpenſabiliter concurſum Dei immediatum, & idemtificatum actioni creaturæ.

Reſpondeo primò negãdo aſſumptum, nam S. Bonau. ſecutus Magiſtrum Sententiarum ait, *Circa quæſtionem iſtam fuerunt diuerſæ poſitiones adeo magnorum virorum, & adeo rationabiles, vt nec Magiſter anſus fuerit definire, quæ earum magis contineat veritatem.* Non ergo opinio à qua recedit S. Bonauent. fuit illa Manichæorum, quorum poſitiones fuerunt abſurdiſſimæ, vt oſtendit S. Auguſt. pluribus libris contra illos ſcriptis. Sed fuit alia quæ negabat entitatem actionis malæ eſſe à Deo ob peculiarem difficultatem à ſanctitate petitam, de qua non meminit an etiam negaret ad alias actiones; licet conſequenter loquendo debuiſſet negare neceſſitatem eius, ſi non admittebat ad omnes, aliquas ideſt malas referens in arbitrij facultatem: & hæc habebat ſuas probabiles rationes, & magnos patronos: verum reuocatis ad trutinam earum ponderibus, ceſſit maiori luci quæ ſcholas vniuerſas illuſtrauit, & traxit ad ſui aſſenſum, ac amorem Theologos vix non omnes auctoritate ſcripturarum, & argumentorum momentis eictos fateri, & reuereri Dei cooperationem, & non ſolum conſeruationem cum omnibus cauſis ſecundis. Atque ita ſancto Bonauent. ad meliorem partem concedenti lis fuit cum priſcis illis Doctoribus inficiantibus Deum immediatè concurrere; non cum hæreticis duo principia ſtatuentibus; ac proinde aduerſatur tibi quantumuis Deum cauſam primordialiſſimam vocitanti, niſi pro immediata habeas cum ipſo locis citatis

Concilium Tridentinum, neque ſpecie quidem tenus opitulari Durando vel eius allectis inferius monſtrabo.

Non impugnat hîc S. Bonau. opinionẽ Manichęorum, ſed alios, negãtium Dei concurſum ad actiones malas.

Fundamentum hæreticorum libertatis hoſtium, & Dei non eſt concurſus eius immediatus, in cuius aſſertione nulla pene diſcrepantia reliqua eſt inter Catholicos Doctores, ſed auctoritas Scripturæ omnia opera noſtra à Deo agnoſcentis, & corda hominum Regum potiſſimum in manu eius huc illuc inclinantis vt voluerit, collocantis; hæc enim perperam ab illis intellecta, & non ad Patrum Sanctorum normam, occaſio fuit erroris hominibus ſeipſos ſupra fas amantibus; & de cætero non ſollicitos an cum Deo operante miſceretur in vnam arbitrij operatio.

Et alioqui incredibile videri poteſt, ac prodigij inſtar, quod doctrina in omnibus Catholicis Academiis recepta vel non cohæreat Tridentini effatis; vel quod Tridentinum ab illa diſſentiens Sententiæ Durandi, Sanctis Patribus, atque adeo Scripturæ diſformem reputaram, ac reiectam à Theologis, vel approbauerit vel prætulerit.

Eadem eſt ſententia S. Thomæ.

CAPVT XIII.

1. *Deus in omnibus intime operatur.*
2. *Vna & eadem actio à primo, & ſecundo agente.*
3. *Natura & Deus ad idem operantur.*
4. *Voluntas egens influentia ſuperioris cauſæ in ſua operatione.*

ET S. etiam Thomam patronum adſciſcit ſuæ cauſæ Auctor quadripartitæ, ſed renitentem etiam atque etiam apertiſſime.

Prima part. q. 105. artic. 5. cap. de Deo, ait, *Vnde non ſolum eſt cauſa actionum in quantum dat formam, quæ eſt principium actionis, ſicut generans dicitur eſſe cauſa ignis, & grauium; ſed etiam ſicut conſeruans formas, & virtutes rerum; ſicut Sol dicitur cauſa manifeſtationis colorum in quantum dat, & conſeruat lumen, quo manifeſtantur colores. Et quia formæ eſt intrauſ; & tanto magis, quanto conſideratur vt prior, & vniuerſalior, & ipſe Deus eſt proprie cauſa vniuerſalis in rebus omnibus, quod inter omnia eſt magis intimum rebus, ſequitur quod Deus in omnibus intime operetur, & propterhoc in ſacra Scriptura operationes naturæ Deo attribuuntur, quaſi operanti in natura ſecundum illud* Iob. 10. *Pelle, & carnibus veſtiſti me, &c.* Igitur Deus creat & dat eſſe rebus, eas conſeruat, cum illis operatur ex S. Thoma, & S. Bonau. ſuprà. & quidem vna & eadem actione. Nam

Ibidem ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod vna actio non procedit à duobus agentibus vnius ordinis; ſed nihil prohibet quin vna & eadem actio procedat à primo, & ſecundo agente.* Hæc itaque propoſitio D. Thom. actio Dei idemtificatur actioni cauſæ ſecundæ, eſt contradictoria tuæ negantis eſſe vnam, & eamdem.

Præterea, lib. 3. cont. gent. cap. 70. *Patet*, inquit, *quod non ſit idem effectus cauſæ naturalis, & diuinæ virtutis tribuitur quaſi partim à Deo, partim à naturali agente fiat; ſed totus ab vtroque ſecundum aliam modum: ſicut idem effectus totus attribuitur inſtrumento, & principali agen-*

Digitized by Google

ſi etiam totus. Supponit autem quod paulò ante dixerat, Deum non ſolum conſeruare cauſam, ſed producere effectum cum illa; & reſpondet argumento quod ſuperfluus videatur concurſus Dei, ſi cauſa naturalis per ſuam virtutem agit, quam negat ex ſe ſufficientem eſſe niſi Deus ſimul producat, licet diuerſo modo: Quod idem dixerat S. Bonau. in 2. diſt. illa 37. cit. Si ergo Deus non ſolum conſeruat cauſam; ſed etiam cum illa producit effectum, & hic totus tribuitur Deo, & creaturæ ſimul producentibus, quomodo negari poteſt ipſum immediate, & proprie influere in effectum, ſi dicas producere, & non producere?

Neque minus clare, quæſt. 3. de Potent. a. 7. 3. *Ipſa*, inquit, *natura operatio eſt etiam operatio virtutis diuinæ, ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis. Nec impeditur quin natura, & Deus ad idem operentur propter ordinem, qui eſt inter Deum, & naturam.* Et paſſim toto illo articulo cum Dei operatione coniungit operationem creaturæ, eaque vt membrum diſtinctum ponit à conſeruatione.

In particulari vero de libero arbitrio idem aſſerit frequenter iis locis, quibus docet tam voluntatis quàm naturæ motum procedere à Deo, 1. 2. q. 6. a. 1. 3. q. 9. a. 4. 1. q. 55. a. 4. 6. 2. 2. q. 104. a. 4. cap. de ver. q. 22. a. 8. cap. & lib. 1. cont. gent. c. 68. *Dominium*, inquit, *quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum; non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari.* & 1. p. q. 23. a. 5. cap. *Non eſt diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio, & prædeſtinatione, ſicut nec eſt diſtinctum quod eſt ex cauſa ſecunda & prima.* Quam doctrinam communem ſtatuit omnibus operationibus voluntatis etiam malis, vt actiones Phyſicæ ſunt, & ens quoddam; de infra ſuo loco.

Et in hoc ſenſu intelligunt S. Doctorem Thomiſtæ omnes loco cit. & Suar. lib. 1. de concurſ. Dei cum voluntate paſſim. Vaſq. 1. 2. diſput. 185. cap 5. Mol. 1. p. q. 14. a. 13. diſp. 5. Ruiſ. de voluntate Dei, diſput. 45. ſect. 10. & alij.

Obiicit Auctor quadrip. p. 4. cap. 4. primò quia S. Thom. cit. q. 3. de Poten. a. 7. 3. ait quod in operatione, qua Deus operatur mouendo naturam, non operatur natura. Igitur concurſus Dei, & creaturæ non eſt idem ſecundum S. Doct.

Deinde in corpore artic. Deum facit cauſam principalem, creaturam inſtrumentalem, quia mouet mota, ſiue inſtrumentum artis, non quia non agat per propriam entitatem; ſed quia hæc eſt quædam participata Dei virtus, ad eum fere modum agens, quo calor agit virtute ignis per propriam entitatem; Deus autem agere dicitur quia illam mouet, & applicat.

Per motionem autem, & applicationem intelligit vel propenſionem, & inclinationem ad agendum vnicuique creaturæ inditam, & conſeruatam à Deo: vel 2. reſpectu voluntatis in particulari motio, & applicatio eſt excitatio conſiſtens in actuali propoſitione obiecti ab intellectu facta. Vel 3. Per motionem poteſt intelligi excitatio intellectus, & voluntatis per motus ſubitos, & indeliberatos à Deo, vt auctore gratiæ, ac naturæ. Vel 4. Motio eſt illa, quæ fit ad actus ſupernaturales per gratiam actualem, aut habitualem. Vel 5. Motio eſt, qua Deus vt finis trahit voluntates noſtras: eſt enim ſummum bonum, cuius participatio elucet in quolibet bono, & fine particulari. Denique motio eſt intentio, & ars in creaturis exiſtens à ſupremo artifice dirigente omnia, non ſecus ac in inſtrumentis artis, quæ artifex dirigit ad finem ſuum conſequendum. Igitur per motionem non intelligit S. Thom. concurſum Dei cooperantis cum creatura in tuo ſenſu.

Tertiò, obiicit quia in q. 3. de Mal. a. 2. comparat Dei concurſum corporum cœleſtium influentiæ, quæ neceſſaria eſt ad actiones agentium inferiorum, & tamen ab illis diſtinguitur.

Confirmatur, quia ſicut concurſus, cœli determinatur à cauſis ſubiectis cœlo ad effectus virtuti ipſarum conuenientes, puta ad roſam, ad lilium, &c. Ita concurſus Dei detorqueri poteſt à voluntate in bonum, & malam actionem; non ergo eſt idem cum voluntatis concurſu quia vnus, & idem non poteſt eſſe ad oppoſita.

Quartò, S. Thom. in 2. diſt. 37. q. 2. a. 2. actionem peccati reducendam ait in Deum aliquo modo, qui ſufficiat vt dicatur prima cauſa & vniuerſaliſſima omnis entitatis, ac boni in illo actu reperti: ad hoc autem ſatis eſt concurſus mediatus, neque alius ex toto illo diſcurſu colligi poteſt.

Confirmatur tum quia ibi impugnat negantes actionem peccati vllo modo eſſe reducendam in Deum, proinde nec mediatè, vt à me reducitur; tum quia aſſerit opinionem hanc eſſe nullius, aut paucorum, at negans concurſum immediatum ad peccatū erat multorū, & magnorum virorum, vt ſupra S. Bonauent. tum quia refellit maxime ſententiam propinquam duplici errori Manichæorum ponentium duo principia, Boni vnum, & alterum Mali; & proinde non concedentium Deo eſſe cauſæ vniuerſaliſſimæ, quorum neutri affinis eſt ſententia Durandi, quam renouo, tum quia S. Thomas docet quicquid entis eſt in peccato, eſſe à Deo media voluntate. Atque ita omnes auctoritates S. Doctoris explicat de concurſu mediato.

Adde in eius fauorem quod habet S. Thomas, in 2. ſent. ad Annibal. diſt. 37. q. vn. a. 1. cap. Hæreticum eſt dicere aliquod ens, inquantum ens, non eſſe à Deo. Et cum eodem modo hic loquatur ac aliis locis vbi agit de concurſu, non eſt cenſendus loqui de concurſu immediato, quaſi hæreſis ſit illum negare ad actionem peccaminoſam, nam S. Bonau. ait opinionem illam habuiſſe poſitiones rationabiles; & etiam nunc exiſtimatur conſona quibuſdam dictis S. Auguſt. vt infra patebit.

Verum coniecturæ iſtæ collatæ contextui, minus illo fortes ſunt ad ſuadendam aliam intelligentiam, quàm verba ipſa clariſſima, & diſcurſus præ ſe ferunt. Certe propoſitio hæc S Thom. vna & eadem eſt actio Dei, & crea-

Digitized by Google

turæ nullam admittit ex glossis ab auctore excogitatis; & eadem nostra est assertio. Deus magis intime influit in effectum quàm causa secunda, quia est altior, & efficacior, sermo est de operatione ipsius vt à conseruatione differente, quam idemtidem recenset vt modum agendi distinctum à productione effectuum per virtutes inditas, & conseruatas.

In particulari vero respondeo ad primam obiectionem quæst. illa 3. S. Thom. non semel repetit dari actionem creaturæ idemtificatam actioni Dei, & hæc non potest esse conseruatio, tum quia manifestè ibi hæc duo discriminantur; tum quia conseruatio solius Dei est vniuersaliter loquendo, & hoc sufficit ad solutionem; neque opus est diuertere ad aliam quæstionem agitatam à recentioribus, quid intelligat S. Thom. per applicationem creaturæ ad agendum à Deo factam; nam etiamsi daretur quod sit præuia motio causæ antecedens effectum, adhuc admittendus esset concursus Dei concomitans, de quo 1. Doctor affirmat esse vnam, & eandem operationem cum operatione creaturæ.

Ex quo patet ad duas sequentes instantis; non enim solum dicuntur Deus agere cum creatura, quia hæc est quædam participata virtus ipsius; sed quia cum hac eadem virtute operante ipse operatur, sicut causa principalis operatur, & non tantum instrumentum.

Atque ita præter acceptiones illas motiones assignatas ab arguente, oportet in via S. Thomæ dare simultaneum concursum Dei idemtificatum cum actione creaturæ etiam in illis casibus vbi opus est excitatione, & præuentione ex parte Dei, puta in operibus gratiæ, in quibus tenebras mentis depellit, & torporem voluntatis excutit immissione sui spiritus.

Ad tertiam, ex quæst. 3. de Malo, Comparatio illa non tenet quoad omnia; sed solũ quoad hoc, quod sicut corpora inferiora pendent in agendo à superioribus; ita omnes creaturæ in operando pendent à Deo tanquam à prima, vniuersali causa; & proinde etiam actio peccati, vt ens est. In reliquis est disparitas, & illa in primis quod non est vna actio corporum superiorum, & inferiorum agentium, saltem in omnibus; sed illa per suos influxus afficiunt hæc sibi subdita, quæ sit affecta, & disposita per suas virtutes operantur. Idque manifestum est in animæ operationibus, ad quas non concurrunt immediatè cœlestia corpora, vt idem S. Thom. 3. cont. gent. à c. 84. vsque ad 89. in quo probat quod motus voluntatis causatur à Deo, & non solum à voluntate ipsa, & loquitur de concursu immediato, vt patet ex 2. & 5. ratione.

Ad quartam, ex illa potius probatur immediatus concursus primò quia de hoc erat quæstio apud Magistrum referentem duas Sententias, vt S. Thom. ibidem, quarum altera negabat Deum esse causam vllo modo actus peccati; altera affirmabat esse vt actus bonum quoddam est, & hanc sequitur S. Thom. in eodem sensu quo tractabatur à Magistro, qui est de concursu immediato, vt patet ex argumento tertio, & solutione eius, quæ esse potest plena responsio ad obiectionẽ hanc quartam. Arguit enim sanctus Doctor, quod Deus non aliter est causa bonarum actionum, nisi inquantum dat efficaciam potentiæ, relinquẽs determinationem libero arbitrio, sed etiam potentia ad malas operationes & à Deo, igitur Deus est causa ipsarum, sicut est bonarum. Ad quod respondet negando sequelam, quia Deus est causa bonarum etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur, vtrumque enim agenti influit, & vt agat, & vt bene agat: in malis vero influit quantum ad essentiam non quantum ad defectum. Quid est influere vt agat, & vt benè agat, nisi immediate cooperari? quod probat.

Deinde quia facere actionem non est solum facere causam eius, & illam conseruare, sed immediate illam causare, nisi vis inferatur vocibus, atqui S. Thom. ibi ad 5. ait quod Deus in actione mala facit, id est quod est actionis, non autem quod est deformitatis: Itaque negatur quod sumit arguens ex verbis, & discursu illius textus, non colligi concursum immediatum Dei, sed solum mediatum.

Ad confirmationem. Duæ olim fuere sententiæ circa concursum Dei ad actum peccati; altera omnino negans ex falso principio, quod Deus nullo modo concurrat ad actus liberos, sed tota facultas sit à voluntate, & hanc vocat propinquam duplici errori, non quia de actibus malis singulariter hoc assereret; sed quia in vniuersali de omnibus operationibus, & hanc reiecerat etiam S. August. supra lib. 5. Genes. ad lit. cap. 20. Altera quæ in particulari negabat concurrere ad actum peccati non mediate, nam erat magnorum virorum concedentium voluntatis auctorem, & conseruatorem esse Deum; sed immediate ob difficultatem supra factam, & contra tenet S. Thom. concursum immediatum etiam ad actionem peccati quatenus actio est: Sicut & S. Bonau. superius in 2. Sent. asserens post longam discussionem inualuisse sententiam veriorem quod omnis actio etiam peccaminosa vt actio est, à Deo sit. Profecto non erat discussio inter Catholicos Doctores, an Deus creator esset, & conseruator rerum omnium; neque An operationes ipsarum penderent à voluntate eius aliquo modo, vel iubente, vel permittente; neque verum necessarium esset gratiæ auxilium in operibus salutis, ergo solum de concursu immediato Dei ad actiones malas, quod indigna videretur sanctitate ipsius cooperatio ad illas.

Ad alteram partem respondeo sententiam, quæ dicitur à S. Thoma, esse nullius, aut paucorum, commemorari vt damnatam, & improbabilem: sed præterea recipi aliam olim celebrem negantem Dei concursum immediatum ad actionem; de quo solum erat disputatio, cum in cæteris conueniret inter omnes Catholicos Deum mediate concurrere, vtpote auctorem, & conseruatorem, vt suprà.

Vtraque sententia reiicitur à S. Thom. nimirum negatiuum omne ens esse à Deo, & actionẽ peccati esse ab eodem.

Et per hoc solutæ manent reliquæ instantiæ, etiam vltima ex 2. Senten. ad Annib. hæresim enim vocat errorem negantium omne ens esse à Deo, vt dicebant Manichæi, sed præterea, vt improbabilem deserit opinionem asserentem hoc de actione peccati. Itaque opinio negans actiones creaturarum esse à

Deo ob rationem generalem, quod non omne ens eſt à Deo, hæretica eſt; non item quæ reſtringit ad actionem peccati; vtraque tamen reiicitur à S. Thoma.

Inſtabis, quia cum S. Thom. in 2. Sentent. diſt. 37. q. 2. a. 2. cit. ait, quod Deus influit agenti, eſſe, poſſe, & agere, non poteſt intelligi de ſimultaneo concurſu: ſed de prævio, nam per illum non influit Deus agenti ipſum agere, ſed influit immediatè in actionem cum libero arbitrio ſe determinante, vt Aluar. de Aux. diſp. 24. num. 18. alioqui patronus concurſus comitantis, de quo agit ſæpe præſertim diſp. 85. num. 2.

Equidem nollem nodum in ſcirpo quærere: planiſſimus ſenſus eſt illorum verborum, quòd Deus influat in actionem cooperando agenti, & ſimul eam producendo, vt indicant cætera, quæ de hoc habentur in illo articulo; quod ſi ſemel ſimiles locutiones ad primũ influxum trahimus, damus anſam aduerſariis facilioris interpretationis de concurſu mediato eorum, quæ de immediato docet S. Thom. præſertim cum eandem facit actionem Dei, & creaturæ; dicent enim vnam eſſe quæ immediate fit à creatura operante, & à Deo præmouente, & totum effectum ab vtroque agente eſſe, quin Deus ſimul agat, vt potè prævio ſolum influxu in cauſam concurrens. Vt ergo præcidantur ſtamina interpretationum extranearum, dicamus potius S. Thomam facere ibi Deum cauſam eſſe totius, & poſſe, & operari, & omnia complecti neceſſaria ad operari, & proinde concurſum etiam comitantem, ſine quo non conſiſtit operati creaturam.

Scholaſticorum reliquorum auctoritates de concurſu Dei *immediato.*

CAPVT XIV.

1. *Cauſa ſecunda dicitur mouens mota non per receptionem motionis, ſed per ſubordinationem ad primam.*
2. *Actus liber cauſatus à Deo, & à voluntate creata, vt à duabus cauſis partialibus.*
3. *Quod Deus dat antecedenter, daret etiam conſequenter, niſi eſſet impedimentum.*
4. *Voluntas Chriſti ita dominatur actus ſuos, ſicut alia, quod attinet ad libertatem.*
5. *Perperam citatur Alenſis vt negans concurſum immediatum.*
6. *Noſtri omnes Scriptores defendunt concurſum immediatum.*

PRæter Thomiſtas antiquos, & recentiores, qui cum D. Thoma locis cit. docent expreſſe Deũ immediatè concurrere ad actiones omnes creaturarum, ad idem ſunt Scotiſtæ cum Scoto, quem quia auctor quadrip. par. 4. cap. 5. ait eſſe problematicum, libet eius verba huc tranſferre, quibus prudens lector intelligat certum eſſe aſſertum, non problema de concurſu iſto immediato, in via Scoti.

Igitur lib. 4. Sent. diſt. 13. q. 1. a. 3. §. De tertio articulo. *Non credo*, inquit, *ſemper cauſam ſecundam, quæ vocatur quandoque inſtrumentum, recipere motionem ſpecialem à cauſa prima; ſed tantum habere ſubordinationem aliquam formæ ſuæ actiuæ ad formam actiuam alterius, per quam ſubordinationem cauſa prior exeunte in actum in ſuo ordine cauſandi, ſecunda nata eſt exire in actum in ſuo ordine cauſandi: & ſic ſecunda dicitur monens mota, non quia recipiat motionem à prima, per quam moueat, ſed quia in motione ſua dependet ab alia prius naturaliter actu mouente.* Et ne dixeris hanc dependentiam non eſſe, quia neceſſe ſit cauſam primam coagere, ſed ſolum conſeruare virtutem quam dedit; alibi expreſſe meminit cooperationis primæ cauſæ, vt in eodem 4. diſt. 43. q. 3. §. Tertia opinio eſt fin. *Ergo influentia*, inquit, *cauſæ ſuperioris reſpectu inferioris, non eſt aliquid receptum in cauſa inferiori, vnde eſt tantummodo ordo eius in cauſam ſuperiorem, continue quantum eſt, de ſe coagentem, &c.*

Scotus negata prædictione in cauſa ſecunda, te ceptâ ponit ſimultaneã actionem primæ & 2. propter ſubordinationem.

Numquid coagere hîc conſeruare eſt, & non potius immediatè cooperari cauſæ ſecundæ? ſed & verba antecedentia præcludunt aditum cuilibet effugio. *Præterea*, inquit, *influentia illa non eſt aliquid abſolutum receptum in cauſa ſecunda: quia tunc cauſa ſecunda per illud receptum poſſet agere ſine cauſa prima, cuius influentiam recipit, quia iam habet in ſe totum illud propter quod indiget actione cauſæ primæ; quod inconueniens eſt, &c.* nimirum cauſam ſecundam agere non coagente prima. Nihil ergo in ſententia Scoti, quod antecedat operationem cauſæ ſecundæ, ſufficiens eſt vt actu operetur, niſi operationem ipſam comiteturDei cooperatio.

In particulari de actu libero docet in 2. diſtinct. 37. q. vn. §. Ad ſolutionem cauſari illum à voluntate creata, & à Deo tanquam à duabus cauſis partialibus; & quando eſt malus, defectum eſſe à voluntate creata, ex hoc *quia poſſet*, inquit, *rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat*; Alia autem, nimirum voluntas increata, licet *non teneatur eam dare; tamen quantum eſt de ſe daret, ſi voluntas creata cooperaretur, &c.* Et hoc faceret cooperando ad bonum, & non ſolum dando virtutem operandi; nã ſtatim adiicit *Vniuerſaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud conſequenter, quantum eſt ex ſe, niſi eſſet impedimentum: dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis, & ideo quantum eſt ex parte ſui, dedit rectitudinem omni actui voluntatis & voluntati ex conſequenti daret, ſi ipſa voluntas quemcumque actum elicitum ageret ex parte ſui, &c.* dare ex conſequenti eſt coagere actum bonum, ſequentem ad poteſtatem, ſeu virtutem voluntatis antecedenter datam, & conſeruatam. Ad quod explicandum faciunt quæ ibidem habet de ſimultate in cauſando in eodem genere cauſæ efficientis eundem effectum communem, & ſimilia; in quibus ita aperte loquitur de diuino concurſu immediato, vt nihil penitus deſideretur ad intelligentiam mentis doctoris ſubtilis: niſi fortè vox ipſa immediate, ne vlli tergiuerſationi locus relinquatur retinẽti, acciperet pro omonymis, quæ idemtidem repetuntur in eadem ſignificatione per totum illum contextum; immo quæſtionem proponit in terminis, An Deus

Actus liber cauſatur a Deo, & à voluntate creata, vt à duabus cauſis partialibus.

Digitized by Google

habeat efficientiam aliquam immediatam, an solum mediatam in actum volũtatis, quod est initium §. Ideo merito, iisque satis esset ad tollendum omne dubium de sensu quæstionis apud ipsum.

Verùm neque hanc passus est desiderari Scotus in 3. distin. 17. q. vn. ad quintum quod erat; si in Christo fuit voluntas creata non futurum fuisse liberum eius motum, quia sequebatur motũ volũtatis increatæ Verbi, cui subdebatur, respondit negando sequelam, quia verbum nullam aliam causalitatem habet in voluntate Christi, quàm habeat Trinitas tota: & mentione facta duarum opinionum, de quibus egit in 2. d. 25. & 37. de dominio voluntatis, & virtute vel totali, vt illi dabat primas; vel partiali vt secunda, iuxta hanc soluit argumentum dicendo: *Si tamen teneatur quod voluntas immediate causet operationem suam; & nihilominus etiam Deus causat immediate cum voluntate, sicut immediate causat esse voluntatis.* Et mox: *Tunc dico quod voluntas in Christo ita libere elicit, & dominatur actui suo, sicut voluntas mea, suo: quia Deus non operatur ad operationem illam, nisi voluntate libere agente, & determinante se ad operandum, & tunc Deus operatur cum ea, &c.*

Quod autem hic afferat iuxta duplicem viam responderi posse duplici modo argumento proposito, non arguit problematice de diuino concursu tractare quæstionem, vt plerumque facit in aliis, sed non esse locum rursus disputandi de eo quod in 2. Sent. plenius discusserat, vbi definite dixerat Deum concurrere ad motus liberi arbitrij, & operari simul cum voluntate; & cum in 3. cit. addat vocem immediate, applicando doctrinam traditam in 2. ad solutionem argumenti de voluntate Christi; nec vmbra quidem minimi dubij remanet circa mentem eius.

Obiicies quia Scotus vel ponit concursum Dei cum creatura in aliquo antecedente effectum; vel certe non sine illo; quorum vtrumque est contra nos. Nam in 1. dist. 2. q. 2. §. Ostenso esse de proprietatibus assumit ex 8. Physic. tit. 33. quod causa secunda causat in quantum mouetur à prima, quod & repetit dist. 39. §. contra ista argutum est & alibi.

Respondeo in via Scoti motionem primæ causæ in secunda non esse aliquid absolutum in illa productum, vt patet ex locis citatis, & ex 4. dist. 40. & dist. 15. q. 1. a. 3. sed essentialem subordinationem ratione cuius non potest esse actio eius, nisi illo simul coagente, vt inter Scotistas Faber Fauent. in 1. Sententiarum disput. 57. num. 71. Est autem subordinatio ista fundata in esse creaturæ cuiuslibet quod dependet essentialiter à creatore, & eget eius concursu etiam in operari. Causa igitur secunda mota mouet, ideſt operatur concurrente simul Deo, sine quo nihil potest; de quo infra fusius agendum est; nunc enim satis est dixisse Scotum non ponere concursum Dei in aliquo præuio ad actionem causæ secundæ: quo etiam dato, adhuc esset necessarius simultaneus, quem solum agnoscit Scotus: & consentit Soar. de concurs. lib. 1. cap. xi. à num. 11. asserens causam secundam agere motam à prima, quia in ratione agentis constituitur in actu secundo per cooperationem primæ; & non per motum præuium: licet etiam ratione conseruationis, quæ est motus quidam continuus dici possit mota mouere. quod esto dictum ad explicandam rem ipsam & non mentem Philosophi ibi solum de motu verba facientis. Citat idem auctor pro se Alens. 1. p. q. 35. memb. 2. & 2. p. q. 94 m. 3. a. 6. sed primo loco tantum habet nihil fieri, quod non iubeatur, aut permittatur à Deo, quæ est propositio S. August. suprà in 2. quod peccatum vt est actio, à Deo est. Et 2. p. q. 100. m. 1. docet Deum iuuare liberum arbitrium ad actionem in qua est malum, quia dat potentiæ quod possit operari, conceditque actionem vt est res subsistrata peccato, esse à Deo: quo modo loquendi vtitur S. Bonau. eius discipulus, & decus. Ideo refertur vt idem cum illo, & cum S. Thoma sentiens à Suar. in Metaph. disput. 22. sect. 1. Sal. tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 10. sect. 2. ac aliis quidquid P. Hurtad. disp. x. Physic. § 36. fauere putet contrariæ habenti solemnes Doctores, vbi agitur de concursu ad actum peccati. Sed nunc sermo est in vniuersum de eodem ad omnes actiones non malas, de cæteris infra.

Prædictis Scholasticis annumerandi sunt Nominales, quos inter Gabr. in 2. dist 37. init. testatur non esse dubium apud Catholicos quoad entia naturaliter producta, quia Deus sit causa immediate efficiens; sed solum controuersiam esse de actibus liberis.

Hos sequuntur nostri omnes quotquot hac de re scripsere, Suar. disput. cit. Metaph & in lib. de concurs. & auxilio Dei cum voluntate, & Vasq. 1. 2. disput. 129. Val. 1. p. disp. 3. q. 1. p. 1. Bellarm. lib. 4. de lib. arb. cap. 4. Mol. 1. p. q. 14. a. 13. à disp. 5. Sal. loc. cit. Ruis. & alij, quibus omnibus digna videtur nota aliqua Durandi sententia vniuersaliter negans concursum Dei immediatum; non item vt ad actionem peccati, de qua paulo post dicemus quid senserint, vt proinde immerito fauorabiles sibi plerosque ex hac claſſe prædicet Auctor quadrip. c. 8. p. 2. quod opinionem veterum negantem Deum concurrere ad actus malos ab omni censura vendicent, immo & probabilitate donent; quandoquidem in quæstione vniuersali, qua de agimus, conspirant omnes contra Durandum, & leuius, grauius eam damnant, & sustineri neutiquam posse vno ore proclament. Notas varias erroris, temeritatis, periculi, &c. quibus afficitur à diuersis Scholasticis sententia Durandi, recenset P. Theophil. Raynaud. in libro explicationis nouæ libert. par. 2. cap. 2.

Subordinatio voluntatis creatæ ad diuinum concursum fundatum in esse creaturæ essentialiter pendente à creatore.

Variis notis afficitur Durandi sententia.

Sententiæ sapientum antiquorum, de concursu Dei.

CAPVT XV.

1. *Aristoteles in hoc valde obscurus.*
2. *A sanctis Patribus refellitur.*
3. *Clarius alij sapientes antiqui locuti sunt.*

REfert Suar. disp. illa 22. Metaph. sect. 1. pro communi sententia antiquos Philosophos, quasi notus illis fuerit concursus diuinus immediatus: primò Aristotelem ita connectentem agentia inferiora superioribus, vt sine istorum influxu non queant agere quicquam, ex 2. Metaph. cap. 2. & lib. 7. Physic. cap. 1. & lib. 8. c. 18. t. 38. 41.

Sed Aristoteles quam apertus est in asserenda dependentia corporum inferiorum à superioribus; tam est obscurus in iis, quæ pertinent ad intelligentias ac Deum quoad operationem cum secundis causis; & ideo non vnus est in eo interpretando Peripateticorum sensus, negantibus aliis tribui Deo ab Aristotele notitiam, & prouidentiam singulorum, vt Hentic. quæst. 8. q. 9. Fulg. Paris. lib. 1. de vniuerso, cap. 26. 27 Less. lib. de Gratia, cap. 18. num. 8. 11. & Suar. p. p. tract. 1. lib. 3. cap. 10. num. 7. diminute de Prouidentia locutum censet Aristotelem; aliis vero secus videtur primò ex 12. Metaph. cap. vltimo, quia entia nolunt male gubernari, non est bonum pluralitas principatuum; vnus ergo Princeps, quod prius dixit Hom. Iliad. 2. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. ab hoc autem principio tum cœlum, tum natura dependet, ait Philosophus ibid. tit. 38. & tit. 55. causam reddit veritatis huius, quia entia, inquit, nolunt malè gubernari. Igitur supponit illa à Deo gubernari. At quomodo gubernet non explicat ibi; In libro tamen ad Alexand. de Mundo, cap. 7. Etenim cunctorum, inquit, quæ rerum natura complectitur, conseruator est Deus; tum vero quæcumque in hoc mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium genitor est; non sic tamen ipse vt opificis in morem, animalisque lassitudinem sentientis, labore affici possit; vt qui ea facultate vtatur, quæ nulli cedat difficultati, cuius ipsi vi facultatis omnia in potestate continet, nec minus etiam quæ longius ab ipso videntur esse submota. Confirmat hoc comparatio Dei in mundi administratione cum gubernatore nauis, cum auriga currus, cum præceptore chori, Duce exercitus, &c. Hi enim immediatam curam adhibent & operationem, dum sua quisque obit munia.

Vasq. 1. p. d. 87.

Verùm quia statim nefas putat illis assentire, qui eam ipsam potestatem per omnia pertendentem, & ventilantem ad ea quoque, quæ neque adire ipsam honestum est, nec dictu speciosum sua illic opera efficere contendunt, resque terrenas administrare; iccirco non potest locus iste in confirmationem nostræ sententiæ adduci absolute statuentis necessitatem concursus diuini in omnibus, etiam minimis: sed in reprehensionem illius, quæ vel necessarium, vel possibilem inficiatur in vlla creata operatione: cuiuscumque deinde Philosophi sit libellus hic dictus aureus à Lipsio, siue Aristot. vt certo coniicit S. Iustin. Mart. oratione Parænetica ad gent. non longe ab initio: siue Theophr. aut Philonis Hebr. aut Nicolai Peripatetici ex Syrenio, lib. 4. de fato, cap. 22. Idem esto iudicium de libro Aristotelis nomine vulgato, cui titulus est Theologia secundum Ægyptios, in quo frequens est mentio concursus immediati: licet enim grauis alioqui sit auctoris, tamen dubium est an Aristotelis, vt aduertit P. Theoph. in Proleg. Natur. Theolog. §. 5. num. 83. & in opusc. citat. cap. 4. num. 18. meminisse putans huius libri S. Thomæ opus. 16.

Bessarion & Ioa. Pius apud Ludou. Viues in censura Operũ Aristotelis, & alij.

Secundò, Fauent. quæ alibi habet Arist. primo Metaph. sum. 1. cap. 2. Deus etenim tum causa omnibus esse videtur; tum quoddam principium. & lib. 2. Phys. t. 73. Deum facit primum mouens immobile. & 7. Ethic. ad eundem, cap. 17. 18. formam esse reducendam non in causam naturalem, sed in Deum, cuius numine mouentur omnia; & lib. 10. Ethic. cap. 8. Qui ex intellectu operatur, hunc que excludit, atque optime afficit, iis esse Deo chariſſimus videtur: nam si aliquam humanarum rerum curam Dij habent, sicut videtur, consentaneum est ipsos re illa, quæ optime est, atque ipsis maxime cognata, delectari, &c. Plura profert testimonia Eugub. lib. 4. de peren. Philos. à cap. 5. Sed neque hinc probatur vniuersalis concursus immediatus cum causis secundis. Neque prouidentia, & cum omniuni, at aliquarum tantum speciosarum rerum, & ideo 12. Metaph. t. 51. ait absurdum esse Deum de quibusdam intelligere, quia vt notat Canus primo de locis cap. 5. solum intendit non esse illi specialem curam de omnibus in eo sensu quo S. Paulus, 1. Cor. 9. ait, Numquid de bobus cura est Deo? quod indicat alia lectio Aristotelis absurdum esse Deum meditari.

Quamuis igitur Aristotel. aliqualem rerum creatarum scientiam, & prouidentiam admittat in Deo, non tamen euinci potest quod perfectam, vt sanior Philosophia docet. Certè S. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 13. non vltra Lunam protendere se diuinam Prouidentiam ab Aristotele dictum testatur iis verbis. *Nam de Aristotelis opinione quod loquar, qui putat Deum suis contentum esse finibus, & præscripto regni modo dirigere, vt Poëtarum loquuntur fabulæ, qui mundum in tres ferunt esse diuisum, vt alij cœlum, alij mare, alij inferna cernenda imperij sorte obtinuerint, eosque cauere ne vsurpata alienarum partium sollicitudine inter se bellum excitẽt. Similiter ergo asserit quod terrarum curam non habeat, sicut maris, & inferni non habet, &c.* Ambros. inquit, c. illo 13. Vide S. Iustin. Mart. libro de erroribus Aristotelis, & videbis minimè affulsisse ei lumen veritatis huius, vt pro ea patronus haberi possit constans, ac firmus; sed interlunia tantum quædam tenebris eius se miscuisse, prænuntia lucis, quæ orbem sacrarum scripturarum late irradiauit. Ideo communiter Patres erroris arguunt Aristotelem quòd negarit Dei Prouidentia, & operatio-

S. Ambr. confutat Aristotelis sententiã.

Digitized by Google

tionem rerum minimarum, vt aduertit P. Vasq. 1. p. disp. 87. c. 1. numerans præter citatos Nazianzenum, Epiphanium. Theodoretum, Saluianum, Nissenum, & alios: nam 12. Metaph. t. 37. ait à Deo moueri primum corpus, cætera autem per illud gubernari; & cap. 9. indignum putat prima mente de quibusdam cogitare, & lib. cit. ad Alexandrum de mundo, indecorũ existimat Deo ad singula administranda per seipsum descendere. Contra quem dicti Patres, & S. August. lib. 5. de ciu. à cap. 9. & S. Thom. 3. cont. gent. à cap. 71. multis agunt.

Itaque mihi pro minimo est, quod hoc se clypeo muniat Aduersarius, & Platonem etiam nobis obiiciat præceptorem illius; siquidem & huius erratica Philosophia est, tripartitam prouidentiam faciens, quarum prima sit summi Dei: secunda Deorum cœlestium: tertia Dæmonum circa terras existentium, & humanas actiones curantium; quam refellit S. Thom. l. 3. c. gent. c. 76. 1. p. 103. a. 6. Profecto si fulcimentis istis stabiliri posset, aut poscceret doctrina solidior cui nitimur, mallem proferre ex vetere litteratura sapientes, quibus vel fontes sacros veteris Testamenti libare contigit; vel ab iis qui biberent affluenter, hauserint veram intelligentiam de Dei cura, & prouidentia erga res humanas, & creatas omnes, ac singulas; quàm qui sine duce peritiore propriæ dumtaxat ratiocinationis ductu ad recondita isthæc penetralia peruadere tentantes, in abrupta insanium commentorum delapsi sunt.

Inter eos quippe, quorum saniora sensa congruentiora sunt sacris auctoritatibus hactenus recensitis, vnus eminet Seneca. Is epist. 65. tam ordinarium agnoscit Dei concursum in vniuersitate rerum tanquam agentis; quàm materiæ, vt patientis, & ab ipso circumactæ. Nempe vniuersa, inquit, ex materia, & ex Deo constant. Deus ista temperat, quæ circumfusa rectorem sequuntur, & ducem. Potentius autem est quod facit, quod est Deus, quàm materia patiens Dei. Quem in hoc mundo locũ tenet Deus, hunc in homine animus; quod est illic materia, id nobis corpus est. Aristides item in hymno ad Iouem, Est, inquit, Iuppiter omnium rerum auctor, & opifex & per eum tum cœlestia, tum terrestria omnia efficiuntur, vt & nomen ipsius à causæ vocabulo non procul remotum declarat, cum Δία eum vocamus; Ζῆνα quidem vocatur, quod vitæ omnibus, & essentiæ sit auctor: rursum efficienti causæ cognominem ipsum dicimus, Δία appellantes, quod per ipsum facta sint, & fiant omnia, &c. vbi statim promptum est nouisse non hunc apud Philosophum esse Iouem famosum Poetis; sed sub vocis significatum venire verum factorem vniuersorum Deum Διὰ n. Græcis est Per, vel propter, quia per ipsum vt causam efficientem, & finalem, fiunt omnia.

M. Tull. in orat. pro Milon. loquens de vi, quæ est in præclaro Naturæ motu, quæ est diuina. *Ea*, inquit, *vis, ea est, quæ sæpe incredibiles huic vrbi felicitates quique opes attulit*; indicans prouidentiam Dei, & curam rerum humanarum.

Mercurius Trismegistus ita Asclepium alloquitur:

Licebit pictori cœlum fatero, & Deos, & terram, & mare, & homines, bruta que omnia, & inanimata; Deo autẽ erit impossibile! ô dementiam; imperitiamque incredibilem erga Deum! Et mox: Omnis autem res creata, & generabilis, à Deo creata est. Quod est Boni, & omnia creare valentis. Aspice verò, & quomodo ipse creat, & quæ creantur, quomodo fiant, &c. quæ & illustrat exemplis, ac similitudinibus in Asclepio, & ab Eugub. de peren. Philos. l. 5. cap. 11. ad verbum ex Græco fuse transcripta sunt.

Dices ibidem, Plato secutus Trismegistum lib. 10. de Republ. de Deo ita scribit. Idem enim iste artifex non modo omnia potest facere opificia, sed etiam facit omnia quæ è terra nascuntur, & item animalia machinatur, &c. Quomodo igitur S. Thom. ex Gregorio Nis. l. 8. de Prouid. cap. 3. refert, & reiicit triplicem Prouidentiam à Platone excogitatam, vt paulo superius significaui.

Respondeo Platonem in Tympos assignasse Deo, & Angelis, quos Deos cœlicolas vocat; & Dæmonibus, quos aëriis corporibus præditos, per mundum inferiorem vagari autumat, propria munera prouidentiæ, cum dependentia tamen secundæ, & tertiæ à prima, quod etiam habet in libro de Legibus: reprehenditur ergo à S. Thoma quod negare visus fuerit omnia subiecta esse diuinæ, & summæ prouidentiæ immediate. Sed retractasse, vel melius declarasse censendus est obscurius dicta, & aperte confessus ad singularia quæque protendere se diuinam potentiam, ac prouidentiam, vt patet ex loco citato, & aliis, præsertim lib. 10. de Legibus, vbi sic loquitur. Cauendum est ne Deum mortalibus opificibus viliorem faciamus: siquidem Medicus totum corpus curare intendens non solum magnis prouidet affectibus; sed etiam paruis, vt corpus ex omni parte bene se habeat. Similiter Imperatores & ciuitatum gubernatores non recte ingentia gubernabunt, si parua neglexerint, &c. quibus probat Deo omnium etiam paruorum esse curam.

Cum Theologis ergo nostris Catholicis sunt prisci illi Chaldæi ac Ægyptij, qui præsertim Trismegistum secuti sunt, quales fuere Platonici, & Pythagorei, vt idem Eugubin. l. 7. c. 8. sentiens illos non sine Dei & Angelorũ ope discere potuisse abstrusa quædam naturæ, immo & fidei nostræ arcana, vt apparet ex Pismandro eiusdem Trismegisti, vbi de Deo, de creatione Mundi, de Prouidentia disserit Christianum in morem, sicut & in alio, quem Prometheum inscripsit, in quo inducitur loquens ille idem, qui Iehouah nominatur à Moyse, quod est nomen Dei. Sed cap. 3. in Roman: In corporis humani structura diuinam manum præsentem agnoscit, ac miratur. Circumspice (inquit) humani corporis opificium, cuius admonitione perdisce, quis tam pulchræ imaginis conditor, quis oculorum pictor, quis nares, aurisque tornauit, quis labia distendit oris, quis neruos tetendit, quis irrigauit venas, quis solida ossa contexit, quis carnem pellicula tenui circum-

Ex opificio corporis humani.

Digitized by Google

texit, quis digitos, articulosque discreuit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforauit poros, quis mentes aperuit, quis splenem coegit, atque compressit, quis cordi pyramidis figuram impressit, quis iecoris texit fibras, quis pulmonis sculpsit fistulas, quis aluo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figurauit, obscœna in obscuro prorsus abdidit, atque ab aspectu cernentium voluit secreta iacere? Vide quod diuinæ artis opera in vna materia demonstratur, singula pulchra, recte dimensa, ex propriis inuicem muneribus differentia. Quisnam singula finxit? qualis mater, qualis Pater? Nonne hæc solus ipse inuisibilis Deus propria voluntate molitus est? &c.

De Plotino sic loquitur S. Aug. lib. x. Ciu. cap. 14. De Prouidentia certe Plotinus Platonicus disputat, eamque à summo Deo, cuius est intelligibilis, atque ineffabilis pulchritudo, vsque ad hæc terrena, & ima pertingere flosculorum atque filiorum pulchritudine comprobat; quæ omnia quasi abiecta, & velocissime pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi forma intelligibilis, & incommutabilis simul habens omnia perseuerat. Hoc Dominus Iesus ibi ostendit, vbi ait, Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent, &c. Quod si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittetur, Deus sic vestit, &c. quod repetit cap. 17. tribuitque Platonicis in genere. Si ergo Augustin. interprete, idem dixit Plotinus, quod & Christus Dominus de florum, & foliorũ elaboratione, & hic de efficientia proprie Dei in eorum formatione, ac vestitu intelligendus est, vt patet ex dictis; de eadem & ille locutus est, & non solum de Prouidentia late sumpta.

Socrates Platonis magister, Deum vocat patrẽ, & opificem omnium, vt testatur Iustin. apologia 2. pro Christianis.

Mat. 6.

Auctor libri de causis, quem non Aristotelem fuisse, sed Arabem nomine Abunatem Auenam ex Pico in conclusionibus, censent aliqui, Propositione 1. habet hæc, Causa prima adiuuat secundam causam super operationem suam, quoniam omnem operationem quam efficit causa secunda, prima etiam causa efficit, & similia ibi passim repetit.

P. Theoph. loc. cit.

Rationes variæ Scholasticorum pro immediato concursu Dei.

CAPVT XVI.

1. *Ex doctrina S. Thomæ.*
2. *Ex dictis Scoti.*
3. *Gregorii Ariminensis.*

COlligit eas prolixe Auctor quadripart. p. 4. à c. 16. & soluere conatur magna ex parte adhibita distinctione aliqua earum, quibus superius auctoritates Scripturæ ac Patrum in sensu congruo explicasse sibi visus est. Sed quemadmodum ex illis plures detorqueri se præ sua claritudine non patiuntur ad incongruum; ita & rationes aliquot prorsus abhorrent à distinctionibus, quibus hactenus tentarunt Durandi sectatores eas irritas reddere, & roborare suas. Fatentur plerique omnes sententiæ communis patroni, vnum hoc esse ex dogmatibus, quæ euidenti demonstratione sui assensum adhuc non extorserint à refractariis; sed tam multis, tamque firmis vallatum præsidiis argumentorum, vt ad sui tutelam traxerit culmina ingeniorum sublimiorum.

Diuido illa ordinis gratia in classes auctorum suorum; quibus, & si quædam communia sunt præsertim recentioribus mutuantibus à veteribus; alia nihilominus aut sunt propria, & nixa fundamentis, super quibus erexere molem sectarum suarum: Aut noua forma tradita, & explicata, quæ vim ipsorum augeat, & patentiorem ostentet additis, ac solutis instantiis, quas antiquiores intactas reliquere.

Illud autem in vniuersum aduerto, omnes ferme rationes mox referendas tandem si fiat analysis in duo illa capita resolutum iri quæ ex S. Bonau. in 1. 2. sentent. supra adduximus; nimirum in summam Dei perfectionem, & creaturæ imperfectionem. Ille est causa prima, & primordialissima; de cuius ratione est maxima influentia in causas inferiores. Hæc vero de se in nihilum tendens, & defectiua; & proinde nihil quantumuis modicum facere potens illo non influente. Quo pertinent quæ dicuntur de illius independentia, principalitate entis, illimitatutæ dominio; & huius dependentia, participatione, limitatione, subiectione, & essentiali subordinatione; quæ sunt certa apud Catholicos, sed controuersum an ex iis valide probetur necessitas concursus immediati, cum sufficere videatur mediatus ad intelligendum facilior.

Summa perfectio Dei, & indigentia creaturæ sunt duo capita in quæ tandem resoluuntur rationes omnes probãtes necessitatem concursus.

Argumenta ex doctrina Thomistica.

1. ESse est primus & proprius effectus Dei vtpote causæ primæ, & vniuersalissimæ, cui proinde respondere debet effectus vniuersalis, siue ratio entis in effectu; sicut ignire est proprium ignis, cui respondet ignis productus vt ignis est.

Confirmatur. Alioqui causa 2. esset primum agens, nam haberet vim agẽdi à se, & in agendo non penderet ab alia causa superiori, & sic non esset vna causa prima, quod est impium.

2. Confirmatur. Inter omnia prædicata magis intimum est esse; ergo, & magis intima causa illius transcendens omnes differentias, & remanens omnibus remotis, vt habetur propos. prima de causis, quam rationem sic explicat S. Thom. q. 3. de Potent. a. 7. corp. *Quanto aliqua causa est altior, tanto est cõmunior, & efficacior: & quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali inuenimus quod est ens, & quod est res naturalis, & quod est talis vel talis natura. Quorum primum est commune omnibus entibus: secundum omnibus rebus naturalibus: tertium in vna specie; & quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie; nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, & vlterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis*

Digitized by Google

cælestis, nec aliquid agit ad esse; nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus, & intimior omnibus aliis effectibus. Et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus. Et mox *Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis.* Ex qua declaratione apparet, quod secundum S. Thom. causa prima respondet esse in effectu causæ secundæ. Deinde quod causa secunda est instrumentum primæ, atque adeo non agit nisi agente principali, quæ est Deus.

Esse est cõmunissimus effectus soli Deo competens.

Fauet Aristot. 2. Physicorum tom 38. quod vniuersalium causæ sunt vniuersales, & singularium singulares: quod intelligitur de rationibus in ipso effectu consideratis; nam vniuersalia non producuntur in esse à parte rei, cum quicquid existit, singulare sit; etiam causæ, quæ dicuntur vniuersales in causando quæ etiam ipsæ causant singularia.

Aristot. 2. Phys. Vniuersalium causæ sunt vniuersales, & singulatiũ singulares.

Secundò, Intelligitur per quandam accommodationem in hoc sensu, quod considerando effectum secundum varias rationes, quas intellectus distinguit cum fundamento in re ipsa, vniuersaliores respondent causis vniuersalioribus; minus vniuersales, minus vniuersalibus: licet tota entitas Physica indiuisibiliter pendeat ab omnibus causis simul concurrentibus; & possit à prima sola dependere, quæ potest per se, quod efficit cum secundis.

Ex quo soluitur instantia Durandi in secund. distinct. 1. q. 5. à numero 9. & recentiorum quibus infirma videtur hæc ratio, eo quod tota entitas pendeat à diuersis simul concurrentibus, & non pars ab vna, & pars ab altera; concedimus enim totum effectum pendere à Deo, & totum à creatura; sed in eo distinguimus varias rationes, secundum quas respondet vni formaliter potius quàm alteri; & habemus exemplum in visione beatifica quæ vt vitalis est, respondet intellectui, qui est potentia vitalis; vt autem est supernaturalis, respondet lumini, licet tota entitas indiuisim pendeat ab vtroque, vt à causa adæquata, & immediata, vt Vasq. 1. p. disp. 43. c. 5. & 1. 2. disp. 34. c. 3. alioqui non probans rationem D. Thom.

Dices satis esse concursum mediatum Dei vt dicatur causa prima, vniuersalis, vna, independens, quia omnis creatura pender ab illa in esse, & conseruari immediate; ipsa vero à nullo dependens est.

Contra est ratio, quia rursus probatur conclusio: nam præter dicta in auctoritatibus Patrum; Omnis actio, quicquid tandem sit, creatum aliquid est; igitur & ipsa penderet Deo immediate in fieri & conseruari: si enim virtus operatiua ideo pendet à Deo, quia est creatura, & ens per participationem ab ente per essentiam increato; quo indiget conditore, & conseruatore, cur non etiam eodem indigeat actus eius ob eandem rationem?

Neque satis est, quod mediante potentia pendeat, quia hæc non est proprie dependentia à Deo, sicut nec calor productus in manu mea ab aqua calida, diceretur proprie pendere ab igne, quæ calefacit aquam, si nihil influit in calefactionem manus, vt Lessius de Prouidentia cap. tertio. Idque etiamsi conseruaret calorem in aqua, si tota eius actio sistit in aqua, & non extenditur ad calefaciendam manum: Aut certe hoc dato, non est causa per se, sed per accidens, quia si non influit in calorem productum ab aqua in manu, per accidens est quod calor aquæ calefaciens manum conseruetur ab igne, à quo productus est, vel ab alia causa, puta à sole, aut ab alio igne, aut à Deo solo; atque adeo causa conseruans se habet per accidens, hæc nimirum, vel illa. Deus autem dici non potest causa per accidens creaturæ vllius, cum omnes essentialiter & per se ab illo pendeant, & non indifferenter ab ipso, aut ab alia causa: Igitur dependentia est immediata. P. Lessius

Quod si creaturæ essent proprie instrumenta Dei, similitudo ducta ab instrumentis artis, idem euinceret; sed in ea non pono vim, quia non puto hoc valere, nisi ad explicationem rei latentis per exemplum patens, in quo non requiritur similitudo omnimoda. Quomodo autem creaturæ vocari possint instrumenta Dei, dixi supra.

Præterea arguit idem S. Thom. q. illa tertia de modo a. 7. *Virtus Dei est in quolibet naturali, quia Deus in omnibus rebus esse dicitur per essentiam, & potentiam, & præsentiam, sed non dicendum quod virtus diuina secundum quod est in rebus sit otiosa; ergo secundum quod est in natura operatur. Nec potest dici quod aliud quàm ipsa natura operetur, cum non appareat nisi vna operatio, ergo in qualibet naturæ operatione Deus operatur.* Sic S. Thom. Et claret quod de immediate operatione Dei cum creatura, quia conseruatio est solius Dei, & non potest dici vna, & eadem operatio cum operatione creaturæ. Ideo

Si dicas non esse otiosam Dei virtutem, quia conseruat, primo quidem hoc est contra D. Thom. qui præter conseruationem, quæ à solo Deo est, ponit operationem communem Deo & creaturæ. Deinde, quæ est ratio fortis, & minime neganda pro S. Thoma; Omnis forma actiua intima rei agit aliquid cum eo cui est vnita, si nullum sit impedimentum, idque non solum si sit forma informans, sed etiam si solum vnita per intimam coniunctionem, sic species sensibiles, & intelligibiles simul cum potentiis concurrunt ad actus vitales sensationis, & intellectionis; & duo lumina in vnam confusa ad vnum calorem, & similia. Cur ergo diuina virtus permeans omnia, & magis intima rebus quam res ipsæ sibi, & si sustentat in esse, conseruatque facultates operatrices, non possit simul cum illis operari? Aut si potest, cur non operetur, vt seruetur debita subordinatio causarum secundarum ad primam, non in essendo solum; sed etiam in operando.

Omnis forma vnita actiua agit aliquid cum eo cui vnita est, etiamsi non informet.

Confirmatur, quia, vt ibidem S. Thom. secundum Philosophum 2. Physicorum t. 26. sol, & homo generant hominem: sed sicut Aristot.

Digitized by Google

operatio hominis in generatione dependet ab actione ſolis ; ita & multo amplius actio naturæ dependet ab actione Dei.

Dices ſolem , & cœleſtia corpora non concurrere immediate ad omnes operationes cauſarum inferiorum , ſed remote diſponendo materiam ; neque Deum ad omnes effectus immediate , ſed ad aliquos tantum mediate.

Eſto hoc quod de ſole dicis, & corporibus cœleſtibus ; hinc infero cum S. Thoma, Deum concurrere ad omnes operationes creaturarum immediate : ſi enim illa concurrant ad aliquas propter ſubordinationem inferiorum corporum ad ſuperiora, ratione cuius non poſſunt operari niſi dependenter ab ipſis ; quanto magis verum hoc erit reſpectu Dei , cui vt cauſæ primordialiſſimæ ſubordinantur omnes ſecundæ , non quoad aliquas tantum operationes , ſed quoad omnes, cum omnium ſit eadem ratio ex hoc quod creaturæ ſunt & entia participata ? & ideo ceſſante cœlorum influxu , probabile eſt non ſtatim deſtructum iri corpora ipſi ſubdita , aut ceſſaturas omnes operationes eorum ; at vero ſubtrahente Deo ſuum influxum , illico omnia redirent in nihilum, nec vlla vel ad momentum temporis perſeueraret operatio. Sufficit ergo ad intentum argumenti S. Thomæ , quod ſol, & corpora ſuperiora concurrant immediate ad aliquas operationes cauſarum inferiorum, vt hinc deducatur neceſſitas concurſus diuini concomitantis ad omnes actiones.

Deo vt cauſæ primordialiſſimæ ſubordinantur omnes cauſæ ſecundæ

Obiicies contra rationes iſtas, & nondum contra aſſertionem principalem ; quod infra præſtabis ; quia ſi in effectu quolibet totum reale quod pendet à prima cauſa , pendet etiam à ſecunda , igitur ipſum eſſe pendet ab vtraque , cum non ſit quid diſtinctum ab ipſa realitate effectus ; & licet per intellectum diſtinguatur, tamen ab operatione mentis non arguitur legitime ad productionem Phyſicam cauſæ , quaſi attingant aliquid quod non attingatur à concauſa ſibi ſubordinata, & per eandem cum ipſa actione dante eſſe effectui ; & ſic propoſitio illa à tam multis admiſſa, eſſe eſt primus effectus , & vniuerſalis, & proinde reſpondens primæ cauſæ , & vniuerſaliſſimæ , eſt de ſubiecto non ſupponente , quia non datur talis effectus diſtinctus à rationibus particularibus , qui reſpondeat cauſæ primæ, & vniuerſali ; & etiamſi daretur non minus reſponderet eidem quicquid reale eſt in effectu.

Secundò , Quod etiam dicitur de ente quod ſit magis intimum rei inter omnia ipſius prædicata, laborat eadem æquiuocatione , quia quæ ſunt vnum & idem non habent eſſe magis vel minus intimum , ſicut in planta ſunt vnum & idem viuere & eſſe , quia viuentibus eſſe eſt viuere : & ſi de diſtinctione rationis agatur non minus intima ſunt prædicata inferiora, quàm ſuperiora , cum ſint magis determinatiua ad ſpeciem. Conſequenter non valet illatio quod eſſe habeat cauſam magis intimam, qualis eſt prima, aut efficationem, & altiorem.

Tertiò, Etiamſi admitteretur quod eſſe ſit primus effectus & vniuerſalior cæteris ; & quod ſit magis intimum , quàm cætera prædicata , adhuc non ſequeretur quod immediata actione producatur à prima cauſa; ſatis enim eſſet quod penderet mediate ab ipſa , & in ipſam tandem vt in primum principium dans eſſe , & virtutem cauſis ſecundis, & ipſas conſeruans.

Confirmatur , quia idem ignis numero, ex gratia, productus ab alio igne , & à Deo, poterat produci à Deo ſolo ; & in eo caſu ceſſarent omnes rationes allatæ aſſignandi diuerſas dependentias ſecundum diuerſas conſiderationes , ergo idem effectus intrinſece inuariatus non poteſt fundare reſpectus diuerſos ad plures cauſas.

Reſpondeo ad primum ex dictis ſenſum iſtius propoſitionis , quod eſſe ſit primus effectus , & vniuerſalis, non eſſe quod aliqua entitas effectus diſtincta ab aliis detur in effectu ; ſed quod conſideratis in illo pluribus rationibus per intellectum diſtinctis, ſecundum vnam reſpondeat vni cauſæ , & alteri ſecundum aliam ; etiamſi tota entitas indiuiſibilior pendeat ab vtraque : Idque non minus conuenienter dicitur , quam quod homo ex gratia , vt eſt animal , non eſt intellectiuus , neque vt rationalis eſt ſenſitiuus : Et quia ſecundum quamlibet rationem eſt ens creatum , & pendens à Deo , & creatura , ideo poteſt conſiderari vt reſpondens vni ſecundum vnam rationem , & alteri ſecundum alteram & proinde vt vniuerſalis reduci in cauſam vniuerſalem ; vt particularis in particularem : in quo ſenſu non eſt fallacia accidentis arguendo à diſtinctione intellectus ad deſtinationem realem in effectu producto ; ſed à fundamento in re ad diſtinctionem rationis , ſicut in aliis diſtinguibilibus per intellectum : quo poſito conuenienter aſſignantur cauſis diuerſis rationes magis illis proportionatæ , licet totus effectus indiuiſibiliter per eandem actionem ab omnibus producatur. Et ſic argumentum S. Thomæ eſt metaphyſicum, & valde probabile, ſi non demonſtratiuum.

Eſſe eſt primus effectus & vniuerſalis quomodo intelligendum.

Si rurſus quæras, cur Deo potius tribuatur ipſum eſſe conſideratum in effectu , quàm tale eſſe , ſi æque primò, & principaliter ab illo pendet quicquid reale eſt ſine vniuerſale ſiue particulare.

Reſpondeo quod ens creatum vt ſic præciſe, & abſtracte ſumptum non habet aliam cauſam niſi ens increatam , in quo eſſe dicitur ſecundum genus cauſæ efficientis, exemplaris, & finalis ; nam formalem , & materialem non requirit vt ens eſt , ſed vt tale ens, de quo Soar. in Metaph. diſp. 31. ſectio. 13. numero x. conſequenter ratio entis in qualibet effectu reſpondet Deo vt primæ , & propriæ eius cauſæ ſub hac conſideratione : ſed ſub alia particulari poſtulat ex natura ſua cauſam ſecundam particularem , cui conuenientius reſpondere dicitur, non quia ſecundum illam non pendeat à Deo, & magis etiam eſſentialiter ; ſed quia Deus quantum eſt de ſe dat concurſum vniformem, & indifferenté, determinatio autem eſt à creatura, quæ cum tali

Digitized by Google

influentia producit effectus proportionatos suæ speciei; & ideo in illam reducitur vt talis est, à qua habet esse tale proprie & per se, non in alteram, quæ quantum est de se indifferenter influit, de quo infra. Interim nihil valet contra hanc doctrinam S. Thomæ instantia Durandi distinct. prima cit. inferentis quod non possent, hoc dato, fieri à Deo sola plura, & distincta sine causis secundis, & proinde non posset creare diuersa; nam cum Deus producit solus creaturam aliquam diuersa ratione agit, ac quando concurrit cum creatura, & actio eius non determinatur à causa secunda; vnde & totus effectus, & omnes rationes eius primo respondent Deo, quia non adest alia causa producens; & sic neque fundamentum habet intellectus distinguendo varias rationes adscribere diuersis causis.

Neque item valet quod agere vniformiter sit conditio agentis naturalis, & non voluntarij, vt obicit Durand. arguens fore vt Deus ageret ex necessitate naturæ, & non ex libera voluntate, si ageret vniformiter, nam Deus voluntarie agit vniformiter, cum ad perfectionem eius pertineat posse agere vt vult, vel vniformiter, vel difformiter.

Cur prædicatum entis dicatur magis intimum.

Ad secundam, omnia prædicata essentialia sunt intima rei ex ipsis constanti; sed esse quod est transcendens, dicitur magis intimum; quia imbibitur in omni alio inferiori, & in quolibet accidenti; non sic cætera prædicata imbibuntur in ipso, & ideo est consequentia ex hoc capite quod illi respondent causa altior, & efficacior, quàm cæteris.

Ad tertiam, esse causam altiorem, & efficaciorem, cui respondeat ratio effectus magis intima, ægre cohæret cum mediato solum concursu, aptissime vero cum immediato: si enim tantum conseruat Deus, & non coëfficit; æque se habet ad omnes rationes quæ in effectu sunt, & non est necesse quod respectu vllius altior, vel efficacior dicatur.

Ad confirmationem patet ex dictis paulo ante, concedo enim posse eumdem effectum qui est à causa prima, & secunda posse procedere à sola prima, & tunc non esse fundamentum distinguendi varias rationes in eo dependentiæ ad causas diuersas, quia ad hoc requiritur actio illarum; sed nego concurrente vtraque non posse congruenter referri in vnam secundum aliquam considerationem congruentius quam in aliam.

Quod autem conentur recentiores soluere rationes S. Thomæ parui refert; nulla enim solutio improbabiles eas reddit; neque vllus eorum conatus, aut studium probabiliores efficit suas, vt in responsionibus ostendam.

Patet Valentia ex principio S. Thomæ, & communi quod Deus agat per intellectum, & voluntatem sic arguit 1. p. disput. 3. quæ est de Deo creatore q. 3. punct. 1. Effectus aliquis hoc ipso producitur à Deo immediate, quod cum ipse alioqui sit factibilis, & aliquando actu existat, Deus immediate cognoscit, & vult voluntate consequenti, vt actu existat, ergo immediate concurrit. Antecedens est certum, consequentia probatur, quia si Deus agit intellectu, & voluntate, vt probauit disput. prima q. 10. rem pendere ab ipso in fieri est ipso sciente, & volente fieri; cum igitur immediate sciat, & velit effectum, concurrit immediate ad illum.

Miratur Auctor Quadrip. loc. cit. tenuitatem argumenti in tam rigida censura Valentiæ in Durandum, vt notet temeritatis eius sententiam, & contrariam existimet de fide ob auctoritates Scripturæ, ac Patrum: & respondet ipse Deum quidem agere per scientiam speculatiuam, & practicam; sed concursu solum mediato.

Sed quicquid sit de censura opinionis, cui à nullo ferme aliorum partitur, certe solutio non explicat quomodo Deus agat per scientiam illam vtramque, si nihil ab alterutra prouenit in effectum; sed solum in causam, quam conseruat, & de cætero sinit eam peragere motus suos; tota enim cognitio sistit in conseruatione: & licet se extendat ad effectus speculatiue, quia omnes nouit, etiam ante quam essent; tamen si non concurrit ad illorum productionem, quomodo dicitur Deus per illam operari, si per ipsam non attingitur effectus, sed solum conseruatur causa?

Desiderari forte potest à Valentia probatio efficacior argumenti in consequentia, quia licet sciat, & velit effectum non tamen sequitur, ergo immediate concurrit: cur enim non potest nouisse, & velle quod causæ creatæ virtus ex seipsa concurrat, si ipse nolit eam impedire? hoc enim contendit aduersarius, admisso antecedente argumenti.

Nihilominus efficaciter sequitur ex antecedente illo Deum concurrere immediatè, nam quando Theologi dicunt Deum agere per intellectum, & voluntatem, loquuntur de causalitate vera, & propria per quam res accipit existentiam: velle igitur vt res existat est esse causam existentiæ eius, quod est diuersum à velle conseruationem virtutis dantis partialiter existentiam cum ipso Deo, & potest esse sine productione rei ab illa causatæ.

Confirmatur, quia ex eo quod Deus vult rem perseuerare in esse causatur immediate ipsa conseruatio, ergo ex eo quod vult effectum aliquem existere à virtute rei conseruatæ causatur immediate ipse effectus.

Neque valet dicere quod vult directè effectum vt causandum à creatura, & non à se, non tamen vult conseruationem ab alia causa, quàm à seipso, quia est impossibilis: nam velle effectum produci à causa secunda est velle actionem causæ secundæ; igitur actio huiusmodi pendet immediate à voluntate Dei, & illius virtute est, hoc autem quid aliud sit quam immediate causari? alioqui dicant ipsi quid significet voluntatem Dei esse causam rerum, nisi virtute eius res accipere existentiam. Argumentum ergo Valentiæ vt non demonstret, non tamen adeo tenue est, vt extenuatur.

Rationes Scoti pro immediato concurſu.

CAPVT XVII.

SCotus in 2. diſtinct. 37. q. vn. contra aſſerentes voluntatem eſſe cauſam totalem, & immediatam ſui velle ſine immediato concurſu Dei, inſtat ratione vniuerſali, quod non ſaluant ordinem eſſentialem cauſarum, quia ſecundum primam propoſitionem de cauſis, omnis cauſa primaria, &c. Sed ſecundum iſtam viam cauſa primaria non influeret in effectum, niſi quia produxit cauſam iſtam. Et cum attuliſſet reſponſionem dicentium ſaluari ordinem eſſentialem, quia cauſa ſecunda eſſentialiter pendet à prima in eſſe, non autem effectus eius immediate ad quem ſufficit ſecunda; & quod cauſa prima plus cauſat, quia cauſat ſecundam.

Contra iſtam opinionem, inquit, *arguitur dupliciter. Primò quod ex ipſa ſequitur quod Deus non ſit naturaliter præſcius futurorum. Secundò quod non ſit omnipotens.* Primam conſequentiam probat, quia Deus non alia ratione nouit futura contingentia certò, & infallibiliter, niſi quia certitudinaliter nouit determinationem voluntatis ſuæ, reſpectu eorum ad quæ voluntas ſua eſt immutabilis, & inimpedibilis; ſed ſi voluntas creata eſt cauſa totalis ſui velle, & ipſa contingenter ſe habet ad illud velle, quantumcumque voluntas diuina ponatur determinata ad vnam partem eorum quæ dependeat à voluntate creata, poterit hæc aliter velle; & ita non ſequitur certitudo ex cognitione determinationis voluntatis diuinæ.

Secundam conſequentiam probat triplici medio. Primò, quia ſi voluntas creata eſt cauſa totalis, poſſet ponere oppoſitum eius quod Deus vult, cum ſit libera, atque ita facere aliud quam voluntas diuina determinauerit. quod eſt contra omnipotentiam. Secundò, non poſſet diuina voluntas impedire creatam niſi vim inferendo, & cogendo: hoc autem eſt contra naturam voluntatis, quæ de ſe eſt libera, & libere vult, non coacta: ſi ergo vellet aliquid non volitum à Deo, non poſſet velle quod vult Deus niſi coacta. Tertiò, quæ facta ſunt, & fiunt, certum eſt fieri quando Deus vult, ſed ſi voluntas eſt cauſa totalis, nullo modo Dei voluntas producit volitionem in eſſe, & ita neque poteſt dici facere, quando vult.

Et iſtæ quidem rationes ſunt de materia particulari, ideſt de voluntate; ſed ſupponunt doctrinam vniuerſalem & de concurſu neceſſario ad operationes omnium cauſarum. Non tamen euincunt intentum; nam prima nititur principio falſo, quod Deus cognoſcat futura contingentia ſolum in decreto ſuæ voluntatis, cui repugnant argumenta efficaciſſima tam ponentium ſcientiam conditionatam, quam negantium: omnes enim aſſignant alios modos cognitionis contingentium præter decretum: & ſane etiam ex Scotiſtis non deſunt, qui negant dari decretum abſolutum actus peccaminoſi independenter à voluntate creata, ne Deum in conſortium peccati admittant, ſi dicant illum ab æterno decreuiſſe materiale furtorum, ſtuprorum, parricidiorum, & ſcelerum omnium in tempore patratorum, ſine vllo reſpectu ad voluntatem creatam: quod ſi decreuit dependenter ab illa, quia videlicet videns per ſcientiam conditionatam quid eſſet factura in talibus circumſtantiis, decreuit cum illa concurrere, non ſequitur Deum non ſcire certò quid voluntas eſſet factura, quia dato quod in ſuo decreto hoc nouerit, ex ſuppoſitione quod res futura eſt, & cognita futura, non poteſt conſequenter non fore, & eſſe pro tempore quo præuiſa eſt; atque ita ſequela Scoti non admittitur ab aduerſario.

Deinde quocumque modo ponatur Dei decretum efficax in omni ſententia certum eſt non poſſe non impleri: ergo ſine deinde concurrat cum voluntate creata immediate; ſiue non concurrat, in eo ſemper certò cognoſcet futura contingentia; ſi eſt ipſi ratio cognoſcendi, & voluntas infallibiliter operabitur quod decreuit Deus, etiamſi ipſa ſola operetur, & ſic non valebit inferre quod ſi non concurrit, voluntas quæ ſola eſt domina ſui actus, poſſet oppoſitum eius, quod decreuit Deus: nam cum hoc ſtat quod infallibiliter operabitur quod decretum eſt, licet non neceſſario, etiam per te qui coniungis libertatem cum decreto, quæ præciſa ſcientia conditionata læderetur in mea ſententia.

Non igitur valide probatur quod certò non cognoſcerentur à Deo futura contingentia, ſi Deus non concurreret: nam petit aduerſarius cur ad certitudinem hanc non ſit ſatis futuritio eorum infallibilis, etiamſi eſſet à ſola voluntate immediatæ, idque ex vi decreti in quo per te cognoſcitur eo modo quo futura eſt.

Secunda etiam ratio non videtur ſatis firma Patri Vaſq. 1. 2. diſput. 129. cap. 3. niſi prius oſtendatur non implicare contradictionem, quod Deus immediate concurrat cum cauſis ſecundis: ſi enim hoc ſit poſſibile, & Deo denegetur, ſequitur non eſſe omnipotentem; ſed ſi ſit impoſſibile, vt cenſet Durandus, nullum eſt inconueniens denegare illum Deo, ſicut denegantur cætera impoſſibilia.

Quæritur Faber Fauent. in 4. diſputat. 8. cap. 2. rationem hanc Scoti vel minime intellectam, vel nimium neglectam à Vaſquez. nam primæ ſequelæ probatio efficaciſſima illi eſt exiſtimanti claram eſſe implicantiam quod voluntas creata ſit totalis cauſa ſui actus, & contingenter cauſet; & tamen Deus determinare poſſit illam ad producere, vel ad non producere talem actum.

Et quidem ſi velit implicare libertatem, & contingentiam cum determinatione, aut decreto antecedente omnem præuiſionem effectus conditione futuri, herbam porrigo; ſin minus determinationem pro actuali concurſu intelligat; ſatisfaciat aduerſario hunc negati, & pugnanti pro voluntatis dominio ad ope-

Digitized by Google

randum quod vult sine vlteriori determinatione, aut decreto, præterquam non impediendi, & sinendi agere cursum suum, sicut & cætera agentia naturalia peragunt suos. Itaque si necessaria est per te determinatio, incumbit tibi probare quod hæc non stet cum totali facultate voluntatis ad operandũ quod vult sine concursu immediato Dei, cuius decretum non impedit libertatem, & contingentiam; immo perficit, quia est iuxta exigentiam naturæ libere agentis, quæ per aduersarium postulat operari ex se sola, sine cooperatione diuina: si vero non est necessaria determinatio, multò minus vrget argumentum ductum ex eo quod implicet voluntatem esse causam totalem sui, & contingenter agere, & tamen à Deo determinari. Restat igitur semper probandum quod assumit Scotus in prima probatione consequentiæ, quod Deus non esset omnipotens, quia voluntas posset oppositũ ei quod decreuit, si esset causa totalis; nam hoc dato quod defendit Durandus, semper voluntas creata essentialiter pendet à Deo, & eius efficaci decreto non potest resistere. Rom. 9. *voluntati n. eius quis resistit.* Et ideo siue sit causa totalis, siue partialis, ageret quod Deus vult illam agere, idque liberè. Rom. 9.

Et tunc negandum quod infert Scotus in secunda probatione, nimirum fore vt non posset Deus impedire voluntatem, nisi cum inferendo, & cogendo, quod repugnat actui libero ipsius voluntatis: respondent enim non deesse modos diuinæ omnipotentiæ impediendi actiones creaturarum, etiamsi non subtrahat concursum, quem non exhibet. Qualis esset primò immittendo qualitatem stupefactiuam virtutis operatiuæ: Secundò non permittendo agere simpliciter per hoc quod decerneret ne agat, nam propter essentialem subordinationem ad ipsius voluntatem, ea vetante operationem cessaret prorsus, & languerent omnis virtus. 3. Satis panderet se potentia diuina subtrahendo suum concursum conseruatiuum, si & hoc modo impedire vellet actiones creaturarum.

Atque hinc soluta manet tertia ratio Scoti, quia cum creatura pendeat etiam in operari à voluntate diuina, cui subordinatur essentialiter, non potest hîc, & nunc quicquam facere, nisi Deus velit vel permittendo, vel iubendo, non autem immediate concurrendo per Durandum, etiam dato quod sit causa totalis: neque contrarium probat Scotus, sed assumit quod statim negat aduersarius sicut propterea promptum ei fulcitus assereret Scotum verbo tenus tueri concursum immediatum, vt cederet multitudini; mente & recto iudicio Hoc facere, & argumentis validis in speciem ad soluendum propositis oppugnare: quæ nihilominus soluenda à nobis sunt infertus. Sed vix credibile Scotum candidi æque, ac profundi ingenij in corde, & corde locutum, aut multitudini contra conscientiam cessisse, qui supra multitudinem altissimæ speculationis alis se euexit.

Argumenta Gregorij Ariminensis, Suarii, & aliorum pro concursu immediato

CAPVT XVIII.

1. *Actus dum fit pendet à Deo, quia & in conseruari.*
2. *Causa tam in operari, quàm in esse, pendet à Deo.*
3. *Deus sine vllo superaddito impedimento potest impedire actionem causæ secundæ.*
4. *Alterum argumentum Gregorij propter determinationem indiuiduorum.*

GRegorius in 1. distinct. 45. q. 1. a. 1. sic arguit: Omne quod est factum Deus immediate conseruat; ergo omne quod est factum Deus immediate de non esse, ad esse produxit, & omne quod fit, immediate facit. Antecedens probatur primò ex Sap. 11. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset conseruaretur? vbi etiam probatio est consequentiæ, quia vocare est dare esse, vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, Rom. 4. vbi vocare est creare, & facere, quia Dei dicere, & vocare est efficax idemque est quod nostrum facere, vt etiam Cornel. ibid. ex Chrysostomo.

Deinde probat idem anteced. ex August. lib. 4. Gen. ad lit. c. 14. Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus est causa subsistendi omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret; simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret, quod confirmat Greg. multiplici auctoritate Scripturæ à nobis supra relata.

Neque aduersario molestum est antecedens, cui & ipse innititur; sed sequela, quam omnino negat, & in ea probanda non insistit ibi Gregorius; sed potius in 2. dist. 35. q. 1. a. 3. vbi conatur suadere materiale peccati pendere à Deo non solum conseruante, sed etiam cooperante, quia dum perseuerat, conseruatur à Deo, ergo etiam dum fit, ab eo pendet in fieri, quod est immediate Deum influere in illud. Antecedens probat ex Scriptura citata; & ex eo quod si posset actus non pendere in conseruari à Deo, posset etiam substantia quælibet, quæ magis per se subsistit.

Si posset actus non pendere à Deo, posset etiã quælibet substantia.

Neque valet responsio quod pendeat mediate, ex eo quod Deus conseruat voluntatem, quæ immediate operatur; quia non posset annihilare actum voluntatis volentis ipsum conseruare, quod est contra omnipotentiam, vt arguebat Scotus; sed Gregorius probat sequelam, quia Deus non aliter annihilat, quàm non faciendo rem esse, vt Ansel. de casu Diab. c. 1.

Quod autem actus dum fit pendeat, à Deo,

Digitized by

ſi pendet in conſeruari, probatur, quia creatura quælibet non minus eget concurſu Dei dum primò fit, quàm poſtquam facta eſt, & alioqui ſi actus ſit malus, & conſeruetur à Deo, ſignum eſt non repugnare ſanctitati eius in illum influere; & parui refert quod in fieri, vel in facto eſſe influat, quoad hoc caput ſanctitatis diuinæ; præſertim cum conſeruatio ſit continuata quædam productio, vt arguit Gabr. loc. cit.

P. Soat. Hac eadem ratione vtitur Suar. lib. 1. de concurſu Dei, c. 4. & explicat luculenter tam ex parte effectus, quàm ex parte cauſæ. Ex parte effectus, quia eandem ob cauſam, qua creatura quælibet, & virtus eius productiua pendet à Deo in ſuo eſſe, neceſſe eſt vt effectus ab ea productus ſimiliter ab eo pendeat in ſuo etiam eſſe; nam ideo in illa eſt talis dependentia, quia eſt ens per participationem & in ſe imperfectum, ac deficiens, hæc autem ratio æque procedit de quocumque effectu creato, ex hoc præciſe quod creatum quid eſt: cum igitur tale ſit, ſiue primo fiat, & accipiat eſſe; ſiue in eo accepto perſeueret, conſequens eſt vt tam in fieri, quàm in facto eſſe à Deo pendeat: aut quod ſi non pendet in fieri, neque etiam pendeat in facto eſſe forma producta, vt idem Suarius cit. diſp. Met. 22. ſect. 1. n. 2.

Tam cauſa quàm effectus pendet a Deo, ex eo quod eſt ens per participationem.

Atque ita ex parte cauſæ idem probatur, quia ſiue conſideretur quoad eſſe in ſeipſa; ſiue quoad operationem ex vi actiua manantem, ſemper eſt ens dependens à Deo, quia ſecundum omnem realitatem eſt ens per participationem, & deficiens à perfectione, quæ ſibi ſola ſufficit; & nullius extra ſe indigens eſt, ergo & in operari pendet, hoc eſt ſine auxilio creatoris iuuantis operationem ſibi ſufficiens non eſt per virtutem acceptam, & conſeruatam.

Confirmatur primò, quia Deus nullo ſuperaddito impedimento extrinſeco poteſt impedire actionem cauſæ ſecundæ, vt in camino Babylonico, de quo Eccleſia in Domin. 3. Quadr. canit, Vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis, vt pueri tui liberarentur illæſi. Et Sap. 16. dicitur de mirabilibus per ignem à Deo præſtitis in beneficium Hebræorum. Hic autem iterum, vt nutrirentur iuſti etiam ſuæ virtutis oblitus eſt. non dicitur impeditus, quaſi aliquod extrinſecum illi aduenerit, quo prohiberetur vim ſuam exerere; ſed oblitus, quaſi deſtituerus neceſſario concurſu perinde ſe haberet, ac ſi virtute calefaciendi caruiſſet, ſimilitudine ducta ab homine, qui ſi obliuiſcatur eius, quod facturus eſt, impotens eſt illud efficere durante obliuione, & nullo alio extrinſeco impedimento retardatus.

Per ſubtractionem concurſus Dei ceſſat operatio cauſæ ſecundæ ſine vllo impedimento ſuperaddito. Sapient. 16

Quæ eſt cõmodiſſima interpretatio auctorum ſententiæ communis, & congenea textui, ſine recurſu ad alios modos, qui quamuis poſſibiles ſint diuinæ omnipotentiæ; hic tamen eſt magis connaturalis, ac planus. Imo & in deſitione rerum neceſſariò adſtruendus, quia ſi velit eas Deus annihilare, non aliter annihilat, quam ſubtrahendo concurſum conſeruatiuũ, vt dicam paulo poſt hinc enim conſtat quod quemadmodum deſinente ipſum conſeruare, ceſſat eſſe res conſeruata, & in nihilum redigitur; ita deſinente cooperari, ceſſat omnis operatio creaturæ, quæ non minus pendet ab ipſo, quàm ſua virtus à qua procedit, cum vtraque ſit ens creatum, & participatum, ac proinde pendens eſſentialiter ab ente primo, & increato, in cuius manu ita eſt omne operari, ſicut & omne eſſe, vt idem Soar. diſp. 22. Met. ſect. 1. n. 12.

Ceſſante concurſu ceſſat res conſeruata, & ceſſante operatione Dei ceſſat operatio creaturæ.

Secundò, Confirmari poteſt inductione facta à P. Vaſq. cit. diſp. 119. n. 11. nam operatio alicuius facultatis trifariam poteſt deſinere; aut quia à fortiori agente inducitur motus, & effectus contrarius, vt in motu lapidis ſurſum per mouens extrinſecum impediens motum deorſum, qui naturaliter eſt à grauitate: Aut quia corrumpitur principium operationis, vt ſi ignis frigida ſuperinfuſa extinguatur: Aut quia aliqua cauſa neceſſaria ceſſat influere; & hoc tertio modo poteſt cauſa creata ceſſare ab operatione, quia Deus cum illa non influit, ſicut poteſt deſinere eſſe, ſi ſolo nutu ſuæ voluntatis deſinat illam conſeruare. Primo autem modo non poteſt, quia aliquæ actiones carent contrario. Neque 2. quia ſequeretur quod creatura quandiu manet poſſet reſiſtere Deo, & æque valide, aut validius eo agere, quod eſt impium; & ſic non poſſet impedire Deus actionem, niſi deſtruendo principium eius, ergo tantum tertius, vt etiam arguit Rub. in 2. diſtinct. 34. q. 2. a. 1.

Operatio facultatis poteſt tripliciter deſinere.

Quæ explicatio, niſi ſupponatur quod dictum eſt, non eſſe alium modum annihilandi res, niſi per ſubtractionem concurſus, vt à paritate inferatur neceſſitas ſubtractionis in ceſſatione ab operando, non concludit, quia aduerſarius recurrit ad duos priores modos, & eludit argumentum reſpondendo impediri operationem, aut mutatione cauſæ operantis aliquid addendo; vel deſtructione in nihilum redigendo; non autem ſubtractione concurſus, qui non eſt. Et multo minus vim habet, ſi tertius modus ponatur ſolum poſſibilis, ſed non neceſſarius; quia ſublata ſemel neceſſitate diuini concurſus immediati, ruunt diſcurſus ex auctoritate, & ratione ſupra poſiti ad illum aſſerendum. Poſita autem neceſſitate diuini cõcurſus, tum quia de illa Scriptura frequenter meminit; tum quia ratio illam aut euincit, aut ſuadet comparanti fundamenta vtriuſque ſententiæ inter ſe, illico ſequitur ceſſare operationem creaturæ eo ſubtracto, ſicut ceſſat virtus operatiua ceſſante conſeruatione; etiamſi non deſint diuinæ potentiæ alij modi impediendi actiones creaturarum præter ſubtractionem concurſus.

Tertiò, Confirmari poteſt ex reſponſione aduerſarij non habentis pro abſurdo res aliquas indigentes continuo cauſæ influxu conſeruari ab illis ſolis vt eſt lumen productum à luminoſo, & intellectio elicita à potentia intellectiua, & ſimilia quæ tam in fieri, quàm in conſeruari non pendent à Deo, niſi mediate per te; hinc enim arguitur non eſſe de ratione creaturæ vt ſit, quod conſeruetur à Deo; & eſſentialem dependentiam ſaluari per hoc quod ſit à Deo vt à cauſa prima, & vniuerſaliſſima, in quam tandem reducantur cæteræ omnes cauſæ, neque eſſe neceſſarium immediatum concurſum eius, aut cooperatiuum ad actiones omnes, aut conſeruatiuum aliquarum, ſed ſufficere

Digitized by Google

mediatum; hoc autem concesso non apparet, cur de potentia absoluta non possit vna creatura conseruare aliam absque eo quod Deus ipse conseruet, quia tota repugnantia est essentialis dependentia creaturæ à creatore, & indigentia eius continui influxus, ne redeat in nihilum; quod si illa non obstante de facto aliquæ creaturæ non pendent ab eo immediate in conseruari, cur de possibili non dicatur idem de omnibus? Patres autem & Scriptura reclamant, & testantur rem nullam posse consistere, nisi conseruetur à Deo! quod si valet tua distinctio mediate, vel immediate in concursu ad operandum, quidni etiam valeat de concursu ad conseruandum? nam tandem ad Deum etiam in hoc deueniretur, tanquam ad primam causam, & vniuersalissimam, vtpote dantem esse creaturæ cuilibet conseruanti alteram, & potentem annihilare per hoc præcise, quod vellet cessare conseruationē huiusmodi; quia per te requireretur, saltem vt conditio voluntas Dei ad hoc, vt vna creatura conseruet aliam, vnde illa ablata desineret conseruatio: Si ergo nefas est negare immediate creaturas à Deo conseruari ob essentialem dependentiam, quam habent ab ipso, & omnimodam indigentiam illius, ex hoc præcise quod creaturæ sunt, & entia per participationem; nefas etiam fuerit negare quod pendeant immediate in fieri, ob eandem rationem; quæ si non saluatur per mediatum influxum respectu conseruationis; neque etiam saluari censenda est per eundem in operatione creaturarum.

Ex quibus manifestum est, si fiat dictorum analysis, rationem necessitatis diuisi concursus ad operationes creaturarum, proximam & immediatam ex parte ipsarum, esse illam, quam dedit S. Bonau. supra in 2. dist. 37. a. 1. q. 1. nimirum indigentiā potentiæ creatæ, quæ de se defectiua est, & ideo indigens auxilio causæ superioris perfectæ si vero rursus quæratur ratio indigentiæ huius, illa est, quam tradit S. Thomas, & cum ipso Soarius locis cit. quia est ens per participationem, & proinde essentialiter pendens ab ente primo imparticipato secundum omnem realitatem, quæ illi conuenit; atque ita & in esse, & in operari. Ex parte vero Dei esse eminentiam diuinæ potentiæ, de qua paulo post erit sermo, cum à dominio perfecto eius in omnes creaturas sumemus argumentum efficax ad probandum influxum immediatum. Interim

Ratio necessitatis diuini concursus ex S. Bonau.

Argumentum 2. Gregorij.

ARguit 2. Gregor. cit. distin. 45. p. 1. & in 2. dist. 34. q. in a. 3. & Rubion. in 1. dist. 38. q. 1. cond. 3. & in 2. dist. 34. q. 2. Causa creata est indifferens ad producenda plura individua eiusdem speciei, ergo debet determinari ad hoc, vel illud ab aliquo extrinseco. hic non potest esse nisi Deus, nec alio modo conuenientiori quàm coefficiendo. Hac eadem ratione vtitur Soar. in dicta disput. Metaph. sect. 3. de qua prolixius egerat disp. 5. à sect. 6. & Sal. loc. cit. n. 14. plusquam probabilem iudicat.

Et habet locum potissimum in voluntate creata, quæ est indeterminata ad hunc, vel illum actum in individuo; nec seipsum determinare potest, quia nullum in particulari postulat, nec illi repræsentari potest ab intellectu, vt eligibilior vnus altero, cum sint eiusdem bonitatis, speciei circa idem obiectum formale: pertinet ergo ad Deum, vt naturæ auctorem suppeditantem omnia necessaria ad operandum determinare actus, non per motionem preuiam in causa receptam secundum tua principia, ergo per concursum simultaneum, vt idem Greg. repetit in 2. dist. 37. cit.

Hoc argumentum non minorem poscit assensum, nec magis firmum quàm opinio confugiens ad primam causam in assignanda determinatione effectuum in individuo, quia difficile est eam reperire in creatura: Cæterum non habet vim apud alios negantes opus esse Dei determinatione ad hunc numero effectum, eo quod agens cum talibus circunstantiis intrinsecis, & extrinsecis potest se determinare ad speciem, & individuum; quia hoc postulat natura agentium naturalium, vt secundum seriem, & aliquem ordinem suas operationes exerceant, etiamsi subiectum, locus, tempus, & similes circunstantiæ præcise consideratæ non magis requirant hunc effectum, quàm alium, ex infinitis producibilibus eiusdem rationis.

Sed & si recurrendum est ad Deum; satis est dicere, quod directe velit hunc effectum, aut permittat, per hanc enim voluntatem positiuam efficacem, aut permissiuam, sine cooperatione cum creatura determinatur effectus hic in individuo, vt responderi posse putat P. Hurt. disp. x. Phys. §. 27.

Propterea ratio ista non est demonstratiua; sed tamen valde probabilis, & commoda soluendo nodo digno vindice Deo, vbi labor est, & tenebræ in assignanda vera, & immediata causa determinationis individualis effectuum vndequaque parium. Neque voluntas positiua, aut permissiua sufficiēs est, nisi sit causa proprie influens, & dans esse effectui, qualis asseritur à communi sententia contra Durandum: si enim sit solum per modum conditionis, adhuc quæstio manet insoluta, quia prætet ipsam dari debet causa propria determinatiua effectuum in individuo, cui satisfit abundè per recursum ad primam causam cum P. Soar. loc. cit. collocatur Conimbr. l. 2. Phys c. 7. q. 15. a. 2. & primo de Gener. c. 11. q. 1. a. 3. Hurt. disp. x. Phys. sect. 4. & aliis recentioribus, à quibus discidit Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 74. c. 7. aserens ex natura rei produci hunc effectum, & non alium à causa hic, & nunc sic applicata: sed quia huius determinationis ratio quæritur, & non redditur ab ipso ad oppugnationem contrariæ penitus intento; ideo deficientibus aliis rationibus opportune refugimus ad causam primam. In quo non potest merito desiderari in Suario constantia maiore, etsi cum Greg. conueniat in hoc, & dissentiat in gradibus qualitatis; Ille enim quia ponit homogeneos, & omnino similes, determinationem in ordine productionis ipsorum refert in Deum ex hoc principio vniuersali, quod assumit: Soarius vero ponit & eterogeneos, & in natura ipsorum inuenit rationem, cur prius producatur vnus, quàm alter, & non recurrit

Effectus in individuo determinatio est à causa prima positiue influente.

ad primam cauſam, cuius determinationem intereſſe vult, vbi natura eſt indifferens: quæ omnia ſibi ſunt cohærentia, quicquid recentiores aliqui in contrarium. Argumenta 8. Vaſq. ſo uuntur ab iiſdem, & non ſunt contra aſſertionem noſtram principalem.

Confirmatur ſententia communis de concurſu immediato ex eminentia diuinæ Potentiæ.

CAPVT XIX.

HÆc eſt altrera ratio S Bonau. in 2. diſt. 37. 2. 1. q. 1. cit. inferentis neceſſitatem diuini concurſus ad actiones cauſarum ſecundarum, ex perfectione diuinæ potentiæ, ad quam pertinet influentia maxima in illas; Inde enim ſic poteſt formari argumentum: Illa potentia, & perfectio cauſalitatis Deo tribuenda eſt, qua nulla poſſit eſſe, vel cogitari eminentior; ſed talis eſt, quæ ſe extendit ad concurſum immediatum, & mediatum, & quæ pluribus modis impedire poteſt operationem creaturæ, quàm quæ ad vnum tantum concurſum, vel vnum modum impediendi: Igitur hæc Deo tribuenda eſt. Maior eſt certa, quia alioqui eſſet poſſibilis aliqua perfectio, nullam inuoluens imperfectionem, quæ non eſſet in Deo, quod eſt impium aſſerere, & poſſet dari potentia maior quàm ſit diuina, quod implicat in terminis. Minor probatur, quia illa potentia eſt maior, quæ ſe extendit ad plura poſſibilia, & perfectiora; quàm quæ ad pauciora: concurſus autem immediatus eſt poſſibilis, & proinde etiam eius ſubtractio, vt oſtendunt argumenta valida, auctoritas multiplex ſummorum virorum, & ſolutio oppoſitionum quas hactenus excogitarunt aduerſarii, vt infra manifeſtum erit; igitur Deo concedenda eſt. Vnde Hylar. apud S. Thom. de Pot. q. 1. a. 2. Deus, inquit, immenſæ virtutis, viuens poteſtas, quæ nuſquam non aſſiſtit, nec vſquam deſit, &c.

Dices maioris eſſe potentiæ quod Deus poſſit concurrere immediate, & mediate pro ſuo libito, quàm ſi non poſſit, quia ſunt plures modi concurrendi, & proinde maior potentia vtrumque complectens, quàm vnum dumtaxat, ex tuo argumento.

Reſpondeo in primis hoc eſſe contra te negantem Deum poſſe concurrere cum creatura, vel vniuerſaliter vt Durandus; vel cum actu libero, vt recentiores eius aſſeclæ.

Deinde negoaſſumptum, quia hoc pertinet ad perfectionem diuinæ potentiæ, quod nulla creatura poſſit eximi ab eius influxu, tam in facto eſſe, quàm in fieri; ſicut enim de ratione dominij diuini eſt, quod ab eo libera eſſe non poſſit vlla creatura, & de ratione Prouidentiæ, vt omnia intra ſuos limites coerceat, & nihil effugere illam poſſit, etiam mala, quoniam illa punit, & ordinat ad bonum: ita de ratione potentiæ eius, & virtutis cauſatiuæ, eſt, vt nihil effici poſſit niſi ipſa efficiente.

S. Thom. 1. p. q. 22. 2.

Confirmatur ex modo argumentandi S. Th. 1. p. q. 103. a. 6. ad probandum quod omnia immediatè gubernantur à Deo. Cum Deus ſit ipſa eſſentia bonitatis, vnumquodque, & attribuendum eſt ſecundum ſui optimum, & proinde quod omnium etiam particularium rationem gubernationis habeat, quod eſt maioris perfectionis. Igitur hoc idem valet de perfectione cauſalitatis. In quo tacite inanitur neceſſitas gubernationis, ob eminentiam bonitatis, & potentiæ diuinæ; quæ non ferrur neceſſario in creaturam quæ melior eſt, quia libere operari eſt maior perfectio quàm neceſſario ad extra; ſed poſita operatione libera, maior eſt perfectio eius influere actu, quàm non influere, & ideo ex ſuppoſitione quod velit creaturam operari, neceſſario cum ipſa operatur.

Vnũquodq; que Deo tribuendum ſecundum ſui optimum,

S. Bonau.

S. Thom.

Confirmatur 2. quia vt S. Bonau. in 2. diſt. 37 a 1. q. 2. ad perfectionem diuinæ potentiæ pertiner, quod creatura, quæ de ſe tendit in nihilum; conſeruetur à Deo, neque aliter durare poteſt in eſſe, aut ab alia creatura conſeruari ſine Deo, quod idem habet S. Thom. 1. p. q 104. a. 1. 2. Soarius in Metaph. diſp. 21. ſect. 1. aſſerit de fide ob Scripturam, & Patrum auctoritatem reputantium impoſſibile contrarium; ergo & ad eandem pertinet neceſſarius influxus cum cauſis ſecundis ad operandum. Antecedens intelligitur de conſeruatione per ſe in genere cauſæ efficientis & immediata, non de conſeruatione per accidens, qualis eſt remouentis prohibens, aut contrarium; quomodo vna creatura poteſt conſeruare aliam, auertendo, aut reſiſtendo corruptiuo eius: neque de conſeruatione mediata & remota, quæ conſiſtit in influxu aliquarum diſpoſitionum, quæ neceſſariæ ſunt vt res in eſſe permaneant, quomodo ſol, & cœlum ſuo motu concurrit ad conſeruationem corporum inferiorum ex Ariſtotele 12. Metaph. t. 34. vt Soar. ibid. ſect. 3. ex S. Thoma ſed in iis omnibus intercedit conſeruatio Dei, & præterea altera immediata, & directa tendens per ſe ad eſſe. Conſequentia probatur, quia, vt ſupra diximus, non minus res in fieri eſt ens per participationem, & eſſentialiter pendens à primo ente imparticipato, quàm in facto eſſe; ergo ſi in hoc poſtulat influxum Dei conſeruantis, etiam in illo poſtulat eumdem primum eſſe conferentis, & ſicut non valet dicere quod maioris eſt perfectionis poſſe non conſeruare, & conſeruare pro libito; ita nec valet quod poſſit concurrere immediate, & mediate ſolum. eſt enim eadem vtriuſque ratio, quod Deus eſt primordialiſſima cauſa & ſummæ influentiæ, qualis non eſſet ſi ad aliquam rem non eſset neceſſarius concurſus eius conſeruatiuus, & cooperatiuus.

Non poteſt creatura conſeruari ſine Deo.

Et quidem ad probandum antecedens rationes variæ afferuntur à S. Thom. & alus; ſed vnam ſubiicere ſatis fuerit, qua

Secundò, probatur, & explicatur magis argumentum S. Bonau. ab eminentia diuinæ potentiæ ductum: quia alioqui ſequeretur creaturâ aliqua ſemel productâ non poſſe in æternum quamlibet creaturam annihilari, ſed ſemper vna deſtructa aliam neceſſario remanere, atque adeo minus eſse potentem Deum quàm fides, & ratio eſse demonſtrat; vel minus

Explicatur magis ratio S. Bonauenturæ ab eminentia diuinæ potentiæ.

Digitized by Google

liberum, quippe qui necessitetur ad conseruandum aliquid extra se in esse. Patet sequela, quia vel creatura annihilatur per subtractionem concursus Dei conseruantis; & ita habeo intentum quod Deus conseruet, vel per actionem positiuam ipsius, aut creaturæ alterius; & tunc per illam produceretur aliquis terminus realis, & positiuus. Omnis enim actio est alicuius actio, & hic maneret destructa re, quam Deus vult annihilari: quod si rursus velit hunc destruere, necessariò erit alius producendus per aliam actionem destructiuam, & sic in infinitum: ne ergo in hos scopulos impingamus, fatendum est rem annihilari per subtractionem concursus conseruantis in esse; ex quo sequitur esse maioris potentiæ necessitatem illum exhibendi rei semel à se productæ, & maioris influentiæ, & causalitatis, quem non exhibere.

Est autem eadem ratio de concursu immediato ad operationem causæ secundæ, quia posse illam impedire per subtractionem concursus simultanei, non minus indicat vim, & necessitatem diuinæ potentiæ in causando, quàm posse annihilare per eandem subtractionem, & proinde Deo non denegandum, præsertim cum ex parte creaturæ non sit minor indigentia diuini concursus, quando primò fit, ac quando facta est.

Confirmatur, quia dependentia quorumdam effectuum in fieri, & conseruari arguit perfectionem in causis creatis, v. g. in sole, à quo pendet lumen continuo; in intellectu, à quo pendet actus voluntatis; ergo etiam dependentia operationum à Deo arguit perfectionem in eo, à quo multo magis pendent creaturæ, quam à causis creatis. Hoc argumentum tractatur ab aliis recentioribus sub titulo dominii, quod cum sit perfectissimum in Deo erga creata omnia, exigit immediate influere, & per subtractionẽ influxus destruere si velit, quæcumque velit; sed vbi agitur de causa efficiente, & eius concursu, magis proprie proponitur à S. Bonauentura sub terminis Potentiæ & causæ; etiamsi habent eamdem vim, si ad dominium transferatur; est enim hæc potentia dominatiua; & hoc dominium potestatiuum, cum sit Dei omnipotentis, cui subditum est, & à quo habet esse quicquid aliquo modo habet esse, siue in fieri, siue in conseruari.

Aliter argumentũ à totali dominio proponitur à quibusdam

In quo argumento prosequendo quidam inferunt sublatum iri totale dominium Dei in creaturas, nisi immediate concurrat; quia necessitaretur ad tollendum aliquid aliud quod non est ipsum, neque intrinsece pertinens ad ipsum, aut intrinsece connotans ipsum, si vellet Deus illud non existere; atque adeo ad tollendam potentiam, si vellet esse actionem, quæ est causa effectus ab ipsa potentia separabilis, quæ neque est quid intrinsecum, neque intrinsece connotans actionem.

Sed aduersarius negans res omnes annihilari per subtractionem concursus non necessarii per ipsum ad conseruationem eorum, quæ à secunda causa conseruari possunt, non habebit pro absurdo assumptum: neque hoc contra rationem dominij totalis esse concedet, eo quod non extendatur ad impossibilia, sicut neque potentia ipsa diuina, cui annexum est. Consequenter si velit Deus non existere actionem, quæ immediate solum à potentia dependet, desiner conseruare ipsam potentiam; qui est vnus modus destruendi actionem; Præter quem tamen admittit ille alios, v.g. immissionem qualitatis stupefactiuæ, quia imbuta potentia cessabit statim ab operatione. quis enim negauerit posse Deum lumen à sole manans extinguere, non solum destruendo solem, sed immutando ipsum per qualitatem aliquam impedientem illuminationem, si quidem & potentiæ ipsæ vitales per noxios plerumque humores præpediri à suis functionibus experientia quotidiana compertum est. Iccirco non potui inuenire apud vllum grauem auctorem modum hunc probandi immediatum influxum Dei à totali dominio sic explicato.

Aliter etiam respondet auctor quadrip. pendere à permissione diuina, tamquam à conditione operationem creaturæ, atque adeo impediri effectum, etiamsi nihil ponatur in agente, vel in passo; est enim tantæ efficacitatis diuina voluntas, vt nisi velit permittere, creatura nihil omnino possit agere, etiamsi nullus subtrahatur concursus extrinsecus, cum ad essentialem subordinationem, & dependentiam sufficiat intrinsecum imperium, aut permissio, supposita conseruatione virtutis, quæ ab illo est, atque ita manet semper eadem eminentia diuinæ potentiæ, ac dominij non minus quàm si ponatur concursus eius immediatus extrinsecus. Sed contra est ratio, qua ad hominem, & absolute probatur conclusio.

Discrimen inter causam, & conditionem.

Tertiò, Quia etiam per te tanta est efficacitas diuinæ potentiæ, & voluntatis, vt virtute ipsius sequatur operatio creaturæ, aut cesset; igitur est causa eius immediata, & non tantum conditio. Probatur sequela: hoc n. differt conditio à causa, quòd illa quidem est necessaria, sed virtute eius non fit effectus; causa vero ita est necessaria, vt per virtutem suam dat esse effectui, vt suppono ex 2. Phys. & 5. Metaph. c. 2. quia præhabet illum in se eminenter, aut formaliter iuxta diuersitatem suam: si ergo virtute diuinæ potentiæ, & voluntatis ponitur effectus à parte rei, aut tollitur, & desinit esse; illa est causa immediata operationis, quæ producit effectum: velle enim quod creatura operetur, est velle immediate operationem. Dices aliud esse quod Deus velit operationem positiue jubendo aliud quod velit permittere, non impediendo positiue, vt patet ex August. supra hæc duo distinguente; & ex ratione, quia Deus vult positiue bona, sed permissiue solum mala. Contra

Ergo saltem in iis, quæ positiuè vult fieri, voluntas eius est causa immediata operationis creaturæ; hoc autem est quod dicimus, ipsum immediatè concurrere ad operationem; sunt enim vnum, & idem, operationem poni virtute, & efficacitate voluntatis eius omnipotentis, seu pendere ab ipso, & ipsum immediate concurrere ad operationem.

In iis vero quæ permittit, quoad positiuum & materiale operationum, est eadem ratio, quia ex eo quod vult permittere, vult etiam exhibere creaturæ necessaria ad hoc vt possit

Digitized by Google

operari; inter quæ eſt concurſus eius in actu primo, ſiue potentia applicata per voluntatem, & aſſiſtens facultati operatiuæ; ſine qua aſſiſtentia impotens eſt operari, & cum qua, & eius virtute redditur potens in actu primo ad exeundum in actum ſecundũ: igitur entitas actus permiſſi pendet à voluntate diuina, vt à cauſa immediata, & non ſolum vt à conditione.

Confirmatur, quia potiſſima ratio quæ mouit antiquos ad negandum Dei concurſum immediatum fuit, quia repugnare putabant diuinæ ſanctitati concurrere ad malum; & cum aduerterent in peccato eſſe poſitiuam entitatem actus, conſequenter negarunt neceſſitatem concurſus immediati in omnibus operationibus, quia impoſſibilis erat ſecundũ ipſos in malis. Recentiores vero Theologos preſſit alia difficultas duplex, quia videlicet viſum eſt illis, & lædi libertatem arbitrij per huiuſmodi concurſum, non ſecus ac per prædeterminationem; & offendi ſanctitatem Dei per vtrumque concurſum, & præuium; & ſimultaneum ad actiones peccaminoſas, quorum neutrum incommodorum remanet, ſublato concurſu immediato cum voluntate creata, ac proinde cum reliquis cauſis.

Diuerſa ratio tollendi concurſum Dei allata à recentioribus, & antiquis.

Sed 1. difficultas euaneſcit adhibita diſtinctione apud Theologos recepta de materiali peccati quod eſt bonum quoddam, & ens ad quod concurrit Deus; & de formali, quæ eſt malitia, & priuatio ad quam non concurrit, vt infra magis declarabitur. Secundo vero vt vrgeat contra concurſum antecedentem, & cauſæ præmotionem determinatiuam ad vnam partem; contra ſimultaneum languida eſt; quia nihil in voluntate creata ponimus, per quod prius natura quàm operetur, ad vnam partem determinetur; ſed totam ſuæ libertati reliquimus, vt propoſito ſibi per cognitionem obiecto cum indifferentia, poſſit illud amplecti, vel reſpuere, tam in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus, vt in ſolutione argumentorum fuſius dicemus: Interim de ſupernaturalibus actibus voluntatis, ac intellectus, & de aliis operibus miraculoſis, quæ per creaturas Deus operatur negari non debet, quin ad illa Deus immediate concurrat.

Quartò, Igitur ſic arguo: Deus cum potentijs vitalibus per gratiæ auxilium eleuatis, & cum illo vitaliter operantibus, concurrit ad actus ſupernaturales: ergo poſſunt dari duæ cauſæ cum ſubordinatione vnius ad alteram immediate productiuæ eiuſdem effectus, atque ita ceſſat potiſſimum argumentum Durandi hoc negantis, quia non poſſunt concurrere duo agentia ad vnam actionem, niſi vtrumque ſit imperfectum, & partiale, quod de Deo nefas eſt cogitare: ſi enim hoc non obſtat in actibus ſupernaturalibus, neque etiam in naturalibus obſtare debet, vtrobique enim operatur creatura, & non ſolus Deus. Vniuerſaliter etiam infertur poſſibilitas diuini concurſus immediati; quia ſi admittitur in ſupernaturalibus, iam non apparet repugnantia coniunctionis eius cum creatura operante; neque facile oſtendi poteſt, cur repugnet cum eadem naturaliter agente.

Duæ cauſæ ſubordinatæ poſſunt concurrere ad eumdẽ effectum.

Dices in ſupernaturalibus infundere auxilium, & eo præditas potentias vitales operari, quin de extero ipſe operetur, ſicut in naturalibus dedit virtutem operatiuam, quam deinceps relinquit agere curſum ſuum, non ſe immiſcendo per cooperationem non neceſſariam.

Contra: quia ſine infuſione qualitatis vllius poteſt Deus per ſeipſum immediate ſupplere vicem illius, & concurrere cum potentiis vitalibus, v. g. cum intellectu ad viſionem beatam ſine lumine gloriæ, vt in propria quæſtione oſtendam cum Soario, Vaſq. Molina, & aliis plurimis, & ſupra ſignificatum eſt.

Deinde ſicut agentia naturalia dicuntur proprie agere, & per ſe, ac immediate etiamſi agant per qualitates ſuas, quæ dicuntur virtutes actiuæ; ita dicereturDeus immediate, & proprie concurrere ad actus ſupernaturales, quia per qualitates diuinas operatur: Præſertim ſi vera eſſet ſententia negans ſubſtantiam eſſe ex ſe ipſa actiuam, ſed ſolum per qualitates; nam etiam in illa vere dicitur ſubſtantia cauſare v. g. ignis producere calorem, & ignem, licet ſolus calor ageret; igitur & diceretur Deus vere, & proprie operari, quamuis per creatam qualitatem ſupernaturalem ageret. Neque enim deciſio quæſtionis pendet à controuerſia inter Philoſophos agitata, ſitne ſubſtantia immediate actiua, vel non; quicquid enim de hoc ſtatuatur, vtraque ſententia concedit ſubſtantiam eſſe cauſam principalem, & immediatam, quia nulla extranea virtus, neque ſuppoſitum mediat inter ipſam, & operationem, cuius debet dari cauſa principalis, qualis non eſt accidens in productione alterius ſubſtantiæ. Ita in propoſito ſiue Deus per ſeipſum concurrat, ſiue per qualitatem ſupernaturalem, ſemper dicendus eſt concurrere principaliter, & immediate ad actus ſupernaturales.

Dices rurſus potentias vitales eſſe mera inſtrumenta actuum ſupernaturalium, & ideo poſſe Deum immediate concurrere ad iſtos, non autem ad naturales, quorum cauſæ principales ſunt potentiæ ipſæ.

Hæc inſtantia in primis non iuuat negantes concurſum omnem immediatum ad actus deliberatos, ne lædatur libertas, & ſolum concedentes ad indeliberatos. Deinde etiamſi potentiæ vitales dicerentur inſtrumenta reſpectu actuum ſupernaturalium, de quo ſupra actum eſt; tamen non ſunt inſtrumenta mortua, ſed ſeipſa mouentia per vim innatam adiutam gratia, & proinde dantia vitalitatem actibus ſimul cum diuino concurſu; ergo ſunt duo agentia à quibus immediate pendent actus vitales ſupernaturales. 3. Per te actus vitales indeliberati fiunt immediate à Deo excitante potentias, igitur eſſe vitale, & ſupernaturale admittit concurſum immediatum Dei, & ſola aduertentia, ratione cuius accedit libertas, illi aduerſatur. Igitur in cauſis naturalibus non eſt impoſſibilis concurſus iſte, in quibus nec poſſibilis aduertentia: Durandus autẽ quem ſequeris, ab omnibus cauſis ſecundis amandat. Deinde cur non poteſt Deus continuare eumdem concurſum, quem cœpit exhibere ante aduertentiam, etiam illa aduenientе

Digitized by Google

nente vt de facto opinantur qui physice eumdem perseuerare defendunt Theologi graues cum Soar. de Human. act. bon. disp. 8. sect. 2. Vasq. 1. 2. disp. 56 c. 2. citante Caietanum, Durandum in 2. d. 40. q. 3. Capr. & alios, inter quos pono S. Bonau. in 2. d. 41. a. 1. q. 2. docentem bonum, & malum non esse differentias essentiales actus voluntatis, sed accidentales; in qua sententia si Deus per te concurrit ad actus indeliberatos, & ij non differunt in substantia à deliberatis; concursus huiusmodi nihil officit libertati. Saltem de absoluta potentia hoc non repugnat, quia sicut posita aduertentia liberum est voluntati prosequi actionem, vel desistere, quam inaduertenter incæpit cooperante Deo, & hanc libertatem non impedit cooperatio diuina præcedens; ita nec impediet comitans aduertentiam. Alioqui aduenientе aduertentia ex parte intellectus, vel statim mutaretur actus voluntatis ex indeliberato in deliberatum, & hoc non patet enim experientia sæpe hærere voluntatem antequam deliberet, vtram partem sequi debeat: vel non mutatur, sed manet idem actus, atque ita aduertentia non est incompossibilis cum simultaneo concursu, neque est causa cur impediatur libertas; quandoquidem iis stantibus potest voluntas in oppositа, ergo si Deus concurrit ad actus indeliberatos, simul etiam ad deliberatos concurrere potest. Denique voluntas est vna & eadem potentia inuariata respectu actus liberi, ac necessarij, seu indeliberati, ergo si potest vnum elicere sine concursu Dei, potest etiam alterum; Imò si potest liberum se sola, poterit etiam necessarium, quia hic saltem ratione modi procedendi non est ita eminens, vt liber.

Actus idē perseuerat ante, & post aduertentiā in sententia probabili.

Ex dictis igitur apparet quam merito pronunciarit S. Bonau. in 2. dist. 37. a. 1. q. 1. *Et ideo hac posito quæ dicit omnem actionem esse à Deo, secundum quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est, &c.* Quibus verbis ad eundem sensum vritur Stephanus Brulefer eius interpres in eadem distinct. & ratio est primò, quia auctoritas Scripturæ ac Patrum planam, germanam, & apertam habet intelligentiam, si de concursu immediato, quem verba ipsa indicant, interpreteris. Deinde quia omnes scholæ Theologorum, exceptis priuatis, & paucis quibusdam ex ipsis, in hanc sententiam conspirarunt, sine dubio rati eamdem esse sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum eius interpretum, & proinde sancti Spiritus auctoris, ac illuminatoris. Tertiò, quia rationum pondera hinc inde diutina discussione librata in eam tandem compulerunt. Quartò suasit commoditas inde manans soluendi quæstiones varias tum philosophicas de naturæ operibus arcanis, ac patentibus, pene cogentibus ad sacram hanc anchoram accurrere ob sui admirabilitatem; tum theologicas de supernaturalibus, & miraculosis euentibus, de Prouidentia diuina, & vniuersim de fidei sac. ac mysteriis, in quibus manus excelsa Domini sola potens est misereri se & operose dominari.

Quintò, Contraria vix censetur tuta à maiori parte Theologorum, & obnoxia est notis grauioribus hâc erroris, illac temeritatis, & similibus, à quibus longe abest communis; quia est mera doctrina Patrum hanc viam regiam ingredientium scriptura duce, & Philosophia comite.

Argumentum recentiorum ad probandam necessitatē concursus immediati 1. causæ.

CAPVT XX.

1. *Proponitur argumentum.*
2. *Confutatur auctoritate, & ratione.*
3. *Respondetur illi.*
4. *Reiiciuntur corollaria ex illo.*

FVndamentum Dur. supra citati ad hunc concursum negandum est, quia causa creata continet omnes perfectiones, & omnia prædicata, quæ sunt in effectu, & ideo non eget auxilio alterius causæ superioris ad illud producendum, potest enim seipsa quæ habet in se effectui communicare. Hoc fundamentum retorquetur in auctorem suum, quia nullum datur ens, quod non habeat aliquam perfectionē non communem vlli creaturæ alteri præter Deum; & hoc siue considerentur entia secundum gradum aliquem genericum respectu alterius gradus contradistincti; siue considerentur secundum gradum specificum, nec non secundum vltimam indiuiduationem.

Probatur à priori, cum enim idem sit principium constitutiuū, & distinctiuum formale rerum, & cum omne ens debeat constitui per aliquam perfectionē, per eam debet distingui à quolibet alio ente, præterquā à Deo; vtpote continente omnes perfectiones. Quare ens creatum secundū rationem entis creati vt sic; non addit aliquē conceptum perfectiuum per quem cōstituatur, & per quem distinguatur ab ente increato; sed addit solam imperfectionem limitationem, & defectū. At n. cum omnes aliæ entitates quantumuis sublimes, præter Deum, sint essentialiter connexę cum multis imperfectionibus, hoc est cum defectu multarū perfectionum, quæ continentur in latitudine entis; ita essentiæ rerum fuerunt institutæ vt nullus alius defectus perfectionis esset i. & perse constitutiuus cuiuscumq; entis in quocumque gradu vel generico, vel specifico, vel indiuiduali; sed omnes isti defectus eatenus reperirentur in hoc, vel illo ente, quatenus tale ens constituitur per aliquas perfectiones, quæ, supposito, quod sint in ente creato, non sunt cōpossibiles cum talibus aliis perfectionibus. Et ideo Aristoteles reprehendit eos, qui assignabant differentias entium per aliquā negationē, v. g. differentiam animalis per impennatum, ergo necesse est omne ens creatum sicut distinguitur ab omnibus alijs creaturis, ita habere aliquam perfectionem incompossibilem cum perfectionibus aliarum creaturarum.

Secundò, à posteriori, homō enim ex. g. est quidem perfectior lapide, sed lapis habet aliquas perfectiones quibus caret homo; i. maiorem resistentiam ad scissionē, maiorem durabilitatem, minorem indigentiam pro sui conseruatione: item perfectior est homo quàm calor ab homine emanās, tamen ille calor potest per se immediate calefacere subtātias extrinsecas, quod non potest homo: & idem est de gradu

indiuiduali, ſi attente conſideretur nam licet ignis A, ſit ſimilis igni B, tamẽ in ſentẽtia ponẽte actionẽ diſtinctam modaliter, ignis B poteſt cõcurrere ad aliquas actiones ſibi eſſentialiter affixas, ad quas non poteſt concurrere ignis A. In ſententia vero negante actionem diſtinctã, adhuc idem verificatur, quia ignis B poteſt eſſe nunc, ſi nunc exiſtat ſola duratio I in rerum natura. Voco durationem I, quæ vna ex multis eſt determinata ad faciendum durare ignem B. Item poteſt eſſe hic, ſi exiſtat ſola vbicatio I. quæ prædicta non conueniũt igni A, ſed conueniunt Deo. Rurſus ignis B habet ius ad productionẽ, vel conſeruationẽ illarum vnionum, quæ ſunt ei eſſentialiter affixæ in ſententia ponente vniones modales inter accidentia, & ſubiectũ. In negãte vero habet ius ad productionẽ, vel conſeruationẽ illorum indiuidualũ accidentium, quæ non poſſunt ſaltem naturaliter poni in alio ente. Hæ igitur perfectiones non reperiuntur in alia re, niſi igne B. & in tribus perſonis diuinis. & ideo vocantur perfectiones ſimpliciter ſimplices, quæ ſunt meliores ipſæ, quàm non ipſæ, quia nimirũ in ſuo cõceptu nullam dicunt imperfectionẽ, cum ſint omnes in Deo, & ex alia parte illarum negatio dicit imperfectionem, quia eſt incompoſſibilis cum qualibet perſona diuina, adeoque eſt eſſentialiter affixa enti imperfecto, ideſt creato.

Idem eſt de entitatibus modalibus, quarũ nulla etiam minima caret peculiari perfectione ſimpliciter ſimplici ſoli Deo cõmuni, v.g. Actio habet hoc vt non poſſit impediri, ne ponat terminũ, quod prædicatum nulli alteri rei creatæ conuenit, ſed ſoli Deo: & idem eſt de vnione, qua poſita non poteſt impediri compoſitum, quod productum pariter Deo conuenit, qui eſt cauſa non impedibilis ab vllo alio in ordine ad omnem effectum poſſibilem.

Igitur cum nullum ens poſſit dare alteri perfectionẽ quam non habet in ſe, vt notatur ſupponere Durand. Sequitur ex allato diſcurſu nullum ens eſſe producibile ab alio ente, ſine concurſu Dei, qui ſolus continet perfectiones ſimpliciter ſimplices, cuiuſcumque entis.

Et hinc patet explicatio dicti Ariſt. & S. Th. probantium primum motorem, hoc eſt 1. cauſam, debere eſſe immobilem, & inuariabilem intrinſece, ſtatuentium illud axioma, Omne quod mouetur ab alio mouetur, ex quo intulerunt exiſtentiam Dei.

Patet inquã huis explicatio, nam cum omnis motus realis intrinſecus addat rei motæ aliquã perfectionẽ, quæ in ea non erat antea, & per cõſequens quæ in eius virtute non poterat adæquate contineri, impoſſibile eſt quod aliquid moueatur à ſeipſo tanquã à principio adæquato, ſed eget concurſu alterius mouentis, & cõtinentis in ſe perfectionem illam, quæ rei motæ aduenit ex motu illo: & in hoc ſenſu nec elementa, nec Angeli mouentur à ſeipſis, tanquã à principio adæquato; ex quo ſequitur quod 1. motor debeat eſſe immobilis, hoc eſt incapax nouæ perfectionis à ſe diſtinctæ, & inſuper debeat eſſe infinitus, ad hoc vt contineat omnes perfectiones poſſibiles, adeoque poſſit conſtituere cauſam adæquatam omnium illarum.

Deinde patet cur recurrendũ ſit ad 1. cauſã pro determinatione indiuidua, cauſarũ ſecundarũ quodeodẽ fund. probari poteſt, nam cum ignis ex. g. nõ habeat ius ſpeciale ad productionẽ ignis B, vel ex eo quod hic ſit ei ſimilior, aut vtilior quã quilibet alius ignis poſſibilis, vel ex eo quod intercedat aliqua maior proportio inter illos in genere meriti, & præmij phyſici, quàm inter ignẽ A, & quemcumq, alium ignem poſſibilẽ, reliquũ eſſet vt iſtud ſpeciale ius fundaretur in hoc, quod ignis A cum hoc aggregato circunſtantiarum ect. contineret in ſe formaliter vel eminẽter omnia prędicata & indiuidualia ignis B, & nõ alterius. At hoc eſt falsũ, quia probatũ modo eſt dari inquolibet indiuid. aliquam perfectionẽ nullo modo cõtentã in virtute productiua cuiuſlibet alterius indiuid. creati, & in hoc fundari neceſſitatẽ immediati cõcurſus diuini ad ſingulas creaturarum operationes, ergo à 1. ad vltimum non poteſt cauſa creata cum quocumq; aggregato circunſtantiarũ habere ius ad productionem certi, ac determinati indiuidui.

Ita ratiocinantur docti quidam recentiores, quorũ auctoritate magis moueri me fateor ad diſſerendum; quàm momento inuenta eius mihi obſcura energia eſt. Video enim à.. Vide c. XXXV. infra

Contra hunc probandi modũ opponi poſſe 1. cõmunẽ doctrinã Philoſophorum, & Theologorum ex l. de cauſis, quam non ſemel vſurpat S. Th. ſupra relatus, præſertim q. 3. de Pot. a. 7. c. prædicata effectuũ quo magis vniuerſalia ſunt eo vniuerſaliori cauſæ reſpondent, atque ita cum prædicarum entis ſit vniuerſaliſſimũ, vt hic reſpondet ſoli Deo, quæ eſt cauſa vniuerſaliſſima. At hic modus ſoli Deo aſſignat effectum ſiue rationem eius magis particularem, & indiuiduam; igitur non eſt conformis communi doctrinæ in Scholis receptæ: quod ſatis videri poterat ad illum reiiciendum. Cauſæ vniuerſaliſſimæ reſpõdet effectus vniuerſaliſſimus.

2. Ariſt. l. 7. Phyſ. t. 38. Amplius (inquit) aliæ quidem genera ſunt generũ, aliæ autem ſingularia ſingularium, vt ſtatuarius quidem ſtatuæ, hic autem huiuſce: vnde ſumptum eſt axioma Vniuerſaliũ cauſæ ſunt vniuerſales, & ſingulariũ ſingulares. Igitur perfectionis ſingularis, ac indiuiduæ, cauſa eſt ſingularis, non ſolùm ſpecificatiue, ſed etiam reduplicatiuè, & formaliter, quatenus talis eſt in indiuiduo, ſiue vt hæc numero eſt. Effectum vniuerſaliũ cauſæ ſunt vniuerſales.

3. Specialis illa perfectio indiuidui nulli creaturæ communis non differt realiter ab ipſa entitate phyſica indiuidui; igitur cauſa efficiens iſtius entitatis eſt etiam efficiens illius perfectionis; ſed cauſa creata eſt efficiens entitatis, ergo & perfectionis. Antecedens 1. à te conceditur, qui non admittis diſtinctionem realem inter gradus, & perfectiones metaphyſicas, & eſt Ariſtotelis 4. Metaph. tit 3. aſſerente idem eſſe hæc prædicata ens homo, vnus homo, & homo, & l. 7. t. 21. quod idem ſit Socrates, & Socratis eſſe, ſeu definitio eius conſtans genere, & differentia. neque dubium de illo in Scholis remanet, etiam Scotiſtarum, qui tuentur quidem diſtinctionem formalem, ſeu ex natura rei inter gradus; ſed negant realem. Conſequentia patet, quia ſi perfectio iſta realiter identificatur cũ entitate indiuidui, quod producit hanc, producit & illam, alioqui produceret idem, & non produceret idem, quia non produceret perfectionem, quæ eſt idem cum entitate. Gradus indiuiduſ ſunt vna realis entitas.

Dices ad hoc vt perfectio hæc indiuidua tribuatur, vt effectus ſoli Deo reſpondens, ſatis Vide P. Vaſq. t. 2. diſp. 179. c. 4. probantem nullam rationem reperiri in creaturis, quæ non reſpondeat cauſæ primæ, & ſecundæ, quod etiã d. 1. p. diſp. 44. c. 5.

Digitized by Google

esse quod pendente tota entitate eius reali ab influxu causæ secundæ, secundum illam rationem specialem in eo consideratam, non possit pendere nisi à Deo; quemadmodum licet tota entitas visionis beatæ sit à lumine, & ab intellectu indiuisibiliter; tamen ratio supernaturalitatis pendet à lumine principaliter, & respondet lumini, sine quo nihil ad eam potest intellectus, & ideo asseritur necessarium lumen; ergo & in proposito ad hoc vt probetur necessitas concursus causæ primæ cum causa secunda, sufficit vt in effectu sit aliqua ratio ipsi soli respondens, etiamsi tota realitas pendeat ab vtraque.

Sed contra est, quia causa naturalis non habet proportionē ex se sola cum effectu supernaturali, & ideo indiget elevatione diuina ad hoc vt proportionetur effectui supernaturali: intellectus igitur vt concurrat ad visionem eget lumine, vel simili auxilio, cui respondet ratio supernaturalitatis in visione; at causæ naturales habent proportionem cum effectibus naturalibus, ad quos producendos institutæ sunt, & ideo non est fundamentum, sufficiens adstruendi perfectionem vllam naturalem in istis, quæ non respondeat causis naturalibus secundis.

Dices fundamentum esse, quia ratio specialis seu effectus secundum hanc rationem non continetur in virtute causæ. Sed contra est ratio, quæ

Quartò, obstat huic positioni, quia non est opus vt causa contineat effectum, nisi virtualiter, vel eminenter, ad hoc vt dicatur illum producere, sed quod Deus ipse cōtinet formaliter has perfectiones indiuidualis creaturæ, sed eminenter. Vnde & Aristot. 2. Phys. t. 26. Homo enim generat hominem, & sol, & vniuersaliter causæ superiores virtualiter tantum continent plures effectus inferiorum, ad quos concurrant. Igitur causæ naturales institutæ ad effectus singulares producendos eminenter, ac virtualiter in se illos continēt vt singulares sūt.

Sufficit cōtinentia virtualis effectus in causa, vt illum producere possit.

Confirmatur, quia sicut per generationē viuentium communicatur natura genitis, ita per generationem huius viuentis communicatur natura cum talibus conditionibus à quibus petitur indiuiduatio. Et istæ habent maiorem conuenientiam, & similitudinem cum suis causis, quàm cum alienis, vt apparet in filiis, in quibus tanquam imaginibus repræsentantur parentes, vt docet Aristot. 2. Polit. c. 2. & S. Basil. epist. ad S. Greg. Nazianz. de vita in solitudine agenda, init. & idem est de reliquis animantibus, quarum proles genitoribus est similior, quam extraneis ob singularem quandam characteristicam proprietatem indiuidualium ipsis communicatam; quo posito quæ vlterior perfectio indiuidualis quærenda in ipsis, quæ in Deum solum auctorē refundatur?

Quintò, Præcisa per intellectum hac perfectione remanet realis entitas, quam perfici & constitui dicis ab illa; at hæc est singularis, quia exiliit actu, ergo vt hæc numero à solo Deo pendet: non enim est maior ratio cur perfectio singularis habeat pro causa solum Deum, & non pariter habeat entitas realis hæc numero; consequens est absurdum, quia sic totus effectus esset à Deo solo.

Sextò, Dicis perfectiones istas indiuiduales creaturarum esse simpliciter simplices & communes Deo, qui continet omnes perfectiones creaturarum eminenter: quæro an perfectio specialis Socratis contineatur vt quid distinctum à ratione hominis, animalis, viuentis &c. non puto te concessurū, quia continentia realis est; atqui realiter non distinguuntur dicti gradus, sed sunt vna realis entitas; cur ergo non sit eadem eorum continentia, si eadem est entitas, aut cur dicatur Deus solus producere vnam perfectionem, & non alias? non producit illam quatenus eminenter continet, at per modum vnius entitatis continet illos gradus, ergo per modum vnius producit, ac proinde eodem modo, & eadem actione physica ad illorum productionē concurrit, idest vt causa vniuersalis, & prima, cui subordinantur causæ secundæ particulares concurrentes cum illa per eamdem indiuisibilem actionē, vt suppono cum communi sententia, à qua non discrepas; & quamquam intellectus noster cum fundamento in re distinguit varios gradus, & prædicata quorum vniuersalissimum tribuit Deo, vt causæ primæ, ac communissimæ; cætera tamen assignat causæ secundæ, sicut & totam realem entitatem, quidni igitur assignet etiam perfectionem istam specialem? Quia (inquis) est simpliciter simplex & nulli creaturæ communis, sed huic tantum indiuiduo, ac Deo, & ideo in nullius creaturæ virtute continere. Sed contra est

Septimò. Quia hinc sequeretur tollendas relationes inter causas, & effectus creatos, v.g. Socratis ad Sophroniscū patrē, nam quicquid sit respectus iste iuxta varietatē sententiarum differentiū de natura relationis conuenit inter omnes filium non referri ad parentē vt homo est, quia sic omnis homo referretur, sed vt talis filius est secundum specialem perfectionē indiuiduj; quod si secundum hanc non pendet à patre, sed à solo Deo, neque vt talis filius respiciet talem parentē, sed solum Deum. & idem est de reliquis effectibus respectu suarum causarum, quas peculiari habitudine respiciunt, non vt tales in specie sūt simpliciter sed vt talis in indiuiduo, & per talem actionē producti.

Hinc sequeretur tollitrelationem inter causam & effectū.

Confirmatur, quia si hoc indiuiduū numero quod productum est à causa 2. accepisset esse à solo Deo, puta si Abel idē numero genitus ab Adamo, & Eua, creatus fuisset à Deo, nihil illi intrinsecum deesset, quo minus referretur ad illos, & tamen neque filius esset, neque habitudinem diceret, quia deesset actio generatiua vt fundamentū relationis, ergo ista accedente accedit fundamentū relationis non ad Deum, sed ad genitores, ergo ab ista actione pendet relatio hæc specialis, & proinde Abel secundum perfectionem indiuiduālem, quæ in hoc casu nihil addit reale intrinsecum Abeli, sed solum extrinsecum connotatum fundamenti relationes, quæ est generatio, qua posita Abel refertur ad Adam generantem; ablata non refertur, ex suppositione quod sitā solo Deo productus per creationem.

Octauo, Actus liber indiuiduus secundum vltimam perfectionem liber est formaliter, ergo secundum illam non pendet à solo Deo, sed à potentia libera. Antecedens patet,

Actus liber secundum vltimam perfectionem pendet a voluntate creata.

quia non ſolũ ſpecifice conſideratus; ſed etiam vt hic numero eſt, dignus eſt præmio, vel pœna, tum ſit vel bonus, vel malus; Et vt hic numero potuit elici à voluntate, vel omitti, alioqui eſſet neceſſarius, quod non concedis: & hinc conſequentia probatur, quia quæ à ſolo Deo pendent non dicuntur libere fieri à voluntate nihil in illa influente; quæ vero dicuntur de actu libero, locum habent in ſpecialibus perfectionibus aliarum rerum creatarum, quia tum ratio qua probas neceſſarium Dei concurſum, vel in omnibus valet, vel in nullo; atqui in actu libero conſtat non valere, ergo neque in aliis.

Nonò. Ordo perfectionum, & graduum cum ſit ſecundum rationem reſpondet ordini cauſarum vt etiam ſecundum rationẽ diſtinctæ concipiuntur, v. g. eſſe ſubſtantiale, corporeũ, viuens, ſenſibile, reſpondent cauſæ productiuæ vt habet virtutes diuerſas ratione dantes eſſe effectui, in quo ratio diſtinguit hos gradus conuenientes in eſſe quod, habent à prima cauſa, hoc autem non habent in re, niſi quia ſunt in tali eſſe determinato, & vniuerſaliter de nullo ſingulari affirmatur gradus ſuperior niſi ſuppoſito inferiori, non enim valet dicere Eſt animal, ergo homo, ſed vice verſa. Si ergo perfectio ſpecialis pendet à Deo ſolo, vel in ſigno rationis, quo concipitur accipere eſſe, intelliguntur alij gradus poni in eſſe vel non: ſi primum, cum per eamdem actionem concipiantur illud accipere, per quam & ipſa ſpecialis perfectio, & hæc actio ſit vna, & indiuiſibilis Dei, & creaturæ, non eſt quod dicatur à ſolo Deo fieri: ſi ſecundum, ergo vel ante concipiuntur producti illi gradus, quàm ſpecialis perfectio, & hoc non, quia nihil producitur niſi in individuo exiſtens; vel poſt; & hoc eſt abſurdum, quia conciperetur Socratis exempli gratia, prius productus quàm ſenſibile, viuens, & cæteri eius gradus, ac proinde concipereretur Socrates, ideſt hoc ſenſibile, viuens, &c. ſine ſenſu, vita, &c.

Neque dices abſtractiue concipi, quia tale individuum humanũ eſſentialiter eſt ſentiens, viuens, nec abſtractiue, aut præciſiue poteſt concipi à vita, & ſenſu, multo minus ſine illis produci, cum nihil ſit realiter ab illis diſtinctum; imo etiamſi diſtingueretur gradus individualis ex natura rei ab aliis gradibus, numquam tamen poſſet concipi produci ſine illis, ſiquidem realitas, ſiue entitas realis eſt quæ producitur, & actionem terminat, non autem gradus iſte præciſe, vel vllus aliorum.

Quamquam quid opus eſt in re phyſica, & effectu per phyſicam actionẽ producta recurrere ad gradus metaphyſicos, & ad diſtinctiones rationis, vt per illas probetur neceſſarius concurſus immediatus primæ cauſæ, quia gradus, ſiue perfectio iſta ſpecialis illum poſtulat, ſi non diſtinguitur in re ab effectu individuo, ac proinde non habeat realiter aliam exigentiam concurſus diuini, & quæ fingitur peculiaris ſit ſolum, quatenus per intellectionem diſtinguitur hæc perfectio, ac proinde non poſſit exigentia peculiaris eſſe ſine fictione intellectus. Diſcurſus quidem S. Thomæ ex libro de cauſis probans neceſſitatem concurſus primæ cauſæ ſolidus eſt, quia in omnibus gradibus metaphyſicis inuoluitur ratio entis, quæ formaliter poſtulat cauſam, cui adæquate reſpondeat, qualis nulla ex creatis eſſe poteſt, quia nulla reſpicere poteſt quicquid eſt ens, cum quælibet, ſit determinatæ actiuitatis; & præterea nullus eſt gradus, ad quem non concurrat cauſa ſecunda, eo quod omnes ſint vna realis entitas, in qua nihil eſt fingere ad quod non concurrat cauſa prima, & ſecunda. Sed non ita ſe habet diſcurſus ſupra poſitus; intendés probare ſpecialem perfectionem individui eſſe ſimpliciter ſimplicem, & non contineri vllo modo in virtute creata, ac proinde requiri ad illam concurſum primæ cauſæ: profecto valde difficile eſt videre efficaciam argumenti metaphyſici, ſi tota entitas realis quæ pendet à Deo, pendet etiam à creatura, & vice verſa, quod cum concedatur, non apparet deinde vis conſequentiæ, ergo neceſſarius eſt diuinus concurſus; ſi quidem totum quod eſt in re præciſo opere intellectus fieri poteſt à creatura: & conſequens videtur falſum ex falſo ſuppoſito, quod requiratur diuinus concurſus, quia in effectu reali intellectus fingit diſtinctionem rationis, quæ non valet ad inferendũ, quod Deus iccirco immediate concurrat, & ſe ſolo illam producat. Quomodo enim hoc ſequitur ſi perfectio ſpecialis non eſt quid diſtinctum à re cuius eſſe dicitur, ac proinde nec terminare, nec exigere diuerſam actionem ab illa qua res producitur, quæ eſt communis Deo, & creaturæ? Vel ſi concedas actionem diuerſam ad illam terminatam, concedas etiam oportet terminum diſtinctum, ac proinde gradum metaphyſicos ita inter ſe diſtingui, vt poſſint eſſe termini diuerſarum actionũ, quæ omnia, opinor, non admittis, ſicut neque diſtinctionem inter illos, niſi per intellectũ cum fundamento in re. Quæ forte non erat opus tam prolixe tractare ob nouum argumentum; ſed non poteſt eſſe cura ſupernacanea, quæ noſtram de auctore exiſtimationem declarat, & tamen interim plus veritati defert, quàm minime fauere nobis viſum eſt argumento apparenti, & æquiuocatione laboranti.

Ad fundamentum vero ipſius reſpondeo primo dato, & non conceſſo antecedente, quod nullum detur ens quod non habeat aliquam perfectionem nulli creaturæ communem, ſed ſolum Deo, nego ſequelam ergo ſolus Deus poteſt illam producere. Ad probationem, cauſa debet continere effectum in ſe; at nulla creatura continet perfectionem hanc ſoli Deo communem, diſtinguo maiorem, de continentia eminentiali, & formali, prima ſufficit ad hoc vt cauſa poſſit producere effectum, vt patet in cauſis æquiuocis, & ſuperioribus, & hanc habent omnes cauſæ creatæ in ordine ad effectus, quibus producendis ab auctore naturæ ſunt inſtitutæ; alioquin in omni effectu etiam ſimpliciſſimo eſſet aliquid productum à ſolo Deo, & aliquid à creatura cum Deo, quod ſupra reiectum eſt: vel ſi hoc negetur, concedendum eſt cauſam creatam attingere ſua actione quicquid attingit prima, & gratis requiri concurſum ob ſpecialem perfectionem non communem, ac aſſeri quod non contineatur hæc in virtute cauſæ creatæ.

Digitized by Google

Secundò, Respondeo distinguendo hoc antecedens, Nullum datur ens, quod non habeat aliquam perfectionem nulli creaturæ communem; nam vel accipitur perfectio vt ſgradus ab intellectu conceptus, & transeat antecedens: ſed tunc negatur conſequentia, ergo ad illam neceſſarius eſt concurſus diuinus, à quo ſolo poteſt produci; eſt quippe fallacia accidentis à formalitate per intellectum ad productionem phyſicam, & realem effectus indiſtincti ab illa perfectione, & producibilis à cauſa creata: Vel accipitur perfectio ſpecificatiuè in ſenſu reali, & negatur antecedens, quia nullum datur quod non habeat entitatem realem conuenientem cum aliis entibus vel generice, vel ſpecifice, ideſt à quo non poſſit intellectus abſtrahere prædicata communia aliis præter Deum; & ſi daretur, ſi contineatur in ſphæra effectuum producibilium à creatura, eminenter continetur in virtute cauſarum creatarum, ſecundũ totum id reale quod in ſe habet: vnde ex hoc capite non infertur neceſſitas immediati concurſus, neque probatur efficaciter contra Durandum in 2. diſt. 1. q. 5. quod cauſa creata non habeat ſufficientem ex ſe virtutem ad operandum. Et hæc quæ dicta ſunt de ſpeciali perfectione indiuidui, valent etiam ad probandum contra perfectionem non communem gradus generici, & ſpecifici contradiſtincti ab altero gradu; omnes enim iſti gradus ratione tantum diſtinguuntur à reali entitate effectus pendentis à prima, & ſecunda cauſa: Neque duæ probationes præmiſſæ in argumento initio poſito plus euincunt, & ſi euincerent, eſſent contra auctoritatem negantem diſtinctionem inter gradus metaphyſicos, niſi rationis; Imo ſi maior etiam daretur cum Scoto non probaretur inde intentum, vt oſtenſum eſt.

Argumentum laborat fallacia accidentis.

Multo minus ipſeruit hæc doctrina ad probandum primum motorẽ eſſe immobilem, ex quo infertur Dei exiſtentia, nam perfectio illa quam addit motus rei motæ continebatur in ipſius virtute, non ſecus ac reliqui effectus ab illa manentes, v.g. motus Angeli, quo ſeipſum, vel corpora mutat de loco in locum, non minus continetur in eius virtute motiua, quàm actus intelligendi, & volendi in intellectiua, & volitiua; ideo ex hoc capite continentiæ effectus in cauſa non probatur neceſſitas primi motoris immobilis, ac proinde neque Dei exiſtentiæ; quia neque probatum eſt quod cauſa creata nõ habeat virtutem extendentem ſe ad perfectionem, quam addit motus adueniens.

Hinc non probatur quod detur primus motor immobilis

Ac neque valide hinc oſtenditur recurrendum eſſe ad primam cauſam pro determinatione indiuiduorum; Aſſumitur enim quod eſt probandum cauſam, puta Ignem A cum hoc aggregato circumſtantiarum non continere in ſe eminenter ſeu in virtute ſuæ prædicata indiuidualia ignis B, cum enim naturaliter poſſit producere alios ignes, continet illos, ac inde perfectiones ipſorum indiſtinctas ab effectis, in ſua virtute; ideoque poſitis neceſſariis operatur neceſſariò: Quod ſi requiritur concurſus primæ cauſæ, non prouenit hæc neceſſitas ex eo quod ſecunda non habeat virtutem producendi ſibi ſimile; ſed propter rationem vniuerſalem ſupra explicatam dependentiæ omnis creaturæ in eſſendo, & operando à creatore; & particularem in propoſito, vbi nulla eſt determinatio ad productionem vnius indiuidui potius quàm alterius, niſi à prima cauſa peratur: quam tamen alij in ſeriem cauſarum referunt.

Neque neceſſitas determinationis indiuiduorum per primã cauſam.

Concilium Tridentinum minus fauere opinioni Durandi à recentioribus innouatæ.

CAPVT XXI.

COnqueritur auctor quadrip. de notis opinioni Durandi ab aduerſariis inuſtis, minime inurendis, ſi attentius definitionem Concilij Tridentini penſitaſſent, quæ accurate perpenſa poterit arietare, & concutere totam machinam rationum, & auctoritatum, quibus ſe muniuere defenſores concurſus immediati.

Habetur illa ſeſſ. 6. can. 6. iis verbis: *Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere; ſed mala opera ita vt bona Deum operari, non permiſſiue ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe; adeo vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, Anathema ſit.*

Hic loquitur concilium non ſolum de malitia peccati; ſed etiam de actu ipſo materiali, vt ipſemet docet Soar. de concurſ. Dei lib. 2. cap. 2. & Paret ex eo quod definit contra hæreticos huius temporis, qui non dicunt Deum per ſe, & directe intendere formale peccati, aut per ſe illud operari, ſed volitionem ipſam malam, non culpam illi annexam, vt diſerte Caluinus apud Bellarm. l. 2. de amiſſ. Gratiæ c. 2. & 5. & P. Ruiz de vol. Dei, diſp. 31. à ſect. 2. recitantes textus eius, & aliorum hæreticorum.

Hinc infert 1. Aduerſarius mentem Concilij fuiſſe excludere omnem cauſalitatem per ſe ad actum peccati per illa verba proprie, & per ſe: at ſi concurrit eodem concurſu quo voluntas creata, non permiſſiue ſolum, ſed poſitiue, & per ſe concurrere dicendus eſt; quia proprie efficit, ſicut voluntas ipſa, & non tantum permittit; non enim qui permittit, proprie dicitur efficere, alioqui etiam mala quæ permittit Deus vt formaliter mala ſunt, efficeret; neque qui efficit permittere dicitur, ſed proprie cauſat; & proinde Concilium negat Deum mala proprie, & per ſe operari; concedit autem illa permittere diſtinguens operari à permittere; quæ vana eſſet diſtinctio, ſi ea quæ permittit, operaretur.

Secundò, Sicut ſunt contradictoria Omnis homo eſt albus, Aliquis homo non eſt albus: Ita ſunt contradictoria Omnis actus humanus fit à Deo proprie, & per ſe operante, Aliquis actus humanus, ſcilicet peccaminoſus, non fit à Deo proprie, & per ſe; Atqui prima eſt tua aſſertio, ſecunda eſt Concilij definitio. Ergo vel tu contradicis Concilio, vel tibi Concilium.

Tertiò, Causam agere immediate, & proximè est directè & per se influere, vt Soar. lib. primo de concur. cit. c. 4. n. 4. ergo si Concilium definit Deum non operari per se, & propriè mala, consequenter definit quod neque proximè, neque immediatè.

Quartò, Ex communi Theologorum consensu Causa per se est illa, quæ in omni euentu necessariò requiritur ad effectum, quem dicitur operari, & quæ talis est, non potest esse causa per accidens vt Heru. in 2. d. 25. q. c. Si ergò concursus Dei requiritur ad omnem actionem humanam etiam liberam, erit causa per se, & propriè peccaminosæ contra concilium.

Adde ad hominem asserentem in permissione includi oblationem concursus indifferentis, & non determinati ad vnam partem, non posse identificari cum actione creaturæ, quæ determinata est; sed esse aliquid antecedens, quod per se non est prædetermination vlla causæ, igitur erit conseruatio. quod argumentum est contra negantes physicam prædeterminationem & asserentes Deum offerre concursum indifferentem voluntati, etiam in iis quæ solum permittit; & multo magis militat contra prædeterminatores.

Ego verò ex hac concilii auctoritate nihil accedere roboris sententiæ Durandi, plurimùm nostræ, inducor vt credam coniecturis non leuibus.

Primò, quod sæpe aduertunt Theologi, quando conciliorum auctoritatibus pars vtraque, vel alterutra se munit, sic vbi fulmina anathematum contorquent in hæreses; aut doctrinæ radiis errorum tenebras dissipant, quibus sanam fidem, rectamque deprauant, nequaquam maiestatem suam demittunt ad controuersias inter Scholasticos agitatas dirimendas: sed relicta Scholis libertate differendi pro suo cuiusque placito, & ingeniorum exercitatione, altiora decernunt ad religionis, ac morum disciplinam conducibilia. Idem igitur in re præsenti de Tridentino existimare par est, abstinuisse nimirum à quæstione pæne philosophica de immediato concursu Dei, quæ nullum tunc negotium facessebat ecclesiæ; & studia, curamque omnem conuertisse ad profligandos errores, ac blasphemias hæreticorum in Deum referentium Iudæ proditionem, & Petri negationem, æque ac Petri vocationem. Sed esto, huc etiam descenderit Tridentinũ, & magnis Patribus cura laborque fuerit docere, definireve aliquid de Dei concursu cum humana voluntate, est-ne prudentis Theologi iudicare causam ab illo adiudicatam vni, vel alteri Scholasticorum, & nigrum theta præfixum vniuersis Academiis Theologicis tanto consensu, tam multis sæculis sacram Scripturam, sanctosque Patres de concursu immediato interpretantibus: scilicet vt vnius Durandi, vel Aureoli patrocinium susciperent viri sapientissimi, æquum, iusque censuere Principes Theologorum S. Thomam, Bonauenturam, Scotum, & clarissimos eorum commentatores damnare. Apage tales coniectationes, & tutamenta à Concilio labanti sententiæ.

Secundò, Verum quidem est puduisse hæreticorum aliquos immanis effati, & proiectæ audaciæ affingentis Deo impulsum, ac determinationem voluntatis creatæ ad omnia opera tam mala, quàm bona, vt refert Soar. lib. 2. de concurs c. 2. ex Catholicis scriptoribus, & Bellar. ac Ruiz loc. cit. & ideo tentarunt obducere turpitudini propudiosæ velum distinctionis à Scholasticis, alioqui exosis mutuatæ de materiali, & formali peccati, ne Deum eius auctorem facerent; sed perperam, vt enim Bellarm. lib. 2. cit. ex verbis ipsorum ostendit, quicquid subterfugiant, tandem laqueos blasphemiæ non effugiunt, Deumque peccati auctorem, & peccantem faciunt. P. Soar. Ruiz. Bellarm.

Inuictus certè athleta Christi, & in certamine pro fide Catholica victor gloriosus P. Edmondus Campianus Ratione octaua ex decẽ Academicis Anglis oblatis profert paradoxã, & ἀνάκρισιν totidem vocibus hæreticorum concinnata, qualia sunt, Deus est auctor peccati, & causa volens, suggerens, efficiens, iubens, operans, & in hoc scelerata consilia gubernans. Proprium Dei opus fuit vt vocatio Pauli, sic adulterium Dauidis, Iudæque proditoris impietas. *Monstrum hoc, subdit Camp. cuius Philippum aliquando puduit, Lutherus tamen, à quo Philippus hauserat, quasi oraculum cœleste miris extollit laudibus.* Hæc igitur portenta abominata S. Synodus anathemate percussit eorum fabricatores; parcit calamis fouentibus pietatem, & confitentibus indigentiam diuinæ opis in singulis creaturarum operationibus, etiam liberi arbitrii sine eadem mouere se non valentis ad deliberandum. Trident. nihil habet contra cõcursum immediatum Dei ad operationes liberas.

Tertiò, Duos errores inuicem connexos damnat ibi concilium, cum quibus nulla prorsus est affinitas veritati de concursu immediato cum causis secundis. Alter est de libertate arbitrij, quam tollebant hæretici relicto nudo titulo sine re, vt patet ex verbis, *Si quis dixerit non esse in potestate hominis, &c.* Alter hoc peior, ac detestabilior, quod Deus omnes actus tam malos, quam bonos operaretur, ex verbis sequentibus; *Adeo vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.* Sed vtraque sententia Catholicorum asserentium, aut negantium concursum immediatum abominatur hæc insana commenta: non ergo contra alteram dirigit sua tela concilium, sed in nouum dogma tollens libertatem arbitrij, & Deum operatorem malorum faciens.

Quartò, Definitio concilij non est de omnibus operationibus causarum secundarum; sed de liberis creatæ voluntatis; non igitur ea iuuatur sententia Durandi vniuersaliter negantis immediatum concursum Dei: non n. valet illatio negatiua vniuersalis à particulari & inferiori negatiuo, secundum regulas Dialecticæ, non est homo, ergo non est animal; non cõcurrit ad actiones liberas, ergo ad nullas. Sed neque validæ sunt istæ sequelæ, Permittit Deus opera mala, ergo non concurrit ad entitatem materialem ipsorum, quæ est quoddam bonum, & proinde à summo, & absolute bono: Aut quod idem est, Deus non est propriè, & per se causa mali operis, sed solum permissiua, ergo non concurrit ad illud positiuum, quod habet in se immediatè, quia plura requiruntur ad esse causam per se,

quàm ad agere immediate, vt paulò post ostendam. Neque item sequitur, Deus est causa necessaria, ideſt sine qua non potest esse actio mala, nisi immediate concurrat, ergo est per se causa mali; quia etiam ad hoc secundum plura sunt necessaria, quàm ad primum. Multò minus inferri potest, Deus concurrit ad actionem, quæ est substratum peccati, ergo Deus est causa per se peccati formaliter; aut quod deterius est, non minus proprium ipsius opus est proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli. Nouerant quippe doctissimi Patres in Synodo coacti distinctionem, quam plurimi ipsorum Theologiæ professores in Academiis disseminauerant de entitate positiua peccati; & de malitia in priuatione consistente, vt ostenderent ita Deum vt naturæ conditorem ad illam concurrere, quin partem vllam ad hanc haberet: & Paulum spirantem minas, ac cædes in discipulos Christi solum sua gratia præueniſſe; Iudam vero proditorem tantum suo concursu naturæ debito non destituisse, à quo destitutus ipse fuerat, admittente in cor suum Diaboli immissionem vt traderet, respuente inspirationem, & Christi benigna inuitamenta vt resipisceret: quod & imitantur sceleratorum patratores, quos terret Deus minis, incitat sanctis cogitationibus, inuitat exemplis, & iccirco non dicitur causa malorum quæ seuere prohibet, sed potius omnipotens, ac sapiens prouisor qui creaturæ à se conditæ non deficit, & iuxta exigentiam naturæ cuiuslibet exhibet concursum suum, quod erit repetendum inferius in solutione argumentorum.

Notandæ pro solutione argumentorum ex Concilio Trid. factorum.

CAPVT XXII.

SOlutio reliquorum deferenda est in proprium locum inferius reseruatum: nunc duo dumtaxat attingenda, quæ ex concilio sibi fabricauit aduersarius, & suo quidem iudicio insolubilia, nostro ne difficilia quidem. Primum pertinet ad causam proprie, & per se. 2. ad causam permissiuam illi contradistinctam. Pro primo

S. Bonau. Notandum est ex S. Bonau. in 1. dist. 46. a. 1. q. 3. in resol. in cognoscitiuis ad causam per se requiri vt operentur ex intentione operis quod producunt. *Causa* (inquit) *per se ducit circa illud circa quod ponitur, quod ei præcedens, & intendens.* In quo distinguitur non solũ à casu, qui vt ibidem subdit, priuat intentione, quæ non est sine cognitione, sed etiam à causante cum cognitione sed præter intentionem, vt contingit quando euenit effectus non prouisus, putasi fodiens terrã inuenit thesaurum, vt ex Aristotele Soar. disp. 19. Methaph. sect. 12. & quando præuidetur quidem, sed non est volitus ab agente, quantum est in se; quomodo petens mutuo pecunias ab vsurario exposito ad dandum, non dicitur per se causa vsuræ præuisæ, quam soluet.

Requisita ad causam per se in cognoscitiuis.

Clarius id explicat idem S. Bonau. in 2. dist. 37. a. 2. q. 2. ad arg. *Dicendum*, inquit, *quod aliter dicitur accidens de ente, prout est differentia entis; aliter prout est differentia causæ. Prout est differentia entis dicit habitudinem ad subiectum, quæ quidem positio est, non priuatio: prout autem est differentia causæ, dicit priuationem intentionis, per quam aliquid dicitur esse causa alicuius per se, &c.* Igitur ad causam per se requirit S. Bonau. intentionem agentis. Et quanquam Deo non conuenit modus agendi per accidens ex casu, & cum defectu cognitionis, qui interuenit in causis creatis vt ibidem Doctor Seraph. tamen competit modus agendi præter intentionem, quia quantum est de se non intendit actionem malam, quam prohibet, concurrit tamen ad entitatem eius sciens, & volens, vt munere fungatur communis moderatoris, ad quem spectat præsto esse creaturis in operando; quemadmodum neque est causa per accidens, quod est operari per aliquid quod non sit ab ipso, vt idem S. Bonau. in 1. dist. 12. a. 1. q. 1. licet agere possit per creaturas quæ ab ipso sunt, & agunt per virtutem eius.

Hocidem docet S. Thom. 1. p. q. 49 a. 2. c. sed quod dicitur sapientiæ. 1. quod Deus mortem non fecit, intelligitur quasi per se intentam. & q. prima de Mal. a. 3. c. Illud quod per se causam habet, est intentum à sua causa, quod enim prouenit præter intentionem agẽtis non est effectus per se, sed per accidens; non semel distinguens causam in eam quæ nihil operatur, & in eam quæ præter intentionem, vt de Potentia q. 3. a 6. c. & in 1. dist. 46. a. 2. 3. & alibi. & Soar. in Met. disp. 17. à sect. 2. sic explicans S. Thom. 1. p. q. 49. a. 2.

Cum igitur Deus non intendat actiones malas voluntatis creatæ, non potest dici causa per se illarum; quo sensu dixit S. Augustin. ad artic. sibi falsò impositos a. 6. *Sicut Prauaricatoribus Angelis Deus non intendit illam, quæ in voluntate non steterunt voluntatem, ita nec hominibus hanc affectum quo Diabolum imitantur, inseruit.*

Atque ita in forma ad argumentum concedo Deum immediate concurrere ad actionem peccaminosam vt ens est positiuum; sed nego esse causam proprie, & per se illius, quia non intendit illam: cuius intentionis defectu dicitur permittere, etiamsi coefficiat, quia permissio non excludit voluntatem positiui concursus, sine quo nusquam fieret quod permittitur; sed solum intentionem vt fiat. Et hanc Deus non habet, etiam si nolit impedire potentiam liberam; neque ei denegare necessaria ad operandum pro libito, sicut neque aliis agentibus naturalibus ad operandum determinate hoc vel illud iuxta naturam suam. Ideo negandum est quod permittere peccatũ, vt dicit substratum, sit membrum contradistinctum ab eo quod quouis modo includit positiuum concursum, nam contra distinguitur ab operari cum intentione directa vt illud fiat: quæ si absit causa operans, non dicitur proprie, & per se causa effectus minime intenti.

Ad causam proprie, & per se requiritur intentio effectus.

Neque modus hic respondendi alienus est à regulis posterioristicis. Aristoteles enim 1. Arist. 1. Post. c. 4.

Digitized by Google

lib. Poſt. c. 4. de tertio modo dicendi per ſe ait: *Quæ igitur non de ſubiecto, per ſe dico, Quæ vero de ſubiecto, accidens.* Ideſt, illa ſunt per ſe, quæ de alio ſubiecto non dicuntur, vt ſubſtantia; Per accidens autem quæ de ſubiecto alio, vt accidentia: ſubſtantia enim non ideo exiſtit, quia aliquid aliud exiſtat, ſed ipſa per ſe exiſtit: Accidens vero exiſtit, quia aliquid aliud exiſtit; ideo non eſt per ſe, ſed per ſubiectum in quo eſt, v. g. ambulans ideo exiſtit, quia ſubiectum exiſtit, & album, ac ſimilia. Sic in propoſito ideo exiſtit concurſus Dei ad proditionem Iudæ, quia exiſtit concurſus Iudæ, non enim Iudas proditorem agit, quia Deus coagit, ſed vice verſa; & ideo Deus non eſt cauſa per ſe proditionis, etiam materialiter ſumptæ.

Et de quarto modo qui eſt per ſe cauſandi docet idem Ariſtotel. oportere, vt alter terminorum alterius cauſa ſit (& loquitur de extrinſeca) vt ſi dicatur Iugulatus interiit, eſt propoſitio per ſe, ſi propter iugulationem interiit; ſecus ſi alia ex cauſa, tunc enim iugulatio non dicitur cauſa mortis per ſe. Sic igitur quia concurſus Dei non eſt cauſa cur actio ſit peccaminoſa neque de ſe quod ſit in tali determinata ſpecie, cum ſit paratus ad oppoſitam, & non intendat malam, non dicitur Deus cauſa per ſe actionis malæ, neque hæc propoſitio Deus concurrit ad proditionem Iudæ eſt propoſitio per ſe; ſed bene hæc altera Deus concurrit ad conuerſionem Pauli, quia illam efficit, & intendit; ita vt ſit verum dicere, ideo Paulus conuertitur, quia Deus illum conuertit, non vice verſa; & propterea Concilium Tridentinum pronunciat Deum eſſe cauſam proprie, & per ſe bonorum operum: ad mala autem permiſſiue ſe habere, & nihil fauet aduerſario, etiamſi poſitiue concurrat ad materialem actionem.

Inſtabis, quia entitas actionis malæ eſt quoddam bonum, ergo & appetibile, cur ergo intendi non poteſt?

Confirmatur ex S. Auguſt. l. 83. qq. 3. Hoc eſt aliquid fieri Deo agente, quod Deo volente: vult ergo Deus omnem actionem, quam efficit; velle autem non poteſt, niſi & intendat: Sicut neque permittere niſi volendo, ex eodem S. Aug. in Enchir. c. 100. *Neque vtique nolens ſinit, ſed volens.*

S. Auguſt.

Reſpondeo eſſe appetibile late ſumi pro omni obiecto in quod voluntas poteſt tendere; & ſtrictè pro illo quod poteſt etiam directe, & per ſe intendere: primo modo dicitur etiam de entitate actus mali, quem Deus impedire non vult, & ideo nec ſubtrahere illi ſuum concurſum; ſed hæc eſt appetibilitas improprie. 2. modo non eſt appetibilis, quia licet ſit ens & bonum quoddam; tamen hic & nunc in talibus circumſtantiis non eſt appetibilis, ſed odibilis.

Appetibile late ſumitur.

Ad confirm. explicat S. Auguſtinum Soarius lib. 2. de concur. c. 3. de voluntate non ſolum efficaci, & abſoluta, qua directe vult aliquid fieri; ſed etiam permiſſiua, qua ſinit liberum arbitrium operari, vt vult, etiam quod ipſe prohibet fieri, iuxta illud Auguſt. ibidem. *Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius ſit voluntatem, quia non fieret, ſi non ſineret.* Sed tunc negandum eſt quod intendat per ſe, & directe operationem malam, quam vult permittere: Poteſt enim eſſe concurſus ad aliquid non intentum per ſe à concurrente, v. g. interfectio amici ab explodente ſclopum in bello, quo feriuntur hoſtes mixti conſanguineis, aut amicis, quos feriens ſaluos vellet; & tamen interficit fungendo ſuo munere, pugnandi ſcilicet pro patria, aut pro Principe, cui victoriam procurat.

Ita Deus fungitur munere conditoris, & moderatoris vniuerſi, dum ſua potentia adſiſtit cauſis ſecundis tam neceſſariis, quàm liberis, quia ſine illa operari non poſſunt: ſed cum illis determinate ad vnum; cum iſtis indifferenter ad oppoſita, inter quæ computatur etiam mala, relicta de cætero facultate determinandi ſe voluntati creatæ, comitante ſuo quidem concurſu, ſed non ac ſi ipſe non haberet dominium iuxta illud Prudentij in Hamarſigenia,

Quocumque ſequendum eſt
Sub noſtra ditione ſitum, paſſimque remiſſum
Alterutram caleare viam, &c. Ex quo patet.

Actus mali non eſt Deus cauſa proprie, & per ſe. Sap 2.

Ad ſecundum argumentum principale, negatur enim maior, quod Deus ſit cauſa proprie, & per ſe omnis actus humani, nam mali non eſt cauſa proprie, & per ſe. An vero ſit dicendus cauſa per accidens, dicam inferius.

Ad tertium negatur antecedens, nam agentia libera, etiamſi immediate agant aliquid, niſi directe, & ex intentione eius operentur, non dicuntur cauſa per ſe; immo aliquãdo nec fuiſſe quidem quod factum ab illis eſt præter intentionem directam. Exemplum eſt paulo ante allatum ex Sap. 2. dicitur Deus non feciſſe mortem, quia illam primaria intentione non voluit, ſed quaſi coactus hominum culpa, licet in pœnam eius vere fecerit, vt Soar. cit. diſp. 17. ſic non eſt cauſa per ſe actionis malæ, quamuis vt cauſa vniuerſalis ad oſtenſionem ſuæ bonitatis, ſapientiæ ac potentiæ non ſubtrahat voluntati ad illum defectum ſuum concurſum, & permiſſiue ſe habeat, vt Soar. ibidem n. 22. & ad 1. 2. diſp. 6. de cauſa extrinſeca peccati, n. 7. & lib. 2. de concurſ. paſſim, Conſentitque P. Ruiz de vol. Dei d. 31. ſect. 7. n. 7. aliud eſſe docens Deum effectiue concurrere ad materialem actionem peccati; Aliud eandem actionem proprie, & per ſe operari. Nam hoc 2. requirit vt Deus pro ſua libera voluntate faciat facere malam actionem determinando, aut impellendo ad illam; quod alienum eſt à Dei bonitate, & ideo permittere dicitur, non proprie operari malum.

Sed adhuc reſtat dubium in argumento propoſitum, quomodo cohæreat concilio neganti Deum operari proprie, & per ſe mala, dictũ Soarij, aſſerentis cauſam per ſe operari, quę immediate influit, & Deum immediate influere in actionẽ malam materialiter ſumptã.

Ad quod reſpondeo exiis quæ habet lib. 2. de concurſ. c. 2. n. 22. vbi explicat quomodo propoſitio illa vniuerſalis præmiſſa lib. 1. intelligenda ſit in ſubiecta materia decauſis liberis. *Hunc vero* (inquit) *negat poſſe refundi in Deum, vt in primum auctorem, & cauſam pro-*

priam, id est ex se determinantem absolute, & efficaciter suum influxum in illum, &c. Loquitur ibi de actu malo quem Tridentinum nefas definit Deo, vt causæ proprie, & per se tribuere, cuius rationem reddit Soarius, & Ruiz loc. cit. quia Deus neque determinat, neque intendit illum; & proinde non sufficit in iis influxus immediatus ad hoc vt dicatur causa proprie, & per se; sed requiritur intentio directa, aut impulsio, qualis est in operibus bonis, ad quæ præbet auxilium vt fiant intendendo ipsa, & non solum concurrendo, vt munus expleat causæ vniuersalis.

Cur Deus non dicatur facere actum malum.

Ad 4. Non omnis causa necessaria ad aliquem effectum dicitur causa per se illius; sed si sit libera, requiritur vt directe illum intendat. Pro quo aduerte Per se dupliciter accipi: primò late vt opponitur contingenti, & coincidit cum necessario; quomodo quælibet causa, sine qua effectus existere non potest, dicit Per se. Secundo stricte, vt opponitur indifferenti, seu indifferenter paratæ ad opposita, & inuoluit determinationem, seu intentionem vnius eorum; ita vt illa dicatur causa per se quæ intendit, aut determinat actionem. Illa per accidens, quæ non intendit hanc, vel illam; sed accommodat se alteri, & illius gratia, cui deesse non vult in necessariis ad libere agendum, concurrit ad vnum, prompta quarit. est de se, concurrere ad oppositum.

Non omnis causa necessaria est per se.

Per se dupliciter accipitur.

Itaque communis sensus Theologorum est quidem, quod omnis causa per se sit necessaria; sed non quod omnis necessaria sit per se, quia in liberis non est per se quæ non ratione sui, seu ex directa sua intentione concurrit, aut determinat; sed attemperat concursum determinationi alterius. Sicut. n. in causis naturalibus illa dicitur Per se, quæ producit effectus propter quos condita est, modo suæ naturæ conuenienti, ideſt determinante, & necessario hos, non illos; ita in liberis illa est causa per se, quæ modo sibi proprio operatur, ideſt intendit aut determinat se ad hunc, vel illum; quæ vero non intendit, neque determinat, & tamen operatur cum altera se determinante, dicitur per accidens. Exemplum est in organo musico, ad cuius vsum concurrunt & attollens folles, mediastinus quiuis de triuio; & peritus musicus, qui ligulas tractet, & percutrat ad numerum digitis arte instructis: & ille quidem cooperatur sono harmonico; sed si aberret hic, & concentum dissonantem efficiat, non dicitur eius causa per se, quia indifferenter inflat, & non intendit malum sonum, ad quem necessaria est opera eius in attollendo. & quanquam nec musicus intendit dissonantiam, tamen est immediata causa determinatiua eius, quæ determinatio sufficit ad hoc vt sit causa per se, cum non coefficiat alteri causæ cui se adaptare debeat.

Instabis hinc inferri quod Deus non sit causa moralis, quia non intendit neque determinat ad operandum hoc potius, quàm illud; sed non probari quod non sit causa physica proprie, & per se, si immediate influit & physice cum voluntate creata.

Respondeo ad hoc vt causa physice operans dicatur causa per se, non sufficere influxum physicum, sed præterea requiri intentionem, aut determinationem ob rationem dictam; hoc videlicet est operari per se. 1. gratia sui, & ex intentione directa operis, non gratia alterius, cui accommodetur concursus ex alio fine.

Ad illud quod addit aduersarius de concursu indifferenti, quem vult esse aliquid antecedens operationem, respondeo concursum Dei indifferentem in actu primo esse potentiam ipsius applicatam per voluntatem, & adsistentem causis secundis, ad hoc vt cum illis exeat in actum secundum, iuxta exigentiam vniuscuiusque ipsarum; & non conseruationem, neque præmotionem tamen, vt infra pluribus.

Soluuntur Argumenta contra immediatum Dei concursum cum causis secundis.

CAPVT XXIII.

PLurima profert Auctor quadripar. disput. præsertim par. 4. à c. 13. tum ex antiquis Scholasticis innouata, & meliori forma, & instantiis locupletata; tum ex recentiorum doctrina deprompta ad confirmandam suam: quæ omnia ferme huc collimant, vt probent cum immediato concursu non stare libertatem creati arbitrij, neque decretum Dei de illo exhibendo; quod magis vrget, indignum esse diuina sanctitate, ac innocentia venire in consortium prauarum actionum, & cooperatorem se exhibere malorum hominum, ac Dæmonum in peccatis; ac proinde esse hoc omnino impossibile. Ex iis seligemus potiora & promouebimus additis firmamentis, & explicationibus ad patefaciendam vim ipsorum, initio facto à primo capite eorum quæ postulant declarationem connexionis libertatis cum simultaneo concursu, & decreto Dei: tum progrediemur ad ea quæ à sanctitate eiusdem desumuntur.

Primum argumentum.

DEus concurrit ad hunc actum v. g. amoris, & non alium puta odij, ergo ab æterno decreuit concurrere. Patet sequela, quia quod Deus facit in tempore, ab æterno decreuit vt S. Aug. lib. 12. Confes. c. 15. sed cum tali decreto non componit actus oppositos, ergo voluntas non potest illum elicere, atque ita non est libera respectu illius.

Neque valet dicere cum Soario, decretum hoc esse conditionatum ex parte obiecti, quia per te nouit Deus quid esset factura voluntas in talibus circumstantiis, & suppositia tali notitia statuit ab æterno concursum quem exhibet in tempore; neque enim negatiue se habuit, etiam fatente te, quandoquidem nec circa illa quæ libere omittit, se negatiue habuit per Soarium l. 3. de Aux. c. 13. fin. rationis secundæ; posito autem hoc decreto non potest non sequi effectus, ad quem terminatur; idque antecedenter, quia nisi præcedat decretum concurrendi, voluntas nihil potest.

Deus non se habuit negatiue circa illa quæ omittit.

Confirmatur primò, quia alioqui Deus præberet ſuum concurſum confuſo, & cœco modo, tenderetque in incertum, quia nil certi ſtatuit niſi in abſtracto quod voluntas creata elegerit, quod ſonat imperfectionem quamdam, & repugnat perfectæ Prouidentiæ, quæ in ſingula determinate fertur.

Confirmatur 2. quia diuerſa ratione procedit Deus cum Sanctis vocationi ſuæ conſentientibus, quàm cum improbis eidem reſiſtentibus, ergo & decreuit diuerſo modo cum vtriſque concurrere, debet. n. concurſus reſpondere decreto illique conformari. Non igitur offert vtriuſque concurſum indifferentem, ſic enim eodem modo cum illis concurreret: Admiſſo autem decreto concurrendi ſic cum iſtis, & aliter cum illis, non magis poteſt voluntas creata reſiſtere diuinæ, quam ſi ſola ſine concurſu creaturæ decreuiſſet effectum producere, aut determinare ipſum ad ita operandum, quod etiam per ſe, lædit libertatem, & inducit neceſſitatem ſolutio difficultatis huius, & aliarum ſimilium petit intelligentiam modi, quo Deus decreuit ab æterno concurrere cum cauſis ſecundis, potiſſimùm liberis; eodem namque concurrit in tempore; & quia in executione eſt abſolutum, efficax, & determinatum ad vnam partem: videtur etiam quod in interitione æterna fuerit tale & quod vt ſe tenet ex parte cauſæ in actu primo paratæ ad agendum ſit abſolutum, & determinatum: cum vero in actu primo dicat diuinam omnipotentiam applicatam per decretum voluntatis ad operandum iuxta exigentiam creaturæ, prout cadit ſuper cauſas neceſſario agentes, certum eſt quod abſolute, & determinate cadit ſuper vnam partem, tam decretum, quàm potentia diuina per illud applicata, & conſtituens completum principium cum creatura ad operandum; ſed reſpectu voluntatis liberæ non poteſt eſſe talis determinatio, & applicatio diuinæ potentiæ ad vnam partem, quia ſic non eſſet libera ad oppoſitam; & cum ex alia parte neceſſaria ſit huiuſmodi applicatio propter ſubordinationem, & dependentiam voluntatis creatæ ab increata ad operandum, videndum eſt

Quomodo per diuinum decretum applicatur omnipotentia ad concurrendum cum voluntate creata.

CAPVT XXIV.

Decretum intentionis & executionis tantum diſtinguitur ab omnipotentia.

Dico cum voluntate: nam cum cauſis neceſſariis certũ eſt decreuiſſe efficaciter ad determinatos ſpecie effectus, ad quos natura ſua ſunt determinatæ. Et loquor de decreto Dei executiuo, per quod vltimo applicatur potentia ad executionem, ſiue deinde diſtinguatur à decreto intentionis imperante electionem mediorum, ſiue non, de quo peculiaris erit diſputatio. Nunc ſuppono 1. neutrum diſtingui ab omnipotentia, neque vtrumque ab eſſentia, niſi ratione ratiocinata, quicquid deinde dicat de formali vnum differens ab alio; de quo non eſt hic locus diſſerendi, tum Decretum concipi per modum actus ſecundi voluntatis diuinæ, per quem applicet omnipotentia, id eſt quo velit ſuam potentiam infinitam aſſiſtere creaturæ, vt compleatur in ratione principij operatiui, & ſic in actu primo potens proximè exire in ſecundum, ita vt ex ipſa tanquam cauſa prima independente, & voluntate creata, vt cauſa ſecunda ipſi eſſentialiter ſubordinata, & dependente, conſtituatur integrum principium volitionis in noſtra ſententia; nam contraria negans concurſum immediatum Dei, putat ſuperuacaneam applicationẽ huiuſmodi contenta creatione, & conſeruatione virtutis de ſe potentis operari ſine cooperatione Dei, dummodo velit non impedire, ſed ſinere voluntatem, ſicut & alias cauſas peragere curſus ſuos, vt ſupra vidimus, & reiecimus. Verum in communi ſententia requirente applicationem diuinæ virtutis, ac potentiæ cum voluntate creata, remanet controuerſia de modo applicandi; & ſi enim conuenit inter omnes id fieri per decretum æternum; non tamen an hoc decretum ſit abſolutum, vel conditionatum; an ſit vnum vel multiplex ratione diſtinctum; an antecedens vel concomitans operationem voluntatis, an tendens in diſiunctum actuum oppoſitorum, vel in vnum determinatè. & ſimilia de quibus lis eſt inter patronos vtrioris opinionis, cuius deciſio non pendet à poſitione ſcientiæ mediæ; hanc enim admittunt noſtri omnes, & tamen diſſentiunt in explicanda ratione applicationis iſtius, qua de loquimur, non quia illa ſublata conſiſtere libertatem cum decreto efficaci Dei arbitrentur, ſed quia etiam admiſſa varias iniuere vias illa conciliandi, quæ omnes diſtortæ viſæ ſunt Auctori quadripartitæ, eo quod ad concurſum immediatum ducant, quo cum capitales eſſe inimicitias dolet, non ſecus quàm cum prædeterminatione nuſquam beneficio ſcientiæ mediæ componendas, etiamſi alioqui ſcientiæ iſtius & nomen, & ſignificatum admittat, non tamen iuxta ſenſum, quem communiter eius patroni probant, & explicant. Porro non eſt hoc loco alienum paulo prolixius varios modos examinare, quibus diuina omnipotentia applicari dicitur voluntati creatæ, vt inde liqueat quis aptior ſolutionis propoſiti argumenti videatur.

Primus modus explicans applicationem diuinæ Potentiæ cum voluntate creata.

IS eſt communis Thomiſtarum, qui nixi eo principio, quod omnis cauſa ſecunda indigeat præmotione, & prædeterminatione primæ ad hoc vt operetur, hanc neceſſitatem auxilij præuij extendunt ad voluntatem non minus eſſentialiter ſubordinatam, & pendentem à prima cauſa, quàm cætera agentia naturalia: conſequenter aſſerunt præcedere decretum abſolutum efficax æternum prædeterminandi in tempore ad actiones quaſcumque,

& per hanc prædeterminationem applicari formaliter voluntatem ad operandum.

Mihi animus non est neque prædeterminationem hanc in communi impugnare, quod nauiter ab aliis præstitum; neque applicationem diuinæ potentiæ, quam inuestigo, in ea ponere, quod premar argumentis illam negantium, & plane illis succumbam: ea porro obuia sunt apud plures recentiores.

Secundus Modus explicandi eandem applicationem.

§. II.

REfertur hic à recentioribus tanquam habens auctores recurrentes ad negationes, per quas sufficienter explicare se credant qua ratione diuina voluntas decreuerit concurrere cum creata ad actus liberos. Dicunt etenim Deum statuisse non cohibere suam omnipotentiam, ne concurrat ad talem actum liberum in talibus circumstantiis, v. g. ad hunc amorem vel odium circa tale obiectum hic, & nunc ab intellectu propositum quæ est vna negatio; & Altera sequitur in eo posita, vt velit subtrahere concursum ad omnes alios actus amoris, & odij possibiles circa tale obiectum. Hinc intelligitur quomodo Deus positiue non dicatur velle actionem malam, sed solum permittere, quia videlicet non vult cohibere voluntatem ab illa, quod non est velle actionem malam, sed tamen non impedire, vt posset nolendo concurrere.

Similem modum refert, ac reiicit P. Arriag. disp. x. Phys. n. 60. eorum qui explicant generalem Dei volitionem per carentiam impedimenti ex parte omnipotentiæ: supponunt enim claritatis gratia duo indiuidua amoris, & totidem odij hic, & nunc possibilis, & Deum dicere primo nolo concurrere ad amorem A. & odium A. secundo ad odium nolo impedire meam omnipotentiam per quam voluntatē non impediendi iam omnipotentia est applicata ad operandum, & intelligitur quomodo non concurrat Deus ad peccatum & quomodo viterur negatio, quæ est si dicat Deus Volo concurerre si voluntas concurrat, de qua infra.

Nullum antiquorum mihi contingit inuenire, qui sic ratiocinetur: ex modernis P. Valentin. Herice disp. 6. Theol. n. 49. habet quid simile; ait enim decretum concurrendi cum libero arbitrio esse simplicem quandam voluntatem. *Qua vult sua omnipotentia cooperationem, & effectum, respicit etiam ex parte voluntatis creatæ conditionem concomitantem; non antecedentem: vult etiam negationem determinationis per cooperationem, negationem etiam prioritatis naturæ, aut rationis, negationem quoque prohibitionis in omnipotentia, quatenus à Deo prohiberi poterat ne concurreret*: Sic ille; qui tamen non confugit ad solas negationes, nam paulo ante præmiserat dupliciter posse Deum applicare suam omnipotentiam ad cooperandum cum voluntate creata, duplici item modo posse velle ipsam cooperationem in actu secundo. Potest enim non solum velle cooperari, sed hoc facere præmouendo, & prædeterminando; & hoc reiicit. potest item tantum velle cooperationem concausæ, & hoc admittens subdit: *Quo fit diuinam omnipotentiam inquantum eminenter continet vtrumque modum præmotionis, & cooperantem, & determinantem, dupliciter applicari posse à decreto diuino; vno modo, vt aduersarij dicunt, quando ponunt illud decretum absolutum, & efficax intrinsecum, alio vero modo, quando vult eam concurrere per modum habitus, & tunc vult cooperationem, & effectū sine determinatione principij: Vnde per hoc decretum, & Deus vult cooperari, & fieri actum ab omnipotentia cooperante, & vult non determinare cooperando, &c.* Ex quibus manifestum est præter negationes asseri ab ipso positiuum decretum concurrendi per omnipotentiam cooperantem, non prædeterminantem, ad quod consequuntur quidem prædictæ negationes; sed non ponit in illis rationem applicationis diuinæ omnipotentiæ quam supponit applicatam per decretum ad modum habitus; in quo consentit Soario, & aliis pluribus recentioribus vtentibus exemplo habitus ad explicandum quomodo diuina omnipotentia cum voluntate creata compleat vnum principium operandi, & cum ipsa concurrat in actu secundo. Sed & in eo cum Soario stat, quod decretum istud docet non esse absolutum & efficax ex natura sua, ita vt ex natiua efficacitate inferat actum liberum, licet ab effectu possit accipere denominationem efficacitatis.

Cuiuscumque tamen sit inuentum negationum prædictarum ad saluandam libertatem arbitrij creati, & sanctitatis increatæ, posito simultaneo concursu Dei ad omnem liberam actionem, eas non esse sufficientes ad applicationem potentiæ diuinæ, & voluntatem eius, inde constat, quia hic agitur de Potentia executiua, quæ pendent in suo munere à virtute applicata vt sequatur opus; & ideo sola non cohibitio non est satis, neque præcisa positiua voluntate cooperandi arbitrio ex parte Dei, manet hoc potens ex seipso operari; quia voluntas huiusmodi est causa à qua essentialiter pendeat arbitrium in esse, & operari, etiam in hac sententia; & ideo necesse est non tantum vt non impediat, sed etiam vt influat in operationē. Exemplum est in habitibus supernaturalibus quibus comparatur diuinapotentia applicata causis secundis: quia enim sine ipsis non potest intellectus, & voluntas elicere actus supernaturales, non esset satis quod nollent cohibere potentias istas, in quibus sunt, ne operarentur, si & ipsi intellectiui, & volitiui essent; sed oporteret eos concurrere positiue, ita quia à diuina voluntate essentialiter pendet omnis operatio creaturæ, non sufficit vt nolit impedire effectus extra se; sed præterea requiritur vt velit positiue cooperari: siue ipsa sit potentia immediate executiua, siue tantum mediata, & ratione distincta ab immediata, de quo alibi: in qualibet enim sententia amica concursus immediati, oportet applicari diuinam virtutem, & coniungi virtuti creatæ; & hæc applicatio, cum sit libera, à voluntate fit, vt sequatur effectus iuxta exigentiam causæ secundæ; quod est quid distin-

Non sufficit voluntas non impediendi effectū, sed requiritur positiua voluntas influendi ex parte Dei.

Digitized by Google

ctum à voluntate non cohibendi, ſeu non impediendi concurſum omnipotentiæ cum illa.

Confirmatur, quia operatio voluntatis creatæ non minus pendet à voluntate Dei, quàm motio membrorum, & facultatum motricium à potentijs appetitiuis; ſed ad hanc non ſufficit ſola non cohibitio, niſi accedat poſitiua applicatio, & influxus, ergo neque ad illam, niſi intercedat ex parte diuinæ voluntatis.

Vtaque negatio prædicta ſuperflua eſt.

Quod ſi forte dicas neceſſariam quidem eſſe applicationem diuinæ omnipotentiæ per decretum poſitiuum concurrendi cum voluntate, ſed iuxta exigentiam ſuæ naturæ, quæ eſt vt libere operetur; & cohærenter ad hanc ſubſequi decretum non cohibendi concurſum eius etiam ad mala, quæ prohibet, & impedire ſi vellet, poſſet, decreto non concurrendi ad illa: Idem eſt ac ſi dixeris velle etiam poſitiue ad mala concurrere; & tunc quæritur an hæc voluntas ſit abſoluta, vel conditionata &c. vt ſupra.

Et præterea ſecundum hanc reſponſionem gratis poneretur negatio illa duplex quia neutra exigitur à libero arbitrio, quæ cum ſit indifferens ad oppoſita, & ad actus omnes poſſibiles eiuſdem ſpeciei, & circa eadem obiecta, non poſtulat vt Deus decernat cohibere omnipotentiam ſuam ad omnes, præterquam ad hunc, vel illum numero; etiamſi determinatio ad indiuidua eſſet in Deum referenda; quia hæc non opponitur libertati, & non requirit peculiare decretum negationum, alioqui non poſſet creatura operari etiam volente Deo efficaciter, niſi ſimul vellet diſtincto decreto non cohibere omnipotentiam ad hunc numero actum, ſed ad omnes alios poſſibiles; Immo neque producere per creationem vnam creaturã, niſi cum decreto exercendi ſuam omnipotentiã circa illam, haberet aliud non exercendi circa omnes alias poſſibiles eiuſdem ſpeciei: quod eſt ſuperfluum, & inconueniens. Quamuis enim dixerimus Deum non habuiſſe negatiuè ſeipſum ab æterno circa poſſibilia; ſed poſitiue voluiſſe hæc producere, & illa non voluiſſe item poſitiue; tamen ad creationem præciſe, & vim producendi hanc vel illam creaturam, non eſt neceſſarium decretum non volendi aliam.

Alterum modum explicandi applicationem per negationem, ſeu volutionem carentiæ impedimenti, pluribus confutat P. Ariag. loc. cit. ſed contra eum valent allatæ rationes, & illa in primis, quia præter carentiam impedimenti eſt poſitiuus influxus omnipotentiæ in actus creaturæ, & iſti ſunt realiter vna, & eadem actio Dei, & creaturæ; igitur ſunt voliti à Deo poſitiue vel conditionate, vel abſolute, iuxta varias ſententias.

Tertius Modus ponens decretum particulare abſolutum vt applicans diuinam Potentiam.

§. III.

CArdinalis Bellarm. lib. 4. de Grat. & l. arb. c. 16. *Voluntas*, inquit, *diuina ab æterno decreuit quid velit, aut non velit fieri; ſed in particularibus, & maxime liberis, id non decreuit, niſi præcognita prius diſpoſitione, & determinatione ſecundarum cauſarum, &c.* Indicat probabilem Leſſ. de auxil. c. 4. ad 4. & 6. argum. à n. 14. licet non neceſſarium, & alii apud Soarium prolegom. 2. de Grat. c. 8. n. 15. inter quos Corduba lib. 1. q. 55. à dub. 8. & Vaſq. paulo poſt citanda diſput. Hi duplex decretum neceſſarium exiſtimant, vnum conditionatum; alterum abſolutum circa actus liberos; qui quoniam fieri non poſſunt ſine concurſu comitante, oportet vt Deus illum decernat offerre, voluntate nimirum generali, & non determinata, niſi ad id quod arbitrium eliget; quæ voluntas non eſt abſoluta & efficax, quia non habet effectum, niſi arbitrio cooperante, quæ eſt conditio incluſa in obiecto talis decreti. Sed quia hoc non videtur ſufficere vt ſequatur effectus; ideo requirunt aliud decretum abſolutum, & particulare, quo Deus ſtatuit vt talis effectus hic, & nunc à tali voluntate fiat, quia præuidet liberum arbitrium, ſuppoſito priori decreto conditionato, & vniuerſali ad illum actum ſe determinaturum. In quo tamen Bellarm. loc. cit. cap. 15. diuerſitatem agnoſcit inter actus bonos, ac malos, quia illos determinauit futuros ſe operante; iſtos ſe permittente, vel non impediente.

P. Leſſius

Corduba

Impugnat duplex hoc decretum Soar. loc. cit. vno dumtaxat contentus, & poſt ipſum P. Faſ. tom. 2. in 1. p. q. 14. a. 13. numero 170. & 198. & q. 19. a. 8. numero 6. & alij recentiores.

Ratio in contrarium potiſſima eſt, quia decretum ſecundum particulare ſupponit ſcientiam conditionatam futuræ determinationis creatæ voluntatis; ideo enim per te Deus decreuit concurrere ad hunc actum, quia præuidit quod oblato concurſu generali voluntas ad illum ſe determinatura eſt; ſed hoc implicat, quia voluntas non poteſt operari ſine decreto particulari abſoluto per te, igitur non poteſt ſine illo præuideri operatura, quia caret neceſſariis ad operandum; vel ſi poteſt præuideri operatura ante hoc decretum, fruſtra requiritur ad hoc vt operetur.

Fruſtra ponitur hoc decretum particulare.

Vel quod idem, eſt ſi decretum ſecundum ſit à Deo quia præuidit arbitrium operaturum, ergo operatio ſupponitur vt prior decreto; & ex alia parte à te requiritur decretum vt ſequatur talis operatio, ergo idem eſt prius, & poſterius.

Item vel hoc decretum accedit primo ante præuiſionem effectus conditionate futuri, vel poſt, ex præſcientia nimirum conditionata: non primum, quia læderet libertatem prædefiniens operationem ſine reſpectu ad determinationem arbitrij: neque ſecundum, quia non eſſet abſolutum, ſed conditionatum ex parte obiecti, contra te.

Secundò, principaliter, quia quando voluntas ceſſat ab operatione, in qua progreſſa eſt per aliquam moram, vel adeſt decretum Dei de non concurrendo vlterius cum illa; & hoc non, quia non poſſet vlterius progredi, ſed neceſſario ceſſaret, deficiente aliquo

quo necessario ad continuandam operationem: vel adest decretum continuandi concursum; & neque hoc dici potest, quia decretum absolutum semper consequitur effectus, super quem cadit.

Et vniuersaliter eorum quæ omittuntur à voluntate non fuit decretum vt fierent, ergo necessario omittit, quia deest essentiale requisitum ad operandum, scilicet hoc decretum, per te necessarium.

Repugnat sanctitati Dei decernere actum malum.

Tertiò, Repugnat sanctitati Dei absolute, & efficaciter decernere actionem malam, ergo etiamsi præuideat illam futuram à voluntate, non potest illam determinate; sed tantum velle permittere; non impediendo; non igitur ad omnes actus liberos necessarium est decretum particulare, quo Deus simpliciter velit hic, & nunc illos singillatim fieri; sed sufficit voluntas concurrendi indifferenter ad id quod voluntas elegerit, quæ sine tali concursu velle non posset, & ideo Deus, vt administrator creaturæ illum poscentis, vt operari queat, illum non denegat in tempore, & statuit exhibere ab æterno: nam etsi præuidit in quam partem voluntas esset se determinatura; tamen non decreuit absolute malum ab ipsa patrandum etiam materialiter sumptum, sed solum fungi munere conditoris naturæ subministrando quæ ipsi debentur ex vi suæ conditionis vt operari possit conuenienter naturales effectus; ad quod non requiritur decretum absolutum particulare, sed satis est conditionatum.

Quartò, Si decretum hoc particulare necessarium est, ergo si non adsit, neque adest facultas operandi libero arbitrio. Igitur non peccat, minime præbendo consensum vocationi, nam peccatum non est vbi deest potentia operandi, quod si adesset decretum absolutum consensus, voluntas non deesset vocationi, quia cum illo non componit dissensus.

Neque valet dicere quod potest consentire si velit, & ideo imputari ad culpam si consentire uolit, quia per te necessarium est secundum decretum particulare vt consentiat, & consentire valeat, igitur eo præciso consentire non valet, & non peccat non consentiendo.

Idem Modus ponens decretum absolutum concomitans.

§. IV.

EST P. Vasq. 1. p. disp. qq. cap. 7. vbi ad conciliandam concordiam nostræ prædestinationis docet decretum diuinum circa singula opera nostra, etiam gratiæ non esse ante determinationem nostram, sed illam concomitari. Cum enim Deus in nobis duo tantum genera operum efficiat, alterum ante libertatem vt sunt primæ cogitationes, & subiti motus; alterum eorum quæ cum nostro consensu; In iis ita comitatur consensum, vt nihil prius ne ratione quidem operetur sine nobis; sed solum præuenit vocatione in supernaturalibus, quam sequitur consensus: Atqui eumdem ordinem in diuina præscientia inter decretum eius, & nostram voluntarem debemus assignare, qui etiam est in tempore inter ea quæ Deus facit, & quæ nos cum eo facimus, vt docuit disp. 88. cap. 6. Igitur si simul cum voluntate concurrit, simul etiam decreuit concurrere; ita vt nullum aliud decretum præcedat, nisi dandi vocationem, ideſt cogitationem in intellectu, & primum motum in voluntate. Et quia per scientiam conditionalem nouit Deus, quid esset factura voluntas cum tali vocatione, propterea decreuit simul cum illa concurrere: & hoc est decretum concomitans, non lædens libertatem, quia non antecedit determinationem, sed comitatur. Quod si non præcederet scientia conditionata, non apparet quomodo decretum non esset prius determinatione voluntatis, & proinde obstans libertati, aut posterius, & sic operatio voluntatis prior esset decreto, quod est absurdum. Placuit hic discursus Patri Arrub. 1. p. disp. 65. sed.

Reiicitur *hic modus* à Patre Soar. loc. cit. P. Ruiz de voluntate Dei disp. 50. numero 17. & aliis recentioribus arguentibus primo ad hominem, quia P. Vasq. docet decretum diuinum compleri per obiecta extrinseca, quod non cohæret cum eo quod sit causa futurorum, sic enim supponitur prius illis, & non completur per illa, quia non possunt hæc esse à causa non completa.

Verum ex P. Vasq. 1. p. disp. 65. numero 11. & disp. 80. c. 2. decretum liberum diuinæ voluntatis nihil aliud super nudam essentiam addit, quàm respectum rationis ad res futuras, qui ex ipsis tanquam ex fundamento resultat, quia ex essentia sola resultare non potest, cum non sit vnius potius quàm alterius creaturæ: & cum sibi obiecisset vtroque in loco quod relatio posterior est fundamento ex quo consequitur, ac proinde quòd res futura prius sit quàm decretum, quia ab illa manat respectus rationis, quo decretum Dei constituitur: Cum tamen ex alio capite concedat decretum esse causam cur res sit futura; ex quo infertur idem esse prius, & posterius, fatetur non posse vitari circulum; & sponte dat quod obiicitur, deuoratque audenter, quod durum nimis, & crudum videtur aliis, nullo modo ferentibus circulationem talem, quæ sola posset inseruire pro argumento contra sententiam istam.

P. Vasq. concedit circulationē in proposito.

Sed quicquid sit de constitutione actus liberi Dei in se ipso, de quo non est hic disputandi locus, arguitur secundo simpliciter contra decretum istud concomitans, quia cum sit absolutum patitur omnes ferme instantias quæ contra hunc tertium modum allatæ sunt: quia si est necessarium, vt profitetur Vasq. igitur sine illo nemo qui vocetur potest consentire vocationi, & sic non peccat dissentiendo, quia deest illi aliquid essentialiter requisitum ad consensum à se non dependens, nimirum decretum concomitans quod non est sine determinatione volun-

Digitized by Google

tatis, & non minus neceſſario cum illa connexum, quam prædeterminatio ſi daretur. Nec valet dicere non dari illius reſpectu qui non conſentit, quod præuiſus ſit non conſenſus, nam vel poterat conſentire præciſo hoc decreto, vel non: ſi poterat, ergo tale non eſt inter cauſas neceſſarias, vt tu reponis, & fruſtra poſcitur vt complementum extrinſecum potentiæ: quia ante illud Deus præuidit operationem futuram ex poſitione concurſus indifferentis, cum quo voluntas poteſt conſentire; nam ſi non poteſt conſentire, ergo neceſſario non conſentit, & culpam non incurrit. Sed quia poteſt conſentire & conſenſura videtur à Deo, iccirco non eſt neceſſarium ad hoc decretum concomitans.

Confirmatur, & explicatur magis. Deus videt quod ſi tali vocatione præuenatur Petrus, neque deſit illi concurſus quem vocatio tali arbitrio contemperata poſtulat, conſentiet: ſi vero alia vocatione excitetur, non conſentiet, & ideo non deberet illi cooperari, quia in vacuum Dei gratiam recipit. In primo ergo ſigno ſtatuit præuenire tali vocatione cui nouit conſenſurum ſub conditione, ſi detur: In ſecundo decernit cum voluntate operatura cooperari, quod per te eſt decretum concomitans. Igitur ante illud præuiſa eſt voluntas operatura, non ergo eſt inter cauſas neceſſarias ad operandum, quia ſequitur operationem futuram: at hæc prærequirit aliquod decretum, quia eſſentialiter pendet à Dei voluntate; de illo ergo quæro an ſit conditionatum, an abſolutum; & qualecumque ſit, ſufficit ad hoc vt operatio ſit futura poſitis talibus circumſtantiis; & ſic fruſtra additur aliud decretum concomitans, ſine quo concipitur completum principium operandi.

Non eſt neceſſariũ hoc decretum concomitans.

Dices vnam ex circunſtantiis requiſitis eſſe decretum concomitans incluſum in obiecto ſcientiæ conditionatæ; & ita reſpectu obiecti huius ſcientiæ decretum eſſe prius ſeipſo quatenus concipitur vt actus voluntatis reducentis à ſtatu conditionis quod propoſitum eſt ab intellectu, ad ſtatum abſolutæ futuritionis per decretum concomitans operationem arbitrij abſolute, quod præuidebatur concomitans ſub conditione.

Contra, quia ſtatus conditionatus complectitur omnia ſub conditione, quæ abſolutus abſolute, vnde & dicitur purificata conditione tranſire in abſolutum; Vel ergo in ſtatu conditionato cognito à Deo inuoluitur decretum concomitans ſub conditione, & hoc non per te aſſerentem Deum decernere in particulari rem futuram poſt ſcientiam conditionatam quid voluntas eſſet futura, ſic præuenta ita vt nullum aliud decretum præcedat, niſi præueniendi; Vel non inuoluitur, atque ita non eſt quid neceſſarium vt operatio ſit futura, quia nec conditionate quidem futura eſſet ſine cauſa à qua eſſentialiter pendet.

Deinde ſi inuoluitur in obiecto ſcientiæ mediæ, ſequitur eum qui vocatur à Deo non habente tale decretum abſolutum, non poſſe conſentire, vt ſupra. Si vero adſit tale decretum cum ſit efficax, habet neceſſariam connexionem, & obiectiue vt cognoſcitur à Deo conditionate; & executiue vt reducitur ad ſtatum abſolutum à diuina voluntate tam ab æterno decernente; quàm in tempore cauſante. Vt enim Soar. libro primo de abſoluta ſcientia fut. conting. cap. 6. numero 10. voluntas Dei efficax de aliquo effectu ita eſt infallibilis, vt impoſſibile ſit in ſenſu compoſito illum non ſequi, ergo habet aliquam connexionem neceſſariam cum influxu cauſæ ſecundæ à qua fit. Igitur hæc connexio fundatur vel in cauſalitate per quam Deus facit cauſam ſecundam operari; vel in præſcientia qua præuidit operaturam. Non primum, quia illa eſſet voluntas determinans, & prædefiniens. Si vero dicatur ſecundum, voluntas illa eſt ſubſequẽs, quia ſupponit effectum futurum ſub conditione, atque ita non remanet locus decreto concomitanti.

Quia igitur hoc decretum non poteſt eſſe prius operatione futura voluntatis quin lædatur libertas; neque ſubſequens quia eſſet fruſtra; neque concomitans, quia ſine ipſo cognoſcitur operatio futura conditionate, reiiciendum eſt.

Dices decretum conſtitui formaliter per operationem creaturarum, & ideo dici concomitans.

Contra, quia præter alias difficultates contra doctrinam de conſtitutione actuum liberorum per creaturas in propoſito, non poteſt cõſtitui per actionẽ voluntatis, quia hæc eſſentialiter pendet à decreto cõcurrendi, ergo ſupponitur decretum vt cauſa etiam in ſtatu conditionato, non igitur eſt concomitãs, ſed prius.

Argumentum Patris Vaſq. eſt illud idem quo poſt ipſum vſus eſt Auctor quadripartitæ, & præmiſſum eſt ſupra primo loco, vt eius occaſione paulo altius repeteretur modus quo diuina voluntas concurrit cum creata ad actus liberos; ideo reiicitur ſolutio ad calcem diſputationis, à cuius tractatione dependet, ſicut & cæterorum quæ non pauca obiiciuntur.

Interim ſatis ſit breuiter dixiſſe, Deum ita operari in tempore ſicut decreuit ab æterno, quia ſicut ab æterno decreuit dare concurſum indifferentem in actu primo vt voluntas eſſet complete potens operari; & in actu ſecundo concurrere ad actum, ad quem ſe determinat voluntas completa potens, ita facit in tempore; exhibito namque auxilio indifferenti adſiſtit voluntati, & cum ea concurrit ad id quod ipſa vult, & ſupponitur poſſe velle ſine decreto comitante; Alioqui eo præciſo non poſſet videri hoc, vel illud operatura defectu alicuius neceſſarij ad volendum, & tamen tu aſſeris videri.

Deus ita operatus in tempore vt decreuit ab æterno.

Quartus Modus aſſerens voluntatem Dei indifferentem quidem, ac diſiunctiuam, ſed abſolutam.

§. V.

MEminit volũtatis diſiunctiuę abſolutę, ac efficacis P. Didac. Ruiz de volunt. Dei, d. xi. per aliquot ſectiones, eamque latè cõfutat:

Digitized by Google

& quamquã ad éum finem vt ostendat eam parum conferre ad expediendam difficultatem de actu libero Dei, quæ diu Theologos exercet; tamen rationes, & auctoritates eius suadent neque multum conferre ad explicandam quam tractamus de modo concurrẽ si cum voluntate creata. Non habet illa pro se auctores antiquos, sed defenditur à recentioribus aliquibus sane doctis, & ingeniosis, vt apta ad conciliandam libertatem creatam cum diuinis decretis: autumant enim Deum applicare suam omnipotentiã cum voluntate creata per absolutum, & efficax decretum non tendẽs ad hoc vel illud particulare determinate, sed ad disiunctum duplicis actus, dicendo, volo quod mea omnipotentia cum voluntate Petri cõcurrat hic, & nunc ad hunc actum amoris, vel ad hunc actum odij: ex cuius voluntatis vi manet determinata voluntas Petri ad operandum disiunctim vnum illorum actuum, & manet sufficienter applicata omnipotentia Dei cum eadẽ voluntate ad producendum vnum ex illis actibus, cum subordinatione tamen ad ipsum Petrum, sicut habitus inhærens voluntati subordinatur ipsi quoad exercitiũ operationis. Nec opus est alia voluntate, qua sine disiunctione velit concurrere ad amorem, cum sufficiat prima disiunctiua cum qua potest coniungi actus odij; ideo dicitur indifferens, non tamen conditionata.

Inducuntur in hanc sententiam, tum ob difficultates aliarum quibus abunde satisfactũ putant per voluntatẽ disiuncti, diminuere sine ipsa; tum quia sic facile conciliatur libertas creati arbitrij cum voluntate absoluta, & sanctitate Dei in concursu ad operationes malas: quam non saluat voluntas conditionata pluribus recentiorum arridens.

Et quidem P. Granad. t. 2. p. 1. tract. 3. disp. 5. sect. 3. docet quod in Deo sicut est iudicium quo cognoscit sub disiunctione quodlibet aut futurum esse, aut non futurum, ita etiam illi conuenire intrinsecum & efficacem actum, quo vult prædicta extrema sub disiunctione, puta mundum esse futurum, aut non futurũ; sed communiter reiicitur, quia modus hic videtur inuoluere imperfectionẽ vniuersaliter loquendo, & vbi agitur de actione mala etiam materiali est indecens Deo vt mox dicam.

Voluntas disiunctiua dupliciter potest intelligi.

Potest autem voluntas disiunctiua Dei dupliciter intelligi: 1. ita vt disiunctio cadat super volitionem, quasi Deus habeat sub disiunctione actum volendi, & nolendi, neque tamen in 1. signo denominetur volens, aut nolens, quousque in 2. diuina voluntas se applicet ad vnam partem disiuncti determinate per voluntatem virtualem, in quo sensu non loquuntur qui recurrunt ad disiunctum, neque est ad rem nostram, reiicitur que à P. Ruiz de volunt. Dei disp. 11. sect. 7. quoad vtramque partem quam continet excogitatam à P. Albertino ibidem citato. 2. Igitur dicitur voluntas disiunctiua respectu obiectorũ seu actuum liberi arbitrij ad quos terminatur disiunctim, puta amoris, vel odij, prout se determinabit ad alterutrum: In quo satis apparet saluari libertatem tam contrarietatis quam contradictionis, quia creata voluntas est quæ determinat.

Non assentior 1. quia non est conformis modus iste locutionibus Scripturæ, ac Patrum. Illa passim proclamat displicere Deo, odio esse Deo, abominari Deum impium & impietatem. Sap. 14 Odio sunt Deo impius & impietas eius. Ps. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Eccles. 15 Quæ odit ne feceris.

Vnde Arausi 2. can. 23. suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet: quæ & similes auctoritates etiã per te intelliguntur de materiali peccati, & malitia eius radicali, quam collocas in positiuo. Igitur nulla datur voluntas absoluta Dei tendens directe in malas operationes, ac proinde neque disiunctiua. Et ratio est, quia talis voluntas dedecet sanctitatẽ infinitam. & amorem eius erga creaturam rationalẽ: sicut enim dedeceret prudentiam Principis, & amorem in filium suum suppeditare pecunias absoluta voluntate, vt eas impendat vel in perniciem, vel in bonum proprium. Ita de Deum dare liberum arbitrium hominis, & Angelo absoluta voluntate, vt peccaminosas exerceat operationes, aut bonas: Neque Deus posuit hominem in paradiso voluptatis absoluta voluntate vt comederet, vel abstineret à pomo vetito, sed vt operaretur, & custodiret illum; & insipiens ac indigna sapientia eius fuisset voluntas qua dixisset volo absolute vt Adam comedat vel non comedat de ligno vitæ digna vero qua dixit, De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: si ergo noluit vt comederet, & vetuit sub mortis interminatione, quo modo dici potest quod absolute voluit vt comederet etiam disiunctim? voluit ergo permittere vt relinqueret in manu consilij sui, non autem voluit absolute vt comederet, aut non comederet.

Dedecet infinitam Dei bonitatem velle malum absolute etiam disiunctim.

Confirmatur quia Concilij Trident sess. 6. can. 6. supra citato definit Deum permissiue solum concurrere ad mala, proprie autem, & per se ad bona, non solum quia ad hæc impellit præcipit, adiuuat; sed ob id maxime quia intendit vt supra ostendimus; ergo non vult disiunctim bonum aut malum absolute, quia eodem modo voluntas se haberet ad vtrumque, cum tamen permissiue se habeat ad malum; quod non intendit per se ad bonum, quod intendit; nisi dicas absolute quidem velle vnum disiunctim, & absolute intendere; alterum vero absolute velle etiam disiunctim & absolute non intendere; quæ est implicantia, vel collusio in terminis, absolute enim velle est intendere, licet non omne velle sit intendere proprie, quia non quilibet actus voluntatis habet secum actum intellectus ordinantis, qui includitur in intentione mentis ex D. Th. 1. 2. q. 12 a. 1 c. & 22. q. 180. 1. c. si igitur Deus absolute vult disiunctum, absolute etiam illud intendit, nam si absolute vnam tantum partem intendat, absolute etiam vult vnam tantum; aut si non magis hanc, quàm illam vult, aut intendit, absolute etiam vult disiunctim, quod absolute odit, ac detestatur; Iccirco cum scriptura, & concilia absolute pronuncient quod Deus non vult peccata; minus illi consonat videtur assertio, quod velit absolute malum disiunctim.

Deus solum permissiue concurrit ad mala.

Hinc est effatum celebre Scholasticorum in 1. dist. 47. & p p. q. 19. Deũ velle permittere peccata, sed non velle peccata vt S. Th. ibid. a. 9. 3.

Digitized by Google

Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, ſed vult permittere mala fieri.

Secundò, Simili locutione vtuntur Patres. S. Auguſt. lib. 83. qq. 3. vitium eſt voluntas quo eſt homo deterior, quod vitium longe abeſt à voluntate Dei, &c. At non longe abeſt à voluntate Dei, quod Deus abſolute vult ſub diſiunctione, ſed quod abſolute quantum ex ſe eſt, non vult: quod autem abſolute non vult, non vult abſolute diſiunctim, niſi hoc ſignificet conditionem ex parte obiecti, quod eſt conditionate velle, contra & lib. 1. de ordine c. 1. ſequitur aut diuinam prouidentiam non vſque ad hæc vna pertendi, aut certe mala omnia Dei voluntate committi, vtrumque impium, ſed magis poſterius, &c. at ſi Deus abſolute vult voluntatem creatam facere bonum, vel malum; eius voluntate cõmittuntur mala, licet diſiunctiua, & non tantum permittuntur, vt volunt Patres, & Concilia.

Idem S. Aug. in Pſalm. 110. init.

Non vult Deus vt peccet, nam prohibet: tamen ſi peccaueris, non putes hominem feciſſe quod voluit, & Deo accidere quod noluit. Sicut enim vult vt homo non peccet, ita vult peccanti parcere vt reuertatur & viuat: Ita vult poſtremo in peccato perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax non euadat, &c. Vult igitur Deus abſolutè quantum ad ſe pertinet, vt homo non peccet.

S. Ambroſ. l. 2. Exam. c. 8. Cum clamet Propheta Deſinite à malitijs veſtris; & præcipue S. Dauid, Deſine, inquit, à malo, & fac bonum, quomodo ergo ei initium à Domino damus? quod ſi Deus abſolute vult diſiunctũ, initium eius à Deo eſt, & proinde etiam mali, quod eſt pars conſtitutiua diſiuncti. Secus ſi dicatur Deus nolle diſiunctum, quia malum non vult, ſed tantum bonum, malum autem non vult, licet permittere velit, vt infra ex S. Bonau. & alijs ſubijciam.

S. Chryſoſt. homil. 8. in cap. 4. 2. ad Timoth. Mala omnia ex noſtra tantummodo voluntate fiunt, Bona omnia ex voluntate noſtra, & ipſius adiutorio, &c. Quod ſi Deus vult diſiunctiua voluntate vt fiant, iam non ex noſtra tantummodo voluntate fiunt.

S. Damaſ. l. 2. fid. c. 9. Eorum, inquit, quæ in nobis ſunt, ſi bona quidem, præſertim, antecedenterque vult, & acceptat Deus: ſin autem mala, neque præſertim vult, neque conſequenter vult, ſinit autem arbitrium ad illa liberũ. Ex quibus & ſimilibus auctoritatibus manifeſtum eſt Patres enixe in eo eſſe attentos, vt omnem voluntatem malæ actionis à Deo auertant, quam nec conſequenter quidem, & ſuppoſita notitia determinationis creatæ voluntatis admittunt ab eo volitam, ſed ſolum permiſſam; quanto ergo illibentius concederent abſolute volitam diſiunctiua voluntate, quæ magis efficax eſt, quàm voluntas conſequens, quæ ſolum eſt ex ſuppoſitione effectus præuiſi, & ne illam quidem patiuntur Deo tribui, ſed ſolum permiſſiuam reſpectu mali: voluntas autem abſoluta diſiunctiua antecedens eſt, & cauſa diſiuncti abſolute volitiquia neutra pars ſine illa eſſe poteſt; & vtrauis exiſtat, quandoquidem alterutrum exiſtere neceſſe eſt virtute voluntatis abſolutæ, ab ea tanquam à cauſa antecedente exiſtit, quia antecedenter ad præuiſionem operationis creati arbitrii Deus abſolute decernit diſiunctum prædictũ. Vide plures auctoritates apud Bellarm. l. 2. de omiſ. Grat. c. 9.

Deus neq; antecedenter, neque conſequẽter vult peccatum, ex Damaſ. ſed tantum permittit.

Tertiò, Hæc ſola voluntas diſiunctiua non cohæret dictis S. Auguſtini explicantis varia ſcripturæ loca, v. g. lib. de corrept. & gratia c. 14. ad probandum quod humanæ voluntates reſiſtere non poſſunt Deo, qui fecit omnia quæcumque voluit in cœlo, & in terra, profert exemplas Dauidis, & Saulis, *quos cum voluit reges conſtituere magis habuit*, inquit, *in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas, qui tamen hoc non fecit niſi per ipſorum hominum voluntates ſine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* S. Auguſt.

Et contra duas epiſt. Pelagian. l. 1. c. 20. *Quis corregis*, (Aſſueri) *antequam multiformis ſermonem poſcentis audiſſet, occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, id eſt de voluntate ladendi, ad voluntatem fauendi, &c.* In iis & aliis ſimilibus efficaciſſima poteſtas applicata non facit per voluntatem diſiunctiuam, ſed intentione directa ad id quod determinate volebat fieri, vt patet ex diſcurſu S. Auguſtini contendentis oſtendere efficaciam diuinæ potentiæ in mouendis, trahendiſque hominum cordibus quocumque vult. quis autem dixerit, Deus inclinat ad id quod vult quia ſtatuit abſolute, vt homo faciat, vel non faciat? vt Aſſuerus lædat, vel faueat, quem efficaciſſima poteſtate conuertit ad fauendum?

Voluntas diſiuncti non eſt conformis dictis S. Auguſt.

Neque valet dicere illos eſſe caſus particulares, in quibus Deus ſingulari modo applicat potentiam ſuam; & non licere ex illis inferre contra modum ordinarium de quo eſt ſermo: nam S. Auguſtinus ex Scriptura illos commemorante probat vniuerſalem propoſitionem quod Deus, qui in omnibus eſt omnipotens, nouit flectere liberum arbitrium hominis quo vult, ita vt non reſiſtat; cum enim oppoſuiſſet quod efficacitas poteſtatis huius repugnare videtur libero arbitrio, Abſit, inquit, ſed omnipotentis in omnibus & iudicium iuſtiſſimum, & auxilium Dei miſericordiſſimum commendauit, &c. Vnde & de Grat. & libero arbitrio c. vigeſimo vniuerſaliter habet hæc verba, Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eas agat, quod per eas agere ipſe voluit, quod idem habet de prædeſt. Sanctorum c. 22. & alibi ſæpius S. Auguſtinus commendat omnipotentiam Dei in trahenda voluntate hominis efficaciter ad id quod vult, & ſapientiam in ſalnanda libertate eius: ad hoc autem non ſufficit voluntas diſiunctiua, quia ſecundum S. Auguſtinum efficaciſſima poteſtas qua voluit conuertere voluntates hominum in electionem Saulis, & Dauidis; & effectum cor Aſſueri lenire in gentem Hebræum, non fuit in diſiunctum, ſed in vnam partem, vt infra.

Agit motũ voluntatis humanæ Deus.

Et quamuis hæc Deus non efficiat prædeterminando, ſed viſorum ſuaſionibus trahendo; nihilominus trahere eſt in vnam partem inclinare inuitando, quod excludit efficacé voluntatem oppoſitæ, & compatitur ſolum conditionatam ad quamcumque ſe determinet arbitrium; idque etiam admiſſa præfinitione poſt ſcientiam conditionatam.

Digitized by Google

Rationes contra eumdem modum Applicationis.

§. VI.

PRima sit quia incidit in eamdem difficultatem, quam vitare conatur conditionatæ voluntatis : nam per te voluntas disiunctiua est indifferens, & subordinata voluntati creatæ in hoc sensu, qui explicatur per hoc quod concursus Dei in actu primo paratus est, quantum est de se ad oppositos actus illius, ac proinde indeterminatus ; Et quia Deus ex sua bonitate accommodat se naturæ creatæ, statuit permittere determinationẽ arbitrio hominis, & concurrere ad eam partem quam elegerit per actum secundũ volendi, aut nolendi. Hoc autem idem est ac dicere, si Petrus amabit, mea potentia applicata per voluntatem ad coagendum libero arbitrio Petri concurret ad amorẽ; si oderit ad odium ; quod est obiectum diuinæ voluntatis conditionatum. Patet hoc, quia voluntas disiunctiua nihil operari potest ex se sola suppositâ subordinatione prædicta ad liberum arbitriũ cum quo decreuit concurrere determinata ab ipso ad alterutram partem disiuncti, ergo pẽdet à determinatione arbitrij creati determinatio voluntatis disiunctiuæ, quæ ex mera bonitate se subordinauit, non tamquã à causa, quæ nullâ datur ex creatis in increatam, ergo tamquã à conditione obiectiua, igitur voluntas disiunctiua est conditionata obiectiue.

Et ratio à priori est, quia disiunctum non tollit, sed potius addit conditionem obiecto decreti volentis illud ; quando decernens non vult determinate neque hoc, neque oppositũ, quantum est de se, sed alterutrũ indeterminate remissa determinatione alterius voluntati : tunc enim perinde se habet ac si diceret, si te determinaueris ad hanc partem, meus concursus indifferens erit tecum ad eamdem ; & pariter si ad oppositam, & tuum erit determinare me. Appositi tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, Eccl. 15. si porrexeris ad illam, porrigam tecum ; & præsensero æque prompte, si ad istum. Nonne hic conditio est ? sicut enim decretum concurrendi ad vnam partem determinate, si voluntas creata ad eam se determinet, quod est possibile etiam sine decreto indifferenti concurrendi ad alteram, esset conditionatum ; ita & concurrendi ad hanc, vel illam indifferenter si voluntas determinabit se, & proinde etiam concursum habeat paratum in actu primo ad hanc vel illam indifferenter ; quem determinet in actu 2. pro suo libito : Quod si particulis disiunctiuis, Aut, Vel, omnem conditionem obiectiuam adimimus, necessarium manet obiectum illis constans, & frustra est decretum disiunctiuum, quia applicata omnipotentia sine vlla voluntate disiunctiua Dei, necessario voluntas creata operatur hoc vel illud.

Secunda Volitio efficax absoluta sortiri potest effectum independenter ab alia conditione libera, ideo enim dicitur absoluta, quia absoluitur ab omni cõditione, seu non adstringitur, aut ligatur vlla conditione ; At volitio disiuncti sortiri non potest effectũ nisi dependenter ab ea conditione, quod altera pars non existat, ergo non est absoluta, sed conditionata. Quod explicat, & confirmat P. Ruiz. l. cit. disp. xi. cit. sect. 8. exemplo argumenti logici. Nam à propositione disiunctiua, seu de disiuncto prædicato, non licet inferre primam partẽ disiuncti, nisi negata secunda parte, nec licet inferre secundam partem disiuncti, nisi negata prima parte. Ideo tota vis illationis pendet ab ea conditione quod negetur altera pars : v. g. in hac propositione ad videndum necessarius est oculus dexter, vel sinister, non potest inferri quod dexter sit necessarius, nisi negetur, quod sit necessarius sinister, & vice versa. Simili proportione dici debet quod volitio disiuncti non potest causare determinate vnam partem, nisi dependenter à conditione, quòd altera non eligatur à voluntate determinante se ad vnam oppositam, & trahente secum Dei potentiam ad illam cooperandam, quæ parata est ad vtramlibet, puta ad amorem, vel odium : quod realiter idem est ac dicere, voluntas Dei ad concurrendum cum creata, in actu primo ita se habet, vt prompta sit exire in actum secundum amoris, si ad eum se determinabit creata, non autem ad odium ; & è conuerso. In quo nulla est negatio, quia comparatur actus primus seu concursus in actu primo indifferens, cum actu secundo determinato à concursu voluntatis creatæ.

Tertia Voluntas disiunctiua non est efficax in se, neq; est sufficiens causa immediata effectus ; ergo requiritur alia contra te respuentem alias. Antecedens probatur, si Deus decreuisset fieri mundum vel non fieri, præterquam quod hoc de Deo asserere esset desipere, non fuisset factus mundus, quia non magis in vnam partem quam in alteram contradictionis fertur talis voluntas ; non secus ac si Rex dicat ædificetur, vel non ædificetur mihi palatium ; fiat vel non fiat bellum, quo si Deus dicat volo Petrum amare, vel non amare, voluntas hæc quantum est de se, non magis est efficax, quam si adiungat impertum ama vel non ama, etiam si omissio amoris inuoluat actum positiuum. Licet enim verum sit quod Petrus amare non potest, nisi Deo volente cum ipso concurrere ad amorem ; tamen non redditur potens complete per voluntatem disiunctiuam quia vt sic est inefficax : Et si dicas esse efficacem ex parte sua, sed præterea ex parte arbitrij requiri operationem, hoc est dicere esse efficacem dependenter à conditione si arbitrium operabitur, & erit conditionata, & complenda in ratione efficacitatis ab extrinseco, vt docet Vasq. quem impugnas ; & etiamsi concederes compleri decretum Dei liberum per actionem aliquam extrinsecam, adhuc obstat.

Voluntas disiunctiua non reddit potentem creatam in actu primo ad non operandũ.

Quarta ratio, quia tali decreto particulari respondet talis actio extrinseca particularis, si sit efficax, & absolutum ; at vero disiunctum nullam dicit actionem particularem, ergo non respondet decreto particulari. Maior probatur, quia efficacia cadit super id quod fiet ex vi decreti, hoc autem quod fiet est particulare determinatum. Minor patet, quia disiunctum excludit determinationem partium quibus

Decreto particulari respondet actio extrinseca particularis.

conſtat, cum æque ſit omnium, & non magis vnius, quàm alterius. ad quam ergo actionem terminatur prior illa voluntas diſiunctiua efficax? Si quidem ſuper nullam determinate cadit.

Dices teminum voluntatis diuinæ, per quam applicatur omnipotẽtia voluntati creatæ, eſſe actionem diuerſam ab ea qua Deus conſeruat tunc ſubſtantiam, ex tali fine vt applicet ſuam omnipotentiam ad talem, vel talem actum.

Non placet, primò quia voluntas conſeruandi voluntatem eſt diuerſa à voluntate applicandi omnipotentiam cum illa, & hæc eſt poſterior ac pendens ab illa, valet enim Deus applicat ſuam potentiam cum voluntate creata in ordine ad hunc vel illum actum eliciendum, ergo vult illam conſeruare, non vice verſa, quia poteſt conſeruare ſine reſpectu ad vllum actum liberum, vt in pueris, & amentibus; quia prior hæc voluntas non pendet à poſteriori, debet habere ſuum terminum diſtinctum, ſaltem non repugnat intelligi Deum pro priori ſigno velle conſeruare, & pro poſteriori velle applicare ſuam potentiam ad hunc, vel illum actum cum voluntate creata: quæro quæ actio extrinſeca particularis reſpondeat huic decreto particulari? hic n. non interuenit conſeruatio, quæ ſupponitur vt teminus diſtincti decreti.

Deinde vel requiritur diuerſa conſeruatio vt terminus prædicti decreti, quia diſiunctum actus huius aut illius habet neceſſariam connexionem cum illa; vel quia ipſa cum decreto talis diſiuncti, quaſi Deus hoc velle nequeat niſi per talem actionem conſeruatiuam. Neutrum obſtat; quia poſſet Deus aliter conſeruare voluntatem cum qua vult concurrere ad diſiunctum idem; ſi enim lumen ſolis exempli gratia, conſeruatum à Deo ſolo poſſet habere eoſdem effectus quos haberet conſeruatum à Deo, & à ſole diuerſa conſeruatione, cur non etiam voluntas poſſet tendere in idem diſiunctum, etiam ſi diuerſas haberet conſeruationes? & ratio eſt, quia retinendo idem eſſe, retinet eandem virtutem immediate operatiuam, & actio conſeruatiua non influit immediate in eius operationem, neque immutat modum operandi; ſicut nec immutaret ſi eadem numero producta eſſet à Deo per creationem diſtinctam ab illa, qua producitur in corpore diſpoſito per generationem parentum iunctam infuſioni animæ.

Confirmatur, quia cum voluntas conſeruetur à Deo ſolo, continuatur per te actio creatiua, qua 1. producta fuit; ſi ergo daretur connexio neceſſaria, vel inter ipſam & diſiunctũ, vel cum decreto; non poſſet Deus decernere creationẽ animæ, niſi cum reſpectu ad diſiunctũ, & iuxta iſtius varietatem, etiam decretũ, & actio creatiua deberet eſſe varia; ex quo ſequeretur quod anima infantis, qui moritur ante rationis vſum, non poſſit à Deo produci eadem creatione, qua producta fuiſſet ſuperuicturo ad iuuentam, vel ſenium: Imo & quod habenda eſſet ratio omnium operationum liberarum, quas in tota vita eſt eliciturus, quia totidẽ ſunt diſiuncta, quot ſunt & liberæ operationes; & non poſſunt decerni, quin ſimul decernatur cõſeruatio, & mutetur pro diuerſitate diſiunctorũ; nam ſi vna ſufficit pro omnibus diſiunctis, peto rurſus quæ actio particularis reſpondeat voluntati particulari Dei ſiue decreto, quod compleri dicis per actionem externam, ſi quidem manet idem terminus, id eſt eadem cõſeruatio volita, & ſunt diuerſa diſiuncta in quæ tendit voluntas diſiunctiua efficax, & nullus terminus particularis illi reſpondet: & hoc ad hominem recurrentem ad terminum diuerſæ conſeruationis reſpondenti voluntati antecedenti applicatiue diuinæ voluntatis.

Tertiò, Poteſt homo intendere diuerſos fines per eamdem actionem, v. g. per eamdem numero ambulationem templum inuiſere vt ſacrum audiat, vt votum ſoluat, vt reçret & animum, & corpus; & ſiue vnum ex iis ſibi præfigat, ſiue plures, non variatur motio facta aliqui eodem tempore, per idem ſpatium, ab eadem potentia motiua; ergo poteſt Deus velle manente eadem conſeruatione applicare ſuam potentiam ad diuerſa diſiuncta. Poteſt eadem actio intendi ob diuerſos fines.

Quæ rationes multo magis impugnant, expugnatque effugium recurrentium ad aliud exemptũ quoduis diſparatum, puta ad hanc vel illam cæli circulationem, vel quid ſimile quod ſit terminus volũtatis illius diſiunctiuæ.

Quinta, ratio principalis eſt etiam ad hominẽ, qui ponit in Deo nouam voluntatem præter diſiunctiuã, eo quod ad hanc ſequatur vnus actus diſiuncti, v. g. amor, ad cuius poſitionem iam intelligitur terminus determinatus, ad quem non poteſt non terminari diuina voluntas, & non illa prior tendens in diſiunctũ, quia eſt indifferens, hæc vero determinata; ergo diſtincta tendens in hunc actum ſingularem, qui & ipſe eſt volitus, quia & productus à Deo concurſu determinato: & cognitus eſt determinate futurus. Ergo in tua ſententia voluntas diſiunctiua non ſufficit.

Dices non eſſe hanc nouam voluntatẽ proximè liberã, ſed ſolum affectum quemdam erga actum amoris vt exiſtentem; qui affectus neceſſarius eſt ex ſuppoſitione prioris voluntatis, & tamen pendet à libertate noſtra proxima; Deo autem non eſt liber, niſi libertate remota, quatenus applicuit ſuam potentiam in actu primo ad diſiunctum producendum cum voluntate creata, relicta illi libertate determinandi quod voluerit.

Contra, vel hic affectus eſt neceſſarius ex parte Dei vt compleatur proximũ principium ex ipſo, & voluntate efficaci diſiunctiua, & ſic requiruntur duo actus in Deo, liber, & neceſſarius ad hoc, vt nihil deſit libero arbitrio ex parte Dei ad operandum; & ſequuntur eadem incommoda quæ opponis decreto concomitanti determinato, vt ponebat P. Vaſq. ſupra; aut antecedenti, vt vocabant alij: & illud in primis quod præciſo hoc erga alterutram partem diſiuncti, deeſſet aliquid neceſſariũ ad exiſtentiam eius, nec voluntas eſſet libera reſpectu illius; vel non eſt neceſſarius, & cur illum inuehis gratis. Deinde vel habet connexionem cum vna parte, vel non habet. Si primum, ergo ſicut non eſt in poteſtate voluntatis illum ponere, vel tollere, quia antecedens eſt; ita

Digitized by Google

nec se determinare ad alteram partem oppositam, quia non componit affectus iste cum opposita; neque potest voluntas creata separare quæ ex virtute increatæ sunt necessario coniuncta: Si non haber connexionem necessariam, potest igitur vtraque pars disiuncti pro libito voluntatis existere sine prædicto affectu; & tunc redit argumentum, quia hæc actio determinata non est terminus voluntatis disiunctiuæ tendentis in disiunctum; ipsa enim non est disiunctum, sed pars eius; neque voluntas eius, vt est determinata, actio est indifferens, qualis est disiunctiua; & tamen actio externa determinata habet decretum, vel actum dicit voluntatis determinatum, qui per te est affectus necessarius; per me superuacaneus: aut si necessarium decreto indifferenti aliquid adderem, mallem decretum determinatum cum auctoribus supra citatis, propter determinatam actionem extrinsecam libere productam; quam affectum nescio quem alium non minus repugnantem libertati arbitrij, & sanctitati Dei, quam cætera decreta superius impugnata, & à se reiecta.

Sexta ratio. Vna pars disiuncti cognita est infallibiliter futura, & non indeterminate hæc vel illa sub disiunctione; ergo etiam cognitus fuit concursus Dei determinatus, & non sub disiunctione ad hanc vel illam partem. Antecedens admittitur à Theologis communiter contra Aureol. in 1. distinct. 39. q. vnic. a. 3. asserentem non cognosci à Deo determinate res futuras; sed sub disiunctione futuri, aut non futuri: quæ est cognitio imperfecta, & Deo non conueniens, cuius intuitus fertur in omne cognoscibile distinctissime, & voluntas in omne futurum quod sine illa vel volente, vel permittente futurum non est. Consequentia patet, quia futuri determinati causa est determinata, & cognitio intuitiua Dei fertur in effectum, & causas illius, inter quas principalis est potentia diuina applicata per voluntatem; & hæc non potest esse disiunctiua huius vel illius actus, si efficaciter & absolutè potentia applicata est ad illum qui futurus est: dico absolute; nam conditionaliter non est necesse applicari, nisi indifferenter ad id quod voluntas elegerit, neque decretum esse efficax, nisi habito respectu ad illud idem in particulari, & non ad disiunctum, vt sic formaliter, quatenus constat vtraque parte contradictionis, quia sub hac ratione non potest esse terminus diuinæ voluntatis, neque potentiæ executiuæ, quæ necessario est vnius tantum partis, & non disiuncti constantis ex vtraque. Ex quo

Deus non cognoscit res futuras sub disiunctione.

Confirmatur & explicatur hæc eadem ratio, nam potentia executiua tendit in vnam partem determinate, ergo & voluntas illius applicatiua si sit efficax, & absoluta, tendit in eandem; patet sequela, quia vnus & idem est vtriusque terminus, non enim Deus aliud vult, & aliud exequitur, & proinde non applicat potentiam exequentem nisi ad id quod vult executioni mandari, si absolute, & efficaciter velit; & ideo non potest voluntas esse absoluta, & efficax, & esse disiunctiua, neque cognosci effectus determinatus futurus ab illa vt disiunctiua est.

Et sicut non potest cognosci mundus futurus à voluntate absoluta quod fiat mundus, vel non fiat; ita neque potest cognosci quod sit futurus amor à voluntate disiunctiua quod sit amor, vel odium; si ergo Deus intuitiue cognoscens effectus quoslibet futuros in particulari, cognoscit etiam causas, & inter has non est voluntas disiunctiua, frustra ponitur.

Denique alterum incommodum grauissimum est, quod repugnat sanctitati Dei decretum istud. Finge Dauidem ancipiti cogitatione distractum de adulterio patrando, vel de cæde inferenda Vriæ, statuisse alterutrum exequi; quia Deus subordinauit suam voluntatem creatæ per te, & statuit efficaciter hoc, vel illud; sequitur quod efficaciter noluit adulterium, vel homicidium, quia alterutrum vult Dauid, & non quid tertium: hoc autem horret fateri animus, non minus quam si vnum determinate velle diceretur Deus habens odio iniquitatem: sicut enim impius est qui vult vel mœchari, vel necare hominem, ita coinquinat se qui absolute cooperari vult vtri, vel alteri sub disiunctione.

Confirmatur, quia Deus complacet sibi in eo quod absolute vult & efficaciter fieri à creatura, si fiat ab ipsa, at de peccato non complacet, ergo non vult illud etiam disiunctiue, sed tantum permissiue, si velle disiunctum est absolute, & efficax exemplum est si Deus iubeat offerri sacerdoti par turturum, aut duos pullos columbarum disiunctim, complacet sibi in oblatione alteruttius, quia neutram determinate vult, sed alteruttrum ad libitum offerentis: nunquam tamen complacet sibi de peccato: ergo non cadit sub disiunctum absolute volitum.

Sextus modus explicandi applicationem diuinæ Potentiæ cum voluntate creata.

§. VII.

ALij igitur non acquiescentes voluntati conditionatæ, & indifferenti ad opposita, nisi accedat alia absoluta, & determinata, dixere Deum vt videt voluntatem creatam oblato concursu indifferenti applicantem se ad vnam partem decreuisse efficaciter ad illam concurrere, & per hanc voluntatem remanere proxime applicatam eius potentiam arbitrio creato. Petenti vero quid sit applicatio voluntatis creatæ visa à Deo ante decretum hoc absolutum, respondent esse aliquid non physice & realiter distinctum à voluntate ipsa, sed solum virtualiter, eo modo quo volitio Dei libera distinguitur virtualiter ab essentia. Est P. Ægidij Coninch. in 3. p. q. 77. num. 6. contra quem & PP. Theophilum, ac Albertin. arguit Auctor quadrip. p. 2. cap. 7. Huius etiam sententiæ est Trigos. 1. p. q. 20. a. 4. dub. 1. notab. 2. & conclus. 4. adstruens natura liter in quolibet agente excitationem quandam priorem ipsa actione, & alij apud Soar. in Metaph. disp. 18. sect. 10. num. 4. vniuersaliter requirentes in agente

Digitized by Google

modum intrinſecum vt eius cauſalitatē diſtinctam ab actione quæ eſt quid extra agens. Sed iſti forte non requirerent in agente immanēter; & ſane modus iſte applicationis in hoc videtur improbabilior cæteris, primò quia talis applicatio, aut conatus voluntatis creatæ, vel diſtinguitur ab actuali operatione eius, vel eſt eadem realiter: ſi primum, redeunt difficultates omnes quæ fiunt contra concurſum immediatum, ſine quo & ipſa applicatio eſſe non poteſt: & in particulari quia ſi poteſt voluntas elicere hunc actum applicationis ſine præcedenti applicatione, ne detur proceſſus infinitus in applicationibus, cur non poteſt etiam ſequentem actum ſine prævia hac applicatione elicere? ſi vero dicatur ſecundum quod ſcilicet applicatio ſit eadem operatio, cum ſenſus ſit realis, non poteſt videri aliquid in voluntate præcedens, ratione cuius Deus decernat concurrere ad vnam partem determinate, & antecedenter, quia videt ſolam ipſam operationem iam determinatam, & non voluntatem accingentem ſe ad opus.

Si applicatio eſt aliqua actio, patitur eaſdem difficultates quas vitare ſtudes.

Dices hanc applicationem eſſe modum tenentem ſe ex parte voluntatis creatæ vt influit in actum liberum, imo & ex parte diuinæ quæ diuerſo modo intelligitur applicare ſuam virtutem erga diuerſos effectus.

Sed quæro quid ſit iſte modus in voluntate creata, ratione cuius nunc aliter ſe habet antecedenter ad ſuum actum, quàm haberet ſe antea? ſi enim eſt aliquid reale, non poteſt eſſe aliud quam operatio vitalis ab ipſa manans, & redit difficultas: ſi eſt aliqua formalitas, vel reſpectus rationis, oportet explicare quomodo incipiat de nouo eſſe, cum ante non eſſet, & hic anguſtiæ, quia nec eſt potentia ipſa, nec actus eius, neque merum ens rationis, quid igitur eſt? Et quidquid tandem fuerit, in actibus malis nefas eſt dicere quod Deus antecedenter applicet voluntatem creatam ad illos per ſuum decretum.

Non explicatur quid ſit hæc applicatio voluntatis.

Confirmatur, quia etiamſi admitteretur hæc applicatio, non poſſet tamen dici, quod ea viſa Deus determinet ad actionem materialem peccati, per te præſertim docentem Deum ſolum permittere peccatum. Quod autem attinet ad voluntatem diuinam, auget hic modus difficultates quæ non ſunt modicæ circa actus Dei liberos; quid enim eſt applicatio illa ad concurrendum cum voluntate hominis in actu ſecundo, aut in quem terminum immediate tendit diſtinctum ab ipſo actu, quem non præcedit alius actus, ne detur proceſſus infinitus? Nam quod Deus applicet per ſuam voluntatem ſponte ac libere omnipotentiam, & ſtatuat concurrere cum ſecundis cauſis iuxta ipſarum exigentiam, atque ita intelligatur in actu primo paratus ad concurrendum, omnes ferme fatemur, qui communiorem ſententiam ſequimur, non item quod requiratur præterea alia applicatio virtualiter diſtincta ab ipſa potentia, quia prima ſufficit, & huic ſecundæ nihil eſt extrinſecum quod reſpondeat, cum tamen nullum detur intrinſecum decretum in Deo, vel actus liber, cui non reſpondeat aliquis terminus extrinſecus, in quem tendat, quicquid deinde ſit intrinſece actus ille, vt ratione diſtinctus ab eſſentia.

Obiicit P. Conincb. primò eadem cauſa modo maiori, modo minori conatu producit eundem effectum, v. g. attollens ſolus aliquod pondus magis conatur, quam aſſociatus alteri: & ſi candela libere illuminaret, magis conaretur producendo in remotum ſpatium lumen æque intenſum, quàm in vicinum: ſi item ſol eſſet cauſa libera, & illuminaret obiecta ſibi æqualiter oppoſita diuerſimode, vnum vt tria; alterum vt ſex, tertium vt octo, virtus eius eſſet diuerſo modo illis applicata, quod non poteſt intelligi ſine aliqua virtuali differentia; quæ licet penetrari nequeat quid ſit, tamen à poſteriori colligitur eſſe neceſſaria: Et de voluntate ipſa ſi quæratur cur modo amet, modo oderit, modo neque amet, neque oderit; non eſt alia cauſa niſi diuerſa applicatio ſaltem virtualiter diſtincta ad diuerſos iſtos actus; vel aſſignetur quænam ſit.

Reſpondeo in omnibus illis exemplis conatum, ſeu applicationem non differre ab ipſa operatione. Pro quo aduerte quod eſt duplex applicationis genus, quantum attinet ad propoſitum argumentum, alterum eſt extrinſecum, ideſt à cauſa extrinſeca admonente, ſeu coniungente agens paſſo, vel paſſum agenti, vt eſt intelligentia mouens orbem ſolis, & applicans ſucceſſiue diuerſis corporibus inferioribus; & admouens manus igni ad eas calefaciendas, & de hac non eſt controuerſia, omnes enim illam admittimus vt neceſſariam, vt ſequatur actio, & paſſio. Alterum eſt intrinſecum, ideſt immediate manans à cauſa iam applicata extrinſecus, & nihil aliud eſt, quàm operatio ipſa, quæ eſt applicatio formalis; v. g. voluntas dum amat, dicitur applicari ad amandum per ipſum amorem, & non per aliquid prævium: vocatur autem applicatio huiuſmodi actio, quia dum agens operari incipit, coniungitur actioni ſuæ, & per illam obiecto circa quod verſatur, vt Suarius lib. primo de concurſu Dei, cap. xi. num. 5. & num. 15. licet ad aliud propoſitum impugnandæ videlicet applicationis cauſæ ſecundæ per prævium motionem primæ in ipſa receptam. Igitur conatus, ſeu applicatio in tollente pondus ſuppoſita applicatione extrinſeca potentiæ motiuæ, nihil eſt aliud, quàm ipſa motio, & illuminatio à candela, & ſole eſt ipſa applicatio formalis quocumque modo illuminet prope, aut longè, magis aut minus: & idem de voluntate dicendum eſt, cur enim amat? ſi quæris rationem formalem, reſpondeo quia habet amorem à ſe elicitum, odit quia habet odium Si vero efficientem, reſpondeo, quia libera eſt, & habet facultatem exercendi diuerſos actus, vt libet, non quia habeat diuerſam applicationem actibus prævium. Alioqui ego etiam peto cur applicatur ad amorem, reſpondebis quia habet virtutem applicandi ſe ad placitum cum ſit libera, & non per aliam applicationem. Idem dic de operatione.

Duplex genus applicationis.

Obiicit deinde contra reſponſionem allatam. Non ideo cauſa agit quia effectus producitur; ſed vice verſa ideo effectus producitur quia cauſa agit; & non poteſt ex effectu peti ratio cur cauſa agat, aut non agat, ſed ideo agit, quia applicata eſt, & non ideo applicata eſt, quia agit.

Respondeo eodem modo si petas rationem cur causa agat, formalis est quia habet actionem, seu producit actionem: efficiens, quia habet virtutem actiuam. Neutro modo satisfieri potest petitioni per applicationem vt distinctam, & priorem actionem; nam pariter petam de illa cur causa applicetur, aut non applicetur, & quod de applicatione dixeris, de ipsa operatione poteras dicere. Ad illam ergo causalem ideo causa agit quia applicata est, respondeo si intelligatur de applicatione extrinseca verum esse, quia hæc requiritur vt conditio, v. g ignis calefacit manum, quia illi applicatur: si de aliqua intrinseca, verum esse in sensu formali ideo agere causam quia habet actionem vel immanentem, vel transeuntem; sicut ideo paries est albus quia habet albedinem. Hæc autem alia ideo effectus producitur quia causa agit, verificatur, quia actio est causalitas à qua pendet effectus, non quia ab applicatione aliqua intrinseca pendeat actio.

Tertiò obiicitur, Experientia constat ad actus intensiores intellectus & voluntatis maiorem conatum, & applicationem requiri, quàm ad remissiores.

Respondeo maior iste conatus non est applicatio in sensu argumenti; sed aliqua operatio vel voluntatis imperantis, vel potentiæ exterioris iuuantis interiorem, quæ dicitur magis conari, idest intensius operari. Sic Elias ascendit in verticem Carmeli, & prorsus in terram posuit faciem suam inter genua sua 3. Reg. 18. vt attentius, & ardentius oraret Deum pro pluuia impetranda, vt ibi Cornel. à Lapide in comm. mox typis mandandis:

Cætera faciliora argumenta consultius omittuntur.

Sextus modus explicandi applicationem diuinæ Potentiæ conformior doctrinæ S. Bonauenturæ.

§. VIII.

IS est quem late explicat Suar. pluribus in locis disp. 22. Metaph. à sect. 4. lib. 1. de concur. Dei cap. 14. à num. 5 & lib. 2. cap. 3. num. 17. Proleg. 2. de Gratia cap. 8 In 1. 2. de causa extrins. peccati disputat. 6 sect. vn. & alibi. Supponit autem voluntatem creatam pendere essentialiter à Deo in operari, & ideo debere illi coniungi vt causæ primæ, ac superiori, à qua compleatur in ratione principij operatiui, quæ coniunctio non fit per præsentiam quasi localem, & indifferentiam; hanc enim habet Deus propter suam immensitatem, etiam in iis quæ nihil operantur; sed fit per applicationem suæ omnipotentiæ cum causis secundis, seu quod idem est per voluntatem, vt sua potentia concurrat cum illis, & illis adsistat cooperatura ad exigentiam ipsarum; siue deinde voluntas sit potentia executiua, siue solum applicatiua potentiæ præuia directione intellectus, quod parui refert ad præsentem quæstionem.

Secundò supponit applicationem hanc non fieri per decretum antecedens omnem scientiam futuri effectus, & efficax independenter à voluntate, quod valide probatum ab illo est citatis libris, & propterea suppono vt pene demonstratum etiam ab aliis, præsertim à P. Ruiz. vim rationum locupletante copia aptarum auctoritatum ex SS. Patribus Latinis ac Græcis congestarum in volumen de diuina voluntate, quam doctrinam S. Bonauenturæ maxime consentaneam existimo.

His suppositis ponit in Deo decretum non absolutum, sed conditionatum ex parte obiecti, quo vult vt talis actus fiat à voluntate creata, si ipsa se ad illum eliciendum determinauerit; & sub eadem conditione vult influere, & concurrere ad eumdem, non quia non posset aliter illum actum causare; sed quia vult sese voluntati creatæ ita accommodare, vt eius non lædat libertatem. Ex vi autem huius decreti ita manet applicata diuina omnipotentia ad influendum in actum voluntatis, vt hac se determinante, absque nouo decreto, & applicatione potentiæ Deus influat, quasi necessitate quadam orta ex eius voluntate, quæ ad id quod vult, & quomodo vult est efficax, & immobilis.

Hunc modum esse possibilem ex eo probat, quia cum diuina voluntas sit omnipotens ad faciendum quicquid non implicat, & nulla in eo appareat repugnantia, & aptissimus ex alia parte sit ad conciliandum libertatem creatam cum diuina voluntate, probabile est de facto dari, & non solum esse possibilem.

Aptitudo eius inde constat, quia per eum exhibetur concursus in actu primo vniuersalis, & indifferens ad concursum quem voluerit voluntas creata in actu secundo; sicut enim sol est causa vniuersalis concurrens cum causis inferioribus, quæ ab illo pendent ad effectus singulares iuxta exigentiam ipsarum; ita diuina potentia est causa suprema à qua cætera pendent prout indifferenter illis applicatio est, paratque ad concurrendum cum illis ad effectus conuenientes naturis singularum; ac proinde etiam cum voluntate ad operandum quod ipsa voluerit, cum sit natura libera postulans concursum Dei in actu primo indifferentem.

Voluntas igitur hæc applicatiua potentiæ diuinæ dicitur vniuersalis, & concursus item per illum paratus vniuersalis est, non quia generatim, siue in genere velit applicare potentiam ad concurrendum in genere, sed quia non limitat eam ad vnum potius actum quam ad oppositum, vnde & indifferens dicitur, sicut & ipse concursus paratus indifferens est ad vtrumlibet in particulari, puta ad amorem, vel odium circa idem obiectum, prout voluntas elegerit, cum qua sine nouo decreto concurrit, vt propterea absolutæ, ac determinatæ æquiualeat, vt aduertit idem Soar. cit. disput. Metaph. num. 38.

Simpliciter autem est conditionata ex parte obiecti voluntatis huius, quia non vult absolute talem actum liberum, sed vt coëfficiendum à voluntate creata, si ipsa operari voluerit; & ideo nihil prius operatur, neque se sola; sed simul tempore, & cum creata coniuncta ad eamdem actionem, quod serio aduertere deberent qui aliter interpretantur sensum

Digitized by Google

huius aſſertionis, quaſi prius natura ponat operationem voluntatis creatæ, cui dicendum Deus adiungat ſuam, & hoc ſignificet conditiò ex parte obiecti, vt dicat Deus concurram ſi voluntas creata prius hoc, aut illud elegerit, falſus enim eſt hic ſenſus; quia omnis operatio voluntatis creatæ eſſentialiter pendet ab increata, neque in vllo priori poteſt intelligi ſine hac dependentia: verus ergo ſenſus eſt, ſimul cum ipſa concurram ad eam partem ad quam ex ſua libertate completa per meum auxilium in actu primo ſe determinauerit, & hoc vult Soar. loc. cit. & prolegom. primo cap. 3. num. 16. Scotus, Gregor. & alij infra citandi, qui ſimultaneum concurſum defendunt.

Interim pro Soario eſt auctor libri de cauſis prop. 24. Primum ens vno modo ſe habet ad omnia. quod explicat S. Bonauent. in 3. diſt. 32. a. vn. q. 3. ad argum. quantum eſt ex parte Dei, quia creaturæ non vniformiter ſe habent ad ipſum, &c.

Probatur ex S. Bonauentura & aliis Scholaſt. indifferentia diuini concurſus, ſeu voluntatis paratæ ad concurrendum.

CAPVT XXV.

DIxi hanc doctrinam conſonam eſſe doctrinæ S. Bonau. & bonam: quod attinet ad primam conditionem voluntas diuina dicitur non determinata in 1. diſtinct. 4. a. 2. q. 2. ad penult. quia videlicet quantum eſt de ſe parata eſt concurrere ad actus oppoſitos, & determinationem reliquit arbitrio creato. Sicut enim in aliis agentibus naturalibus determinatio diuini concurſus generalis eſt à creatura, ita & in liberis, de quibus etiam verificatur dictum S. Thom. 3. cont. gent. cap. 66. *Secunda autem agentia quæ ſunt veluti particulantes, & determinantes actionem primi agentis, aguntur ſicut proprios effectus, aliàs perfectiones quæ determinant eſſe.* Et 1. 2. q. 80. a. 1. 3. Docet voluntatem Dei eſſe principium vniuerſale interioris motus humani, determinationem autem ad talem actum malum directe eſſe ex voluntate humana, & q. 5. de Ver. a. 9. 10. *Actio*, inquit, *primæ cauſæ quodammodo determinatur ad hunc effectum per cauſam ſecundam*, &c. particula limitatiua quodammodo, additur ad inſinuandum quod creatura non determinat agendo aliquid in Deo, aut in actione eius, tamquam ipſi ſuperior, & ab illa independens; ſed potius quod exigit concurſum Dei paratum cum omnibus creaturis accommodare ſe neutris ſingularum, ita vt concurrat in particulari ad producendos effectus proportionatos virtutibus ipſarum, cum ſole v.g. illuminet, cum igne caleſaciat, &c. & cum cauſa libera concurrat ad amorem, ſi amare velit, ad odium ſi odiſſe malit. quod explicat idem S. Thom. 1. 2. q. 10. a. 4. & 3. cont. gent. cap. 90. & in 2. diſt. 25. q. 1. a. 1. ad 3. *Deus*, inquit, *operatur in omnibus, ita tamen quod in vnoquoque ſecundum eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur ſicut miniſtrans virtutem agendi, & ſicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit vt virtutem agendi ſibi miniſtret, & ipſo operante liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrij conſtituitur, vnde remanet ſibi dominium ſui actus, licet non ita ſicut primo agenti*, &c. quia nimirum liberum arbitrium pendet à Deo creante, conſeruante cooperante, Deus autem habet dominium abſolutum, & independens ab omni alio. Quod itaque habent aliqui Thomiſtæ interpretantes dicta S. Thomæ determinari concurſum cauſæ primæ à cauſa ſecunda, ideſt in cauſa ſecunda recipiente in ſe influxum primæ illum modificantis, per abuſionem vocis A, continet ſenſum repugnantem S. Doctori ponenti in poteſtate arbitrij determinationem actionis non in ipſo receptam tanquam in ſubiecto; ſed ab ipſo manantem vt à cauſa libera, & domina ſui actus: Alioqui vt ſubd. t diſt. 28. q. 1. a. 1. c. *Non eſſet homo liberi arbitrij, niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret, vt ex proprio indicio eligeret hoc, aut illud.* Ex quo principio 1. 2. q. 80. a. 1. 3. & alibi determinationem ad malum conſilium directe eſſe docet ex humana voluntate, & non à Deo qui eſt vniuerſale principium omnis interioris motus. Cui conſonat reſponſio S. Bonau. in 2. diſt. 25. p. 2. a. 1. q. 4. ad vltimum, quod liberum arbitrium ſeipſo poteſt in malum, vt cauſa nimirum deficiente, non ſufficiente, quia ſine concurſu primæ non poteſt operari ſed quod cum eodem eligat malum, quod eſt deficere, ab ipſo eſt. Igitur determinat ſe actiue, & ſimul determinat actionem Dei de ſe parati ad oppoſitum. Expendit aliis auctoritates S. Thom. Suar. de concurſ. lib. 1. c. 14. à num. 10. & diſp. 22. Metaph. ſect. 4. num. 24.

Alu. de aux. diſp. 11. nu. 12.

S. Thom.

At, inquies, 1. p. q. 19. a. 3. ad primum, cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: ſed voluntas diuina; quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum.

Reſpondeo voluntatem creatam dici determinari ab obiecto extrinſeco quod eſt bonum in communi, per conſilium rationis, & q. 3. de mal. ar. 3. ad 1. quod 1. p. q. 19. citat. voluntas, inquit, cum ſit ad vtrumlibet per aliquid determinatur ad vnum, ſcilicet per conſilium rationis, neque oportet hoc eſſe per aliquod agens extrinſecum.

Conſentit Scot. in 1. diſt. 3. q. 7. verſus fin. *Cauſa*, inquit, *ſuperior determinatur ad agendum concurrente aliqua cauſa particulari inferiori, non per aliquam formam in ſe receptam.* Idque in vniuerſum de omni cauſa inferiori; nam in particulari de voluntate libera, ait, quod ſola habet indifferentiam ad contradictoria talem, quod ipſa eſt ſui determinatiua ad alterum eorum in quodl. q 18. & in Repert. eius operum verb. verbo voluntas fin. & in 2. diſt. 25. q. 5. ad 4. principale. *Potentia rationalis perfecta cuiuſmodi eſt voluntas, quamuis ſit contradictorium poterit determinare ſe obiecto præſente ad vnum illorum*, & in 1. diſt. 39. q. vnic. §. contra iſta. *Nulla contingentia poteſt eſſe in cauſatione alicuius cauſæ reſpectu ſui effectus, niſi prima cauſa contingenter ſe habeat ad cauſam proximam*

Digitized by Google

proximam sibi, vel ad suum effectum, &c. igitur voluntas hæc est indifferens, nam quod est determinata ad vnam partem, non habet se contingenter ad illam: neque voluntas creata haberet se contingenter, ideſt indifferenter ad suos actus, si diuina decreuisset vnum illorum absolute: & ideo est principium in doctrina Scoti, quod radix contingentiæ est diuina voluntas, & quod non potest saluari in rebus contingentia, nisi præsuppositio quod prima causa agat contingenter in 1. disp. 39. quæst. 1.

In sententia Scoti non saluatur contingentia in creatis, nisi prima causa cõtingenter agat.

Neque obstat quod in 4. disp. 49. q. 6. §. Dico ergo, negat voluntatem posse determinari à causa inferiori, quia contra naturam eius est talis determinatio, sic enim non esset superior; non autem esse contra naturam eius quod determinatur à superiori; solum enim vult quod de potentia absoluta possit voluntas creata determinari, vt patet ex contextu loquente de perpetuitate beatitudinis supernaturalis, & visione beatifica quæ non est libera. Nos autem loquimur de actibus viæ, & liberis, qui secundum potentiam ordinariam fiunt à voluntate seipsa determinante.

Pro eadem voluntate indifferenti sunt Gregor. Arimin. in 2. dist. 37. q. 1. a. 3. infra referendus ad verbum. Aureol. Marsil. Ægid. & alij plures apud Soar. lib. 1. de concurs. c. 14. quibus adde recentiores nostros, in 1. p. S. Thom. q. 14 præsertim Cardin. Bellarmin. lib. 4. de Gratia & lib. arbit. cap. 15. & Less. in opusc. de Aux. & alios. Ex quibus conficitur hoc argumentum ad probandam propositionem S. Bonauent. quod voluntas Dei non est determinata circa actus liberos creati arbitrij, sed parata ad eam partem quam ipsa elegerit ab eo adiuta. Deus vult concurrere cum creaturis modo conuenienti naturis ipsarum, ergo cum necessariis vult concurrere determinate ad vnum, cum liberis indifferenter ad quod ipsæ voluerint. Ex quo sequitur quod huiusmodi voluntas non est absoluta, sed conditionata ex parte voliti.

Antecedens admittitur ab omnibus sectatoribus sententiæ communis, consequentia patet, quia causæ naturales sunt determinatæ ad vnum, rationales se habent indifferenter ad oppositа ex 9. Metaphys. tom. 10. relato à S. Bonau. in 2. dist. 7. a. 1. q. 3. ad argum. igitur deberur ipsis concursus paratus ad oppositа.

Eandem indifferentiam explicat similitudo solis, cuius concursum vniuersalem limitant causæ particulares ad suos effectus specificos, eamque adhibent S. Patres Dionys. Cyrillus vterque, Ambros. August. Cypr. S. Thomas, quorum verba refert P. Ruiz. de scientia Dei disput. 25. sect. 21.

Dices suppositа scientia media eius quod esset Petrus facturus in talibus circumstantiis, & decreto concurrendi ad illud idem cum ipso, superfluum est offerre concursum ad alium actum ad quem non est concursurus, & impossibilem cum actu ad quem decreuit concurrere Deus, ita exigente voluntate Petri se determinante ad vnum.

Deinde Deus per te offert ad multos actus distincte suum concursum, quia non offert confuso, & cæco modo, at hoc non est offerre indifferentem, quia indifferentia est sine distinctione, & determinatione ad plures actus oppositos.

Nec valet dicere quod posita determinatione concurrendi ad vnum actum, non remanet libertas in voluntate ad oppositum, quia non habet paratum concursum ad illum, quia suppositа scientia media, & voluntate Dei concurrendi ad actum sub conditione præuisum, ponitur antecedenter libertas sufficiens, etiam si sequatur necessitas consequens, siue ex suppositione, & in sensu composito.

Tertiò, Deus determinate concurrit, & coagit hunc actum, & non illum, ergo etiam determinate vult ad ipsum concurrere, ergo non exhibet concursum indifferentem, sed determinatum.

Quartò, Concursus indifferens, & decretum eius nihil ponit à parte rei, quia omnis causa efficiens est determinata, & determinati effectus.

Quintò, Concursus Dei non exhibetur mortuo modo, sed per actionem viuam, & liberam, qualis est certa, ac determinata, & proinde per determinatum concursum, non indifferentem: quod si per indifferentem sine decreto determinato, non vitatur modus cœcus concurrendi, qui est indignus Deo.

Sextò, Actio siue concursus Dei non distinguitur ab actione, & concursu creaturæ per te; sed hic est determinatus, ergo & ille; At concursus creaturæ si maneat indifferens, nihil efficit, ergo neque concursus Dei in indifferentia manens.

Respondeo ad primum per instantiam, nam Deus offert gratiam sufficientem peccatori, quem præuidet dissensurum; neque tamen superflua est hæc exhibitio, quia commendat Dei prouidentiam, & amorem in regimine creatoris, ac redemptoris tuendo; & coarguit segnitiem hominis in acceptanda gratia, & diuino fauore.

Secundò, Respondeo directe non esse superfluum hunc concursum paratum ad actus non futuros, quia nisi esset paratus, aliquid deesset voluntati necessarium ad libere operandum, nam cum essentialiter pendeat actio eius à diuino concursu, si in actu primo iste desit, impotens est omnino exire in actum secundum; atque adeo Deus ita decreuit concurrere cum illa ad vnam partem, ad quam præuidit se determinaturum, vt tamen in potestate illius sit se determinare ad aliam, ad quam propterea habet paratum concursum.

Concursus paratus ad actus non futuros non est superfluus.

Ad secundum nego minorem. Indifferentia enim concursus stat cum distinctione actuum, quia Deus omnes distincte cognoscit; & quantum est de se paratus est concurrere ad omnes illos, quos eligeret voluntas, in quo consistit indifferentia; sed quia præuidit quem sit electura cum parato concursu; ideo distincte decernit ad vnum concurrere, non excludendo conditionem alterius, si voluntas illum eligeret, in quo est summa sapientia ac suauitas, nulla cœcitas, vel confusio.

Indifferentia concursus stat cũ distinctione actuũ.

Ad instantiam respondeo, quod decretum concurrendi ad vnam partem determinatæ si non sit de concurrendi ad etiam alteram, si eam eligeret voluntas impedit libertatem, quia

Digitized by Google

etiam ſuppoſita ſcientia media de actu conditionaliter futuro, ſi voluntas careat neceſſariis ad agendum non eſt libera reſpectu actus quem non poteſt elicere, atque adeo ſi non habeat paratum concurſum ad amorem ex gratia, & ad odium, ſed ſolum ad amorem, non dicitur libere omittere odium, quod non poteſt elicere.

Ad tertium, concedo antecedens, & primam ſequelam; nego ſecundam, quia argumentum eſt de concurſu in actu ſecundo, & ſequela hæc de concurſu in actu primo; atque adeo mutatur ſuppoſitio, & committitur æquiuocatio: nam Suarius, & alij admittentes concurſum indifferentem, & paratum ad actus oppoſitos, loquuntur de illo actu primo, quia in actu ſecundo cum ſit realiter idem cum ipſa actione voluntatis, non poteſt dici indifferens ad actus oppoſitos, vnus enim actus in individuo non poteſt eſſe alius actus oppoſitus: Igitur conceſſo enthimemate, quod Deus cooperetur voluntati ad actum determinatum, & quod habeat decretum eius in ſenſu ſuperius explicato; negatur quod non exhibeat in actu primo concurſum indifferentem, & quod etiam in actu ſecundo non ſit paratus ad oppoſitum, ſi voluntas, cui ſe accommodat ad ſaluandam eius libertatem, illum eligeret, neque enim determinatio actualis ad vnum repugnat præparationi ad alium.

Indifferẽtia concurſus determinatur à voluntate per gratiam adiuta.

Ad quartum, negatur antecedens, quia indifferentia concurſus in actu primo parati ad actus oppoſitos determinatur à voluntate adiuta, & vltimo completa per illum, vt ſupra explicatum eſt; atque ita fit cauſa determinata, & determinati effectus, ſed per hoc non excluditur quin ſit parata quantum eſt de ſe ad oppoſitos actus, ſi voluntas ad illos ſe determinaret.

Ad quintum, iam dixi concurſum Dei in actu ſecundo eſſe certum, ac determinatum; quia eſt idem cum actione voluntatis; ſed in actu primo & retinet indifferentiam, quatenus eſt paratus quantum eſt de ſe ad oppoſitos actus; & nihilominus dicitur determinari à voluntate ad vnum: hoc eſt dicere diuinam potentiam applicatam per decretum Dei & adſiſtentem voluntati, promptam eſſe ad alios actus, ſi voluntas ſe determinaret ad illos, etiamſi de facto concurrat ad vnum, ad quem illa ſe determinat; non ſecus ac habitus poteſt concurrere ad diuerſos actus, quantum eſt de ſe, etiamſi ad vnum concurrat, quem voluntas eligit: atque ita apparet indifferentiam in actu primo non repugnare cum determinatione in actu ſecundo: neque hunc eſſe cœcum modum, ſed ſapientiſſimum diuinæ prouidentiæ accommodantis ſe modo agendi creaturis conuenienti.

Sed quid quando præter diuinam potentiam applicatam infunditur gratia excitans ad aliquod bonum determinatum?

Reſpondeo etiam tunc voluntatem eſſe liberam ad eligendum aſſenſum, ac diſſenſum, & ad vtrumque paratum concurſum vel naturalem, vel ſupernaturalem ad actum ad quem ſe determinabit.

Ad ſextum, concedo actionem Dei, & voluntatis eſſe vnam, & determinatam & concurſum Dei in actu ſecundo illi identificatum eſſe determinatum, ſed nego cum hac determinatione quæ eſt effectus, non manere indifferentiam concurſus in actu primo, cum ſit paratus ad oppoſitos actus pro libito voluntatis, quæ abſolute libere operatur, & non neceſſario niſi ex ſuppoſitione quod operetur. Falſum eſt autem quod ex voluntate indeterminata nullus proueniat effectus, quia ipſamet ſe determinat, & non per operationem diſtinctam, vt ſupra dixi; atque ita non operatur quidem manens cum indifferentia ad operandum, ſed ipſa tollit indifferentiam ſuam determinando ſeipſam, & diuinum concurſum in actu primo, à quo tamen non tollit quin ſit aptus aliter determinari, & concurrere ad alios actus.

Voluntas concurrendi cum libero arbitrio conditionata eſt ex S. Bonau.

CAPVT XXVI.

DIcitur conditionata ab obiecto quod eſt, ſi voluntas creata ſi velit, vel ſe determinauerit; atque adeo reſpectu actus eius diſiunctiue ſumpti; nam in ſe abſoluta eſt concurrendi pro ſuo munere cauſæ primæ, & vniuerſalis ad exigentiam ſecundæ: & licet etiam conditionata ſit reſpectu pœnæ quam vult, ſi peccet; tamen hæc eſt conditio poſterior ſupponens priorem ſi peccaueris, quia Deus vult quantum eſt ex ſeipſo, te non peccare; ita tamen re te operari ſinat; & non neget tibi ſuum concurſum ad actionem peccati, & hæc eſt voluntas conditionata ex parte obiecti iuxta ſanctum Bonauenturam: nam lib. primo ſent. diſt. 46. a. 1. q. 1. & alibi non ſemel vſurpat Seraph. Docto. diſtinctionem SS. Patribus, & Scholaſticis familiarem de voluntate antecedente, & conſequente Dei, & de illa ait: *Prima dicitur à magiſtris voluntas conditionalis, ſiue voluntas qua Deus vult, quantum in ſe eſt, &c.* & explicans terminum voluntatis huius in materia prædeſtinationis, *Velle ergo*, ſubdit, *hominem vniuerſaliter ſaluare, eſt ordinatum ad ſalutem facere, & volentis peruenire non deeſſe, &c. Subminiſtrando omnia quæ neceſſaria ſunt, tam ex parte naturæ, quam ex parte gratiæ, &c.* Idemque repetit diſt. 47. a. 1. q. 1.

Quia igitur hæc voluntas antecedens reſpectu eorum quæ non pendent à libero hominis arbitrio abſoluta eſt, habet effectum ſibi reſpondentem, creationem videlicet, & ordinationem ad ſalutem cum ſubminiſtratione omnium mediorum quæ neceſſaria ſunt, ac ſufficientia: Sed quia aſſecutio ſalutis pendet à cooperatione hominis, quæ contingens eſt, & poteſt eſſe ac non eſſe, prout ipſe voluerit, ideo dicitur conditionata ex parte obiecti; ſi enim eſſet abſoluta, traheret ſecum infallibiliter ſalutem omnium.

Conſequenter voluntas antecedens concurrendi cum voluntate creata conditionata eſt, quia non concurrit actu niſi ad eam partem quam hæc elegerit, neque vult concurrere

niſi

nisi accommodate libertati eius; ad amorem si amet, ad odium si oderit, quod manifeste patet in concursu ad actionem malam, de qua S. Bonauent. eadem dist. 45. a. 1. q. 2. in resol. testatur quod Deus eam non vult: quia nimirum quantum est de se vult bonum; sed quia non vult cogere voluntatem, dependenter ab illa vult in executione, si ipsa ad illud se determinabit.

S Bonau. Voluntas antecedens impediri potest.

Confirmatur, quia vt docet dist. 47. eiusdem §. a. 1. q. 1. Voluntas absoluta impediri non potest, antecedens illi distincta, potest: ergo antecedens non est absoluta. *Sicut præscientia*, inquit, *quia necessario infert effectum, non potest falli; sic voluntas absoluta, quia necessario infert, non potest impediri: voluntatem autem antecedentem, vel conditionatam non est necesse impleri, nec necessitate consequentis, nec necessitate consequentiæ; quia non connotat effectum, sed connotat illud quod est ordinabile ad eventum*, &c. Vbi aduertit voluntatem antecedentem posse quidem impediri, sed non superari, quia si homo non faciat quod Deus vult voluntate antecedente, Deus facit de ipso quod vult voluntate consequente; & ita semper impletur, vel de homine, vel ab homine, & numquam superatur. Sed nec cassatur, quia non priuatur effectu ad quem est propriè, quatenus Deus dat naturam ordinatam ad gloriam, & paratus est iuuare subministrando necessaria ad illum: quam si non assequitur homo, defectus est ipsius & non Dei. Consentit S. Thom. 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. vbi voluntatem antecedentem vocat voluntatem secundum quid, & non simpliciter; & velleitatem potius quam voluntatem absolutam nominandam fatetur: & sic patet, inquit, quod quicquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud quod antecedenter vult, non fiat. Si ergo bonum quod præcipue, & antecedenter vult fieri ab homine, non fit, & malum quod vult non fieri, ab eodem fit; voluntas huiusmodi antecedens est, & non absoluta, sed secundum quid, & conditionata, quia non vult nisi dependenter ab homine, quem reliquit in manu consilij sui.

S. Thom.

Vbi rursus aduerte contra assertores voluntatis disiunctiuæ absolutæ, esse hanc alienam a doctrina istorum duorum Ecclesiæ Doctorum, quæ communis est, & à Patribus hausta, voluntatem Dei antecedentem numquam superari: quia vel homo facit quod vult Deus per illam heri quantum in se est; & ita impletur: vel non facit; & recedit quidem ab ipsa secundum vnum ordinem, sed relabitur in eandem, secundum alium ordinem, puta diuinæ iustitiæ peccata puientis: & tamen non dicitur talis voluntas absoluta cadens supra disiunctum; nimirum quia Deus non dicitur absolute velle quando vult dependenter à libertate arbitrij hoc, vel illud.

S. Aug. in Enchir. cap. 100. Quantum enim ad ipsos attinet quod Deus noluit, fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis factа est voluntas eius.

Deinde aduerte contra ponentes duo decreta, vnum scilicet vniuersale conditionatum, & indifferens; alterum particulare, & determinatum, recedere & ipsos à doctrina Patrum & Doctorum istorum Sanctorum. nam decretum determinatum fert secum infallibiliter effectum cum sit efficax, & absolutum: sed sine illo decretum vniuersale antecedens præstat omnia quæ sunt necessaria ad hoc vt voluntas creata faciat quod Deus vult, alioqui defectus non proueniret ab ipsa, cum careat necessariis ad agendum, vt docent isti Sancti, ergo non est necessarium hoc decretum.

Confirmatur secundò ex eodem S. Bonau. in 2. dist. illa 37. a. 2. q. 1. vbi respondens argumento, quod si Deus est causa iustæ actionis per sui præsentiam, ergo erit & iniustæ per sui absentiam, sicut nauta per sui præsentiam est causa salutis nauis, & per sui absentiam dicitur causa submersionis, negat sequelam quia Deus, inquit, nemini se absentat; imo paratus est omnes adiuuare, & omnibus dare gratiam: sed hæc est voluntas antecedens explicata in primo dist. 47. cit. quæ conditionata ab eo dicitur, & non absoluta, quia vult dependenter à voluntate creata, si ipsa velit.

Ad idem sunt Scotus, Gregor. & alij loc. cit. pro indifferentia.

Probatur præterea principaliter hæc proprietas voluntatis conditionatæ etiam ad hominem illam negantem; Quia Deus non decernit absolute & antecedenter ad præuisionem conditionatam operationis futuræ concurrere hic & nunc cum voluntate ad vnam partem determinatam, ne lædat libertatem, sed solum ex suppositione scientiæ, qua præuidet quid esset facturus in talibus circumstantiis, si poneretur in illis; igitur decretum concurrendi est cum respectu ad voluntatem, ad quam partem illa voluerit nimirum ad hanc si ad eam se determinauerit; eadem enim conditio includitur in obiecto scientiæ, & decreti: hoc autem est idē ac dicere voluntati esse conditionatā. Quod si non requiritur decretū ad vllā partē determinate, quia tota determinatio relinquit volitioni; multo magis apparet cōditio.

Obiciunt recentiores non posse assignari quænam sit illa conditio, qua Deus vult concurrere cum Petro ad actum amoris si amare velit, ad odium si odisse: suppositis enim idemtitate reali actionis Dei, & creaturæ, idem est dicere si Petrus velit, ac dicere volo poni meū concursum, si ponatur meus concursus, quod est nugatorium, sicut si diceret volo quod sit animal, si sit homo.

Neque nugationem impedit distinctio rationis eiusdem à seipso secūdum varios respectus, quia ista fit per intellectum varie comparantem, & sequitur actionem ad quam terminatur decretum, quæ est indiuisibiliter à Deo, & libero arbitrio, non admittens allatum sensum supponentem varios concursus, eosque non necessario connexos, alioqui si necessario connectuntur, idem esset velle Deum ponere suam actionem, si sit actio creaturæ, ac velle esse aliquid quod implicat non esse, ac proinde decretum non esset operatiuum, quia vult id, quod etiam si nollet, non potest aliter esse, sicut si diceres volo moueri, si curram, nolo mori, si viuam, & similia risu digna, En Achilles.

Explicatur adhuc, & confirmatur magis nam dicente Deo, si ego volo concurrere ad actum amoris cum Petro, illum sine dubio eliciet Petrus, non minus est necessarium hoc obiectum scientiæ conditionatæ, quàm si diceret, si prædeterminare voluero ad actum amoris, Petrus

amabit; nam ſi Deus vult ponere ſuum concurſum, cum hic non diſtinguatur concurſu Petri, neceſſario iſte erit; & idem eſt ſi dicat volo concurrere ad amorem, ſi Petrus amare voluerit, termini enim habent connexionem neceſſariam vtpote identitatis; non minus quam ſi poneretur prædeterminatio, cum qua eſt neceſſitas effectus ad cauſam.

Reſpondeo primò per inſtantiam ad hominem ponentem voluntatem diſiunctiuam vt vitet hoc incommodum. Deus dicit volo abſolute concurrere ad amorem, vel ad odium cum Petro; id eſt volo concurrere cum Petro vel amante, vel odio habente; & quia per te concurſus Dei ad amorem eſt vna & eadem actio cum actione Petri, idem eſt Deum velle vel amorem quia Petrus illum vult; vel odium, quia illud vult in executione ſui decreti; & tunc ſenſus erit volo amorem, vel odium; quia concurſus ad amorem cum Petro realiter eſt ipſe amor Petri, & proinde velle concurſum eſt velle amorem, & vice verſa; Volo igitur amorem quia volo amorem, quia Petrum velle amorem, ſeu determinare ſe ad amorem idem eſt per te, ac Petrum amare, & hoc amare Petri eſt actio vna, & eadem cum Dei concurſu: ſolum diſcrimen eſt in modo enunciationis, quia vna eſt conditionalis volo concurrere ad amorem, ſi Petrus amare velit; Altera cauſalis quoad modum, volo concurrere ad amorem, quia Petrus amare vult, quæ diuerſitas non vitat nugationem, ſi qua ineſt primæ, quia in vtraque eſt vna & eadem actio Petri, & Dei, ſiue ad amorem, ſiue ad odium concurrentis: præſertim quia ſecunda non eſt proprie cauſalis, eo quod determinatio Petri ad amorem non eſt cauſa cur Deus concurrat, ſed ſolum conditio: & hæc omnino intelligenda in voluntate etiam diſiunctiua quam facis indifferentem & proinde determinandam in executione à voluntate Petri alterutram partem diſiuncti eligentis: & ita ſenſus eſt volo concurrere vel ad amorem ſi Petrus amare voluerit, vel quia amare vult, ſi quia demotet conditionem, aut ad odium, ſi odiſſe elegerit; & ratio eſt quia Deus vult dependenter à voluntate creata, etiamſi velit diſiunctum, quia hoc ab eadem pendet libere operante; ideo enim à te ponitur voluntas diſiunctiua, quia aptam putas ad conciliandam cum illa libertatem arbitrij; quod fieri non poteſt niſi dependenter ab ipſa fiat, non tamquam à cauſa, ſed tamquam à conditione, ad quam explicandam magis congruit particula ſi, quam quia: ſi quidem illa conditionalibus inſeruit, hæc cauſalibus, quales eſſe proprie nequeunt propoſitiones continentes rationes diuinæ voluntatis, quæ non habet vllam cauſam proprie dictam vt S. Bonau. in 1. diſt. 40. a. 1. q. 2. ad 3. ex S. Auguſt. & cum eo S. Thom. 1. p. q 1. a. 5. c. ex eodem: Iccirco quando quærenti cur Deus vi decreti indifferentis exequatur actum determinatum, reſpondes quia ſequitur determinationem voluntatis creatæ, & amat non odit ſeu concurrit ad amorem & non ad odium, quia iſta odit, non aſſignas cauſam, ſed conditionem. Ergo voluntas eſt conditionata ex parte obiecti.

Secundò, reſpondeo; directe ſenſum iſtius conditionis volo concurrere ſi Petrus velit, non eſſe volo poni metum concurſum ſi ponatur meus concurſus; ſed hunc potius volo meam potentiam applicatam per modum actus primi voluntati Petri ſimul cum illa operari id ad quod ſe determinauerit; in quo nulla eſt nugatio, quia prædicatum propoſitionis continet effectum; ſubiectum continet cauſam, Nec refert quod enuncietur per modum abſolutum, vel conditionatum vna enim erit æquipollens alteri, volo meam potentiam concurrere ad amorem ad quem ſe determinabit voluntas Petri, &, ſi ad amorem determinabit ſe voluntas Petri: ſicut ſi quis dicat, Tecum traham nauim ſi vis, ſenſus eſt, mea virtus tractiua adiuncta tuæ cauſabit tractionem, quæ eſt vna & eadem ab vtraque: ſimilitudo eſt in modo volendi trahere conditionaliter, ſi tu trahere volueris, ego tecum traham; licet in reliquis ſit diſparitas, quia virtus motiua vnius non pendet ab altera, vt pendet omnis creata ab increata.

Et quia etiam per te potentia diuina applicata habet ſe per modum habitus, quo voluntas vtitur ad placitum, finge ipſum pellere intellectu, ac voluntate, & voluntati dicere volo tecum concurrere ad actum amoris ſi amare velis, aut ad odium, ſi odiſſe: enuntiatio hæc eſt nugatoria, & æquipollet huic Volo tecum operari amorem vel odium, vtrum malueris, & conditionem ſemper innoluit ſi volueris, etiamſi operatio ipſa, ſeu volitio ſit vna, & eadem ab habitu, & voluntate.

Tertiò, Reſpondeo quod accipiendo concurſum pro actu ſecundo, vt eſt eadem actio Petri ac Dei, non eſt idem dicere volo concurrere, ſi Petrus velit, ac volo ponere meum concurſum, ſi ponatur meus concurſus; ſed ſenſum eſſe ſi Petrus velit amare, ille idem amor erit etiam à mea potentia, ſine qua eſſe non poſſet; In quo ſufficit diuerſus reſpectus ad vitandam nugationem, eadem enim realis actio vt eſt à voluntate creata dicitur determinatio concurſus indifferentis Dei, non autem vt eſt ab increata, & ſi ſit mala, non eſt talis niſi vt eſt ab homine, vt autem à Deo bona eſt, & ens, & ſimilia. Imo etiam in tua ſententia interroganti cur Deus hic, & nunc concurrit ad amandum cum Petro, & non ad odium, reſpondetur, quia Petrus ſe determinat ad amorem, & tamen non eſt ſenſus quod Deus ponit ſuum concurſum, quia ponit ſuum concurſum, eo quod ſit idem realiter cum concurſu Petri, quia ſignificatur diuerſa habitudo eiuſdem concurſus prout eſt à Deo parato concurrere ad exigentiam creaturæ; & prout eſt à voluntate ſe determinante pro ſua libertate ad vnam partem, & trahente ſecum ad eamdem concurſum indifferentem Dei paratum in actu primo ad vtramque. Atque adeo idem concurſus in actu ſecundo ſecundum habitudinem quam dicit ad Deum vt primam cauſam non eſt determinatus ad ſpeciem, vel genus moris, ſed determinationem habet à voluntate creata, & vt ab ipſa manans dicitur liber, bonus aut malus in genere moris. quo ſenſu dixit ſanctus Bonauent. in 2. diſt. 37. art. 1.

Digitized by Google

quæst. 1. ad argumentum. Cum autem dicitur, quod operatio quæ fit propter Deum est bona bonitate moris, hoc intelligitur de operatione creaturæ rationalis: Nam de Deo intelligi non potest, pro eo quod Deus non tantum cooperatur creaturæ rationali, sed etiam irrationali. Et tamen eadem est realiter operatio substans diuersis respectibus, & denominationibus.

Determinatio ad bonitatē quomodo sit à voluntate creata.

Cuius dicti sensus est quod actio specificatiue, & realiter bona non intelligitur reduplicatiue talis quatenus à Deo est vt causa vniuersali, nam sic cooperatur etiam brutis, quorum operationes non sunt moraliter bonæ, neque concursus ad illas bonus est in genere moris; Igitur determinatio ad bonitatem est à voluntate, à qua & libertas, quæ est fundamentum bonitatis, & malitiæ. Alioqui enim Deus vt causa particularis concurrens cum creatura rationali auctor est, & fons totius bonitatis moralis; non secus ac vt vniuersalis est causa omnis entitatis, & Physicæ bonitatis, etiam in actione à se prohibita, quia ab ipso est vt actio est, non vt prohibita ex S. Bonauent. in 1. dist. 37. q. 1. ad argum.

Et hinc patet ad instantiam argumenti negantis vitari nugationem per diuersos respectus rationis, quia fiunt per intellectum varie comparantem, & supponentem varios concursus: nam diuersi respectus habent reale fundamentum à parte rei in diuersis causis concurrentibus ad eamdem operationem, quod sicut sufficiens est ad formandas alias propositiones, & denominationes diuersas etiam per te admittentem quod est certum, eamdem actionem esse malam vt est à voluntate creata, non vt à Deo; Ita sufficit ad vitandam nugationem in termino decreti, qui est concursus vnus & idem Dei, & voluntatis; vt non sit idem Volo concurrere si Petrus velit, ac dicere Volo poni meum concursum si ponatur meus concursus; sed potius Volo vt concursus manans à Petro, vel quod est idem, si manat à Petro se determinante, sit etiam simul à mea potentia sine qua se determinare non potest. Hic quid est nugationis? est autem in exemplis allatis defectu fundamenti realis diuersarum habitudinum ad causas diuersas eiusdem effectus, quales sunt in eadem actione Deus qui se gerit ad modum agentis necessarij, & Petrus qui libere agit, & à cuius voluntate pendet habere secum Deum cooperantem operationi ad quam se determinat: quod cum à summa Dei bonitate proueniat, volente se accommodare naturæ rationalis liberæ; ideo recte congruenterque voluntati vtriusque dicitur Volo concurrere ad amorem cum Petro si ipse amare velit; sicut Volo concurrere vel ad amorem, vel ad odium, si ad alterutrum se determinabit Petrus; non enim aliter concurrit, nisi vt Petrus vult eligendo libere vnum, vt suprà, ex quibus confirmantur dicta à Soario ad mentem sancti Bonauenturæ. Nam

Dicitur voluntas conditionata ex parte obiecti, quia Deus pro sua bonitate non vult nisi quod voluntas creata eligit, quam voluit esse liberam, & similem etiam in hoc sibi. Nunc, ait Basil. in Exam et. Homil. 10. *Quando potentia quidem nos similes Deo fecit, largitus potestatem in hoc, vt assimilemur Deo, reliquum erat vt nos sineret cooperari ipsi gratia similitudinis ad Deum nobis potentia prærogatiæ* Hoc autem est conditionate velle, idest si voluntas hoc, vel illud velit. Cæterum in voluntate Dei significata in recto, nulla est conditio. S. Basil.

Ex quo patet ad confirmationem; solum restat explicandum quomodo illud scientiæ conditionatæ sit necessarium. Pro quo inseruit distinctio ipsius considerati secundum intrinsecam significationem terminorum; & secundum dependentiam à causa libera. primo modo est necessarium, quia termini significant vnum, & eundem actum procedentem à Deo, & voluntate Petri, & facientes propositionem identicam realiter, sicut cum dicitur, si currit mouetur. Secundo modo obiectum est liberum, quia libere Petrus est amaturus, & Deus vult concurrere iuxta exigentiam liberi arbitrij, & non decreuit concurrere efficaciter, & absolute, nisi supposita præuisione amoris conditionate futuri, qua posita obiectum est necessarium sed necessitate consequente, seu ex suppositione, quæ facit sensum compositum minime libertati oppositum.

Confirmatur responsio ex modo loquendi sapientū. S. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 9. quærit quomodo Deus iuste peccata punit, quæ si defuissent, creatura eius plena, & perfecta non fuisset responderque non ipsa peccata, vel ipsam miseriā perfectioni vniuersi esse necessaria, sed animas inquantū animæ sunt, quæ si velint, peccāt &c. Quoties ergo anima peccat, verum est dicere, peccat quia vult, etiam quando tantum est vnus actus deliberatus, qui peccatum dicitur; neque tamen est nugatio, quasi idem sit dicere si velit, vel quia vult, peccat; quia idem actus consideratur vt est à voluntate libere illum eliciente, quod significatur per causalem, quia vult; vel conditionalem, si velit; & vt est difformis rationi, & de obiecto disconuenienti, quod exprimitur per verbum peccandi; & ita vitatur nugatio, quia idem actus realiter significatur cum diuerso respectu, qui sufficit ad varietatem formalem, & ad bonitatem propositionis, vt patet etiam in multis aliis locutionibus; præsertim vbi prædicatur definitio de definito, & vice versa.

Deinde S. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. 3. & alibi, *Deus*, inquit, *agentis influit, & vt agat, & vt bene agat, &c.* Influxus iste, per te, est cooperatio diuina, quæ realiter eadem est cum operatione creaturæ: & tamen ineptus esset sensus, si diceres, influit, vt creatura agat, idest influit, vt influat, cum influxus hic realiter identificetur actioni creaturæ. Rite autem hoc dicitur, quia significatur varia dependentia actionis à Deo, & à creatura non valente operari, nisi & ipso influente.

Tertiò, Scotus in 2. dist. 37. q. vn. §. Ad solutionem, ait quod Deus ex parte sua daret rectitudinem voluntati, si voluntas ex parte sui recte ageret quēcumque actum eliciturā,

hoc eſt dicere quod à voluntate prouenit malitia actus; quia licet ad eandem eius actionem concurrat etiam Deus indiuiſim; tamen quod iſta non ſit recta, non eſt Deo deputandum, eo quòd reliquerit libertatem voluntati, & non denegat ei ſuum concurſum, ſine quo operari non poſſet; & cum quo operari poteſt quod vult ſiue bonum, ſiue malum: & iccirco ſi recte ageret, Deus ex parte ſua daret rectitudinem, ad illam concurrendo, qui modus loquendi rectus eſt; neque nugationem continet, etiamſi eadem numero ſit actio Dei, & voluntatis. Neque enim facit hunc ſenſum, ſi voluntas recte ageret, Deus concurreret cum illa ad actioné rectam, Deus concurreret ad actionem rectam, ſi concurreret ad actionem rectam; ſed potius iſtum, ſi voluntas pro ſua libertate ſe determinaret ad actionem rectam, Deus ſimul ad illam concurreret. Ita conſequenter aſſerendum rite, & abſque nugatione dici, Deus concurret ad amorem ſi Petrus amare volet, quia facit eundem ſenſum, quem propoſitio Scoti explicata.

Quartò, Marſil. in 2. diſt. 16. a. 2. ad 4. rationem principalem habet quòd ſtatuit ſe Dominus cum libera voluntate concurſurum, qualitercumque eligeret, & qualitercumque eligere vellet. Neque tamen dixerjs idem ſignificari per hunc loquendi modum, ſtatuit ponere Deus ſuum concurſum qualitercumque concurreret: quia concurſus Dei & electio volũtatis vna & eadem ſunt Actio.

Quintò, Bellarmin. lib. 4. de Gratia & lib. arb. cap. 15. Sic loquitur, Deus operatur quia voluntas operatur, quod idem dixerat Gregor. in 2. diſt. 37. q. vn. a. 3. ad 2. principal. Ideo, inquit, Deus agit illum actum, quia cum voluntas agit. Igitur recte dicetur ſi voluntas aget, vel agere voluerit illum actum, puta ſi amare voluerit, Deus concurret ad illum, quod eſt illum agere.

Et eodem modo loquendi vtuntur alij Scholaſtici plures, qui nequaquam nugari cenſendi ſunt, quia vſurpant terminos idem ſignificantes realiter, vt ſubſtant diuerſis formalitatibus, & redactionibus, vti diximus.

Similiter recte dicitur, Ideo effectus pendet, quia fit, licet dependentia in fieri, & effectio ſint vnum, & idem, quia non eſt ſenſus quod dependentia manat ab actione, ſed quod per ipſam actionem conſtituitur ratio agentis formaliter vt Soar. in Metaph. diſt. 48. ſect. 1. num. 16.

Tertia conditio voluntatis applicatiuæ, id eſt ſubordinatio voluntaria ad creatam.

CAPVT XXVII.

SEquitur ad duas priores indifferentis, & conditionatæ, & aſſignatur à Suario loco citato, eſtque à S. Bonau. expreſſa in primo diſt. 47. a. 1. q. 2. in reſponſ. ad 3. quod voluntate Dei non poſſit reſiſti. *Dicendum*, inquit, *quod verum eſt quando voluntas vult omnino quod nihil fiat, niſi quod oſtendit ſe velle; ſed diuina voluntas non eſt talis, imo vult quod vnuſquiſque habeat propriam libertatem, & faciat quod vult. Vnde potentia faciendi contra diuinam voluntatem eſt à diuina voluntate.* Deus igitur ex hoc quod voluit facere creaturam liberam ac libere operantem, noluit ipſam determinare ad vnam partem potius quam ad aliam, ſed liberam reliquit facultatem eligendi quam vellet; vt manifeſtũ eſt in actionibus malis, quas ipſe non vult, neque determinat: Et quia fruſtra eſſet talis facultas, niſi haberet omnia neceſſaria ad agendum, & proinde paratum Dei concurſum à quo pendet eſſentialiter, iccirco permiſit illi eo vti ad libitum, quod eſt ſubordinaſſe voluntarie ſuam potentiam quoad actiones liberas voluntati creatæ, quæ eſſentialiter illi ſubordinata eſt ex eo quod creatura eſt, non enim repugnant hæ duæ ſubordinationes, ſi quidem vna eſt voluntaria & ſecundum quid ex ſumma liberalitate Dei; altera neceſſaria, & abſoluta ex ſumma indigentia, & dependentia creaturæ à Deo. Audi S. Bonau. in 1. diſt. 45. a. 2. q. 2. ad arg. *Cum Deus ſit omnium cauſa immediata, quorumdam tamen eſt tota cauſa, ſicut eorum quæ creantur. Quorumdam autem eſt cauſa particularis, vt eorum quæ ſunt à natura particulari: & hoc quidem cauſa concurrit non propter indigentiam diuinæ voluntatis; ſed propter ſummam liberalitatem, quæ non tantum dedit rebus eſſe, ſed & operationem, & diffuſionem propter ordinem & connexionem vniuerſi ad inuicem. Nec vna cauſa derogat alteri, ſed totus effectus eſt à cauſa creata, & totus à voluntate infinita creata.*

S. Bonau.

Totus effectus eſt à cauſa creata, & voluntate increata.

Idem habet S. Thom. 3. cont. gent. cap. 70. fin. *Non eſt ſuperfluum ſi Deus poteſt per ſeipſum omnes effectus naturales producere, quod per quaſdam alias cauſas producantur. Non enim hoc eſt ex inſufficientia diuinæ virtutis; ſed ex immenſitate bonitatis ipſius, per quam ſuam ſimilitudinem rebus communicare voluit: non ſolum quantum ad hoc quod eſſent, ſed etiam quantum ad hoc quod aliorum cauſæ eſſent. His enim duobus modis creaturæ communiter omnes diuinam ſimilitudinem conſequuntur, &c.* quod confirmat late cap. 77. & 1. p. q. 103. a. 6. & q. 104. a. 2. & vltra. Igitur & voluntas creata habet ſimilitudinem, & eo magis expreſſam, quo propius accedit ad Deum in dominio ſuorum actuum: ſed quia hoc Deus voluit eſſe liberum, & expeditum, & tale non poteſt eſſe ſine ſuo concurſu, ideo & hunc illi ſubordinatum voluit, vt eo vteretur. Vnde & recte dicitur modificari concurſus Dei à concurſu creaturæ, & contrahi ad hanc ſpeciem actus vt Caiet. 1. p. q. 14. a. 13. & q. 19. a. 8. & cum Soar. Leſſ. de Gratia, cap. 4. num. 17. Ruiſ. de vol. diſp. 45. ſect. 9. & alij noſtri.

S. Thom.

Concurſus Dei dicitur modificari à concurſu creaturæ.

Conſentit Scot. in 2. diſt. 37. quæſt. vn. §. ad ſolutionem, vbi docet diuinam voluntatẽ ita concurrere cum creata, vt ſi ſit defectus in ipſo velle tribuatur creaturæ, *quia poſſet rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, tamen non dat: alia autem licet non teneatur eã dare; tamen quantum eſt de ſe daret, ſi voluntas creata cooperaretur, vniuerſaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud conſequenter quantũ eſt*

Scot.

Digitized by Google

ex se nisi esset impedimentum : dando autem voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate voluntatis ; & ideo quantum est ex parte sui dedit rectitudinem omni actui voluntatis, & voluntati ex consequenti daret, si ipsa voluntas quemcumque actum elicitum recte ageret ex parte sui, &c. Hoc profecto est velle accommodare se voluntati creatæ, operando quod illa operatur ; in quo consistit voluntaria hæc subordinatio.

Secundò, Hanc subordinationem probant quæ docent Patres ; & Scholastici de Permissione malorum. Hos inter S. Augustinus eam apprimè describit in Enchirid. cap. 104. cum. enim dixisset Deum omnipotentem facere quæcumque vult in cælo, & in terra, & facere velle quæcumque non facit, subdit, *Quapropter etiam primum hominem Deus in ea salute in qua conditus erat, custodire voluisset, eumque opportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, vbi iam non solum peccatum non committere ; sed nec voluntatem posset habere peccandi, si ad permanendum sine peccato, sicut factus fuerat perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset ; Quia vero enim male vsurum libero arbitrio, hoc est peccaturum esse præsciebat, ad hoc potius præparauit voluntatem suam, vt bene ipse faceret etiam de malè faciente, ac sic hominis voluntate mala non euacuaretur, sed nihilominus impleretur omnipotentis bona.* Et mox. *Sed ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamuis sit melius quod peccare non possit : sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam mori ; quamuis maior futura sit in qua non possit mori.*

Hic primum habemus ex sancto Augustino Deum potuisse absolute impedire peccatum primi hominis si voluisset, & eo perducere sine morte, vbi nec peccare potuisset. Secundò, voluisse nihilominus eum libero arbitrio relinquere, & permittere vt peccaret ad ostendendum quam bonum sit animal rationale ex libertate eligendi quod vellet. Tertiò, Hinc constat Deum voluisse accommodare suam voluntatem primi hominis arbitrio, & ita contulisse gratiam cum qua stare posset, si vellet, vt tamen non destitueret auxilio ad operationem contrariam qua laberetur, vt voluit. Habuit ergo voluntatem Deus concurrendi ad bonum quod suadebat, si ad illud applicuisset se Adam ; & ad malum si ad hoc declinasset : qui autem vult facere cum alio quod ipse voluerit, subordinat voluntatem suam voluntati eius. At in permissione Deus non destituit ita ; voluntatem, vt non adsistat illi per concursum generalem paratum in actu primo ad opposita voluntas quippe Dei permissiua remouet impedimenta operationis, & soluit vincula necessitatis, vt sit potentia libera proxime expedita ad faciendum quod vult, quod ex scriptura & Patribus confirmat P. Ruiz de vol. disputat. 31. sect. 2. & ratione manifestum est, nam cum sine concursu Dei nihil operari possit creatura, non diceretur Deus permittere, sed nolle concurrere ; neque illa diceretur sini agere cursus suos, quæ Deo non coagente stupida est, & impotens agere.

Voluit Deus accommodare voluntati primi hominis.

Neque vero hoc locum tantum habet in malis quæ non sineret bonus, nisi omnipotens etiam facere posset bene, vt Augustinus in Enchirid. cap. 100. tom. 3. Sed vniuersaliter in omnibus quæ à libero pendent arbitrio ; quanquam enim bona intendit Deus, & illorum auctor, ac fautor est, non malorum ; tamen etiam in iis seruat modum operationis maxime congruentem animæ rationali, eamque ita præuenit sua gratia, vt liberam relinquat ad consentiendum & dissentiendum in sensu composito, & posita vocatione, vt definitum censemus à Trident. sess. 6. can. 4. de Iustificat. nam licet quantum in se est consensum intendat ; tamen potentiam suam executiuam paratam habet ad oppositum ; & ideo tam consentienti cooperatur, quàm dissentienti ; quod non faceret, nisi voluntatem suam subordinasset voluntati creatæ, hoc est voluisse concomitari, & adsistere illi ad omnem partem, ad quam illa se determinat ; ita exigente natura eius libera. Idque adeo conuenienter est suauiProuidentiæ Dei, vt cum possit efficacissima vocatione, cui nullum quantumuis durum cor resistat, quoties velit, ad se conuertere quemcumque velit, tamen accommodat se tempori, & voluntati eius quem conuertit, vt clare Sanctus Chrysost. Homil. 65. in Matth. circa med. *Quando porro Deus voluit* (scilicet vocare Paulum) *Quando certe obtemperatus erat : nam ipse à primis etiam incunabulis noluisset ; sed quia illum reuixurum sciebat, tunc voluit, cum animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat : sic & Latronem, cum posset vocare, noluisset antea ipsum vocasse, sed vocatus ille non paruisset, &c.* Et ratio est, quia Deus qui dominum fecit hominem suorum actuum non vult vsurpare sibi, & auferre illi quæ sua esse voluit, & ideo coagit quidem agenti, sed ad placitum ipsius. Profecto, inquit Augustinus de Spiritu, & lit. cap. 34. *Et ipsum velle credere Deus operatur in nobis, & in omnibus misericordia eius præuenit nos : consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi propria voluntatis est, &c.* proinde proprium eius determinando se ad consensum, siue quod idem est, consentiendo, vti diuina potentia adsistente sibi cum indifferentia ad consensum, vel dissensum, & secum trahere ad quem voluerit : vt supra de habitu, dicebamus qui tam quando necessarius est, vt in supernaturalibus ; quam cum solum est bene esse, & facilius operari, semper manet in potestate voluntatis eo vti, vel non.

S. Chryſ.

S. Augusſ

Consentire, vel dissentire vocationi est propriæ voluntatis.

Ex quibus formatur argumentum ad probandam huiusmodi subordinationem voluntariam diuini concursus ad voluntatem creatam, Deus vult creaturam libere operari, ergo etiam vult permittere vt agat quod vult tam in bonorum, quam in malorum electione ; sed hoc fieri non potest, nisi accommoder suam voluntatem libertati eius, vt cooperetur illi ad partem quam elegerit, quia sine hac cooperatione non potest quicquam velle : igitur subordinat suam voluntatem spontaneè, ac libere voluntati creatæ alioqui sibi essentialiter subordinatæ.

Digitized by Google

In hac ſubordinatione oſtēdit Deus ſuam bonitatem, ſapientiam, &c.

Itaque ratio à priori eſt diuina voluntas; congruentia ex parte tum voluntatis creatæ, tum ordinis vniuerſi aſſignatur ab iiſdem Patribus & Scholaſticis. Primò Deus hanc vult ſubordinationem ex permiſſione relucentem ad ſuam ſapientiam oſtendendam, quæ multiplices libertatis ſpecies communicare voluit creaturæ intellectuali tam per gratiam videlicet dempta facultate illa abutendi ad malum, vt in Chriſto Domino & beatis, in quibus multo liberius eſt arbitrium, quod omnino ſeruire peccato non poteſt iuxta S. Auguſtinum in Enchirid. cap. 105. quàm per naturam vt in creatura impeccabili vel abſolute, vel ſaltem circa naturalia, in ſententia negante implicantiam eius, de quo in quæſtione propria pluribus differam; & vniuerſaliter in natura Angelica, & humana, quæ lapſæ ſunt.

Deinde manifeſtat Deus in hoc ſuam bonitatem, & Potentiam. *Neque enim Deus omnipotens*, ait Auguſt. in Enchirid. cap. xi. *Cum ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, vt bene faceret etiam de malo.* Tertiò oſtendit ſuam patientiam in tolerandis peccatoribus, & exhibendo ſuum concurſum etiam ad illa quæ contra ſe perpetrant, & miſericordiam in bonis iuxta illud Apoſtlo. Rom. 9. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam, &c.*

S. Auguſt. Quartò, Manifeſtat iuſtitiam. Auguſt. in Pſal. 110. *Sicut enim vult vt homo non peccet, ita vult peccanti parcere vt reuertat, & viuat. ita vult poſtremo in peccato perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax non euadat.*

Quintò, In iis omnibus arcet Deus prouidentiam ordinando omnia ad fines bonos quæ fieri permittit, & faciendo de malis bene: *Sed Deus* (ait Auguſtin. lib. xi. Ciuit. cap. 16. *ſicut naturarum bonarum optimus creator eſt; ita malarum voluntatum iuſtiſſimus ordinator, vt cum male illa vtuntur naturis bonis, ipſe bene vtatur etiam voluntatibus malis, &c.* & capite ſequenti. *Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, ſed vel hominum, crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum vſibus commodaret; atque ita ordinem ſæculorum, tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibuſdam, quaſi antithetis temperaret. finis tandem omnium ipſe eſt, qui vniuerſa propter ſeipſum operatus eſt*, Prouerb. 18. Vt iccirco merito pronunciet Auguſt. in Enchirid. cap. 96. *Nec dubitandum eſt Deum facere bene, etiam ſinendo fieri quæcumque fiunt male. Non enim niſi iuſto iudicio ſinit. & profectò bonum eſt omne quod iuſtum eſt, &c.*

Quæ rationes ex Dei voluntate petitæ probant æquum fuiſſe vt Deus accommodaret illam voluntati creatæ, volendo cum ipſa concurrere indifferenter quantum eſt ex ſe, permittendo illi determinationem, quæ eſt ſubordinatio voluntaria; *Nam alioqui cum ipſe ſit Dominus voluntatum quas condidit, tam facile illæ fuerat impedire mala, quæ admittunt pretioſo gratiæ ſuæ munere; quam admiſſa eiuſdem efficacitate corrigere, non aptando ſe determinationi earum; ſed illas ſuæ? quis enim tam impie deſipiat vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non poſſe conuertere?* Auguſtin. in Enchir. cap. 96. cit. vbi & in vniuerſum dicitur tam facile eſſe quod non vult, eſſe non ſinere, quàm quod vult facere.

Deus poteſt malas voluntates quando & quo modo voluerit conuertere.

Congruentia ex parte voluntatis creatæ, & ordinis vniuerſi explicatur à S. Bonauentura in 1. diſtinct. 47. art. vn. quæſt. 3. *Dicendum*, inquit, *quod Deus permittit mala fieri, & hoc ordinatiſſime. Duplex enim eſt ordo rerum, vnus in vniuerſum, alter in finem; & vterque exigit quod Deus permittat mala fieri. Ordo quippe in vniuerſo exigit, quia ad perfectionem vniuerſitatis neceſſe fuit fieri creaturam arbitrio liberam, & peccare potentem; ſed adminiſtratio vniuerſitatis eſt, vt Deus ſic res conditas adminiſtret, vt eas agere proprios motus ſinat, ſicut dicit Auguſtinus de Ciuitate Dei. Ideo cum debuerit* l. 7. cap. 30 *dare potentiam peccandi, & debuerit regere ſaluo ordine ſuæ conditioni, ſi voluit peccare, debuit permittere; & ſi non voluit peccare, debuit conſeruare, & ita debuit permittere mala, &c.* Vbi, *ſi voluit peccare*, non accipias de voluntate abſoluta, ſed conditionata, quæ eſt concurrendi ad actionem peccati, ſi ad illam ſe determinet voluntas. Pergit ibidem hoc ex fine demonſtrare qui eſt diuinæ laudis conſurgentis ex miſericordia in præmiis electorum, qui ſic glorioſiores redduntur; & iuſtitia quæ refulget in pœnis reproborum, quæ omnia eo ſpectant vt commendetur bonitas, ſapientia, ac potentia Dei in creatione naturæ rationalis liberæ, & cooperatione ad actus eius iuxta ipſius exigentiam; in quo illi ſe ſubordinat... Exigentia porro conſiſtit in hoc, quod quia potentia creaturæ reſpicit duas partes oppoſitas non coniunctim ponendas ſed diſiunctim hanc, vel illam, quoniam ſimul eſſe non poſſunt, ſed tantum ſucceſſiue, prout ſe determinauerit; ideo Dei decretum vt illi proportionetur, debet eſſe indifferens, & indeterminatum & concurſus in actu primo, ſiue potentia eius applicata per voluntatem debet eſſe parata ad oppoſita; & vt ipſi accommodetur in actu ſecundo debet eſſe conditionatum, concurrendi videlicet ad hanc ſi ſe determinabit voluntas creata; vel ad oppoſitam, ſi illam eadem elegerit, quandoquidem in facultate eius eſt vtramlibet eligere, & vtramque ſucceſſiue, hoc eſt diſiunctim vtramque.

Dices ex vj huius decreti voluntas creata abſolute redditur potens determinare ſe ad quam partem voluerit; & ſine illo eſt abſolute impotens, ergo non eſt conditionatum, ſed abſolutum & efficax, conditionatum enim nihil ponit in eſſe.

Reſpondeo diſtinguo conſequens: nam conditio vel ſe tenet ex parte voluntatis diuinæ, & ita decretum eius non eſt conditionatū; ſed abſolutum, & efficax, quantum eſt ex ſe; cum re vera Deus ſit paratus ad efficaciter cōcurrendum tam ad hunc, quàm ad illum actum & realiter per illud voluntas creata redditur potens operari quem voluerit, vt Soar. proleg. 2. de Gratia cap. 8. num. 17. vel conditio

Digitized by Google

attenditur penes effectum extrinsecum, & est conditionatum decretum, quia illum non vult Deus, nisi voluntas creata se ad illum determinauerit: est tamen efficax, quia vi illius alterutra pars sequetur quam voluntas elegerit, & quia per ipsum constituitur proxime potens eligere, cum essentialiter ab ipso pendeat, & nihil sine illo possit.

Obicies contra hanc 3. conditionem, quia ex ea sequitur Deum dependere in operando à creatura, quod est contra perfectionem eius, & contra rationem primæ causæ independentis, & à qua pendent secundæ essentialiter; & proinde destruitur ordo essentialis inter primam causam & secundas. Respondet Marsi. in 2. dist. 25. q. 1. Quoad nostrum modum loquendi, inquit, potest dici Dei concursus quodammodo dependere à nostra voluntate, cum est paratus coagere, vel non coagere ad nostram nutum. Et. Cæterum manet dependentia, & ordo essentialis, quia prima quidem causa potest agere sine secunda, non item hæc nisi coagat prima; & quod subordinauerit voluntarie suum concursum voluntati creatæ, non est proprie pendere ab ipsa, sed ex sua liberalitate aptasse suam potentiam liberæ electioni eius, ne deesset in necessarijs, & determinationem vsus illius propriam faceret potentiæ rationalis creatæ, ita tamen vt omnis eius operatio pendeat à Deo simul operante.

Quarta Conditio eiusdem voluntatis est determinabilitas voluntaria à creata.

CAPVT XXVIII.

SEquitur hæc quarta conditio ex tribus antecedentibus; cum enim causa omnis indifferens seu indeterminata ad hoc vt agat determinatione indigeat; & conditionata in absolutam transire debeat: idque non aliunde expectandum sit quam ab illa cui subordinata est ad hunc finem, consequens est diuinam potentiam per voluntatem applicatam libero arbitrio creato, & paratum ad eam partem quam volens, libensque elegerit, ab eodem determinari, ideſt ex sua indifferentia ad oppoſita, quodammodo extrahi ad vnum ipsorum, non per aliquam actiuitatem in ipsam, aut naturalem dominationem; sed vt sæpe diximus, per liberam determinationem, & formalem operationem, quam totam permisit libertati ipsius Dei voluntas; ideoque coefficit cum illa se determinante, & eligente alterutram ex partibus quas indifferenter proponit intellectus. Ita vt determinatio actiua voluntatis creatæ sit ipsa eius operatio vt ab ea manat, & formaliter, ac intrinsece ipsam afficiens: Eadem vero dicatur & determinatio extrinseca diuinæ, quatenus actu concurrentis ad hanc determinate, quia voluntas creata illam eligit; cæteroqui de se parata ad alteram. Itaque efficienter & proprie neutra voluntas determinat alterutram; non diuina, quia nihil imprimit in humanam, aut decernit antecedenter ad præuisionem operationis eius, ne libertati officiat; non humana, quia nihil potest in diuinam; sed vtraque se determinat, quia vult, licet diuina accommodet se humanæ cui adest. Hoc vult S. Bonau. locus supra cit. quibus voluntatem Dei appellat indeterminatam, quia videlicet sequitur determinationem creatæ, cui obsequenter se accommodare voluit, ne libertati incommodaret. Hoc D. Thomas vbi concursum vniuersalem Dei fieri particularem, & determinatum à causis secundis non semel asseruit, vt vidimus. Hoc reliqui Scholastici, qui Deum agere quod voluntas creata agit, & quia agit enunciant, vt Gregor. in 2. d. 37. q. vnica, ar. 3. ad 2. princip. *Ad hunc sensum, ait, dico, Deum sequi determinationem voluntatis creatæ, quoniam ideo Deus agit illum actum, quia eum voluntas agit, & non ideo quia Deus agit illum, voluntas agit illum, & ideo magis proprie dicitur Deus coagere voluntati in causando talem actum, quàm voluntas dicatur coagere Deo.*

S. Bonau.

S. Thom.

Gregor.

Et nisi vis in voce fiat, idem vult Caiet. 1. p. q. 14. a. 13. §. Neque sustinendus: *Motio*, inquit, *causæ prioris modificatur à causa secunda secundum modum ipsius causæ secundæ.* Et hoc paulo inferius negans fieri per actionem præuiam, addit, *Quoniam causa cooperans intrinsece cooperatur vnicuique secundum modum eius cui cooperatur. Talis est autem cooperatio causa primæ, &c.* Hoc autem est determinationem permittere causæ secundæ si sit libera, quia illius naturæ se accommodat, non secus naturæ causarum naturalium quæ ad vnum sunt determinatæ. Gabr. in 2. dist. 37. a. 1. *Quia nihil efficienter vult voluntas diuina voluntatem creatam velle, nisi quod vult voluntas creata. Ad hoc enim determinat se diuina voluntas dando voluntati creatæ libertatem, quod est dare ei facultatem eliciendi, & non eliciendi, & ad quemlibet actum, quem elicere voluerit, velle sibi coagere.* Marsi. in 1. dist. 45. a. 2. post concl. 7. *Vnde in potentijs liberis imaginandum est, quod quemcunque actum elegerint, Deus & causa vniuersalis agit cum eis, libere tamen, dedit enim ad hoc libertatem arbitrij, vt possit in actus bonos, & malos.* Ex mox. *In actibus qui disconueniunt voluntati quasi voluntas præuenit eum, quia ex quo Deus præcipit contrarios, & bonos voluntatis, malos voluntate non produceret, nisi præueniat aliquomodo per voluntatem liberè se determinantem ad partem sibi nociuam, &c.* Determinatio ergo voluntatis creatæ est quæ trahit ad se, ac determinat increatam de se indeterminatam ad certam partem, & solum determinatam ad agendum quod creata egerit.

Caiet.

Motio causæ prioris modificatur à causa secunda.

Bellarmin. lib. 3. de amiss. Gratiæ c. 18. obiicit quod actio humana non solum vt res quædam, sed etiam vt actio talis in specie est aliquid, igitur vt talis in specie est à Deo. Respondet actionem humanam plane totam esse à Deo, & ab ipso habere non solum esse genericum, sed etiam specificum & singulare: cæterum id habere per concursum Dei determinatum ad actionem talem à voluntate humana; Proinde habere specificum non ex modo agendi Dei, sed ex modo agendi voluntatis humanæ.

Bellarmin.

Et ex interpretibus S. Bonauenturæ diserte

docet F. Franc. Longus 1.p.q.23. a.4.§. Vel dicamus concurſum 1. cauſæ modificari à libero arbitrio, citans Alenſ. 1. p. q. 26. n. 2. explicat dein in 2. propoſ. exemplo calami qui aptatur à ſcriptore, & modificat concurſum eius in ſcribendo, quàm conſequenter ad ea quæ dixerat diſp. 19. a. 5. de concurſu præuio ipſe viderit.

Ratio ad hoc probandum tandem ex diuina voluntate petenda eſt attenta congruentia ex parte voluntatis creatæ: ex eo enim quod voluit condere naturam liberam, debuit illam relinquere in manu conſilij ſui, & proinde præſto illi eſſe vt poſſet proxime, & expedite operari quod vellet: Si autem illam determinaret ad vnam partem, iam non eſſet libera ad alteram, igitur non debuit illam determinare, ſed iuuare ad ſe determinandam, ſi quidem ſine tali auxilio impotens eſſet ſe determinare: & quia determinatio hæc voluntatis nihil eſt aliud quàm ipſa eius operatio, hinc fit quod voluntas determinando ſe per ſuam operationem, ſimul determinare dicitur ſeu limitare, ſeu modificare concurſum Dei in actu primo paratum indifferenter ad oppoſita, & quod in actu ſecundo eadem actio vt manat à voluntate creata dicitur determinatiua ſui vt procedit ab increata; quæ eſt determinatio quædam metaphyſica ſimilis iis, quas genera ſortiuntur à differentiis habentibus eandem entitatem diſtinguibilem in varios gradus per intellectum cum fundamento in re ipſa.

Confirmatur, quia hic modus determinationis nullam inuoluit imperfectionem; Deus enim accommodando ſuam diuinam potentiam voluntati creatæ, & permittendo libertati eius determinationem, ex ſua libertate, ac bonitate hoc facit, vt ſupra ex S. Bonau. & S. Thom. oſtendimus. Deinde demonſtrat ſuam ſapientiam in adminiſtratione vniuerſi, ad cuius perfectionem pertinent creaturæ liberæ, & peccare potentes, etiamſi peccata non pertineant ad perfectionem. *Quomodo*, inquit, Auguſt. l. 3. de lib. arb. c. 9. *iuſte peccata punit, quæ ſi defuiſſent, creatura eius plena & perfecta non eſſet? Hic reſpondetur non ipſa peccata, vel ipſam miſeriam perfectioni vniuerſitatis eſſe neceſſaria, ſed animas, in quantum animæ ſunt, quæ ſi velint, peccant, ſi peccauerint, miſeræ ſunt, &c.* Inde ſequuntur pœnæ & vindictæ peccatorum in quibus manifeſtat Deus iuſtitiam ſuam; & præmia in quibus ſuperexaltat miſericordia iudicium, quæ omnia ſupponunt Deum ita reliquiſſe vim liberam ſe determinandi voluntati creatæ, vt ſimul illi præſtaret concurſum ad eam partem quam eligeret, ac proinde ab ipſa determinandum cum de ſe ſit indeterminatus, ideſt indifferenter præparatus ad oppoſita. Vide S. Bonau. in 2. diſt. 25. a. 1. q. 1. fin.

Reſponſio ad argumenta contra dicta de determinatione voluntatis creatæ.

CAPVT XXIX.

OBiicies 1. quia cauſa creata, puta Sol, Aſtra &c. cum ſit limitata, & immerſa potentialitati, poteſt per concurſum alterius cauſæ determinari ad certos effectus; at Dei perfectioni, & dominio, cum ſit purus actus, & infinitus, repugnat talis determinatio, etiam à libero arbitrio manans, dicit enim quandam poteſtatem in cauſam determinatam, qualis nulla eſt creaturæ in creatorem.

Deinde maius eſt dominium Dei in creaturas, quam liberi arbitrij in reliquas potentias, & membra ſibi ſubdita, ſed eius concurſus non modificatur ab iſtis, ergo neque Dei à creaturis omnino ſibi ſubditis, & pendentibus ab eius nutu tam in eſſendo, quàm in operando.

Tertiò, Quod determinat, & modificat, complet, ac perficit id quod modificatur: quis autem dixerit concurſum Dei perfici à creatura?

Quartò, Nihil habet creatura ex ſe ipſa, ſed totum habet à Deo, vt primo fonte omnis entitatis, ergo prior eſt concurſus Dei quam creaturæ, qui eſt à Deo; non ergo determinatur ab eo, quia in illo priori quo intelligitur eſſe, iam determinatus eſt.

Quintò, Affertur contra omnia dicta de voluntate Dei accommodante ſe humanæ canon 4. concilij 2. Arauſ. negantis Deum expectare voluntates noſtras.

Ad primum, Determinatio iſta creaturæ non dicit illam poteſtatem vel dominium eius in Deum, ſed vice verſa oſtendit dominium Dei in ſe volentis accommodare ſuum concurſum naturæ ac libertati ipſius, & manifeſtare in hoc ſuam ſapientiam, ac bonitatem; in quo nihil apparet repugnans ſimplicitati actus, aut infinitati perfectionis; ſed potius ſumma potentia, & bonitas Dei, & libertas ab eo data creaturæ.

Determinatio voluntatis creatæ non dicit illam poteſtatem in Deum, ſed libertatem ab eo acceptam.

Ad 2. Potentiæ, & membra, ac inſtrumenta libero arbitrio ſeruientia non agunt libere; & cum indifferentia ipſorum ſit mere paſſiua, egent determinatione eius: at vero ipſum arbitrium eſt agens liberum habens indifferentiam actiuam, & potens ſe determinare, & ſimul concurſum Dei ſecum trahere quocumque vult, ſic illo volente, qui talem creaturam condere voluit, quæ ſe vertere in quamcunque vellet partem valeret; & conſequenter illi adeſſe vbi eſſe vellet, vt muneri primæ cauſæ non deeſſet.

Ad tertium, Diuinus concurſus vel conſideratur in actu primo pro potentia Dei applicata creaturæ ad hoc vt ſit proxime potens operari iuxta naturam ſuam; & ſic falſum eſt quod omne modificans perficiat id quod modificari dicitur; cum potius hoc ſit perficiens id quod modificare dicitur; vt patet in cauſis vniuerſalibus, quarum coniunctione

Digitized by Google

completur virtus inferiorum. Vel consideratur in actu 2. atque ita cum sit eadem actio concursus Dei, & creaturæ, non est vlla modificatio realis, & physica quæ supponit distinctionem modificantis à modificato: est tamen eadem entitas distinguibilis in duas rationes metaphysicas, quarum altera vt dicit respectum ad creaturam, est determinatiua alterius vt est à creatore; sed & in ea falsum est quod sit nobilior & perfectiua quæ est à creatura, quia limitare, seu determinare hoc modo non est perficere, sed contrahere quod perfectius est vtpote magis independens, & vniuersalius ad rationem particularem dependentem, de quo infra in solutione similis argumenti ab aliis paulo aliter propositi.

Ad 4. Concursus in actu 2. manans à Deo, & creatura non est prior, aut posterior, cum sit vna simplex entitas physica simul ab vtroque procedens; metaphysice distinctus in duas rationes est prior secundum vnam vt respicit primam causam magis vniuersalem, perfectam, & independentem; sed non infertur quod pro aliquo signo priori quàm intelligatur esse à causa secunda sit determinatus, quia ad determinationem concurrit ista simul cum illa, licet primæ non tribuatur determinatio, cum de se sit indifferens ad opposita ex suo beneplacito.

Ad 5. Conciliũ illud fuit contra Semipelagianos asserentes Deum expectare vt homo inchoet opus liberi arbitrij priusquam ipse incipiat opus gratiæ: quod damnat concilium definiens Deum incipere infundendo spiritum gratiæ, & causando voluntatem salutis, iuxta illud Philip. 2. Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere; sed tamen accommodat se voluntati quam libere operari vult, & cooperari gratiæ præuenienti. Vide Soar. tom. 1. de Gratia Proleg. 5. c. 6. à n. x.

Respondetur quibusdam instantiis recentiorum contra doctrinam superiorem de determinatione voluntatis creatæ.

CAPVT XXX.

Asserunt isti determinationem ex parte voluntatis creatæ esse priorẽ quam sit ex parte Dei, & prioritatẽ istam explicant non de dependentia reali; sed tamen secundũ priores rationes in re, seu obiecto fundatas; quæ & signa rationum dicuntur, & mouentur.

Primò, quia non potest intelligi quomodo Deus concurrat non cæco modo vt nobis obiiciunt aduersarij, sed sapientissime, & oculatissime ad hunc actum determinate, nisi præuideat quid sit factura voluntas; ergo præuidet iam determinatam, ergo prior natura est hæc determinatio, quia non præuidetur futurum indeterminatum.

Confirmatur Quia S. Thomas asserens Deum accommodare se humanæ voluntati, & quod eius motus determinator, & particularizatur à causa secunda, indicat hanc prioritatem.

Secundò, Ipsemet Soarius negans hanc prioritatem, tandem compulsus eam admittit nam lib. 1. de Concursu c. 15. ait quod actio determinata egrediens à Dei voluntate, & potentia cooperante accipit determinationem à causa secunda, quia hæc est proxima causa determinationis. Et num. 7. Causa secunda quantum ad determinationem actionis est quodammodo prima radix, & quod hoc significare voluerunt, qui eam in genere causæ materialis prius natura concurrere dixerunt: Neque hoc censeri debet absurdum quod Deus quodammodo expectet determinationem voluntatis nostræ, vt se illi accommodet, vt concedit idem Soar. ibid. & Val. mox citandus non obscure indicat, aut supponit hanc prioritatem.

Tertiò, Valentia 1. p. q. 14. puncto 5. assert. 3. *Ex hoc*, inquit, *præcisè quod Deus cognoscit certo causam contingentem proximè iam determinari ad efficiendum aliquem effectum, & à nulla prorsus alia causa impediri, certo etiam cognoscit effectum contingentem futurum*, &c. Igitur talis determinatio est prior ipso actu, qui sequitur ipsam, & est idem procedens à causa prima, & secunda.

Quartò, Causa libera est indeterminata ad agendum, ergo prius debet determinari, quam operetur, non à principio extrinseco, igitur à seipsa.

Quintò, Ex suppositione quod Deus velit se accommodare voluntati creatæ, verum est dicere, ideo velle ipsum concurrere cum Petro ad actum amoris, quia videt Petrum amaturum, seu determinaturum se ad amandum, ergo determinatio Petri futura sub conditione supponitur decreto absoluto concurrendi cum ipso.

Respondeo ad primum concedo antecedens, & primam consequentiã, sed nego secundam, quia hæc determinatio non est aliud, quàm ipsa actualis operatio voluntatis, vt constat ex dictis præsertim contra sententiam adstruentem applicationem voluntatis vt priorem ipsa operatione, quod autem additur de cæco modo infra tractandum est.

Ad cons. negatur quod sanctus Thomas ponat determinationem in voluntate creata priorem concursu Dei, & operatione eiusdem voluntatis: neque hoc inferri potest ex eo quod se accommodat creatæ voluntati, & ab ipsa determinetur eius motus, vt patet ex dictis supra, vbi sensum istarum propositionum explicauimus.

Ad secundum, Prædictas propositiones habet Soarius, & tamen diserte negat voluntatem prius influere, vel operari in aliquo signo naturæ, vel rationis, & solum concedit dici quasi proximam radicem determinationis, non quia possit se determinare sine influxu primæ causæ, aut quia talis determinatio sit quid prius eodem influxu; sed solũ quia in illo priori ante operationem est indeterminata, & potest pro libito se determinare, cum Deus ex suppositione quod applicauerit suam potentiam ad concurrendum cum illa ad actum quem elegerit, intelligatur vt causa determinata, & necessaria ad operandum quod voluntas operabitur; & ita dicitur hæc esse radix determinationis, & veluti causa materialis, licet improprie, & solum secundum similitudinem

Digitized by Google

quandam imperfectionis materiæ, quia indigens eſt adiutorio cauſæ primæ principalis cui ſubordinatur, & ſine qua nec ſeipſum quidem determinare poteſt, non autem quia prius etiam ſecundum rationem ſe determinet ad operandum, & hanc determinationem videns Deus cõcurrat in poſteriori ſigno ad operationem, ad quam ſe determinauit, quia eſt eadem determinatio, & operatio, quæ nec eſſe, nec intelligi poteſt prior concurſu Dei, à quo pendet eſſentialiter in actu primo, & cum quo identificatur in actu 2.

Quomodo autem Deus dicatur expectare determinationem voluntatis vt ſe illi accommodet ſupra explicatum eſt; nec Soarius aliud intendit, quàm quod modo ex ipſo retulimus in diluenda inſtantia contra ipſum.

Ad 3. Neque Valentia ponit determinationem voluntatis naturæ priorem concurſu Dei, tantum enim vult effectum cognoſci in cauſa contingente, quia iam ſic conſideratur cum habitudine in actu 1. ad effectum contingentem liberum, vt habet expreſſe in fine aſſertionis: Poſito, inquit, quod cauſa proxime iam ad illum determinetur, & per nullam aliam cauſam impediatur. Cæterum ante productionem actualem in quolibet inſtanti effectus poteſt impediri, vt etiam notat Ferrar. lib. 1. cont. gen. c. 67. §. Aliter etiam, & ita intelligit Val. Faſol. 1 p. q. 14. a. 13. numero 100. & Durandum in 1. diſt. 38. q. 2. *Aſſerentem quod cognita cauſa ſit indifferente, ſi cum ea cognoſcantur omnia, quæ eam determinare poſſunt, & determinabunt, poteſt infallibiliter cognoſci quis effectus ſequetur.* loquitur enim de determinatione in actu ſecundo, quæ eſt ipſa actio, per quam cauſa libera ſe determinat, & ante quam poteſt ſe non determinare, & impediri. Aliter explicat Soarius Durandum l. 1. de abſoluta ſcientia futur. conting. c. 3. n. 2. quia inter cæteras cauſas adiungit diuinam voluntatem à qua in præſentia abſtrahimus. Quicquid tamen ſit de mente Valentiæ quoad hanc determinationem, certum eſt ab illo non aſſeri in priori ſigno concipi determinatam per actum ſecuturum, & ponit arguens, ſed per voluntatis perfectionem æquiualentem alicui mutationi, quod aliis nimis obſcurum, aliis falſum videtur.

Ad 4. negatur ſequela; nam determinatio conſiſtit in ipſa actuali operatione.

Ad 5. iam ſupra explicauimus ſenſum illius cauſalis, & conditionalis, & diximus, non eum eſſe vt ſignificet aliquam operationem voluntatis priorem natura concurſu Dei ſe illi accommodantis; ſed hanc potius, ideo Deum concurrere velle ad actum amoris cum Petro, quia quamuis exhibeat in actu primo concurſum indifferentem, & paratum ad actum contrarium; tamen præuidet quod Petrus eſt amaturus, & ex vi decreti concurrendi ad id quod Petrus elegerit, concurrit ad amorem, quia Petrus eligit actum amoris; non per determinationem ipſo priorem, ſed per amationem ipſam.

Diſplicet præterea hoc placitum recens, quia non ſatis explicat quid ſit formaliter determinatio voluntatis in illo priori ſigno naturæ, quo dicitur prior ipſo actu: & de illa ſi ſit quid diſtinctum, redeunt difficultates quæ fiunt de ipſo actu, nam eſt etiam ipſa elicita à voluntate, & proinde ſine alia determinatione, igitur non eſt opus determinatione diſtincta ab ipſa actione vitali. Ideo reſpondent determinationem præciſe à Deo eſſe potentiam volitiuam cum actu ipſo, ſicut cum dicitur voluntas eſt factura, obiectum huius propoſitionis non eſt ſola voluntas, ſed etiam actus futurus. Quare licet realiter loquendo nunquã ſit determinatio ſine actu ſecundo, nec potentia ſit realiter determinata ſine illo, tamen ſecundum ſigna rationis quia potentia intelligitur prius determinata ad agendum quàm agat, ideo in priori ſigno eſt determinatio per hoc quod eſt relatio in potentia ad actum in poſteriori ſigno ſecuturum: atque adeo interroganti an ſit determinata per actum, reſpondetur quod ſic, quia non poteſt intelligi, vel explicari quid ſit voluntas factura proxime, & immediate, niſi intelligatur cum tali actu ſecundum illa priora, & poſteriora ſigna in eſſe cognito, de quo eſt ſermo.

Diſplicet, inquam, hoc placitum, 1. quia aſſumit vt certum, quod eſt probandum, & negatur ab iis qui negant determinationem voluntatis eſſe natura priorem ipſo actu nec admittunt cauſam indifferentem prius determinari ad agendum quàm agat, quia dicunt determinari realiter, ac formaliter per ipſam actionem. Secundò Vacillat in aſſignanda determinatione; modo enim aſſerit quod in priori ſigno eſt determinatio per hoc quod eſt relatio in potentia ad actum in poſteriori ſigno ſecuturum; & illico ſubdit quod eſt determinatio per actum: ſi per relationem, ergo non per actum: Vel ſi requirit vtrumque, aſſignat determinatiuum partiale quod non eſt. Nam 3. in priori ſigno voluntas operatura nullam habet actualem relationem ad actum à qua determinetur, quia nullum eius eſt fundamentũ proximum, & in quolibet priori intelligitur ſine determinatiuo actuali, quia ſolum determinatur quando agit; & non prius, quia in quolibet inſtanti ante operationem libera eſt, & indeterminata. 4. Videtur inuoluere repugnantia, nam ex vna parte ait agens determinari ad agendum priuſquam actu agat; ex alia vult ipſum actum eſſe determinatiuum, & fatetur in illo priori nondum eſſe, ſed ſolum in poſterioti, & potentiam in illo priori intelligi bene comparatam, & diſpoſitam ad actum qui nondum eſt: ſi non eſt, quomodo determinat realiter potentiam diſpoſitam ad ipſum, non tamen affectam ipſo? 5. Videtur abuti Doctrina communiter vſurpata à Theologis, & Philoſophis de priori, & poſteriori reducentibus ad duo capita præcipua:

Nimirum ad prius à quo, & in quo. Illud attenditur penes independentiã eius ad quod comparatur poſterius, quæ dicitur prioritas naturæ, & cauſalitatis; qualis eſt ſolis ad lumen, & vniuerſaliter cauſarum ad effectus. Iſtud, ſcilicet, in quo eſt duplex reale, quod duratione præcedit poſterius, quale eſt quod præcedit generatione: & intentionale ſiue rationis, vt quando vnus conceptus obiectiuus formari poteſt independenter ab alio, & hic non poteſt niſi dependenter ab illo, quomodo

Digitized by Google

conceptus ſubſtantiæ prior dicitur natura ratione, & cognitione accidente ab Ariſtotele 7. Metaph. c. 1. quia loquendo præciſe de cognitione quidditatiua, & eſſentiali ſubſtantiæ, fieri illa poteſt independenter ab accidentibus, non tamen vice verſa vt docet Soar. in Methaph. diſp. 38. ſect. 2. n. 7. Prioritas à quo non ſemper infert prioritatem in quo, ita vt ferat ſecum ſignum, in quo vel ſit, vel intelligatur ſine altero, quod dicitur poſterius à quo: nam Pater in diuinis dicitur prior origine Filio prioritate à quo, & tamen ſimul eſt & cognitione, & exiſtentia cum Filio vt idem Soar. de Trin. lib. 9. c. 5. n. 9. quicquid Vaſq. 1. p. diſp. 99. n. 25. limitet Prius à quo ad illa inter quæ non valet ſubſiſtendi conſequentia, vt ſunt prædicata communia reſpectu inferiorum de quo in præſentia non ſum ſolicitus, ſed ſolum vt oſtendam non conuenire cum doctrina communi quæ dicuntur de prioritate determinationis voluntatis; nam hæc prioritas vel eſt à quo, vel in quo; Non primum, quia illa non eſt ſine dependentia reali aut quaſi dependentia, & origine poſterioris à priori: & independentia huius ab illo: at in propoſito non datur prioritas, quia ſupponit diſtinctionem realem inter prius, & poſterius; tu autem conſideras eundem actum voluntatis in diuerſis ſignis rationis, quæ non ſufficiunt ad dependentiam realem quæ non poteſt eſſe eiuſdem à ſe niſi forte in cauſa finali identificata effectui, qualis hic non eſt. Neque dicas eſſe prioritatẽ à quo ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam, quia in propoſito eſt ſimultas, & non prioritas, valet enim cauſa determinata eſt, ergo ſequitur actus, & vice verſa, præſertim ſi per actum determinetur, ſed neque eſt prioritas in quo, etiam in eſſe cognito; nam vt notat Soar. diſp. illa 38. Met. ſect. 2. n. 4. vnum dicitur prius cognitione altero tripliciter; Natura ſeu perfectione, Independentia, & generatione ſeu tempore. Nullo ex iis modis dicitur prius determinata voluntas per actum ſecuturum; non primo quia cum actu ſecuturo non eſt perfectior quam cum actu præſenti, & ſecuto, comparas enim voluntatem in primo ſigno diſpoſitam ad agendum, cum ſeipſa iam agente in poſteriori ſigno. Neque ſecundo, quia dependentia realis nulla eſt actus ſecuturi à ſeipſo ſecuto, ſed ſolum à voluntate, proinde neque eſſe poteſt in eſſe cognito, nam conceptus obiectiuus hic eſt eiuſdem rei, & licet diuerſimode à te conſideratæ, non tamen conuenienter, neque ſufficienter ad formandos duos conceptus obiectiuos cum prædicta prioritate dependentiæ. Nam. 6. determinatio voluntatis prius per te concipi debet in ſigno rationis, quàm actus concipitur exiſtens, qui ſolum pro eo ſigno concipitur ſecuturus, quomodo autem quod concipitur ſecuturum, ſeu futurum pro ſigno futuritionis poteſt intelligi dare actualiter effectum formalem qui conſiſtit in præſenti ſui exhibitione? alioqui poſſet concipi quod forma quælibet mox futura, puta anima rationalis, det eſſe animatum, ſeu concipiatur dare eſſe animatum ante inſtans creationis in corpore organizato; & ratio vniuerſalis eſt, quia etiam in eſſe cognito non poteſt inuolui ordo repugnans obiectis à parte rei, qualis inuerſio eſt ſi concipiatur dare formalem effectum per ſui exhibitionem quod concipitur futurum. 7. Fingit impoſſibilia, quia licet demus præciſiue aliquid creatum poſſe concipi ſine dependentia à Deo; tamen negatiue eſt figmentum merum, quia negando id quod eſt eſſentiale deſtruit conceptum eius, quod concipere vult: Igitur quando contendis affingere aliquid proprium voluntati creatæ, ideſt determinationem natura priorem, cuius intuitu Deus volens ſe illi accommodare, decernit cum illa concurrere, iam ab illa determinatione ſupponis abeſſe diuinum concurſum, quem poſtulari ab eadem dictitas; quem etiam in eſſe cognito negare non debes a eſſe à determinatione; & ſi fatearis in illa te agnoſcere diuinum concurſum, quia cum realiter ſit ab actu, cur mente fingis determinationẽ eſſe illo priorem in aliquo ſigno rationis, & cauſam cur ille adiungatur, ſi quidem in nullo ſigno rationis concipi poteſt eſſe id quod non eſt in ſe, & in nullo poteſt eſſe determinatio ſine illo à quo eſt, & proinde neque ſine actu, ſi per illum, & ab illo eſt. Qui tamen à te ponitur pro illo ſigno futurus eſſe, ſeu ſecuturus, & vis per illum intelligi potentiam bene diſpoſitam, & comparatam ad actum qui nondum eſt; & non concedis actum eſſe diſpoſitionem ad ſeipſum, licet admittas per actum diſponi potentiam ad actum, ac ſi diceres per calorem A eſſe diſpoſitum ignem ad calorem A, ſed calorem A non eſſe diſpoſitionem ad ſeipſum. 8. Das arma aduerſario obiicienti & vix non exprobranti tribuere nos aliquid voluntari quod Deus expectet vt gratiam exhibeat, contra illud Arauſic. can. 4. & Auguſt. epiſt. 107. negantem à Deo expectari voluntatem noſtram vt purgari velimus: quomodo enim reſpondeas, aut ſatisfacias, ſi concedis prius eſſe in eſſe cognito, & obiectiuo, quod voluntas ſe determinet, & eius determinationis intuitu præbeat Deus concurſum, & adiutoriũ ſuum? 9. In illo priori quo concipis voluntatem diſpoſitam per actum ſecuturum iam determinatam, vel vis determinationem illam eſſe meritoriam; & hoc non, quia præſcindis à diuino concurſu, ſine quo non eſt meritum: vel non vis eſſe meritoriam; & neque tibi conſtas, quia determinatio realiter fit per actum qui ſupponitur ſupernaturalis, & auxilio gratiæ elicitus: atque ita meritorius, & non meritorius. 10. Quæſito phyſico das reſponſionem logicam, vel metaphyſicam ſpinoſam, quia fingis prius, & poſterius ſine fundamento, & contra naturam rerum, nimirum actum futurum tanquam exiſteret, & determinaret, & prior eſſet in ſigno determinandi ſeipſo in eſſendo, cum tamen actualis determinatio requirat actu determinatiuum exiſtens.

11. Quod videtur figmentum peius, obiicienti non poſſe intelligi operationem creatæ voluntatis priorem etiam ratione, Dei concurſu, quia in quolibet ſigno eſt ens creatum, & pendens à Deo, & concurſu eius, ac proinde ex eius præuiſione non moueri Deum ad operandum, cum iam ſupponatur operatus, reſpondes in illo ſigno priori non eſſe ens creatum, & pendens à Deo; ſed ſolum in poſteriori in

quo intelligitur eſſe concurſus Dei, non autem à voluntate, quia hic intellectus fuit in 1. ſigno, & ita intelligendi Valentia loc. cit. & Soar. aſſerens cauſam creatam eſſe radicem determinationis, & id ſignificare voluiſſe qui dixerunt prius ipſam concurrere in genere cauſæ materialis.

Contra eſt 1. quia ſi velis in primo ſigno concipi operationem voluntatis cum negatione dependentiæ à Deo, concipietur chimera, & non operatio voluntatis, quia dependentia à Deo eſt ipſi eſſentialis, & ſi negetur de ipſa, deſtruitur eius conceptus; ſicut ſi concipiatur homo cum negatione animalis, deſtruitur conceptus hominis: & licet poſſit concipi vt rationalis, quin concipiatur vt animal; tamen non poteſt concipi vt rationalis cum negatione animalis. Si vero intendas ſolum quod in illo ſigno concipiatur actio voluntatis præciſe vt ab ipſa pendet, & non vt à Deo, nihil obtines, quia ex eò quod eſt ens creatum, realiter, ac eſſentialiter pendet à Deo, ergo ſi concipias ipſam vt quid prius dependentia diuina, eodem modo deſtruis conceptum eius, quia in eo priori non poteſt cõcipi ſine iis quæ conſtituunt eius eſſentiam, & proinde neque ſine dependentia à Deo, quæ ſi debet concipi in poſteriori ſigno, non ingreditur conceptum eſſentialem operationis voluntatis cuius tota eſſentia indiuiſibilis concipitur in priori ſigno ſine dependentia à Deo, non ſolum præciſiue, & abſtractiue, ſed etiam negatiue, quia per to pro illo ſigno negatur expreſſe quod pendeat, & reiicis dependentiam in ſignum poſterius.

Deinde hæc videntur, & in hac fictione repugnantia; nam ponis voluntatem diſponi, & determinari per actum ſecuturum, quia per aliquid realiter, & formaliter determinari debet, & non per aliud quàm per actum ſecuturum; ſi quidem nulla datur te iudice prædeterminatio ab extrinſeco; At actus futurus realiter, ac formaliter eſt Dei concurſus identificatus actioni voluntatis, ergo pro nullo ſigno concipi poteſt, quia inuoluunt in ſuo conceptu dependentiam à Deo.

Confirmatur, quia in illo ſigno tu vis concipi determinationem eſſe à voluntate libere operante, ergo & habente omnia neceſſaria ad ſe determinandum, & exercendam libertatem, non tantum in ſenſu reali, ſed etiam formali, ſed hanc non poteſt exercere niſi Deo ſecum concurrente, ergo non poteſt concipi pro vllo ſigno ſe determinare in quo non adſit Deus concurens, & adiuuans. Cuius ratio eſt indigentia ex eo quod creatura eſt operatio quæliber, & magis à Deo pendens quam à cauſa creata, ſicut & omne ens creatum.

Adde quod in poſteriori ſigno per te debet concipi operatio voluntatis vt pendens à Deo, & non à voluntate, eo quod in primo ſigno concepta ſit dependens ab iſta, & hoc falſum eſt, quia in poſteriori ſigno concipitur vt actus vitalis, ac liber, ac proinde vt à potentia vitali, ac libera manans; hic enim eſt conceptus actus vitalis, & liberi vt ſit à potentia vitali, ac libera, neque abſtrahere poteſt ab iis prædicatis actus voluntatis ſe libere determinantis, etiam quando concipitur vt pendens à Deo. Propterea dixit Soar. quod pro nullo ſigno etiam rationis determinatio voluntatis eſt prius vel à Deo, vel à voluntate, ſed ſimul ab vtroque: quicquid aliqui agnouerint prioritatem à voluntate in genere cauſæ materialis, & tanquam à radice, quam vocat impropriam locutionẽ vt ſupra, vbi etiam dictum Valentiæ minus fauere aduerſario oſtendimus: & in propoſito non concederet in vllo priori concipi creaturam vllam vt non pendens à Deo, quia q. 2. punct. 1. primæ part. diſerte docet intrinſecam dependentiam à Deo eſſe ipſam entitatem creaturæ: conſequenter conceptus operationis voluntatis ita intrinſece, ac formaliter inuoluit dependentiam, ſicut entitatem eius.

Præterea ſequeretur quod non ſolum determinatio voluntatis in priori ſigno conciperetur ſine dependentia à concurſu Dei, ſed etiã quælibet operatio agentis creati. Patet ſequela, quia ſicut illa determinat concurſum indifferentem; ita & hæc concurſum vniuerſalem modificat, & particulizat, vt S. Thomas ſupra citatus, & à te admiſſus, ergo poteſt concipi in priori ſigno vt quid prærequiſitum ad modificandum. Falſitas conſequentis patet, quia quamuis voluntati creatæ daretur poſſe determinare ſe ad vnam partem prius in ſigno rationis, quàm conciperetur concurſus Dei, cui adſcribis aliud ſignum poſterius, propter dominij libertatem quam exercet; tamen hoc fundamentum non reperitur in agentibus neceſſariis determinatis ad vnum; atqui dominium iſtud, & vſus eius non minus pendet à Deo, quàm operationes omnium agentium, ergo non poteſt concipi in vllo ſigno abſque hac dependentia; vel ſi poteſt, etiam operationes aliæ poterunt; quod autem, vel quale fundamentum proferatur concipiendi caloris, vel luminis productionem exempli gratiam, prius pendere à ſole, vel igne, quam concipiatur pendere à Deo qui eſt cauſa prima, & vniuerſaliſſima magis intime influens in effectum, quam cauſæ ſecundæ, vt ſupra retulimus ex libro de cauſis, S. Thoma, & S. Bonauentura.

Præterea in actibus ſupernaturalibus voluntatis hoc inuentum ſuſtineri non poteſt; iſti namque non poſſunt concipi in vllo ſigno pendere ſolum à voluntate, & non à diuino concurſu ſupernaturali, quia voluntas vel eſt ſolum cauſa inſtrumentalis, vel ſi etiam principalis iuxta ſuperius dicta, non poteſt illos elicere, aut ſe ad illos determinare, niſi eleuata ſupernaturaliter per Dei auxilium, ergo non poſſunt cõcipi ſine dependentia ab ipſo: exempli gratia concipiatur in ſigno quouis actus ſupernaturalis amoris Dei ſuper omnia, quoniam hic viribus naturæ eſt impoſſibilis, ex eo quod concipitur ſupernaturalis, imbibit in ſuo conceptu auxilium ſupernaturale; neque poteſt fingi ſignum in quo concipiatur manans ſolum à voluntate non eleuata ſupernaturaliter, quia tunc conciperetur aliquid non ſupernaturale, ac proinde diuerſum ab amore Dei ſuper omnia, contra ſuppoſitionem.

Dices forſaſſe poſſe concipi in aliquo ſigno vt vitalis, & liber eſt, & non vt ſupernaturalis.

Contra, quia ſupponimus concipi actum talem

talem in specie, & in individuo, & non aliquam rationem distinguibilem in ipso ab intellectu, sicut cum formatur conceptus hominis, non dicitur concipi solum aliqua ratio, puta animalitatis, sed constitutum ab ipsa, & à rationalitate; vel igitur non potest concipi actus amoris supernaturalis in aliquo signo; & cur non? vel si potest, debet concipi vt est à Deo; & redit difficultas de quolibet actu libero etiam naturali, quia omnes pendent essentialiter à Deo, nec præscindunt ab hac dependentia.

Solutiones aliorum argumentorum contra modum explicatum diuini concursus in vniuersum.

CAPVT XXXI.

AGgerat illa auctor quadripar. passim toto opere, sed præcipue par. 4. tamen omnia reducuntur ad ea capita quæ distinguit Soar. in Metaph. & de Aux. locis citatis, citandisque, & optime soluit.

Primum erat illud Vasq. oppositum superius ab auctore quadrip. quia Deus exequitur in tempore vt decreuit abæterno, si ergo exequitur determinate talem actum; & illum decreuit ab æterno, & proinde habuit decretum determinatum, & non indifferens: quo argumento probat etiam Vasq. 1. p. disp. 89. fin. & c. 7. ac 9. prædestinationem ad gloriam fuisse post præuisa merita, quia in tempore mandatur executioni post merita, iuxta dictum S. Fu. gent. de Incarnatione & gratia Christi in epilogo, Quique non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna, atque incommutabili habet voluntate dispositum.

Respondeo concedo antecedens, Deus enim decreuit ab æterno concurrere determinate ad vnũ in executione, quia hæc est circa vnum determinate; sed non habuit decretum absolutum illius, & efficax vnius partis tantũ, quia vult libertatem voluntatis in operando, & cooperari ad illud determinatum quod ipsa elegerit. Aliud igitur est habere decretum determinatum vnius partis absolute illam volendo; aliud habere decretum conditionatum de se indifferens, & determinandum in executione à voluntate creata. Primum non habet Deus; secundum habet. Et ideo ita exequitur in tempore, sicut decreuit ab æterno. quia concurrit ad eam partem quam eligit voluntas, & ita decreuerat ab æterno permittere determinationem voluntati, & non eam facere, nisi illa volente, quod est habere decretum conditionatum ex parte obiecti, idest mandandum executioni determinate ad vnam partem à voluntate creata determinandam cui suam tubordinatam voluit, quæ est doctrina plurium Scholasticorum, præsertim, Matt. in 1. d. 40. art. 2. quam citat Soar. de concur. l. 1. c. 14 à. n. 12.

Exemplo eodem res illustratur quod argumento inferitur; nam Deus ab æterno decreuit dare gloriam electis vt coronam iustitiæ, & secundum iustitiæ leges obtinendam, vt Soar. in opusc. lib. 3. de Auxil. c. 19. & tamen electio non est ex præuisis meritis in eius sententia, sed mere gratuita, atque adeo hæc duo diuersa sunt, volo gratis saluare, sed non volo saluare gratis; illud enim significat gratuitam voluntatem ex nullo merito saluandi, sed ex mera misericordia; hoc autem includit merita inclusa in obiecto voluntatis tendentis in gloriam vt mercedem, seu coronam iustitiæ; sicut si Rex eligat aliquos præ cæteris ad dignitatem pro qua vel faciendum aliquid est, puta pugnandum; vel pendenda pecunia, vult gratis illis eam dignitatem, sed non vult conferre gratis. Sic in proposito vult Deus conditionate, & indifferenter concurrere ad amorem ex gratia, si voluntas ad illum se determinabit; vel ad odium si odisse volet, sed non vult executionem indifferentem, seu indifferenter influere in actum secundum, & facere concursum in individuo realiter indifferentem, & conditionatum; quia hoc est impossibile ex natura rei; quemadmodum & impossibile est dare gloriam sine meritis ex suppositione antecedentis voluntatis, & legis non dandi nisi per merita.

Volo gratis saluare, ac volo seruare gratis differunt.

Et ratio est, quia Deus præuidens quod voluntas sit factura in talibus circumstantiis cum parato suo concursu, determinate etiam vult concurrere ad talem actum, non absolute, sed cum dependentia eiusdem actus à proxima causa includendo conditionem si consentire velit; & offerendo concursum ad alios, vt expresse Soar. lib. 1. de concurs. c. xv. à n. 3.

Erat præterea prima confirmatio quod Deus præberet concursum cœco modo si offert concursum indifferentem ex vi decreti conditionati.

Erat & altera quod diuerso modo Deus procedit cum probis, ac cum improbis, & proinde non per concursum indifferentem, sed determinatum.

Ad primam respondet Soar. loc. proxime cit. negando sequelam. Deus enim distinctissime videns omnes actus possibiles in specie, & in individuo, quos voluntas circa talia obiecta, in talibus circumstantiis posset elicere, vult quantum est de se offerre concursum suum ad hunc, & illum distincte, & non confuse; & quia per scientiam conditionatam videt quem actum voluntas in iis circumstantiis sit elicitura definite velit ad vnam concurrere non absolute, sed conditionaliter, si illa volet, in quo nulla est confusio; neque impossibilitas aliorum actuum, quia ita vult Deus ad vnum concurrere, quem voluntas elegerit, vt paratus sit ad alios, si eligeret illos, licet non habeat decretum determinatum concurrendi ad illos, quia præuidit voluntatem potentem ex vi prioris decreti indifferentis elicere pro libito hos, & illos, determinaturam se ad istos in particulari; & quia prior voluntas erat cooperari illi ad quos vellet, consequenter visa eius determinatione decernit ad hos potissimum concurrere cum illa, seruata semper conditione, si velit. Vnde & hoc secundum, decretum dum etiam ipsum conditionatum

Nulla est confusio in decreto conditionato ex parte obiecti.

ſed non indifferens cum ſit ad vnam partem determinatum: Et non eſt antecedens, ſed conſequens, vel concomitans determinationem voluntatis: Neque eſt neceſſarium vt hæc poſſit operari, quia ad conſtituendam potentem ſufficit prius decretum indifferens; ſed ponitur vt congruens priori decreto, & perfecto modo operandi diuinæ prouidentiæ; in quo apparet diſparitas à decreto comitante quod ponebat Vaſq. abſolutũ, determinatum, ac neceſſarium, vt ſupra eandem ſententiam Soarij ſequuntur & explicant plures recentiores, præſertim Leſſ. cit. cap. 4. & P. Faſol. in 1. p. q. 14. a. 13. n. 498. repetens dicta n. 128. 141. quem non claret mihi quid mouerit ad vocandum hoc ſecundũ decretum indeterminatum: de illo namque Soar. l. c. de conc. cit. c. 15. n. 3. *Quia Deus etiam præuidet, quem actum illa voluntas, in talibus circumſtantiis cum concurſu indifferenti, effectura ſit, &c. ideo Deus determinate, ac definite etiam vult cum illa concurrere ad talem actum in particulari, & in individuo, &c.* Hoc autem eſt habere decretum determinatum, niſi forte indeterminatum ſit vocandum, quia non determinat voluntatem, ſed ſupponit determinatam, & inuoluit tacitam conditionem ſi voluntas velit.

Ad alteram reſpicit idem Soar. l. 2. de concut. c. 7. n. 13. negando ſequelã: quia ad bonos actus concurrit Deus conſulendo, inclinando moraliter per inſpirationes, & motiones ex directa intentione vt fiant, ad malos ſolum permiſſiue ſe habet, illa prohibet, ac punit. Quod ſi ſermo ſit de ſolo generali concurſu, quaſi phyſice requiſito ad entitatem actus, ſic quoad modum concurrendi, verum eſt, eodem modo concurrere Deum vt primam cauſam ad actus bonos quos non præfinit; & ad materiale peccati, quia eadem eſt eſſentialis dependentia à Deo in hoc, & in illis: ſubſtantia verò ipſius concurſus (vt ſic dicam) eſt diuerſa, & in actu bono tanto eſt perfectior, quanto ipſe melior eſt, quàm actus malus. Hic ille.

Et ratio eſt, quia influxus gratiæ, & voluntatis eſt vna & eadẽ actio, & proinde longe perfectior eſt, quam cum procedit à ſola volũtate naturaliter operante cum ſolo concurſu generali, ſi comparentur actus naturalis, & ſupernaturalis: & proportionaliter ſi comparetur actus moraliter bonus cum actu malo.

Ex quibus patet gratis opponi à recentioribus quibuſdam argumentum actus, & non afferri nouum contra ſolutionem illius, dicunt enim contra primam reſponſ. duplicem à nobis conſtitui modum in 1. cauſa, alium fortuito ſine conſilio, & deliberatione, & cœco modo requiſitum eſſentialiter ad exiſtentiã effectus: alium verò cum conſilio, & deliberatione; & hunc non deſideratum eſſentialiter ad talem exiſtentiam; quo quid abſurdius. Primum patet, quia ſi Deus decernit concurſum indifferentem per quem paratus eſt concurrere ad id quod Petrus v. g. voluerit & non determinatè ad vnum, puta ad actum fidei, influit ignoranter quidnam ſit illud quod ex ſuo influxu ſecuturum eſt, ac proinde ſine intentione eius in particulari, quod ſecuturum, & per conſequens modo cœco, ignoranti, & abſque conſilio, & prouidentia de illo effectu determinate, & in particulari ſumpto.

Curſus Salmat. diſcalceat. tract. 3. de ſcientia Dei diſp. 12. dub. 4.

Neque valet dicere quod per ſcientiam mediam nouit Deus determinate quid ſit illud quod à Petro eligendũ ſit: nam ſcientia hæc vt attingat effectum futurũ, omnes cauſalitates futuras in ſtatu illo conditionato requiſitas ad effectum præſupponit, & proinde decretum ex parte cauſæ primæ volentis eſſe paratam ad concurrendum cum Petro ad id quod eligeret abſque aliquo iudicio intellectus dirigente ad talem effectum in particulari: ergo Deus in illo ſigno cognoſcet ſe vt voliturum in aliquo ſigno ignoranter, ideſt neſciendo in illo ſigno quidnam erit illud, quod ex ſuo influxu, ſiue ex illa ſua voluntate ſit ſecuturum, cum prius ſit Deum habere illud decretum, quam quod voluntas creata velit, & hoc ſit de præſtando cõcurſu indifferenti parato ad id quod volũtas elegerit, & non ad hoc, vel illud in particulari.

Confirmatur, quia ex vi huius decreti indifferentis concurſus non poteſt Deus ſcire an voluntas creata exhibitura ſit ſuum concurſum, cum illud non ſit magis ad vnum actum, quàm ad alium oppoſitum.

Reſpondeo hoc argumentum ſolui in terminis à Soar. vt ſupra retulimus, c. 8. & non continere nouam difficultatẽ à ſolutionibus præmiſſorum, ſed ſolum additionẽ verborum, quibus exoſior repræſentetur aſſertio de decreto concurſus indifferentis; quia per illud Deus cœco modo ignoranti, & abſque conſilio, & prouidẽtia procederet, quod eſt blaſphemum: ſed hæc ſequela negatur, quia ex antecedenti potius ſequitur oppoſitum. Deus enim ſcions omnes poſſibiles effectus, & futuros ſub conditionibus quibuſcumque poſſibilibus, ſumma cum ſapientia, & prouidentia ne lædat libertatem qua creaturam rationalẽ inſigniuit, decernit ira illi ſuum auxilium præſtare neceſſarium ad operationes tam naturales, quàm ſupernaturales, vt eo præſtito operetur iuxta ſuæ naturæ exigentiam, hoc eſt libere, & proinde vt eligat quam partem voluerit. Hoc indicant ſcripturæ teſtimonia, quibus dicitur Deus reliquiſſe hominem in manu cõſilij ſui; appoſuiſſe ipſi ignem, & aquam, vt ad quod vellet manum porrigeret, & ſimilia ſupra relata, & confirmata Patrum auctoritatibus, præſertim Auguſtini ſæpius commonentis hominem ſuæ libertatis; & tamen non dicitur Deus ignoranter procedere hæc faciens, quia licet non determinet ad vnã partẽ, non ignorat quæ ſit ſecutura.

Secundò, Decretum Dei per te antecedit omnem operationem voluntatis creatæ, & eſt cauſa illius abſoluta, & efficax, ergo independenter à voluntate creata Deus decernit actionem materialem peccati cuiuſlibet, ne dicatur ignoranter, & cœco modo decernere: conſequentiam ſequuntur tum grania incommoda, vt horror noſtris ſit antecedens admittere ex quo directe illa manat, etiamſi non ignaris diſtinctionis vulgatæ de materiali, & formali peccati.

Tertiò, S. Thomas. 1. p. q. 14. a. 13. ita loquitur: *Alio modo poteſt conſiderari contingens vt eſt in ſua cauſa, & ſic conſideratur vt futurum, & vt contingens nondum determinatum ad vnum, quia cauſa contingens ſe habet ad oppoſita, & ſic contingens non ſubditur per certi-*

tudinem alicui cognitioni. Vnde quicumque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantum, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem.

Hic vel sermo est de causa determinata; & hoc non, quia per te in causa determinata cognoscitur certo effectus: vel non determinata, idque vel positis necessariis ex parte Dei ad agendum; vel non positis: si hoc secundum, neque coniecturalis haberi potest cognitio effectus futuri, quia impossibile est futurum, & habetur certa cognitio quod à causa sic incompleta non est futurus: Si primum, ergo concursus paratus in actu primo est indifferens, quia si esset determinatus in eo cognosceretur certo effectus. An igitur dicendus est Deus ignoranter agere, quia præparat concursum in quo non præuidetur certo effectus?

Quartò, Consequentia hæc est illegitima, & contra regulas Dialectiæ, Deus non videt in decreto de concursu indifferenti, vel in ipso concursu parato in actu primo effectum futurum, ergo cæco modo, & ignoranter procedit, & absque prouidentia: potest enim aliis modis cognosci certo effectus futurus, & ex prouidentia ordinari ad finem intentum, etiamsi in decreto, & concursu non cognoscatur, quia non est cognoscibilis in illis certo, si quidem ex virtute ipsorum potest sequi oppositum quia Deus vult hominem libere operari, & posse vtrumlibet.

Argumentum igitur peccat, quia est à particulari negatiua ad vniuersalem, negatiuam, sicut si diceretur Petrus non videt per aures, ergo cæcus est, siue absolute non videt, auris enim non est instrumentum visus, & decretum, vel concursus indifferens non est ratio videndi certo effectum futurum.

Quintò, Peccat, quia à signo rationis pro quo Deus non concipitur cognoscere effectum futurum infert simpliciter eius ignorantiam, qui modus argumentandi non magis concludit, quàm si diceretur pro signo rationis quo Deus intelligit, non concipitur volens, ergo simpliciter nonvult, aut pro signo originis quo concipitur Pater generare filium, non concipitur spirare Spiritum sanctum, ergo non spirat, statim apparet absurditas, & vitium argumenti, quia est à modo intelligendi nostro ad modum essendi, quæ est fallacia Accidentis. Ita in proposito quando dicis in illo signo quo Deus concipitur velle dare concursum indifferentem non cognoscit quid ex suo influxu sit secuturum, ergo procedit cæco modo, & ignoranter, non valet, quia Deus in illo signo nouit optime quid sit secuturum, licet non per decretum aut in decreto, vel concursu parato per ipsum, sed aliis modis puta vel ex infinitate sui intellectus penetrantis omne verum, vel ex præsentialitate obiectiua effectus in seipso, vel similibus, de quibus non est hic locus differendi.

Ex quo patet ad instantiam, Deus enim per scientiã mediam cognoscens effectum futurum conditionate, nouit etiam omnes causas à quibus essentialiter pendet, & proinde etiam decretum exhibendi concursum indifferentem, sed pro nullo signo cognoscit in tali decreto, & concursu effectum.

Ad confirmationem, assumit pro argumento nostram assertionem, fatemur enim ex vi decreti de concursu indifferenti non cognoscere Deum ad quam partem voluntas sit se determinatura; quia relinquitur in sua libertate, & posito decreto tali potens est ad vtrumlibet; Cum quo tamen stat vt aliunde nouerit perfectissime in quam partem se determinabit.

Sed instat nihil esse absurdius quàm ponere duo decreta, quorum alterum sit absolute, & essentialiter necessarium ad existentiam effectus; alterum non necessarium; quia primum ponitur sine consilio, & deliberatione: alterum cum consilio, & deliberatione, quia videlicet Deus præuidendo quid voluntas sit electura, determinate vult concurrere in particulari ad illud.

Respondeo gratis asseri quod sine consilio, & deliberatione sit primum decretũ necessarium ad existentiam effectus. Deus enim summa cum sapientia, ac prouidentia decernit exhibere concursum in actu primo indifferentem, quia nihil vult ponere quod impediat libertatẽ hominis quem reliquit in manu consilij sui; Neque aliquid facere quod dedeceat summam sanctitatem eius vt esset decernere independenter à voluntate actiones peccaminosas, & scelera omnia quantumuis immania quoad materiale, à quo hic, & nunc inseparabile est formale malitiæ. Rationabiliter ponit Suar. decreta duo.

Alterum etiam decretum est summopere rationabile, & conforme sapientiæ Dei; quia ex suppositione prioris decreti dandi concursum indifferentem, vt eo pro libito vtatur voluntas sciens quam partẽ sit electura, non manet suspensus ad quam concurrat; sed determinate vult ad illam præcisam à se, inclusa semper conditione accommodandi se voluntati, & non prædeterminandi illam, in quo nullum prorsus vestigium, vel vmbra absurditatis. de quo paulo aliquid addam.

Secundum argumentum contra decretum conditionatum concurrendi cum voluntate creata supra explicatum.

CAPVT XXXII.

Dictum est Deum decreto antecedenti, & conditionato statuisse concurrere cum voluntate creatam ad eam partem ad quam se determinauerit; & applicasse suam omnipotentiam vt illi adsistat, reddatque in actu primo proxime potentem operari, Item per scientiam pariter conditionatam vidisse ad quam partem esset se determinatura, & decreuisse ad illam concurrere decreto particulari ac determinato. Contra est argumentũ, cui numquam satis factum non semel queritur, dolerque Auctor quadrip. à patronis scientiæ mediæ; nam in illo signo quo dicitur videri à Deo quid sit factura voluntas, nihil in ea est, ratione cuius decernat cum illa concurrere ad hunc actum, potius quam ad illum; non enim videri potest 1. p. c. 3. & 2. p. c. 23.

Digitized by Google

operatura, vel operabunda niſi cum Dei concurſu; non igitur Deus intuitu illius determinationis decernere poteſt concurrere ad vnam partem, ſi determinatio hæc, quæ eſt conditio, ſupponit poſitum concurſum, ſine quo eſſe non poteſt, & proinde neque Deus illam quaſi expectare, vt determinet concurſum qui ſupponitur determinatus, vt quid neceſſarium ad operationem voluntatis ab illo pendentem.

Confirmatur primò, quia voluntas ſe determinat per ſuam actionem, quæ vna & eadem eſt cum actione Dei ad extra, at hæc ſupponit decretum eius ad intra: quando igitur videt Deus determinationem voluntatis, videt ſimul ſuum concurſum ipſi idemtificatum; non ergo poteſt eſſe conditio, ob quam decernat concurrere ad vnam partem: quia in determinatione illa inuoluitur concurſus; & hæc à te non ponitur vt actio diſtincta ab actione & concurſu Dei.

Confirmatur ſecundò, Vel voluntas poteſt fundere ex ſe ſuam determinationem priuſquam habeat concurſum illi idemtificatum; vel non poteſt. Si primum, ergo poteſt aliquid ſine concurſu idemtificato, quod negas; ſi ſecundum, ergo neque præuideri poteſt à Deo in quam partem ſit ſe determinatura prius quam ſtatuat exhibere concurſum determinatum ſine quo determinatio eſſe nequit, ſi quidem cum illo edentificatur. Nam quomodo videat vnum prius alio futurum, ſi non eſt aliud, & aliud? aut quomodo videat futuram determinationem voluntatis vt conditionem, propter quam decernat concurrere, ſi determinatio, ſeu operatio voluntatis eſt concurſui realiter idemtificata?

Confirmatur tertiò, Non poteſt eſſe mutua prioritas inter decretum & operationem creaturæ, quæ tamen per te eſſet admittenda, quia Deus decernit concurrere ex eo quod videt voluntatem operaturam; & rurſus voluntas eſt operatura, quia Deus decreuit concurrere. Imo ſi idem eſt concurſus Dei, & creaturæ, dicere quod Deus vult concurrere, quia creatura eſt operatura, perinde eſſet ac dicere Deum operaturum, quia operaturus eſt. Et nugatio committeretur, vt ſupra.

Similia prius obiecerunt ſibi Soar. lib. 1. de concur. à c. 12. ad 17. & Leſſius de gratia c. 4. à n. 11. & ſoluerunt.

Varia reſponſiones ad primum Argumentum.

PRo reſponſione quidem diſtinguũt actionem voluntatis ab actione Dei, & dicunt Deum decernere ſuum concurſum cum illa, quia videt futuram, & non poſſe poni à parte rei ſine dependentia à ſua. Meminit huius ſententiæ Soar. lib. 1. de concurſ. c. 6. n. 3. & Hurt. diſp. 10. Phyſica, §. 44. eamque refellunt.

Non eſt actio Dei diſtincta ab actione creaturæ in concurſu cum ipſa.

In primis S. Thom. 3. cont. gent. c. 70. & aliis ſupra citatis oſtendit, quomodo eadem actio ſit à Deo, & naturali agente, & S. Bonauentura vt ſupra vidimus, vnam docet eſſe actionem voluntatis creatæ, & increatæ; eſtque opinio adeo communis, vt contraria & noua, & improbabilis viſa ſit Soario in Metaphyſica diſp. 22. ſect. 3. & ſolutioni argumenti non conducit. nam vel actio voluntatis propria pendet immediate à Deo per aliam actionem, & dabitur actio ad actionem, aut proceſſus in infinitum ſi illa rurſus pendeat per aliam actionem; aut ſi pendet ſeipſa, idem dici poteſt de qualibet actione, & fruſtra adſciſcitur alia actio diſtincta, ſine qua eſſe nequeat aliqua operatio voluntatis. Deinde vel decernit Deus concurrere partialiter ante præuiſionem operationis voluntatis creatæ, & tollitur libertas: vel poſt præuiſionem, & redit argumentum, quid videat Deus in voluntate vnde excitetur ad decretum concurrendi: ſi quidem ante decretum voluntas nihil poteſt operari; & ipſi per ſe non magis poſtulat concurſum ad vnam partem; quàm ad aliam. Præterea argumenta quæ petuntur à ſanctitate Dei ad improbandum concurſum immediatum æque locum habet in duplici actione, ac in vna.

Aliter reſponderi poſſet ex doctrina quam tradit P. Ruiz de ſcientia Dei, diſp. 75. ſect. 7. vbi duplicem ponit in Deo cognitionem rerum creatarum, quarum prima ſit per ſe conueniens, & exterarum origo; alia quaſi ex conſequenti, & ſecundariò conueniens. Per primam penetrat diuinus intellectus omnem veritatem ex eo præciſe, & formaliter quod veritas eſt. Per ſecundam cognoſcit eaſdem res, quas in ſeipſis cognouerat, in cauſa, vel effectu, vel in ſigno, v. g. viſo igne comburente materiam humidam, & craſſam, cognoſcit inde ſecuturum fumum; & cognito fumo cognoſcit illum procedere ab igne; & hac ratione cognoſcit cunctas creaturas in aliis cum quibus habent connexionem. Deus ergo videns effectum futurum per primam ſcientiam, mouetur ad concurrendum cum voluntate, ſine qua, & ſuo concurſu non poſſet eſſe: poteſt enim videri effectus cõditionate futurus præſcindendo à cauſis iſtis, intuitiue tantum in ſeipſo, & quia non poteſt poni niſi ipſe concurrat, ſtatuit concurrere.

Impugnat late hunc modum auctor quadrip. par. 2. cap. 4. ſed P. Ruiz non reſpondet quæſito per illum, tantum enim explicat præſentiam rerum futurarum abſolute in æternitate; neque ſatisfit argumento, quia futurum intuitiue cognitum eſſentialiter pendet à decreto concurrendi ad illud, & ſine illo non cognoſcitur; quia intuitiua cognitio Dei comprehenſiua eſt, & fertur in omnia, quæ connexa ſunt cum re cognita; redit ergo rurſus difficultas quid videat Deus in voluntate, quo moueatur ad concurrendum cum illa ad effectum iſtum, & non ad alium.

Nec valet dicere quod videat abſtractiue futurum in ſe, ſine viſione cauſæ, quia actus malus futurus non poteſt præſcindere à cauſa libera deficiente, neque à permiſſione neceſſaria vt operetur.

Adde quod modus iſte cognoſcẽdi abſtractiue redolet imperfectionẽ, quia non attingit rem

cum suis adiunctis, & particularibus circumstantiis soli, temporis, finis, efficientis, sine quorum notitia imperfecte cognoscitur. Ideo neque ad mentem P. Ruiz valeret hæc responsio: ipse enim, de volunt. Dei, disp. 50. numero 17. expresse docet etiam suppositâ scientia determinationis voluntatis creatæ ad materialem actionem peccati adhuc diuinam voluntatem manere indifferentem, & à disputatio 31. & in libro de concursu Dei ex professo à disput. 1. & lib. de Prouidentia Dei circa peccatorum actiones, disp. 8. sect. 3. probat hanc eandem indifferentiam, quæ non stat cum decreto determinato ad vnam partem nisi conditionato, & comitante: & concedit Deum concursere velle non quia vidit actum futurum per cognitionem primam, sed quia vidit voluntatem in iis circumstantiis se determinaturam, quod est secundariæ cognitionis si daretur, vt ille existimat.

Multo minus probanda responsio asserentium Deum intueri actum voluntatis sub ratione generica, & ex parte sua indifferentem ad varias species, & hinc moueri ad decernendum concursum vt determinetur ad aliquam speciem ab illa, hic enim modus cognitionis est imperfectus; & etiamsi admitteretur in Deo, vel pertineret ad scientiam simplicis intelligentiæ; & ex possibili præuiso non moueretur Deus ad tale decretum: vel ad scientiam visionis; aut conditionatam; & semper inuolueretur decretum vel conditionatum, vel absolutum, & de illo quæritur quare fiat tale, cum nihil sit in voluntate quod illud requirat.

Tertiò, Responderi fortè posset Deum videre circunstantias, & alia quæ possunt occurrere, & impedire, aut iuuare voluntatem ex vna parte, & ex alia comparando aptitudinem, & propensionem eius, & vim obiectorum soli Deo notam cognoscere in quam partem sit se determinatura, quod est cognosci effectum in causa libera, quia extra illam nullum habet esse cognoscibile, vt Bellarm. libro 4. de gratia & lib. arb. capite 15. & idem assererent qui actum liberum in causa cognosci putant non nude sumpta, sed applicata hic & nunc cum hoc iud. obiecto &c. vt Argent. in 2. dist. 40. a. 3. & aliqui Thomistæ apud Soar. de absoluta scientia futur. lib. 1. c. 3. ij omnes dicerent Deum moueri ad dandum concursum voluntari ad peccatum, quia illam in talibus circunstantiis videt peccaturam, sicut & Vasq. 1. p. disp. 89. c 10. & disp. 99. cap. 3. 7. & tit. 1. in 3. p. disp. 74. c. 7. de bonis actionibus ait præhnitas in causa quæ est vocatio congrua, & in illa cognosci.

Verum obstat primò, quod positis quibuscumque circumstantiis voluntas retinet suam indifferentiam actiuam & libera manet ad oppositum; non igitur Deus ex vi cognitionis causæ liberæ sic affectæ videt determinatam operationem, quia potest esse altera oppositâ manente libertate voluntatis ad vtramque. Deinde inter circumstantias ad hoc vt voluntas possit operari, reponitur decretum diuinum concurrendi cum illa, & de illo quæritur quare sit ad vnam partem, si voluntas non exigit ad illam potiusquam ad aliam, quia omnibus positis ad agendum necessariis, libera manet, & potest amplecti alteram: vnde nihil in illa videri potest mouens diuinam voluntatem ad concurrendum ad vnam partem. Tertiò, Plerumque voluntas facit contra suam inclinationem ex mera libertate, & tunc comparatio propositionis eius cum obiecto nihil confert ad determinationem aut cognitionem effectus ex illa secuturi, quia potius sequi deberet contrarius. Quartò, Duo pariter affecti animo, & corpore circa idem obiectum diuersimode operantur, vt S. Augustinus l. 12. ciu. cap. 6. supra cit. *Altero enim prauaricante, alter stat, etiam eum eadem tentatione ambo tentantur; cui si vnus cedat atque consentiat; alter idem qui fuerat, perseueret, quid aliud apparet nisi vnum voluisse, alterum noluisse à cæpitate deficere, ait Augest.* Igitur nihil præcedit in voluntate, ratione cuius velit Deus concurrere ad vnum oppositorum, potius quàm ad aliud. Quintò, Angelus cognoscit naturam voluntatis, propensionem, vim obiectorum, neque tamen nouit certo futura contingentia soli Deo nota, ergo neque vllam determinationem, ratione cuius decernat Deus concursum, quia illa posita certo cognosceretur concursus ipsi debitus, & futurum contingens.

§ Augest. Ex duobus eodem modo affectis vnus stat, alter labitur.

Quartò, Recurrunt alij ad applicationem, & conatum voluntatis proxime se attingentis ad operandum, & ratione istius dicunt decerni concursum ad vnam partẽ, inter quos P. Ægid. Coninch. sed isti supra confutati sunt cum de variis modis applicationis diuinæ potentiæ.

Respondeo ad argumentum 1. per instantiam, nam siue Deus concurrat mediate tantum, siue etiam immediate cum voluntate libera, certum est ab æterno cognita illi esse omnia futura contingentia: quærò igitur, nouerit ne in causa, vel in seipsis. Non primum per te, quia cum sit illa indeterminata, non potest ex vi cognitionis eius haberi cognitio certa, & determinata effectus nullam habentis in ea determinationem: & sic nihil est in illa antecedenter, ratione cuius Deus decernat concurrere ad vnam partem potiusquam ad aliam, quia innata eius libertas indifferenter se habet ad vtramque. Si secundum, respondeo, à Deo cognosci futurum contingens in seipso; & quia hæc cognitio est perfectissima, complectitur connexionem cum sua causa, vt Vasq. prima p. disp. 65. à numero 20. quod est videre effectum vt manantem à sua causa, seu quod idem est, causam à se fundentem talem effectum.

Cognoscit Deus effectum futurum in seipso, & vt habet connexũ cum hac causa.

Consequenter quærenti quid videat Deus in voluntate, quo moueatur ad concurrendum ad vnam partem, respondendum est nihil videre, præter liberam facultatem ipsius in talibus circumstantiis sic operaturam, seu operationem ab ipsa manaturam, si ponatur in illis; inter quas principale est decretum, simul concurrendi cum ipsa, quod est decretum conditionale inclusum in obiecto scientiæ mediæ; à quo pendet futuritio effectus, tam conditionate futuri, quàm absolute; quan-

do purificata conditione tranſit adeſſe abſolute futurum, ob eſſentialem dependentiam omnis creaturæ à Deo, quæ inuoluitur in quocumque ſtatu ea conſideretur.

Inſtanti rurſus quod operatio futura ab hac cauſa, ſeu quod determinatio voluntatis, ſi ponatur in talibus circumſtantiis, non ſit conditio propter quam Deus decernat cum illa concurrere ad vnam partem, eo quod talis determinatio ſupponat concurſum ſine quo eſſe non poteſt, Reſpondetur quod conditio comparata ad concurſum Dei in actu primo, ideſt ad potentiam applicatam per eius voluntatem, ſupponit illum vt cauſam à qua eſſentialiter pendet; niſi enim poſt præuiſionem quid voluntas poſſit, quæ eſt ſimplicis intelligentiæ, Deus decernat complere virtutem eius imperfectam per applicationem, & adſiſtentiam ſuæ omnipotentiæ cum ipſa, ſine qua impotens omnino eſt quicquam operari; poſito autem decreto adſiſtendi illi vt exigit natura eius, ideſt ad quam partem pro ſua innata libertate ſe determinauerit cum auxilio eiuſdem omnipotentiæ ſimul concurrentis; videt quid in talibus circumſtantiis poſita factura eſſet libere, & cum decreto abſoluto talium circumſtantiarum vel bonarum, vel indifferentium coniungitur conditionatum, & indifferens adſiſtendi illi, & cooperandi cum illa quod voluerit, ideſt amorem ſi ad illum ſe determinet, vel odium ſi odiſſe eligat; atque ita conditio iſta ſi ſe determinet ad amorem, ſupponit concurſum in actu primo. Et non redolet nugationem vllam, quia facit hunc ſenſum, ſi voluntas adſiſtente ſibi mea potentia determinauerit ſe ad amorem, hoc faciet auxilio eiuſdem; & pariter, ſi ad odium; quia volo in poteſtate eius eſſe determinare indifferentiam oblati ſibi concurſus ad oppoſita.

Quod ſi conditio ſpectetur penes actum ſecundum, cum nihil ſit aliud, quàm ipſe actus voluntatis, realiter non ſupponit concurſum quia eſt ipſe concurſus: ſed formaliter conſiderata ſecundum diuerſas habitudines ad cauſam primam, & ad voluntatem creatam à quibus pendet, poteſt ſecundum vnam ſupponere, & ſecundum aliam ſupponi, non vt quid antecedens, & conſequens, ſed vt concomitans, quia non prius concurrit Deus, quàm voluntas, ſed ſimultaneus eſt vtriuſque influxus, vt paulo poſt dicam. Interim in forma ad argumentum reſpondeo voluntatem non videri operabundam, vel operaturam ſine Dei concurſu in actu primo parato indifferenter ad oppoſita; neque in actu ſecundo operantem, niſi ſimul cooperante Deo; nego tamen quod non poſſit Deus intuitu determinationis præuiſæ ex ſuppoſitione quod voluntas ponatur in talibus circumſtantiis decernere concurrere ad illam, quia hoc eſt decretum concomitans coefficiendi voluntati creatæ, vt Soar. proleg. p. c. 3. n. 16. & non eſt neceſſarium, vt voluntas reddatur per illud potens operari, ſed ſolum conueniens ex parte perfectionis diuinæ prouidentiæ in operando. Itaque determinatio, quæ eſt conditio, ſupponit concurſum in actu primo, & decretum illius indifferenter offerens vt cauſam antecedentem; & in actu ſecundo ſupponit vt concauſam ſimul concurrentem: atque ita neque idem eſt prius, & poſterius ſeipſo; quia in primo ſenſu conditio, ſiue determinatio voluntatis eſt effectus concurſus generalis indifferenter oblati: in ſecundo nulla eſt prioritas, quia eſt vna & eadem actio Dei, & creaturæ; loquendo de prioritate proprie dicta ſecundum cauſalitatem: quæ non eſt eiuſdem ad ſeipſum: & ſolum eſt ſimultas concauſandi, quia Deus ſimul concurrit cum voluntate; nec habuit decretum concurrendi prius; licet decretum dicatur antecedens, quatenus independenter ab illa decreuit adeſſe illi per ſuam potentiam, ſine qua nihil poteſt creatura, ſed non operari niſi operante illa, & quod operatur illa: quod eſt habere decretum ex parte ſua abſolutum; ex parte obiecti conditionatum, ſed ſufficiens ad operandum ſine alio decreto. Vnde fit vt Deus eo poſito cum aliis neceſſariis ex parte creaturæ videat quid voluntas ſit factura, & determinet concurrere ad actum particularem; ſed decreto non neceſſario ad operationem, quæ ſupponitur futura ex vi decreti prioris, quæ eſt circumſtantia principalis inter omnes in quibus conſtituta eſt voluntas operatura: ideo dici poteſt decretum confirmatiuum prioris indeterminati, & conueniens modo perfecto operandi Dei, non autem requiſitum, vt cauſa ſecunda compleatur in eſſe principij proximè operatiui. Conſequenter non dicitur Deus expectare determinationem voluntatis, quaſi hæc ſine illius concurſu antecedente, & ſine cooperatione comitante ſe determinet, hoc enim eſt impoſſibile; ſed ſolum vt decernat concomitanter in particulari concurrere ad eandem determinationem, quaſi confirmando decretum antecedens parandi concurſum indifferentem; iccirco concurſus non ſupponitur determinatus prout eſt effectus prioris decreti, ſed determinandus ab eo ſimul cum voluntate; vt autè eſt terminus decreti poſterioris, non pendet ab illo vt effectus, quia ſupponitur iam futurus: qua diſtinctione bene perſpecta occurritur incommodis quibus aduerſarius premit, quod idem eſſet prius, & poſterius ſeipſo, quod idem bis diceretur per ridiculam nugationem: procedunt enim à falſa imaginatione quod in aliquo priori voluntas creata ſe determinet, quam Deus cum illa concurrat: quod Deus viſa illa determinatione decernat concurrere decreto antecedente, & cauſante per ſe, non autem concomitante: quod ſenſus decreti huius, volo concurrere ſi voluntas concurrat, ſi idem ac ſit diceret volo concurrere, ſi concurram: quæ omnia aliter in meliori ſenſu explicanda ſunt, vt ſupra explicauimus.

P. Soar.

Decretum concomitans eſt conueniẽs perfectioni diuinæ prouidentiæ

Ad primam confirmationẽ concedo ſequelam primam, quod ſcilicet Deus videndo determinationem voluntatis, videt ſimul ſuum concurſum ipſi identificatum; ſed nego ſecundam, quod videlicet determinatio illa non poſſit eſſe conditio ob quam decernat concurrere ad vnam partem, quia licet realiter in determinatione inuoluatur concurſus & illi identificetur, tamen ſenſus huius cauſalis, Ideo Deus decernit concurrere ad iſtam partem, quia voluntas ad illam ſe determinabit, eſt, quod Deus videns voluntatem cum ſuo con-

Digitized by Google

cursu in actu primo indifferenti hoc, vel illud operaturam, decernit ad idem concurrere in actu secundo, non propter necessitatem huius secundi decreti ad existentiam effectus, sed propter perfectionem modi operandi vt supra: quod decretum est confirmatiuum, & conforme priori de concurrendo ad placitum voluntatis creatæ. Quod si sermo sit de concursu in actu secundo, sensus est quod Deus ideo illum decernit, quia voluntas sic se determinat, & quod ideo illum exhibet, quia voluntas illum actum elicit idemtificatum concursui diuino; ita vt eadem numero actio sit à Deo quia est à voluntate creata, cui Deus se accommodat, non quia hæc prius aliquid operetur quod moueat Deum ad operandum aliquid aliud cum ipsa, sed quia eadem actio vt manans à creatura potest esse conditio emanationis à Deo, idest quod Deus illam velit, & ad ipsam concurrat quia est à voluntate creata, habente iam omnia requisita ad operandum: quæ determinatio proprie loquendo non est causa quod Deus cõcurrat, quia idemtificatur concursui; dicitur tamen conditio in sensu formali, quatenus consideratur vt manans à voluntate creata, & diuersa à seipsa vt manat à diuina. Vnde in rigore non ideo Deus influit, quia voluntas se determinat; sed quia ipse vult, quamuis non influeret nisi voluntas se determinaret: quæ vice versa non se determinat quia Deus influit, sed quia vult, vt Soar. lib. de scientia futur. conting. c. 3. n. 17. & Prolegom. 1. de Grat. c. 3. n. 16. & disp. 6. ad 1. 2.

Ad 2. Voluntas prius intelligitur potens in actu primo fundere ex se determinationem, quam actualiter fundat, & ad hoc non requiritur actualis Dei concursus; sed sufficit quod sit præparatus per potentiam applicatam; & cum hoc Deus videt in quam partem voluntas sit se determinatura; antequam per aliud decretum velit ad eam concurrere, quod quasi confirmat primum sufficiens ad hoc vt virtute eius, & sua libertate se determinet ad vnum. Et ideo saltem implicite inuoluit conditionẽ, si voluntas creata illud eliget, vel quia eliget: vt propterea secundi decreti obiectum sit illud idem super quod cadit prius, sed inadæquate; quia prius cadit indifferenter super vtramque partem; secundum super vnam.

Ad 3. nego esse hic mutuam prioritatem, quam contendit argumentum, non enim ideo decernit Deus concurrere quia videt voluntatem operaturam, sed quia vt creator eius, & naturæ conditor, & gubernator præsto esse vult cuilibet creaturæ vt possit operari iuxta naturalem suam virtutem ab ipso acceptam: Dicitur quidem velle determinate concurrere ad vnam partem, quia vidit voluntatem ad illam se determinaturã; sed hoc decretum non se habet vt causa antecedenter necessaria vt supra. Proinde negandum quod Deus velit concurrere, quia voluntas est operatura, cum antecedenter ad eius operationem decreuerit reddere illam potentem ad operandũ, & ideo potius dicendum sit illam operaturam, quia Deus voluit vt operetur vel libere vt exigit natura eius; & in actu secundo ideo cum illa operatur, quia vult operari idem quod ipsa vult.

Deus non decernit antecedenter concurrere quia videt voluntatem operaturã, sed quia vt creatura auctor præsto esse vult ad operandũ.

Instabis quia per te munus scientiæ mediæ dari dicitur, vt Deus prudenter, & suauiter gubernet, & proinde modo certo, & determinato statuat in particulari concurrere ad hanc, vel illam partem, ad quod non sufficit decretum primum, quia per illud applicatur potentia indifferenter ad oppositа, & proinde non sufficit ad rationem prouidentiæ, quæ certa media dirigit ad certos fines infallibiliter, & determinate assequendos. Nam scientia media iccirco adstruitur vt Deus præcognoscat quibus modis, aut quibus conditionibus positis humanum arbitrium hoc, aut illud operabitur, vt possit secum statuere de tali operatione, & fine per illum consequendo: alias oportet aut necessitatem imponere voluntati, ne posset in oppositum, & irritum decretum redderet; & se exponeret periculo omissionis eius quod efficaciter fieri voluit, quia relinquit voluntatem libertati suæ nondum sciens quid sit operatura in talibus circumstantiis, vt Soar. lib. 2. de scient. condit. c. 4. init. & proleg. 2. ferme per totum. Igitur vt decretum conformetur huic scientiæ, & muniri eius debet ferri determinate ad vnam partem, & non esse indifferens.

Respondeo negando in primis non sufficere decretum primum ad concurrendum in particulari ad hunc vel illum effectum determinate; ex eo enim quod virtute illius voluntas creata habet auxilium promptũ ad quam partem voluerit, potens est illam eligere determinate pro suo libito: & Deus per scientiam mediam prius nouerat ad quam se esset determinatura; & ideo decernendo absolute conditiones in quibus præuisa est operaturã talem actum in particulari, simul implicite vult ad illum concurrere quia explicite decernit quod voluntas elegerit, paratus quantum est de se ad oppositum, & hoc sufficit ad rationem prouidentiæ dirigentis certa media ad certos fines infallibiliter assequendos, Secundum vero decretum explicitè concurrendi ad vnam partem determinate, iam dixi non esse necessarium ad existentiam effectus, quia supponit illum iam futurum; sed solum ad hoc vt Deus perfectissimo modo operetur, & congruo suæ infinitæ sapientiæ, vt Suar. supra.

Tertium argumentum in confirmationem 2. & explicationem maiorem difficultatis contra solutiones allatas.

CAPVT XXXIII.

PLures addit instantias Auctor quadrip. vt ex impugnatione modi quo exhiberi dicitur concursus immediatus ab auctoribus scientiæ mediæ expugnet ipsum concursum, vt ab ipsis asseritur, expunctum iam, vti existimat, contra assertores prædeterminationes.

Primò, Antequam intelligitur qui nam concursus sit exhibendus in particulari, non potest cognosci quid voluntas sit operatura sub conditione per exhibitionem concursus indiffe-

Digitized by Google

rentis, puta amatura ne ſit, vel odio habitura; quia poſitis omnibus requiſitis adhuc poteſt amare, & non amare: atque ita iudicium pro illo ſigno quod ſit amatura, falſum eſt. Si verò iudicium illud ſit verum, iam inuoluitur decretum concurſus ad amorem; quia amor eſt effectus particularis cui reſpondet decretum particulare; prius enim Deus vult operari, quàm operetur, & prius conſequenter vult hoc, quam operetur hoc determinate. Hinc autem ſequitur neceſſitas propoſitionis, nam ſi Deus velit concurrere cum voluntate in talibus circumſtantiis conſtitutæ ad actum amoris, ſiue velit concurſu prædeterminante, ſiue ſimultaneo, propoſitio eſt neceſſaria, nam cum primo per te neceſſario coniungitur amor; cum ſecundo idemtificatur amor, quæ adhuc eſt maior neceſſitas. Et probatur hoc, nam hæc conditionalis ſi Deus prædeterminet ad amorem, Petrus neceſſario amat per te; ergo ſi concurrat concurſu ſimultaneo, magis etiam neceſſario amat, quia idem eſt realiter Petri amor, & concurſus Dei ad amorem; nulla autem magis neceſſaria eſt propoſitio, quàm idemtica, & etiamſi vitaretur nugatio per diuerſam conſiderationem eiuſdem rei vt habet diuerſos reſpectus iuxta dicta ſuperius; non tamen vitaretur neceſſitas. decretũ igitur concurrendi ſimul cum voluntate Petri ad amorem ita cadit ſuper obiectum neceſſarium, ſicut decretum prædeterminandi, cum ſit impoſſibile poni quin ponatur actio voluntatis propter identitatem quam ille concurſus habet cum actu voluntatis.

Neque valet dicere quòd neceſſitas, vel contingentia actus attenditur penes cauſam determinatam, vel indeterminatam, & valentem ſe determinare pro libito; non autem penes terminos propoſitionis, qui ex natura rei ſunt neceſſario coniuncti; nam etiam hoc dato non vitatur neceſſitas, quia Deus non habuit ſe negatiue circa vlla obiecta, ſed poſitiue voluit quæcumque facit in tempore, & poſitiue noluit quæ non facit, vt Suar. lib. 3. de Auxil. c. 13. in fine rationis ſecundæ. Vaſq. 1. p. diſp. 79. n. 17. ſi ergo concurrit ad amorem, voluit determinate ad illum concurrere; Neque refert quod concomitanter voluerit poſt ſcientiam conditionatam; quid eſſet factura voluntas, ſi poneretur in talibus circumſtantiis, quia cum decreto antecedente abſoluto ponendi tales circumſtantias, & cum altero concomitante concurrendi ad actum ex illis manaturum non componitur actus oppoſitus, etiam ſi ſit conditionatum, & priori de concurſu indifferente conforme in hoc, quod vtrumque ſit habito reſpectu ad libertatem voluntatis.

Confirmatur primò, quia Dei concurſus ne præiudicet libertati, debet poſſe componere cum oppoſito, etiam in ſenſu compoſito per te, ſed ſi idemtificatur cum actu voluntatis, non poteſt componere, quia hic eſt numero, & non poteſt eſſe alter.

Neque valet dicere quod poteſt componere cum concurſu Dei in actu primo, quæ eſt diuina potentia parata ad vtramlibet, nam dicis quod poſita diuina motione poteſt voluntas etiam in ſenſu compoſito diſſentire: igitur extendis indifferentiam ad concurſum in actu ſecundo:

Confirmatur ſecundò, quia voluntas ex ſeipſa non poteſt inchoare operationem ſuam, niſi cum ea Deus ſimul operetur, ergo neque poteſt intelligi operatura, niſi ſimul intelligatur Deus cum illa operaturus; & proinde in quocumque ſigno concipiatur operatio voluntatis, concipitur & operatio Dei ſimultanea; & decretum ſine quo eſſe non poteſt tam in ſtatu conditionato, quàm abſolute futuro, ad quem tranſit purificata conditione per decretum abſolutum ponendi voluntatem in circumſtantiis, cum quibus præuiſa eſt conditionate operatura. Hinc autem ſequitur neceſſitas prædicta propoſitionis, aut nugatio; nam cum eadem ſit actio Dei, & voluntatis, idem eſt dicere Deus decernit concurrere cum voluntate ad amorem, quia voluntas ſe ad amandum determinat, ac dicere Deus vult concurrere ad amorem, quia voluntas concurrit ad amorem; quiconcurſus idem eſt cum concurſu Dei, & ideo propoſitio eſt neceſſaria, eiuſdem de eodem ſub diuerſis reſpectibus, qui non tollunt neceſſitatem: nugatoria præterea eſt, quia velle ponitur Deus concurſum per decretum concomitans, qui ſupponitur volitus per decretum antecedens, ſine quo non poteſt concipi determinatio voluntatis creatæ eſſentialiter ab eo pendens, & inducitur Deus volens hanc actionem, puta amorem, quia voluntatem ſe determinaturam præuidit ad illam in talibus circumſtantiis, quæ determinatio nihil eſt aliud quàm ipſe actus amoris, idemtificatus concurſui Dei, qui propterea dicetur velle amorem qui iam ſupponitur volitus, quia determinatio voluntatis cui ſe accõmodat Deus, eſt ille idem amor, indiſtinctus realiter à concurſu Dei; atque adeo vult concurrere ad amorem, quia iam ſupponitur determinatio voluntatis creatæ, ratione cuius vult cum illa concurrere ad amorem, qui eſt ipſa determinatio; atque ita realiter loquendo ratio cur Deus concurrat, eſt quia concurrit, in qua neceſſitas ineſt decreto non egens, vtpote obiectum ſimplicis intelligentiæ prioris decreto; tam antecedente, quam comitante; ſicut non egent decreto cætera poſſibilia, & neceſſaria obiecta diuinæ cognitionis.

Confirmatur tertiò, quia Donec impleatur conditio, quæ eſt ſi voluntas ſe determinauerit, decretum indifferens non eſt ſufficiens ad hoc vt ponatur actus ad quem ſe determinatura eſt, quia Deus illud ſubordinauit determinationi voluntatis creatæ per te; cum autem voluntas ex ſe vult inchoare actionem ſuam, oportet, inquit aduerſarius, vt apparet in conſpectu Dei, & exigat potius hunc concurſum, quàm alium; at neque hoc poteſt, quia de eadem iſta actione erit eadem difficultas, ac de quauis alia conſequente, cum illam inchoare non poſſit, ergo nihil datur ex parte ipſius, quo Deus excitetur ad concurrendum ad vnam partem; & aliunde tamen voluntas illa generalis concurſus & indifferentis debet ab aliquo determinari; non autem à Deo per te, quia eſt contra libertatem arbitrij talis determinatio; & in malis operationibus aliena prorſus à Dei ſanctitate. Melius ergo fuerit tollere

Digitized by Google

talem concursum immediatum, & decretum eius.

Ad argumentũ respondeo negando non esse cognoscibile quid libera voluntas sit operatura, positis requisitis ad operandum, ac proinde decreto de concursũ indifferenti; & eius præparatione posita. Deus enim ex infinitate sui intellectus, ac sapientiæ attingit omnem veritatem, & omne cognoscibile; & cum verum sit quod voluntas vnam partem determinate eliget, hæc non latet Deum, quomodocumque deinde cognoscat, de quo sunt variæ sententiæ: nunc satis sit quod cognoscit actum futurum in seipso perfectissime, atque adeo omnes causas à quibus est, siue deinde in liberis sit cognoscibilis, siue solum ex liberis, vt supra.

Positõ decreto de concursu indifferenti, Deus videt effectũ absolute futurum, sicut videt conditionate futurum per scientiam mediãante decretum.

Iam ad alteram partem patet cognosci decretum, quia est causa à qua essentialiter pendent actus liberi arbitrij, si sermo sit de generali indeterminato; si de comitante, nouit etiam illud, sed non vt causam necessariam ad complendam potentiam voluntatis, quia solum requiritur ex parte Dei ad perfectionem prouidentiæ. Et hoc est quidem prius duratione actu voluntatis creatæ, cum sit æternum; sed non natura, quia comitatur, aut subsequitur actum qui præuidetur futurus.

Ad sequelam nego inde inferri aliam necessitatem quàm consequentem, seu ex suppositione, quod res sit, quæ est necessitas secundum quid. Concedo igitur quod si Deus concurrat ad amorem cum Petro, necessario Petrus amat propter identitatem actionis Petri, ac Dei; sed hoc idem est ac dicere ex suppositione quod Petrus amet non potest non amare, & ex suppositione quod Deus concurrat non potest non concurrere, quæ est necessitans consequens. Secus est de decreto prædeterminandi, quod cum sit antecedens, & independens à voluntate creata, trahit illam secum ad eam partem cuius est decretum sine libertate ad oppositam. Ex quo patet ad instantiam.

Necessitas consequẽs in propositione.

Nam tota illa necessitas est consequens, & ex suppositione quod voluntas sit se determinatura ad amorem; qua conditione præuisa Deus decernit cum illa concurrere, cum quo decreto non componit actus oppositus consequenter, non antecedenter sicut contingeret in decreto prædeterminandi.

In quo cauenda æquiuocatio; necessitas enim consequens vel attenditur penes terminos propositionis, & ita cadit sub scientiam simplicis intelligentiæ, quia concursus voluntatis creatæ est idem cum diuino, & ideo propositio illam enuncians est necessaria ante vllum decretum, sicut alia obiecta eiusdem scientiæ: Vel attenditur penes causam, & est necessitas tantum secundũ quid, seu consequenter. Simpliciter autem est contingens, quia voluntas libere se determinat ad vnam partem, & iuxta eius exigentiam Deus concurrit; atque tam ex parte Dei, quàm ex parte voluntatis adest libertas, & potentia cum actu opposito antecedenter, non item cum decreto prædeterminandi: Itaque tam decretum de concursu indifferenti quam prædeterminandi cadit super obiectum constans terminis facientibus propositionem necessariam propter identitatem actionis Dei & creaturæ; sed illud stat cum libertate actus ex parte causæ; hoc non item.

Ad primam confirmationẽ, Concursus Dei in actu secundo ad opera bona est duplex; antecedens, & concomitans. primus est gratia præueniens illuminans mentem, & excitans cor, quem Deus facit in nobis, sine nobis libere scilicet consentientibus. Secundus est ipsa operatio quam coefficit cum voluntate per eius gratiam eleuata; & hæc distinguit à motione præueniente, & potest non sequi illam, quia voluntas præuenta potest dissentire si velit, etiam in sensu composito iuxta Trident. sess. 6. can. 4. vide Suar. lib. 1. de concurs. cap. 3. à n. occasione huius auctoritatis concilij explicantem ex Anselmo necessitatẽ antecedentem & consequentem, & t. 2. de Gratia l. 1. c. 12. n. 20. sed fusius proleg. 1. c. 6. Bellarm. l. 4. de gratia & lib. arb. c. 16. cum altero Cardinali Caietano 1. p. q. 19. a. 8. dicente quod Dei motione voluntas nostra libere vtitur.

Ad secundam confirmationẽ, Concedo totum antecedens: nego sequi aliam necessitatem quàm secundum quid, seu ex suppositione; & multo minus nugationem. Primum patet, quia decretum vtrumque antecedens, & comitans est conditionatum relinquens indifferentiam voluntati. 2. Habet falsam intelligentiam propositionis conditionatæ, hoc est Deum velle concurrere, si concurrat, quia eadem est actio eius, & voluntatis, & proinde velle amorem si voluntas ad eum se determinet, idem esse ac velle amorem si concurrat ad amorem, eo quod determinatio voluntatis sit ipse amor quem cum illa efficit Deus; sed vt supra ostendi, alius est sensus istius propositionis siue vsurpetur conditionaliter per particulam, si, siue causaliter, per quia. Quando enim dicitur Deus vult concurrere ad amorem si, vel quia voluntas, se determinat ad amandum, idem est ac dicere, Deus vult suam potentiam applicatam concurrere simul cum voluntate eliciente amorem, ita vt actus iste sit ab vtraque causa; à voluntate vt determinante libere; a potentia vt à determinata, non secus ac si per modum habitus subordinati voluntati concurreret: & nulla est nugatio, quia quærenti cur concurrat Deus, respondetur, quia vult se accommodare voluntati; & redditur causa efficiens pro ratione. Quod si consideretur actio, & quæratur cur Deus concurrat ad amorem, non nugatur respondens, quia voluntas concurrit ad eundem, supposito decreto faciendi quod voluntas elegerit, vt libertati sit locus; & tunc determinatio voluntatis non est actio distincta ab amore; sed quia vt procedit à voluntate dicitur determinatio, vt autem à Deo vocatur actio determinata, ideo dicendo Deus concurrit quia voluntas se determinat, assignantur diuersi respectus eiusdem actionis ad suas causas, quod fit sine nugatione, vt supra ex quo patet:

Sensus huius propositionis Deus vult cõcurrere ad amorẽ si voluntas se determinet ad amandũ.

Ad illud quod dicitur sequi ex huiusmodi dicto, velle Deum concurrere ad amorem qui iam supponitur, quia sequitur determinationem voluntatis, quæ realiter est idem amor, & propterea non posse dici quod velit amorem, eo quod voluntas se determinet, & ad

hanc determinationem iam ſupponatur concurrere; cum ſit operatio pendens à decreto, ac proinde dicatur velle idem, quod prius intelligitur voluiſſe, ideſt amorem, qui non diſtinguitur à determinatione rationis cuius vult concurrere ad illum; Patet, inquam, reſponſio ex vera intelligentia explicata huiuſmodi propoſitionum; velle enim Deum concurrere ad amorem quia voluntas ad eum concurrit, nihil eſt aliud quàm Deum velle facere quod facit voluntas; & ideo determinatio non ſupponitur in voluntate prior concurſu Dei, ſed concomitans & ſimul ſecundum diuerſos reſpectus; abſolute autem non ſupponitur quia eadem eſt cum amore producto à potentia diuina, & à voluntate creata.

Ad tertiam, Non eſt neceſſaria alia apparentia voluntatis ante diuinum conſpectum, neque exigentia huius concurſus potius quàm alterius; ſed ſufficit virtus vel accepta in creatione, ad naturales actus, vel infuſa per gratiam ad ſupernaturales & diuinus concurſus paratus in actu primo, vt voluntas illos inchoet, perſequatur; atque adeo vt ſe determinet ſine noua implorationead ſe determinandam; & ſine alio tupperaddito ad hoc neceſſario, vt Deus decernat concurrere ad vnam partem cum illa, quia per hoc præciſe quod libera eſt poſitis talibus circumſtantiis ad eam ſe determinatura eſt ex vi ſuæ libertatis; cui potentia diuina adſiſtit. Et ne videatur ficta euaſio ad eludendam poſitionẽ opportunam, importunam aduerſarij quærentis quid videat Deus in voluntate quo excitetur ad concurrendum cum illa ad vnam partem.

Probatur auctoritate Patrum adducta ratio ex natura libertatis nihil vltra quærendum vt ſe determinet.

CAPVT XXXIV.

Auguſt. S. Auguſt. lib. 12. ciu. c. 6. ponit caſum duorum qui animo, & corpore pariter ſint affecti, & eadem tentatione, de eodem obiecto tententur, & alter ei cedat, atque conſentiat; alter idem qui fuerat perſeueret, & cauſam inueſtigans harum voluntatum diuerſarum, tandem reſpondet nullam aliam apparere, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe deficere. *Si eadem* (inquit) *tentatione ambo tententur; & vnus ei cedat, neque conſentiat, alter idem qui fuerat, perſeueret, quid aliud appareat, niſi vnum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere?* Igitur ex voluntate eſt quod ſe determinet, & non exigit ad hoc aliam opem quàm concurſum vniuerſalem ſemper præſentem, intellige vbi non requiritur ſpeciale auxilium gratiæ per Chriſtum: quod ſi ita eſt, Deus videt determinationem hanc, & ſimul decernit cum ea concurrere determinate, cum priori decreto neceſſario ad hanc determinationem ſolum vellet concurrere indifferenter, ideſt applicare potentiam, per quam redderetur voluntas potens operari quod vellet.

De lib. arb. l. 3. tit. 1. c. 3. *Non enim poſſumus aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in poteſtate noſtra, quàm ipſa voluntas eſt. Ea enim prorſus nullo internallo locorum, mox vt volumus præſto eſt.* quod Idem dixerat lib. c. 12.

Et lib. 83. qq. q. 8. *Nam ſi volumus non alius de nobis vult, & iſte motus animæ ſpontaneus, &c.* licet enim voluntatis eleuationem præcedat iudicium prædictum rationis, & propoſitio obiecti cum indifferentia, tamen formaliter potens eligendi in ipſa voluntate eſt, cui concurſus deeſt nunquã, ideſt vt Suar. de concur. l. 1. c. 1. & prolegom. 1. c. 6. Bellarm. lib. 3. de Grat. & lib. arb. c. 8.

S. Anſelm. de caſu Diab. c. 27. *Cur malus Angelus voluit quod non debuit? Nulla cauſa præceſſit hanc voluntatem, niſi quod velle potuit.* Et mox: *Cur ergo voluit non niſi quia voluit? Nam hæc voluntas nullam aliam habuit cauſam, qua impelleretur aliquatenus, aut traderetur: ſed ipſe ſibi efficiens cauſa fuit, ſi dici poteſt, effectus.*

S. Thom. q. 1. de Mal. a. 3. c. *Non ſibi regula rationis & legis diuinæ præintelligitur in voluntate ante inordinatam electionem. Huiuſmodi autem quod eſt non vti regula prædicta non oportet aliquam cauſam quærere, quia ad hoc ſufficit ipſa libertas voluntatis, per quam poteſt agere, vel non agere.*

Idem docet S. Bonau. in 2. d. 36. a. 6. q. 1. in reſ. *Si autem inquaras quid faciat ipſam voluntatem exire in peccatum, & quæ ſit diſpoſitio ipſius immediata reſpectu culpæ; dicendum quod nulla ſuperaddatur diſpoſitio, ſed ipſa voluntas quæ eſt diuina ſui actus, & libera poteſt ſeipſam conuertere ad illud ad quod vult, & ſicut vult, &c.* Idem habet d. 34. a. 1. q. 2. in fin. reſolut. His omnino conſona habet Bellarm. l. 4 de Grat. & lib. arb. cap. 16. & Soarius lib. 1. de concurſ. à cap. 8.

Scotus in 1. d. 8. q. vlt. §. ad argumenta. Et ideo, inquit, huius quare voluntas voluit hoc, nulla eſt cauſa niſi quia voluntas: ſicut huius quare calor eſt calefactiuus, nulla eſt cauſa niſi quia calor, &c. Et licet loquatur de diuina voluntate; tamen eius ratio eſt vniuerſalis, quia hæc eſt natura & eſſentia voluntatis vt voluntas eſt. Capr. in 2. d. 24. a. 3. ad quoddam 6. argum. voluntas quantum eſt de ſua natura, eſt ad oppoſita: ipſa tamen ratione ſuæ libertatis ſe determinat ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante.

Si igitur in horum ſententia voluntas ex ſua natura habet virtutem determinandi ſe, non eſt vrgendum argumentum non vrgens nihil eſſe in ea, nec à Deo videri, vnde excitetur ad concurrendum cum illa ad vnam partem: nam vt S. Bonau. loquitur in 1. diſt. 40. a. 2. q. 1. in reſ. Deus videt in quam partem noſtra voluntas, & operatio inclinentur; ad quod ſufficit decretũ prius indifferens, ſeu vt ſupra vocauerat voluntas Dei non determinata; & hoc ex infinita perfectione ſui intellectus attingentis omne cognoſcibile, qua cognitione poſita ſimul decernit cum illa concurrere ad eandem partem modo ſuperius explicato. Ideo negandum eſt quod aſſumit aduerſarius non poſſe cognoſci determinatum concurſum Dei in ſtatu antecedente decretum determinatum eis; & proinde neque determinationem voluntatis pro eo ſigno, quia hæc pendet à decreto, quod cum nullum ſit, neque etiam determinatio eſſe poteſt, quæ tamen à te requiritur vt conditio ad

Digitized by Google

ponendum decretum concomitans hoc, inquam, non obstat, quia in quocumque statu intelligatur determinatio futura, supponitur decretum antecedens conditionatum de concursu indifferenti, virtute cuius voluntas ex sua libertate determinat se ad quam partem vult, neque ad hoc requiritur decretum concomitans, siue subsequens vt supra; propterea in eo signo quo nondum hoc esse concipitur potest intelligi futura determinatio virtute decreti antecedentis, & voluntatis, cui paratuit concursum quo fieret proxime potens operari, & quia præuidit quid cum illo factura esset voluntas, ita statuit ad illud concurrere, vt tamen non statuerit positiue nolle concurrere ad oppositum, quia hoc decretum concomitans cõformatur priori, quod semper præsupponitur concurrendi videlicet quantum est ex se ad illud quod eliget voluntas; neque tamen negatiue se habuit ad oppositum, quia per idem decretum antecedens, quod positiuum est, applicauit suam omnipotentiam, & paratus est concurrere ad illud concurrente simul voluntate creata, quæ de facto eligit pro sua libertate quod vult.

Virtute decreti antecedentis potest cognosci futurus effectus determinatus à voluntate.

Dices hoc decretum licet ponatur distinctum à suspensione diuinæ voluntatis, & à negatione actus omnis circa futura contingentia, adhuc tamen ambiguum est cum æque respiciat vtramquè partem contradictionis hoc autem videtur indignum Deo, de quo Apostolus Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ideſt secundum liberam, & certam determinationem suæ voluntatis, quia in Deo non est consilium vt dicit inquisitionem mediorum, sed secundum certitudinem sententiæ, & iudicij ex D. Thom. 1. 2. q. 14. art. 1. 2. Hæc autem certitudo significat determinationem quandam, quæ excludit omnem ambiguitatem, qualis est in obiecto conditionato & decreto circa illud.

Respondeo primò, per instantiam, quia simili argumento vtitur Caluinus lib. 3. Instit. cap. 23. §. 7. apud Bellarm. l. 2. de amis. Gratiæ c. 18. si non decreuit Deus lapsum primi hominis, & totius posteritatis, ergo sine ambiguo condidit nobilissimam creaturam, vt ex euentu penderet quod postea Deus facturus esset. Et tamen hoc nihil valet, quia certo fine condidit ostensionis sapientiæ, ac bonitatis suæ tam in ipso opere, quàm in permissione peccati, quo præuiso in talibus circumstantiis absolute volitis decreuit Incarnationem in temedium, &c.

Secundò, respondeo directe cum Bellarm. lib. 2. cit. de amis gratiæ, cap. 15. Deum dici sic operari quia non temere, neque inuito, sed libere, & prudenter operatur quæcumque operatur, quæ est expositio S. Hieron. in eum locum, *Operatur*, ait, *omnia Deus secundum consilium voluntatis suæ; non quo omnia quæ in mundo fiunt, Dei voluntate, & consilio peraganturalioquin & mala Deo poterunt imputari, sed quo vniuersa quæ facit, consilio faciat, & voluntate, quod scilicet & ratione plena sint, & potestate facientis.* Et S. Thom. 1. 2. cit. *Non dicit secundum voluntatem, ne credas quod sit irrationabilis; Sed secundum consilium voluntatis, ideſt secundum voluntatem, quæ est ex ratione, non secundum quod ratio importat discursum, sed secundum quod designat certum, & deliberatum iudicium, &c.* Sequitur Soar. tel. de libertate voluntatis disp. 1. sect. 1. fuse tractans hunc textum. Ex quo nihil contra nos, quia hoc decretum, quod ponimus parandi concursum indifferentem voluntati creatæ est liberum & plenum ratione ac potestate; sic enim subuenitur indigentiæ illius nihil potentis sine diuino concursu, & libertati operandi quod vult quam exigit natura eius.

Bellarm. S. Hieron. S. Thom. S. Bonau. Suar.

Instabis quia S. August. de gratia Christi contr. Pelag. tom. 7. lib. 1. cap. 17. ait: *Illud ergo timuit vt non diceret, & nostrum est, & Dei; ne sibi responderetur: si quod bene agimus, loquimur, cogitamus, & nostrum est, & Dei, quia illud posse ad vtrumque donauit; atque ita, quod absit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culpamur in malis. Possibilitas quippe illa quam dedit, tam nos facit bona posse, quàm mala.* Ex mox c. 18. *De qua possibilitate Pelagius in lib. primo pro lib. arbitrio ita loquitur: Habemus autem possibilitatem vtriusque partis à Deo insitam, velut quandam, vt ita dicam rationem fructiferam, atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diuersa gignat, & pariat, & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum. Vbi non intuens quid loquatur vnam, eandemque radicem constituit bonorum, & malorũ contra euangelicam veritatem, doctrinamque apostolicam. Nam & Dominus? nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos.* Quæ auctoritas videtur pugnare contra decretum conditionatum, & concursum indifferentem, si influit necessario in omnem actionem, & paratus est tàm ad bonam, quàm ad malam indifferenter; non secus ac contra indifferentiam voluntatis.

S. August.

Respondeo non obstare hanc auctoritatem sanæ doctrinæ de decreto conditionato, & concursu indifferenter parato; sed peruersæ Pelagij vtrunque negantis, & totam possibilitatem arbitrio tribuentis, ex qua sequuntur absurda quæ ibi August. cõmemorat, statuens contra illum diuersam esse possibilitatem bonorum, & malorum: illa quippe à caritate est; hæc à cupiditate; illa à Deo est, hæc ab homine deficiente. *Illa ergo possibilitas*, inquit, *non vt iste opinatur, vna eademque radix est bonorum, & malorum. Aliud enim est caritas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus, & vitium, &c.* Sed quia tam ad bona, quàm ad mala libertas in voluntate est, quæ de se natura est, & bona, ideo subdit. *Sed plane illa possibilitas vtriusque radicis est capax, quia non solum potest homo habere caritatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem qua sit arbor mala. Sed cupiditas hominis, qua vitium est, hominem habet auctorem, vel hominis deceptorem, non hominis creatorem, &c.* Quæ potius faciunt pro cõcursu indifferenter parato, quia si potest homo habere caritatem, & cupiditatem, ideſt operari bene, & male; consequenter habet necessaria ad completam potentiam operandi, primum autem ex necessariis est concursus Dei præparatus, non determinatus ad vnam partem, quia sic voluntas non posset alterum oppositum eligere, ergo indifferens, & determinandus ab ipsa voluntate. Cum hoc tamen discrimine quod in acti-

Discrimē inter actus supernaturales, & materiales respectu concursus diuini.

bus bonis supernaturalibus datur auxilium peculiare non indifferens, neque necessitans, sed præueniens per modum suadentis, & inclinantis ad vnum; in aliis mere naturalibus sufficit solus concursus generalis, quo si abutatur voluntas ab ipsa abusus, & vitium est; si bene vtatur à Deo etiam bonus vsus est suadente, & impellente ad bonum, & non solum adsistente vt ad malum tanquam fungente munere conditoris, vt infra.

Quartum argumentum impugnans potissimum determinationem voluntatis creatæ.

CAPVT XXXV.

QVia voluntas indeterminata Dei ad alterutram partem oppositorum vt vocatur à S. Bonauentura supra, & potentia eius applicata indifferenter in exercitio non operatur nisi determinata; sicut neque voluntas ipsa creata cum illa concurrens; determinatio autem si sit à Deo antecedenter tollit indifferentiam in qua consistit libertas voluntatis; ideo diximus Deum permisisse suam potentiam voluntati, vt ex sibi adsistente ad modum habitus vltimo complentis principium operandi, & ex sua libertate determinet se, & concursum Dei in actu primo indifferenter paratum ad partem quam voluerit: quod hic modus sit opportunus ad saluandam libertatem arbitrij, eamque cum diuinis decretis conciliandam; & ad ostendendum quod Deus non sit auctor malorum, qui, vt loquitur S. Iust. mart. q. 1. Christ. ad ethn. concedit nos patrare quæ sponte proponimus mala, non per infirmitatē virium, sed vt nostrum arbitrium appareat, & Dei longanimitas; quod alioqui hoc rerum statu, nec nostra incolumitas tuta foret (ideſt libertas nostra) nec illius bonitas conspicua. Contra

Primò arguunt, quia determinare indicat superioritatem quandam quam non habet creatura in Deum, igitur contra naturam eius est quod determinet Deum; igitur vel Deus determinat, & hoc non per se, ne lædat libertatem; vel vtraque causa agit indeterminata, siquidem neutra determinatur ab altera, & hoc non, quia actio esset casualis, & aliena à Dei sapientia, ac prouidentia. hoc prius sibi opposuerant Scot. & Greg. in 2.d. 37. & supra nobis obiiciebat Aluar.

Secundò, Quod determinat prius est eo quod determinatur, hoc enim sequitur ad illud, & non vice versa: igitur actio voluntatis siue determinatio eius licet sit eadem cum Dei concursu realiter loquendo; tamen vt determinatiua est & vt procedens ab ipsa, prior est formaliter seipsa vt pendet à Deo, hoc autem est impossibile, quia pro nullo signo potest intelligi actio creaturæ independens à Deo, cum dependentia sit illi essentialis. Deinde si in illo priori signo intelligitur esse actio voluntatis, in posteriori non accipit à concursu Dei qui consequitur, & difficultas augetur in actibus meritoriis quos voluntas elicere non potest intelligi in vllo priori signo sine concursu supernaturali Dei. Et ex alia parte verum est dicere ideo Deus concurrit ad amandum cum Petro, quia voluntas Petri se determinat ad amorem; quæ causalis indicat prioritatem naturæ.

Tertiò, Causalitates aliarum causarum, v.g. materiæ, formæ, vt sunt tales causæ non pendent à Deo vt causa materiali aut formali, quia Deus non potest esse causa materialis vel formalis, quando neque efficientes pendent ab illo vt coefficiente.

Confirmatur, quia vt Deus sit finis omnium rerum, non est necesse ipsas referri in ipsum immediate, sed sufficit quod mediate, ergo vt dicatur efficiens satis est quod concurrat mediate.

Confirmatur secundò, quia ordo agentium respondet ordini finium; sed non possunt esse duo fines immediati eiusdem rei, ergo neque duo agentia, præsertim vbi vnum sufficiens est virtutis: Hic autem vtraque causa sufficiens est: de prima constat; de secunda probatur, quia effectus non est supra naturam, & perfectionem causæ; si enim sit vniuoca est eiusdem speciei, & virtutis; si æquiuoca est eminentioris continens eminenter effectum in quo nihil est, si sit naturalis quod non respondeat virtuti causæ quod est argumentum Durandi.

Ad primam respondeo determinationem acceptam actiue dicere superioritatem quandam in determinante respectu determinati illa indigentis, & hoc modo nulla creatura determinare potest concursum Dei: acceptam vero formaliter, seu quasi formaliter nullam dicere superioritatem vt patet in formis accidentalibus determinantibus potentiam substantiæ ad illas recipiendo, quæ tamen ipsis nobilior est.

Determinatio accipitur actiue, & formaliter.

Multo magis hoc habet locum in determinatione quæ pendet à voluntate libera, quæ patitur & vult se determinari ab alia; quia hoc est se accommodare voluntarie alienæ voluntati, & dependenter ab illa velle aliquid, & hoc modo determinari dicitur actio Dei ab actione voluntatis, quia diuina potentia indifferenter applicata concurrit determinate ad eam actionē quam voluntas creata eligit pro sua libertate quod nullam arguit imperfectionem, sed summam sapientiam & bonitatem Dei, qui cum non egeat creaturis ad operandum, & voluntatem possit prædeterminare ad quod vult, tamen vt seruet iura libertatis, & præbeat concursum iuxta exigentiam naturæ arbitrij, parat illum indifferentem permittens ipsi liberum eius vsum quoad exercitium, & specificationem actiuam, vt Soar. de concursu lib. 1. c. 15. ad 3. argumenta & c. 17. & tom. cap. de gratia proleg. 2. cap. 8. à numero 17.

Quomodo dicatur actio Dei determinati.

Et est conformis hæc responsio testimoniis Scripturæ, & Patrum sæpius significantium Deum accommodare se voluntati hominum, & facere quod illi voluerint. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis Isa. 1. si vis venire post me Matt. 19. Qui vult accipiat aquam vitæ gratis, Apoc. 22.

Hic

Digitized by Google

Hic quæres, cur potius concursus diuinus dicatur determinari à creato, quàm vice versa, cum sint vna, & eadem actio, loquendo de actione Dei ad extra manante à diuina voluntate, & potentia cooperante libero arbitrio; nam prius natura quam operentur vtraque causa est indeterminata; cum actu operantur vtraque est determinata per eandem actionem, & non apparet cur vni potius quàm alteri conueniat ratio determinandi.

Respondeo, si quæritur causa efficiens, vtraque est determinans, & neutra sine altera, nam voluntas creata nihil potest sine diuina, neque hæc sine illa, si spectetur modus qui sit liber causæ secundæ, etiamsi absolute sit independēs à creatura. Si vero consideretur determinatio quasi formaliter; eadem actio vt egrediens à voluntate creata dicitur determinatiua sui vt manantis à diuina, quia hæc indifferenter parata ad oppositа sequitur, siue comitatur operationem voluntatis creatæ non secus quàm si in eius potestate esset, vt si velit in hac volitione secū sit; si nolit, pariter & ipsa nolit, etiamsi neutrum possit sine concursu illius, neque simpliciter, neque in vllo signo rationis, vt Suar. loc. cit. quod magis explicatur in responsione.

Ad secundum, Respondeo n. verbis Gregorij in 2. dist. 35. q. 1. art. 3. ad septimum. *Dico iuxta modum loquendi arguentis, quod Deus sequitur determinationem voluntatis, non quod determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate, & actu eius, quæ primo fiat à voluntate sicut imaginari videtur arguens; nec etiam intelligendo quod prius natura voluntas agat actum illum, quam Deus, proprie loquendo de priori natura, quia tunc sequeretur quod posset agere Deo non coagente, sicut patet ex definitione prioris secundum naturam: sed ad hunc sensum dico Deum sequi determinationem voluntatis, quoniam Deus ideo agit illum actum, quia eum voluntas agit, & non quia Deus agit, ideo voluntas agit: Et ideo magis proprie dicitur Deus coagere voluntati in talem actum causandi, quam voluntas dicatur coagere Deo, &c.*

Quomodo dicatur Deus sequi determinationem libertatis creatæ.

Similiter Scotus in 2. d. 37. q. vn. §. ad solutionem negat esse prioritatem in iis causis, vt causant effectum communem: *Sicut enim loquendo de diuersis generibus causarum, non prius natura materia* (inquit) *materiat, quam efficiens efficiat, quasi sine contradictione possit esse materiatum, & non effectum, vel è conuerso, sed tantum prius natura hoc est perfectius vna causa quàm alia: Ita in eodem genere causæ diuersæ causæ ordinatæ, licet habeant ordinem secundum perfectius, & imperfectius, non tamen habent prioritatem naturæ, quæ dicat posse esse sine inuicem respectu tertij: Imo sicut in vno instanti natura materia materiat, & efficiens efficit, ita duæ causæ efficientes ordinatæ in vno instanti naturæ causant effectum communem, ita quod neutra tunc causat sine altera.*

Caietanus Bellarm.

Idem habet Caiet. 1. p. q. 19. art. 8. Supra relatus. Bellarm. lib. 4. de Grat. & lib. arb. c. 15. *Deus*, inquit, *operatur quia voluntas operatur, non contra ibidem. In nullo instanti concipi potest velle liberum esse à voluntate, quia simul sit à Deo, cui essentialiter subordinatur, tamen quod illud sit velle, & non nolle, habetur à voluntate.*

Et est S. Bonau. doctrina in 2. dist. 37. art. 1. q. 1. cuius verba supra retulimus, quòs sequitur Suar. cit. cap. 15. solum admittens prioritatem secundum subsistendi consequentiam ob dictam perfectionem, & independentiam primæ causæ, quia si secunda agit, necesse est & primam agere, non tamen vice versa in communi loquendo, licet in tali modo neutra possit agere nisi coagente alia ob libertatem, vt paulo ante dixi. Vide etiam P. Ruiz de volunt. Dei disp. 45. sect. 4. de scientia Dei disp. 50. sect. 21. S. Bonau.

Ex qua doctrina manet solutum argumentum, quia negatur quod assumitur, actionem voluntatis creatæ, etiam vt determinatio est, posse concipi in vllo signo sine concursu Dei ad extra cum quo idemtificatur; siue operatio sit naturalis, siue supernaturalis, de omnibus enim quoad hoc est eadem ratio, quamuis ad supernaturales præter concursum vniuersalem primæ causæ requiratur gratia specialis præueniens, & concomitans. Falsum item est in illa causali ideo Deus concurrit cum Petro, &c. indicari naturæ prioritatem, habet enim tantum formam causalis si accipiatur concursus in actu secundo, quia idem est cum actione voluntatis & sic neque prior, neque posterior; si vero in actu primo, ideo Deus influit non quia voluntas creata determinat vt causa, sed quia ipse vult illa posita vt conditione. Soar. lib. 1. de concurs. c. 3. numero 23. Proleg. 1. de grat. cap. 3. n. 16. vt supra diximus.

Si instes quod actio voluntatis pendet à concursu Dei in genere causæ efficientis, & proinde quod hic sit prior natura, & causalitate? Respondeo pendere à concursu Dei in actu primo parato, Et hunc esse priorem natura; non autem à concursu in actu secundo, quia cum illo idemtificatur; eiusdē autem à se non est dependentia. Si rursus quæras an distinguendo secundum rationem actionem vt est à causa prima, possit dici prior seipsa, vt est à secunda? Respondeo affirmatiue de prioritate nobilitatis, vniuersalitatis, & independentiæ, vt Suar. in Metaph. disp. 22. sect. 3. n. 10. quia vt sic respondet causæ nobiliori, vniuersali, independenti, & respicitur sub ratione vniuersaliori vt habet nimirum rationē entis; non autem prioritate causalitatis; quo sensu intelligitur propositio 1. libri de causis.

Ad tertium respondet Suar. in Metaph. disp. 22. sect. 1. à n. 25. negando sequelam, contra Fonsecam contendentem quod Deus sit causa prima in omni genere immediate cōcurrens cum causa secunda ad effectū, vel causalitatem eius; quod est improbabile, quia causalitates illæ dicunt imperfectionem repugnantem Deo, causant enim dando seipsas vt partes componentes totum media vnione, sustentando, informando, recipiendo. Causa 1. prius agit in causatū; Suar.

Eandem responsionem dat S. Bonau. in 2. dist. 17. art. 1. q. 1. ostenditque Deum non posse concurrere in genere causæ materialis; illud enim ex quo fiūt entia corporalia materia constantia est ens in potentia respectu illorū, Deus autem respectu nullius potest esse in potentia. S. Bonau.

Instabis, quia causalitates materiæ, & formæ sunt distinctæ à causalitate agentis, ergo pendent à Deo in suo genere, alioqui essent primæ causa in eo genere. Non potest tribui Deo concursus in genere causæ materialis.

Respondeo quicquid sint illæ causalitates pendent à Deo non vt à causa materiali, & formali, sed vt efficiente, exemplari, & finali; & ideo non possunt dici primæ neque secundæ quia non datur vlla causa prima materialis, aut formalis, & ideo neque vlla secunda quæ dicitur talis respectu primæ.

Finem à Deo intentum in permissione peccati creatura non potest euadere.

Ad primam confirmationē, omnes fines creatos qui possunt esse mediati & immediati inter se respectu Dei habere se vt media, quia ipse est alpha, & omega, & finalizat immediate aliquo modo respectu omnium, etiam quando agentia libera recedunt ab ipso, & præponunt creaturam creatori, quia nunquam euadere possunt finem à Deo intentum in permissione, qui est manifestatio suæ misericordiæ, ac iustitiæ, hoc est ipsemet summe bonus.

Possunt esse plures fines partiales.

Ad secundam confirmationem, Possunt esse plures fines partiales eiusdem rei licet non vltimi; quia desinatione finis vltimi est ante ponia aliis omnibus, quæ non potest conuenire duabus rebus vt de se patet. Ita P. Valentia 1. par. disp. 3. punct. 1. q. 1. Pari modo possunt concurrere duæ causæ efficientes partiales ad eundem effectum; siue deinde vocari possint etiam totales, quando vna est increata cui subordinatur ex sua natura quæ creata est; siue non possint, quæ est quæstio de nomine.

Valentia.

Falsum est autem quod secunda sit per se sufficiens, quia siue vniuoca sit, siue æquiuoca, est ens participatum essentialiter pendens à primo ente imparticipato in esse, & operari; & ideo præter virtutem naturalem ab ipso acceptam, & conseruatam indiget consortio eius in agendo, idest ipso coagente.

Quæres an aliqua ratio respondeat causæ primæ, & aliqua item distincta secundæ in effectu vtriusque.

S. Thom. Vniuersaliores effectus in causas vniuersales reducuntur.

Respondeo affirmatiue cum S. Thom. qui 1. p. q. 105. a. 5. cap. ait, *Oportet vniuersaliores effectus in vniuersaliores & priores causas reducere. Inter omnes autem effectus vniuersalissimum est esse ipsum, vnde oportet quod sit proprius effectus primæ, & vniuersalissimæ causæ, quæ est Deus, &c.* Id etiam habet 2. cont. gen. cap. 21. & lib. 3. cap. 66. & placet Soario locis cit. passim.

Sed displicet Patri Vasq. cap. 2. disp. 179. cit. 1. 4. quia nulla est ratio in creatura quæ non pendeat à causa prima, & illi respondeat; & quæ item non respondeat causæ secundæ cum prima concurrenti, & communem cum illa actionem habenti: ignis enim ex. grat. respondet igni producenti secundum rationem specificam ignis, & proinde etiam secundum rationem substantiæ, entis, &c. ab illa indistinctam quod dixerat 1. p. disput. 44 c. 5.

Hic etiam cauenda quæstio de nomine, cum in re ipsa non sit dissensio, conuenit inter nos totam realitatem effectus physice considerati pendere ab vtraque causa indistinctim; sed cum ea fundamentum præbeat intellectui considerandi, ac distinguendi varias rationes superiores, & inferiores, merito secundum vnam dici potest respondere vni, & secundum alteram alteri, atque ita sub ratione entis respicere Deum vt causam vniuersalissimam, ac primam; sub ratione ignis respicere ignem: non quia hic etiam non respondeat Deo à quo pendet essentialiter, sed quia vt est talis in specie, & indiuiduo habet relationem peculiarem ad suam particularem, & determinatam causam, quæ cum sit determinata ad tales effectus in specie, non potest illos respicere sub rationibus, quæ communes sunt aliis terminis agentium diuersorum.

S. Thom.

Totam hanc doctrinam confirmat S. Thom. 2. cont. gent. c. 21. ex Aristotele 2. Phys. t. 38. docente vniuersalibus causis vniuersales effectus respondere, pro qua citat alias auctoritates eiusdem S. Thomæ, & plurium Scholasticorum P. Ruiz de volunt. Dei disp. 45. à sect. 4.

Aristoteles

Quintum argumentum oppugnans rursus indifferentiam diuini concursus.

CAPVT XXXIII.

PRimo dictum est supra contra ponentes voluntatem absolutam disiunctiuam in Deo, videri illam repugnare Scripturæ, & Patribus, præsertim S. Augustino frequenter significātibus omnia quæ fiunt in tempore fuisse decreta ab æterno Prædeterminatione quippe Deus præsciuit quæ fuerat facturus, vnde dictum est, fecit quæ futura sunt & de Prædest. SS. c. 10. Vnde S Thom. quodlib. 12. q. 3. a. 4. ait quod à Prouidentia diuina omnia sunt prædeterminata, & ordinata. Idem habet 3. cont. gen. c. 94. In prouidendo igitur suæ sapientiæ præmeditatione sempiterna, omnia ordinat, quantumcunque minima videantur.

Et ratio vniuersalis est; à posteriori quidem, quia omnes admittimus scientiam visionis quę est futurorum etiam absolute & proinde determinate, à priori, quia hæc non sunt futura nisi dependenter à voluntate Dei, iuxta illud Augustini in Ench. cap. 95. *Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo, vt supra citauimus.* Quibus, & similibus indicatur decretum Dei absolutum, ac determinatum, de qualibet re in particulari, & de concursu ad illam; & non de indifferenti.

Confirmatur hoc in actibus supernaturalibus, ad quos certum est non sufficere concursum vniuersalem, sed necessarium esse gratiæ auxilium, & hoc non est datum indifferenter ad opposita, sed Deus illud exhibet intentione boni operis cuius est principium, & non oppositi.

Neque dici potest Deum non operari, nisi quantum in se est vt velimus, voluntatis autem nostræ esse, vel irritam facere Dei gratiam, vel effectum per eam intentum assequi, quia hæc erat doctrina Semipelagianorum, vt refert Soar. proleg. 5. cap. 6. n. 28. ex epist. 107. S. Augustini. ergo non habet Deus voluntatem indifferentem circa hæc.

Secundò, Per voluntatem disiunctiuam diximus non applicari sufficienter potentiam diuinam, sicut neque per imperium vt fiat hoc, vel hoc; quia nihil eo sequi potest, nisi determinate cadat super vnam partem; ergo

Digitized by Google

neque per voluntatem indeterminatam sufficienter fit applicatio, quia per eam non magis iuuatur arbitrium creatum, quàm per applicationem ex voluntate disiuncti.

Sicut neque per voluntatem disiunctiuam ambulandi ad dexteram vel sinistram applicatur sufficienter potentia progressiua ad ambulandum; neque sequitur ambulatio donec determinet ad quam partem voluerit: Pari modo potentia executiua Dei in exercitio operis ad extra nihil facit, nisi quod imperat diuina voluntas directa per scientiam practicam; at hæc non imperat indifferenter, neque disiunctim, sed determinate hoc vel illud; & cum alioqui per imperium determinatum lædatur libertas, & nullo modo asseri possit in actibus malis per te, satius est tollere decretum concursus immediati.

Confirmatur, quia ex mundis possibilibus nunquam produxisset hunc numero Deus, nisi decreuisset applicare potentiam executiuã ad hunc numero, ergo etiam ex actibus liberis possibilibus nunquam producetur hic numero, nisi per decretum, & applicationem potentiæ ad hunc numero, quod non stat cum applicatione ad oppositum, & cum indifferentia, quæ negat omnem determinationem.

Tertiò, Cuilibet voluntati Dei intrinsecæ respondet aliqua actio ad extra, quia sine habitudine ad extrinseca nulla est diuersitas in actibus liberis diuinis, cum realiter sint vna simplicissima entitas identificata essentiæ immutabili; ergo impossibile est huiusmodi decretum de concursu indifferẽti; quia à parte rei quicquid est determinatum est, & omnis actus qui fit à voluntate, ita est hic numero, vt ei repugnet indifferentiã ad esse alterum; si ergo Deus vult ad illum concurrere, quod necessarium est ob essentialem dependentiam à voluntate eius, non se habet hæc voluntas indifferenter ad oppositum, sed ad ipsum volitũ peculiariter præ illo. Aut si indifferenter vult, assignetur quid respondeat huic voluntati.

Confirmatur, quia causa prima determinat secundam ad hunc numero effectum, cum ipsa sit indeterminata ad omnes possibiles eiusdem speciei, & aliunde non sit vnde determinetur; si quidem per se solam non potest, quia non fertur in incognitum; & ab intellectu non proponuntur ei actus possibiles vt experientia constat, neque aliud extrinsecum determinatiuum inueniri potest, quia tempus, obiectum, & si quæ sunt similia, non magis postulãt vnum actum, quàm alterum eiusdem speciei; neque maiorem connexionẽ habent cum vno, quàm cum alio, igitur non offertur concursus Dei indifferenter ad plures actus, quia voluntas indiget extrinseca determinatione ad aliquẽ in indiuiduo, cum non possit seipsam determinare, & proinde postulet concursum Dei ad hunc numero.

Ad primum respondeo primò per instantiam, quia actiones malas nonvult Deus determinate etiam per te negantem prædeterminationem physicam voluntatis; igitur non potest dici de omnibus actibus liberis quod eos Deus determinate velit antecedenter ad præuisionẽ determinationis voluntatis.

Secundò, directe respondeo decreto concomitante supra explicato, Deum velle omnia determinate, quod vocatur subsequens, quia supponit determinationem voluntatis factam per virtutem liberam adiutam potentia diuina applicata per decretum antecedens conditionatum, & indifferens, & præuisum per scientiam mediam, qua posita Deus ordinat omnia, ad quæ decreuit concurrere, ad suos fines; & nihil respectu prouidentiæ ipsius est casuale, aut fortuitum.

Aliqua Deus absolute præfiniuit.

Tertiò, Aliqua etiam præfiniuit absolute citra læsionem libertatis, quia posita scientia media, habet Deus media per quæ infallibiter impleatur voluntas sua modo accommodato voluntati creatæ, vt Suar. libro 1. cap. 16. & lib. 2. de concurs. cap. 7. numero 3. qui propterea numero 11. docet non solum multos actus supernaturales quoad substantiam, sed alios etiam morales fuisse præfinitos à Deo; quales sunt plures de quibus Scriptura meminit: quæ tamen non omnes comprehendit, quia licet asserat quod Deus omnia quæcumque voluit fecit; non tamen quod omnia prædefiniuit, alioqui etiam peccata prædefiniuisset: aliud quippe est Deum fecisse quæcumque voluit; aliud omnia præfiniisse ad quæ concurrit, vt supra diximus; & ita intelligendæ sententiæ Patrum in primo argumento, in altero ex duobus sensibus, quia Deus quædam voluit absolute decreto præfinitiuo absoluto; & antecedente, alia solum concomitante, & non præfinitiuo; sed omnia suppositia scientia media, præuisa cooperatione liberi arbitrij. Quod si pro maiori cognitione.

Suarius.

Adhuc quæras an saltem de omnibus actibus bonis dicta Patrum intelligantur, ita vt omnes absoluto decreto præfiniti sint

Respondet P. Less. de Prædest. sect. 6. numero 80. omnia bona opera, & omnia media quibus prædestinati directe destinantur ad salutem ab æterno esse distincte cognita, & decreta absoluto decreto, non tamen ante omnem præuisionem cooperationis liberi arbitrij Probabilius hoc quidem est.

Lessius.

Sed P. Suar. lib. 2. de concurs. cap. 7. numero 11. respondet nihil certi definiri posse, quia neque ex scriptura neque ex Patribus hoc constat: & quod reipsa fiant & Deus illas velit, ac intendat non est signum præfinitionis absolutæ, quia satis est vt velit potentiam suam applicare ad concurrendum cum causa secunda, vt probauit libro 1. cap. 13. & 15. in vniuersum, & in particulari probat libro 3. cap. 13. de actibus supernaturalibus. Sed quia probabilius est aliquas saltem actiones esse prędefinitas placet distinctio ab ipso allata hoc eodem lib. c. 17. n. 8. nam quidam ex iis actibus præordinati sunt à Deo ad commune bonum Ecclesiæ, vt media, vel dispositiones, aut conditiones ad remedium totius humani generis, vt consensus B. Virginis ad conceptionem Verbi, & omnes actus liberi Christi Domini & isti definiti sunt omnes in particulari, & cum omnibus circumstantiis. Alij sunt actus ordinati ad priuatum præmium alicuius prædestinati vt me-

Suar.

Quinam actus sint præfiniti à Deo.

Digitized by Google

dia ad ſalutē,& iſti etiam præfiniti omnes ſunt, quia efficaciter volens finem eligit determinata media ad illum; quo ſpectant quæ habet S. Aug. ſæpe l. de Prædeſt. SS. de bono Perſeuer.& alibi de voluntate, & propoſito Dei circa vocationem & curam prædeſtinatorum. Alij denique ſunt actus ordinati ad iuſtitiam vel bonum priuatæ perſonæ præſcitæ; & hos etiam prædefinitos eſſe probabile eſt, quia licet non ordinentur efficaciter in finē non futurum gloriæ, tamen ordinantur ad alium finem diuinæ gloriæ efficaciter intentum; ratione cuius præfiniri poſſunt,quamuis non neceſſariò præfiniantur,cum ſufficiat generalis concurſus gratiæ.Plura vide apud ipſum, hæc enim breuiter attigiſſe ſufficit, vt ſatis fiat argumēto petito ex auctoritate qua vtitur aduerſarius ad probandū quod Omnia quæ fiunt in tempore ab æterno ſint decreta abſolute, quæ tamen non probat niſi de iis quæ efficaciter ſunt volita vel vt finis, vel vt media ordinata ad finem particularem intentū,non de aliis quę ſequuntur ex quadam generali prouidentia, & ordine cauſarum vniuerſi,vt ſunt in primis peccata,& alia multa quę naturaliter contingunt,quæ tamen omnia diuinæ prouidentiæ ſubſunt, & ad fines ab ipſa intentos diriguntur, abſque eo quod abſoluto decreto præfiniantur. Sed & regula diſcernendi quæ præfinita, quæ non præfinita ſint,venanda eſt ex Scriptura,quæ licet nihil certo definiat, quod dare nobis innoteſcat, circa diſtinctionem decretorum abſolutorum de liberis operationibus; probabilis tamen eius ſenſus adhibita in conſiliū ratione,& ſanctorum Patrum interpretatione colligi poteſt, & in eo inueſtigando non modice iuuit pietas, ac ingenium Patris Soarij ſtudium, ac ſedulitatem ſuam.

Regula cognoſcendi quæ præfinita, & quæ non, ex ſacra Scriptura petitur.

Quæres rurſum an ad ea quæ Scriptura & Patres indicant præfinita, neceſſaria fuerit præfinitio æterna vt fierent in tempore.

Reſpondeo non fuiſſe neceſſariā ex parte effectus qua poni poterat ſine illa, fuiſſe ex parte operantis vt Deus conuenienti modo ſuæ ſapientiæ de illis diſponeret, quæ peculiarē poſtulant prouidentiā, vt Soar. l. 1. de conc. c. 16. fin.

Ad confirmationem concedo ad actus ſupernaturales neceſſariū eſſe concurſum ſpecialem & non ſufficere vniuerſalem paratum omnibus agentibus,illud eſt gratia præueniens,& comitans complens in ratione principij potentiam naturalem, & ipſi reſpondens potentia diuina applicata peculiari modo influēs; ſed voluntas Dei concurrendi ad illos,eſt accōmodata ad libertatē creatā. quam vult incolumēn; & ideo habet intentionē boni operis, ſed non determinat voluntatē ad illud; & licet gratia non ſit principium oppoſiti, neque ex illa intentione detur; tamen ad illud libera eſt voluntas cuius eſt conſentire, & diſſentire, vt Auguſt. ſupra, idque patet in iis qui vocationi non conſentiunt, qui tamen habent auxilium ſufficiunt, vt Suar. l. 3. de auxil. c. 15. n. 12. & ratio eſt quia dependentia huiuſmodi actuum à Deo vt prima cauſa licet in ſe ſit altioris ordinis, tamen eandem habet proportionē, & radicem quam alij actus liberi, & ideo à Deo applicatur virtus ad illos habito reſpectu ad liberam cooperationem voluntatis creatæ, quam tamen præuidit operaturam infallibiliter, vel non operaturam,& iuxta hanc præſcientiam ordinat omnia ad ſuos fines;operaturam inquam, cum auxilio gratiæ cui diſſentire ſi velit poteſt; quia viribꝰ propriis ad ſupernaturalia non aſſurgit, etiam poſita doctrina legis, audita prædicatione,& viſis exemplis:in quo errarunt Pelagiani, & Semipelag. vt videre eſt apud Suar l. 3. de Aux. c. 2 & l. 1. de Grat. prol. 5. per aliquot capita, qui quātumuis eluctantes contra decreta Patrum in ipſos, & verbis ambiguis inuidiam frangentes, nunquam receſſerunt à natura, & lege, ita vt faterentur gratiam Dei per Ieſum Chriſtum neceſſariā eſſe ad incipiendum, perſequendum, & perſeuerandum in bono,quod maxime volebant Patres, & Concilia contra Pelagianos, & Semipelagianos ob aperta Scripturæ ſacræ teſtimonia. Suar.

Ad 2. Si voluntas diſiunctiua cadat ſupra diſiunctum dependenter a voluntate creata, & explicetur hoc modo, Volo Petrum amare, vel odio habere,ideſt volo concurrere cum Petro ad amorem ſi amare velit, vel ad odium,ſi odiſſe; voluntas eſt conditionata, & indifferens,& ſufficienter per illam applicatur potentia diuina: Si dicatur abſoluta, habet contra quæ ſupra numerata ſunt, quæ non habet, contra ſe conditionata, quanquam enim potentia executiua Dei ſemper feratur in determinatum effectum, tamen accommodat ſe voluntati creatæ, neque in executione requiritur aliud imperium diſtinctum à decreto antecedenti applicante potentiam per modum habitus, quo vtatur volūtas pro ſuo libito; non ſecus quàm ſi neceſſario coageret ſibi cum operari voluerit,quæ eſt quædam neceſſitas immutabilitatis; ex ſuppoſitione quod ſe accommodare voluerit volūtati creatæ, ea operante & ipſe operatur, & ea ceſſante ceſſat, vt Soar. l. 1. de concur. c 15. n. 6. in actibus tamen prædefinitis ipſa prædefinitio vt præſcindens ab applicatione medij accommodate non eſt applicatiua potentiæ, donec intelligatur determinata ad tale medium, vt idem docet cap. ſequenti n. 10. Suar.

Ad confirmationē nego paritatem, nam in creatione non pendet executio voluntatis diuinæ à creata cui ſe accommodat, ſed à ſua ſola, quæ niſi determinate imperet, non eſt cur ad imperiū ſequatur vna pars, & non alia; ſecus eſt in cooperatione cum voluntate creata, in cuius manu poſuit vſum ſuæ potentiæ;& ideo ſatis eſt vt illi adſiſtat per eandem ſemel applicatam. Exemplum tamen probat hunc non eſſe modum conuenientem diuinæ voluntati vt feratur in diſiunctum, niſi ſimul includatur conditio, vt ſupra. Voluntas diuina non pendet à creata.

Ad 3. reſpondeo voluntati conditionatæ Dei reſpondere actionem hanc vel illam conditionate; hinc enim denominatur conditionata,ſicut voluntati conditionatæ Petri dandi librum,vel enſem reſpondet actio dandi diſiunctiuæ, & conditionatæ quem elegerit Paulus, in cuius arbitrio relicta eſt electio. Ita igitur vult Deus concurrere vt accomodet ſe voluntati creatæ, & licet concurrendo ad vnum non poſſit concurrere ſimul ad alterum quod illa reſpuit, ſemper tamen paratum offert concurſum non hunc tantum numero, ſed etiam alium ad oppoſitum.

Ad confirmationem dato quod determinatio ad hunc numero effectum ſit à Deo, vt cenſet

Digitized by Google

Soar. cum Nominalibus in Metaph. disp. 22. sect. 2. n. 31. & sect. 4. n. 35. & l. 1. de concurs. c. 22. n. 11. non sequitur concursum in actu 1. non esse indifferentem ad oppositа; sed solum ex suppositione præscientiæ ad quodnam sit se determinatura voluntas in specie, velle Deum ad vnum tantũ in individuo concurrere, & non ad alium ex pluribus possibilibus, quos nouit.

Instabis quia Deus non videt quid voluntas sit factura in genere vel in specie, nihil enim futurum est in genere, vel in specie, sed in individuo; & licet in eo nos distinguamus gradum genericum, & specificum, tamen hic modus cognoscendi dicit imperfectionem; quæ Deo non conuenit; & præterea isti gradus realiter sunt vna entitas: oportet ergo illam videri à Deo si præuidet quod voluntas sit operatura, atque adeo determinatio ad hoc individuum est à voluntate creata, à qua non manat, neque intelligi potest manare actio nisi individua.

Hinc redit præcipua difficultas, quæ est fundamentum oppositæ sententiæ negantis concursum simultaneum, quia non potest creata voluntas quicquam velle, nisi Deus iam secum illud velit, ergo non potest volũtas diuina consentire humanæ ex suppositione, & præcognitione determinationis humanæ; atque ita determinatio vel est prior & posterior respectu sui, quia supponitur volũtati diuinæ sumentis ex ipsa occasionem decreti concurrendi; & rursus supponit voluntatẽ eiusdẽ decreti à quo pendet essentialiter, vel solũ est posterior quia voluntas humana trahitur à diuina, & determinatur, quod negas; vel neque determinat, neque determinatur, quia cum illa Deus non concurrit nisi mediate, quod ego contendo ob insolubilia argumenta contra ipsum concursum ferentem secum necessitatem libertati repugnantem, & indecentiam à diuina sanctitate abhorrentem.

Confirmatur magis difficultas in sententia referente in Deum determinationem actus ad esse individuale iuxta responsionem argum. supra datam, quoniam voluntas elicit hunc actum numero, quia Deus determinat illam ad hunc numero, ergo ideo operatur, quia determinatur à Deo, non igitur Deus concurrit quia voluntas se determinat, sed vice versa: patet sequela, quia voluntas eatenus se determinat, quatenus operatur & non operatur nisi actum in individuo, si ergo hunc non operatur nisi à Deo determinetur, non potest dici quod determinatio voluntatis creatæ determinet concursum indifferentem à quo ipsamet determinatur, cum non possit esse nisi in individuo existens, & ad hoc determinetur à voluntate Dei per te.

Confirmatur 2. quia hic actus numero vel est futurus, quia Deus vult quod Petrus illum eliciat; vel vice versa quia Petrus est eliciturus, & Deus hoc nouit, & ideo vult elici. Si primum, ergo determinat Deus voluntatem. Si secundum, ergo Petrus independenter à diuina voluntate vult, quod argumentum refert Soar. l. 3. de con. c. 14. init.

Respondeo ad instantiã videre Deum quid volũtas sit factura in specie non in individuo, illud enim est cognoscibile, voluntas in talibus circumstantiis amabit, & proinde ab infinito intellectu perfecte cognoscitur, etiamsi non cognoscatur gradus genericus vel specificus, sed actus individuus, quia Deus præscientia conditionata cognoscens quod voluntas posita in talibus circunstantiis se determinabit ad amandum, videt inter illas etiam hanc, si ego simul determinabo actum in individuo; consequenter facto decreto de circunstantiis ponendis quod est absolutum, decernit concurrere ad vnum actum numero talem ex possibilibus sibi notis, decreto conditionato, & pendente à voluntate in cuius potestate est eligere quod præuisa est electura; amorem scilicet, aut fugam talis obiecti sibi propositi, atque ita verum est quod determinatio quoad speciẽ actus est à voluntate creata, seu quod eadem actio prout est amor vel prosecutio est ab homine; vt est hæc numero est à Deo; sicut etiam hoc lumen est à sole vt lumen est; à Deo vt hoc numero est, licet eadem realis entitas sit ab vtroque.

Inter circunstantias obiecti scientiæ mediæ est etiam determinatio actus in individuo conditionata.

Ad replicationem difficultatis concedo voluntatem non posse velle, quia Deus secum velit; nego quod non possit Deus velle consentire ex suppositione quod voluntas velit; quia suppositio non est alicuius prioris natura, vt causæ dantis esse independẽter à concausa, sed conditionis simultaneæ determinationis voluntatis, quia neutra voluntas vult nisi altera simul velit vt supra: itaque in obiecto scientiæ mediæ, per quam videt Deus quid voluntas esset factura in talibus circumstantiis, inuoluitur decretum simul concurrendi cum illa, & non potest videri operatura conditionaliter sine illo; & multo minus absolute, quia essentialiter ab illo pendet in operari, non tamen tanquam à determinante prius natura, sed solum concurrente seu volente simul concurrere cum voluntate, quam præuidit operaturam cum potentia applicata in talibus circunstantiis: deceptio igitur est, quia argumentum assumit quod determinatio voluntatis creatæ sit prior, si supponitur decreto Dei ad concurrendum cum illa ad vnam partem, cum tamen non supponatur prior sed simul, & decretum hoc sit concomitans, seu subsequens vt est vnius partis, & supponat, aliud prius indifferens quod est necessarium vt causa, & determinatur ab eadem operatione quam simul cum voluntate causat, & in qua cum sit vna, & eadem à Deo, & homine, non est prioritas nisi vniuersalitatis, independentiæ, &c.

Ad 1. confirmationẽ nego sequelam: ad probationẽ 3. quod voluntas quatenus elicit hunc actum nº determinatur à Deo simul coagente, & proinde non operatur nisi determinata, sed efficienter à seipsa, & à Deo, formaliter à sua operatione, quæ vt hæc est nº dicitur determinari à Deo, non quia ad eandẽ non cõcurrat voluntas simul cum Deo, sed quia ipsa cum sit potentia cœca non cognoscit actus possibiles, & non potest se determinare ad vnum potius quã ad alium, neque per modum naturæ potest ferri in vnum magis quàm in alium, cum sint omnes eiusdem speciei, & æquè illi conuenientes, neq; ab intellectu illi proponuntur vt proponitur obiectum conueniens, aut disconueniẽs, igitur Deus est qui determinat concurritque ad hunc nº à se electum, quia voluntas hoc postulat ex eo quod in talibus circunstantiis prose-

Voluntas non operatur nisi determinata efficiẽter à se & à Deo, formaliter ab operatione.

cutura eſt vel auerſura obiectum propoſitũ ab intellectu ex ſua libertate, & hoc videt Deus, qui volens ſe accommodare voluntati eidem, & concurrere cum ipſa ad eam partem quam electuram præuidit, determinat actum numero, illum coefficiendo. Per quod patet ad 2. confirmationẽ: nam actus numero eſt futurus, quia voluntas Petri ſimul cum diuina, & eius concurſu ad eum ſe determinatura eſt, ita vt eiuſdẽ actus determinatio quoad ſpeciem ſit à voluntate creata determinante diuinã; quoad indiuiduationem ſit à diuina determinante creatam; non quia creata operetur aliquid in diuinam; ſed quia diuina vult ſe accommodare creatæ; nec quia diuina operetur aliquid in creata diſtinctum à cooperatione quæ eſt vtriuſque communis actio; ſed quia coagendo determinat operationẽ ad eſſe indiuiduum, non ſecus ac quando operatur cum cauſis neceſſariis, quæ non poſſunt ſe determinare ad actus in indiuiduo; & ſolum diſcrimen eſt, quod iſtæ ſunt determinatæ quoad ſpeciem actuum, non item liberæ quæ ſe determinant ad ſpeciem ſimul cum determinatur ad indiuidua, vt paulò poſt repetam.

Dices nondum acquieſcere animam, quia ſi voluntas creata nihil operari poteſt niſi indiuiduos actus, non poteſt videri neque cõditionaliter, neque abſolute operatura niſi hunc actũ in indiuiduo, & proinde etiam in ſpecie, non igitur dici poteſt quod Deus decernat concurrere ad hunc actum numero, quia voluntas in talibus circunſtantiis præuidetur ſe determinatura ad ſpeciem, quia in tantum ſe determinat in ſpecie, in quantum actum aliquem eiuſdem ſpeciei operatur, non ergo videri poteſt ſe determinaturam ad ſpeciem præciſo indiuiduo, ſine quo nihil eſt ſpecies; neque poteſt eſſe terminus, vel obiectum volitionis: hoc autem poſito non bene dicitur Deus decernere actum in indiuiduo, quia voluntas creata eſt operatura in ſpecie.

Neque ſatisfacis dicendo quod Deus ſimul videt operaturam in ſpecie, & in indiuido cum ſuo concurſu, quia hic ſi eſt vniuerſalis non dat eſſe determinatum, etiam in ſpecie niſi dependenteſ à voluntate creata ſe determinante, & eundem concurſum; & proinde in indiuiduo operante: ſi eſt particularis in actu 2. non diſtinguitur ab operatione; & ſic non diceretur bene Deus decernere hunc concurſum numero ad exigentiam voluntatis operaturæ in ſpecie, quia nihil operatura præuidetur in ſpecie niſi ſupponatur indiuiduum ſpeciei, & hoc indiuiduum non videtur neque conditionate, neque abſolute, niſi ſimul videatur decretum illius, quia eſt idem realiter cum operatione quæ pendet eſſentialiter à decreto; & ſic non poteſt dici quod Deus decernat indiuiduum, quia voluntas ſe determinans ad ſpeciem exigit determinari ad indiuiduum: nam in determinatione ad ſpeciem inuoluitur decretum Dei, ſine quo non conſiſtit actio creaturæ vllius quocumque modo accipiatur: & cum determinatio ad ſpeciem realiter eadem ſit cum determinatione ad indiuiduum, Deus diceretur decernere concurſum ad indiuiduum quia decernit concurrere ad indiuiduum; & eſſet nugatio. Et rurſus eadem conditio eſſet prior & poſterior, quia determinatio ad ſpeciem ſupponitur decreto determinandi ad indiuiduum; & quia eadem eſt cum determinatione ad indiuiduum, ſupponit ſeipſam vt eſt ad ſpeciem, & decretum ſui ipſius, quæ ſunt abſurda: igitur ex hoc etiam capite impugnatur concurſus immediatus ad hominem recurrentem ad primam cauſam pro determinatione actuum in indiuiduo; & ſimpliciter contra ponentes ſcientiam mediam.

Reſpondeo inſtantiam hanc, ſicut & argumentum principale ſupra ſolutum eſſe; & ſolum tangit difficultatem de determinatione ad indiuiduum in ſententia probabili referente ad Deum, quæ eſt communis vtrique parti aſſertorum ſcientiæ Mediæ, tam videlicet recurrenti ad Deum pro determinatione effectuum in indiuiduo; quàm ad aggregatum & ſeriem cauſarum naturalium; Vtraque enim admittit concurſum ſimultaneum primæ cauſæ, & negat antecedentem prædeterminantem; Proinde explicare debet quomodo Deus decernat concurrere ad indiuiduum præuiſa determinatione voluntatis ad vnam partem ſub conditione.

Reſpondeo igitur ex dictis quod ex circunſtantiis in quibus præuiſa eſt voluntas operatura, vna eſt ſi Deus decernat concurrere ad talem actum in indiuiduo, deſignatum ex multitudine poſſibilium ſibi notorum, qui eligi poſſent; atque adeo ſimul videt Deus voluntatem operaturam in ſpecie, & in indiuiduo, quia non datur operatio niſi in indiuiduo, neque indiuiduum niſi in ſpecie, & determinans illa in indiuiduo, determinat etiam in ſpecie, realitatem actionis quæ vna, & ſimplex eſt. Nihilominus dicitur voluntas ſe determinare quoad ſpeciẽ, quia in poteſtate eius eſt vtrãuis partem ſequi, amorem ſcilicet, aut odium; fugam, vel proſecutionem, non tamen actum iſtum in indiuiduo eligere, in ſententia probabili iuxta quam reſpondeo; & ideo quia Deus præparat illi omnia neceſſaria ad hoc vt operatura videatur vel conditionate, vel abſolute; decernit etiam concurſum indifferentem ad actus oppoſitos in indiuiduo; quo decreto, & aliis neceſſariis poſitis videt quid illa in particulari ſit operatura, & proinde nouit perfectiſſime determinationem actus in indiuiduo realiter eſſe à ſe, & voluntate præmunita concurſu indifferenti à quo falſum eſt non poſſe manare actionem determinatã, quia includit in ſe determinationem in indiuiduo ſed pro oppoſita parte, & non pro vna tantum, quia electio relinquitur libera voluntati: ſicut offerens librum, vel enſem, relinquit electionem illi cui offert, etiamſi præuidens quem ſit electurus ſciat ſe daturum alterutrum in particulari. Ita enim & Deus videns voluntatem cum omnibus requiſitis ad operandum, videt operaturam hoc vel illud in indiuiduo, & ſpecie, & non prius in ſpecie quàm in indiuiduo alterutrius ex oppoſitis.

Atque ita euaneſcit inſtantia nixa falſæ ſuppoſitioni, quod prius videat quid ſit operatura in ſpecie, quam decreuerit indiuiduum conditionate hoc vel oppoſitum ad libitum voluntatis cui ſe accommodare voluit.

Digitized by Google

QVAESTIO II.

DE CONCVRSV IMMEDIATO DEI CVM VOLVNTATE CREATA IN PARTICVLARI AD OPERATIONES MALAS.

An Deus concurrat immediate ad actionem peccati.

CAPVT PRIMVM.

EXTRA controuersiam est non concurrere ad formale peccati, seu ad malitiam, quæ tota quanta est, & quicquid est, à voluntate deficiente est, & non à Deo qui non volens est iniquitatem; sed in controuersia olim fuit, quæ vexare potuit & ipsum Augustinum tam sæpe seduloque sollicitum in exquirenda, & explicanda causa mali locis mox citandis; & trahere antiquiores Scholasticos non paucos in sententiam negantem, vt supra retulimus, pauculos etiam ex recentioribus, qui sibi religioni duxere dare partem Deo in actione mala, & vt cohærenter differerent immediatum eius concursum ablegarunt ab operationibus omnium causarum secundarum; quod aduerterent eandem difficultatem de entitate quæ est materiale peccati, esse de cæteris entibus, & pari ratione de vtrisque philosophandum, ac proinde negandum in omnibus, quia in malis locum illi tribuere nefas arbitrantur. Nos vero vice versa, quia in vniuersum necessitatem diuini concursus immediati auctoritate multiplici, sane quàm grauissima, & rationum in illa contentarum pondere non leuiore monstrauimus; Consequenter eodem ordine demonstrare conabimur & in malis operationibus admittendum, &

Probatur auctoritate S. Augustini immediatus Dei concursus ad entitatem malarum actionum.

Vasq. Hurtad.

QVanquam P. Vasq. putat quædam S. Augustini loca fauere sententiæ Durandi, & P. Hurtad. disp. 10. Physica §. 36. non leui eam niti fundamento asserit quod probabilis visa sit Scholasticis plerisque grauibus, & consona dictis SS. Hieronymi, & Augustini apud eosdem, præsertim Vasq. 1.2. disp. 119. à cap. 2. tamen ex iis quæ mox subiicio, satis, opinor, constabit sententiam communem pro se habere S. Augustinum.

In cuius doctrina illud in primis aduertendum cum eodem P. Vasq. 1.2. disp. 95. cap. 11. quod & in cæteris Patribus contra Manichæũ disputantibus, qui substantiam aliquam malam esse dicebat, & quam naturam vocabat, ac rem, vel Aliquid, non complecti naturæ nominæ accidentia, & actus in pluribus locis, sed solam substantiam iuxta modum loquendi Aristotelis 2. Phys. cap. 1. & 5. Metaph. cap. 4. naturæ vocabulum materiæ, ac formæ commodantis: sic lib. de Perfectione Iustitiæ relatione 4. Respondemus, inquit, Peccatum quidem actum dici, & esse sed non Rem. Et in psalm. 68. & 123. Peccatum ait non esse substantiam. Cæterum rei nomen etiam operationibus tribuit bonis ac malis in Enchir. cap. 23. Nequaquam, ait, dubitare debemus rerum quæ ad nos pertinent bonarum, non esse nisi bonitatem Dei: malarum vero ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem prius Angeli, hominis postea, quem & in Enchir. c. citaturque à S. Bonau. in 2. d. 37. dub. 1. text. dicit aliquas esse res quibus homines mali sunt; & tales non sunt nisi vitia, & peccata.

Naturæ nomen solis substantiæ aliquã do tribuit S. Augst.

Secundò, Aduertit in eodem S. Augustino latius accipi hæc eadem nomina S. Bonau. in 2.

Digitized by Google

diſt. 37. dub. 4. *Sicut nomen*, inquit, *naturæ multipliciter accipitur, ita & nomen ſubſtantiæ. Præter enim illos quatuor modos quos dicit Philoſophus, quod ſubſtantia dicitur materia, & forma, compoſitum, & eſſentia vnicuiuſque poteſt aliter diſtingui ſubſtantia iuxta verbum S. Auguſtini, vno modo vt dicatur res permanens, & per ſe ſtans. Alio modo vt dicatur res permanens, non tamen per ſe ſtans, ſed alii inhærens. Tertio modo vt dicatur ſubſtantia quælibet eſſentia actu ens, ſiue per ſe ſtans, ſiue non, & hoc modo ſubſtantia ſe extendit ad omne ens, & ſic accipit Auguſtinus cum dicit quod nulla ſubſtantia eſt nihil omnino: ſic S. Bonau. cum eodem de moribus Manichæorum l. 2. cap. 2. In catholica Eccleſia dicitur omnium naturarum, atque ſubſtantiarum Deum eſſe auctorem,* ideſt omnium entitatum, vt aduertunt Scolaſtici in 2. diſt. 37. Signanter Gabriel ibi q. vn. a. 2. & patet ex contextu in quo paulo ſupra dixerat Auguſt. *Ipſa natura nihil aliud eſt, quam id quod intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe.*

Subſtantiæ nomen dicitur multipliciter.

Hinc directe infertur, igitur actio ipſa peccati, vt ens quoddam eſt, ab ipſo eſt, quia ab illo facta eſt omnis eſſentia, quæ non ſumme eſt, vt ait lib. 11. ciu. cap. 5. eſſentiæ nomine comprehendens quicquid ens eſt, ſicut & aliquando ſubſtantiam vocat quicquid non eſt nihil, vt in pſalm. 68. *Nam quod nulla ſubſtantia eſt, nihil*, inquit, *omnino eſt*, &c. Certum eſt autem accidentia realia non eſſe nihil, ergo ſunt aliqua ſubſtantia, ſiue eſſentia, ſiue natura, late ſumpta ſignificatione iſtorum vocabulorum, & proinde quicquid habet rationem entis, ſiue quod idem eſt omnem naturam, ſubſtantiam & eſſentiam à Deo eſſe; quare ſi actio mala ens quoddam eſt, & ipſam quoque à Deo eſſe conſequens eſt, quod adhuc magis in particulari oſtendendum eſt ex eodem S. Auguſtino.

Actio mala vt ens eſt à Deo eſt.

S. Auguſt

Nam lib. 2. de lib. arbitrio cap. 20. *Non erit igitur*, inquit, *iſte motus, auerſionis videlicet, ex Deo, vnde igitur erit? Ita quærenti tibi, ſi reſpondeam neſcire me, fortaſſe eris triſtior, ſed tamen verare ponderim: Sciri enim non poteſt, quod nihil eſt. Tu tantum inconcuſſam pietatem tene, vt nullum tibi bonum, vel ſentienti, vel intelligenti, vel quoquomodo cogitanti occurrat, quod non ſit ex Deo, ita enim nulla natura occurret quæ non ſit ex Deo*, &c. At actio auerſionis natura quædam eſt, quia ens eſt, & vitalis animæ motus, ergo à Deo eſt, non tamen vt malus, & defectiuus eſt. Ideo ibidem Auguſt. Motus (ait) auerſionis quem fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quo pertineat, & ad Deum non pertinere non dubites.

Varia lectio textus ſancti Auguſt.

Vbi obiter nota à pleriſque legi cum vna ſola negatione, & ad Deum pertinere non dubites, quam lectionem ſecutus Aluar. de Auxil. diſp. 24. num. 16. probat ex illa Deum prædeterminare actus qui fiunt in tempore, & ex obiecto non ſunt mali. Sed primo quidem ægrè deducitur hæc ſequela, Motus auerſionis ad Deum pertinet, ergo ab eo prædeterminatur; cum ſimpliciter attenta natura diuini concurſus; tum in Auguſtino pluribus locis amouente Deum à concurſu prævio ad malas operationes; præſertim in lib. de Articul. ſibi falſo impoſitis art. 10. ſic habente. *Non ergo caſus euentium, nec malignitatem iniquorum, nec cupiditates peccantium, prædeſtinatio Dei aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit*, &c. Et loquitur de ipſa materiali actione vt fuſiſſime oſtendunt noſtri, præſertim Soar. lib. cit. & P. Ruiz tom. de volunt. Dei per multas diſputationes, ſed præſertim 27. & 39. quod mihi probare non incumbit agenti non contra Prædeterminatores, contra aduerſarios concurſus immediati, immo & contra patronos eius, qui nimium dant Durando, & Durandæis, cum lectionem hanc inuito Auguſtino dant.

Aluar.

Suar. Ruiz.

Deinde emendati textus leguntur cum duplici negatione, & ad Deum non pertinere non dubites, vt ſunt Antuerpenſis, Louanienſis, Lugdunenſis, quod notat P. Hurtad. loc. cit. §. 39. & alij recedentes à mendoſo illo, qui primum prodierat ex ſuſpecta typographia Baſileenſi improbata Catholicis, cui inſtitit quædam Veneta reſtituta poſtmodum priſtino exemplari à Plantiniana, & alijs; qua retenta emendatione idem ſenſus eſt huius textus, ac aliorum ſupra recitatorum, malitiam actus ad Deum non pertinere, ſed bene actionem phyſicam, vt ens, & bonum quoddam eſt.

Vtramuis tamen lectionem ſequare, vtraque pro nobis eſt: ſi cum vna negatione, ſenſus erit, quod Deus concurrit ad materiale, peccati vt ens quoddam eſt; ſi cum bina legatur, ſolum excludit Auguſtinus concurſum Dei à malitia, ſiue defectu, quod manifeſte indicant verba ipſa attentius perpenſa; *quem fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt*, &c. Certæ entitas actionis peccatum non eſt, neque ex nihilo, cum ſit natura quædam, & aliquid in ſuo genere, vt patet ex eodem Auguſt. Nam & ipſa natura nihil eſt aliud, quàm id quod intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe ait lib. 2. c. 2. de morib. Manich. vbi cap. 4. *Subdit de malo in vniuerſum, non enim ſecundum eſſentiam, ſed ſecundum priuationem rectiſſime dicitur*, &c. Igitur motus auerſionis vt defectiuus eſt, ſeu malus, non habet eſſentiam, quia talis eſt ſecundum priuationem, & difformitatem à ratione; vt autem intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe, id eſt actio vitalis à voluntate manans natura quædam, & eſſentia eſt, & à Deo procedens.

Confirmatur, quia cum duo ſint in auerſione, actio nimirum ipſa phyſica, & defectus moralis, de illa non diciſſet Auguſtinus nihil eſſe, & ſciri non poſſe, quia notum eſt etiam lippis actionem hanc motum eſſe animi, vitalemque actum; igitur de hoc ſecundo ſequitur cum fatetur ſe neſcire vnde ſit, nam quæſtio hæc diu fatigauit Auguſtinum, vt patet ex libro primo de libero arbit. c. 1. & 12. de ciu. à c. 6. & alibi, non autem illa vnde ſit motus vitalis animæ, & de hac ſubdidit nullam naturam eſſe quæ non ſit ex Deo: quaſi dicat, vndecumque tandem ſit malitia auerſionis, & qualemcumque cauſam habeat, tantum tene pietatem inconcuſſam materialis ipſius, ſiue entitatem motus auerſionis à Deo eſſe, à quo eſt quicquid eſt. Dices eſſe à Deo mediatè.

Contra, quia hoc nihil eſt aliud per te, quàm Deum dediſſe homini auertenti ſe voluntatem, eamque conſeruare: Atqui hoc non eſt tam obſcurum, vt Auguſtino optimo Philoſo-

pho, ac Theologo ansam dederit profitendi se palam ignarum, qui toties Deum conditorem, & conseruatorem rerum omnium deprædicat; nisi forte illi etiam affingas ignorationem rei notissimæ, quod actus animæ siue bonus, siue malus sit, vitale quoddam est, & ens, vt propterea dicere non potuerit sciri non posse, quia nihil est. Imo alibi aperte dixit de imaginatione quod melior sit specie corporis. Inseruit & hic locus ad probandum omnem animi motum esse ens quoddam, & bonum. Igitur.

Est etiam pro hoc, quod habet lib. 9. Trin. c. 11. *Melior est imaginatio corporis in animo, quam ipsa species corporis, inquantum hæc est in meliori natura, ideſt in substantia vitali, sicut animus est, &c.* quomodo autem sit melior; nisi sit bonum? Præterea lib. 3. contra Iulianam à cap. 8. fuse persequitur distinctionem Theologis familiarem de materiali, & formali, Peccati non ignota Iuliano quem confutat, vt appareat vnum esse ens ac bonum quoddam, & proinde à Deo; non item alterum, quia mali auctor Deus non est, sed Diabolus, & ei seruiens voluntas mala. *Quod si dixeris etiam cum fit adulterium bona est per seipsam commixtio, quia naturalis est, sed ea male vtuntur adulteri, cur non vis aquiescere ita posse esse libidinem malam, qua bene tamen vtuntur gignendi gratia coniugati? An potest bonorum esse vsus malus, & non potest malorum bonus.*

Deinde cap. 9. pergit, *Sicut enim de prole adulterorum si ego diceremtot malorum, ideſt lasciuia, turpitudinis, criminis, bonus esse fructus non potuit, recte mihi responderes hominem qui de adulteris natus est, non esse fructum lasciuiæ, turpitudinis, criminis, quorum malorum auctor est Diabolus, sed corporum, sexuum coniunctionum, quorum bonorum auctor est Deus, sic ego tibi rectissime dico malum, cum quo nascitur homo, non esse fructum corporum, sexuum coniunctionum, quorum bonorum auctor est Deus, sed primæ prævaricationis, cuius auctor est Diabolus, &c.* Ex quo sic probatur quod actio mala vt ens est, à Deo est, coniunctio sexuum etiam cum adulterina est, bona est per seipsam quia naturalis est, etiam fatente Iuliano & consentiente Augustino, qui comparat eam corporibus, quorum omnium auctorem facit Deum, ergo etiam actio voluntatis mala moraliter est physice bona, & proinde à Deo: Non autem solum mediate, sed immediate, ex eo quod ipsa est ens participatum, & essentialiter à Deo pendens, non secus ac potentia à qua procedit, & quia data distinctione Augustini de entitate actus, & de defectu potest Deus immediate concurrere ad illum, quia sit causa istius; atque ita non repugnat sanctitati eius quod concurrat immediate in sententia Augustini, qui propterea separat bonitatem in actu prauo à malitia eo fine, vt probatum semper maneat quod Deus auctor est omnium quæ sunt in aliquo genere entis, etiam si mala sint, quia non concurrit ad malitiam; igitur potest esse concursus Dei immediatus ad illa quantum attinet ad caput sanctitatis, cui nihil obesse censet Augustinus quod causetur à Deo vt ens, & bonum quoddam est.

Confirmatur, quia nisi de causa immediata loqueretur Augustinus, facile se poterat expedire à quæstione difficili sine subtili distinctione physicæ entitatis quæ bona est; & defectus qui malus est formaliter, & nihil; respondendo actiones malas esse à voluntate libera, sicut & bonas, & earum omnium non esse Deum auctorem, quia permisit arbitrio creato facere quod vellet. Verum quia in bonas negare nolebat influxum immediatum communem, ac necessarium omnibus operationibus creaturarum; in malis distinxit bonitatem naturalem, à malitia, quod peruideret ad illas quoque Deum concurrere eadem necessitate, & indigentia creaturæ nihil agere valentis illo non coagente.

Pro eadem veritate facit quod habet lib. 83. qq. 21. Quisquis omnium quæ sunt auctor est, & ad cuius bonitatem id tantum pertinet vt sit omne quod est, non esse ad eum pertinere nullo pacto potest. Omne autem quod deficit ab eo quod est esse deficit, & tendit in non esse. Esse autem, & in nullo deficere bonum est, & malum est deficere. *At ille ad quem non esse non pertinet, non est causa deficiendi, ideſt tendendi ad non esse, quia vt ita dicam essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est, & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est qui omnium quæ sunt, auctor est, quia inquantum sunt intantum bona sunt, &c.* Hoc ideo asserit Augustinus & sicuti supra duo illa in malo distinguit bonitatem scilicet actus, & deffectum, quia veritate coactus negare noluit quod non potuit, Deum concurrere etiam cum operantibus mala, quia operator sit mali, eo quòd concurrat ad entitatem, & non ad defectum, cum non possit esse causa deficiendi, ille ad quem non pertinet non esse. *Hoc suo*, inquit, *lib. 12. cap. 7. Naturam Dei nunquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere, & ea posse deficere, quæ ex nihilo facta sunt.*

Ex quo rursus confirmatur assertio; nam ibi Augustinus distinguit causam efficientem, à deficiente. *Nemo ergo*, inquit, *quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens; quia nec illa effectio est, sed defectio, &c.* Et quia Deus deficere non potest, neque malæ voluntatis causa esse potest, aut defectionum; at vero eius in quo est defectus voluntarij motus, cum sit aliquid positiuum, Deus est causa, quia in actionibus vitium non est vt notat commentator Augustini in illa verba capitis 8. *Deficitur enim non ad mala, sed male, ideſt non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est, ad id quod minus est.* Quasi dicat cum in mala voluntate duo sint, nimirum actus ipse, seu tendentia in obiectum, & inordinatio; illius quidem causa efficiens est, huius autem deficiens: Et illa ens quoddam est; hæc vero priuatio, sicut tenebræ, & silentium. Vnde rectè inferretur Deum esse causam actus positiui, quia solius inordinationis, & priuationis causa non est, quæ deficiens solum esse potest. Causam inquam immediatam, de hac enim sermo Augustino in eo libro est, vt patet ex cap. 5. vbi factam esse omnem essentiam, quæ non summe est à Deo qui summe est vniuerse ostendit, ideſt quicquid ens est, etiamsi minimum, iuxta ea quæ habet de vera religione c. 18. t. 1.

Causa efficiens, & deficiens iuxta Augustinum.

Digitized by Google

Ita & ſi minimum bonum, tamen bonum erit, & ex Deo erit. Nam quoniam ſumma ſpecies, ſummum bonum eſt, minima ſpecies minimum bonum eſt: Omne autem bonum aut Deus, aut ex Deo eſt. Cum ergo omnis animæ motus actio quædam ſit, & ens ac phyſicum, à Deo eſſe oportet, & quidem immediate, quoniam ibi de productione eius diſputat Auguſtinus, vt patet ex initio capitis eiuſdem, & capitis 20. *Eſt autem vitium prima anima rationalis voluntas ea faciendi, quæ vetat ſumma, & intima veritas, &c.* Vbi voluntas pro actu volendi accipitur, cui conuenit quod paulo ante dixerat in vniuerſum. Bona ſunt ergo quæ vitiantur, ſed ideo vitiantur, quia non ſumma bona ſunt, & cum ſubdit, *Quæ igitur bona ſunt ex Deo ſunt.* Complectitur etiam actus, qui boni cum ſint quatenus entia ſunt, vitiantur tamen quia male fiunt; vt nimirum & ipſi à Deo ſint vt boni ſunt, non autem vt mali. Et ratio Auguſtini probat quod immediate à Deo ſunt, quia ex eo quod non ſunt ſumma bona, à Deo eſſe contendit. Igitur & ipſe motus animi à Deo eſt, & non tantum potentia à qua fit, quæ & ipſa à Deo eſt immediate, quia non ſummum bonum eſt; quod confirmat exemplum materiæ, quo ibi vtitur: *Quapropter*, inquit, *etiamſi de aliqua informi materia factus eſt mundus, hæc ipſa facta eſt omnino de nihilo.* Et mox omne quod eſt inquantum eſt à Deo eſſe; certum eſt autem materiam immediate à Deo productam, & proinde rationem qua id probat de immediata dependentia accipiendam.

Sed non eſt omittendus textus in quo triumphare ſibi videtur aduerſarius. In libro enim de perfectione iuſtitiæ Ratiocinat. 4. cit. *Cum dixiſſet peccatum quidem vocari, & eſſe actum, ſed non rem ſicut claudicatio actus eſt non res, quoniam pes ipſe, vel corpus vel homo eſt, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare poteſt homo claudicationem, niſi habeat ſanatum pedem, &c.* Subdit: *Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat, vtrum rem velit dicere, an actum, An res potius qualitatem malam qua deformis actus exiſtit, &c.* Quæ correctio eo ſpectat, vt reſpondeat quæſito An actus peccaminoſus ſit à Deo, à quo eſt res omnis; quod fieri commodius non poteſt, quàm diſtinguendo actum in id quod ens eſt, ſiue entitas phyſica; & in id quod defectus, ac deformitas eſt, ac difformitas à ratione, vt intelligatur primum eſſe à Deo, non vero ſecundum, quia nihil eſt vel minimum ens quod ab illo non ſit; nec vllus eſt defectus magnus, aut paruus qui ab illo ſit. In quo eodem ſenſu non ſemel Auguſtinus vocat mala quæ vitia dicuntur nomine actus, non rei, quia aliquando rei vocabulum confundit cum ſubſtantia vt ſupra notauimus; aliàs tribuit omni naturæ, & eſſentiæ, quæ in aliqua ſpecie entis eſt etiam minima; ſic enim & nulla res mala eſt contra Manichæos aſſertores malarum ſubſtantiarum; & omnis res bona eſt vt ens eſt, etiamſi actus qui ſolus malus eſt moraliter ob difformitatem ſit malus non ob entitatem phyſice bonam quæ vitiatur à qualitate mala, ſiue à defectu, & in ordinatione. Ideo nihil fauere contrariæ ſententiæ textum hunc Auguſt. commode oſtendo, quia peccatum dicitur, & eſt actus, licet non ſit res ideſt ſubſtantia, ſed omnis actus vt eſt motus vitalis animæ bonus eſt, ergo peccatum non vt eſt defectus, ſed vt eſt actus, bonus eſt. Maior eſt Auguſtini hîc; minor habetur ex lib. 9. Trin. c. 11. ſupra cit. vbi imaginatio corporis in animo dicitur melior quam illa ſpecies corporis, & proinde etiam cognitio intellectiua, & volitio meliores ſunt, actus igitur peccati vt volitio eſt quid bonum eſt, quia volitio imaginationi præcellit, & hæc ſpeciei corporis, ſi ergo omnis boni Deus eſt cauſa, erit & volitionis huiuſmodi.

Mala quæ vitia dicuntur vocat aliquando S. Auguſt. nomine actus, non rei.

Neque hîc opus eſt rurſus refellere reſponſionem quod ſit cauſa mediata, quia per te non datur concurſus immediatus Dei in Auguſtino, ergo neque mediatus ad actum peccati; patet ſequela, quia eius non datur cauſa efficiens, ſed deficiens, concurſus autem mediatus in conſeruatione conſiſtens eſt cauſæ efficientis, & non deficientis. Aut ſi dixeris non dari cauſam efficientem malitiæ, ſeu defectus, ſed entitatis poſitiuæ actus; iam venis in ſententiam communem quod Deus concurrat ad actionem malam quia concurrat ad malitiam, & nihil habes ſubſidij in hac auctoritate Auguſtini, quam illi opponis; ſi quidem per ipſum eadem neceſſitate pendet à Deo quicquid entitatis eſt in peccato, qua & pendent reliqua omnia entia, ideſt immediate, vt ſupra oſtenſum eſt. Neque hinc inferri poteſt quod ſit contra ſanctitatem eius concurſus iſte in ſententia Auguſtini opportune, diſtinguentis bonum à malo in peccato, & cauſam efficientem, à deficiente, vt patet ex locis citatis & 3. de Trin. cap. 4. vt inde manifeſtum ſit Deum eſſe cauſam efficientem boni, & non malitiæ; & Auguſtinum de immediata loqui, quia de mediata non fuiſſet tantus & labor, ac ſtudiũ inquirendi num Deus concurrat ad actum peccati, eo quod cum ſit ſumme bonus non poteſt eſſe cauſa mali, facile enim expediſſet ſe tribuendo totum concurſum libero arbitrio, & Deo ſolam conſeruationem, quæ non eſt concurſus ad agendum cum creatura, ſed actio terminata ad eſſe rei conſeruatur, non ad operationem eius; ſed quia hæc eadem operatio eſt ens participatum, & effectus liberæ cauſæ, conſequenter ſecundum principia Auguſtini & vera, oportet eam per ſe pendere à Deo ſicut & entia reliqua; ex alia parte cum ſit mala non videtur in ea partem habere Deum ſummè ſanctum, & bonum, ideo diſtinxit entitatem actus à malitia, & illam à Deo eſſe indubitanter aſſeruit, eo quòd omne bonum ab illo ſit, in quo quia eſt eadem ratio actus mali, vt ens eſt, ac entium cæterorum, quæ immediate pendere dubium non eſt, & pari modo loquitur de omnibus Auguſtinus; ideo & illum immediate pendere cenſendum eſt ipſum exiſtimaſſe.

Et hæc quidem ſatis eſſe poſſunt ad oſtendendum quod hæc auctoritas non eſt fauorabilis opinioni contrariæ. Cæterum & alius ſenſus textui germanior idem confirmat, ſi verba in rigore ſumantur, nam Cæleſtius ita arguit, ſi peccatum eſt res, neceſſe eſt vt habeat auctorem, & ſi auctorem habere dicitur, cum alter præter Deum rei alicuius auctor eſt, &c.

Cui ratiocinationi reſpondet Auguſtinus

Digitized by

Materialis peccati Deus non est auctor, sed solum cooperator ex S. Aug.

peccatum esse actum non rem, & proinde non oportere Deum eius esse auctorem; quia licet ab illo pendeat vt ens est, non tamen eius vt tale ens est, nimirũ vt materiale peccati, Deus auctor est, sed solum cooperator: auctor quippe mali Diabolus est, & homo, vt S. August. in Enchir. cap. 23. supra cit. vide Ruiz de volunt. disp. 28. sect. 2. numero xi. Dico vt materiale peccati, nam præciso peccato illius entitatis vt bonum quoddam est physicum, Deus etiam dici potest auctor, non quia illam consulat, aut ad illam impellat, sed quia est summum & primum ens, cuius participatione reliqua sunt entia & proinde actio quælibet vitalis: quo sensu dixit idem August. lib. 83. qq. 21. *Quocirca malus auctor non est, qui omnium quæ sunt auctor est, quia inquantum sunt intantum bona sunt.* &c.

Occurritur obiectionibus ex S. Augustino sumptis:

CAPVT II.

PRima est, quia lib. 5. de ciu. cap. 9. *Sicut omnium creaturarum auctor est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum; malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et ne dicas loqui de malitia formali obstat lib. 12. Confes. cap. xi. Hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te ad id quod minus est, quia talis motus delictum, atque peccatum est, &c. ergo neque motus peccati à Deo est.

S. August. loquitur de malitia peccati quã negat à Deo esse.

Respondeo loqui S. Augustinum de malitia formali, quæ ab illo non est qui summe bonus est, & auctor naturæ contra quam malum est, eamque deordinat, nulla autem inordinatio à Deo est vt S. Bonau. in 2. dist. 37. dub. vlt. text.

Et in eodem sensu formali loquitur pluribus aliis pocis, quibus negat peccata esse à Deo quæ naturam non seruant, præsertim lib. de natura boni ante med. cap. *Cum audiuimus omnia ex ipso, & per ipsum, & in ipso, omnes naturas intelligere debemus quæ naturaliter sunt, neque enim ex ipso sunt peccata quæ naturam non seruant, sed vitiant: quæ peccata ex voluntate esse peccantium multis modis sancta Scriptura testatur,* &c. Et ita intelligendus libro 12. Confes. alioqui esset cõtradictio in paucis verbis: si enim omne quod est à Deo est, igitur motus voluntatis vt actio est, à Deo est; sed vt malus, nihil est, & ideo à Deo non est. Et ideo locus iste pro communi sententia facit.

Secunda est, ex libro de gestis Pelagij, cap. 3. *Manifestum est*, ait, *quod si ad ignem manum mittit, & malum, ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur: si autem bonum, & vitam diligit, non solum voluntas id agit, sed diuinitus adsumatur, sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras ad videndum vero lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecus adiutorium clari luminis præbeatur,* &c. Si ergo voluntas sibi sufficit ad male operandum, non eget alieno auxilio ad hoc, vt expresse adhuc magis idem S. August. serm. 13. de verbis Apost. *Cum dico tibi sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico, nam ad male agendum habet sine adiutorio Dei liberam voluntatem.*

Respondeo, In iis & similibus locis tractare S. Augustinum de necessitate gratiæ ad opera pertinentia ad salutem, sine illa enim nihil potest fieri: sine me nihil potestis facere, Ioan. 15.

Et licet etiam quæ naturalia sunt efficere nequeat sine concursu Dei, tamen quia semper est promptus in actu primo vt naturæ debitus, ideo voluntas dicitur ex se posse operari mala, & indifferentia si dantur, quia Deus permisit illi vti sua potentia pro libito ad opera huiusmodi; non item ad supernaturalia, nisi præueniatur à gratia.

Quod si sermo sit de formali peccati, clarius apparet posse voluntatem ex se deficere, quia libere se determinat contra rectam rationem; sed in hoc etiam eget concursu Dei, vt supra ostensum est, quatenus actionem ipsam peccati exercere nequit nisi concurrente Deo, à quo pendet omne ens, non tamen defectus moralis illi annexus, qui à causa solum deficiente est, neque alieno eget auxilio.

Tertia, Continet quæ S. August. passim repetit de displicentia, & odio Dei erga peccata, & peccatores ex Scriptura infra referenda, quomodo igitur operari dicendus est quæ abhominatur, prohibet, punit? *Adulteria enim matronarum, & corruptelas virginum non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare, nec disponere sed punire* ait in lib. de artic sibi falso impositis art. 10. vbi art. 6. & 11. plura habet in eundem sensum. Ex quibus infertur multo magis à sancta diuinitate alienum esse scelera patrantibus adsistere sua ope, & cooperatione.

Confirmant hoc quæ docet idem S. August. & alij Patres, ac concilia Deum nolle peccata, etiam si illa permittat. Atqui permittere distinguitur ab operari vt patet ex celebri dicto August. in Enchir. cap. 95. Nihil fit, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo; quæ igitur solum permittit Deus non coefficit. quo modo Trid. sess. 6. can. 6. Deum permisisse Iudæ proditionem non effecisse seu causam propriæ eius fuisse declarat, vt supra explicauimus.

Deus non vult peccata sed permittit.

Respondeo, ad argumentum hæc optimè cohærere, Deum vt fontem bonitatis detestari mala, & punire; & vt fontem sapientiæ sic mundi vniuersitatem condidisse, vt in ea esset creatura libero arbitrio prædita, & peccare potens: & vt primam causam ac vniuersalem sic administrare, vt vnicuique creaturæ sua ope indigenti non deesset quo peragere suos motus posset, vt ex supradictis manifestum est.

Ad confirmationẽ, Permissio peccati non ita distinguitur ab operatione vt eam excludat; imo illam includit, quia si Deus subtraheret suum concursum, non permitteret, sed impediret liberum arbitrium, quod sine illo operari nequit. Dicitur autem permittere, quia non intendit ea ad quæ concurrit vt causa vniuersalis conditoris munus perficiens; ad distinctionem aliorum quæ intendit, & quorum propriè, & per se causa est, vt sunt bona moralia & meritoria de quo supra diximus, & infra adhuc addemus aliqua ad permissionẽ spectantia.

Permissio peccati non excludit cooperationem materialis eius.

Digitized by Google

Doctrina S. Bonauenturæ de concurſu Dei ad actionem malam eadem quæ & S. Auguſtini.

CAPVT III.

PRætet ea quæ retulimus ex illo in 1. diſt. 45. de concurſu Dei in genere cum omnibus creaturis, peculiarem quæſtionem inſtituit de concurſu ad malas actiones in 2. diſt. 37. à 1. q. 1. & art. 2. q. 1. *Attamen*, inquit, *primo loco, quia per multam diſcuſſionem dubia dicuntur ad manifeſtationem; nunc communiter tenetur quod illa opinio verior ſit, quæ dicit quod omnis actio ſiue ſubſtrata peccato, ſiue non, ſecundum id quod eſt actio, à Deo eſt, nec immerito quia illud oportet ponere, ſi penſetur eminentia diuina potentiæ, & indigentia potentiæ creatæ, &c.* Quæ duo capita ſupra diſcuſſimus diſput. prima, quia ſunt vniuerſalia, & probant neceſſitatem concurſus ad omne ens. Inter rationes dubitandi ibi propoſitas, & approbatas à S. Doct. vna eſt: *Actio quæ ſubſternitur peccato, non omnino nihil eſt, ſicut manifeſte apparet. Si igitur aliquo modo eſt ens, quæro à quo ſit? Si eſt à potentia creatura, neceſſe eſt quod ſit ab ea ſecundum id quod habet de entitate; illud ergo ſecundum quod actio eſt ab illa potentia aut eſt a Deo, aut non. Si eſt à Deo, cum omne illud quod eſt cauſa cauſæ, ſit cauſa cauſati, per ſe intelligendo, videlicet ſi medium cauſatum eſt cauſa poſtremi ſecundum id quod habet a primo, tunc ſequitur neceſſario quod talis actio ſit a Deo. Si vero non eſt à Deo, tunc quæro aut eſt à ſe, aut ab alio, tunc quæro ſimiliter de illo alio, aut eſt à ſe, aut ab alio: ergo vel erit abire in infinitum; vel erit ponere quod creatura aliquid habeat ab alio, quam à Deo, quod ſit primum principium in quo ſit ſtatus; ſed hæc omnia ſunt impoſſibilia. & ſequitur ex hoc quod aliqua actio non eſt à Deo, &c.* Quid ſit autem id quod cauſatum, ideſt creatura, habeat à cauſa prima, explicat in reſolutione, nimirum influentia, & cooperatio in omni operatione quamuis modica. Vnde concludit: *Et ideo hæc poſitio, quæ dicit omnem actionem eſſe a Deo, ſecundum quod actio eſt, abſque omni ambiguitate tenenda eſt.*

S. Bonau.

Sine ambiguitate tenendum quod omnis actio eſt à Deo.

Quæſt. vero prima, artic. 2. ad argum. affert diſparitatem inter eum qui furem adiuuat in furto, & Deum qui cum fure concurrit, & ait: *Primo quia decet diuinam liberalitatem, vt ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos, & malos, nec debet influentiam virtutis ſuæ ſubtrahere nec bonis, nec malis, maxime ſecundū illam influentiam quæ reſpicit primum eſſe. Secundo vero quia decet diuinam prouidentiam ſic res, quas condidit ita adminiſtrare, vt eas agere proprios motus ſinat. Tertio quia ipſe nouit, & ſcit inde bonum elicere, & ideo cum cooperatur peccatori in actione laudabiliter facit: & nullo modo malitia quæ reddit ſuum actorē culpabilem, eſt ei attribuenda, &c.* Ibidem ait peccatum eſſe à voluntate vt defectiua eſt, non vt deliberatiua; vtitur exemplo claudicationis in qua eſt ambulatio cum defectu, qui prouenit à tibia, non à potentia greſſiua, ad oſtendendum quod in actione eſt entitas poſitiua quæ pendet à Deo; & eſt inordinatio quæ eſt priuatio & malitia, quæ tribui debet voluntati vt cauſæ deficienti, quæ omnia ſunt dicta ab Auguſtino, & S. Thom.

In 2. diſt. 32. dub. 5. text. *Si quæreretur*, inquit, *de actione mala quæ ponitur eſſe à Deo ſecundū quod actio: non enim eſt a Deo ſecundum quod iuſta, quia non eſt iuſta: nec ſecundum quod eſt iniuſta, quia iniuſtia non eſt à Deo; ſed eſt a Deo ſecundū bonitatem naturæ, per quam eſt indifferens ad vtrumque, &c.*

Exemplū claudicationis.

Quo pertinent quæ habet in 1. diſt. 46. de voluntate Dei quæ non vult malum; & quæ diſt. 47. de permiſſ. mali. prima neque actionem, neque malitiam vult. Secunda permittit vtramque, cum neutram impediat, ne deſiſtat à munere conditoris.

Confirmant hoc diſtinctiones quibus vtitur S. Bonauentura in hac materia, quæ ſunt vel eadem S. Auguſtini, vel ex variis eius dictis conflatæ. Talis eſt de ſubſtrato ſeu materiali peccati, quæ eſt actio poſitiua; & de formali quæ eſt quædam priuatio, ſiue defectus, ſiue inordinatio, ad quarū primam concurrit Deus; ſecunda tota eſt à voluntate deficiente, vt patet ex locis citatis tam primi, quàm ſecundi ſententiarum quibus adde dubium 6. text. eiuſdem 2. diſt. 35. vbi fuſe de materiali, & formali peccati.

Talis etiam huic annexa cauſæ efficientis, & deficientis in iiſdem locis, & in 2. diſt. 1. art. 1. q. 1. ad argumento; *Mala*, inquit, *& falſa dicuntur priuationes, & defectus; & ideo non habent cauſa efficientem, ſed deficientem, qualem non decet eſſe Deum.*

Cauſa efficiens, & deficiens.

Tertiò; tales ſunt diuerſæ acceptiones nominum, quæ varie vſurpantur ab Auguſtino, vt initio aduertimus Rei, Naturæ, ſubſtantiæ quæ neceſſariæ ſunt ad explicanda dicta pleraque eius in ſpecie inuicem pugnantia, & ad ſanam doctrinam eius omnino tutandam. Sic in 2. diſt. 27. dub. 1. text. quia plerunque actus non eſſe res affirmat, alias vitia, & operationes malas rerum appellatione afficit, *Dicendum*, inquit, S. Bonau. *quod res communiter dicitur & proprie, & magis proprie. Nos ſecundum quod communiter dicitur, dicitur à reor reris: & ſic comprehendit omne illud quod cadit in cognitione, ſiue ſit res extra, ſiue in ſola opinione. Proprie vero dicitur res à ratus, rata, ratum, ſecundum quod ratum dicitur eſſe illud, quod non tantummodo eſt in cognitione, imo eſt in rerum natura, ſiue ſit ens in ſe, ſiue in alio, & hoc modo res conuertitur cum ente. Tertio modo dicitur res magis proprie, ſecundum quod dicitur a ratus, rata, ratum, pront ratum dicitur illud quod eſt ens per ſe, & fixum, & ſic res dicitur ſolum de creaturis, & ſubſtantiis per ſe entibus, &c.* Et concludit quod peccatū & quantum ad actionem ſubſtratam, & quantum ad deformitatē dicitur res in prima acceptione cōmuni. Secundo modo dicitur peccatum eſſe res quantum ad ſubſtratum, & ſic accipitur ab Auguſtino: tertio modo peccatum non eſt res neque ratione ſubſtrati, neque deformitatis, quomodo Auguſt. relatus à Magiſtro in 2. d. 37. ait opera Diaboli, quæ vitia dicuntur, actus ſunt, non res.

Dubio autem ſequenti ad intelligentiam dicti eiuſdem Auguſt. apud Magiſtrum ibidem. Quod natura non eſt Deus non facit. *Cum ergo*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *dicit Augustinus quod natura est omne quod Deus fecit, potest accipi natura tribus modis, secundum quod facere Dei accipitur tripliciter. Uno enim modo facere dicitur Deus creando. 2. modo concreando. 3. modo cooperando, & ita secundum quod extenditur verbum faciendi, extenditur nomen naturæ: Sicut facere dicitur Deus actionem substratam peccato, cooperando libero arbitrio, & etiam nomen naturæ extenditur ad illam actionem: & sicut facere Dei nunquam se extendit ad illam deformitatem, sic nec natura, &c.*

Dubio deinde sequenti numerat varias acceptiones substantiæ iuxta verba S. August. quas initio præmisimus, atque ita aperte demonstrat in eius sententia, Deum immediate concurrere ad actionem peccati, quatenus est ens quoddam cui conuenit nomen rei, naturæ, substantiæ in aliqua significatione ex numeratis.

Quæ cum clara per se sint, & non patiantur extraneas à mente S. Bonauenturæ interpretationes; Auctor tamen Quadrip. part. 4. cap. 5. non veretur oppositam illi tribuere, eo quod solum doceat actionem peccato substratam esse à Deo, vt à causa vniuersali, ac prima, vtaturque auctoritate Anselmi concursum tantum mediatum agnoscentis.

Verum de S. Anselm. auctoritate plura diximus parte primæ. quam vt opus sit repetere pro immediato concursu afferendo in eius sententia; & de S. Bonau. dubitare solum fortasse quis possit, qui textum multiplicem haud obscurum dubiumve non legerit, aut tenebras ei offundere pro ludo habuerit.

Pro eadem doctrina S. Augustini & S. Bonau. sunt clara testimonia S. Thomæ.

CAPVT IV.

PRoferam pauca ex multis. p. 2. q. 79. art. 2. c. *Defectus autem ille*, inquit, *est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, inquantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Vnde defectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium; Sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam, sicut in causam, non autem in virtutem motiuam, a qua tamen causatur quicquid est motionis in claudicatione: secundum hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa huius quod actus sit cum defectu, &c.* Similitudo adducitur ad duo indicanda: primum est, quod sicut potentia motiua causat quicquid est motionis in claudicatione, idque immediate; ita Deus causat quicquid est actionis in peccato, immediate influendo: alterum est quod sicut potentia motiua non causat defectum in claudicatione, ita nec Deus in actione peccati. Sic ibi Caietanus, *Deus*, inquit, *non est causa vt actio sit cum defectu; ideſt, non est causa concomitantia, seu coniunctionis defectus cum actu, coniunctio enim ista non vndecumque prouenit, sed ex deficiente libero arbitrio.*

Defectus claudicationis tribuitur tibiæ curuæ.

Caietan.

Idem 1. p. q. 49. art. 2. secundum effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet entitatis, & perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu. Sicut quicquid est motus in claudicatione causatur a virtute motiua; sed quod est obliquitatis in ea non est ex virtute motiua, sed ex virtute curuis. Et similiter quicquid est entitatis, & actionis in actione mala reducitur indè, sicut in causam; sed quod est ibi defectus non causatur à Deo, sed ex causa secunda deficiente, &c. Hic est eadem distinctio causæ efficientis, & deficientis, vt supra in S. August. & Bonau.

Et lib. 3. cont. gen. cap. 71. fin. Manifestum est quod actiones malæ secundum quod deficientes sunt, non sunt à Deo, sed à causis proximis deficientibus, quantum autem ad id quod de actione, & de entitate habent, oportet quod sint à Deo. sicut claudicatio est à virtute motiua quantum ad id quod habet de motu; quantum vero ad id quod habet de defectu est à curuitate cruris: & loquitur de concursu immediato iuxta præmissa in capite antecedenti, quod omne agens actionem suam producit inquantum agit virtute diuina, & proinde quod Deus est causa non solum omnium effectuum, sed etiam actionum, quia nimirum omnis actio procedit à virtute eius non tantum quia illam dedit, & conseruat facultatem, qua causæ secundæ agunt sed etiam quia illam applicat & mouet eaidem causas simul agendo cum ipsis, vt supra ostensum est.

In 2. dist. 37. q. 2. art. 2. 3. *Deus agenti infimi, & vt agat, & vt bene agat, sed in malis actionibus, quamuis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum, & ideo absolute dicendum est causa bonorum operum, non autem peccatorum, &c.* Influere agenti vt agat, & vt bene agat, non est conseruare virtutem agendi semel datam, sed simul agere per potentiam applicatam.

Sed fusius hæc persequitur q. 3. de Malo art. 2. & aperte de concursu immediato loquitur; cum enim adhibuisset eandem similitudinem claudicationis quæ quicquid habet de motu à virtute motiua habet; quicquid defectus à tibiæ curuitate, subdit: *Sic ergo dicendum quod cum Deus sit primum principium motionis omnium, quædam sic mouentur ab ipso, quod etiam ipsa, ipsis motis, sicut quæ habent liberum arbitrium, quæ si fuerint in debita dispositione, & ordine debito ad recipiendum motionem qua mouentur à Deo, sequuntur bene actiones, quæ totaliter reducuntur in Deum sicut in causam: si autem deficiunt à debito ordine, sequetur actio inordinata, quæ est actio peccati. Et sic id quod est ibi de actione reducitur in Deum, sicut in causam; quod autem est ibi de inordinatione, vel deformitate, non habet Deum causam sed solum liberum arbitrium. Et propterhoc dicitur quod actio peccati est à Deo, sed peccatum non est à Deo.*

Idem ad 2. quod erat quicquid est causa alicuius, est causa eius, quod conuenit ei secundum rationem suæ speciei, sicuti si quis est causa fortis, *sequitur quod sit causa hominis: sed quidam actus sunt, qui ex sua specie habent quod*

ſint peccata; ſi ergo actio peccati ſit à Deo, ſequitur quod peccatum ſit à Deo.

Ferrarien. Quod promouet Ferrar. cap: illo 71. *Quia motioni cauſam ſecundam ad actionem quam ſemper, & inſeparabiliter concomitatur defectus, & malum, videtur non ſolum eſſe cauſa bonitatis actionis, ſed etiam malitiæ concomitantis: vnde vt habetur ex ſecundo Phyſ. quod præmaneri parte euenit, non videtur eſſe præter intentionem, ſed ſunt aliquæ operationes humanæ habentes ſemper annexam malitiam, puta odium Dei; ergo ſi Deus eſt cauſa entitatis actionis, oportet dicere quod etiam ſit cauſa malitiæ, & deformitatis coniunctæ, & ſic non refertur illa operatio inquantum deficiens eſt ſolum in cauſam proximam deficientem.*

Malitia ſequi poteſt inſeparabiliter actũ aliquem dupliciter. Reſpondet autem ex eodem S. Thom. ad illud 2. dupliciter poſſe intelligi quod malitia conſequatur inſeparabiliter ad actũ aliquem. Primò abſolute conſideratum ſecundum entitatem ſuam. Secundo vt à tali agente, puta à libero arbitrio procedit. Primo modo nulla deformitas peccati concomitatur aliquem actum, quia ſi eſſentia eius, v.g. odij Dei produceretur à ſolo Deo, non eſſet malus, & deformis, & ſic minor eſt falſa. ſi vero conſideretur deformitas concomitans talem actum vt procedit à libero arbitrio ſubdito regulis diuinis, in illud refunditur vt in cauſam deficientem, non in Deum, qui eſt ens ſummum bonum, & cauſa boni, & ideo poteſt agere entitatem actionis malæ, non autem malitiam.

Quod autem habet Ariſtoteles 2. Phyſ. intelligitur de eo quod concomitatur rem ſecundum entitatem abſolutam, non vt habet reſpectum ad varias cauſas libere agentes; ſic Ferrar.

Cum prædictis ſanctis Patribus ſentiunt reliqui ferme Scholaſtici omnes in 2. d. 37. Scotus ſupra relatus ad verbum, Capreolus, & alij plures tam veteres quàm recentiores, quorum

Ruiz. dicta recitat P. Ruiz de volunt. diſp. 39. à ſect. 3. vſque ad vltimam. Neque in re clara opus fuerat aggerere auctoritates, niſi aduerſarius poſitioni ſuæ tutamen ab illis medicaret.

Card. Bellarm. Addo iis Bellarm. egregie explicantem ſententiã communem doctorum Sanctorũ accommodatis teſtimoniis, & inuentis diſtinctionibus ipſa illuſtrantibus non vno in loco, ſed præſertim de amiſſ. Gratiæ lib. 2. cap. 18. vbi notabili primo ait Peccati quod non tam actio, quam defectio eſt, non eſſe quærendam cauſam efficientem, ſed deficientem, ſic enim loquitur S. Auguſtinus lib. 12. de ciuit. cap. 7. Nemo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis. Non enim eſt efficiens, ſed deficiens; quia nec illa effectio eſt, ſed defectio, vtiturque ſimilitudine claudicationis à curuitate tibiæ prouenientis; monſtri à defectu, vel exceſſu, vel qualitate materiæ, non à potentia generatiua cauſati: ſic enim actio peccati vt ens quoddam eſt à Deo eſt, vt defectus à voluntate deficiente.

Et quia defectus qui priuatio eſt, non videtur eſſe poſſe tantum cauſa poſitiua, ſed potius aliqua priuatio, vt oſtendit S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 10. & q. 1. de Mal. art. 3. quæ cauſæ poſitiuæ ſit adiuncta, ideo aduertit triplicem defectum tenentem ſe ex parte cauſæ peccati, quem hic attexere fuerit operæ pretium ad doctrinæ communis confirmationem, & elucidationem.

Primus qui eſt proximus, & immediatus, dicitur defectus conſiderationis, & attentionis ad regulam rationis, & legis diuinæ, & hæc eſt ſimplex negatio, & non eſt malum, nec culpa, nec pæna ait S. Thom. ibidem, quia anima non tenetur, nec poteſt attendere ad huiuſmodi regulam ſemper in actu; ſed ex hoc accipit rationem culpæ quod ſine actuali conſideratione regulæ procedit ad electionem: Sicut artifex non peccat ex hoc quod non ſemper teneat menſuram, ſed ex hoc quod ſine menſura procedit ad incidendum. Non eſt igitur defectus iſte malum aliquod, quia vel eſſet naturale, & ſic peccatum indo manans eſſet naturale, & neceſſarium: vel eſſet morale, atque adeo voluntarium; atque ita illius rurſus quæreretur cauſa deficiens, & ſic in infinitum, ac proinde ſi malum eſt, ſolum eſt tale non antecedenter ad operationem, ſed concomitanter, quia operans non attendit ad regulam cui ſe conformare debet hic, & nunc operando. Sic S. Auguſt. lib. 12. Ciu. cap. 6. quid eſt enim quod facit voluntatem malam, cum ipſa faciat opus malum? Ac per hoc mala voluntas efficiens eſt operis mali, malæ autem voluntatis efficiens eſt nihil. *Quoniam ſi res aliqua eſt, aut habet; aut non habet malam voluntatẽ: ſi habet, aut bonam profecto habet, aut malam; ſi bonam; quis ita deſipiat, vt dicat, quod bona voluntas faciat voluntatem malam? erit enim, ſi ita eſt, bona voluntas cauſa peccati, quo abſurdius putari nihil poteſt, & dici. Si autem res iſta, quæ putatur facere voluntatem malam, ipſa quoque habet voluntatem malam; etiam eam, quæ fecerit rem, conſequenter interroge, atque vt ſit aliquis inquirendi modus cauſam primæ voluntatis malæ inquiro.*

Triplex defectus ex parte cauſæ peccati.

Alter defectus eſt diſtantia à ſummo bono, hinc n. fit vt & in operari deflectere poſſit, quia nec ipſa eſt ſibi regula bonæ operationis, nec ſemper attendere poſſit ad illam vt ad menſuram dirigentem operationem. Sic S. Auguſt. in Enchir. c. 12. t. 3. Naturæ omnes, quoniam naturarũ omnium conditor ſumme bonus eſt, bonæ ſunt: ſed quia non ſicut earum conditor, ſumme, atque incommutabiliter bonæ ſunt, ideo in eis, & minui, & augeri bonum poteſt.

Quod eſſentialiter regula rectitudinis non poteſt deflectere à rectitudine

Simile eſt quod S. Bonau. habet in 1. diſt. 35. a. 1. q. 1. fin. *Regulari*, inquit, *& dirigi poteſt eſſe dupliciter: aut per regulam differentem à directo, & regulato, & hac ponit imperfectionem & poſſibilitatem erroris: Aut per regulam, quæ eſt idem quod regulatum, & hac ponit impoſſibilitatem erroris. Quia enim regula errare non poteſt, & Deus eſt ipſa regula, & idea, ideo impoſſibile eſt eum errare.*

In quo continetur ratio quaſi à priori, & à definitione, quia quod eſſentialiter eſt regula rectitudinis, non poteſt deflectere à rectitudine; Deus autem ex eo quod eſt ſummũ bonum & ipſa eſſentia boni, à qua participatiue eſt bonum quicquid eſt bonum, non poteſt eſſe principium mali, neque proinde erroris: ſicut neque ignis ex eo quod eſt principium caloris poteſt eſſe principium frigoris; neque recta menſura poteſt eſſe regula obliqui, ſed bene index ſui, & obliqui, quatenus quicquid ab illa diſcordat, obliquum eſt. At vero quia

Digitized by Google

creatura quælibet bonum participatum est, & non per essentiam independentem, non potest esse rectitudo essentialiter, neque regula non differens à regulato; & ideo habet in se possibilitatē erroris, nisi impediatur per intimam & inseparabilem vnionem cum summa, & prima regula per essentiam, qualis est in beata humanitate Christi vnita Verbo; & per illud sanctificata; & in Sanctis visione Dei clara perfectis, & ab omni miseria peccatorum liberis, quia perfecte Deo adhærent, quo adepto miseri esse non possunt.

Tertius defectus & velut radix cæterorum est, quia voluntas humana ex nihilo creata est; hinc enim fit, vt quantumest de se, semper in nihilum tendat. Sic S. August. de vitiis, & concupiscentia cap. 28. *Nec ideo*, inquit, *Potuit ex bono oriri voluntas malá, quia bonum factum est à Deo bono: sed quia de nihilo factum est, non de Deo, &c.* Sicut enim quælibet creatura nisi conseruetur à Deo, deficit, & in nihilum reuertitur vnde sumpta est, ita nisi eius ope foueatur, operando cum solo generali concursu à regula rectitudinis deflectit, & deficit, quia ex nihilo condita est, vt S. August. lib. 12. ciu. c. primo & S. Bonau. in 2. dist. 37. q. 1. art. & alibi.

Ex quibus patet quid sit esse causam deficientem, à qua prouenit defectus moralis in operatione libera; & quomodo Deus concurrat ad actionem peccati, non autem ad defectum, vt citati Patres, ac Scholastici post Augustinum distinguere consueuerunt.

Dices si peccatum est nihil, & mera priuatio, quomodo habet connexionem cum arbitrio creato, & essentialiter ab illo pendet? nam nihili non datur actor, neque connexio cum causa agente.

Nihil, & peccatum quomodo differant

Respondet S. Bonau. in 2. d. 37. dub. 3. *Aliter peccatum est nihil, aliter quod nullo modo est: Peccatum enim formaliter nihil est, nihilominus circa aliquid est, & alicuius boni priuatio est; & quamuis illud quod nullo modo est, non possit habere actorem, tamen illud quod dicit defectum circa ens, potest habere actorem, non inquam actorem efficientem, sed deficientem, &c.*

Atque ita habet connexionem, qualis conuenire potest priuationi cum ente reali tam in physicis, quàm in moralibus.

Rationes vero ad probandam necessitatem diuini cōcursus ad actiones malas eædem sunt cum illis, quibus supra probauimus in vniuersum de omni ente creato, quod cum sit ens participatum, essentialiter & immediate pendet in genere causæ efficientis ab ente primo tam conseruante in facto esse, quàm concurrente in fieri, quandoquidem non minor tunc est indigentia, quàm in facto esse. Cum igitur actio materialis peccati sit ens quoddam, & bonum physicum, ab eo est, à quo fit, & conseruatur bnne bonum.

Soluuntur argumenta contra doctrinam superiorem ducta ex sanctitate Dei.

CAPVT V.

HÆc vehementer mouit celebres illos Doctores, de quibus S. Bonau. supra cum Magistrō in 2. dist. 37. vt opponerent sese tuentibus concursum immediatum Dei ad actiones peccaminosas, quod horreat animus consortem facere iniquitatum totius fontem sanctitatis, & osorem scelerum Deum. Ingerit auctor quadripartitæ multas auctoritates Scripturæ sacræ, ac Patrum, quarum partē nihil obstare famosæ, ac sanæ sententiæ cōmuni supra ostensum est: Partem huc reiecimus, vbi in particulari de concursu ad peccatum profitemur habere locum, quæ de eodem in vniuersum ex SS Patribus scripturam Sacram in hunc sensum interpretantibus protulimus.

Primò igitur, afferuntur in contrarium quæ reiicere videntur quemlibet concursum siue præuium, & recipiuntur à nobis; siue simultaneum; & ingeruntur nobis tanquam explodentes illum non minus valide, quàm primum.

Ecclesiast. 15. Ne dixeris per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanauit, non enim necessarij sunt illi homines impij. Siue enim implanare sit inducere, vt placet sancto Augustino, de Gratia, & libero arbitrio cap. 2. siue in errorem impellere; siue decipere, vt aliis à Corn. ibi relatis; in quacunque significatione Deo denegatur; multo ergo magis denegandum quod illa efficiat. Et quæ odit, qui facere dicatur?

Sap. 14. Odio sunt Deo impius, & impietas eius, Zachar. 8. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus. nimirum cogitatio mala contra proximum; iuramentum mendax. Habac. 1. Mundi sunt oculi tui ne videant malum. scientia videlicet approbationis, & aliæ plures ex vniuersa Sacra scriptura.

Ex Patribus S. Augustinus sæpe locis citatis superius, & de Peccat. mer. & remiss. *Quod à Deo nos auertimus nostrum est, & hæc est voluntas mala: quod vero ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus, &c.* Et cap. sequenti, *Extolli in superbiam propria voluntatis est hominum, non operis Dei, neque ad hoc eos compellit, aut adiuuat Deus, &c.* At si cooperatur, ita adiuuat, vt sine hoc adiutorio nihil possit. amouendum igitur adiutorium immediati concursus, quod est maximum. S. August.

S. Ambros. lib. 1. Exam. cap. 8. cum clamet Prophera *Desinite à malitiis vestris; & præcipue S. Dauid, Desine*, inquit, *à malo, & fac bonum, quomodo ergo ei iniunxit à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum qui perturbandam Dei Ecclesiam putauerunt, &c.*

Sanctus Leo serm. octauo. de ieiunio septimi mensis, *Quid est quod iubetur; vt nostris non consentiamus affectibus, nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa*

Digitized by Google

voluntate reuocamur cuius ortus ex nobis eſt; & ideo mala pronunciatur, quæ noſtra eſſe conuincitur? Quæ aliæque perſimiles de ipſo etiam materiali peccati intelligendæ ſunt, vel teſte ipſo Soario lib. 2. de concurſ. cap. 4. Et ſuadet ſignificatio ipſa verborum faciendi, operandi &c. non enim malitia ipſa proprie dicitur fieri, ſed opus cui illa aduenit, ſic Chryſ. aſſerens Mala omnia ex noſtra tantummodo voluntate fiunt, homil. 8. in 2. Timoth. 4. excludit quemlibet alium concurſum; & expreſſius Dei, cum ſubdit quod *nihil ipſum latet, non tamen quia nihil ipſum latet, iccirco omnia operatur ipſe, &c.* Vt enim Auguſt. de Prædeſt. SS. cap. 20. *Præſcire potens eſt, etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.*

Concilium Araus. 2. can. 23. ſuam voluntatem hominis faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet.

Sed tanquam ſcuto inexpugnabili munit ſe auctor quadriplex auctoritate Tridentini ſeſſ. 6. can. 6. de quo ſuperius actum eſt.

In actione conſideratur & quod actio eſt, & quod prohibita.

Reſponſio ad omnes huiuſmodi auctoritates ſumi poteſt ex iis quæ habet S. Bonau. in 2. diſt. 37. art. 1. q. 1. cit.

Primò, docet quod in actione prohibita duo conſiderantur, nimirum & quod eſt actio, & quod eſt prohibita: Deo manat ſecundum quod eſt actio, non ſecundum quod eſt prohibita, & ideo cooperando non facit contra ſeipſum. ſic ad primum argum. Deinde

In reſponſione ad ſecundum quod actio quæ eſt à voluntate increata, & à creata poteſt eſſe deordinata prout eſt à creata, & ſic eſt mala moraliter; licet ſit bona bonitate naturæ vt eſt ab increata; & in ea vt ſic non ſit priuatio, ſed vt eſt à voluntate creata habente debitum ponendi rectitudinem.

Tertiò, In reſponſione ad tertiam concedit quod Deus propter ſe facit actionem malam ſubſtratam peccato, quia propter ſe cooperatur creaturæ cuius ratio ſuperius allata eſt, ex eo quod cum ſit conditor, & conſeruator naturarum, exhibet omnibus quæ neceſſaria ſunt ad operationes ipſarum, & proinde liberis concurſum indifferentem, cum quo poſſent ſe determinare ad quod volunt.

His poſitis reſpondeo primò in genere Deo diſplicere non ſolum malitiam formalem peccati, ſed etiam materiale ipſius vt illa affectum, quod habet quatenus eſt à libero arbitrio recedenti à regula rationis, & operanti ſine debitis circunſtantiis. Sed vt bonum quoddam naturale eſt ſecundum ſe, & præciſa malitia conſideratum non eſt quod diſpliceat, quia vt ſic non eſt deordinatum, neque prohibitum, cum ſit ens phyſicum.

Ad illud igitur vult concurrere conditionate in ſenſu ſuperius explicato, quia decet ipſum fungi munere cõditoris, & concurſum accommodatum cauſæ liberæ paratum offerre; quam licet inuitet ad bonum, non tamen cogit, ſed relinquit ſuæ libertati, quaſi abuſuram videt, ita odit abuſum, & malum ab eo proueniens, vt tamen à bono ſuæ prouidentiæ congruo non deſiſtat. Vnde & præuiſo peccato quod permittit, complacet de concurſu exhibendo ad actionem phyſicam, quia videt ſumma cum ſapientia exhiberi, vt aduertit Soar. lib. 2. de concur. c. 5. fin. & ab eadem ordinari ad fines optimos, puta manifeſtationis ſuæ Iuſtitiæ; vtilitatis emanaturæ ipſi peccanti, &c. etiamſi non complaceat ſibi de eodem materiali vt ab illo procedit, nec abſolute velit, ſed tamen ſub conditione explicata.

Quomodò dicatur Deus odiſſe peccatum.

Reſpondeo 2. in particulari Deum odiſſe peccatum ſimilitudinariè, vt S. Thom. 1. cont. gent. c. 96. & hoc 2. primò quia quæ eſſe volumus odiſſe dicimur: ſic quia Deus prohibet mala, odiſſe illa dicitur, & eſſe nolle, quantũ eſt de ſe, ſeruata libertate creata, & hoc modo tribuit ſcriptura illi odium, & diſplicentiam peccatorum. 2. magis impropriè quatenus vult maius bonũ quod eſſe non poteſt ſine priuatione alicuius minoris boni quomodo vult punitionẽ, quia vult bonum Iuſtitiæ, & ordinis vniuerſi. pſ. 5. Perdes omnes qui loquũtur mendacium.

Sed ſic non dicitur proprie odiſſe, quia non vult malum eius qui punitur vt malũ eius eſt, ſed ſimilitudinarie, quia vult eius malum ſpecificatiue, adiunctum tamen alicui bono, quod eſt maius, quam eſſet illud quod ſequeretur ſi impediretur illud malum. & quia impedire non vult, dicitur velle malum, non tamen odiſſe proprie, quia odium fertur in malũ alicuius ſub ratione mali, non autem vt habet rationem boni ex aliquo adiuncto, vt idem S. Thom. de Malo q. 12. art. 4. & Ferrar. in c. illud 69.

Hinc 2. patet rectè dici Deum operari, facere, concurrere ad actionem malam, quia non concurrit ad malitiam; neque ad ſubſtratum eius vt illa infectum; ſed ad entitatem ipſam vt eſt quoddam naturæ bonum: primo modo negant Patres Deum facere opus malum, non 2. Idque in via S. Thomæ negantis odium proprie conuenire Deo; in alia vero aſſerente, quam tuetur Vaſq. 1. p. diſp. 84. c. 3. Ruiz de voluntate Dei diſp. 54. à ſect. 1. & alij. Odiſſe dicitur Deus proprie peccatum odio abominationis, non quatenus actio quid poſitiuum eſt, ſed quatenus non mala, & defectus à rectitudine; ſic ipſos peccatores odiſſe dicit odio inimicitiæ, illis pœnam volens ex diſplicentia perſonæ, vt ibid. Vaſq. proſequens diuiſionem hanc odij ex doctrina Caiet. 1. 2. q. 29. art. primo.

S. Auguſt. Aliquid fit à voluntate creata, quod Deus non vult, ſed ſolum permittit

3. Reſpõdeo, cõcilia, & Patres aſſerere quod homines peccando faciunt voluntatem ſuam non Dei, quia Deus vult quidem exhibere concurſum iuxta exigentiam ſuæ Prouidentiæ, & naturæ libere operantis, ſed non vult quantum eſt de ſe operationem malam, quam prohibet. Atque ita verum eſt fieri aliquid à voluntate creata, quod Deus abſoluta voluntate beneplaciti non vult, ſed tantum permittit, quo ſenſu S. Aug. in Enchir. c. 100. *Propterea*, inquit, *magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem, quia non fieret ſi non ſineret*; vt ſupra retulimus Vide Soar. l. 2. de concurſ. c. 3. vbi explicat dictum eiuſdẽ Aug. l. 83. qq. q. 3. Hoc eſt aliquid fieri Deo agente, quod Deo volente, de voluntate conditionata, non quia non conueniat etiam abſolutæ efficaci; ſed quia ſatis eſt ad illius veritatem, ſi alterutra interueniat, vt dicat fieri Deo agente idem eſſe quod

Simp.

Digitized by Google

Deo volente siue velit absolute, siue conditionate, quia voluntas conditionata etiam ipsa fert secum omnia necessaria ad operationem, si voluntas creata operari velit consequenter.

Quartò, respondeo defectum imputari voluntati creatæ, & in eam refundi vt in causam totalem eius, quia Deus offert concursum ad bonum, & ad illud hortatur, ac mouet; à malo autem retrahit per minas, & pœnas, licet illud permittat iustissimas ob causas, inter quas & hæc numeranda vt maneat exercitium libertatis. Sic S. Bonau. in 2. dist. 37. art. 1. q. 1. ad secundum quod erat, si aliquid per sui præsentiam est causa alicuius, per sui absentiam est causa oppositi, vt patet in exemplo nautæ qui præsens est causa salutis nauis, & absens submersionis, vt Aristoteles 2. Phys. tit. 30. respondet esse verum de causa quæ voluntarie se absentat ita quod principaliter est eius absentia ab ipsa. Deus autem nemini se absentat, imo paratus est omnes iuuare, & omnibus dare gratiam, quod autem concurrat ad id quod voluntas eligit, plures ibidem recensет rationes, quas supra ex eo adduximus.

S. Bonau.

Aristoteles 2. Phys.

Atque ita neque Scriptura, neque Patres neque Concilia hilum fauent exoletæ sententiæ; Tridentinum vero potius est pro communi, quia in bonis quidem operibus gratiâ præuenientem, adiuuantem seu comitantem, & subsequentem necessariam deprædicat, eique liberum arbitrium cooperari definit, vt patet ex sess. 6. tit. de iustificatione per aliquot canones, vt ipsemet aduersarius non diffitetur: in malis vero solum vult aliter se Deum habere, quam in bonis, & permissiue concurrere, non autem vt causam propriam, & per se, ex quo potius inferri concursum immediatum supra probauimus; & eo se scuto tutari ægre posse auctorem illum contra tela argumentorum, & tam numerosam classem Theologorum ante & post concilium de concursu Dei differentium, ostendimus.

Secundum argumentum ex impeccabilitate Christi Domini.

CAPVT VI.

ET in hoc magnum robur autumat esse auctor Quadrip. par. 4. cap. 11. Nam propter humanitatis vnionem ad verbum tenebatur custodire etiam à materiali peccati; alioqui enim refunderetur in ipsum culpa, nefas est opinari: atqui magis repugnat quod tota Trinitas efficiat materiale peccati, quia causa efficiens magis influit quàm subsistentia, quæ non est principium operationum, sed solum terminus naturæ cooperantis, vnde & operationes tribuuntur causæ efficienti, non subsistentiæ. Si ergo actio naturæ humanæ tribueretur verbo, vt sustentanti, magis tribueretur illi vt efficienti, si proxime causaret.

Confirmatur, quia Dei sanctitas talis est in sua infinitate, vt nulla concipi possit maior; conciperetur autem maior, quæ non concurreret ad materiale peccati, quia remotior esset à peccato, nullam prorsus in eo partem habens complexo, quod ex actione, & malitia coaluit.

Respondeo nego minorem; disparitas est, quia vt Soar. t. 1. in 3. p. disp. 34. sect. 2. Deus respectu aliarum voluntatum gerit se vt causa vniuersalis per generalem prouidentiam, ad quam pertinet peccati permissio, ideſt facultas libere operandi, quæ non est sine concursu indifferenti parati in actu primo, & negatio auxilij impedientis illud; respectu autem voluntatis humanæ naturæ in Christo habet rationem, & habitudinem proprij suppositi, ad quod propter vnionem peculiari modo pertinet ita dirigere, vt semper sine defectu operetur, & non debet concurrere cum humanitate nisi ad actiones bonas, ad quas solum facultatem habet, quia non permittitur à verbo dirigente deflectere ad malas. Secus se gerit, cum hominibus nondum beatis, & cum Angelis olim in via, quibus ita subministrat auxilia gratiæ, vt ei dissentiendi liberam relinquat facultatem.

Aliter se gerit Deus cum natura humana Christi quàm cum reliquis.

Ad confirmationem negatur minor. Nihil enim derogat sanctitati concursus ad actionem vt ens est & bonum quoddam naturale, imo cum in hoc eluceat potentia eius, & dominium in creaturas quæ sunt realiter ipsa sanctitas Dei, hæc etiam magis se prodit bene consideranti.

Tertium argumentum ex impossibilitate producendi habitum malum.

CAPVT VII.

NOn potest aduersarij iudicio producere Deus habitum malum inclinantem ad peccatum formaliter, aut ad materiale peccati, etiamsi nunquam esset operaturus; ergo multo minus concurrere ad illud. Antecedens probatur, quia sic diceretur impellere, & inclinare voluntatem ad peccatum, producendo id per quod inclinatur, quod repugnat sanctitati eius, à qua non potest procedere malum vllum. Patet sequela, quia magis participat in culpa qui immediate concurrit ad actum culpabilem, quàm qui mediate producendo aliquid ad quod sequatur culpa.

Confirmatur, quia alioqui Deus concurreret ad odium sui, & ad blasphemias, ac hæreses contra se, quod repugnat amori suo summo bonitatis ac reuerentiæ qua dignus est. Si enim quæ facit Deus etiam cooperando creaturæ ex summa bonitate, & amore sui facit, quî fieri potest vt concurrat ad odium sui, & contra se ex amore sui?

Respondeo duas esse sententias probabiles de habitu malo an sit à Deo producibiles. Prima affirmat, quam tenet P. Vasq. 1. 2. disp. 90. numero 11. & iuxta hanc negatur antecedens. Secunda negat, quam sequitur Soar. tom. 1. de Grat. proleg. 4. cap. 8. numero 11. Aluar. de Auxil. disp. 14. numero 34. Ruiz de volunt. Dei disp. 41. sect. 3. & alij apud ipsos; & in

Azor t. 1. l. 4. c. 22 q. 3.

Digitized by Google

eorum ſententia negatur ſequela & ad probationem negatur aſſumptum; nam concurrendo immediate ad actionem non inclinat ad illam, neque intendit illam; ſed ſolum vt cauſa vniuerſalis accommodat ſe cauſæ particulari præbendo neceſſaria ad operandum, ad quæ obſtrinxit ſe lege creationis: atque adeo cauſæ neceſſariæ exhibet concurſum determinatum in actu primo, & ſecundo: cauſæ liberæ indifferentem in actu primo, & determinandum in ſecundo ab ipſa.

Quod ſi infunderet habitum malum, diceretur per ſe cauſa mali, & directe; quia vt cauſa particularis produceret qualitatem inclinantem ad malum: & hoc obiter ad ſolutionem argumenti, nam propria quæſtio inſtituenda eſt de hac difficultate, & altera ipſi affini de productione habitus in intellectu inclinantis ad falſum, an poſſit eſſe à Deo ſolo.

Ad confirmationem non eſt magis abſurdum de odio, &c. quam de quolibet alio peccato, in quo eſt auerſio à Deo; ſi enim concurrit ad entitatem, concurret pariter ad actionem odij, quæ præciſa aduertentia mala non eſt, & ea poſita, tota malitia à voluntate eſt. An vero ſe ſolo poſſit producere actum odij & ſimiles, patebit in 6. argumento.

Quartum argumentum ex eo quod Deus eſſet cauſa peccati, & peccaret.

CAPVT VIII.

QVamuis hęc duo diſtincta ſint, eſſe cauſam peccati, & peccare; tamen ex concurſu immediato vtrumque tribueretur Deo. Primum probat aduerſarius, quia quod eſt cauſa alicuius rei, cui neceſſario annexum eſt aliud vel negatiuum vel poſitiuum, eſt etiam cauſa iſtius; ſicut qui vult aliquid conſequenter, vult quod illi vnitum eſt, vt S. Bonau. in 2. d. 36. art. 1. q. 2. in reſol. ergo ſi Deus eſt cauſa talis actionis, cui hic, & nunc annexa eſt malitia ſeu priuatio rectitudinis, eſt etiam cauſa priuationis. Antecedens patet in iis quæ non habent aliam cauſam efficientem quàm illam quæ producit eam cui annexum eſt aliquid aliud, non habens cauſam diuerſam, tunc enim ab eadem produci debet, cum non ſit ens, aut priuatio ex ſe.

Conſequentia probatur, quia priuatio conſequitur neceſſario hic & nunc ad entitatem actionis, ergo qui producit actionem, cauſa eſt priuationis. Ideo voluntas peccans non aliter eſt cauſa priuationis, quàm producendo poſitiuã entitatem, & hæc non aliter producitur à Deo, quàm à voluntate, cum ſit vna, & eadem actio vtriuſque, quæ licet ſecundum ſe poſſit eſſe ſine malitia; tamen hic & nunc non poteſt: per quod excluditur reſponſio aſſerentium nullas eſſe actiones intrinſece malas, quia earum entitas ſecundum ſe non eſt mala, ſed ſolum vt eſt in tali ſpecie, quod non habet à cauſa vniuerſali ſed à particulari. Bellarm. l. 2. de amiſſ. gratiæ, c. 18. Nam ratio illa entitatis eſt ſolum per conſiderationem intellectus præſcindentis. Cæterum à parte rei hic, & nunc nulla eſt præciſio, cum ſit vna ſimplex actio à Deo, & à voluntate creata.

Nec valet dicere malitiam conſequi ad actionem vt eſt à voluntate, non vt eſt à Deo; quia illa habet debitũ ponendi rectitudinem vt Scot. in 2. d. illa 37. q. vn. 6. ad ſolutionem ſupra cit. hinc enim ſolum arguitur Deum non peccare, ſed non quod non ſit cauſa priuationis, cum producat entitatem actus, cui illa eſt annexa ſimul cum voluntate.

Neque item quod actio ex ſe non ſit mala, ſed talem reddi à voluntate cum aduenit aduertentia malitiæ, & obligationis illam vitandi, quia Deus tam concurrit ad aduertentiam quàm ad operationem deliberatam, ergo & ad annexam priuationem.

Neque item quod quando concurrunt duæ cauſæ defectus tribuitur cauſæ deficienti quæ eſt particularis, non perfectæ, qualis eſt vniuerſalis, vt declarant exempla claudicationis, & monſtrorum, ſupra. Nam in illis eſt impedimentum ex parte materiæ, & neceſſitas effectus quem virtus generatiua, & motiua non poſſunt producere meliorem in iis diſpoſitionibus, neque omittere; quod ſi poſſent vel non producere, vel perfectionem producere, defectus in illas regereretur tanquam in cauſas: cum ergo in caſu noſtro nullum ſit impedimentum, nulla neceſſitas, & eadem actio procedat ab vtraque cauſa liberè operante, cur vni potius tribuatur defectus ſeu priuatio annexa actioni, quàm alteri? Aut cur vna dicatur cauſa deficiens, & non altera, ſi quidem ex hoc infert aduerſarius quod Deus eſſet cauſa deficiens ſi concurreret immediate? & non eſt aſſignandum pro ratione id quod aſſumitur tanquam abſurdum ab illo probante paritatem quoad hoc quod eſt eſſe cauſam deficientem, quia ex vtraque procedit actio cum priuatione rectitudinis.

Sed neque ſatisfit aſſignando diſparitatem ex parte intentionis, quam non habet Deus reſpectu malitiæ, & ideo non poteſt dici cauſa per ſe peccati, vt ſuperius diximus expendentes auctoritatem Trid. ſeſſ. 6. nam primò inſtat arguens, quia neque homo intendit illam, nemo enim operãs intendit malum, vt ſæpe S. Thom. 1. 2. q. 78. art. 1. 2. ex S. Dionyſ. cap. 4. de diuin. nomin. & S. Bonau. in 2. diſt. 34. art. 1. q. 2. & qui peccat intendit aliquod bonum vtile, aut iuuandum & plerunque nollet in actu eſſe malitiam. Deinde intentio non mutat naturas rerum. Sicut ergo producens calorem ex. gr. eſt cauſa priuationis frigoris ſine intẽtione illius; Ita producens actum, cui annexa eſt priuatio rectitudinis ex natura rei, eſt cauſa illius quãuis non intentæ. 3. Ob nullum finem intentum honeſtari poteſt actio habens annexam talem priuationem, v. g. mendacium, odium Dei, quia de ſe eſt vitioſa, ergo quicquid intendat Deus non poteſt honeſtare, & licitam reddere actionem neceſſario connexam cum malitia; vel ſi poteſt ad tuendum munus conditoris, & adminiſtratoris, cur non poſſet ob ſimilem finem, puta ob ſalutem mundi totius proferre mendacium? quod tamen nunquam licitum eſſe docet S. Aug. l. vno de mendacio, cap. 5. tom. 4. & S. Bonau. in 2. diſt. 38. a. 1. q. 1. in reſol. docens mendacium nullo bono fine poſſe honeſtari.

Mendaciũ nullo bono fine poteſt honeſtari.

Digitized by Google

Neque ſi recurras ad libertatem, & cauſam moralem, aſſeraſque Deum concurrere cum noſtra voluntate vt cauſam naturalem, non vt moralem, conſulendo, ſuadendo, imperando &c. Et quia culpa vt ſic non procedit à cauſa naturali, ſed morali, ideo non poteſt refundi in Deum, vt fuſe explicat Vaſq. 1-2. diſp. 119. c. 7. ex Caietano, & Soto, qui tamen vt aduertit Salaſ. mox citandus, non negant libertatem actus eſſe à Deo; neque hac ratione defendunt Deum non eſſe cauſam actus mali; ſed ipſe Vaſq. ex eorum principiis infert malitiam non imputari Deo, quia hæc oritur ex ipſo actu prout procedit à libero arbitrio: cum enim habeat eſſe moris fundatum in operationis libertate, & actus ſolum procedat vt liber quatenus naſcitur ex libero arbitrio, fit vt ex ſolo arbitrio oriatur malitia. Citat pro ſe Vaſq. etiam S. Bonau. in 1. diſt. 40. a. 2. q. 1.

Sed ibi S. Bonau. ſolum habet prædeſtinationem non inferre neceſſitatem ſalutis, quia illum non cauſat, niſi ſalua meritorũ ratione, & libertate arbitrij. Et regula eſt, quod quoties effectus pendet ex cauſa neceſſaria; & variabili, à neceſſaria tanquam vniuerſali, à variabili tanquam particulari, denominatur à variabili, quia denominatio eſt à cauſa particulari, & effectus qui dependet à cauſa contingente, eſt contingens. Hinc tamen non petit rationem S. Bonau. cur Deus non ſit cauſa peccati, ſed aliunde vt mox dicam.

Interim non eſſe hanc adæquatam rationem probo primò, quia quando Trident. ſeſſ. 6. can. 6. negat Deum eſſe cauſam proditionis Iudæ, loquitur etiam de materiali peccati, vt conſtat ex dictis; & proinde Deus non eſt cauſa peccati neque moralis per modum ſuadentis, impellentis, &c. neque phyſica per ſe, & propriè. Igitur aſſignanda eſt ratio non ſolum cur vt morale quid eſt, non procedat à Deo, ſed etiam vt materiale non habeat Deum vt cauſam propriam, & per ſe, ſicut habent opera bona, etiam vt libera ſunt ab arbitrio.

Deinde Patres cum longe ablegant à fœditate peccati ſanctitatem Dei, omnem remouent cauſalitatem, quæ ipſam dedicere videatur, hæc autem non ſolum moralis eſt, ſed naturalis etiam; nam de morali vix venire poſſet in mentem ſuſpicari etiam impio ſi diuinitatẽ fateatur; de naturali etiam inter ſapientes concertatio eſt vt apparet ex dictis: Igitur qui admittunt concurſum immediatum, non ſatisfaciunt dicendo Deum non eſſe cauſam moralem, ſed tantum naturalem peccati, ſi hærere volunt modo loquendi Patrum, & non magis ſe explicant.

Tertiò, ſemper recurrit difficultas, quia ſi Deus eſt cauſa naturalis proprie, & per ſe materialis peccati, quomodo non ſit etiam priuationis illi neceſſariò annexæ, etiamſi non denominetur ab illa peccans, ſicut neque denominatur merens, aut videns, cum tamen cauſet viſionem, & meritum. Intantum enim naturaliter loquendo, voluntas dicitur cauſa priuationis, inquantum efficit actum, cui annexa eſt priuatio; at Deus magis influit, & cauſa magis principalis, vt pote prima, & independens, quam voluntas, ergo etiam erit cauſa priuationis conſequentis, licet aliunde ei non imputetur malitia; quia ſunt diuerſa imputari alicui peccatum, ſeu denominari peccatum, & eſſe cauſam phyſicam peccati ſecundum priuationem quam dicit: nam & ipſa conſiderari poteſt & phyſice, quatenus naturaliter, ac neceſſario ſequitur talem actionem; & moraliter quatenus illa actio cadit ſub prohibitionem, ac debitum vt vitetur; & hoc modo licet dicas reſpectu Dei non prohiberi actionem ad quam concurrere debet lege creationis; tamen ad hunc concurſum ſequitur priuatio naturaliter: igitur erit cauſa illius naturalis, atque adeo cauſa peccati ſecundum formale priuationis, quod negant Patres, & Scholaſtici. Præterea aduerſarius contendit talem concurſum eſſe contra rationem & impoſſibilem Deo ſummæ, ac primæ regulæ rationis, ac rectitudinis, & huic afferendum non eſt pro ratione, quod ipſe infert, aut ſupponit abſurdum, quod ſcilicet non ſit prohibitus Deo iſte concurſus, nec proinde ſit cauſa priuationis, quæ conſequitur actum ſolum vt prohibitum, & rationi repugnantem.

Et idem opponit aſſerenti quod priuatio, & moralis malitia ſequitur actum vt eſt à libero arbitrio, quia ab hoc habet eſſe liberum, quod requiritur ad eſſe morale; nam ſi actio materialis contra rationem eſt, & prohibetur à Deo; cum ipſa etiam ſit à libero arbitrio; non ſola priuatio, ſed poſitiuum cui annexa eſt, morale quid eſt, igitur nec eius Deus eſt cauſa qui per te non eſt cauſa priuationis, eo quod hæc ſit malitia materialis, habens eſſe morale à libertate arbitrij: aut ſi eſt cauſa naturalis poſitiui, quia influit in eſſe ipſius phyſicum: pariter erit cauſa priuationis, quia hæc naturaliter ſequitur ad poſitiuum, & non eſt quid morale, & liberum, niſi quatenus eſt moralis, & libera actio cui annectitur, quia præciſa libertate in actione nulla eſt malitia moralis, ſeu priuatio.

P. Salaſ. tom. 2. in t. 2 tract. 13. diſp. 10. ſect. 2. recenſet decem modos, & pro ſingulis ſuos auctores varie reſpondentes ad argumentum, & reddentes rationẽ quare Deus non ſit cauſa peccati ſi concurrit immediate ad actionem peccaminoſam: & tandem approbat petentium rationem ab indifferenti concurſu, quem Deus paratum offert ad oppoſita, relicta determinatione voluntati: hinc enim apparet ipſum, quantum eſt de ſe nolle malum, ſed bonum, etiamſi permittere velit malum: deinde in executione habere ſe vt cauſam naturalem, ac per modum habitus, quo voluntas vtitur ad ſuum placitum; quia Dei potentia applicata ad agendum cum voluntate permittit ſuum vſum vt faciat quod vult, vt ſic tueatur munus conditoris accommodantis ſe naturis rerum, & proinde præparantis indeterminatum concurſum liberis, vt libere operari poſſint, determinatum neceſſariis, quæ natura ſua determinatæ ſunt ad ſpecificos effectus: quæ eſt Soarij ſententia, ac S. Bonau. locis cit. & aliorum plurium quos ibidem refert præſertim Bellarm. Cum hac enim indifferentia concurſus non ſtat intentio abſoluta Dei vnius partis etiam quoad entitatem phyſicã actionis, & multo minus malæ, quam non vult; ſed ſolum conditionata, ſeu dependens ab arbitrio creato, quod pro ſua libertate

Digitized by Google

eligit quod vult, ſiue bonum ſiue malum, adſiſtenteilli diuina potentia, ſine qua non poſſet operari, & cum qua ſimul operante poteſt operari quod vult, quia Deus qui ſaluam libertatē vult, eius determinationi ſeſe accommodat, & eam coagendo comitatur; quod aliqui explicant ac ſi cœco modo concurreret, quaſi non habens aliam voluntatem quàm illam, cui præſto eſſe voluit, ſi mal im à ſe vetitum eligeret; alij ad frangendam vocis inuidiam ſapientiæ oculatiſſimæ non congruentis, mitiori vocabulo cauſæ quaſi neceſſariæ temperant, ac ſi diuina potentia vice habitus fungeretur ad eam partem ſe tenentis ad quam voluntas ſe determinat illum, cum hoc tamen diſcrimine, quod habitus inclinat ad certos actus in ſpecie, diuina vero potentia indifferenter applicata eſt à voluntate ad oppoſita, vt ſupra explicatum eſt.

Improbatur modus loquendi aſſerentiū Deumcœco modo concurrere ad actiones liberas.

Ad argumentum igitur in forma diſtinguo antecedens, quod eſt cauſa per ſe vnius rei cui annexa eſt altera, & huius quoque cauſa eſt, ſi ſit cauſa per ſe vel naturaliter ad illud ordinata; vel deliberatiue intendens illud, concedo antecedens; ſi neutrum ex iis habeat, ſed ſolum concomitanter concurrat, nego antecedens. Exemplum ſupra dedimus de organici adiutore qui ſolles attollit ad captandum, & deprimendum aerem; hic enim non dicitur cauſa erroris ſi qui admittuntur ab illo, quia motus eius indifferenter inſeruit ad harmonicum, & diſcordem ſonum prout organi magiſter direxerit, ad quem quia pertinet artificioſe dirigere, etiam ſi errare non intendat, erroris tamen cauſa eſt, & illi error imputatur: ſic & peccatum homini, & non Deo qui quantum eſt de ſe bonum intendit, ſed permittit vſum ſuæ potentiæ arbitrio hominis, cuius eſt debitū conformandi ſe regulæ rationis, & bene vti illa. Non quia ſola intentio boni ſufficiat ne ſit cauſa actionis materialis; ſed quia cum illa offert concurſum indifferentem ad bonum, & malum; illud ſuadendo, ab hoc deterrendo, relicta interim determinatione arbitrio ob fines ſupra numeratos à S. Bonauentura. Hinc enim fit vt actio mala, nec quatenus mala formaliter, ideſt vt dicit in recto malitiam, ſeu priuationem; nec quatenus fundamentum, ſeu ſubiectum malitiæ ſignificatæ in obliquo ſit à Deo, ſed ſolum vt actio eſt & ens reale ac poſitiuum, ſub alijs autem reſpectibus ſit ab arbitrio creato, habente libertatem ad vtrumque, prohibitionem ab vno, debitum ad alterum, non præciſe vt liberum eſt, ſed vt defectiuum eſt.

Atque ita negatur conſequentia, & probatio eius, quia priuatio annexa actioni, ſequitur illam vt eſt à libero arbitrio, non vt à Deo, à quo ſolum habet eſſe phyſicum, & non moralem malitiam.

Hæc reſponſio eſt ad mentem S. Bonau.

OStendunt primò quæ ſupra diximus de voluntate conditionata in vniuerſum, quæ potiſſimum locum habent in concurſu ad operationes malas, has enim Deus non vult vt docet in 1. diſtinct. 45. art. 1. q. 2. Secundò, Quæ habet in 2. d. 37. art. 1. q. 1. de bonitate actus in genere naturæ vt eſt à Deo, & de malitia vt eſt à voluntate creata. Tertiò, quæ ſubdit a. 2. q. 1. ad vltimum, quod malitia non eſt à voluntate proprie vt deliberatiua, ſed potius vt eſt defectiua, quamuis defectus non cadat niſi circa actum deliberatiuum. 4. Totam cauſam peccati aſſerit eſſe voluntatem creatam in prim. diſt. 38. art. 1. q. 1. & tamen in 2. d. 37. art. 1. q. 1. ad penult. concedit quod tota operatio eſt à Deo, & tota à libero arbitrio, ita vt ab illo habeat bonitatem naturæ, ab hoc priuationem bonitatis moris: Igitur peccati non eſt quærenda alia cauſa, quàm defectiua; quæ eſt voluntas creata, non quia & ipſa non attingat bonitatem naturæ, ſed quia non cum debitis circunſtantijs, & ideo deficit, vt ibidē S. Bonau. ad argum. 5. Quærenti cur Deus non teneatur ad eaſdem circumſtantias, quarum carentia deficit actus à bonitate morali, reſpondet in 1. diſt. 47. a. vn. q. 3. quod Deus ordinatiſſimè permittit mala fieri, quæ nulla fierent, ſi vel non concurreret cum arbitrio ad oppoſita; aut ſi ſua gratia, & fauore illa omnia impedire vellet. *Duplex*, inquit, *eſt ordo rerum, vnus in vniuerſum, alter in ſingula; & vterque exigit quod Deus permittat mala fieri. Ordo quippe in vniuerſo exigit, quia ad perfectionem vniuerſalitatis neceſſe fuit fieri creaturam arbitrio liberam, & peccare potentem. Sed adminiſtratio vniuerſalitatis eſt, vt Deus ſic res conditas adminiſtret, vt eas agere proprios motus ſinat, ſicut dicit Auguſt. de ciu. Dei. lib. 7. cap. 30. tom. 5.* Ideo cum debuerit dare porentiam peccandi, & debuerit regere ſaluo ordine ſuæ conditionis, ſi voluit peccare, debuit permittere mala & ſi non voluit peccare; debuit conſeruare, &c. Pergitque ex fine hoc idem oſtendere qui eſt diuinæ laudis ex miſericordia in præmiis electorum qui ſic reddūtur glorioſiores, & ex iuſtitia quæ manifeſtatur in punitione reproborum, quæ eſt doctrina S. Auguſt. in Enchir. à c. 96. & lib. 11. Ciu. à cap. 17.

S. Bonau.

Cauſa permiſſionis peccati.

Potentia igitur peccandi, ſine qua non diceretur Deus permittere mala fieri eſt à diuina voluntate, quæ vult quod vnusquiſque faciat quod vult, & propriam habeat libertatem, etiam faciendi contra ſuam voluntatem ait. S. Bonau. in primo diſt 47. art. 1. q. 2. ad argum. & proinde etiam quoad malas operationes voluit accommodare ſe arbitrio creato quod non eſſet liberum ea libertate qua præditum eſſe voluit, ſi non haberet paratum Dei concurſum ad oppoſita. 6. Hinc ſequitur quod denominationes mali, defectus, priuationis moralis, quæ ſupponunt libertatem debitum faciendi, vel omittendi, obligationem conſiderationis vt applicetur regula rationis conueniunt arbitrij creati actioni vt ab ipſo eſt, non Deo, qui ob altiſſimos fines permittit illud operari quod vult bonum, vel malum; Vnde & ſolum denominatur cauſa permiſſiua mali, etiam quoad entitatem materialem, quia vt Bellarm. l. 2. de amiſ. gratiæ c. 18. *Non ſolum turpitudo peccati, ſed etiam ipſum quod materiale Theologi vocant, ſi vt tale eſt in ſpecie, conſideretur, Deo tribuendum non eſt, cum Deus, vt diximus, non ſolum turpitudinem, ſed etiam actus turpes auerſetur, & lege ſua prohibeat, &c.* Quæ Soarius locis citatis fuſius explicat.

Neque materiale peccati vt ſic Deo tribuendum.

Digitized by Google

Nona instantia contra dictam responsionem.

Dices Indifferentia causæ ad concurrendū ad actus diuersos, aut diuersis modis, non obstat quominus dicatur iure & proprie causa effectus ab ipsa procedentis, vt patet in habitu, v.g. caritatis, à quo prouenit actꝰ amoris Dei, & odium peccati; & in potentia intellectiua, quæ est potentia vniuersalis, & indifferens ad cognitiones varias prout determinatur à specie, & obiecto; in sole, qui est causa vniuersalis, & tamen dicitur causa plantæ, animalis, auri, &c. Igitur Deus erit causa actionis malæ, etiamsi indifferentem offerat concursum, qui determinatur à voluntate creata.

Deinde concurrit ad actionem secundum omnem rationem quam habet in indiuiduo, ergo non ad ipsam vt ens quoddam physicum, qui est gradus metaphysicus, & non potest esse terminus actionis vllius, si quidem omnis actio singularis est termini, & obiecti singularis: hæc autem actio indiuidua est connexa necessariò cum tali priuatione, ergo causa vnius est causa alterius, quia consideratio eius vt actio est præcisè à priuatione est tantum per intellectum, connexio autem est à parte rei, & ideo causa actionis est etiam causa connexionis inseparabilis in istis circunstantiis, quæ est difficultas primaria. Si dicas quod causæ actionis indifferenti non tribuitur priuatio, quia nec determinatio, contra est.

Tertiò, quia non obstat quod concursus vt est à Deo determinetur à concursu vt est à voluntate; tum quia realiter per re est vna, & eadem actio indiuisa ab vtraque causa, & proinde nullum est determinatiuum, aut determinabile nisi per rationem distinguentem, quod non est sufficiens vbi agitur de reali determinatione; tum quia determinatio non impedit malitiam in causa determinata, si actio careat debitis circunstantiis: nam in sententia probabili quod potentiæ animæ distinguantur ab anima, voluntas determinatur ab anima simul agente; & tamen peccat si non confirmetur ratione, ergo quod Deus velit determinari suum concursum indifferentem à voluntate creata, cui se accómodat, non sufficit ad assignandam rationem cur non sit causa peccati.

Ad 1. respondeo Talé indifferentiam cum aliis conditionibus obstare ne Deus dicatur causa actionis malæ: tales sunt quod ita sit paratus ad oppositā concursus eius, vt tamen quantum est de se inuitet ad bonum, & retrahat à malo: quod ad istud concurrat ad modum causæ naturalis, ac necessariæ permittentis se determinari à voluntate creata, cui subordinatam voluit esse suam, vt libertas eius esset completa habens omnia requisita ad operandum pro libito; & proinde etiam paratum concursum ad partem quam voluerit; quod non intendat operationem ad quam se determinat creata voluntas sine debitis circunstantiis; sed fungi munere conditoris iuxta suam altissimam sapientiam, & similia quæ superius explicata sunt.

Et hinc patet ad exempla adducta in argumento: omnes enim causæ in eo numeratæ determinatæ sunt ad effectus quos causant ex sua natura, & habent illos pro fine. Deus autem non applicat potentiam suam cum vlla determinatione, sed illam permittit voluntati creatæ, quæ si eligat malum, præter intentionem Dei eligit, & ipsa dicitur tota causa, quia determinatio vt sic tota est ab ipsa, licet in ratione principij operatiui compleatur à potentia diuina per modum habitus, non tamen inclinantis ad determinatum effectum, sed solum inseruientis ipsi ad se determinandum prout voluerit, atque ita negatur consequentia argumenti, quia est disparitas inter indifferentiam Dei, & reliquam.

S. Bonau.

Responsionem hanc confirmat quod habet S. Bonau. in 2. d. 34. a. 1. q. 2. vbi docet naturam esse agens determinatum, vnde semper intendit quod melius est, & operatur secundum leges sibi à Deo inditas; ideirco si quid illi est malum, præter intentionem naturæ est, secus accidit in voluntate deliberatiua quæ non est agens determinatum, sed seipsum determinans; & ideo non semper intendit quod est melius, quia libertate vti potest in deterius. Hinc enim sequitur Deum qui se gerit vt causa naturalis concurrendo cum voluntate creata ad malas operationes, quantum est de se illas non intendere, sed meliores. Deinde non imputari ipsi quod operatio sit mala, sed voluntati cui munus relictum est eligendi, & determinandi actionem; sed cum incitatione ad bonum, & remorsu mali.

Natura est agens determinatū, voluntas non.

Neque rursus hic regeras ergo voluntas creata est prima causa, quia totam facultatem habet se determinandi, & non ipsa à Deo, sed Deus ab eius determinatione pendet in concurrendo.

Nam determinare se non potest sine potentia diuina simul concurrente; & quidem prius prioritate independentiæ, nobilitatis, vniuersalitatis vt supra dictum est; sed non natura in ipsam vel in effectum influente; vnde nec dicitur pendere Deus à voluntatis determinatione, sed solum se accommodare illius naturæ; in quo maxime elucet eius potentia, quia quod voluntas creata hoc possit ab eius volūtate increata est; & ab eius simul sapientia ordinatissime cuncta disponentis quod ipsam non destituat suo concursu etiam ad malum.

Ad secundum, quando dicitur Deus concurrere ad actionem malam, vt ens quoddam physicum est & bonum quoddam naturæ, non est sensus quod attingat rationem entis in communi, & abstractam, vt quidam affingunt Mol. 1. p. q. 14. art. 13. dub. 6. attingit enim totam entitatem actus indiuidui, & non gradum metaphysicum; sed sensus est quod eadem entitas varias habet formalitates, & respectus, iuxta diuersitatem causarum à quibus fit, & diuersum modum dependentiæ, idque præciso opere intellectus, licet per illud explicetur totum fundamentum quod est à parte rei. Itaque ratio hæc in indiuiduo est necessariò connexa cum priuatione attentis omnibus circunstantiis loci, temporis, aduertentiæ, &c. Sed non vt respicit primam causam, quia ab illa non potest esse defectus, & ideo quamuis respiciat illam vt hæc est in indiuiduo; non tamen vt habet defectum, sicut neque vt est prohibita, aut digna pœna, quia

Quomodo dicatur Deꝰ attingere actionem malam vt ens physicum.

Digitized by Google

hæ conditiones conueniunt quidem ipſi vt hæc eſt, ſed eſſe hanc numero accipit à Deo ſimul & à creatura, iuxta modum operandi vtriuſque, & proinde à Deo vt cauſa perfecta, à voluntate vt cauſa deficiente, quæ concurrendo ad bonitatem naturæ cum illo, priuat bonitate moris actum, quia non ſeruat debitas circunſtantias; & ita connexio priuationis moralis ab ipſa ſolum eſt.

Inſtabis Deus concurrit ad actionem in iſtis circunſtantiis cum quibus eſt annexa priuatio, ergo vult priuationem, ſine qua non eſt hæc numero actio, quia non poteſt velle actionem hanc & non velle annexa neceſſario. Neque valet dicere quod hæc actio poteſt eſſe ſine priuatione, puta ſi fiat ſine aduertentia, quia ſupponitur aduertentia.

Reſpondeo ex S. Bonau. in 1. diſt. 46. art. 1. q. 2. ad argum. quod volens voluntate antecedenti aliquid, vult etiam illi annexum; non autem qui voluntate conſequenti, qualis eſt in Deo reſpectu peccati quod ex te non vult, & ſolum concurrit, quia voluntas exigit concurſum, & illi ſe accommodat vt conditor naturæ.

Ad tertium nego aſſumptum. Ad primam partem probationis, iam dixi cauſam primam determinari à ſecunda libera, quia vult ſe illi accommodare, & coagere id quod ipſa eligit, & ſic determinatiuum eſt diſtinctum à determinabili, & nullam habet ſuperioritatem in determinabile, neque vllam actionem in illud, ſed ſolum comitanter cum illo.

Ad alteram partem, cauſa libera determinata ad agendum à ſuperiori cauſa determinatione antecedente effectum non peccat, quia non poteſt poſita tali determinatione operari oppoſitum eius ad quod determinatur; determinata item ab inferiori cui vult ſe accommodare, non peccat concurrendo quia ſuppoſita lege creationis debet concurrere; & quidem iuxta exigentiam cauſæ creatæ liberæ, quæ poſtulat concurſum ad id quod elegerit; & ideo ſi concurrat ad malum, non eſt cauſa mali, non præciſe ex hoc quod determinatur à voluntate creata, ſed ex aliis capitibus ſupra numeratis.

Quod autem dicitur de voluntate, quòd determinetur ab anima, facile negatur; quia ſi ſubſtantia eſt per ſe actiua, immediate influit ſimul cum potentiis in operationes. Et non determinat voluntatem; multo minus, ſi non eſt immediate actiua.

Altera pars argumenti contra concurſum immediatum Dei ad peccaminoſam actionem, quia nimirum Deus diceretur peccare, probatur.

CAPVT IX.

PRimò, Quia actio mala eſt diſformis legi Dei, & rationi; ergo concurrens ad illam operatur aliquid diſforme rationi, quod eſt peccare.

Nec valet dicere vt ſupra, quod quatenus mala, non eſt à Deo quia intendit bonum; & cum hac intentione offert concurſum indifferentem; nam offerre concurſum ad malum etiam cum intentione boni illicitum eſt; & ideo peccat homo offerens ſuum auxilium alicui indifferenter ad bonum, & ad malum vt voluerit eo vti operans, etiamſi addat conſilium ad bonum, & non intendat malum. Et ratio eſt, quia quod in ſe malum eſt reſpectu cuiuſque malum eſt, & fieri non poteſt bonum ex circumſtantia, vel fine oppoſito bono.

Secundò, Actio quæ poſita aduertentia eſt mala, ſi fiat ſine aduertentia non eſt mala, & tamen non licet ad eam inducere aut cooperari etiam ob finem bonum. Ideo peccarunt filiæ Loth procurantes incæſtum, in quo Pater dormiens non peccabat, Geneſ. 19. & S. Auguſt. in pſal. 59. damnat quod non poſthabuerint fœcunditatem inuerecundam pudicæ ſterilitati. Igitur licet actio conſiderata vt ens quoddam eſt phyſicum non ſit mala; tamen ſi aliunde habeat hic, & nunc malitiam, nefas eſt ad illam inducere, & proinde etiam concurrere; quia quod intrinſece malum eſt, non poteſt vllo fine extrinſeco bono honeſtari, vt ſupra diximus de mendacio.

Nec valet dicere quod Deus concurrit tanquam cauſa vniuerſalis, & indifferenter parata ad oppoſita: quia hoc ipſum eſt in quæſtione, an liceat offerre concurſum ad malum, & an ſit poſſibile Deo qui eſt ipſa ſanctitas non potens operari malum, quod eſt impotentiæ. & ego arguo contra te non poſſe, quia actio intrinſece hic, & nunc eſt mala, & non poteſt vllo fine honeſtari, proinde neque Deus ad illum concurrere vt munus conditoris tueatur; quia hoc non ſe extendit ad illa quæ Deum dedecent ſumme ſanctum, & ſatis ſaluatur in conſeruatione rerum quas condidit ſine concurſu ad malum.

Tertiò, ſi Deus per poſſibile, vel impoſſibile reliquiſſet mundum à ſe conditum alicui creaturæ ſupremæ inter intellectuales producibiles, non potuiſſet illa offerre concurſum ad malum, neque cooperari creaturæ inferiori illud patranti; igitur neque reſpectu Dei conueniens eſt huiuſmodi concurſus. Antecedens probatur, quia per te hoc licitum eſt Deo, eo quod ſit prima cauſa vniuerſalis, & primordialiſſima omnium entium, qualis non eſſet illa creatura ſuprema. Conſequentia patet, quia nulli creaturæ intellectuali competit vis faciendi malum, etiam ſi competat in creaturas inferiores, alioqui malum non eſſet malum, quia eſſet licitum habenti vis in illud.

Quartò, ſi Deus decreuiſſet concurrere ſolum ad actiones prauas cum voluntate creata, huiuſmodi decretum, & lex non fuiſſent bona, ergo neque bona ſunt de concurſu indifferenti. Antecedens patet, quia tunc voluntas creata non potuiſſet facere bonum, ſed tantum malum, quia defuiſſet ſibi concurſus ad bonum; dedecet autem diuinam bonitatem velle tantum concurrere ad malum. Sequela probatur, quia illa lex non eſt bona quæ comprehendit euentus, quos ſi comprehenderet ſolos, eſſet iniqua; v. g. quæ omnes ſubditos obligaret ad militiam, vel ad ſtudia legum

Digitized by Google

ciuilium, &c. multo magis ſi ad aliquas operationes contra iuſtitiam, vel temperantiam.

Quintò, Per te non eſt admittenda phyſica prædeterminatio in voluntate creata, non ſolum quia repugnat libertati & inducit neceſſitatem; ſed ob id maxime quod dedecet ſanctitatem Dei præmouere ad actiones malas etiam materialiter ſumptas; ſed multo magis indecens eſt immediate illas operari. Igitur vel ex hoc capite nulla eſt repugnantia prædeterminationis, vel eſt etiam ſimultanea cooperationis: tollatur ergo vtraque, & lis tollitur.

Ad primum, diſtinguo antecedens: actio mala eſt difformis rationi quatenus caret debitis circumſtãtiis, ſeu vt formaliter dicit malitiam, concedo antecedens; vt ens quoddam eſt poſitiuum nego; ſic enim eſt bonum naturæ, & vt tale fit à Deo, & tunc

Ad inſtantiam reſpondeo quod offerre concurſum indifferentem ad malum, & bonum eſt inconueniens reſpectu primæ cauſæ, quia reſpectu eius non eſt mala actio vt ſupra diximus: & proinde non dicitur malum honeſtari fine bono ab ipſo intento; ſed bonum phyſicum intendi ob fines optimos. Atque ita quod eſt intrinſece malum reſpectu cuiuſcumque malum eſt; ſed Deus non cauſat illud quatenus malum eſt, quia concurrit vt naturæ auctor ad bonum naturale quod habet creatura quælibet, atque adeo actio, quicquid illa ſit, & quomodocumque diſtincta à termino. Secus eſt de offerente ſuum concurſum ad furtum, vel aliud malum, à quo abſtinendum eſt etiam vt actio materialis eſt, vt S. Bonau. in 2. d. 37. Nec competit vlli creaturæ ius ad concurrendum etiam quoad materiale, vt competit creatori ſuppeditanti creaturæ quod exigit ius creationis, & libertatis collatæ.

Ad ſecundum, Nego antecedens ſi ſumatur vniuerſaliter: nam quædam ſunt actiones, quæ reſpectu vnius ſunt malæ, non autem reſpectu alterius, & illæ ſunt licitæ vni, v.g. petere Sacramentum hic & nunc à Parocho miniſtraturo in mortali, & illud recipere, cooperatio in hoc caſu operanti malum non eſt mala, ſed bona. Et idem eſt in recipiente pecunias ab vſurario fœnerante. In Principe deſignante locum ſcortis ad habitandum, quod eſt exemplum Bellarm. de amiſ. Gratiæ l. 2. c. 18. vel in duobus locantibus eandem domum, quorum alter ex fine bono, alter ex prauo commodum conductori præſtat habitaculum. Poteſt ergo eadem actio etiam poſita aduertentia eſſe bona reſpectu vnius, mala reſpectu alterius; & tunc cauſa concurrens ad illam ex fine bono, non dicitur concurrere ad malitiam illi aduenientem ex mala intentione alterius.

Eadem actio poteſt eſſe bona reſpectu vnius, & mala reſpectu alterius.

Ad exemplũ filiarum Loth, in primis ex illo manifeſtum eſt eandem actionẽ reſpectu vnius eſſe poſſe malam, quæ talis non eſt reſpectu cooperantis: Idem namque incæſtus reſpectu filiarum fuit peccatum, quia vt S. Thom. in 4. diſt. 33. fuit leuis æſtimatio ſupra quam ſe fundarunt; ipſe tamen Loth non peccauit, quia dormiens concubuit, licet culpabilis fuerit ebrietas, vt S. Thom. 1, 2. q. 150. art. 4. ex eodem S. Auguſtino.

Filiæ Loth peccarunt.

Deinde ex illo nihil inferri poteſt contra concurſum immediatum Dei; nam filiabus Loth non licuit actio mala, etiamſi parenti non eſſet mala in ſomnis operanti; Deo nullus concurſus eſt malus, quia omnis eſt phyſice in ſe bonus; & moralis malitia à creata voluntate eſt.

Ad inſtantiam ſatisfit quæſtioni per hoc quod actio hic, & nunc mala defectu circunſtantiarum, eſt ens quoddam, & bonum, ſecundum ſe, & proinde pendens à prima cauſa, ſicut cætera entia creata; & ad illam dico neceſſarium eſſe concurſum immediatum, & non dedecere ſanctitatem Dei; quia commendat potentiam eius, & declarat creaturæ indigentiam; neque ex hoc inferri poſſe quod Deus ſit cauſa peccati, quia totus defectus eſt à voluntate creata; & concedo quod vt mala eſt, non poteſt vllo bono fine honeſtari, ſed Deus non concurrit ad illam vt mala eſt moraliter; ſed vt bona naturaliter iuxta dicta.

Ad tertium, caſus eſt impoſſibilis, ſed illo admiſſo, nego antecedens: ad probationem, Deus communicaſſet illi creaturæ munus primæ cauſæ; & ideo ad ipſam pertinuiſſet res condras adminiſtrare iuxta exigentiam naturæ ipſarum, & ita cauſis liberis præparare concurſum indifferentem ad oppoſita. Neque hoc eſſet ius habere ad malum, ſed ad bonum, qualis eſt entitas phyſica actionis, ad quam debuiſſet tunc concurrere, vt de facto concurrit Deus.

Ad Quartum, nego ſequelam: ad probationem nego aſſumptum; nam poteſt lex eſſe mala ſi obliget ſubditos ad vnum, quod eſt contrà libertatem rationabiliter illis debitum; & contrà bonum publicum, & regimen politicum, quod neque augeri, neque conſeruari poteſt poſita lege violenta: Et vice verſa erit bona ſi obliget ad exercitium aliquod ſtatui cuilibet conueniens. Sic decretum concurrendi ſolum ad actiones malas dedecet ſanctitatem Dei; at concurrendi indifferenter decet ſapientiam in conſtitutione ordinis vniuerſi, ad quem pertinet permiſſio peccati, & proinde concurſus indifferens.

Ad quintum, non ingredior fines à meo inſtituto alienos, de incommodis prædeterminationis, breuiter, quod pertinet ad ſolutionem argumenti, nego paritatem: nam quod voluntas pro ſua libertate eligat malum, ſi velit, à ſua defectibilitate habet, quam Deus non ſemper erigere vult, aut fulcire efficaciter ne labatur: Quia melius iudicauit de malis bene facere, quàm mala nulla eſſe permittere, vt S. Auguſt. in Enchir. cap. 27. Si autem prædeterminaret phyſice, quomodo in ipſam refundatur cauſa mali, quæ ita præmouetur, vt in eius facultate non ſit neque tollere præmotionem, neque illa poſita impedire operationem ab illa inſeparabilem, quia implicat contradictionem poni præmotionem, & ſeparari ab ipſa terminum ad quem tendit. Atque ita Deus diceretur cauſa defectus quem voluntas impedire non poſſet; non item, ſi oblato cõcurſu indifferenti neceſſariò ad operandum permittat libertati vſum ipſius.

Digitized by Google

Quintum argumentum ex repugnantia determinationis ad indiuiduum actum malum.

CAPVT X.

EST peculiaris difficultas de actu malo præter dicta de determinatione ad indiuiduũ in communi in sententia referente illam ad Deum, quam probabilem putamus.

Primò, Quia positis omnibus antecedentibus operationem malam, adhuc voluntas est libera, & nihil est in ea, ratione cuius Deus videat quod sit se determinatura ad malum; hoc enim hactenus assignatum non est; quomodo igitur decernit determinationem actus in indiuiduo cum defectu & non potius sine defectu futurã, si quidem voluntas etiam ad hanc se determinare potest, & in illo priori quam se ipsa determinet non postulat quod Deus determinet indiuiduam actionem in vna specie potius quàm in opposita; quæ difficultas potissimũ locum habet in actionibus malis quas Deus determinare pro sua sanctitate, & potentia nequit, nisi voluntas creata exigat, & quærimus quid in illa sit quod exigat determinationem à Deo.

Quomodo Dei, & creaturæ voluntas se determinet

Secundò, Si attendatur determinatio formalis, hæc est actio ipsa communis Deo, & arbitrio creato; & non est cur dicatur potius se tenere ex parte vnius quàm alterius; imo cum Deus sit causa magis principaliter influens, illi potius tribuenda est, quam huic: Si autem consideretur vt efficiens, & actiue determinans, tam Deus, quàm voluntas creata concurrit, vtraque est indeterminata ab alia, & vtraque se determinat operando; igitur non bene dicitur Deus concurrere ad actionem malam, quia voluntas creata se determinat, quia in actu primo neutra determinata est, in actu 2. vtraque se determinat; ergo creata non determinat increatam ad actionem malam, sed vtraque determinat se ex principiis, & virtute intrinseca producendo actionem, quæ formaliter est determinatio: At vero actio huiusmodi si sit mala non potest dici determinatiua concursus indifferentis, non solum quia supponit illum iam determinatũ, ex eo quod determinatus effectus supponit determinatam causam; sed ob id maxime quod neque formaliter, neque efficienter malum determinatiuum est boni, & indignum diuina sanctitate est subordinare suam voluntatem arbitrio creato, & inseruire illi in operibus quantumuis malis, permittenda vt abutatur sua potentia, & trahat secum, ac inuoluat in consortium scelerum: multo autem magis per te dedecet Deum esse determinatorem voluntatis ad mala; igitur satius est vtrũque concurrendi modum, nimirum antecedenter, & concomitanter abolere, siquidem vterque libertati arbitrij, vterque sanctitati Dei aduersatur; ac dependentiam causarum secundarum à prima, subordinationemque essentialem in conseruatione collocare, & confirmatur. Nam

Tertiò, Deus ideo concurrit ad actionem quia vult; & voluntas item creata quia vult; & non videt prius suam actionem quàm voluntatis, sed simul vtramque, imo eandem cum vna sit indiuisibiliter ab vtraque, vt supra Soarius; non ergo determinatur aut à voluntate Deus, aut à Deo voluntas ad malam actionem: & ex alia parte dicis Deum concurrere ad illam, quia voluntas se & illum determinat paratum ad vtrumque oppositorum; quod est facere quia voluntas facit, & non quia ipse vult, nisi quatenus subordinate ad voluntatem creatam vult, & ideo illi se accommodat coefficiendo non quod ipse, sed quod & quia illa vult, quæ non coharenter dicuntur.

Quartò, Quandoquidem vtraque voluntas Dei & hominis in actu primo est indeterminata; in actu secundo est determinata formaliter per ipsam operationem cur dicitur determinari potius prima à secunda, quàm vice versa?

Non enim satisfit respondendo quod Deus subordinauit suam humanæ; quia si subordinasset humanam suæ vt postulat ratio creaturæ, nihil amplius poneretur à parte rei, quàm de facto sit positum, vtraque enim causa esset indeterminata in actu primo, & vtraque determinata in actu secundo per eandem operationem: quid ergo amplius ponit subordinatio propter quod referatur determinandi facultas in voluntatem creatam, aut quid decreto subordinandi in Deo respondet ex parte creaturæ diuersum ab eo quod responderet, si diceretur quod eadem actio quæ dicitur determinatiua vt procedit à volũtate creata de facto, diceretur determinatiua vt manat à Deo? Quæ instantia valet potissimum contra concursum ad actionem malam, quia non patitur Dei sanctitas vt dicatur determinationem ad actionem malam attendi penes respectum ad Deum; aut eandem actionem vt à Deo est determinatiuam esse sui vt à voluntate procedit: sublato autem concursu immediato auferetur simul, & determinatio huiusmodi vnius in alteram causam, & cessant lites.

Ad primam iam supra dixi nihil esse in voluntate præcedens operationem, ratione cuius moueatur Deus ad concursum vnius partis potius quàm alterius, præter ipsam libertatem, & indifferentiam actiuam, quæ in talibus circumstantiis posito decreto concursus vniuersalis, & applicatione suæ potentiæ ad hanc partem se determinatura est, ex vi suæ naturæ liberæ; & hoc videns Deus decernit actum in indiuiduo ex multis possibilibus, ne desit causis secundis non volentibus se determinare ad actus in indiuiduo, siue necessariò agant, siue liberè; quia etiam istæ egent determinante ad indiuiduum, vt operari possint id quod in specie possunt eligere tam bonum, quam malum; etiamsi ad malitiam non determinet Deus.

Causæ secundæ determinant concursum primæ.

Ad secundum nego antecedens, patet enim ex dictis cur eadem actio communis Deo & voluntati creatæ dicatur determinatio vt manat ab ista, quia videlicet causæ secundæ determinant concursum primæ ad particulares vniuersalium, sic postulante ordine vniuersi vt istæ attemperant suam virtutem illarum exigentiæ, vt S. Thom. 3. cont. gent. c. 66. Sic sol

cum

Digitized by Google

cum rosa producit rosam, & cum leone leonē; & vniuersaliter influentiæ superiores fiūt particulares iuxta capacitatem causarum inferiorum: quod in liberis etiam locum habet, & non haberet, nisi Deus accōmodaret se naturis ipsarum, & permitteret vt libere vterentur sua potentia ad quod volunt, quasi de cætero non curaret nisi quod voluntas vult quoad exercitium, & operationem. Quanquam igitur & Deus agat, & voluntas agat, & eadem actio sit vna, & eadem; tamen quia Deus se accommodat volunti, & paratus est ad opposita, dicitur determinatio vt est à voluntate creata actio communis, quia vt est à potentia diuina, est à causa parata ad vtrumque, & falsum est quod supponat illam determinatam in actu primo, & quod non possit actio mala dici determinatiua bonæ causæ in sensu explicato, aut quod sit Deo indignum inseruire creaturæ in operibus malis; cum potius commendet suam sapientiam, potentiam, bonitatem concurrere cum illa iuxta exigentiam suæ naturæ, & proinde etiam ad actionem malam vt ens quoddam est, & bonum naturale.

Respondeo quod in actione mala consideratur & entitas physica, & malitia moralis, & secundū vtramque determinat concursum Dei indifferentem, & non supponit determinatum aliquem, & quidem vt tale ens est physicum determinat ad talem bonitatem physicam. vt verò habet talem malitiam, determinare intelligitur suum materiale physicum de se indifferens ad bonitatem & malitiā moralem, quæ est determinatio quædam formalis proueniens à malitia comitante actionem. vt manat à voluntate creata in iis circunstantiis. Itaque negatur quod supponat concursum iam determinatum, cum ipsa sit eius determinatiua vtroque modo prædicto.

Ad 3. Hæc duo bene cohærent, Deus concurrit quia vult, & Deus concurrit vt voluntas creata vult; significatur enim quod Deus vult se accommodare voluntati creatæ concurrendo ad eam partem quam ipsa elegerit, quia vult illam operari libere, & suppeditare ex suo beneplacito omnia ad hoc necessaria, vt sunt concursus indifferens in actu primo, & cooperatio in actu secundo.

Ad 4. Si Deus habuisset decretum subordinandi voluntatem creatam suæ increatæ, & non accommodare se illi, sed illam sibi, totum obiectum ex parte creaturæ esset diuersum; quia tunc indifferentia voluntatis esset determinata ab operatione quæ esset necessaria, vtpote decreta à Deo independenter à voluntate creata. Omnis autem talis extrinseca determinatio tollit libertatē, & immutat modum connaturalem operandi voluntatis. Itaque negandum est quod assumitur in argumento, omnia tunc fore eadem vt sunt de facto, si Deus non subordinasset suam voluntatem creatæ, sed vice versa, non quia de facto non maneat essentialis subordinatio voluntatis creatæ ad diuinam, sicut & reliquorum entium omnium, quæ in esse, & operari ab ipsa pendent; sed quia cum ea stat voluntas accommodandi se libertati causæ liberæ, in quo etiam elucet potentia creatoris, & subordinatio creaturæ agentis concursu eius, & libere vtentis, vt ille voluit ob causas supra allatas.

Quomodo creatur Deus subordinare voluntatē suam creatæ.

Sextum argumentum ex repugnantia productionis actus mali à solo Deo.

CAPVT XI.

DEum posse solum efficere quicquid cum causa secunda facit, axioma est à Theologis receptum, & contrariū asserrere erroneum vocatur à S. Thom. 1. p. q. 105. art. 2. non semel citato. & rationem reddit Suar. in Metaph. disp. 48 sect. 2. n. 12. quia cum Deus solus sit ipsum esse per essentiam, eminenter continens omne esse participabile, per se solus est sufficiens principium actiuum cuiuslibet esse hinc deducens posse Deum se solo producere actus immanentes, quatenus sunt quædam qualitates sine concursu actiuo potentiarum. Igitur si concurrit immediate cum voluntate ad actus peccaminosos, potest etiam se solo illos producere. Consequentia patet, quia actus isti materialiter sumpti sunt aliquod bonum physicum, & non sunt mali nisi vt procedunt in libero arbitrio, vt ex dictis constat; ergo Deum nihil vetat posse producere ex hoc capite quod sint mali. Contequens est contra superius dicta de habitu malo, quem negauimus à Deo producibilem esse, etiam quoad entitatem physicam de se inclinatiuā ad malum; multo enim minus producibilis est entitas actus mali, per quam formaliter redderetur mala voluntas, & volens atque hoc præter alia argumenta paulò post addenda, affertur ab aduersariis ad hominem concedentem quæ sumuntur in antecedente. Et quidem negantes actus vitales posse produci independenter à potentiis vitalibus, non solū vt dicunt viam ad terminos suos, sed etiam vt præcise accipiuntur pro terminis, seu qualitatibus productis, & ex natura rei distinctis, vt essentialiter tamen connexis, varios excogitant modos eximendi ipsos à communi axiomate argumenti, vt negent sequelam, iuxta distinctionem adhibitam antecedenti; sicut & qui non distinguunt terminum ab actione ipsa nisi ratione.

Deus se solo facere potest quod cum causa secunda facit. Suar.

Verum in quæstione philosophica de distinctione actionis vitalis à suo termino, suppositis quæ dicta sunt disputatione tertia in fine, & considerata solum entitate eius vt bonum quoddam est, satisfieri potest argumento per communem distinctionem Theologorum superius traditam de materiali, & formali huiusmodi actuum, vel enim considerantur specificatiue, vt dicunt rationem positiuam vitalem non solum abstracte, sed in concreto, & quantum ad caput sanctitatis, à quo fit instantia, nihil obstat quin à Deo sint producibiles: vel considerantur reduplicatiue, vt dicunt defectum, & habent denominationē peccati: puta odij Dei formalis, desperationis, &c. certum est à Deo producibiles non esse, à quo malum esse non potest, sed solum à libero arbitrio quod est causa deficiens, vt supra. In quo est disparitas de habitu malo, hic enim ex sua natura & essentia habet inclinare ad vitium, & peccatum; & ad illud determinare voluntatem non necessitando, sed per modum naturæ, & ponderis cuiusdam inclinando, & trahendo; & ideo non est à

Non est producibilis à Deo solo habitus positiue inclinans ad malum.

Digitized by Google

Deo ſolo producibilis, quia eſſet auctor mali, vtpote producens ſe ſolo, & vt cauſa particularis principium peccati, hoc eſt determinatiuum ad peccatum ſolum, ſine indifferentia ad bonum: à Deo autem eſſentialiter bono, & fonte omnis bonitatis, non poteſt prodire effectus tam malus, qui ſit ſolum cauſa mali, & deordinationis, ſicut nec ab eadem vena dulcis aqua, & amara.

Confirmatur, quia non eſt producibilis voluntas quæ ſua natura ſit propenſa ad malum ſine facultate operandi bonum, quia cauſa eius productiua non poteſt eſſe niſi bona voluntas, & à bona voluntate prodire malum reputat impoſſibile ſanctus Auguſt. lib. 12. Ciu. cap. 6. & alibi. Et ſicut non eſt poſſibilis inclinatio moralis ad malum à Deo fieri, ita nec phyſica.

S. Auguſt. At vero entitas ipſa actus mali ſecundum ſe conſiderata, eſt ens quoddam phyſice bonum, & moraliter indifferens ad malitiam, & bonitatem, prout fit cum libertate, ac aduertentia, vel abſque illis, nam eadem volitio comeſtionis, quæ ſine aduertentia ad obligationem ieiunij, non eſt mala; hac aduenient, ſi perſeueret, mala eſt. Et idem odium Dei intrinſece malum, ſi libere acceptum duret in amentia, amittit malitiam moralem, quam prius habebat manente iudicio rationis, in ſententia probabili de qua ſupra; Igitur ex hoc capite nihil obſtat quo minus à Deo fieri poſſit, cum ſit ens quoddam phyſice bonum, & carens malitia morali, quæ non eſt niſi à cauſa deficiente.

Dices repugnare ex alio capite quia actus vitales eſſentialiter pendent à potentijs vitalibus, ſiue diſtinguantur à terminis, ſiue non.

Reſpondeo nunc eſſe quæſtionem, an præciſe repugnantia ſit ex ſanctitate Dei, an vero ex alio capite, infra patebit: interim non repugnare docent plures veterum, ac recentium Theologorum Greg. in 1. diſt. 1. q. 3. art. 2. & diſt. 42. q. 1. ad primum contra 2. concl. & in 2. diſt. 37. q. vn. art. 3. ad quintum in 2. q. 19. Gabr. in 1. d. 42. fin. & in 2. diſt. 7. q. vn. art. 2. & diſt. 37. q vn. art. 3. dub. 3. Capr. in 2. diſt. 37. q. 1. art. 3. prope init. Conr. 1. 2. q. 79. art. 2. 3. Val. 1. 2. diſput. 6. q. 9. pun. 1. fin. & alij plures apud Ruiz devol. d. 41. ſect. 1. qui contra illos obiicit

Dei in 2. d. 37. art. 3. q. 1. 2.

Primò, quia aliquæ operationes ita ſunt intrinſece malæ, vt nullo modo malitia ſeparari ab illis poſſit per cuiuſcumque circunſtantiæ mutationem, ex S. Auguſt. lib. cont. Mendac. cap. 7. & Innoc. 3. c. ſuper eo de vſuris, inferens quædam peccata eſſe indiſpenſabilia, vt ſunt mendacium, & vſura. Ergo non poſſunt à ſolo Deo produci, quia retinent intrinſecam malitiam à quocunque producatur, & ob quemcunque finem.

S. Auguſt.

Secundò, Reddit rationem huius S. Thom. in 1. diſt. 47. q. vn. art. 4. c. Quia cum actus ex obiecto ſpeciem trahat, conſtat huiuſmodi actus (odium Dei, deſperationem, &c.) etiam ſecundum ſpeciem in genere naturæ malos eſſe: Vnde ab eis talis inordinatio auferri non poteſt, &c. Igitur præciſa etiam morali imputatione à libertate creata prouenient, mali ſunt ex ſua natura quia deordinant, & auertunt à Deo, vt à fine, vnde nec poſſunt ad illum ordinari. Illa quippe entitas odij quidditatiue habet tendere in obiectum malum, vtpote in malum Dei. Igitur hæc ſola tendentia, quicquid ſit de termino, mala eſt. Conſonat S. Bonau. in 1. diſt. 47. art. vn. q. 4. diſtinguens malum in id quod eſt ſecundum ſe tale, & poteſt honeſtari aliqua circunſtantia; & id quod eſt malum in ſe, & non poteſt vllo modo reddi bonum.

S. Thom.

S. Bonau.

Tertiò, Alias ſequeretur eſſe iuſtum, & bonum pendere à voluntate Dei vnde & ſi mentiri vellet, & fidem violare promiſſorum, eſſent hæc omnia bona, & iuſta; & tamen non conceditur etiam à te abſurdum tam patens.

Quartò, Indignum Dei ſanctitate eſt, vt ſolus efficiat, quod à voluntate creata partialiter produci iniquum eſt; nam quod intrinſece malum eſt, & rationi contrarium, id omne indignum diuina volitione, & cauſalita e, multo magis quàm creata: ac iniquum eſt produci operationem à voluntate, etiam materialiter mala, quia etiam illa, & non ſola formalis malitia prohibita eſt, & Deo diſplicens vt ſupra conceſſimus, ergo & à ſolo Deo produci indignum eſt.

Pro ſolutione aduerte in vniuerſum, quod admiſſa diſtinctione communiter recepta mali in id quod eſt intrinſece, & per ſe malum, & in id quod per accidens, & extrinſece ex aliqua ſuppoſitione præcepti, aut ſimilis circunſtantiæ accidentaliter adnexæ operationi; ad vtrumque requiri vt fiat à voluntate cum ſufficiente aduertentia rationis videntis malitiam, & obligationem abſtinendi ab illa; quæ aduertentia ſi deſit, actio quæ peccaminoſa eſſet, deſinit eſſe peccatum, & retinet tamen bonitatem phyſicam, vt patet in motibus indeliberatis, qui quandiu non aduertuntur, nec admittuntur libere, peccata non ſunt, etiamſi ſint deſperationis, & odij Dei; quandiu enim abeſt aduertentia neceſſarij ſunt, & non imputantur ad culpam, quæ non eſt niſi voluntaria ſit, ac libera: ſignum ergo eſt etiam ad illa quæ dicuntur per ſe ac intrinſece mala, non ſatis eſſe ad malitiam moralem quod ſint tendentia in tale obiectum, vel fuga ab eo, ſed præterea requiri aduertentiam prædictam; conſequenter hac præciſa nihil obſtare quo minus à Deo ſolo produci poſſit illa entitas, quæ bonum quoddam eſt in genere naturæ, & non mala, niſi vt in tali ſpecie moris, in qua non conſtituitur à Deo accommodante ſuum concurſum determinationi voluntatis creatæ, alioqui indifferentem, & paratum ad omnem ſpeciem: dato autem quod talis entitas ab ipſo vt cauſa particulari ſine concurſu creaturæ fieret, non magis vitiaretur, quàm cum fit vt à cauſa vniuerſali concurrente creatura; ſi enim actio mala vt ab illo eſt, mala non eſt, ſed vt à voluntate creata; cur mala erit, ſi ab ipſo ſolo procedat? nam ſicut lege conditoris, & conſeruatoris vniuerſi addixit Deus ſuam potentiam obſequio creaturarum, & liberarum arbitrio ex ſua liberalitate ſubordinatam voluit ſine præiudicio ſanctitatis, quando illa abuntur, quia

Ad malitiã requiritur aduertẽtia.

concurrit ſolum ad bonum, quod in operatione mala commixtum eſt, poterit ex alio fine ſolus per ſe idem bonum efficere, quod eatenus tantum malitiam contrahit, quatenus ipſi inuritur non volente in iis circunſtãtiis ſegregare pretioſum à vili, ideſt malitiam moralem comitantem talem actum à norma rationis declinantem, qui tamen de ſe non declinaret, vt ens phyſicum eſt, aptum fieri cum aduertentia, & abſque illa; & proinde non intrinſece malus, neque ex obiecto refundente malitiam, quandoquidẽ circa idem verſari poteſt libere, & neceſſariò. Pro quo aduerte ſecundò quod quemadmodum actus phyſice non ſpecificatur ab obiecto materialiter conſiderato, vt ſuppono ex communibus principiis de diſtinctione ſcientiarum, tam quoad habitus, quàm quoad actus, qui ſpecie diuerſi verſari poſſunt circa idem materiale obiectum in diuerſis ſcientiis; ita & in moralibus idem poteſt eſſe obiectum materiale differentium actuum in genere moris; & ideo recurrendum eſſe ad formale, tanquam ad diſtinctiuum, inquantum videlicet concurrit obiectum pro ſua parte ad diſtinctionem ſpecificam) quæ formalitas cum variè aſſignetur à variis, in propoſito penes illud ſtatui poteſt, quod obiectum idem in eſſe naturæ, & materialiter, vt eſt attingibile à potentia aduertente, & obligata tali modo verſari circa illud proſequendo, vel fugiendo, concurrit ad conſtituendum actum in genere moris bonum, vel malum; vt vero attingibile à potentia non aduertente neque obligata verſari hoc vel illo modo; ſed neceſſitate aliqua tendente in illud, ſpecificat ſolum in genere naturæ, & quoad eſſe phyſicum; ſicut idem obiectum vt attingibile à potentia eleuata per auxilium ſupernaturale ſpecificat actum ſuper. turalem; vt à potentia per vires proprias operante, ſpecificat naturalẽ hinc eſt quod idem motus deſperationis eſt eiuſdem obiecti, quando in eum prorumpit voluntas, præueniente paſſione lumen rationis, ac neceſſario operante; & quando eo prælucente incipit oriri aduertentia malitiæ, & obligationis deſiſtendi; ſed in primo caſu obiectum non reddit actum malum; in ſecundo reddit, quia in vtroque habet diuerſam formalitatem, ſeu attingibilitatem, & ideo ex ſe eſt indifferens ad malitiam & bonitatem actui communicandam, quibus poſitis reſpondeo ad argumenta.

Idem obiectum materiale poteſt eſſe actuum ſpecie differentium.

Obiectum vt attingibile à potentia cum aduertentia concurrit ad conſtituendũ actum in genere moris.

Ad primum, operationes intrinſece malæ non dicuntur tales, ex eo quòd entitas phyſica illarum ſit mala, ſed quia circa obiectum formaliter malũ verſantur; quo poſito honeſtari non poſſunt, & ſunt indiſpenſabiles; ſed mutata formalitate dante malitiam, remanere poteſt eadem entitas, & tendentia phyſica ſine malitia morali; & à Deo ſolo produci, niſi aliud obſtet quàm ſanctitas, cui non officitur ex productione boni phyſici: atque ita negandum eſt quod huiuſmodi operationes à quocumque agente fiunt, retineant intrinſecam malitiã; debent enim præterea habere idem obiectũ formale; ideſt eandem attingibilitatem à potentia, cuius conditio multum facit ad conditionem obiecti variandam; vnde & formaliter mutatur agens ſiue potentia tendens in obiectum iuxta varietatem formalitatis obiecti, & actus illud attingentis.

Operationes formaliter malæ verſantur circa obiectum formaliter malum.

Ad 2. ex dictis hac diſputatione, manifeſtum eſt, quòd S. Thom. in omni peccato diſtinguit entitatem actionis à malitia, & priuatione; & eſſe bonũ phyſicum fatetur & à Deo immediatè cauſari, hanc vero à voluntate creata vt à cauſa deficiente prouenire; cum aũtem malitia moralis eſſe nequeat ſine libertate operantis, certum eſſe debet actionem non imputari ad culpam niſi libere, & aduertenter fiat: quare negandum eſt actum aliquem neceſſarium deordinare à ratione, & auertere à Deo, quod non fit niſi à libere operante, & proinde tendentiam illam in obiectum materiale eſſe malam. Siquidem obiectum ipſum non eſt formaliter malum defectu aduertentiæ, & obligationis in operante, quæ nulla eſt vbi neceſſario quis operatur; atque adeo neque ab ipſo refunditur malitia in actum, refundenda ſi adueniente aduertentia, perſeueret. Dicitur tamen malus huiuſmodi actus in genere naturæ, quia totum eſſe naturale vitiatur per malitiam, & priuationem, quæ moralis eſt, vt connotat libertatem operantis deflectentis à regula rationis, ac rectitudinis debitæ: naturalis verò, vt ſequitur ex natura rei ad talem entitatẽ poſitiuã factam in iis circunſtantiis, quæ ſecũ trahũt defectum.

Entitas actionis diſtinguitur à malitia eius.

Ad S. Bonau. patet ex dictis; ſenſus eius conformis omnino eſt ſenſui S. Thomæ & S. Auguſt. neque eius diſtinctio eſt diuerſa ab illa quæ traditur ab ipſis, & aliis Theologis de malo in ſe ſeu intrinſece; ac per ſe ſiue eſſentialiter; & de malo per accidens, ac extrinſece ex aliquo præcepto poſitiuo violato: quorum primum poſita aduertentia, & libertate, honeſtari non poteſt, vt eſt mendacium, odium; Dei, &c. alterũ ſublato præcepto, aut mutata circunſtantia poteſt; vt comeſtio quæ ſublato præcepto ieiunij, aut poſita ægritudine non vetatur, & ideo deſinit eſſe mala, licet alias mala eſſet durante præcepto, ac ſanitate. Cæterum cum in eius ſententia vtriuſque mali ſubſtratum, ſiue actio ipſa vitalis ſit ens quoddam, ac bonum, & vt ſic à Deo fiat, poterit etiam ab ipſo ſolo, ſi aliud non obſtet, quàm ſanctitas: nam poteſt habere fines bonos faciendi ſine concurſu voluntatis quod in ſe bonum eſt, & ſolum habet malitiam à voluntate.

Actiones intrinſecè malæ, & ex natura ſua, immutabiliter malæ ſunt.

Ad tertium negatur ſequela: nam quæ intrinſece mala ſunt ideſt circa obiectum formaliter malum verſantur operationes non habent malitiam dependenter à diuina voluntate, ſed ex natura ſua tales ſunt, & ideo immutabiliter ſunt malæ; cum quo tamen ſtat vt eadem materialiter ſumptæ, vt dicunt tendentiam in obiectum idem materiale poſſint fieri de bonis malæ, & vice verſa: ſed hic etiam diſtinguendum de actione ipſa, v. g. mentiendi, blaſphemandi, &c. nam dato quod à Deo fieret entitas illa materialis, non denominaret Deum mentientem, blaſphemantem, &c. quia non eſt formale mendacium, aut blaſphemia, neque dat denominationes prædictas, niſi ſubiecto apto illas admittere, qualis eſt ſola voluntas creata deficiens, & non diuina infinitæ perfectionis. Et ſicut nunc de facto

Digitized by Google

Deus concurrens ad actionem materialem mendacij, non dicitur mentiri, quia mentiri ſignificat operationem formaliter malam, & proinde complexum ex malitia & ſubſtrato eius, quod à creatura cauſatur ſecundum vtranque partem à Deo ſecundum vnam, quæ eſt entitas phyſica & bona naturæ bonitate, atque adeo ſecundum hanc producibilis ab ipſo ſolo, ſi alias non pendet eſſentialiter à creatura, etiam ſecundum eſſe phyſicum.

Ad quartum, diſtinguo minorem: nam operatio materialis conſiderari poteſt vel præciſe vt entitas eſt; vel vt eſt ſubſtratum malitiæ, à qua in iis circunſtantiis eſt inſeparabilis. Primo modo non eſt iniquum produci à voluntate creata, quia plerunque operatur per modum naturæ ſine aduerterentia, & ei non imputatur ad culpam. Secundo modo eſt indignum & vetitum, ac diſplicens Deo, & impoſſibile produci ab eo ſolo, quia operatio vt ſubſtratum peccati, ſiue vt tale ens poſitiuum quod hic, & nunc fert ſecum neceſſariò priuationem malum quoddam eſt in genere moris, & non poteſt eſſe niſi à cauſa deficiente.

Operatio materialis poteſt dupliciter conſiderari.

Inſtabis producat ergo Deus entitatem illam actionis odij, ac deſperationis ſe ſolo in voluntate creata; afficiet, ac denominabit illam deſperantem, ſiquidem forma in ſubiecto apto dat denominationem; quod ſi illa eadem actio numero manans à voluntate denominaret deſperantem, cur non denominabit recepta, & afficiens intrinſece, quando producetur à Deo ſolo? hoc autem admiſſo ſequitur Deum eſſe cauſam efficientem deſperationis, & proinde etiam poſſe eſſe reliquorũ peccatorum, quod eſt abſurdum, & impium.

Reſpondeo dupliciter proponi poſſe hunc caſum; vel enim vis Deum producere actum deſperationis in voluntate, ita vt voluntas habeat ſe mere paſſiue, & vt cauſa tantum materialis receptiua illius; & hoc modo non dicetur neque deſperare, neque odiſſe quia iſtæ ſunt actiones denominantes ſolum potentiam à qua fiunt, & in qua recipiuntur, quod ſi non fiant ab ipſa dicentur materialiter afficere illas, ſed non dare formalem denominationem deſperandi, odiendi, &c. qui ſunt motus à potentia vitali effecti: vel 2. vis actus iſtos produci à Deo ſolo in primo fieri, & poſtmodum conſeruari ab ipſo, & à potentia & hoc eſt impoſſibile, quia ad actionem non datur actio, neque actio vitalis fit per aliam actionem vitalem, ſed ſeipſa manat & conſeruatur à ſuo principio.

Quod ſi per impoſſibile conſeruaretur per actionem diſtinctam à Deo, & à voluntate manante actus deſperationis entitas à ſolo Deo producta in primo fieri, tunc neque actus hic peccatum eſt quatenus conſeruatur à Deo, ſicut neque fuit peccatum quando primum productus eſt; neque vt conſeruatur à voluntate, quia conſeruatio entis quod malum non eſt, non reputatur peccatum, ſiue fiat ab agente principaliter, ſiue inſtrumentaliter concurrente: igitur voluntas non peccaret ex ſuppoſitione quod concurreret ad actionis illius conſeruationem, quæ ſi à Deo ſolo fieret non eſſet mala. Sed caſus aliunde eſt impoſſibilis, quia de ratione actionis vt ſic eſt dependentia à tali agente, & ideo non poteſt eadem actio numero, quæ eſt à voluntate creata, procedere etiam à Deo ſolo agente & poni in eadem voluntate, quia cum actio non ſiat per actionem, ſed ſeipſa immediate pendeat à voluntate, ſi poneretur à Deo ſolo in eadem voluntate, nihil plus, aut minus haberet voluntas, quàm ſi ipſamet illam actionem produceret, & tamen illum non produceret, quia à ſolo Deo ponitur produci: patet hoc, nam quando voluntas ſimul cum Deo operatur habet actionem, & recipit illam, & hoc immediate ſeipſa ſed per te habet eandem actionem numero à ſolo Deo productam, igitur ad ipſam non concurrit niſi recipiendo; at ſi producat cum Deo cum non producat per aliam actionem, nihil plus habet, quam cum ſola producit, vel aſſignetur quid ſit hoc amplius quod habet, ſi quidem in vtroque caſu eſt eadem actio numero idem intellectus, ac voluntas, idem Deus.

Rurſus ſi eadem actio quæ producitur à voluntate, poſſet à ſolo Deo produci, ſequeretur quod ſeipſa eſſet dependentia à voluntate, quia non dependet per quid à ſe diſtinctum; & non eſſet dependentia, quia ſi producitur à Deo ſolo, iam non eſt dependentia à voluntate. Vel ſi dicatur dependere per aliquid aliud, & non ſeipſa, præter abſurdum aſſignatum quod daretur actio ad actionem, adhuc quæſtio fieret de illo alio, an à ſolo Deo fieri poſſet; & ſi neges, idem negare potes de actione ipſa, cum non ſit maior ratio de vno quàm de altera: ſi aſſeras, ecce abyſſus, nam & de illo tertio quæro an pendeat ſeipſo, & cur non etiam idem aſſeris de actione? ſi non ſeipſo, igitur per aliquid aliud, & hoc per aliud, &c.

Concludo igitur actionem odij, deſperationis, & ſimilium peccatorum non eſſe producibilem à Deo ſolo, quia mala ſit ſecundum phyſicam entitatem; ſed quia ſeipſa eſt eſſentialis dependentia à ſua potentia vitali, loquendo præciſe de actione vt eſt via, ſiue tendentia ad terminum & ea mediante ad obiectum, non de termino ipſo, ſi diſtinguitur ex natura rei, quem Suarius putat produci poſſe à Deo ſolo, alij negant, vt ſupra diximus, diſp. 3. fin.

Actus odij, deſperationis, &c. non poteſt à Deo ſolo produci, & quare.

Inſtabis quia Deo qui eſt ſumma & prima veritas repugnat non ſolum errare, ac mentiri, ſed etiam erroris cauſam eſſe, & mendacij, etiamſi in mendacio nulla eſſet malitia moralis, ſed reſpectu proferentis, eſſet tantum materiale mendacium; ergo etiam quia eſt prima, & ſumma bonitas repugnat producere actionem materialem peccati ex ſe ſolo.

Ideo Soar. in Metaph. diſp. 44. ſect. 13. Coninct de fid. diſp. 10. dub. 2. ſal. 1. 2. in 1. 2. tract. 8. diſp. vn. ſect. 3. negant Deum eſſe poſſe cauſam mendacij aut mouere ad illud per ſe.

Reſpondeo aliud eſſe errorem, aliud mendacium formaliter: error eſt malum phyſicum, & poſſe à Solo Deo produci, & infundi intellectui tuetur Vaſq. 1. 2. diſp. 90. à n. 11. & 3. p. diſp. 61. n. 59. quem ſequitur Torres 2. 2. diſp 3. dub. 4. & alij plures apud ipſum: quin idem Vaſq. 1. 2. diſp. 186. n. 27. ait errorem conferentem ad actum moraliter bonum eſſe gra-

Digitized by Google

Discrimen erroris, & mendacij.

tiam ſpecialem per Chriſtum. At vero mendacium formaliter eſt malum morale oppoſitum ſanctitati; & idem de ipſo dicendum ac de reliquis malis, poſſe videlicet quoad materiale Deum eſſe cauſam illius, non quoad formalé malitiæ, quæ eſt à cauſa deficiente.

Septimum argumentum commune vtrique diſputationi ducitur ex ſolutione difficultatum, quibus premuntur duæ celebres ſententiæ ponentium prædeterminationem ex vna parte, & ex altera ſcientiam Mediam.

CAPVT XII.

SIc exiſtimat auctor quadripartitæ cauſam diſſidiorum reiiciens in poſitionem communem vtrique parti admittente concurſum immediatum Dei cum creaturis, quo ſublato concidunt omnia argumenta impugnantia prædeterminationem quæ illico euaneſcit, ſi non eſt neceſſarius concurſus iſte: ruunt item quæ contra ſcientiam mediam intorquentur, quæ longe diuerſa ratione tanquam emaculata, & non peremptæ concurſui mediato conſociatur, amandato decreto tam prædeterminandi, quam ſimul concurrendi.

Quomodo vero ſuſtinendum ſit & nomen, & ſignificatum ſcientiæ Mediæ in Deo par. 1. à cap. 6. explicare aggreditur, ratus eo niti fundamentum ſuæ ſententiæ, & caſum alienæ. Cum enim voluntatem creatam cauſam totalem conſtituat, & adæquatam ſuæ operationis, poſitis omnibus requiſitis; conſequenter ait Deum videre quid ſit operatura in talibus circũſtantiis, & conditionibus abſque eo quod illam vlterius determinet, aut viuet ſimultaneo concurſu. Tum poſterius ratione ſtatuit de euentu conditionis, & operatione ſecutura decernendo permittere, vel efficere vt voluntas in illis conditionibus conſtituatur, aut non conſtituatur & neceſſariis cõprincipiis ad operandum naturaliter, vel ſupernaturaliter inſtruatur, aut non inſtruatur; & ex hoc per ſcientiam viſionis cognoſcit implendam, vel non implendam conditionem, prout ipſe decreuerit; conditionem, inquam, qua ſuſpendebatur euentus, ne eſſet abſolute futurus, aut abſoluté non futurus: & ſic purificata conditione Deus videt futurum actum, aut negationem eius, ſine vllo decreto prædeterminandi, vel ſimul concurrendi proxime, ſed tantum remote.

Hic voluntas conſtituendi hominem in talibus circunſtantiis, & occaſionibus, in quibus prætiſus fuit operaturus eſt æquiualenter, & virtualiter voluntas ipſius operationis, in quã certo prætuideretur ipſa operatio; quæ ſi eſt mala, Dei voluntas ſolum eſt permiſſiua; efitque Deus de actu noſtro libero à ſe volito, ac præfinito ſecuriſſimus, quia nullum abſolute præfinit, ſiue formaliter, ſiue virtualiter, aut permittit, niſi quem prius ratione per ſcientiam Mediam viderit libere, & totaliter à voluntate in talibus circumſtantiis efficiendũ. Exemplum eſto, videt Deus hominẽ ambulaturum ſi inuitetur ab amico, decernit implere conditionem, & ſic videt effectum ſecuturum; vbi eſt quidam veluti Syllogiſmus, cuius maior propoſitio eſt conditionata, ſi inuitetur ambulabit: Minor continet decretum vt inuitetur; concluſio eſt euidens.

Ex hoc modo diſcurrendi patet primò, quod infallibilitas actus ex præfinitione diuina dicit aliquam neceſſitatem, quia propoſitio neceſſariò vera ſupponit futuritionem euentus aliquo modo neceſſariam.

Secundò quo modo cum hac neceſſitate ſtet libertas actus; eſt enim hæc neceſſitas conſequens, & ex ſuppoſitione quod res ſit futura poſita conditione quæ non repugnat libertati, ſicut neceſſitas antecedens, qualem in eſſe cenſet prædeterminationi; nec eximi ab illa decretum ſimul concurrendi.

Tertiò, Conciliatur creata libertas cum diuina ſanctitate, quia Deus non concurrit, nec prædeterminat ad actum peccati; neque vllam partẽ cum illo habet, quocumque modo conſideretur ſiue materialiter, ſiue formaliter; quia tota deliberatio, & operatio à voluntate creata eſt, vnde Scotus in 2. diſt 37. ſæpe citata fatetur quod ſi opinio negans concurſum immediatum Dei ad actionem malam vera eſſet, faciliter aſſignari poſſet modus, quomodo Deus non eſſet cauſa peccati, quia totum quod eſt in peccato materiale, & formale eſſet cauſatum à voluntate.

Quartò, Commode explicantur auctoritates Scripturæ tam quæ hominem in manu ſui conſilij relictum teſtantur; quam quæ præfinito Dei conſilio, ac voluntate quæ in tempore eueniunt decreta ſignificant.

Quintò Extinguitur fomes controuerſiarum, quę concurſu immediato ſublato penitus ruũt, & præſtantium Theologorum ſcholas turbare deſinunt: redit alma pax inter duas cohortes præſtantiũ Theologorũ mutuis ſe telis petentium tuentiumque, quod neutra hactenus aduerterit oculum ad iubar hoc veritatis, à quo ſolo ſperanda tranquillitas gliſcentiũ procellarum. In quo agendæ gratiæ Auctori quod part. 1. c. 3. ſcientiam mediam liberat à calumniis impugnantiũ, & ipſum vocabulũ apte, concinneque conuenire illi, & non eſſe nouum cõmentum, ſed ſanctis Patribus notũ. & amicum; traditumque ab ipſis poſteritati ſi concurſum ſimultaneum, decretũque eius à ſcientiæ huius participio ſegreges, quæ macula eſt, iudice ſe, eluenda; ne quid ſuperſit non nitidum ac ſplendidum in ea, quod æquum æſtimatorem poſſit oſtendere; tamen

---

Non ſoluuntur argumenta duarum ſententiarum prædictarum expunctione diuini concurſus immediati.

CAPVT XIII.

SYſthema Reuerendi Preſ. à Dola tres habet partes. Prima eſt, non dari decretum in Deo prædeterminandi voluntatem creatam, & multo minus prædeterminationem actualem in tempore. Secunda eſt, neque dari decretum concurrendi ſimul in tempore; & multo minus ſimultaneum concurſum in tempore. Ratio potiſſima eſt, quia vtrumque pugnat cum

Digitized by Google

libertate creata, & cum sanctitate increata. Tertia est, admittendum esse & nomen, & significatum scientiæ Mediæ non in eo sensu, quem hactenus tutati sunt Auctores ipsius; sed in alio quem ipse excogitauit ad saluanda Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ sine hac scientia explicari nequeunt; & soluenda argumenta quibus vtraque pars ægre satisfacit retento immediato concursu, facillime eodem reiecto.

Verum bene consideranti non apparet soluta controuersia aut conciliatæ sententiæ ponentium ex vna parte prædeterminationem, & ex altera scientiam Mediam, si tollatur concursus immediatus Dei; neque in illo cardo difficultatis consistit; sed in eo potius vt cum Dei efficaci decreto, & gratiæ item efficacis motione stet libertas arbitrij, & contingentia effectus, ad quæ vnienda recursum est ad scientiam Mediam à suis patronis hactenus non videndi modus quomodo posito decreto efficaci independenter ab vlla præuisione operationis voluntatis, & prædeterminatione in tempore ad illius executionem remaneret arbitrij libertas, & contingentia effectus necessario connexi cum illis; quam remanere probant, si ponatur scientia conditionatorũ per quam Deus videat quid voluntas in talibus circunstantiis constituta esset operatura, posito inter illas decreto simul concurrendi, & non prædeterminandi. Quæ dissensio adhuc manet sublato concursu immediato. Cum enim omnes admittamus gratiam efficacem, & motionem eius ad operandum, quicquid tandem illa sit, quæritur an cum illa, & efficaci decreto ipsam dandi necessario sit connexus effectu. Si asseris, explicare debes quomodo cum tali necessitate stet libertas arbitrij: si negas, & contingentiam in eo agnoscis, quomodo hæc cohæret cum decreto efficaci Dei quod infirmari non potest? Idque siue ipse immediate concurrat, siue non, quia hinc non pendet resolutio quæstionis, sed in antecedentibus concursum actualem respectiue ad actus liberos.

Controuersia non pendet à positione, vel ablatione concursus immediati.

Dices hanc esse necessitatem consequentem, quæ stat cum libertate, non antecedentem, quæ illam destruit. Bene est, & nos hoc dicimus; sed illi non obest concursus immediatus, quia in actu primo est indifferens, & relictus determinationi voluntatis; in actu secundo est ipsa operatio eiusdem voluntatis ac Dei, quæ potest esse, & non esse; quia positis omnibus requisitis ad agendum, adhuc voluntas libera est ad agendum, & non agendum, & quoad hoc quod est esse potentiam liberam non eget vlteriori complemento, sed bene vt exerceret libertatem, quia cum essentialiter pendeat à Deo in esse, & operari, non potest exire in actum secundum nisi ipso cooperante; at hæc operatio simultanea libera est tam ex parte Dei, quàm ex parte voluntatis, si quidem est vna & eadem actio ab vtroque pendens, & nihil habet antecedenter à quo necessitetur.

Igitur ex hoc capite non est tollendus concursus immediatus; quia eo sublato adhuc remanet difficultas conciliandi firmitatem diuini decreti cum libertate arbitrij & contingentia effectus, cuius causam immediatam facis solam voluntatem, dependéter tamen à decreto ponendi tales circumstantias, cum quibus præuisa est operatura.

Confirmatur, quia cum tali decreto efficaci ponendi circunstantias est coniuncta voluntas saltem virtualis effectus præuisi, redit ergo difficultas quomodo cum illa stet libertas, & contingentia effectus inseparabilis à decreto efficaci.

Deinde ex alio capite sanctitatis diuinæ eadem patitur instantias hæc nouella sententia, quas obicit communi, quia perinde videtur indecens, imo magis ex infinitis possibilibus circunstantiis eas decernere, & eligere cum quibus præuisa est voluntas peccatura, relictis aliis cum quibus non erat peccatura, quàm data hac præuisione nolle ei denegare concursum necessarium ad hoc vt possit operari iuxta exigentiam suæ naturæ, ideſt libere, ad tuendum munus creatoris prouidentis necessaria creaturis, vt operationibus quæque fungantur suis. Quod si iuxta morem agendi hominum argumentari licet, vt argumentatur aduersarius; sicut nefas est cooperatorem esse maleficiorum, puta auxiliarem manum furi commodare, & furti participem fieri, ita illicitum est tales occasiones præbere ex quibus præuideas certissime proximum furta, vel homicidia commissurum; si æque commode, ac vtiliter recidere illas possis. Sicut ergo per te minime repugnat sanctitati Dei decernere, & constituere hominem in talibus circunstantiis in quibus præuisus est peccaturum, ita neque eadem aduersatur, quod paret concursum necessarium ad omnes operationes, quia nimirum in vtroque Deus exercet munus prouidentissimi conditoris nolentis deesse in necessariis ad operandum creaturis; & volentis relinquere natiuæ libertati, quam dedit intellectiuis. Altius igitur attollenda mens est ad contemplandam sapientiam, ac potentiam Dei in mundi constitutione, quem constare voluit omni gradu entis; ac proinde etiam rationali, ac libero, & vnicuique suppeditare quæ natura illius postulat; nec deinceps impedire libertatem creaturæ rationalis, qua si abutatur, culpa ipsius est, Dei vero laus summa quod ei sit præsto in quamuis deflectat partem, satius habentis permittere mali, ex quibus eliciat bona, quam illa impedire vt supra ex Augusti. non permitteret autem, si concursum ad materiale subtraheret, quem esse necessarium ad omnes omnino operationes satis superque monstrauimus.

Basilde patitur instantias ex sanctitate Dei sententia oppositas.

S. Augustin. in Enchir.

Cum ergo neque primum caput petitum ex libertate creata, neque alterum ex sanctitate increata obstet concursui Dei immediato vt patet ex dictis, & alioqui per te cõcurrat Deus ad actus supernaturales indeliberatos, & ad naturales reliquarum causarum, non est cur non etiam ad liberas admittatur cõcurrere: ex quibus patet responsio ad illationes ex discursu arguentis contra concursum immediatum.

Ad primam, conuenimus in hoc quod infallibilitas actus dicit aliquam necessitatẽ ex præfinitione diuina, nimirum consequentem, ex suppositione enim quod Deus præuidit voluntatem operaturam necessario operabitur, sed talis necessitas stat cum libertate, cum non sit antecedens, vt nostris principiis nunc sup-

Digitized by Google

ponendum est, & assumitur in secunda illatione.

Ad tertiam: Conciliatio creatæ libertatis cum diuina sanctitate non pendet ex concursu immediato, quia tota malitia est à libero arbitrio, & Deus solum habet partem in entitate actus, quæ est bonum physicum essentialiter ab ipso pendens, sicut & omnia entia creata, vt superius explicatum est.

De mente Scoti locus dubitandi non relinquitur inspicienti testimonia, & rationes eius pro concursu immediato supra citatas: & licet ex parte minueretur difficultas, quæ diu vexauit antiquos circa concursum Dei ad actiones malas, si penitus negaretur; tamen ex alia parte augetur tum ob illud maxime, quod hinc inferretur neque essentialiter pendere à Deo operationes non malas, quod est contra ipsum Scotum, & reliquos Theologos, ac Patres supra citatos, qui cum in concursu immediato ad entitatem actionis malæ potentiam, dominiumque supremum agnoscunt, sanctitatem quoque inseparabilem confitentur.

Ad quartam: Auctoritate Scripturæ, ac Patrum non possunt commode explicari, si semel admittatur creaturam aliquid operari posse non concurrente simul cum illa Deo, vt supra vidimus.

Ad quintam: Siue admittatur concursus simultaneus, siue negetur adhuc vertitur cardo controuersiæ, quem putat euerti, si tollatur, quia vt paulo ante dixi, etiam eo sublato adhuc oportet conciliare diuinum decretum efficax, & motionem diuinæ gratiæ cum libertate arbitrij, & contingentia effectus, cum sit impossibile coniungi istius carentiam, cum illius efficacitate. Et nos quidem sponte damus cessatum iri incommoda, quæ communiter afferuntur contra physicam prædeterminationem, quia necessitatem antecedentem induci ab illa existimamus; sed non ea quæ omnibus communia sunt decreta Dei efficacia admittentibus, & contingentiam actuum liberorum ipsi adiungentibus: nam dato quod Deus non concurreret immediate, adhuc efficaciter per te decernit ponere tales circunstantias cum quibus visit secuturum effectum, quæ est virtualis intentio effectus, igitur non potest non poni effectus, quomodocumque deinde sequatur concurrente, vel non concurrente Deo; Non enim concursus Dei est causa necessitatis cum sit simultaneus, & accommodatus naturæ, & modi operandi voluntatis creatæ, in cuius manu est eo vti, vel non. Quare sicut tu recurris ad scientiam mediam vt tollas omne decretum antecedens prædeterminandi, vel simul concurrendi: Ita ego ad eandem recurro vt saluem libertatem arbitrij, & modum conuenientem diuinæ prouidentiæ tribuam per media infallibilia creaturam disponenti ad certos fines: & præterea adscisco decretum simul concurrendi ob summam indigentiam rerum creatarum, & dependentiam à Deo, & concilio efficaci decreti cum contingentia effectus, quia præuisus est futurus, si ponerentur tales circunstantiæ; nescius conciliare si independenter à tali præuisione antecedat decretum efficax, & prædeterminatio.

QVAESTIO III.

AN CONCVRSVS IMMEDIATVS DEI SIT QVID DISTINCTVM AB EFFECTV.

CAPVT PRIMVM.

1. Refertur duplex sententia.
2. Eligitur secunda.
3. Probatur auctoritate S. Bonauenturæ,
4. Tum sancti Thomæ, ac Thomistarum,
5. Et aliorum Scholasticorum, Scoti, Alensis, &c.

INSTITVITVR hæc quæstio ad abundantiam doctrinæ, absolutamque applicationem operationis tam naturalis, quàm supernaturalis; non ad necessitatem resolutionis principalis difficultatis; siue media aliqua causalitate modaliter ab ipso distincta; parui refert ad probandum quod immediate pendeat, vel non pendeat à Deo; & rationes adductæ pro vera, & communi sententia non nituntur, neque supponunt distinctionem vllam realem actionis

à termino, de quo diſputant Philoſophi in 2. Phyſ. & Soar. in Metaph. diſp. 18. ſect. x. & diſp. 48. à ſect. prima & iccirco Scholaſtici ſuperius numerati licet diſſentiant in explicanda natura, & diſtinctione actionis à termino; conueniunt tamen in ſtatuenda aſſertione certa de immediato concurſu Dei; quia certitudo hæc Theologica non pendet ab incerta controuerſia Philoſophica de diſtinctione actionis. Nihilominus quia dictorum in duplici quæſtione de concurſu Dei immediato intelligentiam iuuare poteſt haud modice inquiſitio modica diſtinctionis eius à termino; & Lector ſuo iure quærere conſequentias ne ad illa ponatur modus diſtinctus ex natura rei inter concurrentes cauſas efficientes, & effectum productum, propterea non ſolum opportunus, ſed prope neceſſarius eſt locus iſte tractandi quæſtionem hanc, non quidem in vniuerſum diſputando de modis, ipſorumque natura, & diſtinctione à re modificata, quod præſtant Philoſophi, ſed qua aſſumendo, qua ſtrictim probando quæ ad noſtram de concurſu in particulari ſententiam conducibilia ſunt. Et quia concurſus Dei immediatus communis eſt omnibus operationibus creaturarum omnium, & proinde etiam intellectualium immanentibus vt ſunt cognitio, & volitio; ideo prius generaliter diſſerendum de illo eſt, vt quid deinde ſentiendum de ſingularibus ſit ex præmiſſis vniuerſalibus facilius cognoſcatur. Eſt autem ſtatus quæſtionis an concurſus iſte, quem diximus non diſtingui ab actione ipſa creati agentis, ſit diſtinctus entitatiue à termino actionis plus quàm ratione, ideſt vt entitas afficiens terminum, & reddens illam formaliter dependentem à Deo, & creatura. Qua in re

PRima ſententia eſt concurſum immediatum Dei non eſſe quid realiter diſtinctum à termino producto, ſed terminum ipſum vt pendet in fieri ab agente dici concurſum, ſiue actionem agentis à quo ſeipſo dependet, & non per modum à ſe diſtinctum. Eſt Nominalium negantium modorum diſtinctionem à ſubiecto, & termino, Ocham. in 1. d. 2. q. 3. Gabr. in 2. d. 2. q. 1. citantis Occh. Greg. in 2. d. prima q. 4 art. 2. Durandi in 1. d. 2. q. 2. & aliorum apud Soar. in Met. diſp. 75. 1. quos ſequitur Val. 1. p. diſp. 3. de Deo creatore q. 2. p. 1. §. Si autem creatio. P. Claudius Tiphanus in erudito opuſ. de hypoſt. & perſona c. 56. & ij pro ſe habere putant præcipuos Philoſophos cum Ariſtotele; & Theologos cum S. Thoma: ſed gratis.

Ochain. Gabriel. Gregor. Duran.

Secunda ſententia diſtinguens vniuerſaliter actionem à termino diſtinguit etiam concurſum immediatum Dei. Eſt communis ferme omnium Thomiſtarum, Scotiſtarum, ac noſtrorum. Suar. loc. cit. Metaph. & diſp. 12. ſect. 2. n. 11. & aliis locis enumeratis ſupra pro concurſu Dei immediato. quin & vnum ex eius principiis quo paſſim vtitur, eſt quod actio omnis etiam immanens habeat terminum modaliter diſtinctum, vt patet ex diſp. 48. Metaph. ſect. 2. & 1. p. lib. 2 de attrib. negat. cap. 11. differunt quidem auctores huius ſententiæ in explicanda natura actionis, quia alij dicunt eſſe medium quid inter agens & effectum vt viam ad ipſum: alij eſſe relationem aduenientem agenti, alijaliter, ſed in diſtinctione eius à termino, & agente conueniunt: Pars etiam hæc ad ſe Ariſtotelem trahit, & retrahit à contraria, quia non ſatis clare ſe explicuit, nec certi quidpiam ab eo in hac diſputatione quærendum; ſed à ratione, & quidem validius ſuppoſitis quæ fide tenemus de potentia, & concurſu Dei. Et quia S. Bonau. ac Suar. tum aliis pluribus diſtinctam ponunt actionem vt quid medium inter agens & terminum, ideo in hoc eodem ſenſu probanda eſt aſſertio hæc primò auctoritate; deinde ratione. Auctoritas eſt in primis eiuſdem S. Bonaventuræ, nam in 2. diſt. 1. art. 1. q. 2. p. 1. ad arg. *Quoddam eſt agens, cuius actio, & productio addit aliquid ſupra agentem, & producentem. Tale cum de non agente fit agens variatur aliquomodo, & in tali ante operationem cadit otium, & in operatione additur complementum. Aliud eſt agens quod eſt ſua actio, & tale nihil omnino aduenit cum producit, &c.*

Actio addit aliquid ſupra agens, præter terminum.

Hoc quod addit actio ſupra agens non eſt terminus, ſeu effectus agentis, quia hic eſt cõmunis agenti creato, & increato, nec ſolus reſpectus agentis, quia eius debet aſſignari fundamentum, quod eſt actio, iuxta communem, Ariſtotelis 5. Metaph. cap. 15. eam pro fundamento relationum ſecundi generis aſſignantis; & non poteſt dici eſſe effectus quia idem numero effectus terminare poteſt diuerſos reſpectus, vt infra dicam, igitur debet eſſe quid medium inter agens, & effectum, ex quibus reſultat reſpectus in agente.

Actio ſecundum rem, & ſecundum modum.

Deinde in 1. diſt. 40. art. 1. q. 1. ad arg. *Dicendum*, inquit, *quod eſt actio ſecundum rem, & eſt actio ſecundũ modum. Actioni ſecundum rem, quæ eſt principiũ efficiens aliquid, reſpondet paſſio differens ſecundum rem; vt creationi creatio, actioni paſſio. Actioni vero ſecundum modum non reſpondet niſi paſſio ſecundum modum differens vt cognitioni actionis ipſius Dei reſpondet ipſum cognoſci, & hoc quidem non eſt aliud realiter ſecundũ modum, &c.* ſenſus eſt quod actioni, quæ ſe tenet ex parte cauſæ efficientis, & eſt ſecundum rem, quia eſt realis cauſalitas & influxus, reſpondet paſſio ſecundum rem, ideſt realis quia paſſio non diſtinguitur realiter ab ipſa actione; ſed actioni ſecundum modum qualis eſt prædeſtinatio, vt dicit in Deo præcognitionem, quæ realiter eſt

Digitized by Google

ſubſtantia, ideſt ipſe Deus, & ſolum ſecundum modum eſt actio, vt à nobis concipitur actio diſtincta à ſubſtantia, reſpondet paſſio ſecundum modum, ideſt cognoſci, quod realiter in Deo paſſio non eſt: quod ſi actio non diſtinguitur à termino, & agente, cum Deus prædeſtinans ſit vere agens cui reſponder effectus ex parte prædeſtinati, eſſet etiam actio cum paſſione ſecundũ rem vt eſt in creatione.

Diſtinct. 41. ſequenti art. 1. q. 1. Potentia in aliud eſt duplex: quædam eſt ſuus actus, & eſt ſola increata, quæ non completur, nec eget actu: alia eſt quæ agit per actum à ſe diuerſum, vt creata, & hæc habet indigentiam aliquo modo.

Præterea in 2. diſt. 2 p. 1. art. 1. q. 3. ponit ſucceſſionem æui in ſpiritualibus, comparatque radio ſolari, qui continue à ſole egreditur, non quia ſemper nouum aliquid emittatur; ſed quia quod emiſſum eſt continuatur, vnde *Solis*, inquit, *influentia nihil aliud eſt, quàm continuatio dati. Similiter in motu, & in eſſe rei mobilis aliquæ proprietas habita amittitur, vel non habita acquiritur; ſed in eſſe rei auterne, quod primo datum eſt, per continuam Dei influentiam continuatur*, &c. Vbi duo obſerua, primò durationem hanc qui ternorum in continua Dei conſeruatione conſiſtere, & hanc eſſe ſucceſſiuam, & proinde diſtinctam à ſubſtantia ipſorum, quæ eſt tota ſimul. Tum diſtingui motum rei mobilis ab ipſo ſubiecto quod mouetur, & quod vna pars ſuccedat alteri, quæ amittitur manente eodem mobili.

Sed diſerte in 2. diſt. 1. p. 1. art. 3. q. 2. in reſolut. *Mutatio*, inquit, *in eſſe, vtrumque extremum habet, & ſubiectum quod eſt prius natura, quam terminus. Et ideo talis mutatio aliquid poteſt eſſe natura præcedens terminum, & diuerſum ab illo ſecundum rem, quamuis non ſit ens actu completum*, &c. in quo ſecurus eſt præceptorem ſuum Alenſem infra citandum.

Confirmatur, quia ibidem diſtinguit creationem ab actione, quæ non eſt creatio per hoc quod creatio non, & eſt actio non dicit medium inter creatorem, & creaturam niſi ſecundum rationem præciſam. Actio vero quæ non eſt creatio, eſt quid medium ſecundum rem, *Et ideo*, inquit, *non ſic creatio eſt medium inter creatorem, & creaturam, ſicut generatio eſt medium inter generantem, & generatum.*

Actio quæ eſt creatio diſtinguitur ab actione non eſt creatio.

Idem probatur Auctoritate S. Thomæ.

Actio tranſiens eſt quid realiter mediũ inter agens & ſubiectũ actionis.

Hic 1. p. q. 54. art. 1. cum in corp. articuli præmiſiſſet vniuerſaliter quod actio creaturæ eſt actualitas virtutis diſtincta à ſubſtantia, ad tertiam *dicendum*, inquit, *quod actio quæ tranſit in aliquod extrinſecum eſt realiter media inter agens, & ſubiectum recipiens actionem. Sed actio quæ manet in agente non eſt realiter medium inter agens & obiectum, ſed ſecundum mõdum ſignificandi tantum.* Non valet autem dicere quod ibi loquitur de forma facta, ait Ferrar. l. 2. cont. gent. c. 1. §. Tertiò, &c. quia *reſponſio illa datur ad argumentum quo probatur intelligere Auguſt. eſſe eius ſubſtantia: conſtat autem, quod ibi intelligitur de ipſa actione intellectus eſſentialiter ſumpta, non autem de termino per actionem producto, ſicut & in quæſtione de ipſo actu intelligendi quæritur, ergo oportet vt differentia ad actionem tranſeuntem de actione tranſeunte formaliter ſumpta accipiatur, alioquin differentia illa ad propoſitum non eſſet.* Igitur apud S. Thom. tam actio tranſiens, quàm immanens eſt aliquid reale præter terminum, & obiectum: quod idem repetit articulo 2. & in vtroque diſtinguit actionem Dei ab actione creaturæ. Quod in illo actio eſt ſubſtantia eius, in hac eſt quid egrediens ab agente in patiens, quod ſi actio nihil eſt aliud quam effectus, vt eſt ab agente, nullum eſſet diſcrimen aſſignatum à S. Thoma, quia non minus eſt à Deo effectus, quam à creatura, loquendo de extrinſeco, nam de intrinſeco eſt alia ratio cum actus Dei ſit ipſe Deus & non pendeat proprie ab ipſo, quia idem non pendet à ſeipſo: concludit autem intentum, quod actio ſit quid diſtinctum ab agente, & termino in creatis, in quibus eſt actualitas virtutis actiuæ habentis aliquid potentialitatis ſiue immanenter, ſiue tranſeunter operentur, quod non contingit in Deo qui eſt purus actus ſine vlla potentialitate.

Confirmat hoc vulgata diſtinctio actionis in immanentem & tranſeuntem quam ibidem vſurpat S. Thom. ex Ariſtotele 9. Metaph. t. 16. & 1. p. q. 14. art. 2. c. q. 18. art. 3 1. & alibi Et quod de tranſeunte habet 1. p. q 41. art. 1. ad ſecundum. *Actio*, inquit, *ſecundum primam nominis impoſitionem importat originem motus. Sicut enim motus prout eſt in mobili ab aliquo dicitur paſſio: Ita origo ipſius motus, ſecundum quod incipit ab aliquo, & terminatur in id quod mouetur, vocatur actio. Remoto igitur motu actio nihil importat aliud, quam ordinem originis, ſecundum quod a cauſa aliqua, vel principio procedit in id quod eſt à principio. Vnde cum in diuinis non ſit motus actio perſonalis producentis perſonam, nihil aliud eſt, quam habitudo principij ad perſonam, quæ eſt à principio*, &c. Ex quo infertur actionem in creatis non ſolum dicere ordinem originis, ſed etiam motum, & habere ſecum paſſionem, eſt igitur aliquid præter terminum, & agens, nimirum effluxus in actum ab agente vt vocatur à S. Thom. art. illo 2. q. 54. cit. Et in 1. d. 8. q. 4. art. 3. 3. *Actio vt prædicamentum dicit aliquid fluens ab agente cum motu*, &c. Hoc quod fluit eſt terminus, ſiue effectus; id cum quo fluit eſt motus, ſiue via ad terminum realiter modaliter diſtincta à termino.

Prima p. q. 37. art. 2. c. *Dicimus n. quod ignis eſt calefaciens calefactione, quamuis calefactio non ſit calor qui eſt forma ignis, ſed actio ab igne procedens.*

Plura loca adducit ad idem probandum Ferrar. l. 2 cont. gent. c. 18. cit. oſtenditque intelligenda de actione vt actio eſt eſſentialiter diſtincta à termino & cum actionis ratio conueniat tam ſubſtantiali, qua producitur terminus ſubſtantialis, quàm accidentali, gratuita eſt gloſſa dicentium S. Thomam eo qui tantum de alteratione ſeu mutatione accidentali, vult enim actionem tam ſubſtantialem quàm accidentalem eſſe quid medium inter agens, & terminum.

Thomiſtæ diſtinguunt actionem à termino, ſubiecto, ac agente.

Ita etiam S. Thomam explicant alij Thomiſtæ præcipui, inter quos lis, eſt an actio ſubiectiue

Digitized by Google

ſit in paſſo, an in agente, quam collatis inter ſe locis S. Thom. agitat Ferrar. l. 2. cont. gen. cap. 1. tenens eſſe in paſſo. Auctor concordantiæ verb. Actio, n. 35. varie diſtinguens, & concludens quod vt dicit emanationem formæ ab agente realiter eſt in ipſo. Capr. in 2. diſt. 43. art. 3. ad argum. Aur. concilians auctoritates S. Thomæ in ſpeciem ſibi repugnantes hoc modo, quod actio vt dicit motum, ſeu mutationem in recto eſt in paſſo; vt autem dicit relationem in obliquo, eſt in agente Omnes tamen conueniunt in hoc quod diſtinguatur à termino, quia conſiderant in actione quæ mutatio eſt, effluxum ſeu viam, terminum, ac relationem, & conſtituunt in diuerſis prædicamentis, licet ex hoc non arguant diſtingui modaliter, ſed ex alio capite.

Ferrar. cap. 18 eiuſdem lib. 2. cit. de creatione paſſiua quæ mutatio proprie non eſt, tenet eſſe accidens realiter diſtinctum à re creata, quæ refertur, ob auctoritatem S. Thomæ de Potentia q. 3. art. 3. 3. id expreſſe aſſerentis, ſicut & 1. p. q. 45. art. 3. ſecundum, & diſparem in hoc facientis à generatione, quia in hac præter relationem ad generantem eſt mutatio, vt ſubdit ad 4. non autem in illa, quia ſubiectum non dicitur mutari proprie, ideſt tranſire à termino ad terminum idem manens, ſed de non eſſe tranſire ad eſſe.

Capr. etiam in 2. diſt. 1. q. 2. art. 1. & 3. vbi contra Gregor. Arimin. vtentem familiari Nominalibus argumento, quod non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, & quod nulla ratio, aut auctoritas cogat ponere diſtinctionem inter actionem, & terminum. *Item per iſtud medium* (ait Capreolus) *negat relationem eſſe aliud ab abſolutis; & multa alia concludit abſurda, ſicut & Pater ſuus Ocham, Adam, & cæteri Terminiſtæ, &c.* Quorum viæ diuerſæ ſunt toto cœlo à viis Thomiſticis, & à Peripateticis, quoad hanc diſtinctionem. Nam Ariſtoteles 3. Phyſ. tex. 18. ait quod actio motoris, & moti eſt eadem, quemadmodum eſt idem ſpatium vnum ad duo, & duo ad vnum, & accliue & decliue, &c. Et textibus ſequentibus loquitur de actione vt via ad terminum, & modo inter agens, ac patiens ab vtroque diſtincto, & in patiente poſito, ſicut doctio eſt actus docentis in addiſcente, quod repetit 2. de Anima text. 140. Et non poteſt commode explicari de forma, ſeu termino, quia loquitur de actione motoris, quæ eſt mouere, vt ibi Commentator, & ex eo Ferrar. & ſicut via Athenas Thebis diſtinguitur ab illis; ita, &c.

Ariſtoteles 3. Phyſ.

Præt. 9 Metaph. t. 16. ait quod vbi præter operationem eſt *aliquod operatum, operatio eſt actus facti, vt ædificatio in ædificato, &c.* vbi manifeſte diſtinguit actionem à termino per ipſam producto. Et confirmant quæ habet de differentia potentiarum, quoniam in aliquibus fit aliquod opus præter operationem ſeu actionem, in aliquibus autem non.

Diſtinctio actionis à termino in Ariſtotele.

Quæ & ſimiles auctoritates planiores ſunt quàm vt admittant gloſſas extraneas dicentium S. Thom. & Ariſtotelem metaphorice locutos, cum dixerunt actionem eſſe quid medium inter agens, & patiens; eſſe viam, exitum ab agente, effluxum in actu, &c. ad exprimendum ſimilitudine quadam proprium eius conceptum, quia cum actio, & paſſio idem ſint realiter cum motu, & mutatione, mutatio autem & fieri rei concipiatur vt medium quiddam inter non eſſe rei, & eius eſſe, à quibus vt re non differt, ſic nec actio differre cenſenda eſt.

Addunt quod eodem modo actio eſt quid medium inter agens, & patiens, quo habitus ſeu habitio eſt actus medius inter habens, & rem habitam ex Philoſopho 5. Metaph. t. 25. hic autem habitus non eſt quid re diuerſum ab habente, & eo quod habetur; vt pater in coronatione, quæ eſt actus & coronantis, & coronati. Et non differt à capite, & corona, ſicut nec locatio eſt quid diſtinctum à re locata, & ſuperficie. Et certe cum Theologi agentes de proceſſionibus diuinis vtantur etiam nomine viæ ad eas exprimendas, manifeſtum eſt, hunc loquendi modum non importare quid re diſtinctum ab eo quod eiuſmodi viæ terminus dicitur. P. Claud. Tiph. c. 53.

Hæc reſponſio non ſatisfacit, primò quia vbi agitur de rerum naturis, inſuetum eſt, & indecens metaphoris vti ac tropis; niſi forte ad ornatum, vel maiorem explicationem philoſophicæ quæſtionis propriis verbis, & locutione figurata non indigentis, & forte etiam reſpuentis. Et certe Ariſtoteles, ac S. Thomas metaphoris abſtinent, & vix interdum aſpergunt modicè, & velut ſale proprietates reſponſionum ſuarum. Adhibent plerumque ſimilitudines, ſed vt additamenta quæ lucem afferant, non quæ theorematũ vel capitalium propoſitionum ſubeant vicem.

Secundò, Ipſa conſtans Ariſtotelici textus ſeries vitioſa eſſet, ſi perpetuò figurata eſſet, & nuſquam proprie quid ſit motus, quid actio, à quo, & in quo recepta, exponeret, quæ exprimenda aſſumit ab eo textu 12. vſque ad 23. Et quidem ſine Metaphoris vt apparet verba perpendenti: & eadem eſt S. Thomæ explicandi ratio.

Tertiò, licet aliqua ſimilitudo notior ad explicandam rem ignotiorem ab illis adhiberetur, vt eſt illa de via, quæ eadem eſt Athenis Thebas, & vice verſa; tamen hoc fit præmiſſis iis quæ pertinent ad naturam motus, & actionis propriis verbis iam declaratam, v. g. quod ſit actus huius, ab ipſo motuo; quod ſit in mobili, & ſimilia maxime de differentia actionis immanentis, & tranſeuntis paulo ante notata, quæ illam indicant diſtinctionem non ſolum per modum concipiendi, ſed in re ipſa. Alioqui liceret, vbi Philoſophus diſtinguit ea, quæ ſuam manifeſte non produnt diſtinctionem, vtpote cognitu difficilem, interpretari de diſtinctione per modum concipiendi. Plerique de materia, & forma autumant, quarum vnam, & eandem realem entitatem eſſe pronunciant, ſicut eſt vna, & eadem cera, quæ in varias figuras efformatur, conceptu ſolum, & denominatione diuerſa, non re. Quod ſi in communi veraque ſententia reiiciuntur, vt in ſe falſa, & menti Philoſophi non ſatis conſona, quia materiam puram potentiam, & primum ſubiectum formarum facit. formam vero actum ab ipſa diuerſum, ac ſeparabilem; profecto motum, & actionem quoque diuerſam eſſe à ſuo agente, & termino in eius ſententia cenſere oportet, ſi quidem illam actum huius

Digitized by Google

id eſt in mobili, & à motiuo ideſt à principio mouente manare affirmat, & proinde ad vtrunque pertinere vt quid medium inter ipſa, non ſecus ac eadem via Athenis Thebas media eſt intervtraſque, non modo concipiendi, ſed realiter.

Quartò, Creatio, inquit S. Thom. 1. p. q. 45. art. 2. 2. *non eſt mutatio niſi ſecundum modum intelligendi tantum: nam de ratione mutationis eſt, quod aliquid idem ſe habeat aliter nunc, & prius, &c.* Igitur aliæ actiones ſunt mutationes diuerſæ per hoc quod non tantum per modum intelligendi, ſed realiter ſunt mutationes, & actus huius ideſt ſubiecti recipientis, ab hoc, ideſt agente, vt Philoſophus ſupra. Item lib. 2. cont. gen. c. 37. *Creatio*, ait, *mutatio dici non poteſt niſi ſecundum metaphoram, prout creatum conſideratur habere eſſe poſt non eſſe, &c.* Igitur reliquæ actiones dici poſſunt mutationes, & quando vocantur actus huius ab hoc, & medium quod inter agens & patiens ad vtrunque pertinens non ſecundum metaphoram eſt locutio. Similia habet S. Bonau. in 2. d. 1. art. 3. q. 2. citata. Quare negandũ eſt quod actio ſit quid medium inter agens, & patiens, eo modo quo habitus eſt quid medium inter habens & rem habitam, aut vt coronatio, vel locatio; hæc enim ſupponunt actionem per quam fiunt, & de reliquo ipſum formale ſaluatur per extrinſecam denominationem à re quæ habetur, à corona impoſita, à ſuperficie ambiente. At vero actio nihil habet tale à quo denominetur actio, ſiue actus huius ab hoc, niſi ipſamet procedat ab ipſo agente vt quid diſtinctum, & actuatiuum virtutis, ac potentiæ eius. Et eo præciſo non denominatur agens agere, neque ſubiectum recipere, quia nihil eſt quod recipiatur, & tamen Ariſtoteles loc. cit. ſæpius inculcat eſſe aliquid quod recipiatur in paſſo.

Ad id quod dicitur de diuinis proceſſionibus quæ vocantur viæ, & tamen nihil ſignificant diuerſumà termino, reſpondeo ex doctrina S. Bonau. in 1. diſt. 22. art. 2. q. 3. quædam nomina ſignificare rem cuius veritas eſt in Deo, & ſimilitudo in creatura, vt ſapientia, potentia, voluntas, & talia transferuntur à creatura in Deum, non ſecundum rem, ſed ſecundum impoſitionẽ, quia prius impoſita ſunt creaturis quàm Deo, licet prius ſint in Deo. Res igitur ſignificata perviam eſt in Deo, quia in eo eſt vera proceſſio perſonarum, ſed ſine imperfectione quam habet in creaturis, qualis eſt diſtinctio realis, quæ in natura ſimpliciſſima Dei non inuenitur; & ideo non licet inferre quod neque etiam inueniatur in creaturis; ſicut neque quod ſapientia in iſtis ſit attributum eſſentiale idemtificatum naturæ vt eſt in Deo à quo deriuatur in hominem, & Angelum. Præterea proceſſio, via, actio, &c. vt dicunt originem cum motu, ſeu mutatione, habent imperfectionem, & non ſunt in Deo, ſed bene vt originem ſine mutatione ex D. Thom. ſupra cit. in creaturis autem dicunt originem cum motu vt plurimum.

S. Bonau.

Scotus diſtinguit actionem à termino.

Scotus etiam licet in modo explicandi differat, quia iuxta ipſius ſolemnem diſtinctionem de relatione intrinſecus, & extrinſecus aduenientẽ, actionẽ dicit eſſe relationẽ extrinſecus aduenientẽ agenti vt ſuppoſito, formæ vero vt fundamento proximo, quia ipſa eſt potentia actiua, ſicut paſſio eſt in potentia paſſiua vt in fundamento proximo, & in paſſo vt inſuppoſito; tamen de actione loquitur, vt modo diſtincto ab agente, & termino. Ideo in 4. diſt. 13. q. 1. §. Dicetur ergo, & ibidem ad argum. concedit quod producitur cauſatum productione formaliter, & relatione propriè dicta, quam facit principium formale proximum, ad diſtinctionem formæ, quæ eſt principium formale remotum: ſic cum dicitur calidum calore calefacit, denotatur principium formale remotum; cum vero dicitur calefactione calefacit, indicatur principium formale proximum. Quo pertinent qua habet in diſt. prima q. 4. vbi probat in vniuerſum relationes diſtingui à fundamentis, & loquitur de diſtinctione rei quæ adeſſe, & abeſſe poteſt ſine corruptione, & proinde de entitate aliqua ſcilicet reali quæ dicta ſunto eo fine dumtaxat vt appareat in via Scoti diſtingui actionem, vt actio eſt, à termino; quicquid ſit deinceps de doctrina iſta, cui contradicitur à Thomiſtis, ac à noſtris.

Alenſis.

In eo quod mouetur intelligitur potentia, tendentia, perfectio.

Alenſis non ſolum diſtinguit actionem à termino, ſed vniuerſaliter omnem motum medium quid eſſe docet inter agens, ac terminum, quam vocat tendentiam, actum imperfectum, &c. ſic lib. 11. Metaph. c. 1. ſum. 4. In eo quod mouetur tria, inquit, debemus intelligere: primò potentiam quæ perficitur per motum. 2. tendentiam ad illam perfectionem. 3. ipſam perfectionem motus. Ergo motus non eſt in re, quando eſt in potentia tantum; & ideo dixit Philoſophus, quod non eſt ibi prius. Nec eſt in re ſecundum quod habet perfectionem, quia præſentibus habitibus, & perfectionibus ceſſat motus; ſed eſt in re ſecundum quod res eſt in tendentia, & in potentia permixta actui, & ideo motus eſt actus imperfectus. Et mox, Ædificabilis, inquantum ædificabilis eſt aliquis actus, nempe ædificatio. Actus enim ædificabilis eſt vel ædificatio, vel domus. Non domus, quia cùm fuerit domus in actu, iam amplius non erit ædificabile. Ergo ædificatio neceſſariò eſt actus ædificabilis, qua ædificabile: ædificatio verò motus quidam eſt, eademque in cæteris motibus ratio eſt ergo nil pro ſententia Soarij clarius, quæ eſt & S. Bonau. conformis Philoſopho ex, quo lib. 3. Phyſ. t. 12. ſumpſit exemplum, & declarationem Alenſis.

Probatur ratione præcedens ſententia de diſtinctione concurſus à termino.

CAPVT II.

1. *Proponitur ratio Scoti.*
2. *Aureolus eadem vtitur.*
3. *Suarius magis explicat.*

EA eſt quod manente termino & agente eodem poteſt non manere concurſus; ſed variis modis proponitur, & explicatur tam à recentioribus, quàm ab antiquis, qui illam

Digitized by Google

vſurpant vel pro argumento firmandæ ſuæ ſententiæ; vel infirmando, & ſoluendo, ſi contrariam ſequantur.

Scotus in 2. diſt. 1. q. 5. §. Contra iſtam, Nihil eſt idem realiter A ſine quo A poteſt eſſe realiter ſine contradictione: ſed multæ ſunt relationes, ſine quibus fundamenta poſſunt eſſe ſine contradictione, ergo multæ ſunt relationes, quæ non ſunt realiter eadem cum fundamento. Minor aſſumpta pro actione probat intentum de eius diſtinctione à termino. Maiorem autem mox clarius enunciat.

Illa ſunt diſtincta realiter, quorum vnum poteſt manere ſine alio, quam ait à proceruo negari poſſe, ſed ea negata perit, inquit, tota doctrina Philoſophi 7. Topic. c. 1. loc. 15. qua docet quod propoſitio, vel problema faciliter deſtruitur per contradictionem inuenta; ſed difficiliter conſtruitur: *Si autem negetur propoſitio iſta, non videtur poſſe deſtrui, quia ſi non deſtruitur per contradictionem, nec per aliam propoſitionem, aut ſaltem non facilius; & facilime videtur poſſe ſuſtineri, quia nullius loci ſecundum eum, vel ab eo videtur aſſignatus efficax ad deſtruendum aliquid, ſi iſte locus deſtruatur, &c.* Senſus eſt quod ſi negetur illa maior, non reſtat locus deſtruendi propoſitionem vllam, quia nec inueniendi contradictoriam, ſi negetur quod illa ſunt diſtincta realiter, quorũ vnum poteſt eſſe ſine alio, quia quod idem ſit realiter, & non ſit realiter, videtur eſſe oppoſitum primi principij, impoſſibile eſt idem eſſe, ex quo videtur ſtatim concludi diuerſitas entium; ſi enim contradictoria dicantur de eis ſcilicet eſſe, & non eſſe, videntur eſſe non idem in eſſe, ſiue non idem ens.

1. inuenta eius contradictoria.

Confirmat, quia ſi illa maior negetur, non videtur relinqui vnde poſſit diſtinctio entium probari, v. g. quod accidens à ſubſtantia, aut lapis à Socrate diſtinguatur. Et ſi dixeris quod vnum poteſt exiſtere non exiſtente alio, negabitur conſequentia innixa propoſitioni prædictæ, ea nimirum diſtingui realiter, quorum vnum poſt exiſtere ſine alio; quam tu negas.

Denique Philoſophus primo Phyſ. probat materiam eſſe materiam eſſe aliam rem à forma, quia manet eadem ſub oppoſitis formis. Et 4. Phyſ. locum eſſe diuerſum à locato, quia manet cum diuerſis locatis.

Materia eſt alia res à forma, quia manet eadem ſub oppoſitis formis.

Aureol. Quodl. 2. art. 1. Propoſ. 3. eam adhibet ad probandum quod actio diſtinguatur à termino, & ea forma proponit, quæ videtur ex terminis innoteſcere naturæ lumine, cui nec proteruus quidem obſiſtat. *Idem*, inquit, *non poteſt ſeparari a ſeipſo, vel idem non poteſt eſſe ſine ſeipſo*; quod idem eſt ac dicere non poteſt eadem res eſſe, & non eſſe: quomodo enim à ſeipſo ſeparetur, niſi per deſitionem ſui, vel aſſignetur alius modus. ex hoc autem ſequitur ea non eſſe vnum ens realiter, quorum vnum ſeparatur ab alio. ex Aur. proponit Greg. in 2. diſt. 1. q. 5 art. 2. & conatur explicare quomodo actio maneat, & non ſit actio. ſed ægre ſatisfacit argumento phyſico diſtinctione metaphyſica.

Propterea Suarius in Metaph. diſp. 7. ſect. 2. *Quandocumque*, ait, *duo concipimus obiectiue ita ſe habent, vt a parte rei, & in individuo ſeparari poſſint; vel ita vt vnum ſine alio in rerum natura maneat; vel ita vt realiter diſiungantur, & realem vnionem, quam habebant, amittant, ſignum eſt inter illa eſſe maiorem diſtinctionem, quàm rationis ratiocinata, atque adeo actualem aliquam ex natura rei, ſeu quæ a parte rei ſit. Hæc aſſertio inquit, communis eſt Doctorum, & ſumitur ex Ariſtotele 7. Top. c. 1. à loc. 15. vbi ſic, inquit, Amplius ſi poteſt alterum ſine altero eſſe, non eris idem, vbi Alexander Aphrodiſ. id notat.* Ita Soar. ſubdens ſatis eſſe vt vnum ſeparare poſſit ab alio, & exiſtere ſine illo, etiamſi alterum non poſſit ſeparatum exiſtere.

Hinc enim arguitur illud quod ſeparatum exiſtit habere ſuam entitatem independentem ab altero, & proinde eſſe ab illo diſtinctum; quia licet alterum eſſe nequeat ſine illo, tamen non eſt illud, alioqui quomodo ſepararetur? idem quippe à ſeipſo ſeparari non poteſt, neque non eſſe quod eſt, vt ſupra Aureolus. Et prius illo Scotus, à quo verbo tenus, & in modo tantum loquendi diſcrepat hæc Suarij regula, vt meritò proinde tribuat illam Scoto eidem, ac aliis, loquendo in vniuerſum de diſtinctione rerum, etiamſi in particulari modalem diſtinctionem ſub iis terminis non traditam ab ipſis fateatur.

Quæ duo aliquibus diſſonantia viſa ſunt mihi non item; ſicut neque dicta ab eo de relatione, quod videlicet errent non diſtinguentes relationem à fundamento, ſi poteſt hoc exiſtere illa pereunte, cum iis quæ habet diſp. 47. ſect. 2. n. 15. Non eſſe argumentum quod ſimilitudo ſit modus realis diſtinctus ab albedine, quia per ablationem termini ceſſat illa denominatio; ſed ſolum quod terminus eſt diſtinctus à fundamento, & eſt neceſſarius ad complendam talem denominationem; quæ enim in hoc eſt contradictio? Aliud enim eſt dicere quod relatio formaliter, vt ſignificat reſpectum non diſtinguatur à fundamento, & hoc manet illa pereunte: Aliud quod relatio vt dicit denominationem, perit termino pereunte; & quod non eſt argumentum diſtinctionis realis; nam denominatio ceſſare poteſt, aliquo extrinſeco ceſſante à quo deſumitur, etiamſi nihil ſit in re præter terminos denominatè, & denominatum, non item reſpectus intrinſecus ſi non diſtinguitur à fundamento perire poteſt manente fundamento; quod ſi perit, ſignum eſt diſtinctionis realis. Eſt igitur prædicta Maior veluti regula cognoſcendi diſtinctionem rerum inter ſe: Separatur realiter vnum ab alio, aut manet vnum non manente alio, ergo vnum non eſt aliud: licet non valeat à negatiua, non ſeparatur; igitur eſt vnum indiſtinctum, vt patet in perſonis diuinis, quæ non ſeparantur, & tamen ſunt tres diſtinctæ. Dices cum P. Claud. Tiphan. c. 50. prouocante ad textum lectorem, Ariſtotelem agere de eodem, & diuerſo ſecundum rationem, & definitionem, ex qua diuerſitate non poteſt colligi diſtinctio realis; multa enim ratione differunt quæ re non differunt, vt actio, & paſſio, quæ diuerſa prædicamenta conſtituunt.

Reſpondeo, Ita eſſe; ſed cum differentia ſecundum definitionem ſit multiplex, præcipua eſt eorum quæ re diſtinguuntur, qualia ſunt quæ ſeparari poſſunt.

Eiuſdem maioris propoſitionis veritati nixus S. Auguſt.

Digitized by Google

S. Auguſt. l. 6. Ciu. c. 6. probat in corpore diſtingui magnitudinẽ à calore, & figura. *Poteſt enim* (inquit) *& diminuta magnitudine manere idem color & eadem figura; & colore mutato, manere eadẽ figura, & eadem magnitudo, & figura eadem non manente tam magni eſſe & eodem modo coloratum. Et mox loquens de Anima. Sed tamen etiã in anima, cum aliud ſit artificioſum eſſe, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud triſtitia; poſſintque alia ſine aliis, & alia magis, alia minus innumerabilia, & innumerabiliter in anima naturæ inueniri, manifeſtum eſt non ſimplicem, ſed multiplicẽ eſſe naturã, ex quod ſi negetur mater a nobis admiſſa, nihil valet hic modus argumentandi, &c.*

Hinc apparet appoſitè vſum fuiſſe Suarium hac auctoritate Auguſtini, & non loqui de ſeparatione ſolum reali, quia exemplum magnitudinis adhibet ad explicandam diſtinctionem magnitudinis à figura, quæ modus magnitudinis eſt, quacunque deinde ratione ab ea diſtinguatur, iuxta varias ſententias.

Reſtat probanda minor, quod ſcilicet maneat terminus & agens non manente actione, probatur autem quia manet ignis generans, & genitus ab ipſo, & deſinit generatio, item candela accenſa, & accendens deſinente accenſione.

Confirmatur, quia poteſt Deus ſe ſolo conſeruare lumen in aere, quod ante conſeruabatur à ſole, quo caſu incipit noua actio manentibus iiſdem terminis immutatis intrinſece. Deus. n. non mutatur vt eſt certum, ſol & lumen manent in eodem ſtatu quo erant antea, vt ſupponitur, igitur facta eſt mutatio in ipſa dependentia, & actione, quia ſol qui conſeruabat lumen à ſe productum, iam non conſeruat, & Deus qui cum ſole conſeruabat, iam conſeruat ſolus, & proinde noua cõſeruatione à priore diſtincta, ſi ergo verum eſt dicere ſol conſeruabat, & iam non conſeruat, oportet deſiiſſe conſeruationem eius, ipſo & lumine immutatis, atque adeo conſeruationem eſſe quid diſtinctum à ſole, & lumine.

Hinc non poteſt Greg. opponere defectum in forma argumenti: poteſt enim variè diſponi, ſed illico in Darij, Quæ ita ſe habent inter ſe vtvnum maneat altero non manente diſtinguũtur realiter: ſed terminus manet non manente actione, ergo diſtinguitur ab actione realiter, ideſt ſaltem pluſquam ratione ratiocinata.

Propterea difficultati reſpondet negando minorẽ quia ſicut eſt impoſſibile hunc ignem genitum deſinere, hoc eodem igne non deſinente eſſe; ita eſt impoſſibile hanc actionem generantis ignẽ hunc deſinere eſſe, hoc igne non deſinente eſſe, licet ſit poſſibile & hunc ignem, & hanc actionem deſinere eſſe actionem hoc igne; & hac etiam actione non deſinente eſſe: Vnde hæc actio poſt iſtud inſtans erit, & erit ignis: ſed ipſa non erit actio, quia ad hoc vt aliqua ſit actio requiritur vt actualiter ſit ab actiuo, & illud ſit cauſa eius, alioqui non eſſet actus eius, inquantum huius, & per conſequens neque actio. Quod voluit Philoſophus 3. Phyſ. t. 20. cum ait quod actus agentis eſt in quodam alio, & non deciſus, ſed huius in hoc, ſeu vt Comment. ex hoc in hoc. Quia igitur poſt illud inſtans, res quæ nunc eſt actio non erit ab illo generante, ideo quamuis ſit in rerum natura tamen non erit actio, & per conſequens nec ignis iſte poſtea erit generantis, nec generans generabit ipſum, & poterit vterque eſſe ſine alterutro, ita ille in 2. diſt. 5. art. 2. & in primo diſt. 28. q. 2. art. 1. vbi ad 15. ait quod inhærentia accidentium in pane ante conſecrationem non eſt aliud quàm accidens inhærens, quod tamen facta conſecratione non eſt amplius inhærentia. Et eodem modo loquitur de vnione, actione, &c.

Reſponſio Gregorij.

Sed non viderunt hactenus auctores è cõtrariæ quid ſolidius vocabulis ſubſit, quo vere ſoluatur argumentum fortiſſimum quod perpetuò obiciunt infractum, & inconcuſſum. primò ſi poſt inſtãs generationis manet actio realiter, ergo eſt vel productio, vel conſeruatio: non primum, quia poſt inſtans iam non producitur ignis, quia productus eſt; neque accenditur candela, quia ante accenſa fuit. Neque ſecundum, quia ignis productus, & candela accenſa non pendent amplius à ſuis cauſis productiuis, & poſſunt manere illis deſinentibus, ergo nulla remanet actio. Deinde per te de ratione actionis eſt, vt ſit actualiter ab actiuo, & quod ſit ex hoc in hoc ſecundum continuitatem ab agente in patiente iuxta Commentatorem à te allegatum, ſed poſt inſtans generationis ignis genitus non eſt à generante, neque ab illo pendet, ergo non manet ratio actionis.

Tertiò, Per te nihil amplius eſt à parte rei in primo inſtanti generationis, quàm ſit poſt illud inſtans, quia vtrobique ſolum eſt agens, ac virtus eius, & terminus, ſiue effectus productus; aut ſi aliquid reale interuenit, aſſigna quidnam ſit: Inſtans autem in quo producitur ignis, & tempus illud conſequens ſunt quid extrinſecum non pertinens ad rationem actionis; applicatio agentis, ſi forte in illa conſtituas rationem hanc poteſt deſinere termino permanente, vel ſi non deſinit, quandiu ipſa durat, dicetur durare generatio, quod tu negas: Igitur totum id quod eſt reale in actione, tam reperitur poſt inſtans productionis, quàm in inſtanti; cur ergo non ſit realiter productio, & actio, ſicut eſt in primo inſtanti?

Quartò, Ait Gregorius: Hæc actio poſt iſtud inſtans erit, & erit ignis; ſed ipſa non erit actio; quia ad hoc vt aliqua ſit actio, requiritur quod actualiter ſit ab actiuo, & illud ſit cauſa eius, alioqui non eſſet actus huius inquantum huius. Verum quomodo cohærent iſta duo, hæc actio erit poſt iſtud inſtans, ſed non erit actio? ſi eſt actio, falſum eſt quod non ſit actio; & ſi terminus eſt actio, manente termino manet actio. Non eſt, inquis, actio, quia non eſt actualiter ab actiuo: Igitur ad rationem actionis pertinet vt terminus ſit actualiter ab actiuo, at poſt inſtans productionis terminus non eſt actualiter à generante, ergo deeſt aliquid reale neceſſarium ad rationem actionis, quod erat in inſtanti generationis, nimirum ipſa de-

pendentia, ſeu eſſe actualiter ab actiuo, quod non eſt poſt illud inſtans, ſi eſſe actualiter eſt aliquid reale, & hoc ceſſat manente termino genito in eo inſtanti: vel ſi nihil eſt reale poſt inſtans quod non fuerit in inſtanti, nihil etiam deſideratur ad veram, ac realem rationem actionis; & conſequenter non magis dicetur actio in primo inſtanti, quàm tempore ſequenti, quia illud eſſe actualiter nihil ponit in re præter terminum, & agens quæ manent eadem poſt inſtans, quæ fuerant in inſtanti generationis. Hinc ſequetur.

Quintò, Quod generans retinebit eamdem denominationem poſt inſtans, quam habet in inſtanti, quia per te actio nihil dicit præter terminum, & agens; ſi quidem eſſe actualiter ab agente nihil reale dicit ab iis diſtinctum quod pertineat ad rationem actionis: Vel ſi dicit, illud erit quid medium modaliter diſtinctum à termino, & in termino vel ſubiecto, quod nos vocamus dependentiam, actionem effluxum cum S. Thoma & Ariſtotele quos ſequuntur Soarius, & alij plures ex noſtris.

Confirmatur inductione omnium formarum dantium aliquam denominationem, manente enim eadem entitate albedinis ex. g. caloris, lucis, quantitatis in ſubiecto, denominatur formaliter album, calidum, lucidum, quantum, & iſtæ denominationes non mutantur niſi fiat aliqua mutatio realis, & idem eſt de aliis formis: Igitur ſi poſt inſtans generationis nulla fit realis mutatio, tempore ſequenti denominatur formaliter generans, quia manet terminus qui eſt actio ſeu generatio, & nihil amittit, vel acquirit, eo quod illud eſſe actualiter in primo inſtanti nihil eſt per te niſi terminus, & agens. Hinc rurſus

Sextò, Dicis quod poſt primum inſtans generationis terminus non dependet neque eſt amplius actualiter ab agente; Igitur fit tranſitus aliquis ab eo quod eſt dependere realiter ad hoc quod eſt non dependere realiter, & iſti non ſunt meri reſpectus rationis, quia nullo intellectu cogitante candela ex. g. accenſa dum accenditur pendet in accendi ab alia candela, & poſtmodum non pendet amplius. Igitur facta eſt mutatio realis.

Reiiciuntur aliæ reſponſiones.

CAPVT III.

REſpondes rurſus cum Gregorio in 2. diſt. 4. q. 1. art. 2. ad primum factam eſſe mutationem realem quia deſinit eſſe mutatio, licet mutatio non deſinat eſſe, quia res non eſt mutatio, niſi quando verum eſt dicere, quod ipſa eſt actus eius, quod ad ipſum videlicet totum immediate prius fuit in potentia; quod ſolum vere dicitur in eo inſtanti quo primo ſubiectum eſt mutatum ad ipſum. Neque hoc eſt quia tunc res aliqua corrumpatur, ſed ideo quia in eſſe continuatur.

Eodem modo in motu locali quando mobile prius motum quieſcit, motus deſinit eſſe motus, non propter deſitionem alicuius rei, ſed quia eſt acquiſitum complete quod eſt acquirendum cum mobile mouetur; & iam non eſt immediate aliquid acquirendum, ſicut requiritur ad hoc quod res aliqua ſit motus, & ſit actus mobilis, ſecundum quod eſt mobile, & in potentia.

Contra, quia quando res quæ eſt mutatio deſinit eſſe mutatio, aut actio; vel aliquid quod erat antea, tunc non eſt, & hoc non aſſignatur quid ſit, quia remanet terminus productus, & agens vt antea, & ſolum deſinit dependenta actualis, igitur hæc eſt quid reale, quod deſinit non deſinentibus aliis. Vel quando deſinit mutatio, aut actio, omnia remanent ſicut ante deſitionem, & ſic erit deſitio, abſque eo quod aliquid eſſe deſinat, quod non minus eſt impoſſibile, quàm quod ſit productio, & nihil tamen producatur.

Deinde res quæ dicitur mutatio debet eſſe actus eius, quod ad ipſam immediate prius fuit in potentia, quod ſolum vere dicitur pro inſtanti quo ſubiectum eſt mutatum ad ipſam rogo quomodo ſit iſte tranſitus à non eſſe actum ad eſſe actum pro inſtanti, v. g. ſi ſol deſinat conſeruare lumen in aere, & Deus incipiat ſe ſolo conſeruare, quid eſt quod deſinit, & quid eſt quod incipit neque inquiro definitionem, ſed definitum, ideſt an aliquid reale deſinat quod ante erat, & aliquid reale incipiat quod antea non fuit; ſi enim nihil tale deſinit, aut incipit & omnia ſe habent vt prius, quomodo lumen dicitur deſinere conſeruari à ſole, & incipere à Deo ſolo ſi aliquid reale, habeo intentum.

Et idem eſt de motu locali, ſi enim deſinit moueri mobile per hoc quod eſt acquiſitum complete id quod mouebatur, & nihil immediate eſt acquirendum, profecto antea fuit acquiſitio, & poſtea non eſt; mobile autem & ſpatium permanet vt prius, igitur acquiſitio quæ deſiit, eſt quid diſtinctum à mobili, & ſpatio, ac motore.

Tertiò, Manentibus iis à quibus fit denominatio, non eſt cur dicatur variari denominatio, ergo ſi mutatio, & actio non ſunt niſi terminus, & agens, iiſdem manentibus, manebit denominatio, neque inſtans inceptionis, vel deſitionis, eam impediet, ſi in eo nihil eſt, quod non ſit tempore ſequenti.

Certe ſi illuminatio aeris à ſole realiter non eſt aliud quàm ſol, & lumen in aere, iis manentibus, omnia manent à quibus fit denominatio; & ſicut aer vere, & formaliter denominatur illuminatus manente in eo lumine; ita & dicetur illuminari manente eodem ſole, quia eſt regula vniuerſalis quod manentibus iis à quibus fit denominatio, manet denominatio ipſa.

Responsio Recentiorum ad idem argumentum de separatione inadæquata reiicitur.

CAPVT IV.

P. Claud Tiph. c. 50. & 51.

QVia responsio Gregorij videtur potius vocum inuolucris nodum obtegere, quam soluere; ideo recentiores aliqui omnem adhibuere conatum vt maiorem Scoti propositionem ingenioſe distinguerent, quam maiori parti scriptorum excellentium nostri ordinis arrisisse aduerterant.

Dicunt igitur quæ à parte rei separantur proprie, & per se, ac primò differre realiter; quæ improprie, inadæquate, & per accidens, non differre realiter, vt patet in materia, ac priuatione in quantitate, & figura, in fundamento, & relatione, & in aliis multis, in quibus vnum potest esse sine alio, nec tamen inter se differunt secundum rem.

Hanc distinctionem admittendam necessario ab omnibus contendunt, nam ex iis quæ habet Aristoteles primo Phys. text. 20. tria colliguntur: primò distingui forma, seu formaliter idem esse ac distingui ratione, conceptu, definitione, esse, seu essentia. Secundò Non solum id quod re differt, sed etiã id quod ratione tantum differt ab aliquo, posse non permanere hoc permanente, seu posse desinere, quod est vnum ab alio quodam modo à parte rei separari. Tertiò, Multiplicem esse à parte rei separationem, puta simpliciter propriam, per se primò & non ratione alterius, vt in duobus lapidibus, duabus guttis, materia ac forma, accidente, & subiecto manifestum est. Alteram secundum quid, improprie, & per aliud, cum quid ab alio separatur per partem, seu ratione alicuius quod includit in sui adæquata ratione; vel cuius præsentia ab eo tollitur, & absentia in eo ponitur. v. g. cæcitas separatur ab oculo non per se, sed per aliud nempe per facultatem videndi; eidemque aduenit, & in eo manet per absentiam eiusdem facultatis. Sic tenebræ aeri, sorditas auri, & vniuersim omnes priuationes, & negationes à parte rei aduenium subiectis suis, & ab eis recedunt non per se, sed per præsentiam, vel absentiam formæ quam negant.

In positiuis etiam, & absolutis à linea pedali pedalitas separatur sola adiectione alterius pedis, & à puero parvitas dum augescit, & doctissimus ac ditissimus quis esse desinit, nulla vel scientiæ, vel diuitiarum iactura, sed aduentu alterius doctioris, & ditioris. Et in relatiuis, quia in probabili sententia relatio non distinguitur realiter à fundamento, separatur ab eo non per se, sed per aliud, nempe destructione termini quem v l includit, vel connotat, atque ita separati relationem à fundamento non sit quicquam detrahi de fundamento, sed est illam realitatem fundamenti, quæ antea erat ens absolutum, & relatiuum non amplius esse, nec concipi posse vt ens relatiuum, quod est relationem perire per aliud, & per accidens.

Sic in proposito motus, actio, & passio separantur à termino cum quo realiter identificantur, non tamen simpliciter & per se, & adæquate, sed per accidens, idest per aliud, & inadæquate. Exempli grat. eadem entitas caloris vt est ab igne in aqua, siue vt loquitur Aristoteles 3. Phys. text. 20. Actus ab hoc in hoc, dicitur, & est actio calefactiua, constituitque ignem vere à parte rei agentem, & calefacientem; & prout est in aqua ab igne vel actus in hoc ab hoc, est Passio, seu calefactio passiua: Et vt est actus mobilis vt sic & alterabilis, seu prout aduenit aquæ, illam facit formaliter transire à non calida ad calidam, & se habere diuerso modo, quàm antea, quæ est ratio propria mutationis. Denique hæc eadem entitas vt motum terminat, ac sistit, & facit subiectum eodem modo se habere, quo antea, & illud qualificat, ac denominat calidum est terminus motus, & quies subiecti, & qualitas caloris.

En quàm multa subeat munia simplex entitas, & vna ac eadem inuariata manens. est enim motus, cum facit transire aquam à non calida ad calidam formaliter. Est actio seu calefactio actiua vt est actus ab hoc in hoc. Est passio, vt est actus in hoc ab hoc. Est terminus vt sistit motum, & facit subiectum eodem modo se habere quo ante, illudque qualificat, ac denominat calidum; & hæc voluisse Aristotelem, S. Thomam, Alensem, & alios cum distinctionem motus à termino, actionis, & passionis ab eo explicant.

Et addunt pro maiori declaratione quid sit esse idem diuersum, differens, distinctum, quæ item proprie dicantur separari, & quibus modis, vt magis innotescat allata distinctio Maioris propositioni Scoti adhibita de separatione propria, per se, adæquata. Et impropria, per accidens, inadæquata.

Sed firmus hæret clauus à veteribus fixus, quàm vt refigi istis explicationibus recentibus videatur cum enim ad actionis formaliter sumptæ rationem ista concurrant ex Aristotele à te citato, nimirum actus, Ab hoc, in hoc, peto an sicut Ab hoc significat Agens, in hoc significat subiectum seu patiens: ita nomine actus significetur aliquid reale? Respondebis forte significari terminum: vt est actualiter ab Agente. Rursus interrogo in ly vt est actualiter ab Agente significet aliquid præter Agens, & terminum nullo intellectu cogitante? Si asseris, habeo intentum; ego enim dico quod esse actualiter ab agente dicit dependentiam termini ab eodem, qui est modus distinctus plusquam ratione ratiocinata. Si negas, rogo te, quid est id quod

inadæquate, improprie, per aliud eſſe deſinit, ſeu ſeparatur poſt inſtans generationis ratione cuius deſinit actio, & dependentia ab Agente? nam manet agens, ſubiectum, terminus, v.g. ignis, aqua, calor, & ſolum tempus eſt mutatum: quid ergo deſinit, ad cuius deſitionem deſinat actio calefactiua improprie, inadæquate, & per partem, & per aliud? non enim recurris ad inſtans, vel tempus; & meritò, quia ſunt quoad extrinſecum non pertinens ad conſtituendam actionem. Præter hoc autem omnia manent eadem tempore ſequenti, quæ erant in primo inſtanti, ergo manet actio ſecundum omnia quæ includit realiter, quia neque extrinſece, neque intrinſece perit aliquid, ad cuius deſitionem ipſa deſinat, etiam inadæquate.

Confirmatur exemplis tuis: nam æqualitas deſinit inter duas quantitates, quia vna earum amittit, vel deperdit aliquid reale; & in vniuerſum relatio perit, aut aduenit, pereunte, vel adueniente termino, dato etiam quod realiter idem ſit cum fundamento, vel connotante, vel includente terminum: At in caſu noſtro nihil eſſe deſinit, ad cuius deſitionem deſinat actio, quia manent Agens, Patiens, terminus, præter quæ nihil reale dicit actio per te. Eſto igitur illa ſeparentur inadæquate, & improprie, quia mutatio fit in aliquo reali; hic quid realiter ſeparatur etiam inadæquate, ſi adæquate manent omnia realia quæ includit actio? Ariſtotelem autem, & S. Thomam, alioſque Doctores aliter ſentire infra oſtendam.

Dices quod iuxta verum ſenſum actio, & terminus non ſupponunt pro rebus diſtinctis extra animam, cum dicitur actio & terminus ſunt idem; ſed pro ipſis terminis, vel conceptibus actione, & effectu eiuſdem rei, quorum vnus dicitur actio & via; alter dicitur terminus, & effectus. Et actio eſt prior termino cauſalitate, & præſupponitur ei reſpectu rei correſpondentis vtrique. quamuis idem ſit actio, & terminus.

Tertia reſponſio de deſitione complexi non ſatisfacit.

CAPVT V.

PArum differt in re à ſuperiori reſponſione, & proinde non magis apta eſt ſoluendo argumento, quàm ſit illa, quantumuis ingeratur à recentioribus ſecutis Gregorium, & alios quoſdam Nominales. Dicunt igitur poſt primum inſtans generationis diſſolui complexum, & proinde deſinere actionem. Sicut quando ſeparatur anima à corpore, diſſoluitur compoſitum, & deſinit eſſe homo; non quia pereat vnio vlla media diſtincta realiter ab anima, & corpore; ſed quia perit complexũ. Et vice verſa ſi anima Sortis non eſt vnita materiæ, & poſtea vniretur, eſſet Sortes, qui primo non erat; Sicut in reſurrectione erit Iudas qui modo non eſt, ait Gregor. diſt. illa 28. q. 3. art. 1. ad 28. abſque eo quod ponatur modus vnionis diſtinctus à partibus vnitis. Et in Incarnatione ſi natura primò non eſſet vnita Verbo, eo modo quo nunc eſt, & poſtea vniretur; vna res eſſet, quæ primò non erat, ſcilicet Chriſtus, & ſi natura ſepararetur à Verbo, aliqua res deſineret eſſe, ſcilicet Chriſtus, ſecundum quod Chriſtus eſt nomen conſtituti ex vtraque natura, fit ergo, & deſinit complexum abſque vlla deſitione vllius entitatis earum quibus conſtat.

Confirmat primò Gregorius arguens ad hominem, ideſt Ochamum in primo diſt. 30. q. 4. vtens exemplo eius à ſe admiſſo vt vero. Aliquis non habens Spiritum ſanctum poteſt illum habere nulla entitate cauſata, vel diſtincta in eo vel Spiritu ſancto, aut alio aliquo; & conſtat quod hoc non eſt propter tranſitum temporis, ſicut neque propter tranſitum temporis natura poteſt habere quod ſit vnita, aut non vnita. Ex quo infert contradictoria poſſe ſucceſſiue verificari ſine productione, vel deſtructione rei alicuius.

Deinde per te poteſt Deus ex creante fieri non creans, abſque eo quod aliqua creatura accipiat, vel amittat eſſe. Poteſt enim in inſtanti creare Angelum, & poſt illud inſtans nihil creare, & ſic fieri non creans ſine deſitione vllius entis, quia per te creatio non eſt creatura diſtincta à re creata.

Explicari adhuc & confirmari poteſt ex doctrina recentiorum aduertentium totum aliquod dupliciter perire poſſe: vel totaliter, cum nihil eius remanet in rerum natura; vel partialiter, vt quando deſtruitur vna pars compoſita manente altera, quod fit in continuis generationibus in quibus formæ pereunt, & manet materia: Aut quando vtraque pars remanet, & aufertur vnio intrinſeca, vel habitudo, & certus quidam ordo in quo conſiſtit formalis ratio, & totalitas eſſentiæ rei, qualis eſt in domo & aliis artificiatis, quorum perfectio non attenditur penes partes materiales quibus conſtant, ſed penes ordinem, quo ſunt diſpoſitæ, & ſecundum quem conſtituunt totum. Et in propoſito actio, ſeu agere non eſt ſola res quæ agit, & quæ agitur, ſed eſt illas eſſe cum tali ordine, & ea habitudine, qua illa dat huic eſſe, vel hæc quaſi exeat ab illa, ſitque in rerum natura per illam: deſinente ergo hac habitudine deſinit actio, quia illa eſt veluti forma, & totalitas quædam reſpectu entitatis partium, & ideo ſi pereat, perit totum complexum, remanentibus partibus; ſicut deſinit eſſe domus, aut horologium, ideſt complexum ex multis entitatibus quæ remanent omnes, ſed ſine ordine quo illud conſtituebant; qui tamen non eſt quid diſtinctum ab illis, ſed eſt ipſæ partes ſic diſpoſitæ.

P. Claud. Tiph. c. 14. l. cit.

Sic Syllaba Ab nihil eſt aliud quàm complexum ex A, & B, quæ remanere nihilominus

Digitized by Google

poſſunt diſſoluto complexo, & toto, puta ſi inuertantur & fiat Ba, vel ſi patentur, & ſint A & B. Ideo Ariſtoteles 2. Phyſ. t. 31. totalitatem, & compoſitionem numerat inter cauſas formales, & partes inter cauſas materiales. Confirmatur, quia ex duabus guttis non vnitis, neque continuis, ſed contiguis poteſt fieri vna gutta continuatis, & vnitis duabus partibus in vnum totum, idque ſine vllo modo ſuperaddito, ſed ſolum per mutationem à non complexo ad complexum: ergo idem dici poterit de actione, quod ſcilicet dicatur deſinere quia deſinit eſſe hoc ab hoc non per aliquid medium, ſed ſeipſo, ſicut deſinit gutta eſſe diuiſa ab alia non per modum diſtinctum, ſed ſeipſa; neque enim cenſendum eſt in quanto continuo dari vniones partium inter ſe, quia cum iſtæ non ſint actu, ſed potentia in toto diuiſibili in infinitum, neque dantur vniones infinitæ inter partes.

Confirmatur reſponſio ex doctrina Gregorij ſupra tradita, eo quod per diuinam voluntatē poteſt Petrus vno tempore non eſſe acceptus ad vitam æternam, & poteſt eſſe pro alio tempore, nulla facta mutatione in ipſo, ergo ſolo temporis lapſu fieri diuerſum complexum per eandem ſine mutatione reali.

In forma igitur ad argumentum Scoti in hac via reſpondetur diſtinguendo minorem: nam terminus quidem manet poſt inſtans generationis, & manet agens, ſed non manet complexum ſiue habitudo, & ordo inter ipſa, & ita deſinit actio, quæ formaliter conſiſtit in termino, & agente vt dicunt habitudinem, ſeu vt conſtituunt complexū ſeipſis, & non per modum diſtinctū; vnde & eſſe formaliter dicetur quando terminus eſt abagente, eſt enim tunc nouum cōpoſitum, ſeu complexum, ſicut cum dicitur forma vnita materiæ eſt aliquid, nempe compoſitum quod antea non erat; & cum dicitur natura humana vnita Verbo, quæ antea non erat, nihil dicitur niſi nouū compoſitum ex duabus naturis in vna perſona ſeipſis vnitis ſine medio.

Diſplicet reſponſio hæc Realibus, eamque impugnat Vaſq. inprimis t. 1. 3. p. diſp. 18. c. 1. Et ſane quæ in vniuerſum dicuntur de complexo, quod vel eſſe incipiat, vel deſinat, nulla facta mutatione in terminis ipſius, vel in aliquo pertinente ad terminos videntur non intelligibilia non ſolum à Thomiſtis, Scotiſtis, & principalibus noſtris Doctoribus, ſed etiam ab ipſis Nominalium capitibus, inter quos Ochamus loc. cit. Impoſſibile eſt contradictoria verificari de eodem ſucceſſiue, niſi propter motum localem alicuius, vel propter tranſitionem temporis, vel propter productionem, vel deſtructionem alicuius entitatis; quam propoſitionem negat Gregorius cit. diſt. 28. q. 3. art. 1. ad 18. Sed gratis, vt infra patebit. Et licet tranſitio temporis non ſufficiat ad mutationem in communi ſententia; neque ad illam recurrant recentiores ſectatores Nominalium; tamen hinc ſaltem conſtat Ochamo fuiſſe imperceptibile verificari contradictoria ſucceſſiue, quia intercedat aliqua mutatio realis in aliquo ſaltem extrinſeco, quod iſti re vera negant, & verbis tantum ludunt dicentes mutati complexum.

Gabriel & ipſe fidus interpres, & aſſecla Ochami relatis in 3. diſt. 1. q. 1. Corol. 2. quæ habet Greg. in contrarium, *Maior*, inquit, *illa quam negat, videtur veriſſima, & ſunt probationes eius: neque ſoluta ſunt; neque videtur intellibile, quod contradictoria ſucceſſiue verificantur de eodem, nulla mutatione ad formam, locum, vel tempus facta in rebus per contradictoria ſignificatis.* Et probat, quia vbi manent correſpondentia rei ad intellectum, manet eadem veritas propoſitionis; manet autem correſpondentia ſignificatione ſpropoſitionis non mutata; nec mutatis rebus ipſis; manet igitur eadem veritas. hæc Gabriel pergens probare dictum Ochami, & oſtendere quod ſaltem requiratur ſucceſſio temporis ad hoc vt de eodem verificentur contradictoria ſi Deus ita velit.

Contradictoria verificari non poſſunt de eodem niſi facta aliqua reali mutatione

Contra hunc modum reſpondendi eſt ratio ſecundo loco, quia hoc complexum vel eſt quid diſtinctum à terminis adæquate ſumptis, & collectiue; vel nihil eſt præter ipſos terminos: Si primum, habeo intentum, erit enim modus aliquis, aut ne verbo, adſit inuidia, erit ens tertium, & medium inter agens, & effectum, quam viam vocamus, & actum agentis in paſſo: ſi poſterius, Igitur quando dicis eſſe terminum vt eſt ab agente, vel vt includit habitudinem, & ordinem ad agens, adhibes multitudinem vocabulorum ſine nouo ſignificato, & redit argumentum, quod nulla fiat mutatio in re, quia poſt inſtans generationis manent omnia prorſus quæ erant in inſtanti, ergo manet etiam complexum, quod nihil eſt diuerſum, vel diſtinctum ab illis, & conſequenter manet tota ratio formalis actionis, quæ nihil per te reale dicit niſi terminum vt eſt ab agente, hoc eſt terminum, & agens, cum particula Prout, ſeu vt includit ordinem nihil plus addat actioni, quàm ſi non adderetur ipſa.

Confirmatur, Ideo hæc propoſitio, actio eſt formaliter à parte rei, quia ſunt omnia requiſita ad hoc vt ſit, cenſetur vera, quia obiectum eius ita eſt à parte rei vt enuntiat in propoſitione, ſed poſt inſtans generationis nihil plus, aut minus habet idem obiectum, quam haberet in inſtanti, ergo propoſitio enunciatiua ipſius ita eſt vera poſt inſtans ac fuit in inſtanti. Maior eſt certa. Minor probatur, quia per te ſunt omnia tempore ſequenti, quæ erant in inſtanti generationis, ſi quidem ordo, & habitudo ſignificata per particulas vt, prout, ſecundum quod eſt ab agente, nihil reale denotant præter agens, & terminum. Conſequentia patet, quia ex eo quod res eſt, aut non eſt propoſitio eſt vera aut falſa. Res autem eſt tempore ſequente inſtans eadem immutata, quæ facit in inſtanti: igitur ſi tunc erat complexum, erit & poſtea, & ſi pro inſtanti erat formaliter actio à parte rei, erat & poſt inſtans, & ſemper dici poterit actio eſt, quia ſunt omnia neceſſaria ad hoc vt ſit, & fiat vera propoſitio, Quia idem inquantū idem ſemper facit idem,

quod in propoſito ita accipitur, vt idem obiectum quod nihil amiſit, vel acquiſiuit à parte rei, ſed ſemper manſit idem, faciat eandem propoſitionem quocunque tempore, v. g. paries albus retinens eandem albedinem ſemper eſt obiectum propoſitionis veræ quod ſit albus, quocunque tempore enuncietur; & quantitas palmaris ſemper eſt obiectū propoſitionis quod ſit palmaris, &c. Igitur agens, & terminus immutata, ſemper ſunt obiectum idem & eiuſdem veritatis ſignificatæ per propoſitionem, Actio eſt.

Dices per Dei voluntatē fieri de actione non actionem, id eſt de non cōplexo in complexū, in inſtanti generationis vult ignem ex. g. eſſe, quia eſt ignis A, & poſt illud inſtans non vult eſſe, quia eſt ignis A, cum ipſe ſolus conſeruet. Sicut poteſt velle quod Petrus non ſit acceptus, ſed inimicus, pro vno menſe, vel anno; & eo elapſo ſit acceptus, & non inimicus; in hoc enim nulla eſt repugnantia

Non ſatisfacis, quia voluntas diuina non poteſt phyſice mutare res extrinſecas, niſi producendo, vel deſtruendo aliquid, puta ex non albo facere album formaliter, niſi producendo albedinem; neque ex albo non album, niſi deſtruendo albedinem, ergo cum actio ſit quid Phyſicum, non poteſt ex non actione fieri actio niſi additione alicuius realis entitatis; neque vice verſa fieri non actio niſi deſtructione alicuius phyſicæ entitatis; & proinde ſi deſinit complexum tempore ſequenti, quod erat in inſtanti, deſinere debet aliquid quo fiebat complexum phyſice, ac realiter; & non ſolæ voces vt, Prout, inquantum, quæ cortices ſunt ſine nucleo; inania vocabula ſine ſignificato. In exemplo allato de Petro accepto eſt diſparitas: eſt enim mutatio hæc ſolū moralis, nos de phyſica loquimur; & de illa diximus in quæſtione propria de mutatione obiectiua, inuolui in obiectis propoſitionum diuerſarum aliquid diuerſum, v. g. de non accepto ad gloriam, fit acceptus ad gloriam ſuo tempore conferendam.

Tertiò, Si Deus dicat volo complexum hoc v. g. actionem ignis A debite applicati; & nolo complexum ignis B item debite applicati cum igne C. producto ab igne A; peto quid dicat amplius complexum ignis A, & ignis C, quam ipſos ignes A & C. ſi nihil amplius, vnde igitur habet ignis B vt non faciat etiam complexum cum igne C? eſt. n. & ipſe debite applicatus, & ignem B eſſe ab igne A nihil ponit à parte rei, niſi duos ignes A & B; & cum ſint etiam duo ignes A & C non eſt ratio, cur non ponatur etiam complexū ex ipſis, ſicut ex aliis duobus: vel ſi voluntas Dei eſt cauſa huius diuerſitatis, aſſignetur obiectum volitum illi correſpondens, ratione cuius conſtituatur vnum potius complexum, quàm alterum. Non enim valet dicere obiectum eſſe vt ignis C pendeat, vel ſit ab igne A, & non ab igne B. nam hoc pendere per te nihil eſt præter ignem A & C. atque ita nihil facit complexum à parte rei ex illis, potiusquam ex aliis, aut explicandum eſt quid cauſet Dei voluntas extrinſecus, quo fiat complexum hoc, & non illud, cum nihil ſit noui niſi tempus, & poſſit Deus velle vt eodem tempore ſint omnes iſti ignes & non ſit dependētia, ſi ſolus ipſe illos producat.

Si dicas illis particulis prout eſt actualiter, vel inquantum pendet; vel vt habet ordinem ad agens, ſignificari formalitatem quandam, quæ eſt effectus, ſeu terminus, vt ſubſtat tali conſiderationi cum fundamento in re; multiplicas verba, & non affers nouum ſenſum; ſemper enim recurrit difficultas an illa formalitas ſit aliquid reale propter terminos; ſi enim affirmas, à nobis es; ſi negas, contra nos es, & habes contra te argumenta dura, & fortia.

In quibus omnibus argumentis non petitur quid ſit hoc eſſe ab illo, pendere ab illo, effici ab illo, cum reſpodetur agere idem eſſe, ac dare eſſe; pendere & effici idem eſſe, ac accipere eſſe: ſed iis ſuppoſitis, quæritur an actio ſit quid reale diſtinctum pluſquam ratione rationata ab eo quod per illam, tanquam per cauſalitatem agentis, accipit eſſe, ſeu efficitur; ſeu quod idem eſt, an actualiter pendere ab agente præter terminum & agens ſignificet aliquid reale. Itaque quando dicis quod ſol illuminat aërem, non quæro adhuc quid ſit illuminare, ſuppono enim nihil eſſe aliud quam dare eſſe lumini, vel lumen ab eo accipere eſſe in aëre; vel eſſe principium vnde motus illuminationis; ſed vlterius quæro, an eſſe lumen à ſole, ſiue effici lumen à ſole ſit aliquid quod præciſe conſideratum, neque ſit lumen, neque ſol, & quod ſit in prædicamento actionis, ſicut ſol eſt in prædicamento ſubſtantiæ, & lumen Qualitatis. Et hic eſt cardo circa quem conuoluuntur fores diſceptationis non apertæ, nec aperiendæ, niſi amoto repagulo, fractoue obfirmatæ adhæſionis Nominalium commentis, quæ ne verborum tantum frondibus ex ſylua grammatica comportatis conueſtita viderentur, communire curarunt ſummo ſtudio pauculi recentiores Ariſtotelis, & S. Thomæ auctoritatibus; ſed non adeo fœliciter ad hanc vſque diem, vt enodaſſe nodum herculeum Scoti, Aureoli, Soarij, Vaſq gloriari meritò poſſint.

Admittimus documenta Logica, & Metaphyſica, axiomata vulgata non reijcimus, quibus ornare ſatagunt reſponſiones, & diſtinctiones ſuas, non ſumus moleſti, neque moroſi in congerendis interrogatiunculis, quid ſit agere, quid ſit eſſe Ab? quid ſit definitiue eſſe ab aliquo? quid ſit ſolem illuminare, vel non illuminare? Cur die Sol illuminet, & non Luna? Damus libere ſex vltima prædicamenta connotare, vel includere aliquid extrinſecum ei de quo prædicantur; ſufficere ad denominationem, vt id quod denominat ſignificetur plerumque per modum formæ: oportere in quæſtionibus ſoluendis modum ſciendi tenere, & ad Logicæ præcepta attendere; & ſimilia, quæ aduerti vult P. Claud. Tiphan. cap. 54. & 55.

Illud dumtaxat expectamus hactenus, ſi actio formaliter ſumpta nihil reale ſignificet præter terminum & agens; & hæc duo ſint inuariata realiter tempore ſequente inſtans generationis, quid additum, detractumve ſit, ratione cuius in inſtanti quidem ſit, & denominetur actio; poſt inſtans vero neque ſit, neque denominetur actio: Item ſi actio à parte rei eſt idem cum termino, quid ſit illud quod in-

adæquate, sed realiter separari dicis à termino, ne post instans generationis sit, & denominetur actio: Et cum respondes desinere esse actionẽ cum amplius non est ab Agente, de eo ri cupimus an ista verba non esse amplius ab Agẽte, vel desinere esse ab Agente, significent aliquid non significatũ nomine termini & agentis: nos enim affirmamus quia cogimur argumento demonstrante nobis; vos negatis, & eo vos non eximitis, quos parum iuuãt complexi, & inadæquati vocabula; si complexum nihil est præter agens, & terminum: Et inadæquate non separatur à se quod est vnum impotens esse sine se, nisi simul esse possit, & non esse, quod partes reales non habet, quarum vna remanere possit pereunte, vel separata altera, quia vnum indiuisibiliter est

Idem Claud. cap. 30.

Quartò, Si lumen idem in aëre incipiat conseruari à solo Deo, per te fit nouum complexum quod non erat concurrente sole simul cum Deo, quæro quid sit noui in terminis componentibus complexum, quod antea non componebant, & quomodo partes incipiant habere nouum ordinem ad componendum totum? si enim nihil assignetur, sicut partes antea non componebant, ita nec post component. Et vbi, vel vnde, vel quomodo Complexum.

Quintò, Rursus insto, vel totum complexum, est entitas vtriusque componentis, vel aliquid aliud. si 1. ergo illis existentibus est realiter complexum, & proinde incipiente Deo solo conseruare lumen non fit complexum nouum, quia ante erat Deus, & lumen. si 2. habeo intentum.

Dicere autem quod est tertium ens in mundo quod non erat ante, quia partes antea non faciebant complexum quod postea faciunt seipsis, non est respondere directe quæsito an hoc tertium, & nouum ens in mundo addat aliquid reale supra componentia; & manet instantia, quod si addat aliquid reale distinctum, habetur intentum: si non addit, ergo ante erat reale complexũ, quia nihil est reale nisi partes.

Ad instantias Gregorij quicquid sit de vnione materiæ & formæ; & naturæ humanæ cum Verbo, de qua infra, De Actione non potest dici quod fiat formaliter, aut desinat, quia fit vel desinit complexum, si hac voce non significetur quid distinctum ab agente, & termino, vt patet ex dictis.

Ad primam confirmationẽ si habere Spiritũ Sanctum significet aliquid morale puta esse, acceptum Spiritui Sancto sine infusione nouæ gratiæ, transeat verificari contradictoria de eodem successiue sine mutatione physica: Si vero significet aliquid aliud, non apparet quomodo sola successione temporis non mutato obiecto propositionis mutari possit propositio & fieri de vera falsa, vel vice versa. Neque quid sit fieri nouum compositum solo temporis lapsu, quia hoc non est factibile si sit transiens à non esse ad esse physicum, nisi positione alicuius physicæ entitatis, sicut non potest fieri album ex non albo sine albedine de nouo recepta.

Ad alteram Deus dicitur fieri de creante non creans, quia creatio distinguitur à conseruatione, quæ realiter est cõtinuata creatio per respectum ad extrinsecum in quo primo est, cum antea non præfuerit, cum ipsa conseruatio sit rei ante iam productæ, & existentis. Itaque variatio est solum in denominatione, quæ attenditur penes primum esse, & dicitur creatio seu productio; & penes esse consequens & appellatur conseruatio. In quo non fit nouum complexum; sed noua tantum denominatio, non per additionem rei, aut productionem; sed per solam comparationem ad durationem diuersam eiusdem actionis distinctæ à termino; si perseueret eadem actio; vel si noua aduenit, ab eadem denominatur res conseruari, vt contingit in effectu qui simul à Deo, & creatura accipit esse in fieri, & conseruatur à solo Deo in facto esse.

Ad explicationẽ, & confirmationẽ recentiorum oportet respondere an ordo, & habitudo termini ad agens sit quid distinctum ab ipsis, & vera entitas aliqua; an istæ sint pura vocabula nihil significantia præter illa duo, vt notificent nobis fieri, vel desinere complexum ex ipsis in eodem statu realiter manentibus; Et An cum dicit actio esse veluti forma, & totalitas entitatis partium significetur aliquid reale physicum, vel prædicatum metaphysicum; primum enim non admittunt; alterum non est aptum ad soluendam quæstionem quæ est de entitate, & mutatione, vel permanentia rerum physicarum; dato quod per considerationem intellectus concipiatur totalitas ad formæ modum constituentis totum metaphysice etiam consideratum, vt est humanitas respectu hominis constantis anima, & corpore vt partibus physicis.

Exemplum domus, & artificiatorum potius est in contrarium: non enim ex lignis, lapidibus, cementis construitur domus, nisi per actionem fabricatoris ea debito ordine disponentis, & loco mutantis; neque destruitur nisi per dissimilem mutationem: Et idem est in syllaba Ab, quæ tripliciter construi potest: vel scriptione, & perinde se habet ac si duæ aliæ res componerentur, vna iuxta alteram puta duo lapides, duo signa, &c. & hoc fit per motum localẽ tam quando scribuntur, quàm cum scripta collocantur. 2. pronunciatione per quam componi, & transponi possunt; & hic etiam interuenit actio, & motus vocis. 3. significatione mentis accipientis vel pro duobus elementis A & B, vel pro vnica syllaba & propositione seruiente casui ablatiuo: vel pro dictione nihil significante, & tunc tota mutatio est in operatione mentis non in elementis, quæ solum extrinsece denominantur complexa, sed incomplexa sunt à parte rei, etiam cum adnectuntur; quia illa est iuxtapositio, & materialiter se habet ad operationem intellectus quasi formaliter componentis, aut diuidentis.

Syllaba Ab tripliciter potest construi.

Ad illud de Petro accepto ab vitam æternam pro aliquo tempore sine mutatione reali iam dixi esse mutationem moralem & obiectiuam inuoluentem aliquid, ratione cuius variantur propositiones, & denominationes.

Quarta reſponſio recentiorum ad cætera argumenta Scoti inſufficiens.

CAPVT VI.

PRimum erat. Nihil eſt realiter A, ſine quo A poteſt eſſe realiter, & idem eſt ac dicere, Illa diſtinguuntur realiter, quorum vnum poteſt manere ſine altero, quod in modo ſolum proponendi differt à ſuperiori, cui hactenus inſtitimus. Diſtinguunt Nihil adæquate, ſe toto, per ſe primo poteſt eſſe idem realiter A, ſine quo A adæquate totum, & per ſe primò poteſt eſſe realiter, concedo. Nihil inadæquate ſecundum quid, & per partem poteſt eſſe idem realiter A, ſine quo A inadæquate, ſecundum quid & per partem poteſt eſſe idē realiter A, nego: quia hoc nihil aliud eſt, quàm vnam totius partem exiſtere poſſe, altera ipſius parte, ac toto non exiſtente, vt animam exiſtere non exiſtente corpore, vel homine. Poteſt enim ex Philoſopho 4. Phyſ. t. 24. ideeſſe in ſeipſo per aliud, & per partem, cumper vnam ſui partem eſt in alia, vt homo eſt in ſeipſo ratione animæ, quæ eſt in ſuo corpore; non poteſt autem eſſe in ſeipſo primò, & per ſe, ideſt in ſeipſo toto. Et rurſus idem non poteſt eſſe ſine ſeipſo per ſe, & toto, nec ſeparari à ſeipſo primò, & per ſe: Poteſt autem & eſſe ſine ſeipſo per aliud, ac per partem, & ſeparari à ſeipſo inadæquate, & per aliud. Actio igitur quæ, eſt idem realiter cum termino, & agente, poteſt remanere remanente termino inadæquate tantum, & per aliud, ſeu per partem, & ita non ſequiturquod adæquate diſtinguatur & ſe tota à termino. Ita P. Claud. Tiphan. c. 51. conſequenter ad dicta capite præcedenti.

Quæ diſtinctio de toto adæquate ſumpto, & inadæquate communis eſt, ac recepta; ſed incongrua huic loco, in quo minor eſt, ſed terminus eſt idem realiter cum actione, & per te poteſt eſſe ſine actione, & diſtingui deberet iuxta diſtinctionem Maioris poteſt eſſe ſine actione adæquate ſumpta, nego; inadæquate concedo, quia hoc nihil eſt aliud, quàm partem vnam poſſe exiſtere altera vel toto non manente, tunc cedo quæ ſit altera pars actionis adæquate ſumptæ quæ non maneat? ſi dixeris eſſe agens, contra eſt, quia agens manet æque ac terminus, & eodem modo ſe habet vtrunque in primo inſtanti productionis, ac poſt inſtans, ſi quidem per te nihil aduenit, vel adimitur alterutri, vel vtrique ſimul ſumptis; neque eſt inuenire aliam mutationem niſi in tempore quod etiam dante te non ingreditur rationem Actionis. Sicut igitur manentibus partibus hominis immutatis puta anima, & corpore manet homo adæquate; ita manentibus agente, ac termino inuariatis manet actio, quæ tamen poſt inſtans productionis eſſe deſinit, vt fateris. Quod ſi fiat mutatio per ſeparationem animæ à corpore, iam non eſt homo, quia diſſoluta eſt vnio neceſſaria ad compoſitum, & mutata actio conſeruatiua vel vtriuſque, vel ſaltem vnius. At in propoſito nulla fit mutatio, ſi nulla eſt actio realiter diſtincta, quia ſupponitur manens agens, & terminus ſine vlla deperditione, vel acquiſitione. Non poteſt ergo dici manere inadæquate actio, ſi manet totum conſtitutiuum eius adæquatum cum omnibus requiſitis realiter ad actionem nihil vltra includentem, quàm terminum, & agens. Et ſtante in vigore Maiore illa, Nihil eſt realiter A, ſine quo realiter poteſt eſſe A, in ſenſu adæquato, per ſe t. ſe toto vt tute ſumis. Minor poteſt ſubiungi, Sed actio adæquate ſumpta eſt agens & terminus, ergo non poteſt eſſe adæquate, quin ſit agens & terminus, concedis; ergo non poteſt eſſe agens, & terminus, quin etiam ſit actio, à definitione ad definitum, præſertim cum nihil aliud per te requiratur ad veram ac realem rationem vtriuſque definitionis ſcilicet, ac definiti, quàm poſitio vtriuſque agentis videlicet, ac termini.

Quod ſi dicas partem actionisquæ deſinit manente termino, & agente eſſe totalitatem, & compoſitionem ſumptam in abſtracto, quæ ſe habet vt forma reſpectu entitatis partium, ſicut humanitas eſt forma metaphyſica quæ deſinere poteſt manentibus anima, & corpore non vnitis; atque adeo adminorem argumenti modo facti dicas quod agens & terminus manent, ſed non actio adæquate, quia non manet totalitas ad quam requiritur agens non quomodocumque, ſed vt agens eſt, ſeu cauſa vt principium motus, & quietis, ideſt rei in fieri, & facto eſſe; & terminus non abſolute ſumptus, ſed vt pendet, ſiue vt eſt ab agente.

Contra eſt, quia ſicut manentibus partibus in eodem ſtatu manet totalitas, quæ eſt veluti forma ipſarum; ita manente cauſa efficiente, & termino immutatis manet totalitas actionis realiter: vel ſi negas manere immutata, quia poſt inſtans generationis cauſa non agit, & terminus non pendet ab ipſa, igitur facta eſt mutatio realis phyſica, cedo in quo? non in agente, quia nihil acquirit, neque amittit: non in termino, quia manet idem qui fuit in primo inſtanti. In quo igitur? in nullo reali phyſico per te; ergo nec in vllo metaphyſico, quod nihil reale eſt diſtinctum à phyſico, neque mutatur niſi mutato phyſico. Ego autem dico quod facta eſt mutatio phyſica, quia deſiit actio, i. modus. Et quando deſinit humanitas, fit ſeparatio realis partium.

Ad primum incommodum deductum à Scoto, quod negata maiore principalis argumenti deſtrueretur primum principium quia idem ſimul eſſet, & non eſſet, reſpondent hoc non ſequi, quia contradictio vera ex S. Thom. opuſc. 59. cap. 11. eſt oppoſitio vnius, & eiuſdem, non rei tantū, ſed rei & nominis, ſecundum idem, ad idem eodem modo, & eodem tempore; quæ conditiones deſunt in propoſito, quia manente termino ſiue habitudine ad agens, manet actio ſolum inadæquate, oppoſitio autem contradictoria eſſet, ſi maneret adæquate, & non adæquate, eodem modo, & non eodem, &c.

Sed probatum eſt manere adæquate, ſi ſolum dicit terminum, & agens à quo eſt, quia ordo, & habitudo illa non eſt quid reale diſtinctum à termino, & agente, & proinde ni-

Digitized by

hil deeſſe ad rationem adæquatam actionis & nomen ac denominationem, ſi non eſt modus ab vtroque diſtinctus: quo poſito manet actio, quia manent eius conſtitutiua inuariata per te: & non manet quia poſt inſtans generationis agens amplius non agit. Et ſic euertitur primum principium Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Manent enim ſic omnia numerata ex S. Thom. propter tempus, quod non aduocas vt partem, vel complementum actionis formalis.

Ad ſecundum Incommodum reſpondent non intereludi viam probandi diſtinctionem entium, quia ſemper verum erit, quæ ab inuicem ſeparantur, ſecundum quod ſeparantur re differre, & vice verſa. Vel enim ſunt actu vnita, & ex eorum ſeparatione vel adæquata, vel inadæquata probatur diſtinctio realis, vnius ab alio, vt patet ex Philoſopho 1. Phyſic. colligente diſtinctionem materiæ à forma ex reali ſeparatione: vel ſunt actu diuiſa, & notiſſima eſt diſtinctio ſine vlla probatione, quia probatio non eſt niſi ignoti, vel minus noti.

Et hoc non negat Scotus, ſed aſſumit vt certũ ea non eſſe idem realiter, quorũ vnum poteſt exiſtere non exiſtente alio, inferens actionem non eſſe idem cum termino, quia hic manet illa non manente; quod ſi hoc non probat diſtinctionem, ex ſeparatione non poteſt illa probari, vel ſi poteſt, diſtinguitur ergo realiter actio à termino, quæ ſeparatur ab illo: & quia dicis ſeparari inadæquate, explica quid deſit, aut cuius, vel à quo ſit ſeparatio, ratione cuius inadæquate maneat actio, ſiquidem agens immutatũ manet, & terminus idem eſt, nihil plus habens in inſtanti quo fit, aut minus in tempore, quo factus eſt, vt aliquid deſideretur ad Actionem: quia per te eſſe ab agente, nihil ſignificat amplius quod ſit à parte rei quàm ipſum agens, & terminum quem producit, & tempus cenſes extrinſecum actioni, & non ſufficere ad variandas rationes formales, & denominationes.

Reſponſio Gregorij.

VErum Gregorius in 2. diſt. illa prima q. 3. art. 2. ad primum contra 3. concluſ. dicit eſſe puerilem, & rudem cogitationem, cum dicitur radius eſt à ſole, quod res aliqua ſignificetur per illam propoſitionem A diſtincta à radio, & à ſole cum ipſa propoſitio ſit purum ſyncathegorema, & nihil ſecundum ſe ſignificans; nec minus rude eſſet dicere quod per illam Præpoſitionem A ſignificatur talis habitudo media, ſed per totam orationem illam, vt conſtat ex eo quod habitudo illa quam dicis actionem, eſt etiam à ſole.

Doceat ergo Gregorius puériliter, & ruditer cogitantes an idem ſit à ſole pendere, aut efficiradium, ac eſſe ſolem & radium, ab igne cauſari ignem; ac eſſe ignem, & ignem. An vero ſit aliquid diuerſum in re, & non ſolum in oratione. Si primum, ſiue igitur radius ſit à ſolo Deo, ſiue etiam à ſole, erit eadem actio, quia eſt idem radius, & idem Deus, & ſol: & eadem productio ignis B, quia eſt ignis A à quo dicitur produci, cum quo tamen non magis eſt connexus, quàm cum igne C. quia nihil plus dicit productioquàm terminos ipſos at per te idem radius qui eſt à Deo, non eſt à ſole; ergo ſyncathegorema A denotat eſſe aliquid à parte rei, ratione cuius dicatur eſſe radius à Deo, & non à ſole, aut ab vtroque quando vterque concurrit.

Quod ſi ita eſt, & diuerſum aliquid ſignificatur in re, quando dicitur eſſe à ſole & Deo, vel à Deo ſolo, ergo præter agens, & terminum admittendus eſt modus inter ipſa, quem vocamus actionem, viam, dependentiam, &c.

Dices diuerſitatem in hoc conſiſtere, quod ſi Deus non ſuſpenderet actionem ſolis, diceretur quod radius eſſet à ſole, quia ſol eſſet cauſa, & principium eius, ita vt ſi ſol non eſſet, nec Deus aliter ageret, cæteris poſitis radius non eſſet: quod ſi cæteris poſitis etiamſi ſol non eſſet, adhuc radius eſſet, ſol non eſt cauſa ipſius. Entitas ergo radij, & ſolis, ac Dei ſufficiunt ad veritatem huius, radius eſt à ſole, non tamen ſemper illis poſitis propoſitio eſt vera, ſed tunc tantum quando ſol eſt cauſa radij, ſeu quando radius eſt, & cæteris conformiter ſe habentibus, & agentibus, vel non agentibus ſi ſol non eſſet, radius non eſſet. Sic ipſe conformiter ad dicta in 1. diſt. 17. q. 1. art. 2. ad 3. contra primam concluſ.

Igitur in vniuerſum effectum pendere à cauſa eſt effectum eſſe, quia eſt hæc cauſa: vnde ſi cæteris eodem modo ſe habentibus, ex hoc ſolum non eſſet, quia non eſſet hæc cauſa, colligeremus quod eſſet eius cauſa, ſi deinde ea poſita poneretur. Hoc autẽ poteſt intelligi dupliciter: primò quia Deus intuitu huius cauſæ velit effectum eſſe, & non intuitu alterius, ita vt ſi illa non eſſet, nollet effectum eſſe, & quia eſt, ideo ſit verum dicere hic effectus eſt, quia hæc cauſa eſt volente Deo quod ita ſit: Et tunc quærò quid à parte rei reſpondeat huic voluntati diuinæ, ratione cuius hæc cauſa agat, & non altera: v.g. Si ſint duo ignes æque applicati, & velit Deus eſſe calorem quia eſt applicatus ignis A, non autem quia eſt applicatus ignis B, quid ponitur in igne A, vel in calore, propter quod ille dicatur cauſa huius, non autem ignis B? quod enim calor non eſſet ſi non eſſet ignis A, ad ſummum indicatur conditio, ſine qua non eſſet calor, ſed præter conditionem requiritur cauſa vere, & realiter influens in effectum.

Deinde ſequeretur quodlibet poſſe eſſe cauſam proprie, & per ſe cuiuſlibet effectus, puta ignem frigoris, aquam caloris, grauitatem aſcenſus, & leuitatem deſcenſus, ſi Deus velit frigus eſſe quia ignis eſt, & calorem quia aqua; ita vt nollet eſſe hæc accidentia, niſi ſint illæ ſubſtantiæ; quod eſt peruertere naturas rerum, & adimere virtutes actiuas, ac proprietates, & inclinationes cauſarum naturalium, & illis ſe accommodantem prouidentiam diuinam, quæ ſinit illas peragere ſuos curſus, id eſt vnamquamque operari iuxta naturã ſuam: hoc autem plus eſt quàm Deum velle effectum eſſe quia cauſa eſt; quia dicit influxum cauſæ in effectum, & dependentiam effectus à ſua cauſa, Deo quidem volente, & concurrente ſimul, ſed præterea ita exigente cauſa, & po-

Digitized by Google

tentia quæ dicitur exire in actum, & non ſolum eſſe obiectum voluntatis diuinæ volentis effectum eſſe, quia ipſa eſt.

Tertiò, In cauſis liberis hoc locum non habet, quia operantur determinando ſe, & quocumque poſito poſſunt agere, & non agere: atque adeo ratio cur ſe determinent ad vnam partem potius quàm ad aliam in earum libertatem referenda eſt vt, conſtat ex dictis ſupra; non poteſt ergo de illis aſſeri, ideo effectus illarum ſunt quia Deus illarum intuitu vult eſſe, ſed potius quia ipſæ vitaliter influunt, & libere volunt.

Denique hæc eſſet tantum cauſa ſine qua, non autem proprie efficiens ab illa diſtincta de qua hîc loquimur. Vel 2. poteſt ſenſus eſſe ideo effectus eſt, quia cauſa eſt & non eſſet ea ſublata, ex eo quod eſſe cauſæ non ſe habet materialiter reſpectu effectus, & ſolũ concomitanter, vt cõtingit in cauſis per accidẽs, ſed quia formaliter eius cauſa eſt, & dat illi eſſe, quod non haberet, niſi cauſa daret & proinde eſſet; quod ſupponitur ad operari. Ita vt ad cauſam efficientẽ non ſit ſatis eſſe, ſed præterea vt ſit principiũ mutationis, vt ait Philoſophus in 2. Phyſ. t. 29. Et hoc modo verum eſt effectũ eſſe, quia cauſa eſt, nempe formaliter vt cauſa; quod addit ſupra ipſam & effectum rationem cauſandi, ſiue cauſalitatẽ quam vocamus actionẽ: Et ea præciſa non apparet quomodo cauſa actualiter cauſet, aut quomodo effectus accipiat eſſe ab ipſa influente, aut quam connexionem maiorem cum illa habeat in primo inſtanti ſuæ productionis, quam poſt illud, ſiquidem manent omnia immutata, quibus actio realiter conſtituitur per te; & ſimilia, vt ſupra.

Cum igitur ex omnibus reſponſionibus, explicationibus, auctoritatibus, notationibus veterum, & recentium Modorum, adeoque actionis à rebus modificatis diſtinctionem impugnantium tantum lucis aſſequi hactenus non poterimus, vt intelligamus quis ſenſus ſubſit multis verbis congeſtis ad notificandam naturam actionis, & eo tandem detortis, vt nihil eſſe reale præter effectum & agens nõdicus aſſeuerent, pergimus cum Realibus in via regia, & voces illas Prout, in quantum, quatenus eſt Ab agente, pendet ab agente, verum modum ſignificare exiſtimamus.

Reſponſio ad argumentum Suarij reijcitur.

CAPVT VII.

EAdem videlicet qua & reliqua ad argumenta Scoti, Aureoli, & aliorum ſupra, quia in re idem eſt Suarij argumentum, quamuis alio modo propoſitũ per conceptus nimirum obiectiuos, quorũ ſeparatio arguit diſtinctionem maiorem quàm rationis ratiocinatæ; proinde conceptus obiectiuus actionis cum à parte rei, & in individuo ſeparari poſſit à conceptu obiectiuo termini, & agentis, non eſt idem realiter cum illis etiam collectiue ſumptis.

P Claul. Tiphan. c. 52.

Ad ſolutionem notant multa recentiores ex Ariſtotele, & S. Thoma, & tandem concludunt conceptus obiectiuos eiuſdẽ rei poſſe mutari ſolũ mutato aliquo extrinſeco, quod connotant modi in, ex, Ad, A, re ipſa, & forma cui modus ille ineſt, & quam denominat intrinſece penitus inuariata, & ſaluis aliis modis eſſendi, & conceptibus obiectiuis à quibus ratione ſolum diſtinguitur. Et tunc dicuntur ſeparari conceptus obiectiui ſeparatione per aliud, & remanere modi tantum inadæquate; v.g. cum lumen manet in aere, ſi à Deo ſolo conſeruetur, amittit modum eſſendi Ab actiue à ſole, ſicut & eſſendi ex, quia non immediate ſuccedit tenebris, & quia non facit amplius tranſire aerem ex non lucido ad lucidum, amittit rationem, & conceptum motus illuminationis, quia mutatio requirit duos terminos, & ſemper reſpicit vltimum in ordine ad primum, vt D. Thom. q. 2. Verit. art. 13. Poteſt igitur ceſſare conceptus obiectiuus aliquis, quia ceſſet alius, & tamen non eſſe diſtinctio realis inter illos, atque adeo in forma negatur Maior aſſumpta à Soar.

Diuerſi reſpectus ad extrinſeca habent diuerſos conceptus obiectiuos.

Hîc primum concedo eandem rem ſub diuerſis reſpectibus ad extrinſeca poſſe habere diuerſos conceptus obiectiuos, quia cum iſti ſint ipſum obiectum, vt obiicitur menti, poteſt ab illa concipi cum vno reſpectu quia concipiatur cum alio; v.g. eadem albedo cum alia albedine, & vt ſimilis illi, & cum nigredine, vt diſſimilis, etiamſi ſimilitudo non eſſet diſtincta entitas à terminis: quod vniuerſim locum habet in iis quæ habent connexionem aliquam ordinis, menſuræ, & menſurabilis; actus & potentiæ, & ſimilium. Imo eadem res in ſeipſa non ſolum quia creatura eſt, & limitatæ perfectionis, cui addi, & detrahi poteſt, aliquid fundare poteſt diuerſos conceptus obiectiuos; ſed etiam ipſa natura infinita Dei ob illimitatam perfectionem quamuis in ſe ſimpliciſſima fundamentum eſt rationũ, quas præciſiuas vocant, quia vna præſcindit, & quaſi ſeparatur ab alia in conſideratione: Sic non ſolum in homine concipitur ratio viuentis, corporis, ſubſtantiæ; ſed etiam in Deo ratio abſoluti, & relatiui, quomodocunque deinde diſtinctio hæc fundetur in re ipſa, in quo diuerſæ ſunt ſententiæ; ſed in hoc tamen conuenientes quod eſt aliqua diuerſitas in conceptibus obiectiuis, quoties formales feruntur in obiecta vel diuerſo modo, vel variata additione, detractioneve alicuius apprehenſi in vno, & non in alio, puta ſi ſemel apprehendatur natura diuina in ſe abſolute, & rurſus vt affecta paternitate, vel relatione filij & in propoſito eadem actio vt eſt ab agente, & vt eſt in paſſo, vel eadem via Thebi Athenas, & Athenis Thebas. In quibus omnibus ſeparatio conceptus obiectiui non eſt argumentum diſtinctionis realis rei apprehenſæ diuerſimode.

Separatio conceptuũ obiectiuorum dupliciter contingit.

Sed ſecundò aduerto ſeparationem hanc conceptuum obiectiuorum dupliciter contingere; primò negatiue, ſeu mere præciſiue, deinde poſitiue, & vtroque modo tam ſi comparentur conceptus inter ſe, quàm ſi cum re, quæ ſubſtat conceptibus. v.g. eadem albedo conſiderari poteſt vt eſt ſimilis alteri albedini, quia cõſideretur vt diſſimilis nigredini, qui eſt conceptus obiectiuus præciſiue, & negatiue reſpectu alterius item obiectiui vt diſſimilis; Et

poteſt conſiderari vt ſimilis, vel diſſimilis, quin conſideretur vt accidens diſgregatiuũ viſus, & proinde conceptus obiectiuus eſt præciſus negatiue reſpectu intrinſecæ entitatis diſtinguibilis in varias rationes abſolute, & in ſe non reſpectu extrinſeci. Quod ſi vnus conceptus obiectiuus poſitiue negetur de alio, ſeparatio poteſt eſſe in intellectu, quia eſt in re directe ſignificata, & negatio quod vna non ſit alia; vera eſt, & certum argumentum diſtinctionis realis, v.g. ſi dicatur quantitas non eſt ſubſtantia, quia illa manet, hac deſinente, ſeparatio hæc conceptuum obiectiuorum ſupponit, & probat diſtinctionem realem: & tenet argumentum totum reale quod dicit intrinſece quantitas manet, quia maneat ſubſtantia, ergo manet cõceptus obiectiuus quantitatis, & non ſubſtantiæ; igitur ſeparatio conceptuum obiectiuorum eſt etiam rerum quæ menti obiiciuntur, & quidem adæquata, vel inadæquata in conceptibus, ſicut eſt in rebus conceptis.

Hinc fit non ſatisfieri argumento Soarij ex eo quod poſſint ſeparari conceptus obiectiui variato ſolum aliquo extrinſeco, quia in propoſito nullum eſt huiuſmodi extrinſecum quo variato varietur conceptus obiectiuus actionis, ſi ea nihil eſt realiter præter agens, & effectum: nam hæc duo manent inuariata in primõ inſtanti, quo fieri dicitur mutatio, & tempore ſequenti, & ſola ſucceſſio temporis non eſt ſufficiens, aut opportuna ad variandum agens aut terminum; igitur nihil aduenit vel deſinit extrinſece, ſicut neque intrinſece ratione cuius dicatur perire modus ſignificatus per ſyncathegoremma Ab, vel quatenus, vel prout, aut ſi quid eſt ſimilium particularum, quibus vtantur ad explicandam habitũdinem, ac ordinem termini ad agens requiſitam ad hoc vt habeat rationem actionis, & qua deſinente ceſſat actio inadæquate, manente termino ſine illa habitudine, & ſine Ab quod habebat in primo fieri; cum tamen per ipſos hæc habitudo ſeu modus Ab non ſit quid reale diſtinctum ab extremis, & hæc aliunde neque intrinſece, neque extrinſece mutentur, vt concedunt in lumine quod conſeruatur à ſolo Deo, cum prius conſeruaretur etiam à ſole idem prorſus immutatum, quo caſu dicunt mutari A, quia neque Deus, neque lumen mutatur; & negant A eſſe quid diſtinctum à Deo, & lumine, quod eſt dicere fieri mutationem nihili, hoc eſt fieri mutationem, & non fieri; vel ſi ſit rei alicuius mutatio realis alicuius rei, hæc non eſt niſi actionis conſeruatiuæ, quæ prius erat à Deo, & à ſole, poſtmodum deſinit eſſe à ſole, & eſt à ſolo Deo, & vrget argumentum Soarij, quod actio non ſit realiter lumen & ſol, quia conceptus eius obiectiuus in indiuiduo ſeparatur realiter à conceptu obiectiuo luminis, ac ſolis non tantum negatiue ſed poſitiue, quia verum eſt dicere quod manet lumen & ſol, & non manet actio conſeruatiua ſolis.

Vnde exploditur & alia reſponſio aſſerentium actionem non includere ſolummodo terminum & agens, ſed hæc omnia ſimul, nimirum potentiam agentis; præſentiam ad paſſum, cum diſpoſitionibus in paſſo, concurſum Dei præparatum: iis enim poſitis ſufficienter ponitur conceptus actionis, ſeu quod præcedat effectus ſine alio ſuperaddito à cauſa determinata extrinſece per voluntatem Dei, à qua prouenit quod ex pluribus cauſis applicatis, v.g. à tribus ignibus, vna tantum agat, quam ipſe vult agere, & cui applicat ſuam potentiam, non aliis.

Hoc non valet, quia iis omnibus poſitis in actu primo adhuc non concipitur eſſe actio quæ eſt actus ſecundus, igitur ſeparatur conceptus obiectiuus eius à conceptu obiectiuo illorum collectiue poſitorum ſi vero dixeris addendum effectum, qui ad illa ſequitur; non euadis, nam manet idem effectus v. g. idem ignis deſinente eius productione, & manere poſſunt cætera numerata puta potentia agentis, præſentia ad paſſum, præparatus Dei concurſus ſe ſolo conſeruans, ita vt verum ſit dicere, iis manentibus non manet actio ignis producentis, quia Deus ſe ſolo conſeruat, ergo conceptus obiectiuus productionis ignis ab igne ſeparatur realiter à conceptu obiectiuo omnium illorum incluſo etiam effectu, & proinde obiecta realia ſunt diſtincta.

Dices deſinere conceptum obiectiuum productionis, quia ignis deſinit poſt inſtans productionis, pendere ab igne producente, ſed ſeipſo deſinere pendere, quia ſeipſo incipit pendere, & non per actionem à ſe diſtinctam, & ad hanc mutationem intelligendam ſufficere ſucceſſionem temporis, & naturam effectus qui in primo inſtanti eget pendere, quia hoc eſt accipere eſſe, & in reliquo tempore non pendere, quia ſufficienter conſeruatur à Deo, ſed hanc dependentiam habet ſeipſo immediate, ſicut & indigentiam tam in primo fieri ab igne, quam in conſeruari à Deo; proinde ſeipſo pendet, & ſeipſo deſinit pendere, quia & ex ſe deſinit indigere dependentia ab igne.

Contra, quia nulla fit mutatio realis ſine acquiſitione, vel deperditione alicuius realis entitatis ſaltem extrinſecæ rei habenti varias denominationes.

At per te nulla aduenit, vel deperit entitas poſt inſtans productionis, ſed ſolum mutatio eſt in tempore, manentibus iiſdem rebus quæ per te ſunt realitas actionis, ergo neque vlla fit mutatio in re: quomodo igitur in primo inſtanti pendet, tempore ſequenti non pendet? quicquid ſit de indigentia, & dependentia ſeipſo, nam ſufficit quod modo ſit, modo non ſit ad ſeparandos conceptus obiectiuos reales. At in primo inſtanti vere & realiter eſt dependens ab agente, quia accipit eſſe ab illo; poſt inſtans non dependet, quia ignis producens nullam amplius habet actionem vel influxum in ignem productum, ergo vere, & realiter eſt aliqua phyſica mutatio. Dicas quid incipiat, vel quid deſinat tempore ſequenti, & quia omnis mutatio eſt inter duos terminos, quorum alter acquiritur, alter deperditur, aſſigna qui ſint iſti termini, vel in quo ſit mutatio? quod ſi ita eſt vt nihil noui inueniatur in primo inſtanti, quod non ſit etiam tempore ſequenti, in vtroque omnia ſe habent eodem modo, & vel in vtroque eſt actio, vel in neutro. Atqui eſſe actionem quando primo res fit per ſe notum eſt, & conceſſum à te, ergo tunc eſt

aliquid reale, quod poſtea non eſt, & ſic ſeparantur conceptus obiectiui, & obiecta ipſa à parte rei, quod eſſet impoſſibile, ſi non diſtinguerentur vt ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Fruſtra autem huc confugis ad complexum quod aſſerebas mutari, quia poſt primum inſtans deſinit eſſe hoc ab hoc, quia ſi deſinit aliquid reale Ab, & termini hoc, & hoc manent, illius Ab, quod deſinit non eſt idem conceptus obiectiuus, qui eſt terminorum hoc, & hoc, cum vnus realiter ab altero ſeparetur poſitiue, igitur nec obiecta realia ſunt eadem, ſed diuerſa realiter, ſiquidem vnum perit, alterum permanet.

Neque rurſus magis conuenit argumento de conceptibus iſtis obiectiuis diſtinctio adæquate, & inadæquate, quaſi maneat inadæquate conceptus obiectiuus actionis lapſo inſtante productionis, & ideo non poſſit hinc colligi diſtinctio eius ab extremis remanentibus ſine illa habitudine ſeu modo Ab, vt enim ſupra arguebamus, ſi ſolum inadæquate manet, cum antea eſſet adæquate, facta eſt mutatio aliqua realis, eo quod aliquid deſiit realiter, nempe habitudo, ſeu modus Ab; quærimus an hæc ſint verba volantia, vel aliquid ſignificantia, hoc eſt vere deſiiſſe dependentiam. & modum Ab, qui poſt inſtans productionis non eſt, quia effectus realiter non pendet; & proinde non manet idem conceptus obiectiuus realiter, id eſt amplius non eſt in rerum natura illa cauſalitas realis, per quam agens dabat eſſe effectui, quia poſtquam productus eſt non indiget illa; Et tamen incipit alia per quam à ſolo Deo conſeruatur, vt ſit verum dicere quod conſeruatio hæc ſit noua actio & dependentia, & non purus terminus.

Dices ad hoc ſufficere decretum Dei, & tempus diuerſum, quia enim Deus vult, incipit dependere non per nouum modum, ſed ſeipſo. Contra quia niſi ponatur noua conſeruatio diſtincta ab igne non poteſt aſſignari in quid feratur diuina voluntas; non enim fertur in ignē ſimpliciter, quia hic eſt idem in inſtanti productionis & poſt illud, ergo in aliquid aliud diſtinctum quando dicitur velle conſeruare iam productum, aſſignetur quid hoc ſit præter terminū, & agens, quæ manent ceſſante actione, ac dependentia in fieri. Item ponatur quod Deus velit ſeipſo conſeruare lumen in aere, quod ſimul conſeruabatur à ſole, quid reſpondet huic voluntati manentibus omnibus immutatis?

Confirmatur hæc omnia ex doctrina aduerſarij probantis ex duobus conceptibus obiectiuis vnum perire, manente altero, etiamſi fundentur in eadem entitate, ac proinde non poſſe hinc argui diſtinctionem realem quod ſeparetur vnus conceptus ab alio; in omnibus enim auctoritatibus, & exemplis quæ afferunt repetire eſt aliquam mutationem realem per additionem, vel deſitionem alicuius entitatis vel intrinſece, vel extrinſece pertinentis ad variationem conceptus obiectiui.

In primis proferunt ex Philoſopho 8. Metaph. t. 10. quod quemadmodum ablato, aut addito aliquo eorum, ex quibus numerus eſt, non eſt amplius idem numerus, ſed diuerſus, etiamſi minimum auferatur, vel addatur, ita definitio, nec ipſum quid erat eſſe, erit amplius ablato aliquo, aut addito. Sic arguo, conceptus obiectiui numeri ſeparantur, ſi illi addatur aliquid, vel detrahatur, ergo non eſt idem numerus facta additione, vel detractione, qui eſt illis præciſis. Dein, numerus non mutat niſi additione, aut detractione alicuius realis, ergo neque actio.

Item lib. 1. Phyſ. t. 63. Quæ ſunt non vno, eodemque modo producuntur, & mutantur, ſed alia quidem fiunt transfiguratione, vt ſtatua ex ære: Alia appoſitione, vt quæ augmentantur: Alia ſubtractione vt ex lapide Mercurius: Compoſitione alia, vt domus: Alia vero alteratione, vt quæ vertuntur ſecundum materiam. In iis omnibus conceptus obiectiuus ipſius fieri, ſiue mutationis deſinit, manente conceptu rei factæ, ſeu termini ad quem, vel in quo ſiſtit mutatio, & conſequenter ſeparatio hæc diſtinctionem indicat inter mutationem, ac terminum.

Item ex 12. Metaph. t. 51. Ordinatur vna res ad aliam vel ſecundum quantitatem; vel ſecundum virtutem actiuam, ſeu paſſiuam, &c. qua auctoritate vſus S. Thom. q. 7. de Potentia art. 9. c. diſcurrit de perfectione, & bono ex ordine prout niente in res vniuerſi ſimilituducta ab ordine quo continetur exercitus. Et addit quæ pertinent ad ordinem virtutis actiuæ, ac paſſiuæ ſecundum quem vna res agit, alia patitur; ſubſtantiæ, & qualitatis ſecundum quas ordinatur aliquid ad ſeipſum. Ex quo inferunt extrinſecum hoc rerum creatarum bonum, & ordinis perfectionem acquiri, amittique poſſe ſine vllius formæ, modiue realis intrinſeci iactura, v. g. pereunte vna quantitate, vel mutata, perit conceptus æqualitatis cum alia prorſus immutata: ſublato calefactibili non eſt amplius ignis calefactiuus. Sublato viſu color non eſt viſibilis, tranſpoſitione partium eadem cera non eſt rotunda vt antea, &c. Igitur ad mutationem non eſt opus perire aliquam entitatem, vel aduenire rei quæ mutari dicitur, neque ex ſeparatione conceptuum obiectiuorum, quæ tunc fit, colligitur diſtinctio realis vniuerſorum obiectorum, quia vnum & idem intrinſece inuariatum ſubſtare poteſt pluribus conceptibus mutato ſolum aliquo extrinſeco.

Et quidem mutari poſſe conceptus obiectiuos eiſdem rei additione vel detractione alicuius extrinſeci cum ipſa connexi ſupra conceſſimus, ſed difficultas præſens non cōſiſtit in hoc; ſolū contendo ſeparationē realem vnius conceptus obiectiui de eadem re inuariata intrinſece, & extrinſece non conſiſtere ſine diſtinctione reali obiectorum quæ ſeparantur, & ſeparata concipiuntur, etiamſi alioqui quodlibet illorum diuerſimode concipi poſſit vt ſupra.

Deinde exempla quæ afferūtur primò quidem gratis aſſumat ſine probatione quod diſerte negatur ab aduerſarijs, quorū plures mutationes numeratas dicunt fieri per additionem vel detractionem alicuius intrinſecæ entitatis, eo quod in partibus ordinatis ſecundū ſitum ponunt modos vbicationis; & inter quantitates æquales, vel qualitates ſimiles, relationē realem æqualitatis, ac ſimilitudinis. Et figuram in

rotunditate

rotunditate, &c. ac proinde negant ſeparari conceptus obiectiuos ſine ſeparatione rerum, quæ non eſt eiuſdem à ſeipſo, ſed ab alio diſtincto. Præterea in omnibus numeratis mutationibus, & diuerſis denominationibus, ſemper aliquid aduenit, vel deſinit ſaltem extrinſece; in caſu autem noſtro nihil tale aſſignant, quia agens manet idem inuariatum, & effectus pariter ſine vlla mutatione, quia dependentia quæ deſinere, vel incipere dicitur, non eſt quid diuerſum ab ipſo, & agente, à quo ſeipſo pendet; ergo tibi non ſeruiunt auctoritates allatæ, neque exempla in illis poſita, vel à te addita; ſed potius confirmant maiorem propoſitionem Soarii, quia nullibi ſeparantur conceptus obiectiui politiue, quin ſeparentur res, & diſtinguantur maiori diſtinctione, quàm rationis ratiocinatæ in ſenſu explicato.

An validè probetur diſtinctio modalis actionis ex nouitate, & diuerſitate actionum.

CAPVT VIII.

1. *Proponitur argumentum ex hoc capite ab aliquibus minus apte.*
2. *Reiicitur modus eorumdem in explicanda natura actionis.*
3. *Argumenta aduerſariorum, & eorum ſolutiones.*

NEgant negatores modorum; aſſerunt aſſertores, ſupra citati, quibus familiare eſt hoc argumentum. Eadem res produci poteſt per actionem naturalem ab agente naturaliter; & per ſupernaturalem à ſupernaturaliter, puta per creationem, & transſubſtantiationem ſimul cum creatura vt inſtrumento, vel ſine illa à ſolo Deo: terminantur autem actiones diuerſæ terminis iiſdem, ergo hoc quod eſt produci ab vna, non eſt idem realiter ac produci ab alia, & ideo dicuntur differre ſpecie generatio, creatio, transſubſtantiatio, etiamſi idem eſſet effectus per illas productus: neque enim ſi Deus ſe ſolo crearet ignem eundem qui potuiſſet produci ab alio igne, diceretur creatio illa, quæ eſt productio ex nihilo, eſſe eadem cum productione naturali, quæ eſt eductio de materia; aut ſi ignem naturaliter productum, & corruptum, iterum ſupernaturaliter reproduceret, eſſet eiuſdem rationis reproductio cum prima productione. Quis hoc inficietur, niſi qui eandem eſſe actionem velit vbi eſt idem terminus? puta generationem hominis, aut creationem cum reſurrectione; qui tamen diuerſitatem numericam admittere cogitur, etiamſi modum neget diſtinctum, quia generatio eſt à principio coniuncto, non item creatio, & reſurrectio, igitur actiones iſtæ diſtinguuntur à termino, & agente, ſaltem complete ſumptæ ſecundum omnia quæ includunt:

Quod ſi requiras eandem applicationem agentis, & paſſi, ad hoc vt actio poſſit dici eadem; hoc non obſtat, quia applicatio hæc poteſt eſſe eadem cum eodem effectu; & tamen eſſe diuerſa actio, vt patet ſi Deus idem lumen extenſum reproducat in eodem ſitu, in eodem ſubiecto, & propinquitate eadem ad ſolum, & tamen ipſe ſolus conſeruet, reproductio hæc eſt miraculoſa, & proinde diuerſa à prima productione facta à Deo, & à ſole; igitur præter illa enumerata danda eſt actio diuerſa. Idque colligitur non ſolum ex eo quod ſeparantur iſtæ actiones, & earum conceptus obiectiui vt ſupra dictum eſt; ſed ex hoc etiam capite præciſe, quia diuerſimode terminus eſt producibilis, & reproducibilis, quod non eſt intelligibile, niſi per aliquid à ſe diſtinctum, quia ſi ſibi identificaret diuerſas huiuſmodi productiones, illæ etiam eſſent inter ſe identificatæ per regulam, Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, certiſſima in creatis. Aliqui proponunt argumentum ductum ex nouitate, & diuerſitate actionum hoc modo: Actionis nouæ, & diuerſæ debet eſſe nouus, & diuerſus terminus; igitur cum actiones iſtæ, creatio, eductio, transſubſt ntiatio actiue ſumptæ ſint actiones diuerſæ, diuerſi eſſe debent earum termini. Non autem ſemper vltimi, eadem enim numero entitas realis creatione, eductione, transſubſtantiatione poteſt produci, vel etiam pluribus ſolo numero diuerſis, ſi nimirum ſæpius corrupta, vel annihilata reproducatur; ergo admittendus eſt immediatus aliquis earum terminus, qui Modus dicitur. Similiter generatio compoſiti naturalis, v. g. hominis, eſt actio realiter diuerſa à productionibus, & creationibus animæ, & corporis, quæ poſſunt ſingillatim ad ipſa terminari, & eſſe quia ſit illa. P. Claud. Tiph. c 58.

Et quidem vt in probandis aliis modis vim aliquam habeat; tamen in propoſito, vbi de diſtinctione actionis ab extremis agitur, non ita proponitur argumentum à patronis Modorum, ſed potius vt initio propoſitum à nobis eſt; alioqui cum aduerſarij negent terminum ab actione diſtingui, facile etiam negabunt diuerſarum actionum diuerſum eſſe terminum, & aſſumeretur in argumento id quod eſt probandum; vtpote negatum ab illis.

Deinde cum dicitur quod nouæ actionis nouus debet eſſe terminus ſaltem immediatus, ſi mediatus, & vltimus eſt idem, poteſt quidem intelligi de aliis modis per actionem ipſam producibilibus, puta de vnione, vbicatione, &c. Si ſunt modi diſtincti, ſed non de actione, quæ habet ſolum terminum, qui fit, immediatum, & non poteſt aſſumi, neque aſſumunt, qui eam diſtinguunt, quod terminus actionis ſaltem immediatus debeat eſſe diuerſus, ſi actio ſit diuerſa; quia actionum diuerſarum dicunt eſſe poſſe terminum

immediatum eundem numero, v. g. creationis, & eductionis, aut replicatæ productionis eundem ignem, idem lumen, &c. Et hinc arguunt actionem diſtinguì à termino, quia idem terminus immediatus poteſt varie produci, & reproduci, vt infra oſtendam, vbi de indifferentia termini ad variam dependentiam ab eadem, vel diuerſis cauſis agam. Hîc ſolum aduertendum non eſſe idem quod effectus ſit indifferens ad varias dependentias, & quod diuerſæ actionis debeat eſſe diuerſus terminus: Et proinde non æquè probari ex vtroque diſtinctionem actionis à termino, indifferentia namque ad varias dependentias eſt quid vniuerſalius, quàm dependentia termini ab actione.

Cæterum vt ſoluant argumentum obſeruant actionem abſtractum quoddam eſſe metaphyſicum, à quo denominatur agens, cuius concretum eſt ipſum agens, vel agere. Vtrumque autem ex iis idem importat, licet diuerſo modo. Agere autem in ſuo conceptu adæquato multa includit: vel connotat, nimirum principium proximum vnde eſt aliquid aliud, & ipſum aliud vt eſt actionis terminus, & tempus: Ideoque in definitione verbi poſuit Philoſophus lib. 1. de interpr. c. 3. Quod conſignificat tempus. Connotat & habitudinem ad ſubiectum, & ad alias cauſas ſimul concurrentes ad rei productionem, ac etiam aliquando ad terminum à quo. Quando igitur hæc omnia concurrunt, tunc eſt eadem actio complete, & adæquate, & agere eſt idem perfecte. Quando vero aliquod iſtorum deeſt, non eſt actio perfecte eadem, ſed incomplete, & aliquo modo diuerſa Itaque per ipſos actio eſt totum quoddam compoſitum ex agente, termino, tempore habitudine ad ſubiectum, & omnes cauſas concurrentes; & conſequenter aliquo ex iis variato deberet, & actio variari, & concedi quod creatio, eductio, tranſubſtantiatio diuerſæ ſunt, quia in eorum conceptu non includuntur illa omnia eodem modo, ſiquidem creatio non dicit habitudinem ad ſubiectum, quia eſt productio ex nihilo; neque ad eandem cauſam efficientem, quia eſt à ſolo Deo, ſicut & tranſubſtantiatio cum eductio reſpiciat cauſam materialem, & efficientem creatam, creatio, ac tranſubſtantiatio increatam.

Contra primò ad hominem concedentem tres prædictas actiones, quando ſunt circa eundem terminum à parte rei non differre, ſed ratione tantum, & definitione propter diuerſa connotata, quæ includunt, at creatio vt creatio eſt, & tranſubſtantiatio ſunt actiones ſupernaturales, & Dei ſolius propriæ; eductio autem eſt naturalis, & ita conuenit agenti naturali, vt cauſæ principali vt à ſolo Deo fieri poſſit, ergo cum terminus ſit idem, & tunc etiam ſit agens idem, aliunde diſcrimen petendum naturalitatis à ſupernaturalitate quàm à termino, & agente, aut ab alio ex ſupra numeratis, quæ omnia ſingillatim ſunt naturalia; & non apparet quomodo ſimul iuncta conſtituant eius complexum ſupernaturale. Et Deus quidem eſt agens ſupernaturale, ſed cum ab ipſo tam naturalis, quàm ſupernaturalis actio procedere poſſit, oportet aſſignare aliquid quo conſtituatur actio ſupernaturalis formaliter, ſi ipſe modus agendi, & cauſalitas per quam effectus accipit eſſe, non eſt quid diſtinctum à termino, & agente; hoc autem non aſſignatur.

Confirmatur, quia conſtitutiua actionis creatiuæ, & conuerſiuæ vnius ſubſtantiæ in aliam Sacramentaliter, vel alio modo miraculoſo poſſunt eſſe diuerſa etiam circa eundem numero terminum, v. g. circa idem numero vinum, quod poſſet creari, fieri ex aqua vt in nuptiis Galileæ; & à vite generari, ergo non ſolum conceptu, & definitione; ſed à parte rei actiones conſtituræ ſunt diuerſæ. Antecedens probatur, quia ad creationem requiritur infinita virtus vt fic, vt S. Thom. 1. p q 45 art. 5. 3. S. Bonau. in 4. d. 10. p. 2. art. 1. q. 1.

Ad eductionem ſufficit finita: habitudo item ad ſubiectum non eſt in creatione, cum ſit ex non ſubiecto; in eductione eſt: reſpectus ad cauſam efficientem item diuerſus eſt, quia in creatione ſolus Deus operatur; in eductione Deus, & creatura; igitur ſi actio eſt aggregatum ex iſtis, oportet realiter eſſe diuerſam, & non ſolum conceptu, vbi hæc ſunt à parte rei diuerſa & eſſe quid diſtinctum a termino. ſiquidem in eodem termino eſt diuerſus reſpectus ad agens, cuius diuerſitatis debet dari fundamentum diuerſum; & non apparet quidnam hoc ſit niſi actio diuerſa, vt mox explicabo.

Secundò, diſplicet hæc poſitio, quia Prædicamentum actionis eſſet aggregatum per accidens contra communem acceptam regulam logicam, quòd Prædicamenta ſunt entia per ſe. Probatur ſequela, quia aggregatum conſtans entitatibus non connexis inter ſe, neque ordinatis ad conſtituendum vnum tertium eſt ens per accidens, vt patet in aceruo lignorum, lapidum, laterum &c. ſed hoc tempus non habet vllam connexionem, vel ordinationem ad hunc effectum, puta ad hunc ignem, neque hic ignis ad hoc tempus; nam & tempus idem fuiſſet, ſi nunquam ignis hic productus fuiſſet; & ignis hic idem eſſe potuiſſet quocunque alio tempore, ſaltem per creationem, & reproductionem. Vnde nec in fieri, nec in facto eſſe connexus eſt cum hoc tempore, etiam vt connotato, quia non connotat hoc potius quàm aliud tempus. Idque magis etiam locum habet in ſupernaturali actione qua cum non intercedit connexio vlla cum hoc vel illo tempore particulari.

Actio non eſt aggregatum per accidens.

Tertiò. Poſſunt eſſe eadem aggregata ex termino, agente, & tempore, & tamen non erit eadem actio, ergo in illis non conſiſtit neque realitas, neque definitio actionis. Sequela patet; Antecedens probatur.

Manere poſſunt eadem aggregata, & non actio.

Digitized by Google

Idem ignis numero qui producitur, hîc Romæ, naturaliter poteſt in eodem inſtanti produci in alio loco per creationem: vel ſi forte requireres idemtitatem loci ad idemtitatem actionis, finge quod eſt poſſibile produci in eodem loco penetratiue Sacramentaliter à Deo ſolo, quod extenſiue producitur ab agente naturali, & Deo; in tali caſu ignis eſt idem, locus, tempus, agens ſunt eadem, & tamen actiones ſunt diuerſæ, ergo ratio actionis non conſiſtit in illis.

Dices agens non eſſe idem, quia in productione naturali concurrit ignis vt efficiens, & ſubiectum ex quo fit ignis: in creatione vero ſolus Deus ſine ſubiecto agit. Sed hoc eſt contra te aſſerentem creationem, eductionem, transſubſtantiationem eſſe realiter eaſdem actiones, ſi habeat eundem terminum numero. Deinde in actione naturali eſt idem agens Deus ac in creatione, & ſi conſortium cauſæ creatæ in agendo impedit ne dicatur idem agens formaliter, quia non eſt totale agens; igitur impedit etiam idemtitatem actionis, quia ſi agens eſt vnum ex conſtitutiuis eius, eo variato non manet idem conſtitutum, & proinde non erit eadem realiter actio quando creatur, & quando producitur idem numero terminus, & eodem tempore, vt tute aſſeris.

Terminus debet determinari ad reſpectũ quem poteſt habere varium.

Quartò, Habitudo ad ſubiectum, & ad alias cauſas quam dicis connotari ab actione, eſt aliqua relatio termini, ſeu effectus, peto in quo funderur; non in termino ſimpliciter accepto, quia idem intrinſece inuariatus poteſt produci per diuerſas actiones tam habentes, quàm non habentes habitudinem ad ſubiectum puta per creationem vnam, aut plures, & per eductionem; igitur de ſe eſt indifferens ad fundandum hunc vel illum reſpectum: à quo ergo determinatur ad vnum particularem? Non à cauſa, quia ipſa etiam de ſe tam poteſt fundare vnum quàm alterum; igitur fundat per cauſalitatẽ diuerſam, ita vt ſi actio ſit creatiua, effectus dicat habitudinem ad agens vt ad habentem virtutem infinitam producentem ex nihilo: ſi eductiua, effectus reſpiciat efficientem vt producentem in ſubiecto, & ex ſubiecto: quam diuerſitatem quia non habet ex ſe, neque ex aliquo connotato temporis, aut loci; reſtat vt habeat ab agente, non abſolute conſiderato, quia ſic poteſt reſpici multipliciter ab effectu; ſed vt dat eſſe hoc vel illo modo, hoc eſt quatenus creat, vel ſimul educit cum cauſa creatâ, ideſt quatenus dat eſſe effectui per actionem creatiuam, vel eductiuam, quæ ſunt fundamenta diuerſarum habitudinum, & proinde in re diuerſæ, & non ſolum conceptu, ac definitione.

Confirmatur, quia habitudo diuerſa ad agens eſt poſterior actione, ideo enim terminus habet talem reſpectum ad agens, quia tali actione producitur, puta reſpicit Deum vt creatorem, & vt cauſam totalem, quia creatione ex nihilo fit; vt cauſam vniuerſalem, ſed non totalem, quia ſimul cum cauſa creata producit, igitur habitudo connotata non concurrit ad conſtituendam actionem, ſed ſupponit iam conſtitutam, ſicut fundamentum ſupponitur fabricæ, quæ ſuper ipſum conſurgit.

Quintò, ſi à parte rei non differunt creatio, eductio, trãsſubſtantiatio, quãdo ſunt circa eundem numero terminum, ſed ſolum ratione propter diuerſa connotata: ergo verum eſt dicere, quod quando fit ignis ab igne, realiter creatur, patet, quia illa actio habet eundem numero terminum, ſiue creetur, ſiue educatur; connotatum autem ſolum variat denominationem, & conceptum rationis; quis autem dixerit creationem realiter non plus differre ab eductione formæ, quàm differat cœna à prandio per connotatum temporis, etiamſi cibi, & conueſtio eſſent eadem? Quod ſi dicas terminum creationis ex ſe reſpicere virtutem infinitam creatoris, & negationem ideſt ex nihilo: eductionis autem reſpicere virtutem finitam agentis & ſubiectum ex quo fit; vnde quæſo diuerſitas hæc in termino de ſe indifferente fieri per creationem vel per eductionem? Mihi præſto eſt reſponſio, quia vt creatur habet cauſalitatem diuerſam ab eductione: tibi non ita, cui timor eſt concedere quod ſyncategoremata addita termino prout fit, in quantum eſt ab agente quatenus primo fit addant aliquid vel termino ad agenti; & rurſus contendis fundare diuerſas habitudines, nec vnquam aſſignas in quo reali ſit iſta diuerſitas, quia ſi cætera eadem ſint, ac inuariata, tempus quod connotari dicis ab actione, ineptum eſt ad diuerſitatem faciendam in iis quæ intrinſece nullam habent; aut ad dandam vnitatem iis quæ intrinſece ſunt diuerſa.

Sextò, Per te actio re, & entitatiue, ſeu vt alij loquuntur ſubiectiue, ead m eſt cum ſuo termino. Igitur qualis eſt termini entitas, talis etiam eſſe debet actionis realitas; ſi terminus ſit ſimplex vt Angelus, ſimplex etiam erit eius productio ex parte termini; ſi compoſitus, vt homo, compoſita etiam erit actio eius; quomodo talis ſimplicitas ſtat cum aggregato eorum quibus conſtare dixeras rationem actionis ſiue abſtracte, ſiue concrete accipiatur? Aut ſi entitatiue actio eſt idem cum ſuo termino, quomodo poſito eodem termino, non ponatur eadem actio ſecundum ſuam realitatem: & tamen eiuſmodi termini poſſunt eſſe diuerſæ actiones numero, & ſpecie differentes, vt ex dictis manifeſtum eſt.

Obiic. quod Philoſophus 5. Phyſ. à t. 34. 35. ad perfectam vnitatem motus requirit non ſolum vnitatem ſubiecti, & termini; ſed etiam temporis; & præterea eundem tendendi modum ad terminum. Et libro 8. Phyſ. à t. 49. 83. ad perfectam actionis vnitatem requirit, vt ſit idem

numero agens, idem terminus, idem tempus, idem modus agendi; ita vt ſi deſit aliquid horum, actio non ſit complete eadem, ſed incompleta.

Ratio eſt, quia ſicut non eſt idem motus qui quiete interrumpitur; & qui fit per medium circulare, differt ab eo qui tendit per lineam rectam ad eundem terminum: ita actio non eſt eadem, quæ diuerſo fit tempore, aut quæ non eodem modo, licet effectus ſit idem tempus, ergo requiritur ad conſtituendam actionem.

Reſpondeo primò has auctoritates eſſe contra te; quid enim eſt modus tendendi requiſitus ad vnitatem actionis, ſi actio entitatiue, & realiter eſt terminus? vel ſi eſt terminus, & agens, modus agendi eſt ne purum vocabulum, vel aliquid præter terminum, agens, tempus, &c. certe modus tendendi circulariter, vel recta ad eundem terminum, quod eſt exemplum Philoſophi, eſt aliquid diſtinctum à termino eodem, à ſpatio, agente, & tempore extrinſeco. Idem ego dico de actione in vniuerſum quod eſt actus à tali agente in paſſo, receptus ſignificatus per modum tendendi, & viæ ad terminum, & proinde non eſſe hæc mera vocabula, ſed ſignificatiua rerum.

Reſpondeo ſecundò, tempus eſſe duplex: Aliud eſt menſura extrinſeca, vt eſt motus primi mobilis, & hoc non pertinet ad vnitatem actionis niſi vt menſura extrinſeca ducens in cognitionem vnitatis, vel diſtinctionis actionis; quæ ſi coexiſtat illi ſine interruptione cognoſcitur vna eſſe, ſecus ſi non coexiſtat niſi interpolatim. Aliud eſt intrinſeca duratio actionis, & hæc per ſe pertinet ad vnitatem eius, ſiue quia non diſtinguitur ab ipſa, ſiue quia eſt inſeparabilis, & ideo ceſſante hoc tempore ſeu duratione ceſſat motus, & actio. Et de hac verum eſt quod ait Philoſophus non de prima, nam ceſſante quocumque motu extrinſeco poſſet ſaltem per diuinam potentiam perſeuerare intrinſece actionis & retinere ſuam vnitatem.

Reſpondeo tertiò, Dato quod hæc pertineant ad vnitatem actionis, quæ numerantur ex Philoſopho, non ſequi quod illa non ſit modus diſtinctus, ſed quod ſit modus huius ab hoc, ſeu actus agentis in paſſo, coexiſtens tempori extrinſeco, ſed non determinatæ alicui parti eius.

Adde quod Ariſtoteles 8. Phyſ. non meminit eorum quæ recenſet argumentum, ſed ſolum motoris, & mobilis, vt legenti patet. Neque opus eſt alia ſolutione ad rationem.

Obiic. ſecundò. Actio ignotior eſt ſuo termino, ergo vitioſe colligitur ex ea diuerſitate actionum diuerſitas terminorum, & eſt principium petere, ac obſcurum per obſcurius probare. Antecedens patet: nam de calore an ſit ex. g. nemo dubitat, an à calefactione differat multi dubitant; & eam non niſi per hanc cognoſcimus.

Deinde committitur fallacia conſequentis, omnes enim fatemur eundem terminum diuerſis actionibus ſupernaturaliter poſſe produci, igitur ex diuerſitate actionis non poteſt inferri diuerſitas terminorum, eſt enim ex affirmatione conſequentis affirmare antecedens; ſicut ex eo quod eſt animal, affirmare quod ſit homo, cum potius ex antecedente quod ſit homo, inferatur conſequens quod ſit animal. Vnde eſt regula dialectica quod à prædicato ſuperiore non tenet conſequentia affirmatiua ad inferius, ſed negatiua, Non eſt animal, ergo non eſt homo.

Confirmatur, quia actio, ſeu dependentia effectus à ſua cauſa quadrupliciter noua, & diuerſa eſſe poteſt, ex parte agentis tantum, ex parte termini tantum; vel ex modo producendi; vel ſimul pluribus, aut omnibus iſtis, non poteſt ex diuerſitate colligi diuerſitas termini citra prædictum vitium argumenti, quia multiplex diuerſitas ſe habet vt ſuperius, ex quo non ſequitur affirmatio inferioris, vt valeat dicere eſt noua ſeu diuerſa actio, ergo & terminus diuerſus; ſiquidem ſtante eodem termino, & variato aliquo ex prædictis non eſt eadem actio complete, & ſic ex diuerſitate actionis non probatur neceſſitas termini diuerſi.

Reſpondeo, in primis ſi proponatur argumentum noſtræ ſententiæ vt propoſitur ab aduerſario nullam habet vim: intentum enim eſt probare quod actio diſtinguatur modaliter à termino, & non obtinetur ſic arguendo actionis nouæ, & diuerſæ debet eſſe nouus, & diuerſus terminus, ergo admittendus eſt modus ab eo diſtinctus. patet ſequela, quia terminus vltimus diuerſarum actionum tam ſpecie, quàm numero ſolo differentium, poteſt eſſe idem, v. g. creationis, & eductionis ex materia idem ignis, ergo aſſignari debet aliquis terminus immediatus.

Quis non aduertat exilitatem argumenti? ſiquidem multæ actiones quæ immediate terminantur ad effectum vltimum, & non ad modum vltimum, vt ſunt creationes rerum ſimplicium quæ poſſunt replicari, & eſſe diuerſæ circa eundem terminum immediatum, etiam per nos, & ideo non aſſumimus ad probandam diuerſitatem actionum diuerſitatem termini, ſcientes eundem terminum materialem poſſe eſſe diuerſarum actionum; ſed potius ex eo quod per varias actiones idem terminus produci poteſt, colligimus illas diſtingui à termino, quia ſeparantur illæ inter ſe cum vna poſſit eſſe deſinente alia; & ab ipſo termino qui remanet non remanente hac, & illa actione. Atque ita ex eo quod terminus eſt producibilis per diuerſas actiones diſtinguitur ab ipſis actionibus quæ pereunt ipſo permanente. Conſequenter.

Reſpondeo ſecundò nullum eſſe vitium in argumento, neque ex ignoto procedi ad notius, quia aſſumitur quod eſt certum, & notius, nimirum poſſe eſſe

Digitized by Google

vnum, & eundem terminum plurium actionum, quicquid illæ sint, quod etiam tu concedis in tuo sensu, & hinc infertur quod est ignotius, & controuertitur.

Ad alteram partem nulla est fallacia consequentis, neque illatio à prædicato superiori ad inferius per affirmationem, quia non infertur ex diuersitate actionum diuersitas terminorum, sed ex separabilitate distinctio, vt dictum est.

Ex quo patet ad confirmationem, quia continet eamdem difficultatem.

Soluuntur obiectiones aliæ contra distinctionem actionis à termino.

CAPVT LX.

PRima est, quia Aristoteles 3. Phys. t. 19. refellit distinctionem motionis ex eo quod tot essent mutationes quot sunt nouæ formæ quæ adueniunt subiecto, quia vnaquæque habet suam actionem à qua producitur.

Secunda daretur mutatio ad motum, & actionem, quod refellit idem Aristeles lib. 5. Phys. à t. 10. nam productio talis modi actionis, & eius receptio in subiecto, est mutatio, per se tendens ad aliam mutationem quam terminus efficit formaliter.

Tertia continet varias auctoritates, quibus Philosophus probat motum non distingui à termino lib. 3. Phys. à t. 14. & lib. 11. Metaph. c. 1. sum. 4. Item mutationem tria tantum includere nimirum subiectum, & duos terminos à quo, & ad quem lib. 1. Phys. t. 62. & sequentibus. Sed diserte t. 4. lib. 3. Phys. Non est autem, inquit, motus præter res, vbi non tantum vult quod motus non est specialis cathegoria à reliquis decem distincta, aut quod nulla est eius ratio distincta communis omnibus mutationum generibus vt aliqui interpretantur: Neque quod motus, seu res in fieri est in Cathegoria in qua est eius terminus, seu res in facto esse; sed etiam quod motus non est forma quædam simplex re distincta à terminis, & principiis quibus constat.

Secundò, arguens rationibus quarum plures affert Gregorius loc. cit. sed sæpius solutas à nostris facile negantibus, quod ille assumit vt certum, aut statim distinguentibus. Talis est primò quod res quam facit agens, est actus eius vt est agens; huiusmodi autem actus est actio eius, igitur actio est ipsa res facta ab agente: negatur enim maior, quia actus agentis vt agens est, seu à quo denominatur agens, est actio, non forma vel res per illum producta; quod si etiam à forma sumas denominationem, non præbet illam nisi vt subsistat actioni, seu vt dependet per illam ab agente: posset enim esse eadem forma sine hac dependentia, v.g. lumen sine dependentia à sole, igitur vt sit actus solis debet dependere à sole.

Negatur item quod sola res quæ fit in passo ipsa sit transmutatio, & actus agentis vt agens est: est enim quid distinctum ab illa, nempe via, siue dependentia, quæ secundum varios respectus vocatur actio, & Passio.

Secundò, Tale est quod Deus coagendo igni in productione caloris non coagit alteri entitati quàm calori, & nulla res est actus ignis nisi calor, negatur hoc totum, est enim vna & eadem actio ignis ac Dei ab vtroque pendens, distincta à calore.

Tertiò, Quia ipsa actio immediate fit ab agente, ne detur processus infinitus, ergo potest immediate fieri, & terminus eius. Negatur sequela, quia actio est essentialiter dependentia non egens dependere per aliud, non sic terminus eius. Simile est in existentia, quæ est essentialis ratio existendi alteri; vnde ipsa non potest per aliud existere, & in quantitate quæ essentialiter extensa cum sit, & ratio extensionis aliorum, ipsa non extenditur per aliud. Et vniuersaliter quod est ratio essentialiter constitutiua, aut determinatiuum, non constituitur neque determinatur per aliud.

Quartò, Sequeretur quod ignis diuina virtute posset calefacere lignum non producendo calorem in illud, vel in aquam, & sic lignum, vel aqua calefieret sine calore; nam posset coagere calefactioni, non calori, si sunt distincta. Negatur sequela, quia calefactio est essentialiter productio caloris, & non potest esse sine illo.

Quintò, Actio qua producitur forma, indiuisibilis est in instanti, quæro an duret aliquid eius post instans? si affirmas, igitur post illud instans res fit contra suppositionem. si negas, igitur durauit solum per instans, & habuit primum, & vltimum esse simul quod est impossibile, vt docuit in primo lib. dist. 17. q. 2. art. 2.

Solutio pendet à quæstione de duratione rerum in qua diuersæ sunt sententiæ, vt videre est apud Suar. in Metaph. disp. 50. & eas attigimus disp. prima quæst. 5. in fin. si negentur instantia indiuisibilia possibilia positiua, argumentum, nullam habet vim: si concedantur, quicquid sit de vocabulis circa quorum explicationem varii sunt dicendi modi, vt ibidem aduertimus. quod attinet ad sensum, res in instanti durans habet primum esse, quia ante illud non habuit, sed tunc primò tota est, & quia immediate post illud instans desinit in parte sequente indeterminata, illud idem potest dici vltimum, quia post illud instans nihil ipsius remanet; atque adeo respectu temporis antecedentis in quo non fuit, dicitur primò esse, quod accipit totum esse; respectu consequentis, dicitur vltimò esse, quia nihil eius remanet post instans in tempore quod consequitur, licet in eo non sit inuenire determinatum instans, vel pars in qua desierit, quia qualibet assignata in particulari, verum est dicere quod prius, & prius desiit.

Sextò, Potest Deus coagere igni ad calorem in aqua, vel ligno producendum, quin coagat calefactioni, & tunc aqua, & lignum calebit, ergo simpliciter non est necessaria actio distincta.

Negatur antecedens, non enim potest produci calor sine productione. Sed quid si Deus videat existere calorem sine actione, sicut iussit fieri lucem, & facta est lux per creationem, quæ non est actio distincta?

Respondeo solutionem pendere ex quæstio-

ne an creatio ſit actio diſtincta à termino, vel non, in qua plures ſunt ſententiæ relatæ à Suario in Metaph. diſp. 20 ſect. 5. Si ſequaris ipſum Suarium tenentem diſtingui, dices viſioni diuinæ reſpondere actionem, & terminum: & illam huic adhærere non inhærere, neque educi ab ipſo, ſed comproduci ſeipſa.

Adhærere, & inhærere.

Sed quia alij ponentes diſtinctionem in aliis actionibus excipiunt creationem, quam negant diſtingui à termino vt Vaſq. 1. p. diſp 173. c. 3. & alij apud ipſum ob rationes peculiares creationis impugnantem diſtinctionem inhærendi, & adhærendi, quia in accidentibus afficientibus ſubſtantiam idem eſt adhærere illi, ac inhærere; Ideo in eorum via non valet argumentum à creatione ad actiones alias in vniuerſum, quia eſt diuerſa ratio ponendi diſtinctionem illarum à terminis, quæ non eſt in creatione. Hanc autem non eandem aſſignant eius auctores ſententiæ: Neque locus eſt hîc de ipſa diſſerendi. Solum non reticebo quod docet S Bonau. in 2. diſt. 1. art. 3. q. 2. Creatio, inquit, actio eſt medium inter creatorem, & vt relatum eſt ſupra c. 1 Et S. Thom. 1 p. q. 45. art. 3. docet creationem actiue ſumptam eſſe actionem diuinam, quæ eſt eius eſſentia cum reſpectu ad creaturam, paſſiuè autem eſſe relationem creaturæ ad creatorem tantum ſecundum rationem; ſed tunc non licebit arguere à creatione ad actionem in communi, & probare quod hæc quoque ſit à terminis indiſtincta, ob diſparitates inter vtramque, quæ variæ aſſignantur, & hæc potiſſimum quod quæ proprie creari dicuntur non ſunt ſeparabilis terminus à creatione, ſicut res aliæ quæ per diuerſas actiones produci poſſe diximus, atque adeo non eſt fundamentum ſufficiens illas diſtinguendi, vt ibidem Vaſq. Verum quia quæſtio hæc accuratiori diſcuſſione eget, quicquid ſit de creatione, concluſio vniuerſalis de diſtinctione actionis à termino ſatis ſuperque probata eſt

S Bonau. diſtinguit creationē à termino tantum rationa.

Obiiciunt recentiores, quia actio licet vocetur modus, re tamen vera æque eſt ens; ac ipſe terminus, & proinde vnum, verum, bonum, idem, diuerſum, productum, actus, forma vel termini, vel agentis; ſuum habet genus, ac ſpeciem diſtinctam cathegoria, & genere, & à parte rei ab aliis formis accidentalibus, ergo vel eget alia actione vt producatur, vel ſi producitur immediate, cur non & ipſe terminus immediate dicitur produci? eſt enim ſimilitudo cum illo in omnibus.

Neque valet dicere eſſe id quo aliud producitur, nam etiam cæteræ formæ tam accidentales quàm ſubſtãtiales ſunt id, quo aliud producitur, v.g. calor eſt id quo ignis agit, & tamen ipſe producitur.

Actio non eſt producibilis per aliam actionem.

Reſpondeo, iam dixi actionem eſſentialiter eſſe id per quod res producitur, ſeu rationem qua agens agit, & proinde non eſſe producibilem per aliam actionem; forma autem non eſt ratio agendi, neque actualis dependentia aut ratio per quam formaliter res pendet ab agente, ſed principium effectiuum, & ideo eſſe producibilem per aliud principium. Ex quo patet ad inſtantiam: eſſe enim id quo agens agit, dicitur dupliciter; primò vt cauſalitas, ſecundò vt cauſa, illa non habet aliam cauſalitatem, hæc habet aliam cauſam. nam rationis formalis eſſentialiter non datur ratio, cum ſit ipſa per ſe formaliter talis: cauſæ datur cauſa, quia nulla creatura eſt ex ſe, ſed adhuc vrgent infra xx.

Sed adhuc vrgent, quia Deus ſeipſo facere poteſt quicquid poteſt cum cauſa ſecunda, vt cum S. Thom. 1. p. q. 105. art. *Dicat contrarium eſſe verum.* Et S. Bonau. ſupra diximus. Igitur eandem actionem, quam ſimul cum cauſa ſecunda fundit, poteſt ſe ſolo fundere, eſt ergo eadem actio numero indifferens ad hoc vt producatur à ſolo Deo, & à cauſa ſecunda ſimul cum Deo. Ex hoc autem ſequitur quod egeat determinatiuo aliquo ad hoc vt pendeat ab vna cauſa, & non ab alia, ſi valet argumentum ſupra factum ex indifferentia termini per quam probabatur diſtinctio actionis ab ipſo, eo quod cum poſſit à diuerſis cauſis produci ſeparatur ab hac, & illa actione, & proinde diſtinguitur. Idem enim valet in actione ſi poteſt eſſe ab hac & illa cauſa indifferens eſt, & eget determi[illegible] & cum poſſit eſſe abſque hoc, & illo de[illegible]natiuo, & pendere ab hac & illa cauſa, diſtinguitur à determinatiuo, & dependentia, atque ita pendet, & determinatur per actionem, & datur proceſſus infinitus, & actio ad actionem.

Adde quod actio non magis eſſentialiter pendet ab agente, quàm accidens à ſuo ſubiecto, ſed poteſt hoc conſeruari ſine ſubiecto, vt contingit in Euchariſtia ergo poterit & illa ſine ſua cauſa creata, & non niſi per aliã actionem, ergo eſt de ſe indifferens, & non vltimo determinatiua: ex. grat. ſi illuminatio eſt diſtincta à lumine, poteſt Deus ſe ſolo eamdem conſeruare, & quia fit alia determinatio, & tranſitus, opus eſt mutatione aliqua reali, & actione noua, & ecce incommoda prædicta.

Neque valet dicere quod ſufficit voluntas diuina decernens vt illuminatio pendeat à ſe ſola, & non à ſole: quæro enim in quid feratur illa voluntas, cum nihil ſit extrinſecum illi reſpondens; nam manet eadem illuminatio, à ſole nihil aufertur, vel additur, quis ergo erit effectus eius efficaciter volitus, ſi nihil fit, vel deſinit in rerum natura? non enim dicis deſinere dependentiam illuminationis à ſole, quia ipſa illuminatio ſeipſa pendet, nec aliud apparet veſtigium mutationis.

Quædam poſſe eſt potentiæ imperfectæ

Reſpondeo ad argumentum primò per inſtantiam. nam vt docet S. Bonau. in 1. diſt. 42. art. 1. q. 2. quædam ſunt, quæ poſſe eſt potentiæ ſimpliciter, & perfectæ, vt poſſe intelligere, diligere, &c. Quædam quæ poſſe eſt potentiæ, ſed imperfectæ, vt currere, & ambulare: iſti enim actus dicunt actionem, & paſſionem, & defectum in agente. Quædam quæ poſſe ſimpliciter eſt impotentiæ, vt poſſe peccare, deficere, &c. quæ ſunt primi generis poteſt Deus in ſe, & per ſe, quæ ſecundi & tertij non poteſt in ſe, poteſt per ſe quantum ad id quod eſt perfectionis: & quia quædam non poſſunt præſcindere ab imperfectione, vt ſunt plures actiones vitales ſenſitiuæ & vegetatiuę, ideo illas poſſe non conuenit Deo, vnde nec dicitur comedere, nec ridere, nec ambulare, &c. Non igitur ſe ſolo poteſt quicquid cum creatura

Digitized by Google

poteſt. Rurſus ex eodem S. Bonau. ibidem, q. 3. quædam ſunt impoſſibilia ſecundũ illuſtrationem veritatis æternæ & ordinem diuinæ ſapientiæ, vt quod duo, & tria non ſint quinque, & vniuerſaliter vt eſſentia rei alicuius non ſit eius formaliter, vt explicui in regulis dignoſcendæ contradictionis; Ideo

Natura actionis eſt pendere à ſua cauſa.

Reſpondeo 2. non poſſe actionem pendentem à creatura, & Deo, pendere à Deo ſolo, quia eſſentia, ac natura actionis eſt pendere à tali cauſa, cum ipſamet ſit dependentia actualis reſpiciens eſſentialiter ſuam cauſam & non egens diſtincta dependentia à ſeipſa.

Inſtas peti principium, quia idem eſt pendere eſſentialiter, ac non pendere per actionem diſtinctam.

Deinde creatura quælibet pendet eſſentialiter à Deo, & tamen pendet per actionem diſtinctam.

Reſpondeo non peti principium; quia aſſumo propoſitionem vniuerſalem ad inferendam particularem, & ſic arguo. Omne quod eſt ex ſua eſſentia, ſeu eſſentialiter tale, non eſt neque eſſe poteſt tale per aliud à ſe diſtinctum, vt tute concedis; ſed actio ſeipſa eſt eſſentialiter pendens à ſua cauſa, ergo non poteſt per aliam actionem fieri pendens. Minorem negas, ſed ego ſuſtineo perſonam defendentis, & nego peti principium, ſuppono quæ dicta ſuperius ad oſtendendam neceſſitatem diſtinctionis. Neque hîc mirari magis debes actionem eſſe de ſua natura pendentem ab hac cauſa, & productiuam huius effectus, quàm quod hæc numero viſio, aut cognitio, ad hoc obiectum cuius per ſeipſam ſit imago repræſentatiua, & non per aliquid aliud à ſe diſtinctum: Et quod quantitas ſeipſa ſit extenſa, &c.

Si daretur creatura vno tantũ modo a Deo pendens, non eſſet argumentum diſtinguẽdi productionem ab ipſa.

Non eſt ſimile de creatura reſpectu Dei, manifeſtum eſt enim quod pluribus modis pendere poteſt, vnde ſi daretur aliqua vno ſolum modo poſſibilis pendere, non eſſet argumentum diſtinctionis productionis à termino. At actionem non habere talem indifferentiam colligo ex abſurdis, & cum aliunde negare nequeam diſtinctionem, in promptu eſt de eius eſſentia iudicare.

Ad confirmationẽ ex fidei myſterio conſtat accidens eſſe ſeparabile à ſubiecto, & ideo bene infertur non eſſe de eius eſſentia actu ineſſe. Secus eſt de actione, cuius neceſſitate ſemel admiſſa, conſequens eſt non admittendam ſeparabilitatem ob argumenta contrariũ eminentia: ſicut in ſententia S. Thomæ exiſtentia eſt modus diſtinctus ab eſſentia, ſed minime ſeparabiliter ab illa exiſtens, quia natura eius eſt actualiter dare eſſe eſſentiæ.

Quod ſi argumentum à diuina potentia multum valet, dicat aduerſarius, cur inter theſauros eius non ſit ponenda poſſibilitas actionis diſtinctæ: ſi enim reſpondeat, quod res eſſentialiter ſeipſis pendeant à Deo, quæro in primis an petat principium? quia idem eſt eſſentialiter pendere, & non per actionem diſtinctam. & ſi negat, cur obiicit niſi quod petam principium aſſerens actionem eſſentialiter pendere à ſua cauſa? Deinde vnde habet quòd eſſentialis dependentia excludat modum quo pendeat terminus, cum valide illum oſtendã ex indifferentia, & ſeparabilitate huius, ac illius dependentiæ?

An diſtinctio actionis ſupra relata probeturex tranſitu à contradictorio, in contradictorium.

CAPVT X.

NEgat Greg. in 1. & 2. ſent. ſupra citatus, cui ſubſcribunt moderni Modorum impugnatores; formatur autem argumentum ex communi axiomate hoc pacto: Non poteſt fieri tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione aliqua reali: ſed nulla facta mutatione in termino, & agente fit tranſitus à contradictorio in contradictorium, quia ex dependente fit non dependens, & vice verſa; ergo mutatio facta eſt in aliquo alio, quod non poteſt commodius aſſignari quàm dependentia ipſa, quæ eſt actio per quàm terminus ab agente pendet. P. Claud. Tiphan. c. 57.

Huius argumenti maiorem propoſitionem alij negant, alij explicant, plerique tamen omnes aduerſarij ex ea probari modum vllum diſtinctum inficiantur.

Primò, hunc loquendi modum improprietatis notant, & dicunt ſimilem huic alteri: Non poteſt fieri, ſeu eſſe animal rationale ſine homine, ſeu non poteſt fieri definitio ſine definito, quia tranſitus à contradictorio in contradictorium eſt ipſa definitio mutationis, ex 5. Phyſ. t. 7. quæ locutio eſt inepta, & impropria.

Sed ex definitione probare definitum, & vice verſa docet Philoſophus tum in lib. Top. 6. ferme per totum, tum l. 1. poſt. c. 8. & lib. 2. paſſim. & l. 3. Metaph. t. 20. & alibi. Vnde ſi maior hæc continet definitionem mutationis, ſenſus eſt, quod vbi eſt tranſitus iſte, ibi eſt mutatio, ſicut vbi, vel ſi eſt animal rationale, eſt homo, & viceverſa, in quo nulla eſt improprietas, niſi forte arguari quis velit in verbo fieri, quod in propoſito æquipollet verbo eſſe.

Secundò, proprie loquendo mutatio non eſt à contradictorio in contradictorium, vt enim Philoſophus 5. Phyſ. c. 7. termini ſolum generationis ſunt contradictorij, reliquorum vero motuum ſunt contrarij, proinde mutatio quam ibi quatuor modis fieri oſtendit, latius patet, quàm tranſitus à contradictorio in contradictorium ſtando in rigore ſermonis; & ſic non eſt locus à definitione ad definitum, ſed ab inferiori ad ſuperius per affirmationem quia omnis tranſitus à contradictorio in contradictorium mutatio eſt, ſicut omnis homo eſt animal; ſed non vice verſa, ſunt enim mutationes aliquæ, quæ non fiunt ſecundum contradictionem, vt ibidem Ariſtoteles, licet nulla ſit inter contradictoria, quæ non ſit mutatio; vt ſunt aliqua animalia, quæ non ſunt homo, ſed nullus eſt homo, qui non ſit animal.

Tertiò, Quia ſenſus illius propoſitionis in rigore ſumptæ, eſt planus, vt mox patebit ex P. Vaſq. eam approbante.

Digitized by Google

Quod ſi in verbo, tranſitus, agnoſcit metaphoram, & improbat; nota eſt voluntaria. Quoad rem ipſam abſolute negant maiorem, & perſequentes varios eius ſenſus, reiiciunt omnes, ne aliquis obſtet.

Ochamo. Verumtamen propoſitio hæc iam obtinuit nomen axiomatis, & recipitur etiam ab ipſis præcipuis Nominalibus Ochamo in 1. ſent. diſt. 1. q. 5. *Impoſſibile* (inquit) *eſt tranſire a contradictorio in contradictorium ſine mutatione vel locali, vel temporis, ſi eſt tempus in actu: at quæ eſſet, ſi tempus coexiſteret vtrique termino contradictionis? vel acquiſitiua, vel deperditiua alicuius inhærentis; aut productiua, aut deſtructiua alicuius perſe exiſtentis.* Idem habet diſt. 17. q. 1. Et in 3. d. 1. q. 1 *Impoſſibile eſt*, inquit, *tranſire de contradictorio in contradictorium ſine deſtructione, vel acquiſitione alicuius tranſitus abſoluti, &c.* Nihilominus in 2. diſt. 25. in fine concedit tranſitum huiuſmodi fieri poſſe ſine mutatione, quoniam, inquit, illa regula habet inſtantiam &c.

Non fit tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine mutatione.

Sequitur Gabr. in 1. d. 30. q. 4. concl. 4. & in 3. d. 1. q. 1. corol. 2. vbi vt ſupra vidimus maiorem hanc propoſitionem aſſumptã ab Ochamo, & negatam à Gregorio ait eſſe veriſſimam; neque intelligibile reputat quod contradictoria ſucceſſiue verificentur de eodem nulla mutatione facta in rebus per contradictoria ſignificatis

P. Vaſq. t. 1. in 3. p. diſp. 18. cap. 1. argumentum Och. efficax exiſtimat ad probandam vnionem inter humanitatem & Verbum diuinum, quia ſcilicet impoſſibile eſt contradictoria de eodem vere enunciari, niſi propter mutationem aliquam ſiue intrinſecã, ſiue extrinſecam, nimirum propter motum localem alicuius rei, vel propter variationem temporis; vel propter productionem, aut deſtructionem alicuius entitatis, &c.

Vbi obiter aduerte duo. alterum eſt ſenſum illius maioris ſignificatæ verbo tranſitus, eundem eſſe, ac non poſſe verificari contradictoria de eodem, ſiue enunciari, niſi propter mutationem, &c. qui in omni rigore logico eſt proprius, & verus. Alterum eſt tam clare in iis verbis involui particulam, ſucceſſiue, vt non fuerit opus illam exprimi à P. Vaſq. paſſim illam ſupponente, quin & diſerte apponente in §. Huic tamen rationi, eodem capite. Idque in gratiam citati auctoris modos abolere conantis, qui omiſſionem hanc notat in P. Vaſq. vt videre eſt in c. 57. de Hypoſtaſi.

Hiſdem pæne verbis referunt & in eodem ſenſu alij recentiores inter quos P. Ludou. Mæratius tract. de Incarn. diſp. 13. ſect. 2.

Cum Realibus ergo & Regis auctoribus dico prædictam Propoſitionem eſſe veriſſimam, & ex ea probari poſſe actionem eſſe modum diſtinctum à termino ex natura rei, ſimul enim probatum hinc manet eſſe aliquid præter enumerata ſuperius ab iis, qui eius rationem in aggregatione multorum conſtituunt, & ne fiat mora in verbis, eam ſic propono in terminis vniuerſalibus: Non poſſunt eadem rei penitus immutatæ prædicata oppoſita contradictorie ſucceſſiue conuenire.

Dico penitus immutatæ, vt comprehendam omnem mutationem tam intrinſecam per additionem, aut deſitionem alicuius intrinſecæ entitatis ad ipſam pertinentis, vel aliquo modo afficientis; quàm extrinſecam rei cum ipſa connexionem habentis, aut ex natura rei, aut ex voluntate aliqua libere connectente ea quæ alioqui ex ſua natura non ſunt connexa.

Dico prædicata oppoſita contradictorie, non quia ad tranſitum huiuſmodi ſint neceſſarij termini contradictorij immediate, nam neque oppoſita contrarie, aut relatiue verificantur ſucceſſiue de re penitus immutata, ſed quia ad omnem oppoſitionem ſequitur contradictio; ideo vſurpatur terminus iſte ad denotandam omnem oppoſitionem: ſi enim ex nigro fit album, verum eſt conſequenter dicere quod ex non albo, quia nigrum conſequitur carentia albedinis, & vniuerſim ad rem præſentem, parui refert quo modo ex numeratis quatuor à Philoſopho lib. 5. Phyſ t. 7. fiat mutatio, in qualiber enim aſſignabilis eſt terminus contradictorius, ſaltem mediate, vt percurrenti patet.

Dico prædicata, & intelligo primò intentionaliter quicquid aduenit, vel demitur alicui rei ad ipſam aliquo modo pertinens, ratione cuius intellectus habet fundamentum enuntiandi ſucceſſiue oppoſita de illa: quo ſenſu ait S. Thom. 3. p. q. 16. art. 6. *Vnumquodque dicitur fieri illud quod de nouo incipit præd icari, &c.* Late accipiendo fieri pro omni quod aduenit; ſic dicitur fieri homo magnus acceſſione quantitatis; albus aduentu albedinis; quia & veſtitus, locatus, &. Et vice verſa paruus, niger, &c. amiſſione quantitatis, qualitatis, &c.

S. Thomas

In quo prædicata aduenire poſſunt non ſolum reſpectu intrinſecæ acquiſitionis, aut deperditionis alicuius qualitatis, aut partis; ſed etiam reſpectu extrinſeci alicuius, vt pleraque ſunt ex ſex vltimis cathegoriis, ex quorum diuerſitate, & mutatione proueniunt diuerſæ enunciationes de eodem ſubiecto inter ſe oppoſitæ, vt quod eſt veſtitus modo, & poſtea non veſtitus: quod nunc eſt in aula, & mox non erit, & ſimilia. Inter quæ cenſet S. Auguſt. l. 5. Trin. c. 16. relatiua, *Si numerus poteſt aliqua ſui mutatione dici relatiue, &c.*

Nouæ prædicata ſuperueniunt reſpectu etiam extrinſeci.

Dico ſucceſſiue, non quia temporis ſucceſſio ſola ſufficiat ad realem mutationem obiecti, & ad veritatem propoſitionis affirmantis, vel negantis oppoſita de eodem: ſed quia omnino neceſſaria eſt; contradictoria enim vt ſimul eidem rei ineſſe non poſſunt, ita neque enunciari; ſucceſſiue autem poſſunt, quia res creatæ mutationi ſunt obnoxiæ & proinde etiam fieri poſſunt obiecta enunciationum oppoſitarum iuxta oppoſitionem aduenientium, vel recedentium pro tempore accidentium; quorum tamen tempus ipſum cauſa non eſt, ſed menſura; ideo oportet dari agentia quibus immutentur obiecta, vt de ipſis contradictoria enunciari poſſint. Quod in phyſicis quidem mutationibus manifeſtum eſt; ſed & in moralibus etiam locum habet, in quibus oportet aliquem voluntatis actum intercedere, vt res vel perſona tranſire ab vno ſtatu in alium dicatur. Sic qui voto ſe obſtrinxit per annum ad ieiunium certæ diei ſingulis hebdomadis, elapſo anno deſinit eſſe obligatus, non quia libere-

Digitized by Google

tur à tempore, ſed quia ipſe met liber eſſe voluit pro tali tempore. Sic poteſt Deus velle remittere offenſam, & non reputare inimicum poſt vnum, vel alterum menſem, & eo lapſo à ſtatu inimici, & addicti pœnis tranſit peccator ad ſtatum non inimici, non quia tempus influat; ſed quia Dei voluntas moralis huius mutationis poteſt eſſe cauſa. Adeo vt ab illa vniuerſali regula neque caſus huiuſcemodi ſint eximendi, etiamſi Ocham in 2. ſent. q. 25. illos eximat, concedens fieri tranſitum à contradictorio in contradictorium ſine mutatione reali, quia poteſt Deus dignum vita æterna ſine ſuo demerito reprobare de potentia abſoluta; & proinde ſine mutatione, quam hic ipſe non agnoſcit; nos autem in propria quæſtione de mutatione obiectiua ſupra agnoſcimus, vt axioma ſit ſine exceptione. Interim eo nixus vt principio vniuerſali per ſe noto, probat Ariſtoteles 8. Phyſ. t. 9. relatiua non fieri de nouo ſine mutatione aliqua. *Neceſſe eſt*, inquit, *in iis quæ ſunt ad aliquid, hoc accidere, vt ſi non erat duplum, nunc duplum eſt, mutari, ſi non vtrumque, alterum.* Licet reliqua ibidem dicta de mundo, motu, & tempore æterno, ſint falſa. Et S. Thom. 3. p. q. 2. art. 8. c. Omnis, inquit, relatio, quæ incipit eſſe in tempore, ex aliqua mutatione cauſatur, mutatio autem conſiſtit in actione, & paſſione.

Ariſtoteles

Relatiua non fiunt de nouo ſine aliqua mutatione.

Quod ergo verum illud ſit vniuerſaliter, inductione primum patere patat Vaſq. loc. cit. quam quiſque pro libito formare poteſt diſcurrendo per omnia Prædicamenta.

Ego in propoſito probo per illud actionem eſſe quid à termino, & agente diſtinctum pluſquam ratione ratiocinata, & reſumo exemplum luminis prius conſeruati à Deo, & à ſole; Et poſtmodum à ſolo Deo, lumen de conſeruato à ſole, tranſit ad terminum contradictorium non conſeruati à ſole, ſeu, quod idem eſt, de lumine enunciatur quodam tempore quod conſeruatur à ſole, & alio tempore quod non conſeruatur; ergo fit aliqua mutatio realis, non in ſole, non in Deo, non in lumine ipſo, vt concedis, ergo in conſeruatione, quia nimirum prima deſinit, quæ erat à Deo & ſole; & incipit ſecunda, quæ eſt à ſolo Deo; & tempus eſt quid extrinſecum per ſe indifferens ad conſeruationem vtramque.

Confirmatur, quia ſunt nouæ denominationes ſolis & luminis, illius non conſeruantis, huius non conſeruati à ſole, ſed à ſolo Deo: igitur aliquid vel periit, vel aduenit, non ex parte ſolis aut luminis, ergo ex parte actionis, ideſt conſeruationis, quæ prius erat à ſole & Deo, & poſtea eſt à ſolo Deo.

Nouæ denominationis datur aliqua noua ratio.

Reſpondent non aliam eſſe mutationem quàm actionis, non tanquã modi diſtincti, ſed tanquam habitudinis, & originis tam actiuæ, quàm paſſiuæ in vtroque extremo, qua formaliter fit, vt quod ante erit agens à parte rei, non eſt amplius actu agens, & quod erat dans eſſe alteri, vel habens aliud actu à ſe dependens, non habet amplius. Quæ eſt ipſa mutatio obiectiua, quam ipſa denominatio formalis exprimit, & à qua ſuam habet veritatem ſucceſſiuam. Breuiter eſt mutatio quædam realis in agentibus creatis, ſed extrinſeca, de qua Ariſtoteles lib. 2. de Anim. t. 45. qua agens mutatur, & tranſit de otio in actum, vel de actu in otium. Et definiri poteſt tranſitus actiui de otio in actum, vel contra, aut mutatio qua aliquid formaliter fit de non agente agens, vel de agente non agens: ita P. Claud. Tiph. c. 57.

Sed quotquot actionem facimus Modum diſtinctum, auemus doceri, an voces iſtæ habitudo, origo actiua, & paſſiua, mutatio obiectiua, qua fit de non agente agens; tranſitus actiui, & ſimiles, ſignificent aliquid diſtinctum à termino, & agente; an ſint meræ vocabula ad idem diuerſimode explicandum, collecta ex Ariſtotele, & aliis agentibus de Actione? Si primum, habemus quod quærimus, dari quid medium inter agens & effectum, ab vtroque diſtinctum. Si ſecundum, vt quid vocabulis ludimus? quando enim dictis per eam formaliter fieri, vt quod non eſt dans eſſe alteri, fiat dans eſſe, ſeu agens; & quod eſt dans fiat non dans formaliter, neque habens aliud à ſe dependens, non quærimus, quod iure poſſemus quærere, quid ſit dare eſſe alteri, vel aliud eſſe dependens; ſed an dicatis aliquid diſtinctum ab eo quod dat eſſe, & ab effectu qui dependet, ſeu quod idem eſt an dependentia, & cauſalitas agentis ſit aliquid reale diſtinctum à dante, & effectu; & quia negatis eſſe, ſemper vrgemus ex hoc etiam capite tranſitus à contradictorio in contradictorium, qui non eſt ſine mutatione reali, quam vos verbo tenus admittitis, re autem negatis, dum nec aſſignatis in quo, & ad quid, vel quomodo illa contingat in exemplo poſito de lumine quod incipit conſeruari à Deo ſolo, cum antea conſeruaretur etiam à ſole, quandoquidem Deus manet immutatus, & lumen prorſus idem ex ſuppoſitione, & non ſit in rerum natura quicquam reale, quod de nouo incipiat, aut eſſe deſinat. Quis ergo hic realis tranſitus, aut quæ mutatio, vbi nullius eſt poſitio vel acquiſitio termini; neque res vlla quæ mutetur vel intrinſece, vel extrinſece, niſi tempus, quod per vos non ſufficit ad huiuſmodi mutationes ac tranſitus? Verba igitur ſunt, quæ de cætero proferuntur ad explicandam mutationem, dum reticetur quid mutetur realiter, vbi nihil deperditur, nec acquiritur realiter.

Secundò, probo aſſertionem ex eodem axiomate, quod licet haberet inſtantias in aliis, vt videtur Ochamo in fine 2. ſent. q. 25. tamen in propoſito non habet. Nam eodem modo ſe habere, & non ſe habere eodem modo reſpectu eiuſdem ſunt termini contradictorij, qui non poſſunt efferri de eadem re reſpectu eiuſdem, niſi facta aliqua mutatione reali, ſed idem lumen aliter ſe habet reſpectu ſolis, cum amplius non pendet ab illo, quia amittit habitudinem effectus ad cauſam, quam cum pendebat ab illo, & retinebat habitudinem: Item aliter ſe habet reſpectu Dei, cum ab illo totaliter dependet; quàm cum antea penderet etiam à ſole, ergo facta eſt aliqua mutatio realis. Cedo in quo, & quomodo ſi neque in Deo, neque in lumine, neque in alio extrinſeco, ratione cuius lumen de pendẽte fiat non pendens; & de non pendente totaliter fiat pendens totaliter; qui ſunt termini contradictorij.

Ocham.

Dices à Dei decreto hoc fieri, ſi quæratur

cauſa efficiens: ſi vero formalis, ſeipſo lumen tranſire ab vno contradictorio ad aliud.

Sed iam ſupra quærebam quid ſit à parte rei, quod huic decreto diuino reſpondeat ſi perinde ſe habet lumen quando pendet à Deo ſolo, & quando à non ſolo; ſiquidem non aſſignantur diuerſa decreta niſi reſpectu diuerſorum obiectorum, & non ſunt niſi cauſent aliquid à pietate rei. Et rurſus infra conabor oſtendere recurſum ad decretum non ſatisfacere difficultati.

Obiic. primò, quia mutatio realis eſt multiplex, & non tantum eas complectitur nomen hoc æquiuocum, quas enumerat Philoſophus in Poſtpræd c.4. ſed alias plures. Inter quas aliæ ſunt propriæ, vt aſſignatæ primo Phyſ. à t. 58. & 68. quibus conuenit ſucceſſio terminorum in eodem ſubiecto, & tranſmutationes appellantur ab eodem lib. 5. Phyſ. t. 7. Aliæ ſunt impropriæ, vt eſt creatio, qua aliquid dicitur aliter ſe habere, etiamſi antea non fuerit, & non eſt mutatio proprie, vt S. Thom. 1. p. q. 45. art. 1. 2. & lib. 2. c. gen. c. 37. quia quod non eſt, non poteſt dici quod alio modo ſe habeat nunc quam prius, & proinde nec mutari. Si ergo propoſitio illa intelligatur de mutatione tantum proprie dicta, falſa eſt, quia eſt tranſitus à non eſſe ad eſſe in creatione, & tamen non eſt mutatio. Si tantum de impropria, multo magis eſt falſa, quia in mutationibus propriis elucet tranſitus iſte peculiariter. Si indifferenter de mutatione qualibet, nihil concludit argumentũ, quia in eo eſt fallacia conſequentis, perinde ac ſi diceretur eſt animal, ergo eſt homo, igitur illud axioma nihil valet ad probandam diſtinctionem Modorum.

Confirmatur, quia ad veritatem enuntiationum quibus affirmantur, & negantur oppoſita de eodem ſubiecto ſucceſſiue, & ad diuerſitatem denominationum quas ſubit eadem res, non eſt neceſſe fieri, vel deperdi aliquid intrinſecum in multis Prædicamentis, ſed ſatis eſt mutatio extrinſeca, ergo & in actione.

Antecedens patet: quia in communi loquendi vſu dicimus ex non veſtito fieri veſtitum, togatum, palliatum, & mutare veſtem, togam &c. Et ſi ceſſaret motus cæli, ac tempus, deſineret res eſſe in tempore & menſurari ab illo; cur ergo non dicatur etiam extrinſece mutari agens per actum intrinſecum mobilis quatenus eſt ab ipſo, & dicitur ipſius à Philoſopho 3. Phyſ. t. 18. 20. & ſequentibus, ita vt ſit quædam eius mutatio extrinſeca, per quam extrinſece tranſit de ſtatu, & conditione mouentis, vel agentis potentia ad mouens actu?

Deinde quælibet cathegoria habet ſuam propriam quidditatem diſtinctam ab eſſe alterius, & idem eſt in illis compoſitum ex principiis diuerſis, materia, forma, priuatione ex 2. Metaph. à t. 20. igitur vnumquodque habet ſuum proprium fieri ac mutari, factum eſſe, & mutatum eſſe. Et tamen non per productionem modi alicuius intrinſeci aut deperditionem eiuſdem, ſed permutationem extrinſecam, ergo idem dici poteſt de prædicamento actionis: quod autem hoc fiat extrinſece patet, quia vna cathegoria aduenire poteſt alteri, & cum ſit extra illam, non mutat intrinſece, ſed ſolum extrinſece & per accidens: atque ita in qualibet cathegoria ſunt propriæ mutationes obiectiuæ à parte rei ſufficientes ad varias denominationes formales ſine modis intrinſecis.

Denique ceſſante motu aduenit noua denominatio, quia verum eſt dicere rem non moueri, ſed quieſcere, & tamen ad hoc non eſt neceſſaria vlla mutatio, ſed ceſſatio à motu: ſed hoc parui momenti eſt, quia quælibet deſitio eſt mutatio late accepto hoc nomine, vt S. Bon. in 2. diſt. 1. p. 1. art. 3. q. 2. & Suar. t. 3. in 3. p. diſp. 50. ſect. 2. Ideo

Reſpondeo ad argumentum indifferenter accipi mutationem dummodo realis ſit, quia ad enunciandа contradictoria ſucceſſiue de eodem, ſufficit mutatio quælibet realis actu, ſiue, etiam obiectiua, & neceſſaria eſt. Ad inſtantiam iam ſupra explicui nullam ineſſe fallaciam argumento.

Non in omnibus cathegoriis dari poteſt directa denominatio ſine aliqua mutatione intrinſeca.

Ad confirmationem concedo antecedens poſſe dari diuerſas enunciationes, & denominationes extrinſecas aduenire ſine acquiſitione, vel deperditione vllius entitatis in re quæ illas recipit ſucceſſiue: ſed nego id euenire in omnibus cathegoriis, aut promiſcue ſecundũ quælibet prædicata quæ enunciantur: quis enim dicat affirmari poſſe de eodem ſubiecto quod modo ſit palmare, modo non ſit palmare, ſine additione, vel detractione quantitatis, aut modo eſſe calidũ, modo non calidum ſine mutatione caloris? Inter hæc igitur quæ inuoluunt acquiſitionem vel deperditionem alicuius intrinſeci ad diuerſas enunciationes, & denominationes repono actionem, quia vt indicat exemplum allatum, lumen vere, & realiter incipit eſſe pendens à Deo ſolo, & ita denominatur modo cum antea non penderet, & in hac mutatione nihil eſt quod deſinat, aut eſſe incipiat, aut aliter ſe habeat quàm dependentia, quæ prius erat à Deo, & poſtea non eſt amplius à ſole, ſed totaliter à Deo; igitur ſi vera, & realis eſt mutatio, veritatem contradictoriorum enunciatio in modo ipſo eſt, aut aſſignetur quid illud eſſe incipiat ratione cuius dicatur realiter lumen pendere à ſolo Deo; aut quid deſinat, ratione cuius dicatur non pendere amplius à ſole?

Et in aliis quidem Prædicamentis, in quibus ſubiectum mutari dicitur extrinſece, & varie denominari, ſemper contingit aliqua mutatio realis, v.g. in habitu, vt ex non veſtito denominetur veſtitus, intercedit ipſa indumentorum appoſitio, & depoſitio ſi fiat non veſtitus, In quantum eſt nouum tempus, nouaque menſura extrinſeca, & ſic de cæteris. In actione vero nihil eſt reale quod ante non fuerit, quando fit tranſitus à contradictorio in contradictorium, niſi ponatur diſtincta modaliter ab extremis, vt patet in exemplo luminis, & ideo eſt inintelligibile quod fiat tranſitus phyſice, & realiter, ſi nihil neque intrinſece, neque extrinſece aſſignetur, ratione cuius dicatur res aliter ſe habere, quàm antea, quia præciſa acquiſitione, aut deperditione omnis entitatis intrinſecæ, & extrinſecæ, idem manet idem, & prædicationes, ac denominationes ſunt eædem. In quo vtpote lumine naturæ noto principio non diſcrepant à nobis aduerſarij, ſed concedunt mutationem aliquam fieri, &

Digitized by Google

ideo congerunt documenta, & aduertenda ex Philosophis, & Theologis, vt illam explicent, & nunquam tamen expedite respondent; aut ostendunt quid esse incipiat de nouo, quidve desinat reale, & realiter, ratione cuius lumen idem, & penitus inuariatum modo vere, & realiter pendeat, vel fit à sole, aut conseruetur à sole, aut dicat habitudinem realem ad solem, modo non pendeat realiter; neque fit ab ipso, neque habeat vllam earum vocum quæ multiplicantur; aut nouam denominationem quam antea non habebat, quia nulla prorsus est mutatio neque intrinseca, neque extrinseca nisi temporis, si non actionis, vti nos contendimus.

Ideo probationes antecedentis pro nobis sunt concedentibus tales mutationes in aliquibus prædicamentis per desitionē aut incæptionem alicuius extrinseci, sed ex illis non conficitur intentum, quia non ostendunt in hypothesi quid incipiat vel desinat in actione, quādo lumen incipit conseruari à solo Deo, vt pluribus demonstrauimus.

Quod autem P. Tiphan. c. 59. rursus reperit, solum de agente fieri non agentem, de actu transire in otium, & interuenire semper mutationem aliquam saltem extrinsecā, sed etiam originis, & habitudinis tam actiuæ, quàm passiuæ vnius ad alterum, non satisfacit, quia habitudo hæc per ipsum non est quid distinctum ab extremis, quæ manent immutata; & si esset, deberet habere fundamentum, nimirum actionem, & de illa argumentum probat quod incipit de nouo respectu Dei conseruantis, & desinit respectu solis iam non conseruantis idem lumen inuariatum. Nihil est igitur reale quod mutetur, nisi tempus, quod per ipsum non constituit actionem.

Si replices cum sol desinit conseruare, non est amplius id à quo nec id vnde respectu luminis, & aeris, quæ vicissim non patiuntur à sole, & idem lumen non est amplius actus solis agentis, nec aeris patientis à sole, qui sunt modi reales, & origines actiuæ, & passiuæ: Nisi per has phrases philosophicas significetur aliquid distinctum à lumine, Factus est velutæ sonans, aut cymbalum tinniens.

Corollaria ex dictis.

CAPVT XI.

EX dictis infero primò propositionem hanc Repugnat dari denominationem realem, nouam absque forma aliqua noua, esse veram, & bene conceptam à recentioribus illam assumentibus; si tamen pro forma intelligant non formā proprie dictam, qualis est anima rationalis, formæ elementorum, & mixtorum; sed quicquid per incæptionem, vel desitionem sui potest esse causa nouę denominationis, quæ licet communiter fiat à formis, tamen ab aliis fieri potest, vt docet S. Thom. 1. p. q. 37. art. 2. c. & q. 7. de Potentia, art. 10. 8. Denominatur, inquit, homo ab actione & indumento, & ab aliis huiusmodi quæ realiter non sunt formæ. Proinde inductio exemplorum quibus ostenditur quod variæ denominationes obiectiuæ, & formales fiunt à non formis, vera est, sed non impugnat propositionem illam maiorem.

Secundum Corollarium.

SEcundò, Infero ex vi propositionis huius intellectæ vniuersaliter pro omni mutatione tam propria, quàm impropria, tam extrinseca, quàm intrinseca, non posse probari quod dentur tam multi modi reales, quàm multi admittuntur à nonnullis recentioribus: dico ex vi huius propositionis, nam vtrum aliunde valide probētur in præsentia non disputo. Exemplum esto vnionis hypostaticæ, quam in humanitate ponunt præcipui nostræ ætatis Theologi, non leuibus ducti argumentis. Eam esse modum ex natura rei distinctum non censeo euinci ex hoc principio, quod non datur transitus à contradictorio in contradictorium sine reali mutatione; si enim admittatur actio ex natura rei distincta nunquam humanitas ex non vnita fiet vnita, quin fiat per actionē realem vnitiuam, siue assumptiuam illius ad verbum, hac etenim posita tanquam causa effectiua vnionis, sicut verbum vnitur seipso sine vllo medio in se recepto; ita & humanitas seipsa vniri potest formaliter absque modo realiter distincto, aut certe eadem actio dicetur duplici fungi munere, vt viæ videlicet ad terminum, & vt formalis vnionis per quam formaliter humanitas eius subiectum coniungitur verbo, à quo sustentatur; atque ita datur aliquid distinctum à terminis, per quod fiat mutatio, & transitus realis. Nam dupliciter intelligi potest vniri naturam humanam personæ diuinæ: primò vt de facto contigit, simul enim creata fuit, & vnita, siue assumpta iuxta illud S. Leonis Papæ ad Iulianum epist. xi. Natura nostra non sic assumpta est, vt prius creata, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur, &c. Et loquitur de simultate temporis, non de prioritate naturæ secundum quam distinguitur à pluribus Theologis actio mere vnitiua à productione humanitatis vt Soarius t. 1. de Incarn. disp. 8. sect. 1. contra alios quosdam Thomistas asserentes Incarnationem non esse actionem mere vnitiuam, sed productiuam etiam humilitatis non in se, sed in verbo; ita vt non prius natura extiterit quàm fuerit vnita verbo, quia per illos non est alia existentia in humanitate quàm existentia Verbi. Ita S. Bonau. in 3. dist. 5. art. 2 q. 1. ad argumenta. Natura, inquit, humana simul habuit esse, & esse assumptum.

Secundò, Intelligi potest vniri non simul tempore quando producitur, sed postquam producta est, quod de absoluta potentia non implicat, saltem desinente propria personalitate, cum natura incipit terminari aliena. Nam vt Soar. loc. cit. disp. 14. sect. 1. non inuoluit maiorem repugnantiam, si assumatur natura præexistens in propria persona, & priuetur personalitate propria; quàm quod à principio assumatur impediendo personalitatem propriam. Ideo S. Thom. 3. p. q. 4. art. 2. S. Thom. c. *Dixit quod si persona præintelligeretur assumptioni, oporteret corrumpi, & sic frustra esset*

aſſumpta, &c. Intelligit corrumpi ſecundum perſonalitatem Soar. ibidem, quia non dixit S. Thom. impoſſibile eſſe humanitatem præexiſtere in propria perſona, ſed fruſtra id futurum fuiſſe; & putat S. Thomam retractaſſe quod dixerat 4. cont. gent. c. 43. vbi indicat futurum fuiſſe vt corrumperetur natura, in homine exiſtentem, ſi eam præexiſtentem aſſumpſiſſet, quia nullum ſingulare deſinit eſſe hoc quod eſt, niſi per corruptionem: ſic igitur oportuiſſet hominem corrumpi, &c. quod durum videtur ipſi Vaſq. t. 1. in 3. p. diſp. 33. c. 1. veriſſimum cenſenti aſſumi poſſe à perſona diuina naturam creatam exiſtentem in proprio ſuppoſito, deſtructa tamen perſonalitate propria, quam ſolum impediuiſſe de facto docet q. 4. art. 2. 3. explicans dictum Innocentij III. in quadã decretali, quod natura humana ita fuit aſſumpta à Verbo Dei, vt Dei perſona humanam perſonam conſumpſerit, non naturam, ideſt impedierit ne eſſet propria perſona.

Dei perſona humanam perſonam cõſumpſit quid ſignificet.

Quicquid tamen ſit de mente S. Th. & de tota quæſtione ad materiam de Incarnatione pertinente, in præſentia ſatis eſt ad probandũ intentum, quod ſiue ſimul aſſumatur natura humana à perſona diuina in ipſa conceptione, & impediatur propria perſonalitas, ſiue poſt conceptionem aſſumatur ſuppoſitum deſtructa perſonalitate, non eſt opus ad tranſitum à contradictorio ideſt non vnitæ, ad contradictorium, id eſt vnitam, interuenire medium vllum diſtinctum ab extremis, ſi ſemel admittatur quod actio eſt modus realis, & proinde quod aſſumptio, ſiue actio vnitiua efficienter eſt diſtincta ab humanitate. Si enim formes argumentum, Non poteſt fieri tranſitus à contradictorio in contradictorium ſine aliqua mutatione reali, ſed niſi detur vnio in humanitate non fit vlla mutatio realis, negatur hæc minor, fit enim de nouo actio vel creatiua ſimul & vnitiua, vt de facto in myſterio Incarnationis, quæ terminatur ad totum compoſitum, ex humanitate, ac Verbo; atque ita mutatio, quia incipit eſſe de nouo in rerum natura modus realis, & terminus eius: vel in ſecundo caſu poſſibili fieret aſſumptio humanitatis exiſtentis, quæ eſſet noua actio conſeruatiua ſimul, & vnitiua, ſiue aſſumptiua ad Verbum, cuius terminus eſſet Chriſtus, ſiue totum compoſitum ex humanitate, & Verbo, ſicut terminus reſurrectionis eſt hic homo ex partibus præexiſtentibus quæ per actionem miraculoſam efficienter vniuntur, formaliter autem ſeipſis in ſententia negante vnionem, vt modum diſtinctum. Adde quod contingit etiam mutatio in ſubſiſtentia quæ ſicut in primò caſu impeditur, ita in ſecundo deſtruitur, ſiue illa ſit modus à natura poſitiue diſtinctus, ſiue de formali ſupra naturam addat ſolum negationem vnam, vel plures.

Si dicas actionem tam productiuam, quàm conſeruatiuam eſſe communem toti Trinitati, vnionem autem terminari ad Verbum, & dici propriam illius, & ideo debere diſtingui.

Reſpondeo etiam vnionem à te poſitam produci à tota Trinitate, & tamen reſpicere peculiariter perſonam Verbi. Cur igitur idem dici non poſſit de actione quod effectiue à tota ſit Trinitate, terminatiue ſit ad perſonam Verbi, eo quod talis naturæ ſit vt aſſumat naturam quam producit, aut quam conſeruare incipit, ad ſubſiſtendum in Verbo? Sic enim ceſſant omnia argumenta petita ex tranſitu ad contradictorium, quia interuenit mutatio realis; & ex noua denominatione, quia per actionem aſſumptiuam natura ex non vnita fit vnita, & Verbum fit & dicitur homo, ac caro, quod non contingit ſublato omni modo actionis, & vnionis, quia tunc non apparet quid mutetur; non Verbum, neque natura, ſi ea nihil in ſe recipit in ſecundo caſu ſupra explicato. Quod autem amittat propriam ſubſiſtentiam non ſufficit, quia hoc fieri debet, vel per ſubtractionem ſolam diuini concurſus, & hinc primo ſequitur deſinere actionem conſeruatiuam diſtinctam à termino conſeruato, quod eſt contrate: deinde ſubtractio hæc non eſt aſſumptio ad Verbum, igitur non ſufficit ad hoc, vt natura de non vnita fit, & denominetur vnita: ſufficit autem actio aſſumptiua, quæ ſimul eſt impeditiua ſubſiſtentiæ propriæ, ex eo quod vnit alienæ.

Quod ſi non ponitur actio diſtincta per quam vniantur extrema, neque aliunde aſſignatur aliquid de nouo, ratione cuius illa de non vnitis tũ ſeant ad eſſe vnita, eodem prorſus modo ſe habebunt ante, & poſt vnionem, hoc eſt aliter ſe habebunt, & aliter ſe non habebunt; ſunt enim vnita ex ſuppoſitione Incarnationis; & aliter ſe habent, quàm cum non eſſent vnita; & quia nihil aduenit alteruter ipſorum per quod facta ſit vnio, non aliter ſe habent, & non ſunt vnita. Igitur admittenda ſaltem eſt actio vnitiua recepta in natura humana, & terminata ad Verbum, ad quod per illam aſſumitur vt appareat tranſitus, & mutatio, ſine qua non eſſet nouus terminus, ideſt compoſitum ex natura humana, & ſubſiſtentia Verbi, qui eſt Chriſtus benedictus.

Dices commodius explicari myſterium Incarnationis, ſi ponatur vnio diſtincta vt patet ex iis quæ habent Soar. t. 1. in 3. p. diſputat. variis, & Vaſq. tom. 3. diſp. 18.

Reſpondeo me nolle diſputare in præſentia an detur vnio diſtincta ab extremis vnitis, ſed ſolum oſtendere non conuinci eius neceſſitatem ex prædicto axiomate, quia ſine illa ſaluatur tranſitus per aliam mutationem realem admiſſa diſtinctione actionis.

Cæterum Patres, & Concilia aliter explicarunt myſterũ hoc ineffabile quàm per vnionem, quæ tanquam vinculum humanitatem adſtringat diuinitati, vt enim idem Vaſq. diſp. 41. c. 4. numero 23. cum dicunt alij Patres ipſa vnione, & aſſumptione fuiſſe ſanctificatã humanitatem, non cenſent modum humanitatis, quem nunc Scholaſtici aliqui ponimus in natura eſſe formam ſanctificantem, nam fortaſſe neque ſanctis Patribus talis modus venit in mentem, cum potius Scholaſtica diſputatione adinuentus ſit non multis abhinc annis.

Hoc argumentum negatiuum inſtar affirmatiui eſſe queat, ſi animum aduertas quod Spiritus ſanctus, qui ſua luce perfudit mentes Patrum ad Concilia generalia ſæpe coactorum, vbi de Chriſti Dom. diuinitate ſtatuendum fuerat contra Arium, Neſtorium, Eutycheum, & myſterium Incarnationis qua profanatum,

qua

Digitized by Google

qua obſcuratum ab hæreticis, eluendum, elucidandumque erat, nuſquã vlli eorum ſuggeſſerit modum iſtum, ſi omnino opus illo fuit in Incarnatione, vel eo ignorato nuſquam ſufficienter explicatum eſt myſterium iſtud.

Imo ex epiſtola Concilij Alexandrini, quæ approbata fuit in Epheſino, & eſt decima inter epiſtolas Cyrilli, ſunt hæc verba deſumpta ab eodem Vaſq. diſp. 17. c. 4. numero 26. Coniunctionis nomen euitamus, tanquam non exiſtens idoneum, quod ſignificet vnitatis arcanum. Et cum ſint duo nomina Græca σωμφυια i. contactus, coagmentatio, connexio; & ἕνωσις ideſt vnio, & vnitas; hoc poſterius retinuere primo reiecto, eo quod per hoc ſecundum aptius explicetur vnio, quam vocant eſſentialem, ſubſtantialem, maximam vnionum omnium; ex eo quod fiat vna perſona ex natura humana, & ſubſiſtentia Verbi intime vnitis; ad quod parui refert quod adſciſcatur modus intermedius, quia non attenditur iſta excellentia, & ſubſtantialitas ex modo, ſed ex coniunctis extremis, in quibus illa formaliter conſiſtit, & penes quos attendi deberet, etiamſi duretur vnio media ipſa connectens. Et iuxta hanc doctrinam æque commode explicatur myſterium Incarnationis quantum imbecillitas humani ingenij patitur: nam alioqui eſt ineffabile.

An ex indifferentia dependentiæ termini probetur efficaciter diſtinctio concurſus ab ipſa.

CAPVT XII.

IN exemplo ſuperius allato de lumine pendente à ſole, & mox à ſolo Deo apparet indifferentia eius ad dependendum ab vtrouis; & licet ex ſua natura poſtulet produci, & conſeruari à ſole; tamen per hoc non excluditur totalis ſubiectio naturalis, & dependentia à Deo; & proinde nec indifferentia pendendi ab ipſo tam in fieri, quàm in conſeruari; & iccirco vt ea tollatur, aliqua determinatione opus eſt, quæ non alia commodius aſſignatur quàm cauſalitas, ſiue actio per quam habet formaliter dependere ab vno, & non ab alio; aut diuerſo modo ab alterutro, puta à Deo ſimul concurrente cum ſole; aut cum ſole concurrente naturaliter, vt cauſa principali, cum qua Deus operatur vt cauſa prima, ac vniuerſalis, effectus naturales, & modo naturali: vel certe vt inſtrumento eiuſdem Dei, qui poteſt vti creatura ad effectus ſupernaturales cauſandos; quæ varietas cum non ſit in Deo, vt notum eſt; nec in effectu, qui idem numero fieri poteſt à diuerſis cauſis, & diuerſo modo, reſtat vt ſit in actione; per quam determinatur formaliter dicta indifferentia effectus, & ſit pendens ab vna, & non ab alia; aut ab eadem diuerſo modo per dependentiam à tali cauſa, ſeu per actionem quæ eſt ipſa cauſalitas, per quam cauſa dat eſſe effectui.

Qui modos omnes eliminatos à ſcholis vellent, ſtocci faciunt argumentum hoc ab indifferentia petitum. Quin ait P. Claud. Tiphan. c. 54. eos qui quæſtiones de hoc faciunt, & eis per modos reſpondent, nec quid petant, nec quid reſpondeant ſatis intelligunt, quia vel cauſas effectis notiores quærunt; vel formalem, vbi alia quærenda, & aſſignanda eſt: vel formalem phyſicam, vbi nulla eſt, niſi metaphyſica: vel intrinſecam, vbi tantum eſt extrinſeca. Et cap. 55. de actione in particulari, ſi de indifferentia rei quoad dependentiam ab hac, vel illa cauſa, ſi quæratur cur lumen Dei ſit à ſole, vel à Deo ſolo reſpondet, ſi cauſa formalis phyſica re diſtincta à lumine petatur, vitioſam eſſe quæſtionem, quia vt actionis in vniuerſum, ſic illuminationis in ſpecie cauſa formalis phyſica diſtincta nulla, eſt præter ipſum lumen: Si vero quæratur cauſa formalis metaphyſica, alia nec eſt, nec dari poteſt, quàm ipſa ratio & definitio illuminationis, nempe ipſum lumen prout eſt à ſole, vel prout eſt actus potentiæ illuminatiuæ ſolis, quo illuminare dicitur.

Scilicet Scotus, Suarius, Vaſq. Et qui cum ipſis modos plures, aut pauciores admittunt talpæ ſunt non videntes, nec capientes quid petant, aut quid reſpondeant, hoc profecto eſt ſolem damnare tenebris: quid enim iſtis magnis ingeniorum luminaribus inuium fuerit, quod aſtris minoribus ſit peruium in regione litteratorum?

Sed pace boni, doctique Theologi, non hæc prima cura fuit, quæ ſollicitos habuit ſapientiſſimos doctores; ſed illa vel maxime, quod cum in quæſtionem venire poſſint de Modis An ſint, quid ſint, quales ſint, & propter quid ſint, in eo ferme inſiſtunt vt probent primum, nimirum quod ſint in ſenſu qui controuertitur qui eſt, an ſint entitas diſtincta à re modificata: Et quia aduerſarij negant eſſe quid diſtinctum, & verbo tenus concedunt modos, & variis locutionum formis illos explicant, petunt noſtri ab illis quid phraſes illæ tam multiplices ſignificent, & quodnam ſit obiectum à parte rei reſpondens propoſitionibus tam formalibus, quam verbalibus, quod non eſt quærere, quid ſit definitum, aut definitio, ſed an ſit aliquid diſtinctum ab extremis quod terminis definitiuis explicatur; v. g. in propoſito quando dicitur quod actio formaliter dicit habitudinem ſeu originem, & quod cum ſol ſit de agente non agens, ſit mutatio originis, & habitudinis, tam actiuæ quàm paſſiuæ vnius ad alterum, quia cum non illuminat non eſt amplius id à quo, nec id vnde reſpectu luminis, nec actus huius in hoc. r, ſolis agentis, & aëris patientis à ſole, quos dicis eſſe modos reales, & reales habitudines, ac origines quibus ſol, lumen, & aer conſtituuntur in ratione cauſæ, & effectus, agentis, & patientis, & quibus alio modo ſe ſe habent ad invicem à parte rei extrinſece. Quando inquam hæc, & ſimilia dicuntur, quærimus an habitudo, & origo actiua, ac paſſiua ſit aliquid per

quod lumen indifferens ad dependendum à ſolo Deo, & ab ipſo ſimul cum ſole determinetur ad dependendum alterutro modo; & quia negas eſſe quid diſtinctum, quærimus vnde habeat determinationem ad hoc vt ſit effectus vnius, & huius, & non alterius: præciſa enim actione, & cauſalitate nihil eſt in lumine, aut ſole, vel Deo, quod determinet; vel aſſignetur quodnam ſit; illa enim tria ſemper eadem ſunt, & non apparet quid mutetur etiam extrinſece, præter tempus, quod per te non determinat indifferentiam luminis, quod ſeipſum determinare non poteſt ad dependendum ab hac cauſa potius quàm ab alia.

Quo poſito bene progreſſus ſit ad exagitandam quæſtionem quid ſit ſolem agere, illuminare aërem, lumen à ſole pendere: quia cum nihil ſit quod determinet ad dependendum à ſole, vel à Deo ſolo, non liquet quid ſit hoc quod tu dicis ſolem aut Deum agere, etiamſi alioqui mihi conſtet ſolem agere explicari rite per hoc quod eſt dare eſſe lumini, aut lumen pendere à ſole, quia per actionem cauſat. Neque vlterius quæram definitionem definitionis, nec cauſam cauſæ in infinitum, contra regulas dialecticas & Metaphyſicas hoc vetantes, vt patet ex 2. Metaph. paſſim ſed bene definitionem ipſam, ac definitum an ſit; & cum aſſerueris eſſe habitudinem, originem actum huius, &c. iure meo peto an per hæc verba ſignificare intendas aliquid diſtinctum à ſole, & lumine, nemine cogitante; per quod determinetur lumen de ſe indifferens ad dependentiam à ſole: & quia nullam entitatem determinatiuam admittis, non ſoluis quæſtionem per verba nihil ſignificantia præter lumen, & ſolem, quia hæc eadem manent in ſeipſis, & nullum reale extrinſecum mutatur, ad cuius mutationem proueniat determinatio, aut denominatio diuerſa, quæ prius non fuerit; vel eſſe deſinat quæ profuerit. Conſequenter infero non eſſe cur lumen potius à ſole pendeat, quàm à Deo ſolo, quia non eſt vllum determinatiuum indifferentiæ luminis; nullum eſſe diſcrimen inter hæc ſol, & lumen; & lumen à ſole. Neque eſſe rationem cur modo ſol aerem illuminet, & poſtea non illuminet, Deo per ſeipſum conſeruante ſine concurſu ſolis: quæ ſunt illationes ex antecedente tuo, quod concurſus nihil reale ſit præter terminum, & agens licet à te proponantur tanquam quæſtiones perperam à me excitatæ, quærente cauſam vbi quærenda non eſt, vel non eo modo quo quærenda eſt; cum tamen re vera non quæram à te cauſam aut phyſicam, aut metaphyſicam formalem, intrinſecam, vel extrinſecam; ſed cauſalitatem, & non quid illa ſit, ſed an ſit quid diſtinctum, & determinatiuum indifferentiæ effectus vt proinde ſuperuacaneum videri poſſit congeſſiſſe tam multa notabilia ex Ariſtotele ad oſtendendum male inſtitutis à me quæſtionibus, bene conſtituras à te reſponſiones redditas: Siquidem vnica mea quæſtio eſt, & cupiditas ſciendi an illuminatio ſolis ſit entitas diſtincta pluſquam ratione ratiocinata à ſole, & lumine, quæque determinet lumen ad pendendum à ſole; & pro ſolutione hactenus non habeo niſi verba, quod ſit origo, habitudo, actus; ſed non quid præter ſolem, & lumen, vt ille cauſat vel dat eſſe; hoc cauſatur, & accipit, nec explicas quid addat, vt cauſat, ſupra ſolem, & lumen.

Altera igitur ſententia eſt ex indifferentia dependentiæ effectus probari efficaciter diſtinctionem ipſius actionis, ſeu cauſalitatis; pro qua aduertendum, quod loquendo vniuerſaliter de indifferentia effectus, vt producibilis eſt tam naturaliter, quam ſupernaturaliter, comparari poteſt ad cauſas diuerſas, vel ad eaſdem diuerſo modo operantes, v. g. idem lumen ad Deum & ad ſolem naturaliter concurrentes ad eius productionem, & conſeruationem; & ad Deum ſolum vel producentem, vel conſeruantem, aut etiam vtentem creatura, vt inſtrumento ad producendum, & conſeruandum, quæ ſunt poſſibilia; & eadem quantitas in Sacramento, quæ antea conſeruabatur in ſubiecto, facta conſecratione conſeruatur à Deo diuerſa actione & idem corpus Chriſti D. diuerſa conſeruatione conſeruatur in cælo, & ſub ſpeciebus Sacramentalibus, vt Soar. t. 3 in 3. p. diſp. 50. ſect. 4. quod eſt euidens argumentũ indifferentiæ ad dependendum à diuerſis cauſis, & diuerſis modis, cui non obſtat quod vnus modus ſit ei connaturalis, alter non item; quia cum hoc ſtat poſſibilitas productionis diuerſæ, quod ſufficit ad hoc quod intendimus opus eſſe determinatiuo diſtincto ab effectu, & à cauſa, quia eiuſdem effectus non vna eſt productio ab eadem cauſa diuerſo modo operante, neque idem reſpectus, & habitudo effectus ad illam. Huius autem diuerſitatis ratio, & indifferentiæ, ſeu poſſibilitatis ad illam determinatio non eſt alia, quàm ipſa actio, quia tam cauſa, quàm effectus indifferens eſt illa ad producere, hic ad produci diuerſis productionibus reſtat ergo ſola actio quæ formaliter determinet vtriuſque indifferentiam, & ſit cauſa diuerſorum reſpectuum.

Sic igitur proponitur argumentum in forma, effectus de ſe indifferens ad dependendum à pluribus cauſis, vel ab vna diuerſis modis, manet idem non manentibus iiſdem determinatiuis iſtius indifferentiæ, ergo talis indifferentia ſignum eſt diſtinctionis eius à determinatiuis. Antecedens patet ex modo dictis de lumine, & quantitate in Sacramento, quæ diuerſam habet conſeruationem ante, & poſt conſecrationem. Conſequentia probatur ex principio ſupra poſito: Quod ea diſtinguuntur pluſquam ratione ratiocinata, quorum vnum poteſt eſſe pereunte alio, vt Scotus, & alij quos ſequitur Soar. in Metaph. diſp. 7. ſect. 2. & diſp. 20. ſect. 5. vbi creationem ex eodem principio probat eſſe modum diſtinctum à re creata, de quo alias. Supponit autem argumentum quod euidens eſt indifferentiam tunc determinari, quando à parte rei ponitur id à quo eſt res determinabilis, vt apparet in materia, cuius indifferentia determinatur à forma ad quam eſt in potentia; animal

Indifferentia effectus in dependendo determinatur ab aliquo à ſe diſtincto.

Digitized by Google

à differentia, à qua contrahitur, & sic de cæteris, ergo idem valet in effectu indifferente ad varias productiones, quod scilicet determinetur formaliter ab ea per quam actu producitur, & pendet ab agente hîc, & nunc.

Dices determinari non per modum à se distinctum, sed à seipso vt habet diuersas origines actiuas, & passiuas, ac diuersas habitudines ad causam, à qua accipit esse, & cuius dicitur actus.

Sed hæc est determinatio mere verbalis, nam actio, quæ à te ponitur forma metaphysica, & non modus physicus, & physice determinans, nihil est nisi terminus siue effectus, & agens; vterque autem est indiff. rens physice, & realiter, à quo igitur determinatur? Dices agens esse quando agit, & incipit habere effectum pendentem, & effectus quando incipit pendere, siue esse ab agente.

Pero quid habet agens quando incipit agere, aut quid habet effectus quando incipit ab illo pendere quod sit determinatiuum indifferentiæ, v.g. lumen quod prius conseruabatur à sole, & postmodum incipit conseruari à solo Deo, quid habet de nouo à quo determinetur ad dependendum à Deo solo? si nihil, ergo ne nihil determinat physicam indifferentiam, & est physicum, & reale determinatiuum? si aliquid, vel hoc est intrinsecum, & non annuis, quia modum negas, & nihil eius loco substituis contentus solo lumine, & Deo: vel est extrinsecum, & non proferes; quod nam hoc sit præter tempus, quod nequaquam teste etiam te, determinatiuum est, quia & ipsum indifferenter se habet ad lumen, & non habet maiorem connexionẽ cum ipso, quam cum reliquis sibi extrinsecis.

Secundò, Consequenter applicari possunt ad hoc probandum reliqua principia, quibus eandem distinctionem actionis, & diuini concursus à termino præcedentibus capitibus probauimus. puta ex separatione; nam modo determinate lumen pendet à sole, modo non pendet ab eo, sed totaliter, & determinate à solo Deo, ergo manente lumine eodem immutato, non manent eadem determinatiua, Proinde neque iidem respectus, ac denominationes tam obiectiuæ, quàm formales, igitur distincta sunt determinatiua a lumine per illa successiue determinato diuerso modo.

Item valet hîc axioma de transitu à contradictorio in contradictorium, qui non fit sine mutatione reali; nam verum est dicere lumen modo determinatur ad dependendũ à sole & à Deo; modo à Deo solo, ergo fit transitus à contradictorio in contradictorium, ideſt à dependente ab vno determinate, ad non dependendum. Ad hoc autem superius ostensum est opus esse aliqua mutatione reali; Cedo quænam illa sit in proposito, & quænam sit res determinans, cuius positione ponatur nouus terminus contradictorius, puta effectus determinate pendens à sole, & cuius desitione ponatur oppositus non dependens determinate. Nisi enim admittatur concursus distinctus, nihil reliquum est intrinsecum, aut extrinsecum, quantuis phrasium copia huic inopiæ succurrere satagant, qui determinatiuum verbo adsciunt, sensu destruunt, quo verbum multiplicatum caret; siue recurrant ad voluntatem Dei, vt plures Nominalium faciunt, siue ad formalitates, vt plerique eorum amatores; siquidem voluntati diuinæ suus terminus concedendus, diuersus diuersæ, & in casu nostro solus semper, & vnicus est effectus inuariatus, nempe idem lumen: Et noua formalitas quicquid illa sit, nouum fundamentum postulat, quod hîc est nullum.

Dixi autem aliquid intrinsecum, vel extrinsecum requiri ad tollendam indifferentiam, vel ponendum transitum prædictum; quia in multis manifestum est sufficere extrinsecum, v.g. creatura quælibet contingenter existit, & de se non habet determinationem ad vtrumlibet, sed est indifferens, hæc autem indifferentia tollitur per voluntatem Dei efficienter, formaliter per ipsam actualem existentiam creaturæ; & ne dicas accipere determinationem ab actione, vel duratione, idem argumentum valet in ipsis, quia contingentes sunt, & indifferentes, neque indigent alio modo ad sui determinationem, ne detur processus in infinitum, sed sufficit determinans extrinsecum ad hoc vt de non existentibus fiant existentes formaliter per seipsas.

Ideo argumentum quo recentiores vtuntur ad probandum dari vbi intrinsecum, & vnionem distinctam à materia, & forma, non æque in illis valet, ac in actione: nam reperitur semper aliquod determinatiuum in illis, quod in termino non est, si actioni idemtificatur. Quærenti enim per quid determinatur corpus ad esse, hîc cum sit indifferens ad esse in pluribus locis, respondetur determinari à tali motu, vel actione ponente illud in tali parte mundi, cum tali distantia, & mensura ad puncta eius fixa. nec requiri aliud intrisecum determinans indifferentiam seu locabilitatem. Et idem est de vnione, per quid enim determinatur materia ad hanc formam? per actionem productiuam, seu eductiuam, vel vnitiuam saltem, qua posita ipsa forma per seipsam intrinsece determinat. Sed sublata distinctione actionis à termino nullum est inuenire determinatiuum vel intrinsecum, vel extrinsecum, vt diximus. Item forma potest per diuinam potentiam existere separata à materia, sicut exiſtit quantitas in Sacramento Eucharistiæ per quid determinatur ad existendum in materia & dependenter ab ipsa, si Deus velit vt existat subiectiue in illa? per actionem aliquam vnitiuam efficienter, sed formaliter seipsa supposita illa actione.

Argumenta quæ opponi possunt, ex dictis haud difficilem habent solutionem.

ILlud porrò superius tactum, quòd non non sit necessarium multiplicare entia, ac proinde neque modum actionis distinctum à termino, quidam recentiores vt probare studeant, videamus,

Referuntur duo modi recentiorum negantium diſtinctionẽ actionis ſeu medulem ſeu ex natura rei à termino.

CAPVT XIII.

P. Oddo de Com. in ſua Philoſophia.

QVia termini ipſi argumenti propoſiti indicant aliquam diuerſitatẽ in obiecto, ratione cuius verificantur contradictoria de eodem ſucceſſiue; propterea ingeniose recentiores quidam recurrunt ad diuerſam formalitatem, & ad nouam formam non nouitate eſſendi; ſed nouitate denominandi; & quia noua forma non mutatur in ratione denominandi, ſine aliqua mutatione vel in ſe, vel in termino, admittunt aliquam mutationem realem, vel in effectu; vel in cauſa, quando effectus à ſolo Deo dependet, & quando ſimul dependet à Deo, & à creatura; & dicunt non eſſe mutationem in effectu, ſed in cauſa, vel in conditionibus agendi, quæ ſunt etiam partes denominationis cauſæ. Exemplum eſt in calefactione, cuius efficiendæ ſi nulla cauſa creata habeat omnes conditiones, conuenit illi hæc formalitas, vt pendeat à ſolo Deo, quia rationes agendi, & conditiones in cauſa, ſunt etiam in illa rationes determinandi dependentiam effectus ad ipſam cauſam; deficiente autem ratione terminandi, deficit formalitas in fundamento.

Sed quid ſi aliqua cauſa creata habeat omnes conditiones agendi, & tamen Deus velit per ſeipſum ſolũ immediate facere effectũ, quodnam erit fundamentum nouæ formalitatis?

Reſpondent in hoc caſu neceſſarium eſſe aliquod poſitiuum impedimentũ in cauſa, idque ſupernaturaliter ponendum à Deo, cum in natura nihil ſit, quod illud exigat: Non quia non poſſit Deus impedire cauſam ne agat, nullo in ea poſito impedimento ſi nolit concurrere ad effectum, ſed non poteſt velle fieri effectum, & non à tali cauſa habente omnes conditiones agendi, non poſito impedimento in cauſa.

Quærenti igitur quomodo lumen ex. g. in aëre deſinat pendere à ſole, & incipiat pendere à ſolo Deo, qui eſt tranſitus à contradictorio in contradictoriũ, ſupponens mutationẽ aliquam realem, reſpondent hanc non fieri per deſitionẽ alicuius modi, per quem penderet lumen à ſole; ſed per poſitionem alicuius poſitiui impedimenti in ipſo ſole, ratione cuius non dicũtur eſſe omnes conditiones agendi, ac proinde nec ſol eſſe cauſa luminis, nec lumen ab ipſo pendere, cum hoc nihil aliud ſit quàm eſſe effectũ, & omnes conditiones agendi ex parte cauſæ, inter quas vna eſt, ne ſit in ea poſitiuum impedimentũ, per hoc enim amittit rationẽ cauſæ.

Itaque ſi Deus decernat ſe ſolo conſeruare lumen, huic decreto reſpondet poſitio impedimenti in ſole, & conſequenter negatio concurſus ipſius ſignificata per particulam; ſolo; non quia negetur entitas vlla in effectu, ſed cauſa, vel conditio cauſæ.

Hæc reſpõſio videtur magis ingenioſa, quàm vera. Et primò quidem quæ habet de formalitate, quoniã per illam intelligit conceptibilitatem effectus cum fundamento in re, non me ſollicitũ habent admittentem vnam & eandem rem per ordinẽ ad diuerſa concipi diuerſimode, ac denominari, vt patet in obiecto circa quod verſari poſſunt diuerſæ potentiæ, & actus v. g. in colore quod attingi poteſt à viſu, & dicitur viſibilis, ab intellectu, & dicitur intelligibilis, &c. Sed in propoſito non video fundamentum diuerſarum formalitatũ quibus ſucceſſiue ſubſtat idem effectus inuariatus ob quas dicatur modo dependens, modo non dependens realiter ab aliqua cauſa.

Dices eſſe poſitiuũ impedimentũ ſupernaturaliter inditũ cauſæ. Contra, ante poſitionem impedimenti effectus vere, & realiter pendebat à cauſa, puta lumen à ſole, ita vt verũ eſſet dicere abeſſe carentiam impedimenti, quod eſt quid negatiuum, & non cauſa realis, & phyſica effectus phyſici; & præterea adeſſe poſitiuam, & realem cauſalitatem ſolis in lumen, ratione cuius dicebatur ab eo pendere, fieri, cõſeruari. Peto igitur an poſito impedimento ſupernaturaliter, ceſſet iſta cauſalitas, & influx⁹, vel non? ſi non ceſſat, ergo contra ſuppoſitionem, quod lumen deſinat pendere à ſole: ſi ceſſat, ergo aliquid reale deſinit, quod erat ante poſitionem impediméti; vel ſi nihil erat reale quod ceſſet, ſunt meravocabula, quę aſſumuntur ad ſignificandam dependentiam poſitiuam, quia in re nihil erat præter lumen, & ſolem, & carentia impedimenti, in qua non eſt poſita ratio dependentiæ, & poſitiui influxus ſolis in lumen.

Reſpondes, poſito impedimeto ſolem amittere rationem cauſæ deffectu conditionum agendi, & lumen rationem effectus, & dependentis, quæ non ſtat ſine conditionibus agendi.

Rogo te quid intelligis per amiſſionẽ rationis cauſæ? An cauſæ in actu primo potentis operari, eo quod poſito impedimento impotens reddatur ad operandum? At quæſtio non eſt de virtute impedita, ſed de operatione in actu ſecundo, quam ceſſare dicis poſito impedimento, & proinde etiam rationẽ cauſæ in cauſando, & effectus in dependere, & cauſari. Cedo igitur quid ſubeſt ſignificati in iſtis vocib⁹, cauſa ceſſat cauſare, & effectus dependere, ſol deſinit influere in lumen, & hoc pendere à ſole? Teneris reſpondere nihil aliud ſignificari, quàm de nouo incipere poſitiuum impedimentũ, quod antea non erat; & nihil aliud eſſe cauſam influere in effectum, & hunc ab illa pendere, quàm non eſſe poſitiuum impedimentum in cauſa contra quod eſt.

2 Quia quod attinet ad modũ loquendi valde improprie dicitur quod cauſam operari actualiter nihil eſt aliud, quàm carere poſitiuo impedimento ad operandum, tum quia hæc ſtant ſimul carere impedimento, & tamen non operari, vt patet in agentibus liberis, ac etiam neceſſariis, ſi deſit aliqua conditio ad operãdum, neque tamen adſit poſitiuum impedimentum operandi: Tum quia vt indicant ipſi termini, impedimentũ operandi eſt alicuius rei impedimentum, puta ne deſcendat lapis, ne aſcendat aër, vel ignis; ita & hîc impedimentum ne ſol illuminet ſignificat, ne cauſet illuminationem; Quæroeſt ne illuminatio aliquid, & dependentia luminis præter lumen ipſum? ſi nihil, ergo datur poſitiuum impedimentum nihili: ſi aliquid, habeo intentũ, quia non eſt lumen quod ſupponitur non impediri, ſed durare idem quod prius, & ſolum amittere dependentiam à ſole, quia incipit conſeruari à ſolo Deo.

Digitized by Google

Amittitur, inquis, noua formalitas. At hæc quid eſt? non ſola conceptibilitas, quia ſolem phyſice, & realiter influere in lumẽ, & hoc pendere à ſole, nullo cogitante, non eſt eſſe tantũ ſic cõceptibile, ſed habere aliquod fundamentum, ratione cuius ſit conceptibile tali, vel tali modo, & hoc non eſt carentia poſitiui impedimenti, quia ipſa non eſt ratio influxus cauſæ, & dependentiæ poſitiuæ effectus, ſed requiritur aliquid aliud tam quoad actum primum, quàm quoad ſecundum.

Tertiò, Quando quantitas, & ſpecies Sacramentales incipiunt conſeruari à ſolo Deo nullum ponitur poſitiuum impedimentum in cauſa vlla creata, quia deſinit ſubſtantia panis, ac vini, neque in increata, vt manifeſtum eſt, & tamen verum eſt quod de nouo conſeruantur ab ipſo Deo ſolo, ergo fruſtra recurritur ad impedimentum poſitiuum, vt fiat mutatio realis dependentiæ, & denominationis nouæ; ſed potius admittenda noua actio conſeruatiua diſtincta ab illa, qua accidentia conſeruabantur in ſubiecto concurrente ipſo in genere cauſæ ſubiectiuæ, & ſuſtentatiuæ ſimul cum efficiente, quæ eſt prima cauſa.

Confirmatur, quia ſi Deus velit ſeipſo conſeruare accidentia in ſubiecto abſque eo quod loco ſeparentur ab ipſo, verum eſt dicere quod cauſat cauſalitas ſubiectiua eius, & non per appoſitionem impedimenti, quod per te ſolum apponitur in cauſa efficiente, vt fiat mutatio de cauſa in non cauſam defectu conditionum agendi, ergo ad nouam formalitatem, & denominationem non requiritur impedimentũ poſitiuum. Vel ſi dixeris hic etiam requiri, aſſignare debes quidnam ſit illud quod impeditur, ſiquidem poſitiuũ actuale impedimentum illud eſt, quo impeditur aliquis effectus, & in dato caſu non liquet quinam ſit ille; præſertim in tua ſententia negante ſuſtentationem accidentium, vel inhærentiam ipſorum eſſe modum diſtinctum, hoc enim dato nihil eſt quod impediatur, vel muretur in ſubiecto, vel accidentibus, quæ ſupponimus remanere vnita vt antea erant, & ſolum amittere ſuſtentationem à ſubiecto, & omnem ipſius cauſalitatem, quia Deus ſolus illa conſeruat; & petimus quid ſit illa deſitio, ideſt amiſſio alicuius entitatis realis, & quid illa inceptio conſeruationis à ſolo Deo, ideſt an acquiſitio alicuius realis dependentiæ, quam antea non habebant accidentia, ne ſint mera verba quæ afferuntur nihil noui ſignificantia, quando dicitur quod incipiunt conſeruari realiter, & dependere à ſolo Deo per nouũ, & poſitiuum influxum ſupplentem quicquid erat neceſſarium ex parte ſubiecti ſuſtentantis; præſertim quia hic etiam noua formalitas non ſufficit; ſed aſſignandum eſt nouum fundamentum ipſius, ac nouæ denominationis.

Dices forſaſſe caſum eſſe impoſſibilem, quia accidentia ſuſtentari à ſubiecto nihil eſt reale, præter ipſa vnita eidem ſubiecto, & ideo non deſinere ſuſtentationem donec manent vnita.

Contra, quia non apparet cur Deus qui poteſt quando, & vbi vult creare accidentia, non poſſit etiam ipſa creare in ſubiecto, non concurrente ipſo; & tunc vel ſunt in ipſo inhæſiue, & hoc non, quia ſuppoſitio eſt quod creentur, & non inhæreant, nec educãtur de eius potentia. Vel non inhærent, & cum dicantur in ipſo produci, & eſſe ipſi indiſtantia; ſi incipiant inhærere volente Deo vt ſuſtententur à ſubiecto, hæc noua inhæſio erit aliqua realis entitas, quæ antea non erat, & dependentia à ſubiecto: Atque ita in primis cogeris admittere modum realem diſtinctũ ab extremis, ideſt ſubiecto, & accidentibus, quæ manent eadem. Deinde non te iuuat inuectio poſitiui impedimenti, quod hic nullum eſt, quia non impeditur effectus antiquus, ſed producitur nouus; & non conſiſtens in ſola formalitate, & conceptibilitate, ſed in nouo fundamento reali, ex quo formari poteſt argumentum ad probandam aſſertionem.

Quartò, Quia quando incipit noua cauſalitas ſubiecti in accidentia, quæ antea non inhærebant, neque ſuſtentabantur impertinens eſt, & impoſſibile poſitiuum, impedimentum ad hunc nouum effectum, & dependentiam; ergo tunc accerſendus nouus modus realis propter nouam formalitatem, & realem denominationem, quæ ſupponit mutationem realem in aliquo vel vtroque termino, qui remanere ſupponitur, ſed affectus diuerſo modo quam erat antea. Idem igitur aſſerendum in noua conſeruatione luminis à Deo ſolo, & vniuerſaliter in mutatione dependentiæ ab agente.

Confirmatur, quia decreto quo Deus vult accidentia inhærere, & dependere à ſubiecto reſpondet extrinſecus aliquid reale, & hoc non eſt neque ſubiectum, neque accidens collectiue, aut diuiſim, quia vtrumque ſupponitur; vel poteſt eſſe ſine hac dependentia. Neque rurſus eſt poſitiuum impedimentum vt à te ponitur, quãdo cauſa creata deſinit influere, igitur erit aliquid aliud reale poſitiuum.

Et idem argumentum valet in cauſa efficiente, v.g. in lumine, ſi Deus produceret ſe ſolo lumen, & poſtea vellet ſolem concurrere ad illius conſeruationem, tunc enim ſol de non conſeruante fieret conſeruans, & lumen de non dependente fieret dependens realiter & non per poſitiuum impedimentum.

Quintò, ſi Deus ſubtraheret concurſum lumini à ſe ſolo conſeruato, vel etiam à ſole, ſtatim rediret in nihilum, iuxta dictum S. Auguſtini lib. 10. Ciu. c. 25. Si potentiam ſuam fabricatoriam rebus ſubtrahat, ita non erunt; ſicut antequam fierent non fuerunt; vt ſupra ex eodem alibi, & aliis Patribus probauimus; ergo concurſus eius conſeruatiuus eſt quid diſtinctum à lumine. Probatur ſequela, quia hæc cauſalis vera eſt, Ideo lumen deſinit, quia Deus ſubtrahit ſuum concurſum, ergo ſubtractio concurſus eſt cauſa deſitionis luminis, ergo prior natura, vt ſunt omnes cauſæ reſpectu effectuum, ſiue poſitiui iſti ſint, ſiue negatiui, omnes enim pendent à cauſa. Quod ſi conſeruatio non eſt quid diſtinctum à lumine, deſitio illius non eſſet cauſa deſitionis luminis; & propoſitio eſſet identica, qua diceretur lumen deſinere, quia deſinit conſeruatio eius, & æquipolleret huic alteri, Ideo lumen deſinit, quia lumen deſinit, quæ eſt nugatio non vitabilis per formalitates, niſi fundamentum ipſarum aſſignetur: quod ægre aſſignabitur in propoſito negata conſeruatione, vt modo diſtincto,

quia neque impedimentum poſitiuum locum hîc habet; neque datur alia realitas, ratione cuius verificetur prædicta cauſalitas.

Sextò, non apparet ad quid inſeruiat poſitiuum impedimentum in ſole, vt deſinat eſſe cauſa illuminationis, nam ſi ipſo poſito ceſſat illuminatio manente lumine per ſolam Dei conſeruationem, ergo illuminatio eſt quid reale diſtinctum à lumine, & à ſole ſi nihil reale ceſſat, ſed ſolum formalitas dependentiæ luminis à ſole, eodem modo ceſſaret per poſitionem cuiuſuis qualitatis in ſole. Si enim nulla realis actio impeditur per poſitiuũ impedimentum, ſed ſolum adſciſcitur, vt ſaluetur conceptus actionis in hoc conſiſtens, quod ſit lumen, & ſol cum omnibus conditionibus agendi; cur potius deſinit eſſe formalitas actionis poſito impedimento, quàm alia qualitate in ſole? nulla enim maior vel diſconuenientia, vel conuenientia eſt vnius, quàm alterius cum lumine, & ſole, ratione cuius deſinat actio illuminatiua, ſi realiter hæc non eſt entitas diſtincta à lumine, & ſole quæ remanent, ſiue ponatur impedimentum, ſiue alia qualitas, ſicut erant prius; & tamen non manet actio ſi ponatur impedimentum; manet, per te, ſi ponatur alia qualitas non impeditiua. Sed hîc quid illud ſit quod ſimul manet cum iſta, non maneat cum illa? ſi enim reſpondeas nihil reale manere, neque deſinere, igitur actio formaliter ſumpta non eſt quid reale, ſin ſecus, ergo eſt quid reale præter terminos manentes.

Neque hîc rurſus locus eſt formalitati, ſeu conceptibilitati, quaſi hæc maneat poſita qualitate, non item poſito impedimẽto: peto enim quid ſit illud quod deſinit poſito impedimento, ratione cuius mutetur formalitas, conceptibilitas, denominatio, vel ſi quid aliud ſimile inueniatur; & non deſinit poſita alia qualitate, ſi neutrum opponitur lumini quod manet inuariatum; neque dependentiæ eius à ſole, quæ per te nihil reale eſt, ac proinde non habet oppoſitum à quo impediatur.

Septimò, Videntur confundi cauſalitates diuerſarum cauſarum in diuerſo genere; nam ſicut in genere cauſæ formalis eſſe album parietẽ, ex. grat. vel aerem lucidum, nihil eſt aliud realiter, quàm albedinem eſſe in pariete, & lumen in aëre, & quidem per te ſine modo inhæſionis diſtincto; ita eſſe lumen à ſole nihil eſt aliud quàm eſſe ſolem, & lumen ſine impedimento poſitiuo, qui eſt conceptus formalis illuminationis; & nihil inuoluit efficientiæ, per quam diſtinguatur à cauſalitate vel formali, vel materiali, ſi quidem iſtud eſſe à ſole, vel pendere à ſole, & vniuerſaliter conceptus Ab, nihil includit præter ipſos terminos, à quibus non diſtinguitur actio realiter; ſicut neque eſſe In diſtinguitur per te ab accidente, & ſubiecto: explica igitur realem cauſalitatem efficientis ſignificatam particulis A, Ab. Ex, &c. Et cauſalitatem materialem, ac formalem indicatam per In, inhæſionem, ſuſtentationem, &c. ſicut enim iſta denotat aliquid, quod poteſt deſinere manentibus terminis, ſic & illa: vel ſi nihil denotant reale, neque item illa denotant; quid igitur ſunt iſtæ cauſalitates, vel quomodo realiter diſtinguuntur, ſi realiter nihil ſunt præter terminos. Per me autem diſtinguuntur, quia eſſe lumen à ſole dicit efficientiam & influxum ſolis in lumen; & eſſe lumen in corpore luminoſo dicit inhæſionem, & ſuſtentationem, quæ eſt cauſalitas ſubiecti diſtincta à cauſalitate efficientis.

Alter modus explicandi cõceptum actionis per diuinum decretum ſine alia entitate diſtincta à termino, & agente.

CAPVT XIV.

ALij Recentiores pariter ingenio, & doctrina affatim diuites, recurrunt ad Dei decretum, eoque compleri exiſtimant conceptum actionis, quem præter illud nihil ſuperaddere dicunt reale diſtinctum à termino, & agente; & ratione cuius effectus dicatur produci potius ab vno agente, quàm ab alio, atque adeo hoc erit determinatiuum tam agentis ad producendum, quàm termini de ſe indifferentis produci à diuerſis cauſis, puta à Deo ſolo, & à creatura. Vt autem diſtinguant cauſas phyſicas à moralibus, dicunt primas eſſe huiuſmodi, vt ſi per impoſſibile conciperemus dari decretum illud, quod Deus habet de ponendo effectu abſque eo quod talis cauſa ſecunda exiſteret, effectus non reſultaret; ſecus in cauſis moralibus contingere, quæ ſunt tantum cauſæ mediatæ, & contradiſtinguuntur ab adæquata virtute, per quam ponitur effectus.

Conceptum vero virtutis in eo ponunt, vt illa data & cæteris omnibus per poſſibile, vel impoſſibile ſublatis, ſequatur effectus, atque adeo cõceptus actionis in hoc conſiſtit, vt poſita cauſa ex vi decreti diuini ponatur effectus ita illa exigente. Et hanc ſententiam probare nituntur

Primò, quia non ſunt ponendæ entitates aliæ, præter illas, quæ vel cadunt ſub experientiam, vel per experientiam ſenſibilem colliguntur, vt in ſimili de relatione conſtat, ſed actio non eſt huiuſmodi, quia nihil experimur in productione caloris, ex. g niſi quod quoties ponitur ignis in talibus circumſtantiis, toties ſequitur calor: ſed hoc totum non eſt aliud, quàm conſiſtentia ignis cum ſuis circunſtantiis præcedentibus ex vna parte, & caloris ex alia, ergo præter hæc nihil experimur.

Nec valet dicere non poſſe aliter explicari quid ſit calorem pendere ab igne, quod experimur, quam quod fiat ab igne, per fieri autẽ denotari actionem: nam peto vnde primum ſeſe ingeſſerit in mentes noſtras ſignificatum huius vocabuli, fieri ab hoc, prout ſignificat aliquid diſtinctum à coexiſtentia prædicta? ſiquidem ſenſus neque immediate, neque per mediatam conſequentiam aliquid aliud manifeſtat.

Nec ſatisfacis dicendo ſpectare ad omnipotentiam Dei poſſe producere in præſentia huius ignis hunc calorem ſe ſolo, ſine ignis concurſu: nam primò nunquã explicas vnde primum noueris id quod ſignificas nomine productionis, vel concurſus, prout diſtinguitur ab illo toto quod dixi; ergo ſemper petis principium. Secundò, quia derogas omnipotentiæ

Digitized by Google

Dei à qua ſola contendis non poſſe produci entitatem actionis, quòd per te ſit affixa eſſentialiter cauſis ſecundis.

Tertiò, Quia Deus poteſt efficere quod hic effectus non pendeat ab hac conditione, & tamen id ſaluatur per te, licet actio non ſit eſſentialiter conditionibus affixa. Vt igitur tollatur hæc indifferentia, dandum erit determinatiuum, ratione cuius dicatur pendere ab hac conditione, à qua non pendet eſſentialiter. Patet ſequela, quia propterea requiris actionem, vt tollatur indifferentia termini potentis pendere à diuerſis cauſis; ergo etiam requiretur actio, vel aliud determinatiuum tollens indifferentiã pendendi à diuerſis conditionibus. Item poteſt facere quod quando ignis corrumpitur, negatio illius, quam ponis diſtinctam ab omni ente poſitiuo (aliqui etiam dicunt per eam compleri decretum Dei) ponatur dependenter ab hac, vel illa noua forma genita, & totum hoc ſine actione diſtincta huic effectui formali eſſentialiter affixa; negatio enim non fit per actionem, alioqui antequam Deus creaſſet mundum, debuiſſet dari aliqua actio per quam fieret negatio illa, ergo etiam poterit determinari indifferentia effectus poſitiui in ordine ad hanc determinatam cauſam ſine actione diſtincta.

Confirmatur, quia vna negatio poteſt ordinari ad aliam, & non ordinari, v. g. negatio vnius individui puta Sortis, ad negationem alterius, puta filij qui naſceretur ab ipſo; ergo debet dari aliquid determinans hanc indifferentiam, v. g. actio, & ſic eſſet actio ad negationem. Vt autem explicent cur poſitis omnibus circunſtantiis ipſis dicatur à ſolo Deo produci, & non ab igne, & quid hoc ſignificet non quidem per conceptum radicalem, & proprium, quia hic non habetur de prædicatis, quæ ſub experientiam non cadunt, ſed per ordinem ad aliquam proprietatem cum tali prædicato connexam, & experientia notam.

Aduertunt non aliter poſſe concipi ſignificatum huius propoſitionis (Ideo ponitur hoc, quia eſt illud) niſi per ordinem ad actus quos experimur in voluntate noſtra, v. g. experitur quis velle ſe comedere cibum, non quia delectabilis, ſed quia ſalubris eſt, & tunc cauſa comeſtionis non eſt delectabilitas, ſed ſalubritas; per hanc ignem analogiam concipimus Deum poſſe facere quod vna res non cauſetur ab alia, etiam plene inſtructa in actu primo, quia vult exiſtentiam huius effectus, ſed non ex motiuo exigente, quod habet illa cauſa naturalis. Ex quo ſequitur quod etiamſi non adeſſet illa exigentia, adhuc effectus poneretur. Sicut autem hoc quod eſt velle cibum comedere propter eius ſalubritatem potius quàm propter delectabilitatem, non eſt velle producere aliquod diuerſum obiectum, ſed eſt talis modus tendendi voluntatis amplectentis illud idem obiectum potius ex hoc, quàm ex illo motiuo, ita dum Deus vult calorem poni non ab igne, ſed à ſole, non vult aliquod obiectum diuerſum, ac ſi vellet calorem poni ab igne, ſed vult illud idem ex diuerſo motiuo, hoc eſt non motus ab exigentia ignis ad id volendum. Qui conceptus non eſt proprius, & quidditatiuus productionis, ſed tantum clarior aliis qui poſſunt haberi, ſicut ex veſte, & comitatu cognoſcitur res, licet eſſentia dignitatis regiæ in illis non conſiſtat.

Igitur procedere vnum ab alio non redditur nobis ſenſibile, & explicabile, niſi per hoc quod poſito vno, ſequatur aliud ex vi illius, hoc eſt mouendo naturaliter Deum ad volendum exiſtentiam illius effectus; quamuis ſi cauſæ non egerent concurſu libero Dei, adhuc daretur productio, quæ tamen nobis eſſet inexplicabilis, quia non haberet vnicum illud prædicatum, ex quo aliquatenus beneficio ſenſus, & experientiæ formamus conceptum de illa, & dicimus hoc pendere, ſiue produci ab illo eſt effectum, v. g. calorem eſſe, quia eſt ignis, ad cuius exigentiam in talibus circunſtantiis ex vi decreti diuini ponitur effectus.

Tandem ex iis conficitur argumentum, Quoties cauſa producit effectum, Deus mouetur ab entitate cauſæ ad volendum effectum, ſed per id ſufficienter determinatur indifferẽtia quam habet effectus, vt procedat potius ab hac, quàm ab illa cauſa: poſita enim tali volitione Dei, implicat quod ab hac cauſa non procedat; ergo fruſtra multiplicatur actio diſtincta ad talem indifferentiam determinandam.

Quod argumentum ſatis videri poterat ad proponendam rationem, cui nititur hic dicendi modus, ſed libuit iiſdem pene verbis quibus eius patroni vtuntur referre; tum vt præcideretur anſa quærimoniæ, quæ forte orta eſſet quòd derogaret probabilitati ſententiæ, ſi ieiune neruus ipſe argumenti omiſſa explicatione proponeretur; tum vt conſtaret eam nobis dignam cauſam fuiſſe, quæ candide, fideliterque Lectori obiiceretur. Cæterum ne illi aſſentiamur mouent nos maioris, vt arbitramur, ponderis argumenta, quæ protulimus ſuperioribus capitibus, & per hoc inuentum non infringi, neque labefactari mox oſtendere animus eſt.

Reiicitur nouus hic dicendi modus.

PRimò nullus Peripateticorũ ad explicandũ conceptum actionis, aut quid ſit aliquid pendere ab alio, vt cauſa efficiente, recurrit ad diuinum decretum, vt videre eſt apud ipſos, vbi de Actione in Prædicamentis, lib. primo de generat. & 6. 5. Metaph. & alibi de illa tractantes. Neque in ſententia Ariſtotelis poſſunt ad illud recurrere, ſiue quia vt plures ipſorum cum Auerroe Deum faciunt cauſam neceſſariam; ſiue quia Mediatam, à qua nihil immediate efficiatur in creaturis, ſiue quia reiectis his erroribus, qui ſane philoſophantur, & libertatem, ac immediatum concurſum primæ cauſæ tribuunt cum ſecundis, hactenus mentionem decreti diuini fecere, vt vel Ariſtotelem elucidarent; vel, ſi videre tam acutè non potuit vir Ethnicus, vt decretum diuinum ad ſuam Philoſophiam arceſſeret, ipſi fidei lumine illuſtrati eò confugerent, vt Prædicamenti Actionis eſſentiam exponerent. Non Alenſis, non S. Thomas, non Scotus, non Bonauentura, non aliquis alius antiquorum Scholaſticorum, aut recentium grauiorum nobis decretum Dei altiſſimum, & abſconditum ingeſſit, vt circa phyſicam quæſtionem cæcutientibus

lumen affunderet, & in quo conſiſtat conceptus actionis demonſtraret, etiamſi ad probandam diſtinctionẽ eius à termino, & agente vtatur argumento certo, quod prima cauſa libere concurrat ad omnes effectus cauſarum ſecundarum; vt inferat diſtinctionem, dicatque cum Ariſtotele lib. Methaph. c. 20. t. 25. Nam cum hoc quidem efficit, illud vero fit, eſt media effectio Cæterum vt recurreret ad Deum huius nodi vindicem, non putauit è negotio philoſophico.

Secundò, Confutatur à S. Thoma opinio Arabum quorundam putantium, quod nulla creatura habeat aliquam actionem in productione effectuum naturalium vt loquitur lib. 3. ſent. c. 69. Sed hic modus recentiorum tollens actum videtur illi perſimilis, quia vere, & realiter ignis, ex. gratia, nullam habet actionem, quãdo producitur calor, ſed ſolum ex vi diuini decreti, poſitis talibus circumſtantiis, & exigentia ignis ponitur calor.

Reſpondes ignem dici producere calorem, quia exigit vt Deus decernat ponere calorem ad eius præſentiam, & hac poſita vi decreti ponitur calor.

Contra, quia nec Sarraceni illi negabant exigentiam in cauſis ſecundis, ratione cuius prima cauſa ad earum præſentiam produceret potius vnum effectum quàm alium, puta ad præſentiam ignis potius produceret calorem, quam aquam; non enim naturas rerum, & diſtinctiones ſpecificas ignorabant, quibus diſtinctæ proprietates, & exigentiæ conueniunt; neque has in diuinam voluntatem dumtaxat, & ordinem in creatione mundi rebus inditum referebãt ac Gabriel; nam illorũ quidam Mundi creationem, & incæptionem negabant, non tamen rerum varietatem, & ſpecificas differentias ignorabant; Proinde interroganti cur calor igne præſente producatur à prima cauſa, & non frigus; cur pomum potius quàm ficus, reſpondiſſent quia cauſæ ſecundæ ita exigunt. Deinde obſtat huic euaſioni ratio, qua probatur.

in 4. d. 1. q. 2. ad 3. not. 2.

Tertiò, Decretum Dei operandi ad extra eſt liberum, & nihil addit intrinſecum Deo realiter, vel modaliter diſtinctum à Deo. Ponantur ergo ignis, & omnia requiſita ex parte creaturæ ad agendum, & tamen concipiatur Deus nolle producere calorem cum igne pro hac hora, & velle proxima ſequente, ſe ſolo in hoc caſu eſt aliqua mutatio, non in Deo, non in conditionibus, quæ poſſunt eſſe eadem, non in calore, quia hic idem numero potuiſſet produci prima hora à Deo, & ab igne: peto penes quid igitur attenditur mutatio, & tranſitus realis à contradictorio in cõtradictorium? Nihil remanet niſi tempus extrinſecum, quod per te non requiritur, vt quid conſtitutiuum conceptus eſſentialis actionis, igitur ad hunc tranſitum neceſſarius eſt modus medius inter agens, ac terminum; quia in obiecto nulla eſt variatio, ſiquidem manet idem ignis, exigentia eadem, idem calor, idem Deus & tamen non eſt eadem dependentia, quæ fuiſſet prima hora.

Quod ſi forte dixeris requiri tempus vel quid extrinſecum diuerſum tanquam aliquid cui omnis, aut talis actio eſt connexa, quæro rurſus quidnam ex ingredientibus cõceptum actionis habet hanc connexionem? An decretum diuinum? at hoc non, quia liberum eſt ab omni tempore; an effectus, puta calor? at hic de ſe eſt indifferens ad hoc vel illud tempus, an ignis, & eius præſentia ad ſubiectum? hæc etiam poſſunt eſſe hoc, & illo tempore. quid vltra reale remanet habens connexionem cum hoc tempore quo producitur calor? aut quod obiectum extrinſecum reſpondet intrinſeco decreto Dei, ratione cuius dicatur eſſe diuerſum quando vult ſimul cum igne concurrere & quando vult ſe ſolo. Non enim ſufficit dicere quod ſecunda hora non vult concurrere ad exigentiam ignis, vt intelligeretur voluiſſe prima; nam per hoc decretum ignis non concurrit, ſed ſolus Deus, & tamen manet idem ignis cum ſua exigentia, manet idem calor, & non manet; dependentia igitur eſt quid reale diſtinctum.

Dices mutationẽ eſſe in decreto quod eſt diuerſum. Contra hoc infra arguã. Interim 4 cõfirmatur, quia hic calor productus pendet à Deo, & ab igne in conſeruari, te etiam concedente, qui cauſæ primæ, & ſecundæ concurſum in conſeruatione agnoſcis, deſinat conſeruari ab igne, & incipiat à ſolo Deo, hic eſt vera dependentia caloris à Deo ſolo, cum antea eſſet etiam ab igne, & nulla eſt exigentia caloris vt pendeat a ſolo Deo, immo exigit naturaliter pendere ab igne, ergo exigentia non ſaluat conceptum dependentiæ, & actionis, nam hæc deſinit, & illa remanet cum cæteris conditionibus.

Quod argumentum probat de facto in accidentibus Euchariſtiæ dari nouam dependentiam, quia ſuſtentantur à ſolo Deo, & conſeruantur in eſſe, cum antea penderent à cauſa ſecunda, igitur aliquid de nouo accidit in hac mutatione, & reali tranſitu, neque tamen vlla eſt exigentia naturalis; & etiamſi eſſet, adhuc aliquid de nouo ſuperaddendum eſſet ex vna parte, nimirum conſeruatio à Deo ſolo, & detrahendum ex alia, nimirum dependentia à ſubiecto, quæ ceſſat.

Quintò, Naturæ auctor dedit rebus naturalibus virtutes actiuas, quibus ſua individua, & ſpecies per varias operationes conſeruarent, & ſuos curſus agerent, iuxta illud Auguſtini, Deus ſinit cauſas ſecundas ſuos curſus agere; ergo non ſolum exigunt vt vi diuini decreti ponatur effectus, ſed vires, & facultates à creatore acceptas exerant, & ad actum ſecundum reducant, hoc autem non aſſequuntur ex prædicta exigentia, quæ ſe tenet ex parte actus primi, ſed requiritur præterea actus ſecundus. De cult. lib.

Dices hunc actum eſſe effectum vi decreti poſitum ad earum exigentiam. Contra, quia aliud eſt effectum producere, aliud exigere vt ab alio producatur, ſicut in moralibus aliud eſt mereri præmium, aliud quod à rege illud donetur, igitur abuſio maxima eſt vocabulorum dicere idem eſſe effectum ab hac cauſa produci, quia ad eius exigentiam alia cauſa producit. Deinde obſtat, quia

Sextò, actus liberi non poſſunt dici à voluntate produci, quia Deus ad illius exigentiam producit, ſeu, ne fiat vis in verbis, quia vi di-

Digitized by Google

uini decreti in iis circumſtantiis accipiunt eſſe, nam requiritur vitalis influxus libere, quæ eſt eſſentialis dependentia à ſuo vitali principio, igitur ſiue fiant per actionem ab ipſis diſtinctam, ſiue ipſi ſint ipſamet actio, non ſufficit diuinum decretum, & exigentia voluntatis, niſi inſuper ponatur actualis operatio, & actus ſecundus vt quid natura poſterius, exigentia, & decreto, quæ ſe tenent ex parte actus primi non exigentis ad ſuum eſſe operationem, quia non pendet ab illa, licet hæc exigat vtramque vt ſuum principiũ productiuum: quod ſi hoc non habet actionem productiuam, ſed ſolum exigit terminum, quando poſitum eſt in talibus circonſtantiis, dicetur quidem Deus terminum producere, ſed voluntas non dicetur vitaliter, & libere operari, quia ipſa quidem exigit terminum, ſed exigere non eſt influere, niſi vocabulis abuti velis. At ſolum Deus dicetur operari ad illius exigentiam. Atque adeo poſſet producere actum liberum, & vitalem ex ſe ſine principio vitali creato, quod de actu ſaltem libero non concedis, quia eſſet liber ex ſuppoſitione, & non liber quia voluntas non ſe determinat, neque in illum influit, ſed ſolum exigit vt producatur vi decreti, ad cuius mutationem ſatis per te eſſet produci non propter exigentiam.

Confirmatur inductione operationum, & paſſionum animæ, quarum principium dicitur compoſitum, ex lib. 1. de Anima t. 64. v. g. triſtari, gaudere, timere, iraſci dicitur homo, & idem eſt de operationibus vegetatiuæ, ſenſitiuæ, quas non modo exigit, ſed elicit anima, vel compoſitum, ita vt ſit verum dicere non ſolum Deus concurrit ad viſionem, auditionem, &c. neque ſolum oculus, auris, &c. exigunt concurſum Dei, ſed ipſa etiam concurrunt.

Dices hoc eſſe ſpeciale in actibus liberis, & vitalibus ob eſſentialem dependentiam à principio vitali.

Igitur conceptus actionis, ſeu huius quod eſt pendere ab alio, à te aſſignatus, non eſt vniuerſalis omni actioni. Deinde ſi potentiis vitalibus cõuenit, vt poſitis requiſitis operentur & influant in actus, & non ſatis eſt vt ij dicantur exiſtere vi decreti ſine influxu vitali, cur non etiam idem competat aliis cauſis naturalibus, quibus ad hunc finem ſunt inditæ virtutes operatinæ in actu primo, vt exeant in actum ſecundum poſitis neceſſariis ad operandum, non ſecus ac potentiis vitalibus? 3. quæ dicuntur à Philoſoph. & Theologis de concurſu cauſæ ſecundæ, quod determinet concurſum cauſæ primæ, ſeu vt loquitur S. Thom. olim cit. particuliſet quod hic non pendeat eſſentialiter à creaturis, ſicut ille à concurſu Dei, & ſimilia, ſunt mera vocabula, ſine ſenſu.

Septimò, ſtatim ac embrio in vtero materno perfecte formatus eſt, exigit informari anima rationali, quam propterea Deus infundit: igitur ſi ſufficit exigentia naturalis, vt effectus productus à prima cauſa dicatur pendere in fieri, & produci à ſecunda, embrio dicetur cauſa efficiens animæ, quod eſt contra fidem. Probatur ſequela, quia eodem modo ſe habet, quoad hoc, ac quando ad præſentiam ignis producitur ignis vi decreti, quia eſt exigentia in igne vt ponatur alter ignis.

Reſpondent diſparitatem eſſe, quia embrio concurrit vt motiuum congruum, quo mouetur Deus ad producendam animam, & ſimile eſt motiuo morali; In reliquis cauſis eſt exigentia naturalis, quæ dici poteſt motiuum phyſicum: & confirmant ex S. Thom. 1. p. q. 90. art. 4. c. vbi docet quod Deo magis congruebat illam producere. Et ratio ex eodem peti poteſt 1. p. q. 97 art. 3. c. quia anima habet rationem vitæ ſeu animæ vt dat vitam, & conuenit cum omnibus animabus brutorum, ac viuentium; & præterea eſt ſponſus immaterialis, incorruptibilis, &c. hoc ſecundo modo non exigit produci in corpore, quia incorruptibilia non exigunt propagationẽ, cum tota ſpecies conſeruetur in vnico individuo, ex eodem 1. p. q. 98. art. 1.

Sed contra eſt, quia non minus anima rationalis, vt eſt talis ſubſtantia ſpiritualis, eſt actus corporis organici, quàm reliquæ formæ materiales debitæ materiæ diſpoſitæ à qua educi dicuntur: ergo ſicut materia diſpoſita iſtas exigit, & cauſa efficiens poſtulat in iis circunſtantiis ex vi decreti diuini accipere eſſe, quod per te eſt ipſis dare, ita & de embrione ſeu corpore organizato idem valebit. Antecedens probatur ratione D. Th. q. illa cit 90. art. 4. argument. ſed cum quia anima rationalis eſt proprius actus corporis, tanquam ſuæ potentiæ, & non minus dat eſſe ſpecificum, & informat naturaliter corpus, quàm reliquæ formæ. Sequela patet à paritate quoad hoc.

Secundò, Quamuis anima rationalis ſit immaterialis, tamen eſt pars de ſe ordinata ad conſtituendum totum compoſitum humanum, ideo non habet naturalem perfectionem niſi corpori vnita, vt expreſſe ibidem S. Thom. in corpore articuli, cui conſonat S. Bonau. in 2. diſt. 1. art. 1. q. 2. fin. p. 2. vbi ait quod ſecundum exigentiam ordinis, & naturæ competit animæ vnirí corpori. Proinde ſecundum exigentiam naturalem, etiam embrio poſitis diſpoſitionibus poſtulat informari anima, non niſi rationali: cum igitur vi diuini decreti ad hanc exigentiam producitur ſemen, ſeu embrio dicetur cauſa animæ.

Negabis forte ſequelam, quia anima ſpiritualis non poteſt pendere ab agente materiali. Bene eſt, ſed ex hoc probo quod pendere, produci, &c. non eſt fieri vt decreti ad exigentiam naturalis agentis: anima enim rationalis ita producitur, & tamen fit à ſolo Deo, hoc igitur fieri denotat aliquid aliud quod ſuperat vires agentis naturalis, quod eſt argumentum virtutem naturæ exire in actum ſibi proportionatum, & non ſolum exigere vt vi decreti fiat effectus ſine vlla operatione cauſæ.

Confirmatio ex S. Thoma non ſuffragatur, quamuis enim anima rationalis conſideretur vt anima eſt, & vt ſpiritus eſt; tamen in vtroque ſenſu dicitur ibidem eſſe principium operationum tam videlicet materialium, quam ſpiritualium, quia illas vere efficit, & vt rationalis ſpecifice debetur corpori organizato, quod ſufficit ad exigentiam eius, cui ſolum rationalis proportionata eſt, & cui comparatur vt forma ad materiam, ait S. Thom. in 4. diſt. 43. q. 1. art. 1. q. prima c. probans ex Philoſopho

2. de Anim. t. c. 7. 24. & ideo exiſtit modo perfectiori in materia quàm ſeparata, vt idem 1. p. q. 76. art. 1. 6.

Ex quo ſequitur totam eius ſpeciem non conſeruari in vno indiuiduo, quia de ſe ordinata eſt ad complendum compoſitum ex ipſa, & corpore organizato; & proinde ſicut hoc exigit multiplicari, ita & illa, ad differentiã Angelorũ, qui ſunt ſubſtantiæ completæ nulli ſubiecto debitæ, & ideo propagatione non indigent. Sed quicquid ſit de quæſtione hac, etiam ſi ſaluaretur tota perfectio ſpeciei in vno indiuiduo vnius animæ, adhuc illa pars eſt compoſiti ex ſua natura, & illi debetur, & hoc ſtatim ac organizatum eſt exigit informari anima rationali: vice verſa exigentia animæ tanta eſt, vt hinc plerique putent probari poſſe reſurrectionem mortuorum, quia anima ſeparata quamuis beata reũiri appetit corpori cum quo cõponit totum. Certe D. Th. in 2. cit. quæſtiuncula 2. c. inde ſumit argumentum reſurrectionis omnium hominũ, quod ea quorũ ratio ſumitur ex natura ſpeciei, oportet ſimiliter inueniri in omnibus, quæ ſunt ſpeciei eiuſdem: talis autem eſt reſurrectio, cuius ratio eſt, quod anima in perfectione vltima ſpeciei humanæ eſſe non poteſt à corpore ſeparata, vnde nulla anima in perpetuum remanebit à corpore ſeparata; & ideo oportet omnes reſurgere.

Et S. Bonau. in 4. diſt. 43. art. 1. q. 1. hac eadem ratione vtitur, quia anima habet naturalem appetitum ad corpus, & ideo vt perfecte beatificetur, neceſſe eſt ſibi corpus reddi. Cum igitur materiæ diſpoſitæ ſuum naturalem exigentiã ſua debeatur forma, & contra ordinem naturæ ſit, ac violentum niſi embrioni perfecto infundatur anima rationalis; & hæc rurſus ſeparata, quamuis immortalis, ac ſpiritualis appetat corpus vt pars compartem, non ſolum congruum motiuum eſt Deo abſoluta diſpoſitio organizati corporis, vt producatur anima, ſed phyſicum, & neceſſarium ſecundum naturæ leges non minus quàm diſpoſitio quælibet materiæ exigentis formam.

Auctoritas D. Thomæ 1. q. 98. art. 1 eſt contra arguentem, ait enim hominem eſſe quid medium quoddam inter ſubſtantias corruptibiles, & incorruptibiles: & ideo etiam ex parte animæ, quæ incorruptibilis eſt, competit ei quod ei quod multitudo indiuiduorum ſit per ſe intenta à natura, vel potius à naturæ auctore qui ſolus eſt humanarum animarum creator. Et ideo ad multiplicationem humani generis multiplicationem in humano genere ſtatuit, etiam in ſtatu innocentiæ.

Reſpondent iis indicari aliquam exigentiam naturalẽ, ſed non ſecundũm rigoroſum: anima enim cum ſit ſpiritualis & incorruptibilis non ſubiacet eidem iuri rigoroſo, quo cæteræ formæ materiales ligantur, & ideo neque poſtulat corruptionem alterius quando introducitur, neque ipſa corrumpitur quando informare diſinit, quæ ſunt argumenta iuris, & exigentiæ minus rigoroſæ.

Lepide, quaſi minus rigoroſe exigat embrio perfecte organizatus informari anima rationali, quàm embrio equi anima equina; imo ſi ita philoſophari licet, magis exiget ille animam rationalem, quàm hic equinam, quia maioris perfectionis eſt vniuerſi ſpecies humana, quàm equina; vnde & natura magis ſollicita, & ingenioſa eſt in formando humano fœtu, quàm belluino. Deinde omnis iſte naturæ labor, ac diſpoſitiones ordinantur naturaliteræ, & eſſentialiter ad animam rationalem recipiendam, non minus quàm diſpoſitiones brutorum. 3. Non minus violentum eſſet embrioni humano perfecto, carere ſibi debita forma, quàm equino; & æque eſſet contra curſum naturæ, vnum ac alterum. 4. Oportet inferiores lationes ſubiectas eſſe ſuperioribus. Si quis diceret hanc exigentiam minus eſſe rigoroſam, quia iſtæ fiunt ab intelligentia cælorum motrice, non audiretur; multo minus qui dicit exigentiam, & ius naturæ quo debetur anima embrioni, audiendus eſt. Sed dato, & non conceſſo, quod ius iſtud minus rigoroſum vna decima conferetur, nunquid propterea non dicendum ſimpliciter animam creari à Deo ad exigentiam embrionis perfecti? Mihi ſane vel hoc vnicum argumentum, niſi alia ſolutio ſolidior adhibeatur, hunc dicendi modum ad ſaluandum conceptum actionis excogitatum reddit improbabilem, præſertim quia in formis materialibus diuerſi ſint gradus, ex Ariſtotele.

Si liberum eſt ita philoſophari, dicam eo minus eſſe exigentiæ naturalis, vt producantur quo immaterialior vnaquæque illarum eſt.

Octauò, probatur non ſufficere decretum ad conceptũ actionis, aut operationis creaturarũ vt Intelligentiæ moueant cælos: & quanquam non eſt hîc ipſarum finis, tamen quia à Deo huic muneri ad tempus deſtinatæ ſunt ipſarum aliquæ, applicant ſuas virtutes motiuas, & propter bonum vniuerſi varie illos contorquent; quæro an applicata virtute ſequi debeat motus ſecundum exigentiam naturæ? reſpondebis opinor debere ſequi. quæro rurſus, an vi tantum diuini decreti, an etiam motricis facultatis? ſi primum, igitur Angelus non mouet, ſed ſolum applicat virtutem. Si ſecundum, ergo præter diuinum adeſt concurſus Angeli, idque ſiue producatur vbi intrinſecum in corpore cæleſti, ſiue non producatur. Et idem eſt de cæteris agentibus applicatis ad operandum, quorum nullum dicetur producere effectum, niſi abuſiue, ſi poſita applicatione otioſum eſt, & ſola prima cauſa operatur, & producit effectum.

Confirmatur, quia applicatio eſt conditio ſine qua non, & præter illam nulla prodit ab agente operatio, ſed ſolum à Deo, atque ita agens applicatum eſſet ſolum conditio, quæ etiam per ſe differt à cauſa efficiente, & tamen non aſſignas diſcrimen: quia ſi agens non influit in effectum, ſed tantum eſt motiuũ, quo poſito ex vi decreti ſequitur effectus, etiam hoc dici de conditione poteſt, v. g. de igne approximato, qui quidem nihil per ſe operatur, ſed tantũ eſt motiuum Deo ad producendum caloré, vel ignem; vel ſi præter hoc quod eſt mouere Deum, ipſe concurrit, habetur intentum, niſi vocabulis ludatur.

9. Effectus determinatus debet habere ſuam cauſam determinatam: ſed hæc non eſt ſolum decretum, quia decreta diuina, cum ſecun-

Digitized by Google

dum significatum intrinsecum, & in recto sint vna simplex entitas diuina, diuersa intelliguntur per diuersa motiua extrinseca, sed non per effectus, qui intendi possunt propter diuersa motiua; v. g. idem ignis propter commodum vnius, & damnum alterius, ergo propter aliquid aliud, quod non assignatur congruentius, quàm actio, ita vt maneat idem effectus, mutato fine eius, sed varietur actio, ac proinde decretum de illa. Sed hoc obiter sit dictum, nam per quid compleantur diuina decreta, alterius loci disputatio est.

Imo, inquies, respondendum est argumento quod principalem parit in hac opinione difficultatem, ideo distinguo assumptum: vel enim decretum diuinum completur per aliquid intrinsecum Deo; vel per aliquid extrinsecum, iuxta varias sententias supra explicatas, vtrouis modo determinare potest effectum, & proinde variari actionis conceptus, sine modo supperadito, in proposito enim exemplo, si ignis intendatur propter vnum finem, interuenit decretum diuersum ab eo, quo intenditur propter aliud, vel vtrumque, & hæc diuersitas iuxta primam sententiam est in decretis, quæ propter eminentissimam Dei perfectionem possunt esse virtualiter plura absque vlla Dei mutatione, etiamsi nihil extrinsece mutetur, v. g. potest per vnum decretum conseruari lumen in aere à Deo, & à sole; & per alterum decretum incipere conseruari, & dependere à solo Deo, omnibus extrinsecè immutatis, & solum concepto decreto nouo conseruandi lumen miraculosè sine concursu solis contra exigentiam eius naturalem. Et tunc lumen pendere à solo Deo, & non à sole, non est desinere aliquid reale quod antea esset in lumine, & in sole, sed esse lumen idem quod antea, & contra solis exigentiam vi decreti diuersi durare; & tunc bene intelligi & determinationem effectus conseruari à Deo solo & transitum à contradictorio in contradictorium omnibus immutatis manentibus, & intellecta solum diuersitate decreti, si vero compleatur per extrinsecum, facilius soluitur difficultas, quia posito illo decreto ponetur aliquid extrinsecum vel connexum, vel non connexum cum effectu, & per illud cõstituetur noua actio seu nouum dependere, quod nihil aliud est in recto quàm effectus ipse dicens in obliquo decretum completum per positionem extrinseci.

Neque tamen hoc extrinsecum est diuersa actio, quam adstruit P. Arrubal ad implenda, & variada decreta: nam sequeretur præter alia incommoda, quod omnis actio esset essentialiter supernaturalis, Deus enim ordinat actiones ad suam gloriam quæ est quid supernaturale, & hæc actio ad illum ordinata dicit essentialiter ordinem ad ipsum, & ad tale decretum, proinde est supernaturalis, & superans vires creaturæ, atque adeo nulla daretur actio naturalis, quod est inconueniens.

1. p. disp. 58. c. 45

Illibens ego quidem de diuinis decretis disfero, vbi quæstionis mere philosophicæ rationes naturales ab illis diuertas magis efflagitant: sed quia responsio aduersaria cogit, modice, & quantum satis est ad eam refellendam attingo, & obiicio.

Primo dato quod decreta compleantur per quid intrinsecum virtualiter ab essentia diuina diuersum, & ipsa sint etiam inter se virtualiter diuersa, certum est in communi Theologorum sententia nihil realis entitatis addere essentiæ ab ipsa distinctum, quod quia liberum dicitur contingenter se ad illam habeat contra Caiet. 1. p. q. 19. art. 2. ibidem à reliquis impugnatum: quando igitur lumen, exempli gratia, desinit pendere à sole, & incipit pendere à Deo solo per aliud decretum diuersum à primo quod pendebat à sole, peto quid patiatur mutationem? non sol, non lumen, neque aliud quidpiam creatum vt supponimus; igitur mutatio est in decreto, sed hæc non est realis, & in eo nihil penitus inuenitur realiter, formaliter, quod non esset ante cum lumen penderet à Deo, & sole, igitur tota mutatio est per rationem & intellectum, sed hæc debet habere suum fundamentum à parte rei, quod nullum à te assignatur, & fit transitus realis dependentiæ à sole ad non dependentiam, nullo etiam intellectu cogitante; assigna igitur in quo fit realis mutatio.

Dices esse in toto complexo, quia ex eo quod est decretum de conseruando lumine independenter à sole, seu contra exigentiam solis, mutatur conceptus dependentiæ adæquate sumptus vt dicit in recto lumen, & in obliquo causas quæ sunt sol, & decretum; licet igitur immutata maneant lumen, ac sol specificatiue, non tamen reduplicatiue vt causa, & effectus, quia ex eo quod Deus decernit se solo conseruare, sol amittit rationem causæ, & lumen relationem effectus à sole pendentis: & sic mutatur id quod esse, vel pendere ab alio vi decreti.

Ast ego quæro in quo sit realis mutatio, cum sit realis transitus ab esse causam, & effectum, ad non esse, si Deus prorsus est immutabilis, etiam quacunque virtuali distinctione in eo admissa, & in creatura per te nulla est mutatio. Et quidem mutato aliquo eorum, quæ ingrediuntur conceptum complexi mutari complexum, & denominationem eius, sponte do: sed vbi nulla realis mutatio interuenit terminorum, non est intelligibile quomodo realis mutatio complexi contingat, omnibus enim iisdem immutatis manentibus manet idem conceptus rerum.

Neque dicas mundum transiisse à non esse futuro ad esse futurum vi decreti æterni, & tamen nullam fuisse mutationẽ in re, sed solum intelligi hoc contigisse vi decreti distincti virtualiter ab essentia: nam vt superius dicebam, cum Soario, non requiro mutationem physicam per positionem alicuius rei actu existentis, sed solum metaphysicam, & obiectiuam rei futuræ, vel saltem negationis eius, puta si dixisset Deus nolo creare mundum, vere enim mundus de se indifferens ad esse actu, & non esse, determinatus esset ad non fore, quod sine aliquo transitu non percipitur. At in mutatione conceptus actionis, seu pendere ab hoc, ex vi decreti secundi, nihil ponitur, vel ponendum est à parte rei, quod antea non esset; quam igitur vim habet hoc decretum, vt omnia prorsus immutata extra se relinquens, det nouum pendere, & nouam denominatio-

nem? Cum enim dicis vi eius eſſe cauſam nouam, & effectum nouum, debes aſſignare quid addatur noui, quod ante non eſſet, decreto reſpondens? Hic autem per te non mutatur pendentia per negationem, quia noua pendentia à ſolo Deo eſt quid poſitiuum: Et cum dicis mutari per nouum decretum, quod virtualiter diuerſum à primo, diuerſum facit conceptum actionis, ſeu hoc quod eſt pendere inuoluens adæquate tam obliquum, quàm rectum, ideſt effectum & cauſam, ac proinde mutabile ad mutationem ſolam obliqui, quod hic eſt nouum decretum virtualiter diſtinctum, numquam aſſignas quid reſpondeat ad extra huic diuino decreto, & cum ad intra ſit immutabile, non explicas quomodo de nouo intelligatur aduenire, aut vim nouam habere faciendi mutationem, quæ nulla eſt.

Confirmatur, ex eo quod per te conceptus actionis, ſeu pendentiæ, ſaluatur præciſe, ſi dicatur poni hoc, puta calorem, quia eſt hoc, puta ignem proximatum exigentem naturaliter produci calorem vi decreti; quod ſi Deus ſe ſolo velit producere, dicis ottante igne, & immutato, eundem calorem poni, qui igne concurrente eſſet productus, peto ſi Deus voluiſſet ignem concurrere ſecum in productione caloris, quomodo concurriſſet? aut quomodo aliter ſe habuiſſet obiectum extrinſecum diuinũm decretum terminans, ſi quidem omnia remanent eadem poſitis diuerſis decretis?

Dices immutari totum conceptum actionis per diuerſum decretum, quando quidem hoc eſt vnum ex præcipuis ingredientibus iſtum conceptum.

Sed quid eſt hoc diuerſum decretum? cur dicitur nouum, ſi Deus idem ipſe eſt immutatus, & in creatura nullam facit mutationem? dicere enim quod produci calorem ad exigentiam ignis, & produci à ſolo Deo contra exigentiam ignis, ſunt obiecta diuerſa, videntur verba multiplicata ſenſus expertia, niſi in hoc tranſitu ponatur aliqua mutatio realis, ſi quidem à produci, ad non produci phyſice fit tranſitus ab eo quod erat phyſice, ad id quod deſinit phyſice, & iam non eſt, & tu vis vt aſſentiar ſaluari tranſitum, per diuerſum decretum, cui nihil diuerſum aſſignas ad quod extrinſece terminetur, & inſuper vt credam ſufficere ad hoc diuerſum decretum virtualiter à primo diſtinctum, quod mihi longe difficilius eſt credere, quàm quod actio ſit modus diſtinctus ab agente, ac termino. Certe Soar. Vaſq. Molina, & alij grauiſſimi Theologi aſſerunt actus Dei liberos, & decreta eſſe quid in hac vita minime intelligibile, & tu ad illa recurris, & vocas me ad lucem inacceſſibilem, quam neque Patres noſtri neq; nos ſuſtinere poſſumus. Quo loci monet me Apologus celebris Angeli Heremitæ oſtentantis baculum, qui cum grauem lignorũ faſcem imponere conaretur, & non valeret, alia ſuper alia ligna congerebat, & importabile prorſus onus reddebat. Habet aliqualem difficultatem natura actionis, & quamuis ex tenebris radij quidam probabilitatis nitide ſplendeant, qui modum eſſe diſtinctum indicant; attamen non tales ſunt, vt illum in conſpicuo ponant, in hoc crepuſculo modica gaudentem luce ad diuina decreta mihi obſcuriſſima prouocas, & tenebras offundis.

Dicis prouocari te ab arguente, qui vt ſuum probet effectum de diſtinctione actionis à cauſa, & termino, vtitur argumento à decreto diuino mendicato dum eundem effectum numero, qui fit à Deo & à cauſa ſecunda, ab illo ſolo fieri, & conſeruari poſſe aſſumit, vt probet cæteris immutatis mutari actionem, ac proinde eſſe quid ab illis diſtinctum.

At non æqua eſt vtriuſque cauſa; Ille iure ſuo vtitur dum ſumit principium in Philoſophia tractatum, quod Prima cauſa libere concurrat cum ſecundis, & quod per ſeipſam poſſit quod cum iſtis poteſt: hoc enim conceſſo conſequens in Philoſophia eſt, quod idem calor, ex. g. qui producitur ab igne, poſſit à ſolo Deo produci, ex quo deducit pendere ab hoc non eſſe poni hoc, quia eſt hoc, quia iis remanentibus non manet pendere, & actio; tu vero ad feneſtrandum tibi conceptum actionis auolas ad diuina decreta, ad eorum virtualem diſtinctionẽ, quorum diſputatio tota eſt Theologiæ Scholaſticæ in eorum ſe diſcuſſione fatigantis, & vix vnquam ingeniis ſatisfacientis, ad quid igitur lumen ab hac nube quæritur?

Neque multum mihi ſollicitudinis affert impugnatio Arrubal; quicquid n. ſit de ipſius ſententia, certe non vrget aduerſus illam allatum argumentum: nam poteſt eadem entitas actionis eſſe naturalis, & ordinari nihilominus à Deo ad finem ſupernaturalem, imo & ipſa vt hæc ſingularis eſſentialiter dicere habitudinem ad hunc finem particularem, & tamen non excedere vires naturæ; & ratio eſt quia ad hoc vt actio dicatur ſupernaturalis, & ſupra naturæ vires, debet ex ſua intrinſeca ratione poſcere vt fiat à principio ſupernaturali, & ſupernaturaliter agente, vt dixi in propria de hoc quæſtione. Quod ſi in ſententia probabili plurium Thomiſtarum actus, quos dicimus ſupernaturales vitales, manantes ab habitibus ſupernaturalibus, & eſſentialiter ordinati ad fines ſupernaturales, ſecundum ſuam ſubſtantiam ſunt naturales; quanto magis id aſſeri poterit de actionibus cauſarum naturalium, quæ non poſtulant fieri à principio ſupernaturali, etiamſi ad finem ſupernaturalem ordinentur? & ab eo aliquam denominationem extrinſecam ſupernaturalis ſortiantur?

Conſequenter autem hoc dictum ab Auctore eſt ad probandam diuerſitatem diuinorum decretorum, quæ non poteſt intelligi, niſi per ordinem ad aliquid extrinſecum, quia decreta intrinſece ſunt immutabilia; ideo ſi diuerſus à Deo intendatur finis, cum non appareat in caſu aliquo vlla mutatio in creatura, ſaluatur tranſitus à contradictorio, & apparet decreti diuerſitas ex diuerſitate actionis, quam ille diuerſam facit ad finium intentorum diuerſitatem. Sed qui nihil diuerſum ab eo quod erat antea in creatura ponit, & finium etiam diuerſitatem cum eadem actione ſtare contendit, non habet neque diuerſum determinatiuum ad tollendam indifferentiam dependentiæ eiuſdem effectus à pluribus cauſis, neque

Digitized by Google

que aliquid reale nouum ad ſaluandum tranſitum à dependentia, ad non dependentiam realem, niſi decretum virtualiter diſtinctum, quod tamen concedit nullam in Deo importare mutationem, quia virtualis diſtinctio ſtat cum omnimoda identitate diuinorum, & cum ſumma ſimplicitate, ac immutabilitate cui nihil prorſus aduenire, aut abſudere poteſt, neque realiter, neque formaliter diuerſum ab ipſo vt Theologi contra Caiectanum fermè omnes, & contra P. Funſecam 3. tom. Metaph. l. 7. c. 8. q. 5. ſect. 5. concedentem aliquod formalitatem diſtinctam à reſpectu rationis, & denominatione extrinſeca, quem acriter impugnant recentiores præſertim Valent. de Heric. diſp. 16. c. 4. & alij plures reijcientes formalitates vt minime neceſſitas ad ponendos actus liberos in Deo.

Eos vitat P. Deo. Ruiz de voſ. Dei diſp. 13. ſect. 1.

Reſtat igitur alter modus explicandi diuerſitatem decreti, ac proinde conceptus mutationis ab illo conflati in ſententia aſſerente compleri per aliquid extrinſecum: nam vel hoc eſt aliquid connexum cum effectu & cauſa ex natura rei, aut ex diuina voluntate, quomodo diceretur Deus decreuiſſe veniam petenti Petro impertiendam ſi eam alicui reuelaret, vel aliquid aliud ad complendum decretum faceret puta gratiam infunderet, aut quid ſimile: Aut hoc extrinſecum eſt penitus diſparatum, puta producit grandinem, vel tonitru, vel muſcam, ad eundem finem; vt quibuſdam placet contentis quolibet extrinſeco vt compleatur intrinſecum Dei decretum. Neutrum ſufficit ad ſaluandum conceptum actionis; non primum, nam quicquid Deus producat connexum cum calore, non facit vt calor dicatur incipere non dependere ab igne, niſi forte dixeris quod ad pendere requiritur vt hoc non exiſtat quod produci de nouo fingitur, & tunc omnia eſſent producendu connexa cum calore, vt diceretur dependente ab igne fieri independens, quod eſt commentitum, neque à te admiſſum. Igitur ad hanc mutationem, & decreti complementum impertinens eſt hæc productio extrinſeci, & proinde etiam ad conceptum diuerſæ dependentiæ conſtantis decreto diuerſo.

Multo minus ad hoc inſeruit productio alterius extrinſeci diſparati, tum ob eamdem rationem; tum numero maxime quod ridiculum videtur aſſerere decretum diuinum de conſeruando lumine independenter à ſole, aut calore independenter ab igne compleri per productionem muſcæ, vel ranæ, quis enim dicat mutari has dependentias quia hæc animalcula producuntur? & tantum iuxta hunc modum admittendæ ſunt iſtæ ſequelæ, quia noua dependentia inuoluit nouum decretum, & hoc compleri aſſerit per quoduis extrinſecum; ac proinde etiam per ranæ productionem, ergo noua dependentia per nouum decretum completur per productionem ranæ, quæ participatio ranæ ad productionem luminis, aut caloris à Deo ſolo?

Deinde prius intelligitur decretum per quod Deus vult ſe ſolo producere, vel conſeruare calorem, quam decretum producendi ranam vt prius illud compleatur, peto quid reſpondet priori decreto in quod feratur? non calor ipſe indifferens ad vtrumque decretum productionis videlicet à cauſa prima, & ſecunda, vel à prima ſola & pariter ad conſeruationem ab vtraque, vel ab vna, in illo igitur priori quo concipitur Deus velle vt non pendeat à cauſa ſecunda, & non dum concipitur velle hoc aut illud extrinſecum, quod in hac via potes eſſe creatura quælibet, quid concipitur in quod feratur diuinum decretum, quod non eſt de producendo extrinſeco, ſed de mutanda dependentia, caloris ab igne, nam hic vterque manet immutatus & exigentia manet eadem, dicatur igitur quid ſignificant hæc verba, Deus decernit ſeipſo conſeruare, vel producere, nihil eſt profecto inuenire in hoc obiecto vel futurum niſi cauſam, & effectum inuariata, productio autem ranæ eſt obiectum alterius decreti, & non apparet quomodo compleat primum decretum conſeruandi calorem independenter ab igne.

Confirmatur, quia decretum producendi ranam, & actualis ipſa productio poteſt eſſe ſine decreto conſeruationis prædictæ, & vice verſa per quod igitur tranſit ad illud complendum? ſi per aliud decretum tertium, illi etiam aſſignandum eſt ſuum complementum extrinſecum, & redit argumentum in infectum, quia & illa decreta ſunt ſeparabilia. Si ſeipſo, igitur ex non tali decreto poteſt fieri tale ſine exempto complemento, quod eſt contra te, & alioqui obſcurum. Quo pertinent argumenta plura quibus probatur in vniuerſum diuina decreta non compleri per extrinſecum aliquid quæ P. Did Ruiz fuſe perſequitur diſp. xi. & xii. de voluntate Dei.

Ad obiectiones initio poſitas, 3. ad primam primo per inſtantiam ad hominem ponentem Vbi intrinſecum vt modum diſtinctum; per quem ſenſum innoteſcit tibi iſte modulus occupans inteſtina omnia, & ſeſe per intima quæque corporis inſinuans? dicis videri, & palpari; atqui cuius coloris ſit, & cuius attractabilitatis hominum maxima pars ignorat, & vix dari ſibi perſuaderi patitur, quod argumento eſt non eſſe quid ſub experientiam cadens. Non ita de actione in genere loquendo, nam motus localis operatio quædam eſt virtutis motiuæ, & hic patet ſenſibus, videmus enim homines, & animalia, & elementa moueri.

Secundò, reſpondeo directe ingeri per alienas ſpecies conceptum actionis, quæ per diſcurſum colligitur eſſe quid diſtinctum ab agente, & termino propter rationes fermè demonſtratiuas, vbi requiritur oculus potens videre cyathitatem, & non ſolem cyathum, vt quidam Philoſophorum in diſſimili. Quam multa ſunt in philoſophia quæ per diſcurſum indagamus, & ſtatuimus, quorum non habetur ſenſus experientia, neque propriæ ſpecies? tales ſunt ſpecies intentionales, influentiæ cœleſtes, virtus impreſſa, & ſimilia, de quibus magna eſt inter Philoſophos controuerſia, aliis aſſerentibus, aliis negantibus.

Sed quæris vnde primùm nouerim id quod ſignifico nomine productionis prout diſtinguitur à complexo agentis, & termini? Egregiè, & vnde noſti tu quod hoc complexum ſit realiter ipſa productio, quia inquis video

agens & terminum, & non video productionem? At manet idem terminus, & idem agens, v. g. lumen in aëre, & ſol in cœlo, & non manet conſeruatio, ſi Deus ſeipſo incipiat conſeruare, igitur conſeruatio, & productio non ſunt illud complexum video igne lumen produci quia antea non erat, & mente diſcurro quomodo producatur, & conuincor validiſſimo argumento hactenus inſoluto, produci per quid à ſe diſtinctum, vt antea oſtendi.

Ad illud de omnipotentia Dei quod non poſſit entitas actionis per ſe produci ſine termino, ſupra reſpondi eſſe eſſentialiter productionem actualem termini, atque adeo, ſi fieret per ſe ſola, verificarentur duo contradictoria quod eſſet actio, & non eſſet. Sicut multi dicunt de Vbi intellecto.

Ad vltimum; nego ſequelam, diſparitas eſt, quia negatio non requirit cauſam per ſe influentem, cum poſitius influxus ſit in aliquod poſitiuum & reale, ideo non indiget alio determinatiuo ad hoc, vt conſequi dicatur, niſi poſitione formæ, qua negat, vnde quanque hæc prouenerat; At effectus poſitiuus cum ſit indifferens, vt ponatur in eſſe ab hac, vel illa cauſa, vt dicatur pendere ab vna, & non ab alia, debet habere aliquod poſitiuum determinatiuum, & hoc non eſt niſi actio, vt probaui, hanc enim potius dicitur dependere ab agente illam eliciente, quàm ab alio à quo pendere poſſet, ſed per actionem ab hac diuerſam, ex quo patet.

Ad confirmationem negatio enim cum nihil ſit non poteſt, nili valde improprie dici indifferens, aut determinabilis, ac proinde neque aſſignari poteſt illius determinatiuum; ſi quidem hoc aliquid poſitiuum reale eſt, & non cadet in nihil.

Tandem non placet modus explicandi prædictam ſententiam initio poſitus, niſi quatenus fauet naturæ: nam ſi voluntas velit cibum propter ſanitatem, habet diuerſum actum, & diuerſum obiectum, ab eo, quo non vult propter ſanitatem, quia earum obiicitur ab intellectu, vt noxius, ſed ſolum propter ſuauitatem: ita quàm Deus vult calorem eundem ad exigentiam ignis ponere, diuerſum eſt decretum ab eo quo non vult propter exigentiam, ſed ſe ſolo producere, aſſignetur igitur in hoc obiecto extrinſeco aliquid à quo diuerſitas decreti attendatur, manent enim omnia immutata exempte creaturæ vt illico apparet diuerſitas obiecti.

Nec ſufficit dicere quod Deus volens calorem poni à ſole, & non ab igne, non vult obiectum diuerſum ſed tantum ex diuerſo motiuo ideſt non motus ab exigentia ignis ad id volendum, nam hoc quod eſt velle calorem à ſole, & non ab igne, eſt obiectum diuerſum ab eo quod eſt velle calorem à ſole, & ab igne, aut à ſeipſo ſolo, & non à creatura vlla: igitur variatur aliquid reale in obiecto, & niſi aſſignetur dependentia vel actio, nihil aliud reſtat aſſignandum, ſi quidem ſuppoſitio eſt caſus poſſibilis in quo omnia maneant immutata in obiecto.

Dices mutari finem, quia cum Deus non habet promotiuo exigentiam ignis dedit habere aliquod aliud finem v. g. oſtenſionem ſuæ potentiæ, vel quid ſimile.

Non ſatisfacis, finge Deum pro vna hora velle ad ignis exigentiam conſeruare calorem productum propter gloriam ſuam, & oſtenſionem bonitatis ſuæ; pro altera numero hora nolle ad exigentiam ignis, ſeu cum igne ſed ſe ſolo propter eandem oſtenſionem perſequi in conſeruando, in igne & eius exigentia nulla eſt mutatio, neque in fine, neque in calore, multo minus in eo quod dicit intrinſece decretum, quomodo igitur fit hic tranſitus, aut quid aliud diuerſum eſt in obiecto niſi ponatur mutatio in reali dependentia diſtincta? qua ablata nego ex cui decreti non poſſe non ſequi effectum, quia ſequerentur contradictoria quod effectus penderet à cauſa ſecunda qui virtute eius acciperet eſſe, & non penderet, quia ipſa quidem exigeret poni effectum, ſed non concurret, quia exigere non eſt concurrere in actu ſecundo.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM.

In quo numerus primus paginam, ſecundus columnam indicat.

A

AB, quot modis poſſit conſtrui, 559.2
Abluto & ſignificatio an compleantur in inſtanti, 286.2
Ablutione quot ſignificentur, 280.1
Abſtractio quotuplex, 26.1
Abſtractio quale ſit prædicatum, 393.2
Abſtractio & præciſio in quo differam, 197.1
Accidens quotuplex, 98.1
Accidens ſpirituale non exibens determinata ſpeciem ſubſtantiæ in qua ſubſtentetur, an repugnet, 218.2. Non exigens eſſe in ſubſtantia, an ſit paſſibile, 219.1
Accidens ſeparatum quot modis conſideretur, 224.2
Quot modis poſſit comparari, 20.2
An habeat potentiam remotam ſubſtentandam ſubſtantiam, 186.1
Quomodo fiat vel corrumpatur, 305.2
An poſſit immediate cauſare ſubſtantiam, 314.2. an poſſit aſſumi à ſubſtantia diuina, 315.1. an accidat accidenti, 316.2. 317.1. an vnum poſſit in aliud conuerti, 326.2
Accidentia non ſubiecta producunt effectus ſeipſis nobiliores, 115.2.
Accidentium comparatio inter ſe quotuplex, 313.2
Actio Dei quomodo dicatur determinari, 516.2
Actio Dei an ſit diſtincta ab actione creaturæ in concurſu cum ipſa, 508.1
Actio Sacramentalis quot modis conſideretur, 285.1
Actio coaleſcens cum actione cauſæ principalis, an emanet ab inſtrumento, 278.1
Actio vnica an poſſit eſſe bona reſpectu vnius & mala reſpectu alterius, 539.1
Actio deliberata quotuplex, 61.1
Actio an ſit aggregatum per accidens, 566.2. an ſit producibilis per aliam actionem, 570.1
Actio præuia an neceſſaria ſit in inſtrumentis artis & naturæ, 273.1. Si detur, an neceſſaria ſit in diuinis, 273.2
Actio argentis principalis & inſtrumenti an ſit vna & eadem, 277.1
Actio quæ reſpondeat decreto particulari, 485.2 an vna & eadem poſſit intendi ob diuerſos fines, 486.2
Actio ſpeciei impreſſæ à quo poſſit produci, 410.2
Actio quomodo à ſua cauſa pendeat, 121.2
Actio quaſuis quomodo ſit à Deo, 528.1
Actio per quid ſit corrumpens, 98.2
Actio quomodo ſit actualis dependentia à ſua cauſa efficiente, 409.2
Actio non eſt ſine termino, 137.2
Actio ſecundum rem, & actio ſecundum modum, 31.2
Actio mala quomodo ſit à Deo, 524.1
Actio an addat aliquid ſupra agens præter terminum, 548.2. quomodo diſtinguatur à Scoto, 551.1
Actio ſecundum rem & ſecundum modum, 548.2
Actio quæ eſt creatio, quomodo diſtinguatur ab actione quæ non eſt creatio, 549.1
Actio tranſiens quid ſit inter agens & ſubiectum actionis. Ibid. quomodo diſtinguatur à Tomiſtis, Ibid.2
Actionis diſtinctio à termino in Ariſtotele, 550.1
Actionis natura quid ſit, 571.1
Actionis nobilitas & perfectio penes quid attenditur, 189.2
Actionis vitalis terminus an à ſolo Deo poſſit produci, 413.1
in Actione quid conſideretur, 532.1
Actiones poſitiuæ an manent à negatione, 175.2
Actiones intrinſece malæ & ex natura ſua, an immutabiliter ſint malis, 543.2
Actiones aliquæ ad humanam vitam ſpectantes, an poſſint fieri ſine gratia per Chriſtum, 439.2
Actiones excluſiuæ qualiter capiantur in diuinis, 17.2
Actionum termini an à ſolo Deo poſſint produci, 408.2
Actus quotuplex, 33.1
Dum fit à quo dependeat, 463.2. Si non dependere poſſet à Deo quid ſequeretur, Ibid.
Quot modis conſideretur, 10.1
Quot modis numeretur, 67.2
Quotuplici modo ſit bonus, 43.1
Quot modis poſſit intelligi, eſſe ex aliqua virtute, 79.1
Actus aliquis quot modis poſſit dici habere

Index.

modum. 78.2
Actus aliqui finite an postulent causam infinitam, 261.2
Actus aliquis quotuplex possit esse, 68.2
Actus vitalis à quo postulet fieri, 388.1
Actus pœnitentiæ de quo fiat, 21.1
Actus doni consilij quis sit, 84.2
Actus idem an perseueret ante & post aduertentiam, 469.1
Actus quandonam perfectior sit, 393.1. an possit esse intentior habitu, 394.1
Actus supernaturalis qualis sit operatio, 383.2
Actus supernaturale supra quem sint ordinem, 368.1
Actus supernaturales & materiales in quo differant respectu concursus diuini, 516. 1. quinam sint præfiniti à Deo, 5.9.2
Actus supernaturales liberi ad æquali auxilio gratiæ & inæquali potentia procedentes, an possint esse inæquales in perfectione, 394.1
Actus contritionis cum eadem gratia, an possit esse inæqualis in eodem & diuersis hominibus, 394.1
Actus potentiæ quotuplex, 34.2
Actus intellectus & voluntatis quo modo non possint non esse à suis potentiis, 130.2
Actus voluntatis quot modis consideretur, 2.2
Actus voluntatis creatæ, an sit futurus præciso decreto de concursu, 230.2
Actus liber quomodo causetur à Deo & à voluntate, 454.2
Actus liber à quo pendeat secundum vltimam perfectionem, 471.2
Actus odij, desperationis, &c. cur non possit à Deo solo produci, 544.2
Actus mali causa an Deus sit propriè & per se, 476.2
Actum malum decernere, an Dei repugnet sanctitati, 481.1
Actum supernaturalium causa principalis simpliciter quæ sit, 261.2
Additio quotuplex sit, 1.2. 83.2
Adæ peccatum quomodo fuerit maius peccatis posterorum, 51.1
de Adhærentia venialis quot modis loquamur, 95.2
Adiutorium veniens à superiori quotuplex, 8.1
Adoratio quotuplex, 68.2
Aduersarij quid censeant de Christo, 418.2
Aduertentia an requiratur ad malitiam, 541.2
Ægrotum sanare minus esse quam cæcum alluminare, 135.1
Æqualis & similis quotuplici modo accipiantur, 24.2
Æqualitas personarum diuinarum quantum ad potestatem, 17.1
Æqualitas miscibilium in mixto quotuplex, 50. 1. à quo attendatur, Ibid.
Æqualitas quot importet in creaturis, 16.1. quotuplex, Ibid.
Æquitas ex quo attendatur maior, 81.1
Æternitas quid complectatur, 163.1
Æternum quot modis dicatur, 88.2
Affectio quotuplex, 14.1
Affectus quotuplex, 71.2
Affectus quomodo purgetur, 3.1
Affectus quandonam accipiatur pro passione & quando pro motu, 80.1
Affectus noster quot modis possit inflammari ab alio, 46.1
Agens quotuplex, & quot modis agat, 38.2.39. 1.49.1
Agens ex tota potentia quotuplex, 34.2
Agens ex tota potentia quot modis agat, 35.1
Agens immediate vel immediatione virtutis vel suppositi, 425.2
Agentis propinquitas & actionis continuatio per quid sint conditione requisitæ in agentibus naturalibus, 264.2
Agere & facere in quo differant, 38.2
Aliquid ordinare in summum bonum quot modis contingat, 2.2
Aliquid esse de nihilo quot modis dici possit, 5.1
Aliquid non esse quot modis cogitari possit, 7.2
quot modis referatur, 2.2
quot modis possit esse naturale creaturæ, 8.1
quot modis vniatur alicui, 28.2. quot modis fit in aliquo, 29.1
quot modis conformetur alicui, 37.2
quot modis dicatur ex tempore, & quot secundum accidens, 24.1. quot modis dicatur esse in pluribus, 26.2
quotuplici modo dicatur majus, 18.1
quotupliciter dicatur diuersimode, Ibid. 2. quotupliciter dicatur commune, 20.1
quot modis dicatur impossibile, 33.2
quot modis dicatur agere in alterum, 56.1. quot modis contingat non pati ab alio, 56.2
quotuplici modo abstrahatur ab alio, 21. 2. quot modis possit intelligi præter aliud, 22. 1. quot modis referatur ad aliud, 22. 2
quot modis sit in potentia ad actum, 15.1
quot modis dicatur præferri alteri, 45.2
quot modis possit esse contra ius naturæ, 63. 2.
quot modis possit assimilari, 64. 2
Amori quot modis posse aliquis, 80. 2
Amor quotuplex, 13.1.14.1.79.2
Amor naturalis quotuplex, 83.2
Amor quid dicat, 4.2
Amor gratuitus quid contineat, 6.1
Amor Dei quot modis possit dici se totum cor possidere, 79.1
Amor quo Deus amatur quotuplex, 87.2
Amor amicorum & inimicorum ad quid comparari possit, 81.1
Amoris comparatio ad amantem quid importet, 25.2
Amoris affectus quotuplex, 80.2
D. Ancelmus quomodo loquatur de concursu Dei immediato, 443.2
Angelus quot modis considerari possit, 41.1
an suam & inferiorum comprehendat naturam, 188.1. quomodo cognoscat supernaturalia, Ibid.
Secundum quod possit illuminari. 46.1. quot modis loquatur, Ibid. 2
Angelus malus quid possit efficere, 116.1
Angelus tam bonus quàm malus quotuplicem habeat vim, 43.1.44.2
quo sensu à S. Gregorio dicatur animal, 44.2
Angeli per quid possint denominari, 45.2
quomodo dicantur naturâ incorruptibilis, 320.1
quot modis possint operari miracula, 274.2
an mouere possint sensum & appetitum animalium, 281. 2. an affectionis hominū. Ibid. varie & apparent & loquūtur, 281.1. quomodo possint exequi diuinum imperium, Ibid.
quo modo experientur, 109.2

Digitized by Google

Index.

Angelum esse producibilem in actum existentiæ solum per creationem, 330.1
eorum cognitio quotuplex, 46.2. quot modis illorum gaudium intelligi possit crescere, 47.1
eorum nomina cur non transferantur, 27.1
Anima Christi consideratur secúdum propriam naturam & vt instrumentum verbi, 209.1
An potuerit facere miracula sine qualitate sibi superaddita, Ibid.
Anima quo mediante vniatu, verbo, 64.2
Anima rationalis cur non dicatur educi de potentia materiæ, 308.2
cursu beatitudinis capax, 348.1
an ex sua natura capax sit gratiæ, 170.2
non constituitur visma à visione, sed illi supponitur, 343.1. separata quo modo appetat vniri suo corpori, 345.2
quotuplici modo cognoscatur, 4.1
cuiusnam rei sit causa subiectiua, 306.2
quotuplici polluatur materia, 62.1
in Anima passibili quotuplex sit passionum genus, 72.2
Animæ operationes quotuplices, 44.2
Animæ causalitas materialis respectu gratiæ in quo consistat, 311.2
Animæ potentia ad effectus quotuplex, 50.2
Animæ separatio à corpore quotuplex, 74.1
Animæ perfectio quæ, 352.1
Animam rationalem esse immortalem probatur, 421.1
Animam & corpus vniri in eadem hypostasi, quot modis possit contingere, 74.2
Animarum locus post Christi aduentum qualis sit, 96.2
Animarum bonarum status & conditio, 96.2
Animarum malarum status & conditio post mortem, 97.1
Animas texere non bene dicitur, 241.1
Animal quotuplici ratione ita dicatur, 44.2
Animal vndenam non possit in seruitutem redigi, 53.1
Apparentia possibilitatis an sit sufficiens fundamentum asserendi rem possibilem esse, 130.1
Apparere quot modis contingat, 12.2
Appetibile latè sumptum, 476.1
Appetitus noster à quo satietur, 98.1. quotuplex, Ibid.
Appetitus innatus & potentia passiua naturalis in quo differant, 359.1
an præ requirat cognitionem, 354.2. quid sit & ad quid feratur, 356.1
Appetitus innatus & elicitus, 344.2. an appetitus materiæ differat ab appetitu animæ, 345.1. appetitus elicitus cuinam sit coniunctus, 346.1
an etiam Deo conueniat, 348.1
Appetitus elicitus veræ beatitudinis quotuplex, 356.2. innatus quot modus consideretur, Ibid.
Applicatio diuinæ potentiæ cum voluntate creata, 478. & seq.
Applicatio ad agendum non dat vim agendi sed supponit, 204.2
Applicationis genus quotuplex, 488.2
Approbatio quid possit connotare, 18.1
de Appropriatis quot modis loqui possimus, 26.2
Aqua non efficit calorem, 370.2
an sit indifferens ad operandum terram vel ad locum determinatum, 353.1
quomodo concurrerit ad operationes mirabiles initio creationis, 149.1
Aquæ nomen quot modis accipiatur, 148.1
Aquæ conuersio in vinum quot modus possit contingere, 325.1
Aquæ quænam sint super cælos, 155.1. an sint fluidæ, Ibid.
Aquarum congregationem iussit Domini factam esse per eleuationem ad altiores partes quis credat, 247.1
Arbitrium liberum in quo sequatur affectionem prædominantem, 81.2
illud habere potentiam obedientialem actiuam, 111.2
quomodo accipiat influxum à Deo in actus supernaturales, 385.1
an excitetur à Deo ad malas operationes, 450.2
an perpetuo egeat Dei adminiculo, 435.1
Archangeli vox euocantis mortuos in resurrectione vniuersali quale erit instrumentum, 221.2
Arduú circa quod est fortitudo, quotuplex, 84.2
Argumentum quotuplex, 75.1
Argumenta contra immediatum Dei concursum cum causis secundis, soluuntur, 477.2. & seq.
Argumenta Gregorij Ariminensis, Suarij, & aliorum pro concursu Dei immediato, 463. & seq.
Argumentorum solutiones contra modum diuini concursus in vniuersum, 505.1
Ars quotuplex, 49.1
Articulus vnde dicatur & quotuplex sit, 76.2
Ascensus in Deum quot modus fieri possit, 5.2
Ascensus & descensus an obstem immediatum, 426.1
Assensus circa res fidei quotuplex esse possit, 1.1
Assimilatio per quid sit, 89.2
Auctoritas singularis ex S. Paulo pro immediato Dei concursu, 430.1
Auctoritates sacræ de concursu immediato Dei, in aliquibus operibus particularibus creaturarum, 431. & seq.
in Auditu quot sint, 95.2
Auersio quot modis accipiatur, 62.1. & quot modis auersio à Deo, Ibid.
S. Augustini doctrina de Dei concursu ad malas actiones, 523. & seq.

B

in BAptismo quot reperiantur, 88.2
Beatitudo quot modis dicatur, 42.1
Beatitudo sanctorum ex parte corporis, 98.1
quomodo desideretur ab hominibus, 347.1. cur illius sit capax anima hominis, 348.1
in quo consistat, 353.1. vera quid sit, 356.1
Beatitudinis subiectum immediatum quodnam sit, 353.1
Beatitudinis veræ appetitus elicitus quotuplex, 356.2
Beatitudinis cognitio quotuplex, 59.2
Beatus quot modis aliquis dicatur, 79.2
Beati determinatio cuinam conueniat, 433.2
Beneficium incarnationis secundum quid consideretur, 65.2
S. Bonauenturæ doctrina de Dei concursu ad actiones malas, 528. & seq.
Bonitas quotuplex, 61.1
Bonitas in creatura quotuplex, 39.2
Bonitas substantialis excessus, quot modis possit attendi in rebus, 35.1
Bonitatem Dei infinitas dedecere velle malum, 483.2

Index.

C

Cælum an violente quieſcet in fine mundi, 250.2
Calor quomodo concurrat ad generationem carnis, 290.2
quot modis augeri poſſit, 14.2
quot modis accipiatur, 47.2
Capitis proprietas quotuplex, 64.1
Caro Chriſti qualem habuerit potentiam ad vnionem, 334.1
quo ſenſit fuerit obnoxia peccato, 65.1
Caro quot modis ſumatur in ſcriptura, 56.1
pro quo ſumatur, 39.1
Cauſa quotuplex, 43.1. 69.1
quot modis accipiatur, 30.1
quot modis dicatur, 91.1
Cauſa prima an plus influat quam cauſa ſecunda, 319.2
Cauſa principalis agit eadem actione cum cauſa ſuperiore, cui ſubordinatur, 212.1
Cauſa principalis quæ per proprium influxum proxime attingit effectum, 241.1. quæ influit per propriam virtutem, Ibid.2
Cauſa principalis & inſtrumentalis in quo differant, 112.2
Cauſa inſtrumentalis totidem ne dicatur modis, quot principalis, 242.2
Cauſa quæuis cur pendeat à Deo, 464.1
Cauſa eadem an poſſit agere virtute propria & aliena, 376.1. 32
Cauſa perfectior num poſſit ſupplere, quod imperfectiori deeſt, 250.1
Cauſa omnis an ſit neceſſaria per ſe, 477.1
Cauſa originalis quot modis conſiderari poſſit, 56.1
Cauſa proxima immediata quotuplex, 7.2
Cauſa creata num poſſit per virtutem obedientialem eſſe cauſa principalis omnium effectiuum, quorum eſſe poteſt inſtrumentalis, 252.2
Cauſa vna naturalis an propriè eleuet alteram nec ne, 128.2
Cauſa prima an priùs agat in cauſatum, 517.2
Cauſa in quo differat à conditione, 467.2
Cauſa imperatoria & moralis an poſſit eſſe inſtrumentum etiam ſi nihil operetur Phyſice circa ſubiectum, in quo producitur effectus ſupernaturalis, 275.1
Cauſa efficiens quotuplex, 31.2. 277.2
Cauſa efficiens & deficiens iuxta S. Auguſtinum, 525.2. iuxta S. Bonauenturam, 528.2
Cauſa ſufficiens ad aliquid quotuplex, 39.1. quotuplici modo poſſit eſſe in actu, Ibid.
Cauſa permiſſionis peccati, 536.2
ad Cauſam quid propriè & perſe requiratur, 475.
Cauſæ prioris motio in modificetur à cauſa ſecunda, 499.2
Cauſæ efficientis diuiſio, 288.2
Cauſæ primæ & cauſæ ſecundæ actio, an ſit ſimultanea, 454.2
Cauſæ duæ ſubordinatæ an poſſint concurrere ad eſſendum effectum, 468.1
Cauſæ ſupernaturales iunctæ naturalibus quomodo eas roborent, 376.2
Cauſæ ſecundæ an omnes ſubordinentur cauſæ primæ, 460.1
Cauſæ ſecundæ operatio an ceſſet, ceſſante Dei concurſu, 464.2
Cauſæ ſecundæ an determinent concurſum primæ, 540.2
Cauſalitas quænam intercedat in relatione tranſcendentali, 362.1
Certitudo quotuplex, 32.1
Certitudo intellectus quotuplex, 77.2
Certitudo de aliquo futuro quot modis poſſit haberi, 41.2. quotuplex ſit ex parte cognitiua, 42.1. & quotuplex ex parte affectiua, Ibid.
Character & ornatus ſpirituali vnde educatur, 188.1
de Characteribus quot modis loquamur, 94.2
Charitas quot modis dicatur, 2.1
quot modis dicatur proficere, 80.2
pro quo ſumatur, 79.2
Charitas facit diligere Deum quantum diligendus eſt, quot modis intelligendum, 13. 2. quot modis cognoſcatur eſſentialiter, 14.1. vnde ſuam habeat ſtatim, Ibid.
Charitas quibuſnam modis habeat modum, 79.1
qualem reſpiciat affectum, 80.2
Charitas ex parte ſuſcipientis quot modis ſtare poſſit, 14.2
quot modis compareatur ad virtutes, 9.1
Charitatis & ſpei habitus ſecundum quid poſſint comparari, 78.1
Charitatis motus quot modis poſſit comparari ad Deum & proximũ ſub ratione obiecti, 78.2
Charitatis latitudo quot modis conſideretur, 82.1
Chriſtiani quot modis ſint conformes imaginis filij Dei naturalis, 69.1
Chriſtus Dominus qualis ſit cauſa noſtræ reſurrectionis, 95.2
quot modis comparetur angelis, 12.2
quomodo intelligatur fuiſſe totus in cælo & totus in inferno, 24.2
cur voluerit circumcidi, 89.1
an ſecundum quod homo eſt, ſit Deus, 68. 2. cur noſtræ ſit cauſa adoptionis, Ibid. ſecundum quid ſit creaturæ, 69.1
quot modis dicatur eſſe alicui, 74.2
quotuplici modo dicatur influere ſenſum & motum tanquam caput in Eccleſiam, 70.1
cur lazarum ſuſcitarit, 258.2. illius miracula ſufficere, vt illius diuinitas oſtendatur, Ibid.2
Chriſti coniunctio cum Eccleſia quotuplex 95.1
Chriſti anima conſideratur ſecundum propriam naturam & vt inſtrumentum verbi, 209.1. an potuerit facere miracula ſiue qualitate ſibi ſuperaddita, Ibid.
Chriſti paſſionis effectu quot modis loquamur, 73.2
Chriſti humanitas vt inſtrumentum verbi ſimul cum ipſo conſtituit vnum principium, 198.2
Chriſti humanitas an reddatur formaliter videns per diuinam eſſentiam, 415.1
Chriſti Domini voluntas quomodo concurrat ad fruitionem, 114.1
Chriſti caro qualem habuerit potentiam ad vnionem, 334.1
Chriſti corpus qualis ſit cibus, 29.1
Chriſti prædeſtinatio & noſtra quot modis conſideretur, 69.1
Chriſti paſſio an operata ſit noſtram ſalutem per efficientiæ modum, 112.1
Chriſti humanitas qualem habuerit potentiam ad vnionem hypoſtaticam, 116.2

Index.

Christi visio quo modo sit perfectior visiones cuiuscumque angeli, 397.2
de Christo quot modis loquamur, 34.2
Christum pati quot modis accipiatur, 7.2
Circuli quadratura quænam sit, 144.2
Circumstantiæ quotuplices, 92.2
Claritas quot modis dicatur maior, 70.1
Claudicationis defectus cuinam tribuatur, 529.1
Coactio quotuplex, 89.1
Cogitare quot mod isaccipiatur, 7.2
Cognitio quotuplex sit, & in quo consistat, 3.2
eius priuatio quot modis contingat, 51.2
Cognitio Dei quotuplex, 31.1
Cognitio Dei sub ratione veri quot modis habeatur, 84.2
Cognitio diuina quot modis possit considerari, 27.1
Cognitio à gratia quotuplex, 46.2
Cognitio beatitudinis quotuplex, 59.2
Cognitio possibilium ignotorum vnde procedat, 133.2
Cognitio & dilectio in quotuplici sit differentia, 70.1
Cognitio an à solo Deo possit fieri in intellectu, 405.2
Cognitio viæ quot modis contingat, 75.1
Cognitionis distinctio quotuplici modo sumi possit, 70.2
Cogitationis immissio quotuplex, 45.1
Cognitionis volubilitas quotuplex, 70.2
in Cognitione animæ Christi quot considerentur, 70.2
Cognoscere rem in proprio genere, quot modis intelligatur, 30.1
Cognoscere aliud, & cognoscere aliquid quot modus contingat, 31.1
Cognoscere omnia præsenter quot modis possit accipi, Ibid.
Cognoscere per priuationem quotuplex, 28.2
Cognoscere res per modum complexionis, quot modis possit intelligi, 33.1
Cognosci per accidens quotuplex, 28.2
Collatio quotuplex esse possit, 92.1
Color quid sit, & quot modis conderetur, 3.2
Commune quid sit, 5.1
Communicabile quotuplex, 65.2
Communicare in ratione quot modis dicatur aliquid, 79.1
Communio quotuplex, 23.1
Communitas quotuplex, 20.1.2
Comparatio accidentium inter se, 313.2
Comparatio generis ad terminum essentialé, 5.1
Comparatio actus generandi ad potentiam, 5.2
Comparatio accidentis ad operationem quotuplex, 90.1
Comparatio potentiam generãdi ad personã, 6.1
Complacentia simplex & decretum efficax an differant in Deo, 229.2
Complexio quot modis possit, ad intellectum comparari, 33.1
Complementum quotuplex, 214.1
Complexum potentiæ obedientialis quibusnam constet, 195.2
Compositio quotuplex, 8.2.66.2
Compositio quot modis dicatur, 59.1
Comprehendere quot modis dicatur, 70.2
Conceptio secundum quid considerari possit, 64.1. quot modis sumatur, 67.2
Conceptuum obiectiuorum separatio quot modis contingat, 362.1
Concilium Tridentium quid habeat de concursu immediato Dei, 474
Concilia loquentia contra pelagium in gratiæ materiæ, quam gratiam intelligant, 435.2
Concupiscentia quot modis accipiatur, 56.1. quot modis consideretur, Ibid.
pro quo sumetur generaliter, 86.1
Concursus Dei à quo dicatur modificari, 496.2
Concursus Dei immediatus an sit aliquid distinctum ab effectu, 547. & seq.
Concursus Dei immediatus in vniuersam quid sit & quotuplex, 425. cum actionibus creaturarum probatur ex sacris literis, 418.1
Concursus Dei immediatus ad entitatem malarum actionum probatur ex authoritate D. Augustini, 523
ex D. Augustino colligitur, 442.1. probatur ex auctoritate D. Anselmi, 443. an solum fiat ad opera bona, 445.2
Concursus requisitus ad denominationes intelligentis & amantis, 187.1
Concursus in genere causæ materialis an possit tribui Deo, 517.2
Concursus diuini indifferẽtia ad concurrendum probatur, 490.2. an stet cum distinctione actuum, 491.2. à quo determinetur, 492.2
Concursus paratus ad actus non futuros an sit superfluus, 491.2
Concursus immediati causæ primæ necessitas quomodo probetur à recentioribus, 469.2
Conditio quotuplex, 28.2
in quo differat à causa, 467.2
Conditiones essentiales Trinitatis & vnitatis, 7.1. personales, 8.2
Conditionatum & incompletum in quo differant, 367.2
Conditor æternus quot modis dicatur, 23.1
Confessio quot modis consideretur, 92.2
ad Confessionem peccatorum quot modus teneamur, 92.2
Conformatio rerum ad Deum quotuplex, 82.1
Conformitat plena quot includat, 25.1
Conformitat voluntatis ad voluntatem quot modis attendatur, 72.1
Confusionem nullam esse in decreto conditionato ex parte obiecti, 505.2
Congrui & condigni meritum quid sit, 54.1
Congruitas quotuplex, 4.2.54.1
Connexionem habentia inter se quæ nam sint, 177.1
Consensus semiplenus propter quid sit, 91.2
Conseruatio diuina necessaria creaturis, 318.2
Consilium quotuplex, & quot modis accipiatur, 84.2
quot modis dicatur, 3.1
quot modis quæratur ab aliquo, 93.2
Consonantiæ infinitæ fieri possint ab instrumentis musicis, 135.2
Consultatio quot modis fiat, 96.2
Continentia virtualis effectus an sufficiat in causa, vt illum producere possit, 471.1
Contingens quotuplex, 69.1
Contradictionis implicantia num distinguatur à repugnantia prædicati à subiecto, 132.2
Contradictionem inuoluens neque est simpliciter eius, neque simpliciter non eius, 137.1
Contradictoria an verificari possint de eodem, 557.2

Index.

Conuenientia maior quot modis attendi possit, 75. 2
Conuenire vni soli quotuplici modo consideretur, 4. 2
Conuersio quotuplex, 42. 2
Conuersio S. Pauli cur soli gratiæ tribuatur, 389. 1
Conuersio aquæ in vinum quot modis possit coniungere, 325. 1
Conuersio in quo differat à mutatione, 323. 2. quotuplex sit, Ibid. quid in ea requiratur, Ibid.
Cooperari alicui in bonum, quot modis id fieri possit, 35. 2
Cooperari alteri quot modis contingat, 89. 2
Cor quot modis dicatur obdurari, 32. 2
secundum quotuplicem respectum compungatur, 91. 2
Corpus & animam vniri in eadem hypostasi quot modis possit contingere, 74. 2
Corporis Christi proprietates quot sint, 90. 1
Corporis glorioſi dotes ad quid eleuent, 207. 1
Corpore indigere quot modis id dicatur, 44. 2
Corpora an possint affici qualitatibus superioribus, 313. 1
Corruptio quot modis fiat, 51. 1
Corruptio vnius formæ, & generatio alterius an sint contradictoria, 163. 2
Costa quot modis considerari possit, 50. 2
Creare maius esse quàm eleuare ad agendum, 115. 2
Creare posse & posse generare quid dicant, 6. 2
Creari posse & posse generari quo modo considerentur, Ibid.
Creatio quid sit proprie, 505. 1
quot modis accipiatur, 39. 1
quomodo distinguatur à termino per S. Bonaventuram, 570. 1
Creatio ex nihilo quomodo intelligatur, 306. 1
Creationis nomen quot modis accipiatur, 310. 2
Creatura quot modis comparetur ad Deum, 7. 1. 64. 1
Creatura vt eleuabilis qualis sit potentia, 176. 1
Creatura si daretur vno modo à Deo dependens quid sequeretur, 571. 1
an possit operari sine causa prima, 318. 2
Creatura incorporea an possit assumi vt instrumentum effectuum materialium, 186. 2
Creatura rationalis Deo plenè subiecta, 105. 1
Creatura quæuis qualem habeat virtutem ad omnes effectus supernaturales, 192. 2
Creatura cur eleuari non possit per qualitatem superadditam, non apparet repugnantia, 206. 2
an possit conseruari sine Deo, 466. 2
per quid sit capax Dei, 358. 2
Creatura & virtus diuina dicuntur vnum principium operandi supernaturaliter, 198. 2
quotuplici modo cognoscatur, 3. 2
potestne cuadere finem à Deo intentum in permissione peccati, 518. 1
Creatura & qualitas supernaturalis ipsi addita, quomodo concurrerent vna & eadem actione ad effectum, 214. 2
num habeat potentiam ad sui annihilationem, 296. 2. antequam creatus qualem habeat potentiam, 300. 2
an possit inseruire Deo in qualibet distantia, 180. 1
quot modis possit immutari supernaturaliter, 504. 2
an de potentia absoluta possit operari, non operante Deo cum illa, 414
Creatura vt efficiens quot modis comparetur ad Deum, 255. 2
potestne fieri causa principalis effectuum, quos de lege ordinaria non potest producere, 253. 2
an possit per potentiam obedientialem fieri causa principalis effectuum, quorum est instrumentalis, 240. & seq.
Creatura concurrit per suam entitatem eleuatam, 120. 2
an aliqua possit esse causa principalis gratiæ, 256. 2
vt respicit creatoris virtutem an sit inadæquatè, 176
Creatura purè materialis an sit possibilis, quæ sit intellectiua, 418. 2
Creatura quælibet tam corporea, quàm incorporea an possit affici qualitate non debita ad effectus suis viribus superiores producendos, 217. & seq.
an aliqua possit esse sui ipsius causa, 164. 1. an possit esse instrumentalis, Ibid. 2
Creaturæ veritas aut paruitas an obstet potentiæ obedientiali, 124. 1
Creaturæ habilitas quot modis consideretur, 200. 2. illius eleuatio quot modis fieri possit, 201.
Creaturæ erga Deum obedientia ordinaria & extraordinaria, 103. 2. illius plena subiectio creatori, 104. 2
Creaturæ operatio quomodo pendeat à diuina voluntate, 479. 2
Creaturæ ordo ad finem quotuplex, 96. 1
Creaturæ an aliquid sit violentum respectu Dei, 199. 1
Creaturæ an magis sit essentiale subdi creatori, quam seipsam conseruare, 131. 1
Creaturæ quotuplices, 29. 1
Creaturæ an naturaliter appetant Deum iuxta modum naturæ suæ, 346. 2
Creaturæ plures an possint fieri causæ principales effectuum, quorum de lege ordinaria sunt tantùm instrumentales, 243. 1
Creaturæ cuiusnam sint instrumenta, 241. 1
Creaturæ quomodo cognoscantur in Deo. 153. 1
cur aliquæ possint per Dei voluntatem fieri causæ principalis nouorum effectuum & non omnes, 252. 1
Creaturam non solum à Deo conseruari, sed etiam moueri & ordinari, 449. 1
Creaturam eleuari ad operandum supernaturaliter an implicet, 114. 2
Creaturarum ad Deum quotuplex sit comparatio, 95. 2
Creaturas deferre creatoris imperium, 281. 1
Creatum an proximè fiat potens pati posito Dei decreto, 340. 2
Credentium genus quotuplex, 13. 1
Credere Deo, Deum, & in Deum, quid vnumquodque respiciat, 74. 2
Credibilia multiplicari quot modis possit intelligi, 77. 1
Culpæ malum à quo sit, 57. 1
Culpam detestari quot modis contingat, 55. 1
Culpam expellere quot modis contingat, 11. 2
Cultus quot modis accipiatur, 68. 1
Cum, præpositio quid dicat, 28. 2
Curatio à morbo quotuplex, 92. 1

Index.

Dæmon quales possit inducere formas, 44.2
Dæmones qualem habeant potentiam, 43.2. quomodo obliuiscantur multorum, 44.1. quomodo prædicant futura, Ibid.
quænam habeant naturalia, 42.2
perquid torqueantur ab igne inferni vt instrumento diuinæ iustitiæ, 276.1
Damnatio æterna quot includat, 37.2
Damnatorum status & conditio post iudicium, quantum ad rationem & voluntatem, 99
Dari vel mitti quotuplex, 12.2
Debitum quotuplex, 72.2
Debitum erga Deum quotuplex, 74.1
Diceptio circa quæ possit esse, 52.1
Declinatio qualis sit actus, 65.1
Declinare à malo quot modis dicatur, 52.1
Decor vniuersitatis quotuplex, 36.2
Decor naturæ quotuplex, 94.2
Decretum intentionis & executionis quomodo distinguatur ab omnipotentia, 478.481
Decretum eleuandi creaturam an faciat in ea aliquam mutationem, 226.1
Decretum efficax & simplex complacentia an differant in Deo, 229.2
Decretum diuinum an sit causa futuritionis rerum, 233.2
Decretum concomitans an sit conueniens perfectioni diuinæ prouidentiæ, 510.1
Decretum cum comitans an sit necessarium in rei concursu, 482.1
Decreto particulari actio respondens, 485.2
Defectus quotuplex, 59.1
Defectus intelligentis quid sit, 7. 2. ex parte intelligibilis quot modis contingat, Ibid.
Defectus ex parte causæ peccati quotuplex, 530.2
Defectus quotuplices, 71.1
Definitio quænam sit bona, 169.1
Deformitates quotuplices, 96.1
Deitatem habens quid dici possit, 19.1
Delectatio quot modis sit in sensu, 98.2
Delectatio quot modis cõparetur ad pœnam, 97.1
Denominatio supernaturalis quot modis fiat, 360.1
Denominatio an detur noua in omnibus categoriis, sine aliqua mutatione intrinseca, 574.2
Denominationis nouæ, an detur aliqua noua ratio, 573.1
Descriptio quænam sit bona, 569.1
Desiderium quotuplex, 81.2
Desiderium quiescendi cum Christo ex quotuplici causa possit venies, 80.1
Desperationis actus cur non à Deo solo produci possit, 544.2
Determinatio quot modis accipiatur, 516.2
Determinatio voluntatis creatæ an dicat aliquam in Deum potestatem, vel aliquid aliud, 500.2
Determinatio actus in indiuiduo conditionata, 521.2
Determinatio potentiæ ad vnum quotuplex, 73.1
Determinatio ad bonitatem quomodo sit à voluntate creata, 495.1
Determinatio beati cuinam conueniat, 413.2
Deus est creator, & Deus est homo quænam sint prædicationis. 24.1
Deus est æternitas, & Deus generat quo modo intelligantur. 23.1
Volendo se, quid velit, 35.2. eius voluntas quomodo diuidatur, Ibid.
cur sit infinitus, 149.1
Deus est hîc, quot modis teneatur, & quomodo est totus in quolibet, loco, 29.2. quæ in eo considerentur, Ibid. an sit extra omnes locum, Ibid.
an possit in productione per Sacramenta assumere actionem materialem, 286.1
quot modis dicatur, 4.1
an vtatur instrumentis ineptis, 123.2
an possit seipso concurrere ad visiones sine lumine, 400.2
cur diceretur impotens si posset producere chimæram, 157.2
quomodo res aliter quam ante cognoscat, 30.2. quomodo futura præsciat, Ibid. 2
quomodo dicatur se Deo, 22.1. an possit intelligi præter deitatem, Ibid.
quodnam præteritum reproducere possit, 144.1
Quotuplici modo innotescat, 18.2
non potest, quod dicit defectum vel impotentiam vt peccare, mori, &c. 138.1
Sanctorum precibus suspendit aliquando suum concursum, 319.2
Cum quæritur an sciat res immutabilium quomodo intelligendum, 31.1
in malis facit quod sint, non quod mala sint, 444.2
respectu voluntatis nostræ quot modis consideretur, 57.2
cùm per verbum suum condiderit mundum, an etiam illum per illud regat, 447.2
Cùm dicitur velle, quod includantur, 30.2
an possit attemperare concursum suum per instrumenta creaturarum, 188.2
Cum dicitur præscire definit, quomodo intelligendum, 32.2
an velit Angelos adiutores in iis quæ operatur, 281.1
in qua ratione comparetur ad creaturam, 64.1
quot modis sit in rebus, 29.1
Ex ipso, & in ipsum, & peripsum quot modis considerentur, 28.1
quomodo dicatur subordinare suam voluntatem creatæ, 541.1. an possit facere solus quod cum causa secunda facit, Ibid. 2
an possit, saluis rerum naturis, mutare ordinem confundi in creaturis institutum, 248.1
an æque possit vti re immota, ac eius operatione præ instrumento, 279.2
quot modis aliquid ab eo acceptatur, 55.1
non vult peccata sed ea permittit, 527. 2. cur ea permittat, 536.2
quomodo diligat, 82.1
quomodo det spiritum ad mensuram, 69.2
an cognoscat sua decreta futura, 234.1
cur dicatur produxisse omne lignum & fecisse omne virgultum, 251.1
an cognoscat res futuris sub disiunctione, 487.1
quomodo dicatur sequi determinationem libertatis creatæ, 517.1. an absolutè præfinimur aliqua, 519.2
quænam præcipiat, 36.2. an possit velle contrarium, Ibid.
potuisse negatiuè se habere circa non futura, 230.1
non est seipso potentior, 139.2
quid ostendat in sua subordinatione voluntaria ad creatam, 498.1. an possit mutare malas voluntates quomodo & quando voluerit, Ibid.2

Index.

An poſſit præcipere malum, 37. 1. quot modis oſtendat ſedebile abſolutè, Ibid. 2
Quomodo dicatur odiſſe peccatum, 532. 2. aliter ſe gerit cum humana natura Chriſti, quàm cum reliquis, 533. 2. an poſſit producere habitum malum inclinantem ad peccatum formaliter, Ibid. quo ſenſu eſſet authorem peccati, 534. 2. & ſeq.
An bene dicatur eum concurrere cœco modo ad actiones liberas, 536. 1
Quot modis dicatur nobis loqui, 46. 2
An propriè & per ſe ſit cauſa actus mali, 476. 2 cur non dicatur actum malum facere, 477. 1 Quomodo ſe habeat arca ea quæ omittit, Ibid. 2
Num poſſit ſolus efficere quod poteſt cum cauſis ſecundis, 207. 2. an poſſit ſeipſo ſupplere cauſalitatem efficientem cuiuſcumque qualitatis, 208. 2
Si eſſet omnipotens & non immenſus an adhuc poſſet agere in diſtans, 265. 2
Quali voluntate velit, 32. 1 quomodo res cognoſcat, 53. 1
An poſſit impoſſibile, 320. 2
An operetur omnia quæ quotidie fiunt, 448. 1
An faciat in creatura, quæ ab æterno diſpoſuit, 448. 2
An poſſit vti quacumque re voluerit quo modo voluerit, 183. 1
Quot modis de creaturis deliberet, 232. 2
An ita operetur in tempore vt decreuit ab æterno, 481. 2. quomodo concurrat ad mala, 483. 2
An poſſit ſe ſolo, quod poteſt cum cauſa ſecunda, 318. 2
Miracula operans an vtatur aliquando actu interiori hominis, 264. 276. 1
Quomodo cognoſcatur, 28. 2 quomodo nam à ſolo capiatur intellectu, Ibid.
Quot modis cognoſcatur, 52. 1
Cur dicatur ſolus operari, 119. 2
Cur ſit omnipotens, 131. 1
Quomodo dicatur attingere actionem malam vt ens Phyſicum, 537. 2
Quomodo attingat totum effectum, & cooperetur cauſæ ſecundæ, 449. 2. quomodo concurrat cum cauſa ſecunda, 450. 1. quomodo ad actiones malas, Ibid. 2. an exciter liberum arbitrium ad operationem malam necne, 450. 2 quomodo operetur in omnibus, 451. 2
Quænam inſtituerit Sacramenta mandando, & quæ interna illuminando, 95. 1
Dei voluntas quotuplex, 59. 1
Dei cognitio quotuplex, 31. 1
Dei nomen quomodo conſideretur, 3. 1
Dei perſona humanam naturam ſumpſit quid ſignificet, 576. 1
Dei ſimilitudo quotuplex, 42. 2
Dei mandata quot modis contingat impleri, 54. 2
Dei potentia quot modis comparetur ad multa, 34. 2
Dei cognitio ſub ratione veri quot modis habeatur, 84. 2
Dei iuſſio ad omnia peruenit etiam ad vermiculos, 280. 2
Dei ſcientia & cognitio quotuplex, 27. 1
Dei iudicia quotuplicia, 97. 1
Dei iuſſio naturalem motum præbet corporibus, 246. 1
Dei inſtrumenta per quid applicentur, 267.
Dei potentia an reſpiciat poſſibile, 341.
Dei ordinatio diuerſa quid ferat ſecum in obiecto extrinſeco, 411. 1
Dei & creaturæ voluntas quomodo ſe determinet, 140. 1
Dei actio an diſtincta ſit ab actione creaturæ in concurſu eum ipſa, 508. 1
Dei voluntas quomodo ſe habeat ad actus humanos, 482. & ſeq.
Dei inſtrumenta quæ, 241. 2
Dei dilectio quod modis conſideretur, 82. 1
Dei voluntas, quid ſit rebus, 243. 2. quomodo dicatur à SS. Patribus natura rerum, 244. 1
Deo æquæ facilia eſſe omnia factibilia, 258. 1
Deo variæ rationes continentur, 145. 2
Deo omnia pendent in genere cauſæ exemplaris, efficientis, & finalis, 137. 2
Eſſe vbique quot modis Deo competat, 29. 1
Deo ne conueniat appetitus innatus, 548. 1
Deum cognoſcere in creatura, & eum cognoſcere per creaturas in quo differant, 3. 2
Deum diligere quotuplici motu dilectionis contingat, 80. 1
Eſſe prope Deum, quot modis accipiatur, 5. 1
Deum & naturam nihil fruſtra facere, 271. 1
Deum neque antecedenter, neque conſequenter velle peccatum, 484. 1. ſed tantum permittere, Ibid.
Deum non poſſe conuerti in creaturam, nec creaturam in Deum, 27. 2
Deum voluiſſe accommodare ſuam voluntatem primi hominis arbitrio, 497. 1
Deum non eſſe authorem peccati materialis ſed cooperatorem, 527. 1
Deum humiliari quot modis poſſit intelligi, 64. 1
Deum vti creaturis ad effectus mirabilis probatur, 108. 1
Deum poſſe mutare vnam rem in aliam, 138. 1
Deum facere quidquid habet eſſentiam, 444. 1
Diabolus quomodo peccarit, 42. 1
Quomodo peccarit magis quàm Adam, 51. 1
Dicendi modus ſecundum ſubſtantiam circa terminum negatum, ſeu infinitum quo modis accipiatur, 22. 2
Dicere quot modis dicatur, 69. 2
Dici ſecundum ſubſtantiam quotuplex ſit, 20. 1
Dici ad aliquid quotuplex, 4. 1
Dici ad aliud quotupliciter contingat, 19. 2
Dici ſecundùm relationem, quot modis intelligatur, 14. 1
Differentia quid notet. Ibid.
Differentia inter artis inſtrumenta & diuina, 266. 1
Differentia rationis ſuper quid fundetur, 21. 1
Differentia in creaturis quotuplex, 8. 2
Differentiæ quotuplices, 98. 1
Differentiæ duæ atomæ non poſſunt eſſe eiuſdem individui, 161. 2
Difficultas vnde proueniat, 55. 2
Diffuſio quotuplex, 16. 1
Quot modis poſſit eſſe à bono, 46. 1
Diffuſionis magnitudo quot modis poſſit intelligi, 64. 2
Dilectio quotuplex, 32. 1
Dilectio Dei quot modis conſideretur, 82. 1 quotuplex, Ibid. in quo ordine attendatur, Ibid. 2

Dilectio

Index.

Dilectio in diuinis quomodo accipiatur, 9. 2
Dilectio & cognitio in quotuplici ſit differentia, 70.1
Dilectionis motus quot modis poſſit comparari ad habitum charitatis, 78. 2
Diligere magis aliquem quot modis contingat, 41. 2
Diligere quot modis ſumatur, 9. 1
Diligere multa quot modis contingat, 82.1
Diligere quot modis poſſit teneri, 25. 1
Diſpoſitio quotuplex, 81.2
Diſpoſitio contraria quotuplex ſit in materia, 92. 1
Diſtantia quotuplex, 3.2. 28.2
Diſtinctio quot modis importetur, 4.2
Diuerſitas quotuplex, 8.2.61.1
Diuinitatis cognitio quotuplex, 97.2
Diuiſio quotuplicis ſit generis, 2.1
Docere quotupliciter contingat ſecundum D. Auguſt. 1. 2
Dolere de culpa commiſſa quotuplex, 91.1
Dolere de aliquo quot modis accipiatur, 37.2
Dolor quotuplex, 91.2.92.1
Dolor in anima quotuplex, 71. 2. quotuplex fuit in Chriſto, Ibid.
Dolor & triſtitia in quo ſint prædicamento, 407.1
Dolor pœnitentiæ quotuplex, 43.1
Dominandi poteſtas quotuplex, 63.2
Dominium quotuplex, 43.2 68.1
Dominicus, quot modis dicatur ſecundum communem vſum, 67.1
Donum vnde dicatur, 20.2
quot modis capiatur, 44.1
quid dicat, 11.1
quot modis importet reſpectum ad eum, cui datur, 15. 1. quotuplicem dicat reſpectum, Ibid.
Domini Spiritus ſancti quotuplex, 90.2
Donum dicens reſpectum ad eum cui datur quotuplex, 15.1
Doni timoris differentia quotuplex, 84.1
Donorum habitus quot modis conſiderentur, 85.1
Dona Spiritus ſancti quotuplicia, 83. 2
Dotes glorioſæ corporis quot modis conſiderentur, 98.2
Dotes corporis glorioſi ad quid eleuent, 207.1
Dubitatio quotuplex, 76.2
Dubitatio quot modis ſumatur, 72.1
Dulcedo quot modis accipi poſſit, 60.1
Dulia quot modis accipiatur, 68. 2

E

Ecclesia de quibuſnam iudicet, 87. 1
Ad Educationem de ſubiecto propriè acceptam quid requiratur, 312. 2
Effectus vniuerſaliſſimus cuinam reſpondeat, 470. 2
Effectus omnium primus & vniuerſalis quis ſit, 460. 2
Effectus exterior quotuplex, 80.2
Effectus formalis quot modis haberi poſſit, 316. 1
Effectus actus diſconuenientis an potentia neutra dici poſſit, 334.2
Effectus futurus determinatus à voluntate, an poſſit cognoſci virtute decreti antecedentis, 515. 1
Effectus quiuis à quo ſit, 496.2
Effectus quiuis cur pendeat à Deo, 464.1
Effectus à ſolo Deo productus quotuplicem habeat reſpectum, 278.1
Effectus determinatio in indiuiduo à quo ſit, 465. 2
Effectus ſupernaturales cur ita dicantur, 259.1
Effectus innumeri ab accidentibus variè coniunctis poſſunt prouenire, 135.2
Effectus nobiliores à quibuſnam cauſis producantur, 392.2
Effectus omnes inferiorum corporum cuiuſnam ſint perfectionis, 210.2
Effectus vniuerſaliores ad quas referantur cauſas. 318.1
Effectus ad quid comparentur, 35.2
Effectus mirabiles quot modis fieri poſſint, 109.2
Effectuum ſupernaturalium ſeminales rationes non eſſe in rebus creatis, 119.2
Efficacia meriti ex quo proueniat, 55.2
Electio quotuplex, 32.1
Eleemoſyna quot modis poſſit dari indigenti, 91. 2
Elementorum operatio quotuplex, 98. 2
Elementorum prædominantia quotuplex, 48.2
Eleuabilitas per ſuperiorem virtutem, an poſſit in diuinis eſſe, 191. 2. quid inuoluat intrinſece, Ibid.
Eleuabilitas addit reſpectum rationis, vel denominationem extrinſecam à virtute eleuante, 181. 1
Eleuari ſupra ſe quot modis contingat, 41.2
Eleuatio quot modis fiat, 378. 2
Eleuatio potentiæ an minuat eius vim naturalem, 393.1
Dictum S. Thomæ de eleuatione explicatur, 339.1
Emanare per modum liberalitatis quot modis ſumatur, 9.2
Emanationes diuinæ quot modis ſumantur, 10.2
Ens quot modis dicatur, 19.1
quot modis poſſit conſiderare, 157.2
Ens omnes an ſit à Deo, 453.2
Ens diminutum Scoti, 234.2
Ens quot modis dicatur æternum, 30. 2
Ens ſupernaturale quid ſit, 170. 1
Ens ſupernaturale, quod reſpicit potentia obedientialis actiua, quid ſit, 167
Ens morale an ſit aliquid, 238.2
Ens facere de non ente implicat, 133.1
Entis diuiſio in ens creatum & increatum quomodo ſumatur, 142.2
Entis prædicatum an dicatur magis intimum, 461.1
Entia quotuplicia ſint, 28. 2
Entitas creaturæ an ſit adæquatè & Phyſicè, 175.
Entitas actionis an diſtinguatur à malitia, 543. 2
Entitas Phyſica actus ſupernaturalis quando nobilior, & quo ſenſu diuiſibilis, & quo minimè, 394.2
Error & mendacium in differant, 545.1
Eſſe rei in ſe, & in ſua cauſa quotuplex, 31.1
Eſſe qualis ſit effectus & cui competat, 459.1

Index.

Esse aliquid quot modis dicatur, 6.1
Esse in hoc mundo quot modis intelligendum, 12.1
Esse præsens alicui rei quot modis contingat, 41.2
Esse vbique quotuplici modo competat Deo, 29.1
Esse simplex quot modis contingat, 41.1
ad Esse irreceptum quid requiratur, 149.2
Esse intrinsecus in aliquo quot modis contingat, 45.1
Esse ex Deo, vel per Deum quot modis accipi possit, 27. 2. quomodo res sint in Deo, 28.1
Essentia diuina cur non generet, 5.2
quot modis consideranda, 28.1
Essentia quot modis consideretur, 7.1
Essentia visionis quot modis consideretur, 322. 1
Essentia quæuis creata an sit composita, 420.1
Essentiæ diuinæ simplicitas, 8.1
Essentiæ supernaturalis definitio vltima an aliquando data sit, 170.1
Essentiam diuinam esse priorem possibilitate creaturarum, 149.2
Essentiale quot modis dicatur, 4.1
Est, quotuplici modo prædicari possit, 57.1
Eucharistiæ in Sacramento quotuplex sit res, 66.1
Excommunicatio quotuplex, 93.1
Executio an possit dici efficax delatio imperij, 281.1
Exemplar quotuplex, 69.1
quot modis accipiatur à S. Thoma, 146.1
Exemplum quotuplex, 15.2
Existentia rerum quotuplex, 28.1
Existentia agétis essentialiter requisita ad actionem, 266.2
Existentiæ Dei necessitas & impossibilitas cadendi à veritate, num distinguantur ab ipso Deo, 153.1
Exosus an possit sola Dei voluntate ordinari ad vitam æternam pro tali tempore, 239.2
Explicatio noua Caietani de duplici actione instrumenti, 272.1
Extensio quæuis in quo fundetur, 47.2
Extensio maior penes quid attendatur, 71.1

F

FAcere quod in se est, quot modis possit intelligi, 55.1
Facere in hoc quot modis contingat, 5.2
Facultatis operatio quot modis possit desinere, 464.2
Falsitas quotuplex concurrat ad completam mendacij rationem, 86.1
Falsitatem & fidem simul esse implicat, 138.1
Fides quot modis feratur in suum obiectum, 76.1. quotuplicem habeat magnitudinem, Ibid. 2
Fides quomodo profecerit, 77.1
Fides mediatoris quot modis possit haberi, 77.1
Fides vna secundum intellectum quot modis sit alia maior, 76.2
Fides quot modis corrumpatur, 2.1
Fides informis quotuplex, 75.2
Fides quot modis consideretur, 74.2
Fidei actus omnes an sint eiusdem speciei, 400.1
Fidei actus quotuplex annexus sit fidei, 74.2
Fidei habitus quot modis consideretur, 81.2
Fidei habitus an prius possit infundi habitu charitatis & gratiæ, 262.2
Fidei doctrina quænam habeat antecedentia & quæ consequentia, 76.2
Fidei certitudo quot modis consideretur, 77.1
Fidem & falsitatem implicat simul esse, 138.1
Fieri ex tempore, in tempore, & cum tempore in quo differant, 40.1
Filiæ Loth an peccarint, 539.1
Filius Dei quomodo dicatur imago, 25.1
Filius Dei quali sapientia sit sapiens, 25.1
Filius non potuit generare distinguitur, 6.2
Filius quot modis inhabitare dicatur, 13.1
Filius secundum diuinitatem, quotuplicem habeat essendi modum, 89.2
non Filius quot modis dicatur, 68.2
Filium constituere adoptiuum qualis sit effectus, 259.2
Filium non esse in primo, & esse in secundo originis signo, an sint contradictoria, 163.1
Filij Spiritus sancti missio quantum ad modum, qui duplex est, 12.1
Figura quot modis ita dicatur, 97.2
Finis quotuplex, 89.2
quotuplex sit in motu, 97.2
Finis à Deo intentus in permissione peccati, an à creatura possit effugi, 518.1
Finis, seu id, propter quod res est, quotuplex, 40.1
quot modis dicatur bonus, 2.2
Finis quot modis ita dicatur, 2.1. 59.2
Finis, ad quem res ordinatur, quotuplex, 49.1
Finis creaturæ omnis quis debeat esse, 291.
Finis in miraculis sanctorum, Ibid. quis sit immediatus & mediatus in vsu Sacramentorum, 292.2
in Finem quot modis tendere passionis, 77.2
Fines plures statuere, quot modis contingat, 59.2
Firmamentum quot modis accipiatur in scripturis, 48.1
Fluxus & refluxus maris à quo pendeant, 255.2
Forma quotuplex, 16.2. 65.2
quot modis sic dicatur, 88.1
Forma quot modis accipiatur, 26.2. quotuplex, 27.2
Forma materialis an possit diuinitus conseruari sine materia, 318.1
Forma specifica quot modis possit intelligi, 64.2
Forma an possit conuerti in formam, 329.2
Forma quæuis vnita actiua, an agat aliquid cum eo cui vnita est, etiamsi non informet, 459.2
Forma vt educat dicatur de potentia materiæ, quæ requirantur, 187.2
Formæ genus quotuplex, 8.2

Digitized by

Formæ actus quotuplex, 54.1
Formæ duæ vltimo constitutæ non possunt esse eiusdem individui, 161.2
Formam educi de potentia materiæ, & formam esse in potentia materiæ quid sit, 308.2
Formale actionis malæ, 445.1
Forum quotuplex, 91.1
Frustra quid dicatur esse, 125.1
Quidnam ita dicatur, 254.1
Fundamentum quot modis dicatur, 94.1
Futuritio quot importet, 30.1
Futurum quot modis ita dicatur, 77.1
quotuplicis sit generis, 30.1. quo modo præciatur à Deo, Ibid.2
Futura omnia quomodo præsentia Deo sint ab æterno, 229.2
Futurorum quotuplex sit genus, 44.1

G

GAudium Angeli crescere, quot modis possit intelligi, 47.1
quot modis dici possit maius, 98.1
quot modis augeatur, 96.2
Generatio quotuplex, 16.1
Generatio vnius formæ, & corruptio alterius an sint contradictoria, 163.2
Generare posse & posse creare quid dicant, 6.2
Generare & esse Patrem an sit diuersa notio, 21.2
Generari posse & posse creari quomodo consideretur, 6.2
Generandi actus ad potentiam comparatur, 5.2
Generandi potẽtia ad personam comparatur, 6.1
non Genitus quot modis accipiatur, 22.2
Genus quot modis accipiatur, 50.1
Genus ad terminum essentialem comparatur, 5.1
Genus nominum significantium essentiam diuinam quotuplex, 5.1
Germinationis forma, quæ deinceps secuta est, quandonam inceperit, 250.1
Gloria quomodo perficiat naturam, 345.1
Gloria sanctorum ex parte corporis, 98.1
Gradus individui quotuplex sit entitas, 470.2
Gradus eorum quæ sunt supra naturam quot sint, 167.2
Gratia quotuplex, 58.1
Gratia capitis quale dicat principium, 70.1
Gratia baptismalis quotuplicem habeat comparationem, 89.1. quotuplices habeat actum, Ibid.
Gratia vnionis quot modis accipiatur, 64.2. quotuplex, 65.2
Gratia quomodo producatur à Sacramentis, 274.1
Gratia quot modis dicatur, 42.1
Gratia & peccatum an possint esse simul pro aliquo instanti temporis, 165.2
qualis sit ordinis, 185.2
cursu perfectio animæ, 352.1
an creatur, 306.1. illius causa subiectiua, Ibid. 2. à quo pendeat in fieri & conseruari, 307.1. an contineatur in potentia creaturæ, 309.1
dici possit educi de potentia obedientiali, 309.1. eam fieri & conseruari independenter à subiecto an repugnet, 311.1
Gratia gratum faciens quomodo vniat & confirmes, 45.2
Gratia vnionis quotuplex, 70.1
Gratia iustificans quomodo sit prior aliis qualitatibus supernaturalibus, 262.1
Gratiæ augmentum quotuplici modo consideretur, 12.2
Gratiæ diuisiones quotuplices, 54.1
Gratiæ instrumenta quæ, 184.2
Gratiam dari ab aliquo quot modis contingat, 11.2
Gratiam & peccatum simul stare posse de potentia absoluta quis senserit, 136.1
Gratiam dare secundum maiorem capacitatem naturalium, quot modis possit intelligi, 45.2
Gratificatio sub quid cadat, 32.2

H

HAbere quot modis accipiatur, 48.1
Habere aliquid quot modis contingat, 7.2. 54.1
Habitudinis conuenientia quotuplex, 49.2
Habitus quotuplex, 4.2.89.1
vnde oriatur, 54.2
quot modis distinguatur ab Augustino, 66.1
positiuè inclinans ad malum an sit à Deo producibilis, 541.2
habitus donorum quot modis considerentur, 85.1
Habitus fidei quot modis consideretur, 81.2
Habitus spei & charitatis quomodo comparati possint, 78.1
Habitus cuiuslibet virtutis quot modis consideretur, 85.2
Habitus virtutis quot modis notificetur, 75.1
Habitus infusi virtutum propter quid sint essentialiter, 225.2
cur postulent aliquando concursum supernaturalem, 367.1
Habitus cognitiui obiectum quot modis habeat determinari, 76.1
de Habitibus gratuitis quot modis loquamur, 85.2.
S. Hieronymi sententia de concursu Dei immediato, 434.2
Homo quomodo prædicetur de Christo. 66.2
vt vere sit gratus quot requirantur, 94.1
quonam appetitu possit quiescere in bonis naturæ, 351.1
Homo virtuosus quot modis consideretur, 37.2
quotuplici intentione se possit exercere in exhibitione beneficij, & executione actus, 81.1
quot modis prædicetur, 67.2
per quid factus sit Deus, 348.2
Hominis ratio secundum se distinguitur à ratione individuorum, 140.2
in Homine iusto quot considerentur, 35.2
Homines per quid compellantur ad volendum beatitudinem, 347.1
Homines quot modis possint operari miracula, 274.2
Honor quot modis exhibeatur alicui, 68.1
Honor latriæ quot modis possit exhiberi aduersario Christi, 68.1
Humanitas quot modis accipiatur, 66.1
Humanitas Christi qualem habuerit potentiam ad vnionem hypostaticam, 116.2
Humanitas Christi. An reddatur formaliter videns per diuinam scientiam, 415.1
Humor & calor, quot modis accipiatur, 47.2

Digitized by Google

Index.

I

Idea quid sit, 27.1. quotuplex sit respectu connotatorum, Ibid.2
Idolum quot modis consideretur, 85.2
Ignis quotuplex, 99
Ignis inferni per quid torqueat Dæmones vt instrumentum diuinæ iustitiæ, 276.1
Ignorantia quotuplex, 51.2
Imaginatio quibusnam intelligibilibus non contradicat, 28.2
Imago quotuplex, 4.1
Imago Dei & sanctificationis capacitas an sint idem, 364.1
Imago à quo sit dicatur, 49.1
Imago quot modis accipiatur, 24. 2. quid dicat in diuinis, Ibid.
Immediatum quot modis sit aliquid, 425. 2
Immensum quotuplex, 69.2
Immutabilitas quotuplex, 8.1
Imperium diuinum an deferatur per ipsam executionem creaturæ, 282. 2
Impiorum iustificatio difficilior mundi creatione, 257.2
Impœnitentia quotuplex, 63.1
Impossibile secundum se quodnam sit, 133.1
Impossibile secundum illustrationem veritatis æternæ, 133.1
vnde sic dicatur, 151.2
quot modis dicatur, 131.2
Impossibilia quænam sint, 161.2
In præpositio quid dicat, 27.2
quot modis possit accipi cum suo casu, 38.1
Incarnationis opus cur à Patribus vocetur miraculum, 168.2
quo sensu manifestet diuinam potentiam, & quo sapientiam, 65.2
Incarnationis personarum patris & Spiritus sancti possibilitas colligitur, 134.2
Incipere à tempore, in tempore, & cum tempore in quo differant, 23.2
Indifferentia quot modis accipiatur, 315.2
Indigentia quotuplex, 98.1
Indiuiduum in notificatione personæ quotuplicem importet distinctionem, 66.1
Indiuisibile si daretur terminatiuum, an assummi posset vt instrumentum ad gratiam producendam, 286.2
Inæqualitas quid dicat, 59.2
Infernus qualis sit locus, 96.2
Infinitas quotuplex, 16.2
Infinitas per defectum in quo sit, & in quo per excessum, 189.1
Infinitum quotuplex, 3.2. 34.1. quodnam sit impossibile, Ibid.2
Infinitum quotupliciter dicatur, 3.1
Infinitum per priuationem perfectionis, & per priuationem limitationis, 189.1
Inflammatio quotuplici modo fiat, 46.1
Ingenitum quot modis dicatur, 11.1.12.2
Ingratitudo quot modis ita dici possit, 42.1
Ingressus cælorum obstaculum quodnam sit, & quotuplex, 93.1
Inhabitatio quotuplex, 13.1
Inhærentia accidentis in subiecto an differat à receptione, 312.1
Initium quotuplici modò accipiatur, 23.1
Innocentia quot modis accipiatur, 50.2
Innouatio quotuplex, 27.2
Innouatio quotuplex, 97.2
Instinctus ad bonum in generali & in speciali quotuplex, 98.1
Institutio rerum secundum quid fuerit miraculosa, 168.2
Institutio prima rerum qualis fuerit, 249.2
Instrumentum quotuplex, 91.2
Instrumentum morale quid sit secundum Vasq. 272.1
Instrumentum esse quod motum mouet, quo modo intelligendum, 242.1
Instrumentum mouet motum, id est, eleuatum per applicationem, 216.2
Instrumentum animatum & inanimatum in quo differant, 384.1
Instrumentum cuinam seruire debeat, 242.1. cuinam subordinari debeat, Ibid.2
Instrumentum cooperans causæ principali an vere agat, 178.1
Instrumentum physicum quomodo concurrat cum causa principali, 127.1
Instrumenta diuina per quid applicentur, 267.2
Instrumenta diuina non complere Dei virtutem, sed complentur ipsa dum assumuntur, 214.2
Instrumenta an omnia disponant subiectum ad effectum principaliter intentum, 278.2
an sint causæ positiuæ, 174.1
Instrumenta artis & diuina in quo differant, 266.1
per qualem operentur virtutem, 204.1
in Instrumentis diuinis an requiratur præmiis concursus ad effectum principalem, 271. & seq.
in Instrumentis artis quænam sit impressio, 269.1
Integritas rei quot modis accipiatur, 95.1
Intellectio qualis sit actio, 401. 2. 414. 2. an fieri possit sine concursu potentiæ intellectiuæ per potentiam Dei absolutam. 402. quomodo distinguatur à termino. 403. 2. quandonam ab intellectu pendeat, 404. 2. an à solo Deo procedat, 405. 2. an essentialiter pendeat ab intellectu. 406. 2. quid sit essentialiter, 411.1. an possit ad Deum comparari, vt ad principium efficiens, Ibid.
Intellectus quotuplex, 3.1.16.1
per se immediatè influit in actum supernaturales visionis, amoris beatificet, 175.1
an referatur ad intelligibile, 341.2
Intellectus & voluntas cur possint eleuari ad actus supernaturales, 130.2
quot modis dicatur ad Deum ascendere, 96.2
Intellectus & voluntas quo modo influant in actus supernaturales, 393.1
eius eleuatio per lumen gloriæ quid denotet, 212.1
quot modis possit concurrere ad actum vitalem supernaturalem, 187.1
Intellectus, agens vnde suas abstrahat species, 410.2
Intellectus & voluntas actiua concurrant oportet vt dicatur intelligere, 405.2
quotupliciter considerari possit, 2.1.2
quomodo purgetur, 3.1
an sit de se potens attingere actus supernaturales, 114.2
eius certitudo quotuplex, 78.2
in visione beata quomodo agat, 127.1
Intelligere Dei quid sit, 413.1

d by Google

Intelligere & velle à quo dicant influxum, 407.1
Intelligere quot modis dicatur, 75.2
quotuplici modo vſurpetur, 16. 2. & duatur, 18.1
Intenſio maior, & claritas viſionis à quo ſint, 399.2
Intentio quot reſpiciat, 61.1
Intentionis quantitas quot modis poſſit intelligi, 60.1
Intentionis priuatio quot modis intelligi poſſit, 59.1
Intrare ſine poteſtate clauium quot modis dicatur, 92.1
Inuidia fraternæ gratiæ quotuplex, 62. 2
Iræ motus quotuplicis ſint differentiæ, 71.1
Iudicis forma & poteſtas in extremo iudicio, 47.2
Iudicare de aliquo quot modis contingat, 3.2
Iudicium quotuplex, 52. 2. iudicium rationis quotuplex, 53.1
quotuplex ſit in quolibet ratiocinante, 44.1
Iudicium extremum quantum ad modum ſecundum quem dabitur, 97.1
Iudicium habere ad repellendum vel admittendum quotuplex, 93.1
vt ſit firmum quid requiratur, 97.1
Iunctura quotuplex, 45.1
Iuramentum aſſertorium quot modis fiat 86. 2. quot conſiderentur in eo, quo ſit per idolum, 87.1
Iuramentum doloſum ſecundum quod forum obliget, 87.1. quot modis ſit incantum, Ibid.
Iuratio quotuplex, 86. 2
Iuſſionem Dei ad omnia peruenire vſque ad vermiculos, 280.2
Iuſtificatio quot modis dicatur, 53.2
Iuſtificatio impiorum difficilior creatione mundi, 257.2
Iuſtificationis actus quotuplex, 42.2
Iuſtitia quot modis dicatur, 33.1
Iuſtitia originalis quot modis ſumatur, 52.2
Iuſtitia quot modis accipiatur, 56.2.82.2
Iuſtitiæ modus quotuplex, 86.1
Iuſtum quot modis dicatur, 36.1

L

Labor quotuplex, 97.2
Lapidus poſſibilitas à quo dependeat, 193.1
Latriæ honor quotuplici modo poſſit referri aduerſario Chriſti, 68.1
Laus quotuplex, 40.1.51.2
quot modis ſit ſpecioſa, 92. 2
Lex quot modis accipiatur, 57.2
Lex naturalis quot modis accipiatur, 80. 1
Lex vetus & lex noua ſecundum quid comparentur, 87.1.2
Sub lege eſſe quot modis dicatur, 63.2
in Libro vitæ aliquem ſcribi quot modis id poſſit dici, 81.1
Libri quotuplex ſit proprietas, 95.2
Libertas an à Dei concurſu lædatur, 446.2
Libertas arbitrij ſecundum quid conſideretur, 53. 1. & primitiuè & poſitiuè dicitur, Ibid. 2. quotuplex, Ibid.
quot modis poſſit conſiderari, 41.1
Liberum arbitrium ſecundum quid conſideretur, 53. 2. an poſſit à Deo cogi, Ibid.
quot modis loquamur. 53.1
Liberum arbitrium. Vide, arbitrium,
de Libero arbitrio quot modis loquamur, 53.1
Libido quotuplex, 56.1
Lignum, fœnum, ſtipula quot modis dicantur, ſuperædificari, 93.2
Locus quotuplici modo dicatur vacuus, 47. 2
Locus retributionis quot modis debeatur, 32.1
Locus quotuplicem habeat comparationem ad locatum, 40. 2
Loqui quot modis accipiatur, 22.1 46.2
Lumen quot modis augeri poſſit in aëre, 14. 1
Lumen corporeum an poſſit eſſe diuerſarum ſpecierum, 401.1
Luminis influentia quotuplex, 40.2
de Luminibus cœleſtibus quot modis loquamur, 48.1
Lux quot modis accipiatur, 47.1

M

Magnus minus quot modis conſiderentur, 7. 1
Magnitudo diffuſionis quod modis poſſit intelligi, 64.2
Malitia quot modis ſequi poſſit inſeparabiliter aliquem, actum, 530.1
quot modis poſſit comparari ad actionem, 61.1
in quo differat ab operatione, 447.1
Malum pœnæ quot modis poſſit ordinari, 58. 2
quot modis poſſit intelligi contrariari bono, 57. 2
quot modis poſſit accipi, 57.1
Malum an quis aſpiciens operetur, 354.1
quot modis dicatur maius, 29.
quot modis permittatur, 37. 1. an poſſit à Deo præcipi, Ibid.
Mali quot modis conſiderentur, 79.2
Malorum memoria quotuplex eſſe poſſit, 96.1
Mandata quot modis conſiderentur, 87.2
Mandata Deo quot modis contingat impleri, 54. 2
Mandatorum ſcriptura in tabulis quot modis diſtinguatur, 86.1
Mandatorum Decalogi quot modis conſideratur obligatio, 86.1
Mundi mutatio quotuplex eſſe poſſit, 253.1
Mare ſuperius terris quis doceat, 247.1
Maria virgo, vide, Virgo,
Matris honor quo ſenſu referatur ad filium, 68.1
Materia quotuplex ſit, 1.1
Materia à B. Maria Virgine adminiſtrata qualis fuerit, 111.1
Materia quot modis conſideretur, 47. 1 quomodo prior formâ. Ibid. quot modis intelligi poſſit eſſe in eo vnitatem, Ibid.
an ſit alia res à forma, 552.1
Materia & forma an ſint diuerſa entitas, 256.1
an poſſit conuerti in materiam, 329.2
Materiale actionis malæ, 445.1

Matrimonium quotuplicem habeat significationem, 64.1
Medicina quotuplex, 92.1
Meditatio quotuplex, 10.2
Medium quotuplex, 22.1.40.1.83.1
Medium colligantiæ & medium congruentiæ, 64.2
quot modis inspiciatur, 52.2
Medium inter duas naturas quot modis possit dici, 73.2
Medij inspectio quot modis fiat, 82.2
Melius quotuplex, 34.2
Memoria quotuplici modo accipiatur, 4.1
Memoria malorum quotuplex esse posse, 96.1
Mendatum quotuplex, 89.2
in quod differat ab errore, 545.1
an aliquo bono fine possit honestari, 334.2
ad Mendacij completam rationem quotuplex concurrat falsitas, 86.1
Merces quotuplex, 78.2
Merces æterna quot modis respici possit, 2.2
Mereri quot modis dicatur, 73.1
Meritum quotuplex, 32.2.52.1
Meritum de condigno quotuplici modo contingat, 73.1
Meritum ex congruo quid sit, 54.1. & quid ex condigno, Ibid.
Meritum adoptionis vitæ æternæ, & meritum dimissionis pœnæ, in quo vtrumque consistat, 73.2
Meriti efficacia ex quonam proueniat, 55.2
ad Meriti perfectionem quot concurrant, 55.1
Merula quid censeat de maribus, 247.2
Meum & nostrum quot modis attribuatur alicui, 15.2
Mirabilia facere quot modis contingat, 81.1
Miraculi ratio quid sit in rigore, 168.1
Miracula esse vel supra, vel præter, vel contra naturam, 124.1
quot modis possint fieri ab Angelus & sanctus hominibus, 274.2
quem habeant finem, 292.1
Miraculorum gradus varij, 124.1
Miseris quot modis possit subueniri, 82.2
Misericordia quotuplex, 97.1
in Missa quot considerentur, 20.2
Missio quotuplex, 46.1
Missio ad quot dicat respectum, & quot in missione personæ considerentur, 11.2
quot modis comparetur termino, Ibid. quot inuoluat, 12.1
Mistio quotuplex, 90.1
Mitigatio pœnæ damnatorum quot modis possit intelligi, 97.1
Mittere quid dicat, 46.1
Mitti vel dari quotuplex, 12.2
Mitti ad suum officium quotuplex, 46.1
Modus dicendi quotuplex, 11.1
Modus existendi in se, qui dicitur insertas, an sit distinctus à persertate, 314.1
Modi dicendi in diuinis quot sint, 21.1
Modis causandi moraliter an conueniat causis intellectiuis, 289.1
Modis ex quonam dicatur separatio, 71.2
Mortem subire intentione placendi Deo quot modis contingat, 82
Mortale quot modis accipiatur, 95.1
Mortuos suscitare Dei soluis esse proprium, 257.2
Motio aliqua prævia, per quam eleuetur creatura ad actualem operationem supernaturalem vt instrumentum Dei, an necessaria sit, 268. & seq.
Motus in charitate quotuplex, 78.2
Motus quiuis quot modis fiat, 336
Motus manus ad furendum quo modo sit à Deo, 246.1
Motus iræ quotuplicis sint differentiæ, 71.1
Mundus grauis est causis nascentium, 179.1
quot modis accipiatur, in scriptura, 39.1
alij potuerit esse antiquior, 35.2
Mutabile & immutabile per quid opponantur, 43.2
Mutatio quotuplex, 8.1
Mutatio alicuius quotuplex, 43.2
Mutatio moralis an fieri possit, sine Physica mutatione rei, 235. quid sit ista mutatio moralis, 238
Mutatio naturalis quotuplex, 98.2
Mutatio obiectiua an detur in creatura ex vi diuini decreti. 231.1. quid sit ista mutatio, 232.1
quare sic vocetur, 232.2
Mutatio panis in Corpus Christi existentis in cælo, 325.2
Per quid fiat in obiecto, 231.2
an aliqua fiat in creatura per decretum eam eleuandi. 226.1
in quo differat à conuersione, 323.2
an fieri possit ex corpore in Spiritum, 328.2

N

Natura qualis sit, 39.2
quale sit agens, 537.2
de quo dicatur, 168.1
quot modis accipiatur, 56.2
quot modis dicatur, 58.2
Natura Angelica quo modo sit propè Deum, 35.1
Natura cælestis quot modis sumatur, 50.1
Natura humana quot modis possit accipi, 67.2.
an sit homo, Ibid.
ex eo quod sit imago Dei, qualem habeat habitudinem ad dona per quæ ipsi vnitur, 364.1
quot modis dicatur, 50.2
Natura tota quot modis accipi possit, 357.2
Natura irrationalis & insensibilis, an assumi possit ad subsistentiam diuinam, 313.2
Naturæ humanæ omne conueniens an sit naturale, 200.2
Naturæ carnitas quotuplex, 80.1
Naturæ esse & esse naturale in quo differant, 349.1
Naturæ nomen à quo tribuatur aliquando soli substantiæ, 523.2
Naturæ ordo quotuplex, 34.1
Naturæ decor quotuplex, 94.2
Naturæ viribus an possint aliqua bona fieri, 438.2
Naturæ plenitudo quotuplex, 63.1
Esse contra Naturam quot modis dicatur, 73.1
Naturale quot modis ita dicatur, 33.2.43.2
Naturale & supernaturale an opponantur contradictorie, 200.2
Naturalia à quo operentur in cælo & in terra 434.1

Digitized by Google

Index.

Neceſſarium quotuplex, 69.1.91.2
Neceſſarium præſens quot modis poſſit dici, 75.1
Neceſſitas quotuplex ſit, 5.2.6.1.30.2
in quo ſit, 71.2
Neceſſitas omnis quid ſit, 152.2
Neceſſitas repugnans voluntati, & quæ ſubeſt voluntati, 69.2
Neceſſitas conſequens in propoſito, 513.1
Neceſſitas ſuperadditi in actu ſecundo quot modis poſſit, intelligi, 263
Neceſſitas exiſtentiæ Dei, & impoſſibilitas cadenti à veritate, an diſtinguantur ab ipſo Deo, 153.1
Neceſſitatis ratio diuini concurſus ex D. Bonauentura, 465.1.466
Negatio quæuis quodnam habeat poſituum, 297.2
cuinam ſigno & præponatur & poſponatur, & quid variet, 86.2
Negation inuoluitur conſequenter in conceptu potentiæ obedientialis, 178.2
Negationis an detur cauſa per ſe poſitiua, 148.2
Negotiari circa temporalia, & æterna quotuplex eſſe poſſit, 84.1
Nihil ne fiat niſi Deo volente aut permittente, 427.1
Nolle quotuplici modo dicatur, 36.1
Nomen Dei quomodo conſideretur, 3.1
Nomen ſubſtantiæ & ſubſiſtentiæ quotupliciter, accipiatur diuinis, 19.1
Nomen ſignificauit ſubſtantiam in diuinis quotuplex, 8.2
Nouum quot modis dicatur, 48.2. 88.2
Nomen numerale quid ſignificet cum loquimur de diuinis, 19.2
Nomen diuinum quid ſit, 19.1
quotuplici modo accipiatur, 18.2. quid ſignificare poſſit, 19.1
Nomina diuina quid dicant, 23.2
Nomina ſubſtantia diuina in ſpeciali, 19.1
Nomina in diuinis quotuplicis ſint generis, 6.2
Nominum genus ſignificantium eſſentiam diuinam quotuplex, 5.1
Notio quotuplici modo ſignificetur, 17.1
quot modis poſſit ſignificari, 23.2. quot modis comparetur notioni, 26.1
Numerus qui ponitur in diuinis, 19.2

O

Obduratio ſub quid cadat, 32.2
Obedientia quot modis accipiatur, 57.2
Obedientiæ poſſibilitas qualis dicatur potentia, 104.1
Obedire quibuſnam ſit commune, 116.2
Obiectiones contra diſtinctionem actionis à termino ſoluuntur, 569.1
Obiectum idem materiale an poſſit eſſe actuum ſpecie differentium, 543.1. quomodo concurrat ad conſtituendum actum in genere moris, Ibid.
Obligatio ad confeſſionem quotuplex, 92.2
Obligatio mandatorum decalogi quot modis conſideretur, 86.1
Obligatio ad pœnam quotuplex, 61.2
Obliquitas quotuplex ſit circa aliquam potentiam, 85.1
Obſtaculum ingreſſus cælorum quodnam ſit, & quotuplex, 93.1
Obſtinatio quotuplex, 62.2
Occaſio quot modis contingat, 36.1
Occultari quot modis poſſit aliquid, 98.2
Odium quot modis dicatur, 90.2
Odium æternum quod dicat, 31.2
Odij actus cur non à Deo ſolo produci poſſit, 544.2
Omnipotentia quomodo per decretum diuinum applicetur ad concurrendum cum voluntate creata, 478.
per quem actum applicetur creaturæ, 180.1
Omnis quotuplex, 88.1
Operatio materialis quot modis poſſit conſiderari, 544.1
Operatio quæuis immanens an ſit vitalis, 262.2
Operatio & malitia in quo differant, 447.1
Operationes ſupernaturales ad quot capita poſſint reduci, 290.2
Operationes formaliter malæ circa quod verſentur obiectum, 543.1
Operari alicubi quotuplex, 41.1
Opinio damnata tribuens terræ motum, 245.2
Opinio exiſtimantium non negatum appellagio concurſum generalem Dei, 436.1
Opinio probabilis quot modis accipiatur, 76.1
Oppoſitio contradictoria an ſit ſola radix incompoſſibilitatis, 161.2
Optimum quot modis ſumatur, 51.2
Opus incarnationis quot modis conſideretur, 65.2
Opus quoduis qualem habeat virtutem, 89.1
quot modis poſſit dici bonum, 55.1
Opus meritorium ad quid comparetur, 54.2
Opus virtuoſum, ſeu ſtudioſum quotuplex, 83.1
quo ſenſu totum Deo tribuatur, 388.2
Opus operans & opus operatum, 34.2
quot modis dicatur excellens, 60.2
Opera quæ viis quomodo fiant à Deo ſecundum aduerſarios, 428.2
Opera quot modis dicantur formata, 85.2
Opera quæ exeunt ex diuina voluntate cum alio ad hoc ordinato neceſſitatis ordine, 32.2
Orare pro aliquo quot modis contingat, 72.1
Oratio quomodo ſit aſcenſus intellectus in Deum, 72.1
Oratio in Chriſto à quo fuerit procedens, 72.2
Oratio Chriſti in horto quot modis conſideretur, 72.2
Ordinatum quot modis dicatur, 36.1
Ordinare aliquid in ſummum bonum quot modis contingat, 2.2
Ordinatio diuerſa Dei quid ferat ſecum in obiecto extrinſeco, 411.1
Ordo quotuplex, 74.1. & quotuplici modo dicatur eſſe in creaturis, 17.1. ſecundum naturalem originem in creaturis quot dicat, Ibid. 2
Ordo ad beatitudinem quotuplex, 79.1. & quotuplex ad laudem Dei, Ibid.
Origo quot modis conſideretur, 21.1
Ordo rerum quotuplex, 90.1

Digitized by Google

Index.

Ordo creaturæ ad finem quotuplex, 96.1
Ordo in creatura rationali quotuplex, 42.2
Ordo ſecundum nobilitatem, & ordo ſecundum durationem, 31.2. quotuplex, Ibid.
Ordo partium in toto, in quo differat ab ordine partium in fine, 35.1
Ordo quotuplici modo attendatur, 40.1
Ordo tranſcendentalis an exigat concurſum ad actus ſupernaturales, 367.1
Ordo naturæ quotuplex, 21.2. 34.1
Ordo quot modis ita dicatur, 94.2
Ordo neceſſitatis, & ordo congruitatis quinam ſint, 94.2
de Ordine quot modis loquamur, 94.2
Origenes quid cenſeat de concurſu Dei immediato, 444.2
Originale quot modis conſideretur, 55.2
Originis conuenientia quotuplex, 9.2

P

PAnis mutatio in corpus Chriſti exiſtentis in cælo, 325.2
cur à Patribus dicatur miraculum, 168.2
Parentum peccatum quot modis poſſit intelligi in prolem tranſire, 56.2
Pars quot modis ita dicatur, 67.1
an mutari poſſit in totum, 327.1
Paruitas creaturæ an obſtet potentiæ obedientiali, 124.1
Paſſio quotuplex, 58.2
in paſſione quot conſiderentur, 73.1
Pater eſt generatio, & Pater generat quomodo intelligendum, 26.2
Pater nouit omnia filio, & nouit in filio in quo differant, 25.2
Pater & filius in diuinis quot modis diſtinguantur, 24.2
Pater in diuinis quali ſapientia ſit ſapiens, 25.1
SS. Patres quid cenſeant de concurſu Dei immediato, 431. & ſeq. Idem concurſus cum creaturis eorumdem authoritate probatur, 433.2
loquentes contra pelagium in materia gratiæ, quam gratiam intelligant, 435.2
Patrum authoritas de potentia obedientiali, 108.2
Pati pro ſe quot modis poſſit aliquis, 73.2
S. Paulus quid cenſeat de immediato Dei concurſu, 430.1. illius.
conuerſio cur ſoli tribuatur gratiæ, 389.1
Peccator apud Deum cur poſſit mereri de congruo, 91.2
Peccatum originale quot modis ita dicatur, 56.2
Peccatum vnum veniale quot modis poſſit deleri ſine alio, 94.1
Peccatum quomodo ſit à Deo, 527.1
Peccatum vnum quot modis dicatur maius alio 51. 1. 56. 2. 62.1. quot modis conſideretur, Ibid.
quot modis parentum peccatum tranſeat in prolem, 56.2
quot modis dicatur ad mortem, 62. 1. Illius grauitas ſecundum quam libidinis attendatur quantitatem, Ibid. 2. quodnam magis intenſiue pruet, & quodnam magis extenſiuè, Ibid.
illud tolli poſſe per extrinſecam condonationem, quinam exiſtiment, 235.1
Peccatum & nihil quomodo differant, 531.1
Peccatum & gratiam poſſe ſimul ſtare de potentia abſoluta quis ſenſerit, 136.1
quot modis attendatur, & in quo initiatum ſit peccatum diaboli, 42.1
quot modis accipi poſſit, 57.1.75.2
Peccatum operis exterioris & voluntatis interioris quot modis comparari poſſunt, 61.2
Peccatum & gratia an poſſint eſſe ſimul pro aliquo inſtanti temporis, 163.2
quot dicat, 61.2
Peccatum vt eſt culpa & demeritum quid præciſè reſpiciat, Ibid.
quot modis poſſit intelligi, eſſe ex amore inflammante, vel timore malè humiliante, 81.2
Peccatum ex ignorantia quotuplex, 51.1
Peccati materiale quomodo Deo non tribuendum, 536.2
Peccati genus quotuplex, 52.2
Peccati actio an poſſit eſſe à Deo, 455.2
Peccati permiſſio non excludit cooperationem materialis eius, 527.2
Peccati venialis genus quotuplex, 92.1
de Peccato quot modis loquamur, 57.2
in Peccato quot ſint, 91.1.92.1
de Peccato veniali quot modis loquamur, 94.1
Peccata dimittendi modus quotuplex, 93.1
Peccata quotuplici modo conſiderentur, 85.1
Peccatorum cauſæ quot modis excindantur, 91.2
Peccandi potentia quotuplex, 69.2
Peccandi poteſtas quot modis conſideretur, 63.1
Pelagius concedens gratiam liberi arbitrij ſub ea voce quid celet, 435.1. an negant concurſum immediatum Dei cum cauſis ſecundis, 436
quid intelligebat per gratiam quam admittebat, 440.1. Illius axioma de libero arbitrio, 441.2. illius calliditas, 438.1
Percuſſio alicuius ab aliquo quot modis fieri poſſit, 48.1
Perfectibile an omne dicat neceſſariam connectionem cum perfectiuo, 296.1
Perfectio quotuplex, 16.1.85.2
quot modis attendatur, 40.1
Perfectum quot modis aliquid eſſe poſſit, 80.1
Perfectus quot modis dicatur, 91.1
Permiſſio quotupliciter accipiatur in ſcriptura, 37.1
Perſeuerantia quotuplex, & quo modo ſit virtus, 55.1
quot modis dicatur, 85.1
Perſona quotupliciter ſpecificari poſſit, 19.1. quid hoc nomen ſignificet, 20.1
Perſona, vel res naturæ quomodo dicantur addere aliquid ſupra naturam, 26.2
Perſonarum diuinarum æqualitas quantum ad poteſtatem, 17.1
Perſonalitatem circumſcribere per intellectum in diuinis quot modis contingat, 66.1
Phantaſia quot modis ſumatur, 44.1
Phantaſma num poſſit concurrere ad productionem ſpeciei intelligibilis, 220.1
Phlegmatis exemplum in humano corpore, 244.1
Pietas quot modis dicatur, 68.1
Pietas ordinans ad Deum, quomodo vocetur, &

& quid sit ea, quæ ordinat ad parentes. 84.2
Plenitudo quotuplex, 63.1.70.1
secundum quid sit, 69.2
Pluralitas quotuplex, 3.1.8.2
Pluralitas in creaturis quot dicat, 16.2
Pœna quotuplex, 32.2.57.2.71.1. quot dicat, 58.1. quot modis de illa loquamur, Ibid.
quot dicat, 61.2
quot modis dicatur voluntaria, 93.2. quot modis consideretur, Ibid.
Pœnæ reatus an possit remitti sine infusione gratiæ, 236.2
Pœnæ malum quot modis ordinari possit, 58.2
Pœnam omnem esse laudabilem quot modis intelligi possit, 58.1
Pœnitentia qualem habeat potentiam, 113.1
qualis sit virtus, 382.2
Perfecta quot modis consideretur, 91.1. quot modis sumatur, Ibid.2
Pœnitentiæ vt est virtus quid competat, & quid vt est Sacramentum, 94.1
Pœnitentiæ actus quotuplex, 91.1. eius veritas quot modis accipiatur, Ibid.
de Pœnitentia quot modis loquamur, 94.1
Ponere aliud quotupliciter fiet, 30.1
Porta ingrediendi cælum quotuplex, 81.2
Posse aliud, siue in aliud à se quot modis dicatur, 33.2
Posse per alium quotuplex, 17.1
Posse aliquid facere quot modis contingat, 54.2
Possibile quid simpliciter possit dicere, 34.1
Possibile esse, & non implicare contradictionem an differant, 129.1
Possibile per quam potentiam poni possit actu possibile, per quam vero minimè, 34.2
Possibile supponitur diuinæ omnipotentiæ, 151.1. vnde sic dicatur, Ibid.2
quot modis dicatur, 33.2.131.2. quodnam ita dici debeat, Ibid.
Potentia quotuplex, 33.1.70.1
num detur passiua, 116.2
Potentia passiua quid sit, 356.1
Potentia diuina quotuplici modo comparetur ad multa, 34.2. quot modis dicatur infinita, Ibid.
quomodo det esse rei, 152.1
an respiciat possibile, 341.2
Potentia vniuersalis an sit completa vel incompleta, 192.1
Potentia agens in aliud quotuplex, 33.2
Potentia sufficiens, actiua, passiua, &c. Ibid.
Potentia aliqua possit constitui in esse potentiæ per suum actum, 302.2
Potentia naturalis quot modis dicatur, 4.1
Potentia aliqua quot modis possit dici minus refrænari, 56.1
an spiritualis indita sit à creatore materiæ corporali, 48.2
Potentia vna secundum quid distinguatur ab alia, 53.1
Potentia proxima respicit effectum & est illi proportionata, 186.2
Potentia peccandi quot modis consideretur, 63.1. quotuplex, 69.2
Potentia remota per quid fiat proxima, 105.1. obedientialis in vniuersum quid sit, Ibidem, illius sufficiens diuisio, Ibid.
Potentia quomodo respiciat terminos in particulari, 193.2
Potentia visiua quomodo respiciat suum obiectum, 194.1
Potentia specialis creaturæ an sit, 176.
quot modis accipiatur, 180.2
quot modis dici possit respectu actus interioris & exterioris, 70.2
quot modis considerari possit, 6.2
Potentia gignendi in Patre quid dicat in persona, 6.2
Potentiam cuinam tribuatur personæ, cui sapientia, & cui bonitas, 26.2
Potentia materiæ in artificialibus qualis sit, 333.2. quænam non possit appellari neutra, 334.2
Potentia neutra an respiciat actus per se primo, 335.2. quot ad eam requirantur, 337.1
Potentia naturalis quot modis accipiatur, 335.2 an detur violenta obedientialis, 338.1
Potentia in re quotuplex, 34.1
Potentia in generali quotuplex, & quotuplex in speciali, Ibid.
Potentia obedientialis præsè accepta, 104.1
Semel vni creaturæ concessa, an sit aliis denegandæ, 130.2
ad quosnam effectus se principaliter extendat, 259. & seq.
quorum nam respectu solùm sit, 164.2
propter quid sit, 190. & seq.
complete sumpta, an in aliquo prædicamento per se sit, 180.1
In vniuersum an sit admittenda, 166. an detur, 107.1. actiuam esse admittendam, Ibid. ad quosnam effectus se extendat, 108.2
inadæquale sumpta an sit complexum etiam vt connotat diuinam virtutem in obliquo, 198.1
Potentia remota obedientialis quotuplex, 366.2
an cadat in diuinas relationes, 190.1
non specificatur ab obiectis, 141.2
Potentia obedientialis actiua quid sit, 175. an sit vniuersalis, 183.2
cuinam respondeat, 125.1
an constituatur formaliter agens per aliquid intrinsecum, 267.1
an sit naturalis, vel supernaturalis, 194.2. 195.1. illius complexum, quibusnam constet, Ibid.2
vt exeat in actum secundum operandi, quid requiratur, 263. & seq.
quot modis inuestigemus an sit, 130.1
per quid constituatur in esse potentiæ, 196.1. in quo sit simpliciter obedientialis, 197.2
Potentia passiua naturalis & appetitus innatus in quo differant, 359.1
Potentia pass. creaturæ an egeat complemento intrinseco in genere causæ materialis, 341.1
an sit admittenda, 293. quid ea sit, 293. qualis, 204. quid connotet, Ibid. quot modis possit considerari, 296.1. an sit aliquid positiuũ, 298.2. quale sit principium, 299.1
an extendat suam causalitatem ad alia accidentia non supernaturalia, 312.2. vtrum se extendat ad mutationem accidentalem rei creatæ per priuationem alicuius debiti naturæ suæ, 317.2

Index.

quomodo conſtituatur proxime ſuſceptiua formarum ſupernaturalium, 339.1
an reſpondeat habenti ſi premum dominium, 160.1
Potentia obedientialis paſſiua donorum ſupernaturalium an ſit naturalis in creatura rationali, 344. 1. ad quid dicat ordinem tranſcendentalem, 363. an dicat ordinem tranſcendentalem ad illa, 361.1
an ſe extendat ad neceſſitatem incorruptibilitatis, 319. 2. an ſit vniuerſalis reſpectu conuerſionis vnius rei in aliam, 323. 1. quo modo ſit vniuerſalis, 325. 2
quo modo conſideranda vt ſit definibilis, 301.2. qualem habeat connexionem cum effectu ſupernaturali, 302. 1. illius denominatio qualis ſit, Ibid.2. an ſit vniuerſalis, 304. ad quod ſe extendat, 305.1
an ſit potentia neutra, 332. & ſeq.
Potentiæ neutrius nomen an reijciendum, Ibid.
num à re diſtinguatur cuius dicitur potentia, 175.1
de Potentia viſiua quot modis loquamur, 93.1
Potentiæ per quid definiantur, 361.2
Potentiæ obedientialis communis ratio qualis ſit, 200.1
Potentiæ naturales inæquales an producant actus perfectiores cum æquali gratiæ auxilio, 391.2
an attingant immediatè actus ſupernaturales vt cauſæ partiales ipſorum, 378.2
quomodo non ſint cauſæ verè inſtrumentales, 372. in quo differant à Sacramentis, Ibid. Eleuatæ quale genus conſtituant, 374. 1. ſecundum quid ſint cauſæ principales. Ibid.
Potentiam ampliari quot modis intelligi poſſit, 43.2
Pœnitentiæ dolor quotuplex, 43.1
Potentiæ animæ quot modis impediantur, 89.1
Potentiæ diuinæ reſpectu nihil eſſe miraculoſum, 168.1
Potentiæ vitales an concurrant ad actus ſupernaturales vt cauſæ principales, an vt inſtrumentales, 370. an ſint cauſæ principales actuum ſupernaturarum, 371.1
an fluant poſitiuè in actus ſupernaturales, 174.1
per qualem potentiam operentur ſupernaturaliter, 116.2
Potentiæ determinatio ad vnum quotuplex, 73.1
Potentiæ nomen in vniuerſum quid ſignificet, 103.1. & quid in particulari, Ibid. quid preſſe ſumptæ 104.1. qualis ſit vox, 105.1
Potentiæ actus quotuplex, 34.2
Potentiam paſſiuam id ne dicitur habere proprie quod non eſt, 301.1
Potentiarum diſtinctio penes quid intelligatur de iis, quæ ſua natura ordinantur ad obiecta, 199.2
Poteſtas dominandi quotuplex, 63.2
quotuplex reperiatur in miniſtris Eccleſiæ, 94.2
Poteſtas dandi imperij ac regni eſt Dei ſolius, 434.1
Præciſio & abſtractio in quo differant, 197.1
Prædeſtinatio Chriſti & noſtra quot modis conſideretur, 69.1. qualis ſit cauſa, Ibid.
Prædeſtinatio, quot modis conueniat hominibus, angelis & Chriſto, 31. 2. quid claudat, Ibid. quot in ea ſint, Ibid.
quot importet, 32. 1. quot in ea intelligantur, 32. 2
Prædeſtinatus, quotuplicem hoc participi dicat anteceſſionem, 69.1
Prædicandi modus in diuinis quotuplex ſit, 5. 2
Prædicatio quotuplex, 16.2.67.2.82.2
Prædicatio per identitatem quotuplex, 26.1
Prædicatum entis an dicatur magis intimum, 461.1
Prædicatum quoduis eſſentiale quotuplicis ſit generis, 127.2
Prædicatum quoduis eſſentiale primi generis quale ſit, 128.1
Prædicati repugnantia à ſubiecto num diſtinguatur ab implicantia contradictionis, 132.1
Præeſſe aliis quot modis contingat, 63.1
Præfinita & non præfinita quomodo cognoſcantur, 510.1
Præmium accidentale quotuplex, 47.1
Præmium eſſentiale & ſubſtantiale, 42.2
Præoptatio ratione diſpoſitionis effectus quotuplex, 32.1
Præpoſitiones quid importent, 4.2
Præſcientia quomodo à nobis intelligatur, 30.1
Præſumptio quotuplex, 1.2.62.2
Præteritum quodnam à Deo reproduci poſſit, 144.1. an ſit verum & aliquid actu, Ibid.
Primum quot modis ducatur, 23. 2
Principium quotuplex, 9.1.83.1
Principium primum quot dicat, 17. 1
Principium quod fit ex potentia & habitu, 365.1
Principium diuerſarum operationum aliquid eſſe quot modis contingat, 256. 1
Principium naturæ & motus quodnam ſit, 449.1
Principium quot modis accipiatur, 23.1
Principium habere quot modis dicatur, Ibid.
Principium materiale ex quo res eſt quotuplex, 14. 2
Principium vnum operatiuum an fieri poſſit ex ſubſtantia ſpirituali & qualitate materiali, 221. 1
Principiis ratio quotuplex ſit in potentia vitali, 409. 1
Priuatio intentionis quot modis intelligi poſſit, 59.1
Priuatio per lapſum temporis tranſiens ad negationem, 136. 2
Prius quot modis dicatur, 10.1.40.2. 90.2
Procedere in alium quot modis dicatur, 9.2
Proceſſio quotuplex, 11.1
Proceſſio Spiritus ſancti, vide Spiritus,
Proceſſus per modum liberalitatis quot modis fiat, 9.2
Producere aliquid quot modis contingat, 3.1
Producere ſibi ſimile in natura quot modis contingat, 9.1
Producere alium ex ſeipſo quot modis contingat, Ibid.
Producibile quot modis conſideretur, 149.1
Producibilitas rei non exigit reduci ad actum

ſed res producta conſeruari poſtulat, 171.1
quibuſnam ſit paſſio communionis, 148.2
Productio quotuplex, 39.1
Productio ſubſtantiæ quot modis dicatur ſimilis, 10.2
Profectus quotuplex, 54.2
Proficere quot modis contingat, 73.1
Proficere in merito quot modis contingat, 60.2
Promotio ad bonum quotuplex, 64.2
Prophetiæ Spiritus quotuplici modo detur, 3.1
Proportio quotuplici modo ſumatur, 80.1
Proportio inter cauſam & effectum penes quid attendatur, 225.2
Propoſitio probabilis quotuplici modo poſſit accipi, 76.1
Propoſitiones conditionales impoſſibiles quales ſignificent veritatem, 155.2
Proprietas quot modis differat à proprietate, 8.2
Proprietates eſſentiales Trinitatis & vnitatis, 7.1. perſonales, 8.2
Proprium quotuplex, 49.2
Proprium quærere quot modis contingat, 80.1
Prouidentia ex quibuſnam contingat, 53.1
Prouidentia diuina omnia diſponit, & diuina operatio omnia efficit, 448.1
Pulchritudo quot modis accipi poſſit, 60.1
Punire quot modis ſtet ſufficienter, 58.2
Purgatio quotuplex, 97.2
Purgationis gradus quotuplex, 3.1
Purgatorij locus ſecundum legem communem quis ſit, 93.3

Q

QVadratura circuli quænam ſit, 144.2
Quæ verè proprium quot modis contingat, 80.1
Quæſtio hipothetica quot modis tractari poſſit, 138.2
Quæſtio num ponatur aliquid in tempore, quo ceſſat votum, 240.1
Qualitas quotuplex, 41.1
Qualitas omnis ſupenaturalis an habeat aliquod ſubiectum in quo eſſe poſtulet, 210.1
an repugnet in corpore quæ ſit principium operationis naturalis, 219
Qualitas determinata an repugnet ad aliquos effectus ſupernaturales, 212.2
Qualis eſſet, Ibid. quo modo eſſet operatiua tranſeunter, 213.2
diuerſa ab iis quæ factæ ſunt, an poſſibilis ſit, quæ ſit principium operationum ſupernaturalium, 219.1
Qualitas an aliqua permanens vniuerſalis ſit poſſibilis ad omnes effectus, 206
Qualitas vniuerſalis ad omnes effectus ſupernaturales, an ſit poſſibilis, 205.2
Qualitas quæuis à creatura producibilis à ſolo Deo poteſt produci, 409.1. quænam non fuerit conueniens Chriſti humanitati, 263.2
Qualitates ſpirituales ſupernaturales ſubſtantiis incorporeis inditæ an dentur, 218.2
Qualitates quot modis poſſint comparari, 217.2
Qualitas naturalis ſpiritualis nulli ſubiecto particulari debita an repugnet, 218.2
Qualitatem inditam arbori vitæ fuiſſe ſupernaturalem eſt probabile, 220.2
Quantitas quotuplex, 14.1.16.1
Quantitas virtutis perfectæ quotuplex, 14.2
Quantitas in Euchariſtia qualem modum habeat exiſtendi, 224.1
Quantitas dati quot modis conſiderari poſſit ſuper intentionem addere. 60.2
Quantitas intentionis quot modis poſſit intelligi, 60.1
Quieſcere aliquid quot modis dicatur, 61.1

R

RAdix incompoſſibilitatis an ſit ſola oppoſitio contradictoria, 161.2
Radix prima poſſibilitatis rerum creabilium quæ ſit, 147.1. & quæ impoſſibilitatis, Ibid. 2
Rancorem dimittere, & ſigna rancoris in quo differant, 80.2
Ratio hominis ſecundum ſe diſtinguitur à ratione indiuiduorum, 140.2
Ratio diſtinguendi in diuinis vnde ſumatur, 21.1
Ratio neceſſitatis quot ſit Deus quid ſit, 152.2.
Ratio, cur Chriſtus voluit circumcidi quotuplex fuerit, 89.1
Ratio diuerſa tollendi Dei concurſum, allata à recentioribus & antiquis, 46.1
Rationis diuerſitas in diuinis quotuplex ſit, 5.1
Ratione differre quotuplex, 21.1
Rationes æternas quis dicat eſſe difficiles, 242.1
Rationes cauſales & primordiales in Deo, 176.2
Rationes incommutabiles, 140.2. à quo pendeant, 141.2. differunt à præciſiuis, 142.2
Rationes varias in Deo contineri, 145.2
Rationabile quotuplex, 78.83.1
Rationale quotuplex dicatur, 20.1
Rationabile quotuplex, 83.1
Reatus quotuplex, 61.2
Reatus pœnæ an poſſit remitti ſine infuſione gratiæ, 236.2
Receptio & inhærentia accidentis in ſubiecto an differant, 312.1
Rectitudo quotuplex, 42.2
Rectitudinis regula quo ſenſu non poſſit deflectere certitudine, 530.2
Redemptionis opus cuinam tribuatur, 73.2
in Redemptione quot ſint, 89.2
Reduci ad aliquid quotuplex, 21.1
Redundantia quotuplex poſſit eſſe, 13.1
Referri ſeipſo quotupliciter intelligi poſſit, 21.1
Regulæ ad cognoſcendam poſſibilitatem, vel repugnantiam rerum, 131.
Regulari & dirigi quot modis contingat, 27.2
Relatio quotuplex, 39.2.67.1
Relatio realis quotuplex, 24.1. ad quid comparetur, 26.1
Relatio vt ſit inter effectum ſupernaturalem, & cauſam creatam quid ſufficiat, 120.2
Relatio tranſcendentalis an requirat exiſtentiam

vtriuſque termini, 362.2
Relatio in Deo quot modis poſſit ſignificari, 31.2
Relationis totum eſſe quid ſit, 190.2
Relationes diuinæ num eleuari poſſint ad agendum extrinſecus, admiſſa potentia obedientiali vniuerſali, 190.1
Relationum eleuabilitas quid inuoluat intrinſecè, 191.2
Relatiuè dici quotuplex, 26.2
Relatiuè dici, quotuplex ſit in diuinis, 18.2
Relatiua num fiant, de nouo ſine mutatione, 573.1
Remedium quot modis poſſit morbum reſpicere, 89.1
Remedium contra peccatum quotuplex, 95.1
Remiſſibile quotuplex, 62.2
Repræſentatio quot modis cóueniat alicui, 49.1
Reptile quot modis dicatur, 48.2
Repugnantia quotuplex, 89.1
Requies quotuplex, 88.2
Requiſita ad hoc vt forma dicatur educi de potentia materiæ, 187.2
Res quæuis quot modis poſſit conſiderari, 2.1
Res ſpiritualis an poſſit habere connexionem cum materiali, & ſpiritualis cum naturalis, 120.2
Res quotuplex ſit in altaris Sacramento, 66.1
Res quæ à ſolo Deo poſſunt produci qualem productionis modum poſtulent, 169.2
Res eadem ſecundum quid ad diuerſos pertineat ordines, 169.2
Res quot modis conſiderari poſſint, 95.2
Res quo modo ſint in Deo, 28.1. quot modis comparentur ad Deum, 29.1
Res conſeruata an ceſſet ceſſante Dei concurſu, 464.1
Res quæ præſens eſt, quotuplici modo, poſſit lateri, 45.1
Res quæ concurrunt ad eſſe mutabile, 30.2
Res aliqua quot modis dicatur aliter cognoſci, 30.1
Res quotupliciter ſumantur, 1.1
Res quæuis quotuplici modo poſſit conſiderari, 16.1.20.1
Res quælibet indigens alia, num eam appetat naturaliter, 350.1
Res diuiſibilis an poſſit recipi in ſubiecto indiuiſibili, 316.1
Res cognoſcere per modum complexionis, quot modis poſſit intelligi, 33.1
Res nulla æterna ex creatis, 226.2
Res quæ ſunt de neceſſitate fidei, & quæ de neceſſitate ſcripturæ, 21.2
Res aliqua creata an dicat ordinem ad omnes effectus poſſibiles, 368.2
Res an quæ liber poſſit à Deo aſſumi ad omnes actiones, & effectus ſupernaturales tanquam inſtrumentum cooperans diuinæ virtuti, 183.1
Res ſpiritualis an poſſit eſſe cauſa rei materialis, 215.2
Res quo modo diuinæ potentiæ ſubſint, 36.2
Res eadem num definiri poſſit Logice, Phyſicè, & Metaphyſicè, 176.1
Rei poſſibilitatis quotuplex ratio reddi poſſit, 149.2
Rem nullam ſui deſtructionem appetere, 255.2
Rem vnam quot modis loqui poſſimus, 143.2
Rem cognoſcere in proprio genere, quotmodis intelligatur, 30.1
Rerum inſtitutio ſecundum quid fuerit miraculoſa, 168.2
Rerum ordo quotuplex, 37.1
Rerum inſtitutio prima qualis fuerit, 249.2
Reſpectus reales inter quas res ſint, 177.1
Reſpectus diuerſi ad extrinſeca, an habeant diuerſos conceptus obiectiuos, 562.2
Reſurrectio quantum ad modum, qualitatem, &c. 96.1
Reſurrectionis noſtræ cauſa efficiens & inſtrumentalis, 95.2
in Reſurrectione quot ſint, 95.2
Retributionis locus quot modis debeatur, 32.1
Reuelatio quid ſit, & an requiratur ad complendam volitionem remiſſionis culpæ, 237.2
quotuplici modo fiat, 44.1

S

SAcerdos proprius quot modis dicatur, 92.2
Sacramentum à quot integrum fiat, 94.2
Sacramenti circumciſionis quotuplex ſit res, 88.2
Sacramenti partes præteritæ quomodo dicentur cauſare, 284.
in Sacramento quot ſint, 88.2
Sacramenta & potentiæ vitales in quo differant, 372.1
an poſſint eleuari per potentiam obedientialem ad cauſandam Phyſicè gratiam & characterem in anima, 283.1
Sacramenta veteris legis quot modis conſiderentur, 2.1
Sacramenta inſtituere qua neceſſitate fuerit neceſſarium, 88.1
Sacramenta puræ fidei quæ, & quæ naturalis dictaminis, 95.1
Sacramentorum actio quot modis conſideretur, 285.1
Sacramentorum in obſeruantia exercitari quot modis ſtet, 88.1
Sacrificium bonæ operationis, deuotæ orationis, & immolationis, 68.1
Sanctificare quot modis accipiatur, 11.1
Saluare gratis volo, & volo gratis ſeruare, in quo differant, 505.2
Sapientium antiquorum ſententiæ de Dei concurſu, 456.1
Sapientia quotuplex. 84.1. quid dicat, Ibid.
Sapientia in diuinis quotuplex, 25.1.2
quot modis dicatur cognitio, 35.2
Sapientia in verbo, & ſapientia à verbo, 41.2
de Sapientia quot modis loquàmur, 22.2
Sanctificatio quotuplex, 89.2
Sanctificationis capacitas & imago Dei quo modo ſint idem, 364.1
Sanctorum beatitudo & gloria ex parte corporis, 98.1
de Sanitate quot modis loquamur, 91.1
Sanum quot modis dicatur, 36.1
Satisfactio quotuplex, 74.1
quot modis ita dicatur, 91.2
Scholaſticorum variæ rationes pro immediato Dei concurſu, 458.1
Scientia quotuplex, 84.1
Scientia Dei, & quot modis de illa loquimur, 27.1
Scientia in Deo vna, & ſimpliciſſima, quot mo-

Digitized by Google

dis possit significari, 30.1
Scientia practica quotuplex, 71.1
Scientiæ subiectum quotuplex, 1.1
Scientiæ profectus quot modis contingat, 51.2.
in Scientia quot considerentur, 81.2
Scire quid sit, 30.2
Scoti rationes pro immediato Dei concursu, 462
Scribi aliquem in libro vitæ quot modis id dicatur, 81.1
Scriptura mandatorum in tabulis quot modis distinguatur, 86.1
Secretum peripateticum, 308.2
Semel quot modis possit dici. 5.1
Sensualitas quot modis sumatur, 52.2.55.2
Sensualitatis dissensus ad rationem quot modis contingat, 72.1
Sententia communis de concursu immediato & eminentia diuinæ potentiæ conseruatur, 466.1
Sentire quot modis accipiatur, 45.1
Separatio quotuplex, 9.2
Separatio vnius quot modis fiat ab alio, 29.2
Separatio animæ à corpore quotuplex, 74.1
Sermo quot modis possit dici tropicus, 69.1
Seruitus quotuplex, 68.1
Seruitus, cui opponitur libertas, quotuplex, 53.2
Signum quotuplex sit, 2.1
ad quid sit, 48.1
quotuplicem habeat comparationes, 88. 1. quotuplicem habeat veritatem, Ibid.
Signa prioris & posterioris in diuinis, 227.1
Signa quotupliciter sumantur, 1.1
Similis & æqualis quot modis accipiantur, 24.2
Simulatio quotuplex, 86.1.93.2
Similitudo Dei quotuplex, 42.2
quot modis dicatur, 27.1. 49.1
quot modis attendatur, 88.1
Similitudo lyram tractantis, ac Dei mundum disponentis, 447.1
Simplex quotuplex, 16.2
Simplex quot modis dicatur, 50.1
Simplicitas essentiæ diuinæ, 8.1
Simultas quot modis possit attendi, 31.1
Socrates quomodo vocarit Deum, 458.1
Solus, quotuplici modo capiatur, 17.2
quot importet in se. Ibid. quotuplici modo possit importare priuationem associationis. 18.1. Solus Pater est Deus quomodo intelligendum, Ibid.
Specie impressa à quo possit produci, 410.2
Species innata quotuplex, 14.1
Species quotuplici modo comparentur in quo sunt, 29.2
Species à colore genita quot modis moueatur, 48.1
Species impressæ quandonam fuerint Angelis inditæ, 408.2
Speculum quotuplex, 45.1
Sperare quot modis quis possit, 77.2
Sperare de aliquo quot modis contingat, 2.1
Spes quale sit nomen, 77. 1. pro quo sumatur, Ibid. quid nominet, Ibid.2
quot modis accipiatur, 78.1
Spei actus quotuplex, 78.1
Spei & charitatis habitus secundum quid comparari possint, 78.1
Spirare quot modis accipiatur, 10.1
Spiratio quot modis possit significari, 25.2
Spirituale quotuplex, 94.2
Spiritualium mensura quot modis attendatur, 40.1
Spiritus sanctus an detur habenti & non habenti char. 14.1
Spiritus sanctus temporaliter procedit quot modis hoc sit intelligendum, 11.1
Spiritus sanctus principaliter procedit à Patre quomodo intelligendum, 10.1
an temporali processione procedat à seipso, 11.2.
quot modis detur in prophetia, 12.2
Spiritus incorporei ab igne pacti, 109.1
Spiritus quotuplex sit in substantia corporali, 10.1
Spiritus Prophetiæ quot modis detur, 13.1
Spiritus sancti dona quotuplicia, 83.190.2
Spiritus sancti temporalis processio quantum ad proprietatem, 14.2.
Spiritus sancti missio inuisibilis, 13.1
Spiritus sancti missio temporalis quantum ad modum secundum quem, 12.2
Spiritus sancti processio æterna, 9.1
Spiritus sancti processio temporalis quantum ad principium à quo, 11.1
Spiritus sancti spiratio æterna quantum ad principium à quo procedit, 10.1
Spiritus sancti æterna processio qualiter à Patre & filio procedit, 10. 1. quantum ad generationem à qua distinguitur, 10. 2
Status quotuplex, 93.2
Status perfectio quotuplex, 95.1
Status quot modis ponatur in aliquo, 41.2
Subiectione fit in iis quæ repugnant, 256.1
Subiectionem esse maiorem omnis creaturæ ad Deum, quàm corporeæ ad spiritualem, 116.1
Subiectum quotuplex, 10.1
Subiectum naturale qualem habeat potentiam ad recipiendam formam supernaturalem, 378.2
Subiectum inhæsionis & adhæsionis quomodo distinguatur, 306.2
Subordinatio voluntatis creatæ ad diuinum concursum in quo fundetur, 455.1
Subordinatio voluntaria Dei ad creatam, 496.1. quid Deus in ea ostendat, 498.1
Subsistere per se an inferat negationem subsistentiæ per aliud, 329.1
Substantia quotuplex, 5.2.18.2
quot modis dicatur, 58.2. 72.1.75.1
Substantia diuina an possit assumere accidens, 315.1. Angelica & spiritualis an sit capax accidentium, Ibid.2
Substantia spiritualis an possit aliquo modo pendere à materiali, 328.2
an effectum producere possit, vel operationem materialem in se, 187.1
non intellectiua an sit possibilis, 416.2 417.1. an omnis sit operatiua, Ibid.2
an habeat potentiam obedientialem respectu accidentium materialium, 312.2
Substantia aliqua creata an possit esse causa principalis gratiæ, 256.2
an quæ non est pura potentia, possit, per diuinam potentiam conseruari sine iis quorum coniunctionem postulat naturaliter, 318.1
in quotuplici differentia sit patiens, 96.2

Digitized by Google

num habeat potentiam remotam ad inhæredum, 186.1
Si daretur productiua gratis, quid sequeretur, 259.1
Substantia inanimis an possit conuerti in animatam, 326.2. an corporea in spiritualem, & spiritualis in corpoream, Ibid. an in accidens, 327.1
Substantiæ & subsistentur nomen quotupliciter accipiatur in diuinis, 19.1
Substantiæ productio quot modis dicatur similis, 10.2
Substantiæ nomen quot modis dicatur, 524.1
Substantiæ proprietas quotuplex, 8.1
Summum in aliquo genere quot modis dicatur, 57.1
Superbia quot modis sumatur, 61.2
Superlatiuus quot modis exponi possit, 49.2
Supernaturale quid ita dicatur, 167.1
Supernaturale secundum substantiam & secundum modum, 167.2
Supernaturalitas quot modis possit concipi in creatura, 194.2
in ordine ad quem attendatur, 169.1
Suppositum in quo, & suppositum ex quo, 68.2
Suppositum quot significet, 16.2
quænam respectu dicatur causa principalis, 241.1
Suscitare mortuos Dei solius esse proprium, 257.2
Symbolum quotuplex, 93.2

T

TEmporale quot modis intelligendum, 11.1
Tempus quot modis sumatur in scripturæ, 40.2
quot modis dicatur, 29.2. modis per illo loquamur. Ibid.2
Tenebræ quot modis importent priuationem, 47.1
Terminatio actus quotuplex, 67.2
Terminus actionis vitalis an à solo Deo possit produci, 413.1
an debeat determinari, quem potest habere varium, 567.1
Terminum esse vnicum hypostaticæ quid dicat, 192.1
Terra per quid excitetur ad fructus ferendos, 448.2
an à diuina voluntate determinari possit ad alios operandi modos & effectus, 250.1
cur stet vbi nunc est in sententia Ambrosij, 245.1. opinio motum ei tribuens damnata, Ibid.2
quomodo concurrerit ad operationes mirabiles initio creationis, 249.1
Testimonio in falso quot considerentur, 85.2
Timor quotuplex, 71.1
Timor initialis quot modis addat supra seruilem, 83.2
Timoris gratuiti vsus quotuplex, 84.1
Totum quotuplex, 16.2
quot modis ita dicatur, 65.1
Totum an possit conuerti in totum, 319.2
Tradere tortori quot modis id fiat, 95.1
Transformationes magicæ an sint conuersiones, 324.1
Transire extra, quotuplex, 31.2
Transitus an aliquis fiat à contradictorio in contradictorium sine mutatione, 572.1
Transitus à non determinato ad determinatum, an aliqua mutatio sit obiectiua, 231.1
Transitus ab obligatione ad non obligationem voti, pœnæ & similium an sit mutatio moralis, 235.2
Translationis ratio vel finis quotuplex, 27.1
Trinitas, quotuplicem habeat etymologium, 19.2
Trinitas & vnitas secundum quod credita & intellecta rationabiliter & catholicè exprimitur, 18.1
Trinitatis & vnitatis proprietates essentiales & quodammodo personales, 15.2
Trinitatis & vnitatis proprietates & conditiones essentiales, 7.1. personales, 8.2
Tristitia & dolor in quo sint prædicamento, 407.1

V

VElle quotuplex, & velle aliquid sine alio quot modis stet, 36.2
Velle in nobis quot modis consideretur, 54.2. quot modis contingat, Ibid.
Veniale quot modis consideretur, 92.1. quot modis dicatur, Ibid.2
in Ventrem ire quotuplex sit, 90.2
Verbum mentis quomodo pendeat ab intellectu & quomodo non, 407.2. an sit essentialiter viua imago & repræsentatio obiecti, 414.1
quale sit medium, 22.1. quotuplex sit, Ibid.
Verbum imperatiui quot modis accipiatur in scriptura, 59.1
Verba in voce actiua passionem significantia & in in voce passiua actionem significantia, 64.1
Verba sacra in propria significatione accipienda, 126.2
Veritas quæuis vnde sit, 147.2
Veritas quot modis comparetur falsitati, 59.2
quotuplex sit in enuntiatione, 59.1
quotuplici modo comparetur ad subiectum, 7.1. quot modis consideretur, Ibid.
Veritas agnita quot modis possit impugnari, 62.2
Veritas quam Patres vocant vnam, immutabilem, æternam, &c. an sit prima, 158.2
Veritas pœnitentiæ quot modis accipiatur, 91.1
quot modis consideretur, 2.13.1. quid sit, Ibid.
Veritas obiectiua qualis sit curationis, 234.2
Veritas cuiuslibet rei, quid ipsi rei sit, 157.2
Veritas fundamentalis immutabilis quid sit, 159.1
Veritate qua vera sint omnia, 145.2
Verum quotuplex, 55.2
quot modis describatur, 160.
quidnam ita dicatur, 157.2. quomodo conuertatur cum ente, Ibid.
Videre multa vt multa quot modis contingat, 96.1
Videre sine medio quot modis stet, 88.1
Videre per speculum quid sit, 81.2
Videre per medium quot modis contingat, 52.1
Vilitas creaturæ num obstet potentiæ obedientiali, 114.1
Violentum quid sit, 334.2
Violentum an aliquid sit respectu Dei, 338.1

Digitized by Google

B. Virgo in conceptu filij per quid concurrerit, 373. 1. veriori modo sit mater quam reliquæ matres, 375.1
de B. Virgine quot modis loquamur, 34.2
B. Virginem conceptam sine peccato, 65.1
Virtus quotuplex, 44.1
quot modis accipiatur, 54.1.75.1
quot modis consideretur, 11. 1
Virtus diuina & creatura dicuntur vnum principium operandi supernaturaliter, 198.2
Virtus supersubstantialis cuiusnam rei sit principium, 449.1
Virtus generatiua Virginis in conceptione Christi fuit effectiua, 111.1
Virtus ad omnes effectus supernaturales cuinam sit propria, 205.2
Virtus eleuans an sit tota ratio agendi excludens omnes actionem creaturæ, 177
Virtus & vitium quot modis considerentur, 85.1
Virtus quot modis possit dici medium inter duo vitia, 77.2
Virtus principalis remouendi omnem malitiam solius est Dei, 259.2
Virtus concipiendi in Matre virgine, & transsubstantiandi in sacerdote quot modis consideretur, 90.1
Virtus instrumento quit sit,
Virtutis habitus quot modis notificetur, 75.1
Virtutis actus quotuplex, 82.2
Virtutis cuiuslibet habitus quot modis consideretur, 85.2
Virtutes morales esse in infidelibus, 438.2
Virtutes Cardinales quot modis dicantur virtutes, 83.1
Virtutum habitus infusi propter quid sint essentialiter, 225. 2
Virtutum habitus quot modis considerentur, 83. 2
Virtutibus quomodo loquamur, 78.1
de Virtutibus politicis quot modis loquamur, 85.1
Vis in Angelo tam bono, quàm malo quotuplex, 43.1.44.2
Visibile quot modis contingat non videri, 2.1
Visibilia quot modis considerentur, 13.1
Vitio causata in oculis à claritate corporis beati, an sit naturalis, 219.2
Visio Christi D. quomodo sit perfectior visione cuiuscumque Angeli, 397.2
Visio beata secundum quid sit conueniens intellectui, 128.1
Visio Michaëlis à quo præferatur visioni Christi, 399.2
Visio beata cuinam rei proportionetur, 396.1
quandonam perfectior, Ibid. 2
Visionis essentia quot modis consideretur, 322. 2
Vita quot modis accipiatur, 95.1
an sit actio vel factio, 407.1
quotuplici dicatur modo, 7.1
Vitam aliis dare quot modis possit contingere, 44.2
Vitium quot modis dicatur capitale, 61.2
Vitia omnia per quid expellantur, 90.2
Viuere aliquid quod modis dicatur, 96.1
non Viuam quot modis dicatur, 91. 2
Vnio quotuplex, 13.1
Vnio voluntaria quotuplex, 64.2
Vnio hypostatica non stat cum peccato, 138.1
Vnio quot modis ita dicatur, 74.1
quotuplicis sit generis, 66.2
Vnionis gratia quotuplex, 70.1
Vnitas quotuplex, 25.1.67.1
Vnitas in diuinis secundum quod credita & intellecta rationabiliter & catholice exprimitur, 18.1
Vnitas aliquorum quotuplex, 9.2
quot modis possit intelligi esse in materia, 47.1
Vnitatis & Trinitatis proprietates & conditiones essentiales, 7.1. personales, 81.2
Vniuersalium causæ, an sint vniuersales, & singularium singulares, 459.1
Vniuersitatis decor quotuplex, 36.2
Vniuersi perfectio quotuplex, 49. 1
Vniuersi perfectio in quibus attendatur, 39.2
Vniuersi partes quotuplices, 35.1
Vnum quotuplici modo dicatur de alio, 22.1
Vnum in creaturis quot modis consideretur, 19.2
Vocationi consentire vel dissentire an sit propriæ voluntatis, 497.2
Voluntarium quotuplex, 61.1
Voluntarij ratio à quo pendeat, 410.1
Voluntas quotuplex, 72. 1
Voluntas Dei quotuplex, 59.1
in Deo quotuplex, 81.1
quid sit rebus, 243. 2. quo modo dicatur à sanctis patribus natura rerum, 244.1
quo modo se habeat ad actus humanos, 481.
an dij aliqua rependeat à creata, 520.2
Voluntas Dei & creaturæ quomodo se determinet, 540.1
Voluntas Christi quot modis consideretur, 72.1
Voluntas quot modis dicatur esse causa alicuius, 57.1
Voluntas finis quotuplex esse potest, 59. 2
Voluntas beneplaciti quotuplex, 36.2
Voluntas & intellectus cur possint eleuari ad actus supernaturales, 130.2
quot modis comparetur ad actum, 96.2
quotuplex sit in nobis, 38.1
quot modis possit concurrere ad actum vitalem supernaturalem, 187.1
Voluntas disiunctiua an reddat potentem creaturam in actu primo, 485.2. quot modis possit intelligi, 481.1
quomodo influat in actus supernaturales, 393.1
quot eam eximant à pura instrumenti ratione, quando operatur supernaturaliter, 372.2
quot modis consideretur, 353.1
quotuplex sit principium, 9.2
quot modis contineatur, 6.1
Voluntas vertibilis vt pila vel rota, 333.1
Voluntas antecedens, & voluntas consequens, 32.1
an sit de se potens attingere actus supernaturales, 114.2
Quale sit agens, 537.2
Voluntas mala quotuplex, 43.1
Voluntas concurrendi cum libero arbitrio an sit conditionata, 492.2. an possit antecedens voluntas impediri, 493.1

Digitized by Google

Index.

an operetur nisi determinata efficienter à se & à Deo formaliter ab operatione, 521.2
cuiusnam causæ indigeat influentia in sua operatione, 453
per se influit immediate in actus supernaturales visionis, amoris, &c. 175.1
Voluntatis creatæ actus, an sit futurus præciso decreto de concursu, 230.2
Voluntatis diuinæ signa quotuplicia, 36.2
Voluntatis creatæ subordinatio ad diuinum concursum, in quo fundetur, 455.1
Voluntatis actus an possit à se solo produci, 406.2
Voluntatis dominio quot modis dicatur aliquid subesse, 2.2
Voluntatis actus quot modis consideretur, 2.2
Voluntatis conformitas ad voluntatem quot modis attendatur, 72.1
Volũtatis creatæ determinatio an dicat aliquam potestatem in Deum, vel aliquid aliud, 500.2
Voluntatis proportio quotuplex, 37.2
Num ponatur aliquid in tempore quo cessat volum, 240.1
Vox obedientialis qualis sit, 105.
in Voce sensibili qualis sit vis ad excitandum intellectum, 203.1
Vsus rei quotuplex, 36.1
Vsus quot modis accipiatur, 2.1
Vsus qualis fuerit in redemptione, 73.2
Vsus timoris gratuiti quotuplex, 84.1
Vsus alicuius habitus quot modis possit dici crescere, Ibid.
Vsus alicuius potentiæ quot modis dicatur, 43.2
Vt, coniunctio quot modis possit intelligi, 41.2
Vti aliquo quot modis dicatur, 2.2

FINIS.

Digitized by Google



Laboratorio di Restauro
Leandro Gottscher
Via del Boschetto, 97
Roma

Digitized by Google

APR. 19